P. RAMI
SCHOLAE IN LIBERALES
ARTES: QVARVM ELENCHVS EST PROXIMA PAGINA.



BASILEAE, PER EVSEBIVM EPI-ſcopium, & Nicolai F. hæredes. Anno Salutis humanæ
M. D. LXIX. *Menſe Auguſto.*

Scholarum materies, Lector, pro ſubiecto genere modô brevioribus libellis tanquam capitulis contrahitur, modó plenioribus libris explicatur, ut in mathematicis fieri ſolet.

Grammaticæ	*Lib. X X.*
Rhetoricæ	*Lib. X X.*
Dialecticæ	*Lib. X X.*
Phyſicæ	*Lib. VIII.*
Metaphyſicæ	*Lib. X IIII.*
Mathematicæ ſeparato opere	*Lib. X XI.*

LECTORI S.

GRAVIS illa Socratis querela fuit, Lector, execrantis eos qui primi utilitatem ab honeſtate ſejunxiſſent: quod nos tam variis tamq; multiplicibus in liberales artes ſcholis perpetuo fere conquerimur & execramur, quod ab honeſtis & liberalibus diſciplinis utilitas tam miſeré ſeparata ſit. Sophiſtica quęſtionaria ſuperioribus proximis ſęculis academias univerſi orbis occupaverat, ut omnes artes commodiſsime percipi exerceriq́; putarentur, ſi de iis clamoſe diſputaretur: quę perſuaſio cum diuturna cōſuetudine inveteraſſet, difficillime ex animis hominum potuit evelli. Grammatica ut omnium artium minima infirmiſsimaq́;, ita fortiſsima ac feliciſsima fuit, ut ſe ſe ab hac miſeria vindicaret. Nam ſi diebus ſingulis ordinarii ſtudii horę ſint octo, vix octava pręceptis artis cognoſcendis & ediſcendis attribuitur: reliquę omnes horę conſumuntur in audiendis poetis & oratoribus, in eorumque grammaticis laudibus ſcribendo loquendoq; imitandis, ut paucis documentis exercitatione varia & aſsidua pueri grammatici, id eſt puri ſermonis artifices efficiantur. Itaque labor facillimus nobis hic fuit adverſus grammaticos: Nam pręcepta falſa perpauca fuerunt, uſus autem veriſsimus judex ac magiſter omnibus loquendi ſtudioſis laudatus ac probatus: ut noſtra contentio nuſquam expeditior fuerit. Habet enim orbis terrarum innumerabiles Ariſtarchos non ſolum grammaticę artis, ſed multo magis grammatici uſus peritiſsimos, qui barbarum vel inſolens verbum, qui verborum ſtructuram parum elegantem aut latinam aut etiam non Ciceronianam dijudicent. Ergo his judicibus facile ſit perſuaderi tota in verbis modorum, formarum, quarundam etiam perſonarum, item participiorum in dus futurorum decreta nil niſi barbara inertium & legitimi uſus imperitorum grammatiſtarum commenta eſſe. Deinde ordinis noſtri τεχνολογίαν tanto gratiorem juventuti & aptiorem eſſe, quanto pluribus partibus breviorem facilioremq; diſciplinę viam doceat. In Rhetoricis veró & Dialecticis labor ingens ac propé deſperatus videatur, adverſus ſummos authores & tot ſęculis veluti conſecratos Ciceronem, Quintilianum, Ariſtotelem dicere: neq; copia ut illic bene loquendi uſu pręſtantium grammaticorum, ita hic bene dicendi beneq́; diſſerendi excellentium oratorum vel logicorum tanta reperiatur: neq; in ludum Iſocratis aut Molonis, Ariſtotelis vivi aut Carneadis licet iſtam controverſiam deducere, ut magiſter uſus diſceptator & judex adhibeatur. Habet tamen ętas noſtra in pleriſq; academiis rhetoricas exercitationes & peripatetici generis logicas declamationes: habet pręſtantes omni genere eruditionis ac doctrinę profeſſores academiarumq́; moderatores: habet deniq; uſum rhetoricum & logicum in Demoſthenis, Ciceronis, Platonis, Ariſtotelis libris non adum-

bratum lineamentis, ſed vivis coloribus expreſſum: huc igitur ex jure manu conſertum voco, præceptaq; rhetorica & logica exemplis utilibus omniumque rectè judicantium judicio ſpectatis & probatis ſpectanda & probanda, contraria ac repugnantia explodenda è ſcholis ejiciendaque eſſe contendo: Ciceroniſque & Ariſtotelis artes Ciceronis & Ariſtotelis uſu corrigendas & emendandas eſſe moneo. Verumenimvero in rhetoricis actiones monitioneſque noſtræ quia rhetoricus aliquis per academias uſus increbuiſſet, ac velut acclamationes quaſdam ſecundas excitaſſet, æquioribus animis auſcultatæ ac ſuſceptæ ſunt. Sophiſtica autem neſcio cujus Eubulidis in academiis pene omnibus rabies tanta fuit, ut logicos de logico in poetis, in oratoribus, in hiſtoricis in mathematicis, in philoſophis, in omnibus deniq; humanæ vitæ partibus, uſu, cōmonefacere propemodū idem eſſet, quod Urſos, quod Tigres quod Leopardos irritare. Meminiſſe horret quám furioſa amentium hominum tempeſtas in nos iſta fuerit, & tamen jam valde ſedari cœpit, patientiaq; conſtantia videmur aſſecuti, ut jam in academia qualibet exceptis pervicacibus paucis quibuſdam pervicaciam ſecum in ſepulchrum ſuum illaturis, nemo ſit qui humanum illum logicæ facultatis fructum non mirifice complectatur. Equidem in Germania multis doctrinæ et eruditionis nominibus celeberrima vehementer rem unam demiratus ſum. Rodolphus Agricola primus omnium poſt beata Graciæ Italiæq; tempora eximium illum logicæ facultatis uſum revocavit, ut juventus á poetis & oratoribus diſceret non ſolum pure loqui & ornate dicere, ſed de propoſitis rebus acute cogitare prudenterque judicare. Hos dialecticos tam inſignes tamq; amabiles fructus Ioannes Sturmius ex Agricolæ ſchola Lutetiam Pariſiorum primus attulit, academiamq; academiarum principem incredibili tam inſperatæ utilitatis deſiderio inflammavit: tum igitur tanto doctore logicam iſtam ubertatem primum deguſtavi, didicique longe alio fine conſilioq; juventuti proponendam eſſe, quám Eubulidea illa contentionis rabies perſuaſiſſet: nempe ut tenera ætas fieret exemplo & imitatione ſummorum logicorum ingenio promptior ad pervidendum quidlibet cogitandumq;, judicio que maturior ad decernendum ac judicandum. Itaque mirabiles Agricolæ laudes per univerſam Germaniam exortæ ſunt, ſed in academiis pleriſque omnibus verborum laudes tantum fuerunt: reipſa & opere fere nemo Agricolam imitatur. Logicus inventionis judiciique uſus ex diſtinctis argumenti cujuſque generibus, ex argumentorū enuntiato, ſyllogiſmo, methodo in nullo poeta, in nullo oratore obſervatur: tantum abeſt ut quotidiana & perpetua meditatione, ſcriptione, declamatione exerceatur. Eubulides ſolus in Ariſtotelis ſchola regnat & dominatur, tantumq; de jejunis aridiſque præceptiunculis altercatur: Ariſtotelis theſes á peripateticis diſcipulis nullæ declamantur: denique magiſter uſus quem mihi quæſtionis hujus univerſæ judicem expeto ac depoſco, nullus in ſcholis pleriſque admodum eſt, & idcirco á rabioſis Eubulidibus & logici

uſus pla-

uſus plane imperitis atque expertibus ſtudium noſtrum improbatur. Nemó fere ad Eubulides iſtos accedit, qui non protinus Eubulideam logicam non etiã apodicticam cõmentetur, quamvis de uſu logicæ nihil unquam cogitarit, quam vis apodixin geometriæ nullam unquam audierit: Quidam etiam apodictica exempla non modo aliena ſed ſibi prorſus ignota, tamen audaciſsime huc afferunt: at grammaticæ magiſter barbariis irrideretur, & colaphis cæſus e' cathedra merito deturbaretur. Plerique etiam ne audire quidem vel attendere quid nam ſit rei, ſuſtinent, quos tamen de re ignota nihil pudet confidentiſsime judicare, quo de numero theologus quidam apud ſuos authoritatis primariæ non ita pridem narrabat Ariſtotelis logica innumerabiles viros præſtantes effici, P. Rami logica nullum ſibi eſſe cognitum: Verum (inquam) eſt vir divine, qui Eubulideos clamores de aridis præceptiunculis ac plerumque ſophiſticis te authore neſcio quot annos altercati ſunt, præſtantes logici ſunt effecti, qui logicam poetarum, oratorum, hiſtoricorum, mathematicorũ, philoſophorum, omniumq; excellentium hominum conſiliis judiciiſque congruentem didicerint docente P. Ramo & exercuerint, odioſi clamatores et importuni ſophiſtæ facti ſunt. Veh tibi paries dealbate, qui nigra dealbare tam belle ſoleas. Scripſit nuper quidam á P. Ramo methodum platonicam probari, Ariſtotelicam contemni: hic vir alio qui nec malus nec indoctus P. Rami logicam de methodo nunquam legit. Petrus enim Ramus Platonis Ariſtoteliſque ſicut Hippocratis & Galeni omniumque omnino artificum methodum unicam eſſe demonſtrat, eamque ſequitur, & ab imperita methodorum multitudine vindicat. Quid multa? reſtitue Sturmi præſtantiſsime, Germanis Agricolam quem Gallis dediſti, judicem illum doctrinarum cenſoremque (quem in logicis tantopere flagitamus) reſtitueris. Hic pro omni jure, pro omni lege ad logicam controverſiam diſceptandũ uſum (ſat ſcio) tantummodo, authoritatem autem quamlibet ſacri philoſophi nullam ſpectabit. uſus uſus (inquam) logicus in logicas ſcholas ingrediatur, ſophiſmata omnia prorſus exterminabit: quodque nobis poeticis, oratoriis, mathematicis, philoſophicis exemplis & tanquã vivis teſtimoniis perſuaſit, hoc idem vel Eubulidi perſuadebit: proponatur adoleſcentibus ad imitandum ut grammatica & rhetorica, ſic logica Virgilij, Ciceronis, Homeri, Demoſthenis, ſcripto & voce quotidianis meditationibus exerceatur, meditationes & exercitationes iſtæ in mathemata philoſophiamque reliquam transferantur, controverſia protinus nulla erit. Hanc igitur in ſcholis Virgilianam, Tullianam, Homericam, Demoſthenicam, mathematicam philoſophiam, omnibuſq; hominum conſiliis judiciiſq; uſitatam non ab Ariſtotele vel á Ramo ſomniatam eſſe cupio. Sed reliqua perſequere. Video libros Ariſtotelis quatuordecim phyſicos, octo acroamaticos, quatuor de cælo, duos de ortu & interitu, vix ac ne vix quidem phyſicæ veritatis totidẽ verſiculis inſtructos, ſed imprimis acroamaticos inanibus ſophiſmatis, plurimis logicæ, nonnullis mathematicæ, quibuſ-

dam etiam theologiæ refertos. Socraticum igitur acroama exclamo, indignorq́ꝫ. Phyſica materia de rebus cæleſtibus ſolida eſt in Ptolemæo et Copernico, de meteoris in Ariſtotele, de metallis, plantis, animalibus in aliis Ariſtotelis libris in Hippocrate, Platone, Theophraſto, Georgio Agricola, Matheolo: phyſica inquam materia certiſſima & veritatis & utilitatis ante oculos ampliſſima eſt, unde licet præcipua atque optima deducere & juventuti proponere. Quanam igitur humani judicii perverſitas tanta eſt, ut oblatis frugibus lautiſſimis putri glande veſci lubeat? Vſum igitur phyſicum & phyſicæ acroaſeos magiſtrum in ſcholis phyſicis flagito, qui ſophiſmatum phyſicorum delitias tam inertes á juventutis inſtitutione removeat, conſtantemq́ꝫ naturalium rerum doctrinam inſtituat. Poſtremo ad metaphyſicam tanquam ſacram divinitatis diſciplinam aliquam accedo, ubi ſophiſticam omnium longe putidiſſimam reperio. E' quatuordecim libris ſic antea vix ac ne vix quidem quatuordecim verſiculos de theologia, & quidem eos epicureæ impietatis pleniſſimos offendo. Cætera illa tam multa maximam partem Eubulideæ logicæ tapeta eſſe mathematicis quibuſdam & phyſicis ſophiſmatis exornata: & hic cum Socrate quiritamur, pró Deum hominumq́ꝫ fidem: an Germania Galliaq́ꝫ Luteris, Buceris, Oecolampadiis, Zuingliis, Calvinis deſtitutæ ſunt, á quibus evangelicam theologiam perdiſcant, niſi & metaphyſicus iſte pſeudopropheta juventutem perditis atq́ impiis dogmatis imbuat? Quapropter evangelium ſanctæ beneq́ꝫ moratæ vitæ magiſtrum huc imploro & invoco, & judices incorruptos liberoſque ſecundum juſtitiam iſtam poſtulo, qui leges artium ſtudioſe quidem & accurate cognoverint, ſed ſtudioſius & accuratius exercuerint, qui ſcientiam præſtantem, ſed ſcientiæ uſum præſtantiorem magna diuturnaq́ꝫ conſuetudine paraverint. Hos inquam judices poſtulo qui de grammaticæ, rhetoricæ, dialecticæ, phyſicæ metaphyſicæ libris tantum probent, juventutiq́ꝫ cognoſcendum ediſcendumq́ꝫ imperent, quantum certa utilitas vitæ & verus humanitatis uſus exiget. Scholæ mathematicæ ſuos alibi Socrates ſuaſq́ querelas habuerunt. Vide igitur Lector utrum tu is judex fueris: tumq́ in tribunali ſedeto, contrariiſq́ꝫ rerum momentis diligenter examinatis ſententiam perpendito dicitoq́ꝫ.

ERRA-

ERRATA IN GRAMMATICIS SCHOLIS.

Repone ſequentia, columna 31 linea 13 poſt character.

FVIT *autem in ζ levitas quædam græca, ut antea in ξ & in ψ: nec enim ζ litera una eſt, cum geminum σσ, aut σδ, ut* Dionyſio placet, id eſt, literas duas, nec ideo individuum ſonum ſignificet. *Nec ἐρίζω aliter ſonat quàm ἐρίσδω: & ad illam Ariſtotelis in philoſophia 7 c. i lib. quæſtionem, quod quidam ζα ſyllabam conſtare dicant ex σ & δ & α: alij ſonum alium dicant eſſe,* Alexander interpres græcus ait duplicia elementa ſcripta per binas literas, ζ per σ δ. ξ per κ σ. ψ per π σ: qui interpres, Severo imperante id ſcripſit. Compendium igitur duarum literarum eſt in una nota, & compendium orthographiæ, non proſodiæ: quia hic in voce, non una litera effertur, ſed duæ diſtinguuntur. Itaque in ζ intelligatur compendium literarum pro una litera in arte literarum uſurpari: & quidem compendium ineleganter & fallaciter inventum. Sonus enim nota illa ſignificatus in unam ſyllabam non perpetuó concluditur, ſed dividitur aliquando, ut in illo Plauti loco, non atticiſſat, ſed ſiceliſſat, pro græcis ἀττικίζει, σικελίζει. imó veró nulla omnino litera, ut Grammatici profitentur, in eadem ſyllaba geminari poteſt, ſive in principio, ſive in medio, ſive in fine: atq; ubi initium facit, eſt δσ, non σσ. ſicuti ζεῦς non σσεῦς, ſed δσεῦς, ut egregio iſto Simonidis invento barbariſmum in orthographiam inductum videamus. Et Quintilianum in hac extollenda litera valde miratus ſum, cum σ tamen, unde ipſa conſtat, tantum extenuaret.

Καλιχάτι 161,30.

Quæ ſunt columna 190. uſq; ad lineam 12, repone columna 199, linea 38.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBRI XX.

LIBER I. IN ORATIONE *de Grammaticæ præſtantia.*

FREQUENTIA hæc tāta (Aud.) quātam, vel florētiſsimis Academiæ temporibus, animadvertiſſe nō memini, admirationem veſtram tacita mihi ſignificat, quid cauſſæ ſit quamobrē Regius eloquentiæ & Philoſophiæ profeſſor, res adhuc in oratoribus, & philoſophis graves ſecutus, tandem ad puerilem Grammaticæ artis conſideratione deſcenderim: uerùm ſi vel hominum, qui idem fecerint, ſplēdorem ac dignitatem, vel facti ipſius cauſſā facultatēque æquo, & attēto animo reputare mecum volueritis: intelligetis profectó non ludicram puerorum luſionē neſcio quam induci, ſed ſummorum & in literis facilé principū hominum honeſtiſsimū exemplum revocari: ſtatuetiſq;, comparatis rebus & diligenter animadverſis, receptæ profeſſionis munere alienum nihil á me ſuſcipi. Etenim quos, et quātos in utraque lingua viros arbitramur Grammaticæ artis magiſtros extitiſſe? Græcia nempe philoſophos, imprimis Platonem & Ariſtotelem. deinceps innumerabiles alios extulit. Platonis tempore Grammatica nihil aliud admodum fuit, quám literas legere & ſcribere. At in Philebo videmus á Platone tractatum, qua via deceret literarū doctrinā inſtitui: nec Cratylo ejuſdē philoſophi dialogo ſingulari, aliud quám Grammaticum argumētum diſputatum eſt, quippe qua ratione nomina rebus eſſent impoſita. Ariſtoteles ultra Platonis initia progreſſus, genera quę primia elementis efficerentur, comprehendit, comprehēſaque poſteritati mandavit. Theodectes Ariſtotelem magiſtrum imitatus eſt, ingeniumq; in Grammaticis ſtudiia exercuit, adeoque philoſophus uterque Grammaticæ artis velut inventor aut certé imprimis author á Quintiliano efficitur. Sic enim ait lib. 1. cap. 4. Ariſtoteles quoque atque Theodectes verba modó & nomina, & convinctiones tradiderūt, videlicet quod in uerbis vim ſermonis, in nominibus materiam (quia alterum eſt quod loquimur, alterum de quo loquimur) in convinctionibus autem, rerum complexum eſſe judicaverunt, quas conjunctiones á pleriſque dici ſcio. ſed hæc uidetur ex *συνδέσμων* magis propria tranſlatio. Hæc igitur de Ariſtotele & Theodecte Quintilianus. Paulatim á cæteris philoſophis, maximeque Stoicis Grammatica res augeri atque amplificari cœpta eſt: unde intelligimus literarum ſtudiū apud Græcos in eo laudis, & dignitatis loco fuiſſe, ut ſummi philoſophi huius artis commendatione, nominis ſui famam memoriamque poſteris gratā eſſe uoluerint. Quid Romani? quo numero quóue loco Grāmaticam habuere? Grammatica olim (ait Suetonius in libello de Claris Grāmaticis) Romæ ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erat: rudi ſcilicet ac bellicoſa etiam tum civitate, nec dum magnopere liberalibus diſciplinis vacante. Initium quoque ejus mediocre extitit: ſiquidem antiquiſsimi doctorum quidam, & poëtæ & oratores ſemigræci erāt. Liuium & Ennium dico, quos utraque lingua domi foriſque docuiſſe adnotū eſt. Nihil amplius quám Græcé interpretabantur: ac ſi quid Latiné ipſi compoſuiſſent, prælegebāt. Primus igitur (quātum opinamur) ſtudium Grammaticę in urbē intulit Crates Mallotes Ariſtarchi æqualis: qui miſſus ad Senatum ab Attalo rege inter ſecundum ac tertiū bellum Punicum ſub ipſam Ennii mortē, cùm in regione Palatii prolapſus in cloacæ foramen crus fregiſſet, per omne legationis ſimul & valetudinis tempus plurimas *ἀκροάσεις* ſubinde fecit, aſsidueque diſſeruit, ac noſtris exemplo fuit ad imitandū. Denique magis ac magis (ait idē) & gratia & cura artis increvit, ut ne clariſsimi quidem viri abſtinuerint, quo minús & ipſi aliquid de ea ſcriberent, utque tem-

poribus quiboſdam ſuper xx. celebres ſcholæ fuiſſe in urbe tradantur. Hęc Suetonius. Hi veró clariſsimi viri qui taotúm proponuntur, nominatim non appellantur, fuere (ut ex hiſtoria percipi poteſt) M. Terentius Varro, M. Tullius Cicero, C. Julius Gæſar. Doctiſsimus undecóque Varro cúm pleraque alia, tum pręcipué Grámaticum hoc argumentum, quatuor & viginti libris explicaverat: ſex adhuc licet mutilati, attamen ex eo numero libri ſuperant, unde poteſt univerſæ commentationis ſumma perſpici. Eſt enim ſeptimi ioitio tranſitio poſita, quæ partes omnes oſtēdit, ubi ſic Varro loquitur: Quum oratio oatura tripertita eſſet, ut ſuperioribus libreis oſtēdi, ejus prima pars quēadmodum vocabula rebus eſſent impoſita, ſecunda quo pacto de heis declinata in diſcrimina ierunt, tertia ut ea inter ſe ratione conjuncta ſententiá efferant: prima parte expoſita, de ſecunda incipiam hinc. Hæc partitio indicat triplicé linguę latinę doctriná á Varrone deſcriptá eſſe, Etymologiá, Analogiá & Syntaxim. Etymologia ſex primis tradebatur, Analogia ſex ꝓximis, reliquis duodecim Syntaxis. duodecim nēpe libri in ſiogularum uocū origine & proportione, id eſt, in Etymologia, cujus pars eſt ſingularū vocū Analogia: duodecim in earū cōſtructione verſabātur. Sed Etymologiæ doctrina qualis fuerit ſimili tráſitiōe, initio quarti libri declaratur. Sic autē loquitur Varro: Quēadmodū vocabula eſſent impoſita rebus in lingua Latina, ſex libreis expooere inſtirui. De his, treis ante hūc, feci quos Septimio miſi: io quibus eſt de diſciplina quam uocant ἐτυμολογικὴν, quæ contra eá dicerentur, volumine primo: quę pro ea, ſecundo: quæ de ea, tertio. In heis ad te ſcribam á quibus rebus impoſita ſint vocabula in lingua Latina: & ea quæ ſunt in cōſuetudine apud poëtas. Tres igitur primi libri academicam diſputationem εἰς ἑκάτερον habuere, é libris Grámaticorum Ariſtophanis, Apollodori, Antipatri, Cratis. Primus Etymologiam labefactabat, ſecundus contrá defendebat, tertius taoquam controverſiæ jodex & diſceptator erat. Hi libri periere, tres proximi propagines Etymologiæ tractarunt: quartus interpretabatur nomiua locorum, quintus nomina temporū, ſextus poëtarum. Deinceps aoalogia ſimilem philoſophiá habuit é libris Ariſtarchi & Chryſippi: ſeptimus oppugnator analogiæ fuit, octavus defenſor, nonos defiottor. Tres reliqui, quorum nihil reſtat, propagines analogiæ in flexionibus nominum & verborum continebaut. Tertiæ partis argumētum de copia uerborum & poēmatis deioceps agebatur, quæ pars magno Latinæ linguæ detrimeoto prorſus interiit. Ergo talis Grámatica Varronis fuit. Qoid Tullius? Artis hujus (ait Quintilianus lib. 1. cap. 7.) diligētiſsimus fuit, & in filio (ot ex epiſtolis apparet) certé loquendi uſquequaque aſper quoque exactor: imó veró etiam doctor Grámaticę fuit, eamque in prima elocutionis parte ſtatuit, ut percipitur oratorio 3. in præceptis latinitatis. Mirabile fortaſſe fuerit hos principes tantis opibus tantsque in Repub. dignitate Grammaticæ artis magiſtros fuiſſe. Sed de Cæſare multó mirabilius, qoi doos de Analogia libros ad Ciceronem in ſummo bellorū civilium ardore conſcripſerit: qua de re ſic in Bruto Atticus cum Cicerone, deinde cum Bruto loquitur: Quin etiá in maximis occupationibus cúm ad te ipſum (inquit) de ratione Latiné loquēdi accuratiſsimé ſcripſerit, primoq; in libro dixerit, verborū delectom originem eſſe eloquētiæ, tribueritq;, mi Brute, huic noſtro, qui me de illo maluit, quám ſe dicere, laudē ſingularem. Nā ſcripſit his verbis cúm hunc nomine eſſet affatus. Ac ſi cogitata præclaré eloqui poſſent, nonnulli ſtudio & uſu elaboraverunt: cujus te pené principé copiæ atque inventoré bene de nomioe ac dignitate populi Rom. meritum eſſe exiſtimare debemus, hūc facilé & quotidianum noviſſe ſermonem, nunc pro relicto eſt habeodum. Atque hæc in Bruto: unde intelligimos, ab Attico Cæſaris grámaticum ſtudium cōmendari, unaque Cæſarianam Ciceronianæ Grammaticæ laudem celebrari. Sed ibidem á Bruto etiam magnificentiùs augetur. Tum Brutus, Amicé hercule (ioquit) & magnificé te laudatum puto, quem non ſolúm principē atque inventoré copiæ dixerit, quæ erat magna laus, ſed etiam beoe meritum de populi Romani nomine & dignitate. Quo enim uno vincebamur á victa Græcia, id aut ereptum illis eſt, aut certé nobis cum illis communicatum. Hanc autem (inquit) gloriam teſtimoniumque

Cæſaris tuæ quidem ſupplicationi nō ſolúm, ſad triumphis multorū antepono. Hia igitur exemplis perſpicimus (Aud.) tam honorificum literarum ſtudiū Varroni, Ciceroni, Cæſari viſum eſſe, utiis honoribus (quos in Repub. ampliſsimos eſſent aſſecuti) ampliorē quendam é Grāmaticæ artis illuſtratione ſibi proponerent. Grāmaticam igitur tantorum principū gloriá ſimilibus ſtudiis æmulati ſunt Didymus, Palemo, Terentianus, Quintilianus, Plinius, Celſus, Marcellus, Cenſorinus, Macar, Gellius, Probus. Donatus, Papyrianus; Priſcianus, atq; innumerabiles alii. Sed præclariſsima hominū ingenia in Grāmaticis ſtudiis elaboraverint: cauſſam laboris rationemq; conſiderare, majus fortaſſe atq; optabilius fuerit. Facultatem igitur Grāmatici hujus operis efficiendi ſubducamus. Logicas faciédæ artis leges é materia artis, é forma artis repetamus, qualis Grāmaticæ artis materia, qualis forma ſummis illis Grāmaticæ doctorib. propoſita fuerit. Iſtas veró cauſſas Ariſtoteles Analyticis libris explicavit: hunc itaq; philoſophū audiamus. Materies (inquit) omnibus artibus propria certaq; ſubjecta eſt, quam conceſſu omnium conſenſuque ſibi ſumunt, nec alio ſibi demonſtrationis genere vendicant. Talis Arithmeticæ materia numerus eſt, Geometriæ magnitudo, talis etiam Grāmaticæ ſermo, græcæ græcus, latinæ latinus. Proponitq; Grāmatica ſibi populum qui certo ſermone omnibuſq; popularibus familiari ac noto utatur, tum ſermonis, qa varius uſus eſſe poſsit. apud alios legitimus, contrarius apud alios, Grāmaticam deſcripturus, rectū tantúm & laudabilem uſum feliget: neq; quomodolibet loquendi artem facier (id enim ſine arte fieret) ſed recté & puré, id eſt, bene loquēdi. Ergo ad legitimū uerumq; ſermonis uſum præceptis & regulis é propoſita materia ſeligēdum, tres artificioſæ materiæ notas Ariſtoteles tradit, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, unde theorema catholicum artis ac doctrinæ loco dignum intelligatur. Prima nota præceptiones artis Grāmaticæ, non ſolúm veræ, ſed omninó neceſſarioque ueræ eſſe debebunt. Itaq; ſi quid fallacibus & captioſis Grāmaticorū placitis & opinionibus teneatur, id in iſta materia illegitimū erit, nec ad Grāmatici operis fabricam adhibendum. Infinitæ Grāmaticorum contradictiones ſunt, quæ veræ ſimul eſſe nō poſſunt. Pleriq; feré omnes cōmentitiis exēplis & á ſeſe confictis ſunt cōtenti, exemplorum ex idoneis authoribus demōſtrationem nullam adferunt. Ac ſi qui attulerint, é ſacris literis auté profanis nihilo elegantioribus perivetunt: qui diligentiores fuerunt, é poëtis feré ſumpſerunt, qui tamen (ait Varro) lineas impuné trāſiliunt, quoſq; ideó Antonius apud Ciceronem nō attingit, ut aliena lingua locutos. Itaq; Quintilianus recté ait, á poëtis ſermonis authoritatem peti non poſſe. Pauciſsimi ad Terentium, Cæſarem, Ciceronem reſpexere, atq; interdum vitioſis exemplaribus inducti, falſa nobis authorū teſtimonia produxerunt. Quare ſi quis Ariſtotelem audire voluerit, ad Grāmaticam artē conſtruendum, Grāmatici propemodum nihil niſi problemata proponant, quæ tu laborioſa uſus obſervatione cōſideres, vera demonſtres, aut falſa convincas. Id igitur primúm in ſeligendis Grāmaticæ materiæ præceptis Arittoteleum ſignum erit, ut nihil præcipiatur niſi κατὰ παντὸς. Secundū artificioſæ materiæ Ariſtoteleum ſignum eſt καθ' αὑτὸ, quo multó plus exigitur quám primo: ut enim ſit aliquid in arte per ſe, nō ſatis eſt omnino neceſſarioq; uerum, ſed homogeneum ac penitus cognatū debet eſſe. Ariſtotelis exempla hac in re mathematica ſunt. In Arithmetica de magnitudine dicere (ait) eſt ἀνάριθμον: in Geometria de numero præcipere eſt ἀγεωμέτρητον. Itaq; ſi quid in Grāmatica præter illum ſermonis uſum fuerit, per ſe non erit. Tota feré Grāmatica ſignificationibus vocū referta eſt propriarum, appellativarum, poſſeſſivarum, derivativarum, denominativarum, patronimicarum, verbaliū, participialium, adevrbialium: ſic in verbi doctrina formæ & genera ſignificationum, inchoativæ, frequentativæ, meditativæ maximā partem occupant: de reliquis orationis partibus ultra ſignificationes nihil feré præcipitur. At materies Grāmaticæ eſt ſermo popularis & patrius, id eſt, ſignificationibus notus, nec Grāmatica ſignificationes vocabulorū, ſed uſum docendum ſuſcipit ex iis quidē non quæ ſignificātur, ſed quæ adſignificātur: ut ſunt numeri, genera, gradus, caſus, perſonæ, tēpora, aut é vocū ipſarū finibus: unde uem

pe nominũ declinationea, verborũ cõjugationes informãdę ſunt: tota deniq; iſta ſignificationũ materia ad Ariſtotelis legẽ illegitima erit. De Rhetoricis tropis & figuris Grãmatici qdã in Grãmatica pręcepere. Id nõ eſt *καθ' αὑτὸ*, dicet Ariſtoteles: in Rhetorica præcipiatur. Quintilianus Grãmaticæ partẽ fecit hiſtoricen in explicãdia poëtis. Diomedes eũ ſequitur. At ſi poëmate mores, numeri, res naturales cõtineãtur, utrũ potiùs ad Grãmaticã explicatio talis, quàm ad Ethicã, Arithmeticã, Phyſicam pertinebit? Tertium artificioſæ materiæ ſignum eſt *καθ' ὅλου πρῶτον*, univerſaliter primum, cùm artia regulæ ſint ita propriæ, ut generalia non ſpeciatim, nec ſpecialia generatim, ſed generalis generatim & ſemel, ſpecialia ſpeciatim & ſæpius doceãtur. Ariſtotelis exempla, hinc etiam mathematica ſunt, Tres angulos duobus rectis pares eſſe, trianguli comunis & generalis affectio eſt: itaq; generaliter & ſemel præcipiẽda. Si quis per ſpecies æquilaterum, æquicrurum, varium, demonſtrare contenderit, ſophiſticé demonſtrabit (ait Ariſtoteles.) Nónne (inquies) *κατὰ παντὸς*, nónne *καθ' αὑτὸ*, ſané neceſſarió & per ſe id erit: at *καθόλου πρῶτον* non erit. Quid habet igitur ea rea vitii? *ταυτολογίαν* (ait Ariſtoteles) tortuoſam: trea enim doctrinas pro una faciet. Id generaliter explicatũ etiam per ſpecies ſubjectas intelligeretur. Quare uerè quidem illud doceretur, ſed impropriè, ſed incõmodé, ſed obſcuré. Quid igitur eſt in Grãmaticis regulis nõ *καθόλου πρῶτον*? Grãmaticæ partes duę ſunt, prima in ſingulis vocibus, ſecunda in conjunctis: unius illius partis una doctrina eſſe debebat, quæ vocum ſingularum proprietates explicaret. At á Grammaticis tres ſeparatæ ſunt, Etymologia, Proſodia, Orthographis: id igitur *καθόλου πρῶτον* non eſt. Secundó præceptum de ſpecie & figura generale eſt, & omnium uocum commune: quæri enim poteſt de quavis uoce ſitne primitiva an derivariua, ſimplex an compoſita: id igitur generaliter & ſemel doceri debuit. At præceptum de ſpecie & figura in omni dictionis ſpecie in nomine, in uerbo & cæteris repetitur. Id igitur Ariſtoteles catholicum eſſe pernegaret. Ariſtoteles uocis genera duo, *κατηγόρημα καὶ σύνδεσμον*: *κατηγορήματος* ſpecies duas, nomen & verbũ fecerat: & rectè. At Grammatici pro duobus generibus eorumque binis partibus alii quinque, alii ſeptẽ, plerique ferè omnes octo, nõnulli decem fecerunt. At (inquiet Ariſtotelea) generalia generaliter explicanda ſunt. Analogia declinationũ & generum in pronominibus & participiis nulla ſpecialis eſt: tota eſt generalis. Præpoſitionea & interjectiones, ſicut adverbia ſunt velut adjectiva, ſingularũ vocum. Sunto igitur genera duo, *κατηγόρημα καὶ σύνδεσμον*. Categorematis ſpecies ſunto nomen & verbum, *συνδέσμου* adverbiũ & conjunctio, cæteræque Grammaticæ artis regulæ ad iſtam legem *καθόλου πρῶτον* ſunto. Hæc Ariſtotelea ſunt (And.) artificioſæ materiæ ſigna, *κατὰ παντὸς*, *καθ' αὑτὸ*, *καθόλου πρῶτον*, quibua cõſentanea Grãmaticæ regula pro legitima ſit habenda. diſſentanea reiicienda. Ac quamvia regula Grammaticæ rãra ad iſtam legem catholica reperiri poſsit, cùm anomaliam aliquam patiatur, attamen cùm analogię ſuam anomaliam ſubjeceris, tum denique id totũ catholicum erit. Sed optemus Apolline aliquo propitio iſtam nobis electam & explicatam eſſe Grammaticarum regularum materiam: quónã tandem ordine nobis informanda erit? Logicã etiam hic Ariſtotelis legẽ audiamus, ut uſu atq; exercitatione difficillimã, ſic præcepto omnium breviſsimam & clariſſimam, *Natura prius præcedat, poſterius ſequatur.* Ac quoniam gradus hic etiam ſunt, *γενικώτατον* & natura primũ primo loco, *ὑπάλληλα* & intermedia medio, *εἰδικώτατα* & infima infimo loco ſtatuantur. Hæc artis legitimo ordine cõſtructæ forma, hæc collocatio eſt. Si quid igitur in Grammaticis præceptis natura prius poſteriore, aut poſteriua priore loco eſt, perverſé & præpoſteré collocatum eſt. Dictionis natura prior eſt, poſterior orationis. Dictionis igitur etymologia, proſodia, orthographia anté dicenda eſt, deinde orationis compoſitio & conſtructio. At *ὕστερον πρότερον*, poſt ſyntaxin de proſodia & orthographia vulgó præcipitur. Id methodicũ eſſe Ariſtotelea neqnaquã iudicio caret. Declinationis in nomine differẽtia ſpecialẽ generũ differẽtiã indicat: at generũ ſpecialis etiã doctrina præponitur, declinationũ ſequitur, *ὕστερον πρότερον* Ariſtoteles id appellaret. Deniq; ſi quod eſt in tota Grãmatica præceptũ, id eſt omnino ad Ariſtoteleam artificioſæ formæ regulam

lam

lam revocandum. Ad rationem etiam inſtituẽdæ artis attinet ſermonis facilitas, ſive é Grammatica ſive etiam é Rhetorica repetatur: ut orationis ſpecie quám facillima, unumquodque præceptum proponatur, & ſic veteres illi Grammatici, de quibus locuti ſumus, ſoluta oratione regulas artis expoſuerãt. Recẽtiores verſibus cõplexi ſunt, nõ dico quám ruſticé & inepté, ſed certé nimia obſcuré, ac plerũque ne obſcuré quidem quod opus eſſet exprimentibus: ut proſa interpres neceſſarió adderetur ad explicandum, vel explendum quod uerſus dicere nequiſſet. Num igitur cõmodiús fuerat artem proſa cumprehẽdere, cúm verſus nec omnia complecti poſsit, & ea ipſa quæ cõplectitur, proſa deinde explicanda ſint? Quare cúm in artibus inſtituendis perſpicuitas doctrinæ pręcipué requiratur, obſcuritas iſtorũ carminum, præſertim ineptorũ & ſemilatinorum rejicienda eſt, & quám facillima clariſsimáque fieri poterit oratione, præceptũ unũquodq; ponendum: natura prius priore loco, poſterius poſteriore. Hæc Ariſtotelea formãdæ artis forma eſt, præcepto, ut dixi, facillima, opere atque exemplo difficillima. Etenim, ſi frequentiſsima ampliſsimæ civitatis hujus multitudo univerſa in novam aliquã deducta colonia civitatem transferenda eſſet, atque hac philoſophica lege, & tanquam Platonis præſcripto regionibus, vicis, domiciliis dividenda; quantus labor, quantum opus id eſſe videretur? Sacerdotibus ad templum, judicibus ad forum, militibus ad muros locus aſsignandus, mercatoribus item & opificibus ſua regio diſtinguenda eſſet. Atque hæc partitio tantúm prima. Sunt enim ſacerdotum, judicum, militum & reliquorum generũ varii gradus, ſingulíſque ordo ſuus honorque ſervandus. Attamẽ in tanta varietate tantaque differentium capitũ diſſimilitudine, ſi quid offenſum peccatúmve ſit, id e veſtigio planum faciet querimonia loco deiecti: & cognationes ipſæ generum ſeipſas manifeſtabunt, ut principis error, uel certé diuturnus error accidere non poſsit. Atqui in iſta Grammaricarum uocum innumerabili multitudine, collocatio difficultatem longé majorem efficit. Genera muta ſunt, mutæ ſpecies, mutæ differentiæ, mutæ proprietates, quamvis inde fiat omnis ſermo oratióque. Miſceantur cum generibus ſpecies, aut cum utriſque differentiæ & proprietates: nulla uocis cujuſquam accuſabitur injuria. Hinc igitur qui Pontifices, qui jureconſulti, qui belli duces ac miniſtri, qui mercaturam, architecturam, nauticam agriculturam faciunt, tibi per te tua inveſtigatione atque inſpectione diſcernendi primúm: tũ ad generis ordinem redigendi, ac reliqui labores infiniti ſubeundi: labores (inquam) experienti tãtúm credibiles. Ergo hinc conſtituẽdæ de integro, & tanquã reformandæ Grãmaticæ ſudores (opinor) intelligũtur: ut mirabiles Grãmaticorum errores, & offenſiones videri non debeant. Eſt enim ars una illa faciendarum artiũ longé maxima graviſsimaque: multoque promptius eſt Grãmatico Logicam neſcienti, in captioſos elenchos incidere, quám Logico Grãmaticam ignorãti barbariſmos, & ſolœciſmos facere. Hæc igitur Grãmatici operis efficiẽdi facultas eſt, quã propoſueram, hæc ferramenta, hi vectes, hæc inſtrumẽta architectis illis fuere, quibus materiam Grãmaticæ artis notare & ſignare, quibus notatam & ſignatã diſponere & collocare debuerũt. Quamobrẽ, ſi quis initio miratus ſit cur é Rhetore aut Philoſopho, Grãmaticæ magiſter factus eſſem: is cúm ſummos oratores, ſummos philoſophos, ſummos etiã Reipub. Principes Grãmaticæ magiſtros fuiſſe, inſtrumẽtiſque ex intima philoſophia depromptis, tale magiſteriũ exercendum eſſe cognoverit, hic (ut ſpero) noſtrum in Grammatico quidem argumento, at planè philoſophicum ſtudium recognoſcet, & de Grammaticis inſtitutis attentiús mecum libentiúſque cogitabit.

DIXI.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER II. DE ſonis literarum.

GENERALIA nobis adhuc fundamenta jacta ſunt, exædificatio deinceps omnis ad Logicam illam, & materiæ & formæ normam perpẽdenda eſt, quid ſit

 unum.

unumquodque, & quas partes habeat. Quid igitur eſt Grámatica? Eſt ars bene loquédi. Atqui quæſtio prima fuit ad iſtá definitionem, eſſetne omnino Grámatica ars ulla, & quidná eſſet hoc ipſum bené loqui. Quam quæſtionem Varro duobus libris de lingua latina magnificé perſecutus eſt, cóſtaretne ſermonis uſus ratione aliqua naturali perpetuaque, id eſt, analogia: an incerta & errante, pro multitudinis arbitrio, anomalia vagaretur. Chryſippus περὶ τῆς ἀνωμαλίας libros ſex cõfecerat, qué Crates erat imitatus: Ariſtarchus & ipſius æmuli anologiam tuebantur. Ergo diſputationis hujus lubet capita breviter attingere, & ea quidem duntaxat univerſa. Chryſippea igitur contétio fuit adverſus analogiam his argumentis inſtructa. Etenim (aiebat Chryſippus) ſumma orationis utilitas eſt, ut brevis ſit & aperta: at id ſine analogia poſſumus aſſequi. ſic in veſtibus togæ, tunicæ, ſtolæ, pallii: in ædificiis, atrii, cubiculi, triclinii hyberni, & æſtivi: ſic in ſupellectile, cibo, cæteriſque rebus ad vitam pertinétibus, varietate & diſsimilitudine delectamur. Quod ſi dicatur duplicem eſſe ſummam, ad quas metas naturę ſit perveniendum, utilitatis & elegantiæ: tamen ex diſsimilitudine plus dignitatis quám é ſimilitudine capietur: ſic gemina conclavia, magnitudine & figura diſpares lecti, toraque ſuppellex diſparibus figuris placet. Denique ſi analogia conſuetudini reſpódeat, præceptis nil opus eſt: ſi repugnet, eſt irridenda. atqui uſus & cóſuetudo infinitá anomaliam in nominibus & verbis habet. Sic Chryſippus, ſic Crates pro anómalia aduerſus anologiam diſſerebant. At Ariſtarchus, & Ariſtarchei contrà pro analogia reſpondebant eſſe quidé in veſtibus, & ædificiis inæqualitatem & diſſimilitudinem, ſed generũ ipſorum inter ſe æqualitatem & ſimilitudinem ſervari. Nam ut qui triclinium cõſtrarunt, ſi quē lectum de tribus unum imparem poſuerunt, materia, altitudine, figura, aut de paribus nimium aut parum produxerunt, aut mappas tricliniarias aut pulvinos nó ſimiles: uná corrigimus, & ad conſuetudinem communem, & ad ſuorum generũ analogias reducimus: ſic ſi quis in oratione ita declinat verba ut dicat diſpariia, quod peccat, redigere debemus ad cæterorum ſimilium verborum rationem. Et quidé utilitatis cauſſa orationé factá eſſe concedimus: ſed ut veſtimenta. Quare ut hic ſimilitudines ſequemur, ut virilis tunica ſit virili ſimilis, ité toga togæ, & mulierũ ſtola ſtolæ proportione, & pallium pallio ſimile: ſic nomina virilia inter ſe ſimilia, ité muliebria inter ſe, ſequi debemus: ut enim puerorũ perverſus inceſſus adhibitis ſerperaſtris, ut ægrotorũ morbus remediis, ut vetus pictura novis coloribus, ut antiqua militia politiaque recentibus inſtitutis ac legibus emédatur: ſic & orationis pravitas analogię regulis informatur. Age veró univerſum ipſum circunſpice: analogia conſtare reperies. Quæ enim eſt pars mũdi, quæ non innumerabiles habeat analogias? cælũ an mare, an terra an aër & cætera quæ in eis ſunt? Nõne ſiderũ curſus ac recurſus, maris fluxus ac refluxus, in terra ſegetes, piſces, pecudes, aves, homines, analogias ſui cuiuſque generis ratas & cõſtantes habent? Quare qui negat eſſe rationé analogiæ, nõ videt naturá nó ſolùm orationis, ſed etiá mundi: qui auté vident, & negát ſequi oportere, pugnant cõtra naturá, nó contra analogiá: & pugnant volſellis, nõ gladio, cùm pauca excepta verba ex pelago ſermonis puri, minùs trita afferant, cũ dicant propterea analogias nõ eſſe. ſimiliter ut ſi quis viderit mutilũ bovem, aut luſcũ hominé, claudicanté equum, neget in generib. boum, hominũ & equorũ naturá ſimilitudinis proportione conſtare. Ejuſmodi igitur pro anomalia adverſus analogiá Chryſippi; & pro analogia adverſus anomaliam Ariſtarchi univerſa cõcertatio fuit. Quid Varronis ſententia & cõcluſio, cujuſmodi de his diſputationibus fuit? utrá ſectam, Chryſippine an Ariſtarchi ſecutus eſt? Ariſtarchũ veró eſt amplexatus, ſequendá nempe analogiá: ſed quæ cómuni conſuetudini nó repugnet. Populus univerſus, ait, debet in omnibus verbis uti analogia: & ſi perperá eſt cõſuetus, corrigere ſe ipſe. Populus enim eſt in ſua poteſtate, ſinguli in illius. itaque ut ſuam quiſque cõſuetudinem, ſi mala eſt, corrigere debeat, ſic populus ſuam. Ego populi conſuetudinis non ſum ut dominus, at ille meæ eſt. ut rationi obtẽperare debet gubernator, gubernatori unuſquiſque in navi: ſic populus rationi, nos ſinguli populo. Hæc ſententia Varronis eſt, & concluſio conſentiens cũ omnibus illis

illis Grammaticæ principibus, quos in præfatione appellavimus, uno ore populum linguæ magiſtrum efficientibus. Sic Plato in Alcibiade primo illam ſententiam diſſerit. Ubi Alcibiades de populo ait, Græcé ab iſto didici. tum Socrates, huius rei populus eſt idoneus magiſter. Sic Ariſtoteles 2. Topico, Res nominibus ita ſunt appellandæ, ut populus appellarit. Atq; hos philoſophos ſecutus in Oratore Cicero, Voluptati aurium (ait) morigerari debet oratio, uſum loquendi populo conceſsi, ſcientiam mihi reſervavi. Hoc Varronis & Ciceronis judicium Quintilianus lib. 1. cap. 6. ſecutus eſt. Non (ait) cùm primum fingerentur homines, analogia demiſſa cælo formam loquendi dedit, ſed inventa eſt poſtquam loquebantur, & notatũ in ſermone quid quomodo caderet. itaq; non ratione nititur, ſed exemplo: nec lex eſt loquendi, ſed obſervatio. Atq; rurſus in eodem capite, Conſuetudo (ait) certiſsima loquendi magiſtra: utendumq; plané ſermone ut nummo, cui publica forma eſt. Idem tamen ne quis quamlibet conſuetudinem loquendi magiſtram fieri credat, ita definit ibidem: Conſuetudinem (ait) ſermonis, vocabo conſenſum eruditorum, ſicut vivendi conſenſum bonorum. Hoc igitur proprium Grammaticę artis principium, hoc fundamentum ab illis authoribus ita poſitum & collocatum in literis & ſyllabis primum, deinde in reliquo opere Grammatico teneamus: & quidem veré, conſtanter, legitimé teneamus, non captioſé, arroganter, malitioſé pervertamus. Etenim à fatuis & inſolentibus quibuſdam ingenijs ita detorquetur, ut abuſus quamlibet imperitorum hominum & quamlibet à Romanę civitatis, de qua loquimur, conſuetudine diſsidentium, tamen conſuetudo loquendi nominetur. Enimvero neq; Italorum, neq; Hiſpanorum, neq; Gallorũ, neq; Germanorũ, neq; Britãnorũ quamlibet & quãdiu velis in literis verſatorum oratio, Latina dici oratio poteſt niſi quatenus uſu veterũ illorũ ac mutuorũ Romanorum cõſuetudini ſerviat. Hodie populus latinus in libris tantùm eſt, nec uſquam terrarum alibi habitat. Repetenda igitur nobis eſt latini ſermonis authoritas é pręceptis & exemplis authorum illorum: præcepta latinæ linguæ repetenda à Varrone, Cicerone, Quintiliano, Priſciani imprimis Grammatica, id eſt, meo quidem judicio, veterum Grammaticorum nobiliſsima bibliotheca: tot magni & excellentes authores in ea appellantur. Illinc depromenda nobis eſt bene loquendi doctrina, ſed Logicis illis, quas initio propoſui, legibus confirmanda. Sed enim Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Britanniæ & nationis cujuſq; ſonus à latinę linguæ ſono longé diverſus eſt. Itaque in quaque gente profeſſores cavere imprimis debebũt, ne Romanam linguam linguæ ſuæ ſubjectam arbitrentur, ſed ut authores illi ſummi conſuetudini conceſſere, ſic & nos concedamus: nec tamẽ noſtrorum hominum, id eſt, in Romana civitate peregrinorum & hoſpitum, abuſum, ſed eruditorum Romanorum conſenſum, conſuetudinem latini ſermonis appellemus. Nec omnino ab ætate Quintiliani latinitatis ullum cõſenſum ſtatuamus: populus enim poſtea latinus nullus admodum fuit; neque jam tum valde erat, cum Quintilianus ipſe primo libro profiteatur ætate ſua, tota ſæpe Romana theatra barbaré exclamaſſe. Ad illius igitur antiqui populi, cujus ſermonem in Varronis, Cæſaris, Ciceronis, Terentij, Saluſtij & authorum ſimilium monumentis animadvertimus, authoritatem, conſenſum, conſuetudinem, Grammaticæ linguæ regulas dirigamus, id (inquam) Grammaticæ fundamentum nobis eſto: nec imitemur ridiculas hac de re tragœdias etiam in collegiis hominũ in academia Pariſienſi eruditorum commotas, quorum barbariſmos ſi collega aliquis imitari nollet, acerbé & contumelioſé acciperetur, quod collegij conſuetudinem violare diceretur. *Qis & qalis & qantus & michi* & ſimiles gottiſmi erant in Academia ante regios profeſſores uſitati. E ſchola regia tum primum, *Quis, qualis, quantus, mihi* latiné & Romané ſonuerunt: & pudor fuit, regijs profeſſoribus, tanquam regis ipſius voci, palám reclamare. Sed cùm voces illæ in gymnaſia privata intraſſent, á pleriſque ut peregrinæ & in Latin barbaræ etiam judiciis valde ſanctis & religioſorum judicum damnatæ ſunt. Id ſi tantùm in una Gallia accidiſſet, ſuſpicarer nos ſolo noſtri nimiùm amantes eſſe. Ab iſto crimine à vicinis populis liberamur, apud quos etiam

publicatis (pro pudor) edictis, ueterum Græcorum pariter & Latinorum proſodia gravibus pœnis eſt interdictum, quia uſus per Græcum & Latinum orbem hodie corruptus contrà ſit. Audierant nempe homines literati conſuetudinem loquendi magiſtram eſſe: uerùm in eo vehementer fallebantur, quód ſuam conſuetudinem bené loquendi regulam eſſe judicarent: nec enim illud Varro, Cicero, Quintilianus ita definierunt, ſed populi Romani conſuetudinem appellarunt, & illius quidem populi, cui purus latinitatis uſus domeſticus & familiaris erat: qui hodie nuſquam alibi, quàm in mura illa, quam dixi, bibliothecarum regione habitat. Incredibile propè dictu eſt, ſed tamen verum, & editis libris proditum, in hac eruditiſsima Academia doctores extitiſſe, qui mordicus tuerentur ac defenderét, *Ego amat* tam commodam orationem eſſe, quàm *Ego amo*: ad eamq; pertinaciam comprimendam, conſilio publico opus fuiſſe. Poſtea ſimiles elegátiæ noſtro ſeculo fuerunt. Ergo iſti etiam Grammaticæ doctores, authoritate fundatam Grammaticam cenſebant, ſed errabant in authoritatis genere: nec enim ſapientum iſtorum authoritate, ſed illorum veterum quamlibet præ iſtis imperitorum tamen conſenſu & conſuetudine latina lingua continetur. Itaq; Romanæ civitatis de Romana lingua judiciũ ſequemur, Latineq; loqui ſtatuemus eſſe cum Terentio, Varrone, Saluſtio, Cæſare, imprimiſq; Cicerone loqui. Ergo Grammatica eſt ars bené loquendi. Hæc definitio eſt rei. Notatio etiam nominis dicenda eſt. Grammatica nomé græcum eſt: quo tamen pro latino utimur, ut Rhetorica, ut Philoſophia, ait Tullius 3. de Finibus, γράμμα, litera eſt, ἀπὸ τῆς γραμμῆς, linea, ut placet Dionyſio Halicarnaſeo: ut etiam latinis litera, tanquam lineatura, vel contractione litera facta ſit. Alij ἀπὸ τοῦ γράφειν, à ſcribendo γράμμα deducunt, ut literam à litura, quód in ceratis tabulis antiqui ſcribere ſolerent, & poſtea delere: alij literam quaſi legiteram, quód legendi iter præbeat. Hinc Grammatica literatura, non literatrix, ait Quintilianus, dicta eſt, & certé literaturæ nomen Ciceroni probatum & uſitatum eſt. Memoria (ait in Partitionibus) germana eſt literaturæ. & ſecunda Philippica, Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literatura, cogitatio, diligentia. Sed undecunq; etymologia ſit, Grãmatica eſt ars bené loquendi. Grammaticus & Grammatiſta latinis ſunt literatus & literator, ut Suetonius docet, Sunt (ait) qui literatum à literatore diſtinguant, ut Græci Grammaticum à Grammatiſta: & illum quidem abſoluté, hunc mediocriter doctum exiſtiment. quorum opinionem Orbilius etiá exemplis cõfirmabat, nam apud majores (ait) cúm familia alicujus uænalis produceretur, non temeré quem non literatum in titulo, ſed literatorem inſcribi ſolitum eſſe, quaſi non perfectum literis, ſed imbutum. Ergo hoc de Grammaticę definitione, tum rei tum nominis. Poſito itaq; fundamento tam neceſſario pergamus: & quoniam Grammaticæ definitionem reddidimus, partitioné exquiramus. Grámaticæ itaq; partes quot ſunt? Duæ (inquam) Etymologia & ſyntaxis. Etymologia cujuſq; vocis naturam interpretatur. Videtur auté analogia etymologiæ pars eſſe in flexionibus vocum, at analogia totam potiùs artis rationem & præceptionem continet, quàm partem. Sic Theodorus Gaza, κοινὸν δὲ ἀναλογία λέξεως καὶ λόγου. Communis autem eſt proportio, dictioni & orationi, quamuis ad flexionũ ſimilitudinem videatur Varro retuliſſe, ut antea jam patuit. Veteres etiam, ut Varro, Cicero & Quintilianus, Etymologiam videntur in notatione vocum ſtatuiſſe, de qua mox dicetur, nec primam Grammaticæ partem feciſſe. Atqui vera hæc notationis conſideratio totam fere Grammaticę primam partem complectitur, ut poſtea patebit, & é notatione deinceps omnia orientur. Ac ſi nomine Etymologię id nunquam ſignificatum eſſet, tamen doctrinæ inſtituendæ cauſſa, generali nomine opus eſſet, quo aptius hic nullum reperio, & Grammatici quidam partem hanc de cujuſq; dictionis interpretatione appellarunt. Quapropter Etymologiæ uocabulum generaliter accipio, quæ quamlibet vocum ſingularum proprietatem interpretatur. Quintilianus Etymologiæ & Syntaxeos Grammaticam, methodicen uocat: ſed hiſtoricen addidit, partemq; Grammaticæ facit. At per ſe id in Grammatica eſſe non poteſt, ut jam dixi, quamvis Tullius eundem vulgi errorem ſecutus, Grammati-

cis

cis tribuat poëtatũ pertractationem, hiſtoriæ cognitionem, verborum interpretationem, pronuotiandi quendam ſooõ. At duo prima diverſæ diſciplinæ eſſe poſſunt, neq; ſunt in Grámatica per ſe. Nam ſi in poëtis tropos & figuras, ſi argumenta, ennotiationes, ſyllogiſmos, methodũ interpretere, illud Rethoricæ, hoc Logicæ facultate, non Grammaticæ artificio facies: & ſimol item de reliquis artibus, ut jam in præfatione attigi. Qoapropter Hiſtoricę Grámaticæ pars nulla eſt. Proſodia autem & Orthographia pertotam Grammaticam, ut ſanguis & ſpiritus per univerſum corpus, fuſæ ſunt: ſicuti p partes intelligetur. Voces veró, quod in hac parte nomino, pro articulatis literatiſq;, atque (ut Varro loquitur) ſignificabilibus vocibus, rem nempe certá ſignificanribus, nomino, quas Cicero verba generaliter ſolet appellare: ſed ambiguitas eſt in ipſo verbo, de quo ita Qointiliauns libro 1. cap. 5. Verba nũc geoeraliter accipi volo: nam duplex eorum intellectus eſt, alter qui omnia per quæ ſermo nectitur, ſignificat, ut apud Horatium,

Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.

Alter in quo eſt una pars orationis, lego, ſcribo: quá vitantes ambiguitaté quidam dicere maluerũt voces, dictiones, locutiones. Hactenus Quintilianus qui vocis nomine uti maluit, ſicut aoté Varro fecerat, qui octavo libro ait, Analogia ſolet eſſe in rebus & vocibus & in utroq;. & ſępe ſic loquitur totis de liogua latina libris, & Cicero uno de finibus loto ita locutus eſt, ut aliás interdum, cúm ait Epicureos non iotelligere quid ſooet hæc vox voluptatis. Varro etiam partes orationis, & Quintilianus dicunt, quod recẽtiores Grámatici magis affectavere: tametſi etiá dictionis vocabulo frequenter utuntur. Vocis itaq; nomen ut dictionis nobis hic erit propoſitum: quod Græcis in eadẽ re proprium eſt, ὄνομα ἐστι φωνή, ait Ariſtoteles, nomen eſt vox. Notá veró quod appellamus, σύμβολον Ariſtoteles appellavit. Sed hæc de voce ſatis. Etymologia igitur eſt prima pars Grámaticæ, quæ vocũ vel dictionũ naturá interpretatur, non in ſigoificationibus, ſed in ꝓprietatibus adſigoificationũ, quales in nomine & verbo flexiones, in illo etiá genera, cõparationes, caſus: in hoc tẽpora & perſonas poſtea dicemus. Vox conſtat é ſyllaba. Syllaba eſt in voce ſonus integer, eaq; conſtat é litera. Litera eſt individuus ſonus in ſyllaba. Ita litera, ſi & integrum & individoũ ſonum habeat, ut vocales a, e i, o, u, y, erit non litera ſolúm, ſed ſyllaba. Syllabę porro aut literę definitio, nulla oobis adhuc accuratior occurrit. Nã cúm ſyllaba definitur compreheoſio literarũ coonſequens ſub vno accẽtu & vno ſpiritu prolata, itẽ litera minima pars vocis cõpoſitę, ut definitur utraq; á Priſciano: nil admodom definitur. In illa ſyllabæ definitione omnia cuilibet voci communia ſunt, excepto fortaſſe accentu, qui tamẽ poſteriús exponitur, & ad literæ definitioné diceretor, in his prępoſitionibus á, é, & in verbo i, nullam eſſe literam, qoia nulla pars ſit. Ariſtoteli in arte poëtica elemẽtũ definitur φωνὴ ἀδιαίρετος, vox individua, quod vero propius eſt. Porro literarum invẽtio ad varios authores refertur. Plinius arbitratur Aſſyriorum inventum eſſe. Sed alij (ait libri ſeptimi cap. ſexageſimo ſexto) apud Ægyptios á Mercurio, ut Gellius, alij apud Syros repertas volunt. Utiq; in Græciam intuliſſe é Phœnice Cadmũ ſedecim numeró: qoibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe qoatuor hac figura, Θ, Ξ, Φ, Χ. Totidem poſt eum Simooidem Melicum Ζ, Η, Ψ, Ω, quarum omniũ vis in noſtris recognoſcitur. Quidam Simonidis Syracuſij inventum ajunt eſſe tres duplices Ζ, Ξ, Ψ, unde & Syracuſiæ literæ nuncupatæ ſunt á Menaodro in Græco epigrammate. Lucanus doo genera literarum docet Ægyptijs fuiſſe: ſacrum per imagines animantium, & vulgare in chartis ex byblo, id eſt, papyro confectis. verſus ita ſunt:

Nondum flumineas memphis contexere byblos
Noverat, in ſaxis tantùm volucreſq; feræq;,
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Ariſtoteles decem & octo priſcas fuiſſe, α, β, γ, δ, ε, ζ, ι, κ, λ, μ, ν, ο, π, ρ, σ, τ, υ, φ. & duas ab Epicharmo additas, θ, χ, quá á Palamede mavult. Dionyſius Halicarnaſeos tredecim tãtúm priſcas ait fuiſſe, numerumq; definire rem eſſe perdifficilé. Anticlides in Ægypto inveniſſe quendam nomine Menona tradit, quindecim annis ante.

Phoro-

Phoroneum antiquiſsimum Græciæ regem, idq; monumentis approbare conatur. E diverſo Epigenes apud Babylonios ſeptingentorum & viginti annorũ obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet grauis author imprimis. qui minimum, Beroſus & Critodemus, quadringẽtorum & octoginta annorum. Ex quo apparet æternus literarum uſus. In Latium eas attulerunt Pelaſgi. Hæc ille. At nos in moribus veterum Gallorum ad noſtræ gentis laudem etiam diſſeruimus á Gallis in Græciam literas veniſſe, unde & philoſophia Ariſtotele authore etiam veneratur: ut elementa philoſophiæ minus mirum ſit etiam perveniſſe. Itaq; (ait idem cum Varrone) *alpha, beta* & cætera, barbara vocabula ſunt, non Græca: neque ideo græcé declinantur. Quin Xenophontis cujuſdam libellus cum Beroſo editus, nominatim Gallis literas iſtas attribuit. Veteres autem Latini teſte Rhemnio Grammatico ſexdecim duntaxat habuere: A, b, c, d, e, g, i, l, m, n, o, p, r, s, t, u, atq; hæc de literarum inuentione. Aſper ait naturam literę tribus modis intelligi, nomine quo pronũtiatur, poteſtate qua valet, figura qua ſcribitur. At poteſtas eſt ſonus ille, quo pronuntiatur, quem etiam figura debet imitari, ut hic: Proſodiã Orthographia ſequatur: quod etiam á Priſciano propoſitum eſt. Propter pronuntiationem (inquit) & figuræ & nomina literarum facta ſunt. Cauſſas veró literæ cujuſque effectrices exquirere hic valde fuerit operæpretium. Rei parvæ ſubtilitas hic magna eſt, quæ non ſolúm acuere ingenia puerilia, ſed exercere quoque altiſsimam eruditionem & ſcientiam poſſit. An cujuslibet auris eſt exigere literarum ſonos? Nõ hercule magis quám nervorum, ait Quintilianus libri 1. capite 4. Et certé veterum magna illa ingenia quę antea propoſui, vehementer hic elaborarunt, ut genera literarum & ſpecies artificioſé digererent. Video autem (ut pleriq; veteres prodidere) literarum & genera, & ſpecies, & differentias quaslibet ex organis oris obſervandas eſſe, id eſt, é cauſſis, unde tales ſonorum effectus exiſtant. σχηματισμοὺς literarum Dionyſius appellat. Quanti veró latinæ linguæ interſit veros literarum ſonos intelligi, eius in diverſis nationibus obſcuritas & confuſio demõſtrat. Frãcum, Anglũ, Polonum (id quod ipſe expertus ſum) latinę linguæ peritos in commune colloquium aliquod adhibe: vix quidem Latinum ſermonem intelligent, tam diſsimili quippe vocis ſono redditum. At ſi literarum ſingulatum ſonus eſſet apud omnes latiné loquẽtes idem, totus ſermo ſimiliter ſonaret, ſimiliter audiretur & intelligeretur, ut iiſdẽ characteribus ſimiliter ab omnibus legitur: nec aliter Italus ab Italo, quám á Britanno audiretur vel intelligeretur. Nolo exprimi literas putidius, nolo obſcurari negligentius, ait Orator. 3. Tullius. Quãobrem naturalis cujuſq; literæ ſonus nobis accuraté diſquirendus eſt, & exigendus ex intimis cauſsis, antiquis illis ac locupletibus teſtimonijs, & quidem á beſtijs, quarum judicia incorrupta permanent. Ariſtoteles recté in arte poëtica docuit literas differre inter ſe figuris oris & locis, craſsitudine, levitaté, longitudine & brevitate, item acumine, grauitate, & medio. Veram itaque originem Philoſophus breviter attigit. Simile eſt apud Syrianũ 6. c. 14. metaphyſicæ, ex Theophraſti narratione de Archivo: qui dicebat nõ exterius penes clauſuram labiorum proferri ipſum ψ, ut ipſum π, propter hoc ψ, in extremitate generatur linguæ velutí ex πσ, compoſitũ aut latitudine linguæ juxta dentes, ut ipſum σ, & propter hoc ipſum z in hoc loco generari, aut connexo inſidente ex ultimo, ut ipſum χ, unde, ipſum ξ, procederet. Itaq; ex Ariſtotele & Theophraſto patet jam primis illis naſcentis Grammaticæ temporibus hoc logicũ de literis ſtudium fuiſſe, quod idem poſtea latini æmulati ſunt. Priſcianus cũ literarũ in alias literas cõmutationem eſſet perſecutus é Plinij, Papyriani, veterũque reliquorũ decretis, ait, hãc aũt literarũ mutationẽ ſciendũ eſt quadã naturali fieri vocis ratione, propter celeriorẽ motũ linguæ, labrorumq; ad viciniores facilius tranſeuntiũ pulſus. Et rurſum de ſono literæ f loquẽs huc recidit: Eſt aliqua (ait) in pronuntiatione literæ f differentia cum ſono ph, ut oſtendit ipſius palati pulſus, linguæ, labrorum. Tertio loco cũ docet inter C & Ch eſſe G: inter T & Th eſſe D: inter P & Ph ſive F eſſe B: Denique B, G, D, medias, quæ nec penitus aſpiratione careant, nec eam plenam habeãt. Hæc autem (ait) oſtendit etiã ipſius palati pulſus, & linguæ vel labrorũ, conſimilis

ſimilis quidem in tetnis, intet P & Ph uel F & B, & rurſus inter C & Ch & G, & ſimiliter inter F & Ph & D. Sed in levibus exterior ſit pulſua aſperior: interior in medijs inter utrumq; ſupradictorum locum, quod facilé dignoſcitur, ſi attendamus in ſnpradictis motibua ora mirabili naturæ lege modulãtia uocea: tanta autem cognatio earum quod invicem inveniuntur pro ſe poſitæ in quibuſdam dictionibus, nt ambo pro ἄμφω, buxus pro πύξος, & publicus pro ποπλικόν, triumphus pro θρίαμβος, gubetnator pro κυβερνήτης, gobius pro κωβιός, cęre ἀπὸ τῦ χαίρε puniceus pro φοινίκεον, Deus θεός, purpureum πορφύρεον. Hæc Priſcianus è Græcis obſervata in ſex tantum ſimplicibus & tribus aſpiratis admiratur. Deniqne hoc logicum ſtudium accuratè demonſtrat, cum literarum in literas commutationē ex affinitate perſequitur. Apparet igitur (ait) quod elemētorum alia ſint ejuſdem generis, ut vocales & conſonantes, alia ejuſdem ſpeciei, ut in vocalibus brevea & longæ, & in conſonantibus ſimplices & duplices, quæ habent aſpirationem, & qnæ non habent, & earū mediæ. Quid plura? totum ferè primum librum Priſcianus conſumpſit in horum generum inveſtigatione: & tamē nuſquam ad ea totam literarum naturam perduxit, nuſquam literarum genera propoſitis illis organis diſtinxit, & pleraq; non ſatis accutatè judicavit. Quintilianus libro primo συγγενείας iſtas, quas cognationes literarum & affinitates vocat, mirificè item amplexatur. Diſcat puer (ait) quid in literis proprium, quid commune, quæ cum quibua cognatio: nec miretur cur è ſcamno fiat ſcabellum, aut á pinna (quod eſt acutum) ſecuris utrinq; habens aciem, bipennia: ne illorum ſequatur erroram, qui, quia á pennia duabus hoc eſſe nomen exiſtimant, pinnas avium dici volunt. Idem authot Antonium Cniphonem Ciceronis præceptorem arguit, qui robur quidem & ebur, atq; etiam marmur fatebatur: verū ex ijs fieri volebat robura, ebura, marmura: qui ſi animaduertiſſet (ait) literarū affinitatem, ſciviſſet ſic ab eo quod eſt robur, roboris fieri, quomodo ab eo quod eſt miles limes, militis limitis, judex uiodex, judicis uindicis. Hæc Quintilianus de literarū cognatione & affinitate. Sed literas ſecundum hanc cognationem & affinitatem nequaquam digeſsit. Vellem hunc laborē ingenio ſuo non indignum judicaſſet, neq; doctutos admonere tantúm, ſed docere ipſe voluiſſet. At videri maluit iſta deſpicere, quám pręſtare non poſſe. verum, ut opinor, acuminū iſtorū nimia difficultas hominem deterruit. Galenus in libro de Fœtus formatione, ſimilitudine quadam huc delabitur. Qui de vocum elementis præcipiunt (ait) hactenus progrediuntur, vt affirmēt aliam quidem vocem fieri lingua ad ſectores dentes maxillæ ſuperioris vel inferioris impacta, aliam veró in palati cælū vel aliorſus inflexa. Conſtat igitur Græcis pariter & Latinis iſtam cauſarum demonſtrationem propoſitam fuiſſe. Communia veró effingendis literarum ſonis organa ſunt guttur, lingua, dentes, palatum, labia, ſed aliis alia propenſiora, ut ſingulis ſingularum generū definitionibus intelligetur. Quamobrem laborem hunc ſtudio partis hujus illuſtrandæ ſuſcipiamus, & quidem laborem utilitatis multo majoris quám vulgo videatur. Eruditiſsimos homines Aſiaticos quivis, Athenięſis indoctus non verbis, ſed ſono vocis, nec tam bene quám ſuaviter loquendo facilé ſuperabat, ut eſt 3. Orator. hæc veró ſuavitas ſita eſt in urbano & legitimo literarum ſono. Sic eſt in Bruto, Granius pręco Romanus Tincam hominem Placentinū non minus multa ridiculé dicentem, tamen obruebat neſcio quo ſapore vernaculo. Hic veró ſapor eſt urbanitatis in vocibus, qui in Theophraſto quamvis tam diſerto, tamen hoſpitis ſpeciem aniculæ prodidit. Quamobrem hic color urbanitatis é primis literarum & legitimis ſonis aſſumendns eſt. Prima literarum diviſio Grammaticia eſt in numeratione individuorum, nt recenſeant ordine valde confuſo literas hoc modo, A, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, r, s, t, u, x, y, z. At genera fuerant partienda & intermediæ ſpecies generum dividendæ, antequam ſpecies ultimæ & individuæ numerarentur. Hyſterologiam hác nuſquam poſtea Grammatici ſecuti ſunt in numerandis nominibns & verbis, neque nos ſequemur. Prima literarum diviſio eſt in vocalem & cōſonantem. Ariſtoteles in arte poëtica vocalem nominat, ſed pro conſonante nominat ſemivocalem & mutam. Partitio hæc ſic eſt á Terentiano propoſita:

Elemen-

Elementa rudes quæ pueros docent magiſtri,
Vocalia quædam numerant, conſona quædam.

Tum vocalis definitio ſequitur:

Hæc reddere vocem quoniam valent ſeorſa,
Nullumq; ſine illis potis eſt coire verbum.

Noa per ſyllabam & integri ſoni comprehenſionem vocalem definimus paulo accuratius: quia vocem reddere etiam quandam generali illa vocis ſignificatione quælibet litera poteſt, quia eſt comprehenſio ſoni. Ariſtoteles vocalem definit quę ἄνευ προσβολῆς ἔχει φωνὴν ἀκουστήν, quę ſine ictu vocem habet quæ audiri poſsit. at in e, i, u, y, προσβολὴ quædam eſt. Vocalium partitio à Græcis in longas, breues, ancipites, Latinis probata non eſt: qui viderunt quamliber vocalem eodem jure duobus & nominibus & characteribus diſtingui potuiſſe. quod Terétianus item admonuit:

Compendia noſtri meliora crediderunt,
Unas quoniam ſat habitum eſt notare formas.
Pro temporibus geminum quæ miniſtret uſum.

Attamen ſi vocalibus ſingulis & longis & brevibus & nomina & figuræ factæ eſſent, res eſſet longé optatiſsima: ut ab Hebræis factũ uidemus. Vocalium diuiſionem ex organis illis naturalibus hauſimus: ad quám perſpicuè diſtinguẽdam optanda eſſent vitrea quædam & pellucida clauſtra oris bené compoſiti, ubi organorum naturalium motus poſſent animadverti & diſtingui. Prima differentia notabilis eſt in oris diductione & contractione. Primi generis una princeps eſt, A, in qua differentia triplex à Terentiano notatur,

A, prima locum litera ſic ab ore ſumit:
Immunia rictu patulo tenere labra,
Linguamq; neceſſe eſt ita pendulam reduci,
Ut niſus in illam valeat ſubire vocis:
Nec partibus ullis aliquos ferire dentes.

Hic primum hiatus patuli oris exponitur, deinde linguæ ad palati radices ea reductio, ut dentes non feriat. Atq; literæ hujus ſonus eſt omnium gentium communis: nomen autem & figura multis nationibus eſt diuerſa. Hæc litera ſono cornicis exprimitur, ut eó Virgilius reſpexiſſe videatur, vocaliq; eadem ſæpius iterata ſonum ipſius notaviſſe, cum ait:

Tum cornix plena pluviam vocat improba voce:
Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.

Hæc enim plenitudo eſt vocis, qua Dionyſius ait eſſe a εὐφωνότατον. Comitem autem primi generis vocales unum genus ſeparatim faciũt é triplici differentia, primo rictus minoris, deinde linguæ intimę ad cæli palatum, tum extimæ ad inferos dentes inflexæ. atq; ſuccedaneorum ſpecies duæ diſtinguuntur E & I. E nempe triplicem differentiam habet, primã mediocris rictus: ſecundam linguæ, eamq; duplicem: alteram interioris, nempe inflexæ ad interius cælum palati, alteram genuinos prementis, tertia eſt labri inferioris. duas primas Terentianus notavit:

E, quæ ſequitur, vocula diſſona eſt priori,
Quia deprimit altum modico tenore rictum,
Et remotos premit hinc & hinc molares.

Tertiam inferi labri differentiam tacuit, quę tamen rem intuenti manifeſta eſt, & linguæ veluti lubrico hucuſq; præceps agitur ſonus. Eſt auté varietas hujus vocalis permagna noſtris hominibus. Tres enim ſonos vocales hic efferimus, ut docuimus in Francica Grammatica. Græci longam hic ἦτα, & brevem ε ψιλόν diſtinxere, quem utrumq; ſonum diſtinctũ Franci habent. Nam quod vulgus ἦτα pronunciat ut i, error eſt valde imperitus, quique beſtiarum judicio corrigi potuit. Nam cum Cratinus ait,

ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει.
Hic fatuus velut ovis βῆ βῆ dicens incedit:

Si illud βη, βη, dixeris bi, bi, ridiculũ ouiũ balatum efficies. Ergo iſtud ε eſt Francis illud e, quod pronunciant cum dicunt, *me', biens, te', biens, ſe', biens* Hic enim *me', te', ſe'*, ualde diſtinctum habent ἦτα. Vulgo etiam Franci, e, breuẽ plerumq; pronuntiant, ut in illo uerſu,

Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.

Hic enim e primum, ſecundum, tertium, quartum, ſeptimum, nonum, decimum vaſto illo ſono pronuntiant, e quintum ſimile eſt ſexto & octauo. Eſt uerò Francia e tertium quod illius brevis dimidiatum & tanquam liquefactum ſonum tantummodo retinet, quẽ in fine vocis non Latinè, ſed Francicè pronuntiamus, ut cum dicimus tange, *frappe*. Altera primi generis comes clarius à Terentiano per duplicem differentiam exprimitur, ſecũdam nempe partem ſecundæ ſuperioris, & per oppoſitam tertiæ.

I, porrigit ictum genuinos prope ad ipſos,
Minimumq; renidet ſupero tenus labello.

Hic notatur primo linguæ appulſus ad dẽtes genuinis vicinos, ut ſit lingua paulo redu-

lo reductior: ſecundo labri ſuperi adjunctio, ut ſonus ab infero labro videatur ad ſuperum reflexus eſſe. Hæc labri differentia erat in ſuperiore definitione præterita, ut hic pręterita videtur differentia minimi rictus, & differentia linguæ interioris ad exteriorem palati partem. At minimum illud renidere, id eſt, os aperire ad ſubridendũ, ut lętior & mollior ſonus audiatur, id complectitur. Huic vocali minimum ſonũ Dionyſius attribuit. Quintilianus inter e & i mediam quandam vocalē ſentit. In here (ait) neq; e plané, neque i auditur. Propter hanc vicinitatem, ait idem, e quoque loco i fuit, ut Menerva, leber & mageſter: pro, Minerua, liber, magiſter. Atque accuſativi & ablatiui imparisyllabi hanc cognationem imprimis oſtendēt, febrem vel febrim, felice vel felici. Quia e & i pro eodem uſurpantur. Utrum veró tertium e Francicum fuerit medius hic Quintiliani ſonus inter e & i, cõjectura quędam fuerit. E veró pleniorem fuiſſe quám i, oſtendit Orator. 3. Tullius, de Cotta, cujus ruſticanam vocē affectabat Sulpitius. Quare Cotta noſter, ait, cujus tu illa lata Sulpiti imitaris nonnunquam, ut iota literam tollas, & e pleniſsimum dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores videris imitari. Sic Quintilianus libro 9. ait e pleniorem literam eſſe, i anguſtiorem. Ergo primum vocaliũ genus ejuſmodi eſt in a, e, i. Secundum genus vocalium ſervat in contrarijs analogiam: fitq; oris contractione & linguæ depreſsione ad hypogloſsim, id eſt, baſim & ſubiectum vel ſolum linguæ, ut o & ejus comites u, y. O pronuntiatur rotũdo ore, lingua ad radices hypogloſsis reducta. Terentianus autem græcam differentiam hic propoſuit brevis & longæ, quam tamen præterijt in ſecunda vocali. Sic autem loquitur:

Igitur ſonitum reddere cum voles minori,
Retrorſus adactam modice teneto linguam.
Rictu neq; magno, ſat erit patere labra,
At longior alto tragicum ſub oris antro
Molitur rotundis acuit ſonum labellis.

Hic veró notabis in utraq; differentia cõmune genus, retrorſus adactam modicé linguam, tum labrorum orbem. parvus autem vel magnus rictus hic nihilo plus efficiunt, quám in A, & I, & y, efficere debeant. Hanc porro differentiam o parvi & magni valde diſtinctam Franci tenent, ſed ſcriptura valde confundunt. O ſcribunt perinde ut proferunt, at ω ſcribunt, modó per au, modó per duplicem cõſonã poſt o, ut hoſte, id eſt hoſpes: recentiores per ao: profitenturque nuſquã o ſonare apertius: quod verum eſt, ſed literæ au vel ao vel duplex poſt o conſona ſonum talem minimé ſonãt. at o magnũ, id eſt ω videtur á Francis illo ſono explicari, quem ſcribunt per au: aut per geminam deinde conſonam, ſonus enim ille motu oris licet vaſto, attamen ſimplici & rotundo profertur, nõ motis labris neq; variatis, quod in diphthongo fieri neceſſe eſt. Dionyſius ω tribuit tertium poſt α & η bonitatis & plenitudinis locũ. Comites ſecundi generis fiunt exprompris & prominentibus labris, linguaque deinceps extrorſum ad hypogloſsim & baſin linguæ depreſſa, ut u & y: analogia enim comitibus primi generis ſic opponetur. U media lingua in mediam hypogloſsim depreſſa: labro infero clauſo, ſupero aperto ſonat altius, qualis ſonus eſt græcæ diphthongi υ. quod Terentianus primo obſcurius definivit:

Et ſola ſonum redderet ex ſua figura,
Productis autem coeuntibus labellis
Natura ſoni preſsior altius meabit.

Hæc enim figura non definitur á Terentiano: videtur autem trianguli cujuſdam eſſe, cujus baſis eſſet ad ſuperum labrum apertum, cõcurſus literarum ad in[illegible]um clauſum, ſed tamen figura quamvis hic inſignis eſſet, non eſſet tamen ſola in hac litera, cum oris figura ſuis quibuſq; literis, vocalibus præſertim, propria ſit. Quare ſonus & poteſtas quintæ vocalis non ſatis eſt hinc expreſſa. Verum Terentianus idem alibi clarius id expreſsit,

Græca diphthongos ου literis tamen noſtris vacat,
Sola vocalis quod u complet hunc ſatis ſonum.

Hic Terentianus manifeſtè docet u perinde ſonare, ut ου græca diphthongus ſonat. Atque hunc vocalis ſonum Terentij comœdiæ demonſtrant in illis Gręcis genitivis titulorum fabulis præpoſitorum, *Græca Menandru, Græca Apollodoru.* Græcé enim ſcriberentur hi caſus μενάνδρου, ἀπολλοδώρου. Sed argumétum ſoni inſignius eſt apud Auſonium, de Laconibus, monoſyllabo negandi adverbio ου, regi negantibus,

Una eſt in noſtris, quæ reſpondere Lacones,
Litera, & irato regi placuere negantes.

Et quidem ne quis de poteſtate vocalis hujus addubitare poſſet, etiã á mutis animalibus teſtimonium Plautus nobis exhibuit: apud quem Menechmo Peniculus ita reſpondet:

Me. Egon' dedi Pe. tu, tu inquã vir afferri noctuã,
Quæ tu, tu, uſq; dicat tibi. nam nos jam nos defeßi ſumus.

Ergo ut antea oviũ balatus ἦτα literæ ſonum, ſic noctuarum cantus ſonum quintæ vocalis vindicabit. Sed tamen cum ſonum literæ hujus tam præclaris teſtimonijs demonſtratum teneamus, concludere licet aut Græcos, aut Latinos, ſi ſonus prorſus idem ſit u & υ, lapſos eſſe: cum ab illis diphthongus ab his vocalis fiat. Latinorum judicium ut hic ſequat, facit motus ipſius vocis ſimplex, perinde ut in cæteris vocalibus. Nam ſi o & y ſonarent in quinta vocali, motus quoque vocis duplex eſſet: & quæ oris conformatio eſt in o & y, eadem eſſet in una vocali u: quod tamen non eſt. Itaque Græcos hic lapſos eſſe potiús quám Romanos credibilius fuerit. Quanta veró ſit affinitas u cum o, ex Quintiliano, Plinio, Papyriano, notũ eſt. Quid enim o & u pmutatæ (ait Quintilianus lib. 1.) invicem, ut Hecobe & Notrix, Culchides & Pulyxena ſcriberẽtur? ſic noſtri præceptores (ait) cervom ſervõque, u & o literis ſcripſerunt: ſic dederõt, probaveront Romanis olim fuere. Denique o, teſte Plinio apud Priſcianum, aliquot Italiæ civitates non habebant, ſed loco ejus ponebant u, & maximé Umbri & Tuſci. Atq; u contrá, teſte apud Papyriano, multis Italiæ populis in uſu non erat, ſed utebantur o, unde Romanorum quoq; vetuſtiſsimi in multis dictionibus loco ejus, o poſuerunt: vt poblicũ pro publicum, polchrum pro pulchrum, colpam pro culpam. Hinc igitur affinitas u cum o perſpicitur. Quintilianus etiam affinitatem quandam u cum i indicat, cũ ait: Non enim ſic optimum dicimus ut opimum. quam tamen differentiã é longa & brevi non merior: id enim commune eſſet aliarum quoq; vocalium. Vocalis ultima contractionem habet oris maximam, depreſsione extremæ linguæ, ſo nimq; ad inferum labrum: quæ tria tribus in tertia vocali prorſus opponuntur. Inventio autem vocalis hujus ad Palamedẽ refertur, & ita Martialis loquitur,

Turbabis verſus, nec littera tota volabit,
Unam ſuſtuleris ſi Palamedis avem.

Sed ſonus hujus literæ nuſquam profertur, in Latino aut Græco ſermone, ne á Græcis quidẽ ipſis, nedum á Latinis aut Francis: ſed habetur tanquam i. Figura tãtum in ſcriptura & libris remanſit. Sonũ autem verum é quinta vocali liquida Terentianus & Priſcianus definiunt. Terentianus ſubobſcuré hoc modo, de tertia ancipiti præcipiens:

Tertiam Romana lingua, quam vocant y, non habet:
Hujus in locum videtur u Latina ſubdita,
Quæ vocem nobis rependit interim vacantis y,
Quando cõmunẽ Latino reddit & Græco ſonũ.

Communis autem ſonus eſt u & y quando u liqueſcit. Quod Priſcianus idem manifeſtiús oſtendit: u autem (ait) quamvis contractum, eundem tamen ſonum (hoc eſt y) habet inter q & e vel l vel æ diphthongum poſitum, vt que, quis, quæ: nec non inter g & eaſdem vocales, cúm in una ſyllaba ſic invenitur, ut pingue, ſanguis, lingua. Hæc Priſcianus. unde intelligimus interim, vocalem u liquidã ſonare y Græcum, ut in quis & ſanguis. Quin etiam ut antea ſonum ſecundæ vocalis longæ ab ovibus, quintæ á noctuis, ita ſextæ poſſumus ab ave coccyge, quam cuculum Latini dicunt, recognoſcere. Etenim illud ipſum ex avibus Ariſtophanis licet repetere, χ᾽ ὁπόθ᾽ ὁ κόκκυξ εἴποι κόκκυ, τότ᾽ οἱ φοίνικες ἅπαντες τοὺς πυροὺς ἂν καὶ τὰς κριθὰς ἐν τοῖς πεδίοις ἐθέριζον. Et quando coccyx dixerit coccy, tum Phœnices omnes frumẽta & hordea in agris demetunt. At inquam, ſonus ille coccygis non deſinit in i, ſed in u liquidam: ut hic etiam aves barbariſmum noſtrum coarguant, qui vocalis ſextæ non alium ſonum facimus quã tertiæ. Et tamen Terentianus & Priſcianus cum affirmant y eſſe u liquidã & docent ubi u latinis liqueſcat, ſatis demonſtrant Latinis vocibus y Græca nil opus fuiſſe: ideoq; in Græcis vocibus Græcam literam tantúm adhibent, in Latina nunquã, ut mox rurſum intelligetur é Quintiliano & Cicerone. Nominare veró ψιλὸν, ut e ψιλὸν, Græcis nulla cauſſa fuit, quia nulla vocalis eſt, á qua per hoc epithetõ dividatur, ut ὂ ψιλὸν nominatur cõtra ἦτα, & ὀμικρὸν, contra ὠμέγα. Figura autem ſextæ vocalis qualis eſſe debeat, é Pythagoræ

goræ philoſophia Maro eleganti epigrámate declarauir,

Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum tenet ardua callem,
Difficilemq; aditum primum ſpectâtibus offert:
Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata:ſed ultima meta
Præcipitat captos,volvitq; per ardua ſaxa.

His verſibus poëta demonſtrat alterum cornu anguſtũ, erectũ & arduum, alterũ latum,proclive, tandemq; pręceps.Itaq; figura qualis hodie fingitur cornuũ ęqualiter inflexorum, non eſt vera illa Pythagoræ litera,nec legitima ſextæ vocalia figura. Quám veró ſuavis fuerit Gręcis,Latiniſque auribus hic ſonus,Quintilianus oſtendit libro 12.de y & z præcipiens.Jucundiſsimas(ait)ex græcis literas non habemus,vocalem alteram, alteram conſonantem, quibus nullæ apud eos dulcius ſpirant:quas mutuari ſolemus,quoties illorum nominibus utimur.Quód cum cõtingit, neſcio quomodo velut hilarior protinus renidet oratio: ut in Zephyris & Zopyris.Hæc ille,quæ poſtea de z iterum conſiderabuntur. Ergo ut antea Terentiano i tertia vocalis,ita nunc Quintiliano y ſexta renidere & ſubridere dicitur:ut analogia utrinq; reſpodeat. Quidam hanc vocalem putant apud Ovidiũ nominari hya, illo carmine,

Ipſe ſuos gemitus folijs inſcribit,& hya
Flos habet inſcriptum, funeſtaq; litera dicta eſt.

Alij tamen aliter hunc locum legunt,népe pro hya,aï aï: quæ lectio approbatur etiã ex Theocrito, ſicuti nos citavimus, eclog.3.

Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἶ αἶ.

Græcis autem vocibus y duntaxat adhiberi,jam Terentianus & Quintilianus indicarunt,& Ciceronis locus ſequens indicabit.Cognatio igitur quanta ſit ipſius y cum u, Cicero in Oratore teſtis eſt,Purrhum(ait)ſemper Ennius,nuſquam Pyrrhum:Vi patefecerunt Frugea,non Phryges ipſius antiqui declarant libri. nec enim græcam adhibebant literam: nunc autem etiam duas. & cúm Phrygum, & cũ Phrygibus dicendum eſſet,abſurdum erat aut tantum barbaris Græcam literã adhibere,aut recto caſu ſolum Græcé loqui, tamen & Phryges & Pyrrhum aurinũ cauſſa dicimus. Hinc igitur intelligimus cognationẽ vocalis Latinæ u cũ Gręca y.

Sed vocales tum principes tum comitea adhuc ſex fuere,tres diductæ,tres contractæ:in quibus terni gradus analogiã differentiarum oppoſitarum cõſervant. Cõſonantium deinde genera ſequuntur, Semivocales & Mutæ. Semivocales adverſis & ſectoribus dentibus præcipué fiũt. Primũ genus earum in liquidis, imitatur primũ genus vocalium in diductione labrorum & rictu. Ariſtoteles in ſemivocalibus,s & r principes numerat, ſed ſine definitione. S,triplicem differẽtiã habet, primã & ſecundam Terẽtianus præterit, tertiam exprimit,cum de s & x loquitur:

Vicina quædam ſibila dentibus repreſſis
Miſcere videntur,tamen ictus ut priori
S promptus in ore eſt agiturque pone dentes,
Sic lenis & unum ciet auribus ſuſurrum.

Sic Dionyſius *συριγμὸν* ſibilum hic præcipué nominat, & ſic Capella diſertius: S (inquit)ſibilum facit verberatis dẽtibus. Itaq; etiam Terentianus præcipuam cõſonantiam hic agnoſcit, cum ait.

Vivida eſt hæc inter omnes,atq; denſa litera.

Et Priſcianus lib.5. facit proximam vocalibus. Itaq; judicia hæc ſecuti primũ conſonantium locum huic literę tribuimus. Quã veró gratus hic ſibilus vel ſuſurrus aurium judicio fuerit, declarabunt deinceps ſequentia. Iñ medijs enim vocibus veteres etiam geminarũt,ſicut ait Quintilianus libro primo.Ciceronis(ait)tẽporibus paulumq; infra, feré quoties litera media vocalium longarum, vel ſubjecta longis eſſet, geminabatur: ut *cauſſæ, caſſus, diviſsiones*. quomodo & ipſum & Virgiliũ quoq; ſcripſiſſe manus eorum docẽt. Atqui paululũ ſuperiores, etiã illud quod nos gemina s dicimus *juſsi*, una dixerunt *juſi*. Quintilianus tamen libro duodecimo vocat s literam abſonam:ſed inconſtanter,dum græcarum literarum ſonos efferre vult Latinis deprimendis, quaſi & s Græca perinde litera non eſſet. Dionyſius item literæ hujus *συριγμὸν* ferarũ ait eſſe,non hominum:ingratumq; & inſuavem ſonum hic omnino eſſe judicat: odioq; ipſius *ὡλλὰς σίσιγμον* factas eſſe á veteribus. Eſt tamen conſonantium prima & fortiſsima hæc litera: ſed frequentata ob idipſum aures offenderit. Hęc autem ſemivocalis duplicem ſoni differentiam apud Francos habet. Primus eſt qui latiné profertur in ſa,ſe,ſi,ſo,ſu,ſy. Secũdus eſt ſonus ſibili tanquam dimidiati. quem

vulgo per Z ſcribimus abuſi charactere græco, qui duplicatū ſonum ipſius ſigma Græcia ſignificat, de quo poſtea in ſyllabis. Utrū veró hic exilior ſonus, ſit liquor ſemivocalis primæ, conjiciēdum propono: qualis liquor in verſu illo erat:

Subulo finitimas propter aſtabat aquas.

Atqui liquor iſte germanis familiaris admodum eſt, & ſalus, ſatis proferunt, ut Franci zalus & zatis proferrent. Ut veró quintæ vocalis liquidæ nota facta eſt, ita in ſemivocalibus defuit diſtinctus character. Comites principis ſemivocalis in diductione labrorū ſunt er & el, cujus utriuſq; differētiæ per analogiā vocalium quas imitantur, expreſsimus. Effectus autem magis eſt animadverſus ab authoribus, quám cauſſæ efficientes notatæ. ſic autem Terentianus:

Vibrat tremulis ictibus aridum ſonorem.

Hæc eleganter á Terentiano breviterq; dicta ſunt, ubi ſuſurrum ſibili illius levigati nunc agnoſco. quidam irritati canis hic exemplum ſtatuere: & ita Perſius accepit ſatyra prima:

——— *ſonat hic de nare canina*

Litera ——— Atque ut s, ſerpentis, ſic r canis litera nobis erit, nec Dionyſij argumentum verebor ferarū literam, nec ideo hominum judicâris: Qui tamen idem author cum hanc aſperitatē in ρ concederet, τῶν ὁμογενῶν γενναιότατον γράμμα, é congeneribus generoſiſsimā appellavit. Verum aridum illum ſonorem libentius audio, qualis videlicet in arborū foliis ſuſurrus naturalis eſt, unde & Virgilio ilex arguta, pinuſq; loquētes appellantur. quod & Auſonius expoſuit:

Eſt & arundineis modulatio muſica ripis,
Atq; argutas ſuis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit folijs quoties levis Eurus acutis.

Hanc igitur arborum muſicam in hac una litera ſtatuo, ſed tamē literæ hujus ſonum firmiorem initio dictionis facimus, liquidiorem in medio & fine, ut in relege. & ſane ut in prima conſonante, ſic in ſecunda ſonus eſt integræ literæ alius, alius liquidæ. Sed liquor iſte, quod ſciam, á nemine eſt expreſſus, neq; nota ulla figuratus, ne in vernaculis quidē linguis. Priſcianus vividum illius principis literę ſonum hic quodammodo ſentit, tantūq; huic tribuit, ut cognationē ei cū vocalib. attribuat: quia detracta aſpiratione intellectū retineat, ut Retor pro Rhetor, quia in ſecūda declinatione græca retineat a, tanquā & ipſa vocalis eſſet, vt ἄρα, ἄρας. Age veró, cognationē harū literarū paulo plenius & uberius demōſtremus. Varro ſexto de lingua, exēpla clara propoſuit. Caſmenatū (ait) priſcū vocabulū ita natū atq; ſcriptū eſt: alibi Carmenæ ab eadem origine ſunt declinatæ, ut in multis verbis: in quo antiqui dicebant s, poſtea dicunt r, ut in carmine Saliorū ſunt hęc, Coſauli, Doloſi, Eſo. Omnia veró adpatula cœmiſſe, jam Cuſiatii, Muſes, Ruſe: dūque Janus venet, poſt melios melior, fœdeſum fœderū, pluſima plurima, aſena arena, janitos janitor. Quintilianus idē repetivit libro primo: nam ut Valeſij (ait) & Fuſij in Valerios Furiosq; venerūt, ita arbos, vapos, labos etiá & clamos ac laſes ętatis fuerūt. Atq; etiá illæ cōmutationes cognationis inde remanſerunt, verti verſum, cucurri curſum, uro uſsi, gero geſsi. Ergo hæc s & r literarum cognatio eſt. Quid l litera? quib. authoribus tertiū ab s locū accepit? Quintiliano inquā, cujus illo primi libri loco, etiá de ppaginibus aſiatū ſequentiū admonemur. Quarūdā literarū (ait) vel exilitate vel pinguedine nimia laboramus, quaſdam velut acriores parum efficimus, & alijs non diſsimilibus, ſed quaſi hebetioribus permutamus: quippe r literæ, qua Demoſthenes quoq; laboravit, l ſuccedit, quarum vis eſt apud nos quoque: & cum c ac ſimiliter t non valuerunt, in g ac d molliuntur. Demoſthenes (ait Tullius Oratorio primo) ita balbus fuit, ut ejus artis cui ſtuderet, primam literam non poſſet dicere. R nempe quæ in Rhetorica prima eſt, dicere non poterat. l igitur dicebat. Da puero balbo Martialis hunc verſum pronuntiandum:

Rara coronato plauſere theatra Menandro:

Permutato r in l pronuntiabit,

Lala colonato plauſele theatla Menandlo.

Ac quod Quintilianus ait r ipſius l ſonū molliorem habere, Capella definitione quam ſequimur uſurpavit. L (ait) lingua palatoq; dulceſcit. Et ſic Dionyſius λ γλυκύτατον dulciſsimā literā nominat. Atqui mitior & lenior litera triplicē ſonum (ut Plinio apud Priſcianū videtur) habet: exilē, qn̄ geminatur ſecundo loco poſita, ut *ille, Metellus*: plenū, qn̄ finit nomina & ſyllabas, & qn̄ habet ante ſe in eadem ſyllaba aliquā cōſonantē, ut ſol, ſylua, flavus, clarus:

tus: mediũ in alijs, ut lectus, lecta, lectũ. hæc Priſcianus: ubi etiam cognarionem l cum r oſtendit, quod r in l mutetur, & l in r: ut á niger nigellus, ab umbra umbella: aliquaodo etiá l in s, ut vello vulſi. Atqui præter hunc triplicem ſonum, liquor vernacula lingua ſentitur, qnalem ſentimus cum Francicé dicimus, *delicatum, foliũ douillet, fueillet*, ubi tribus integris literis barbaré admodum utimur ad dimidium unius ſonum declarãdum. Liquida preſſius diducta ſequitur in em & en. mugitus autem ipſius videtur eam m mutá facere: mugitus tamen ipſe per ſaſe exauditur, craſsior in ipſo m, ſubtilior & exilior in n, & quidem aptius expreſſus Græcis nominibus μυ & νυ, ſi tamen ea legitimé per ſextam vocalem proferantur. atq; hi ſoni fiunt in utraq; litera κερατοειδῶς corniculati. De m Terenrianns audiatur præcipiens, cum eam tertiam ſemivocalem feciſſet,

At tertia clauſo quaſi mugit intus ore.

Et rurſus alio loco de eadem litera,

Mugit intus abditum & cæcum ſonum.

Et iterum cum dixiſſet eam ſubjici ipſi s,

Loco intimo fauces prope ipſas litera hæc excluditur.

M (ait Capella) labris imprimitur. Hnjus literæ mugitum etiam illũ Quintilianus propoſuit. Quid (ait lib. 12.) quod pleraq; nos illa qnaſi mugiente litera eludimua m, qua nullum græcé verbum cadit? Triplex veró ſonus hujus literæ á Priſciano lib. 1. declaratur. M obſcurũ (ait) in extremitate dictionnm ſonat, ut templũ, apertum in principio, vt *magnus*: mediocre in mediis, ut *umbra*, utrum veró de tribns his ſonis unns ſit liquor hujus ſemivocalis, an alius præterea ut in l fuit, non eſt facile divinare. Certe Franci pronuntiamns in medio & fine literá hanc pene oppreſſam ore aperto, cum dicimns *tombe, tam eam*, & ſic latinas voces, *ambo, dominam*, ſonamus. Quintiliann veró ait lib. 9. in e molliri m ultimá, ſi ſequarur vocalis, non tolli quidẽ, ſed tamen obſcurari. Illa (ait) Cenſoris Catonis diem hanc æque m litera in e mollita. Quę in veteribns libris reperta mutare imperiti ſolẽt, & dũ librariorum inſcitiam inſectari volunt, confitentur ſuam. atqui eadem illa litera quoties ulrima eſt, & vocalem verbi ſequentis ita cõringit, ut in eã trãſire poſsit: etiã ſi ſcribitur, tamen parum exprimitur: ut,

Multum ille ——— &

Quantum erat ———

adeo ut pené cujuſdam novæ literæ ſonnm reddat, neque enim exprimirur, ſed obſcuratur, & tantum aliqua inter duaa vocales velut nota eſt, ne ipſæ coeant. idẽ qne rurſus libri 11. cap. 3. ait eodem loco m diſsimulari. Quod veró Quintilianus ait m, literam, vel in pronũtiando carmine, non tolli, ſed obſcurari, Priſcianus docet exemplo Ennii aliquando ne menſura quidem tolli. Finalis dictionis (ait) ſubtrahitur m, in metro plerumq;, ſi á vocali incipit ſequens dictio, ut,

Illum expirantem transfixo pectore flammas.

Vetuſtiſsimi tamen non ſemper eam ſubtrahebant. Enning in decimo Annalium:

Inſignita feré tum millia millitum octo.

Quod veró Priſcianus citat ex Ennio, id etiam ex Lucretio perſpici poteſt libro primo:

Corporum augebit numerũ ſummãque ſequetur.

Ergo conſiderandum propono in hac liquida, quiſnam ſonus liquorem quartæ hujos ſemivocalis exprimat: an de trib. illis aliqs unus, an obſcurior hic á Quintiliano, an deniq; alius. Alius enim ſonus eſt integræ, alius liquidæ. N literam ipſi m ſubjeci velut ipſius molliorem quendam & ſuaviorem ſonum. Græci pariter ac Latini ſtatim poſt m, proximum n, fecere. Ea re tamen non admodũ moveor, cum in reliquis verum potius ſequutus ſim. Quintilianum lib. 12. hic attẽdo, qui hujus literæ jucunditatem illius duritiei oppoſuit, cum ait: Quid quod pleraque nos illa quaſi mugiente litera cludimus m, qua nullum græcé verbum cadit? at illi n, jncundam & in fine præcipue qnaſi tinnientem illios loco ponunt, quę eſt apud nos rariſsima in clauſulis. Hæc ille. At veró ſic n, in iſta mollicie degeneravit, ut priſtini mugitus nil feré retineat, & labiis nihil admodum niſi extremis utitur. In hac tamen lenitate, principis literæ cognationem quandam, é dentjum & palati organis, cum dentium palariq; literis aſſumpſit. Terentianus palatum in hac definienda litera ſtatuit, cum eam quartam ſemivocalem feciſſet,

Quartæ ſonitus fingitur uſque ſub palato,
Quo ſpiritu anceps coeat naris & oris.

Capella dentes adiunxit, com ait, n, lingua dentibus appulſa collidi. M mutatur in n, ſequẽtibus primis quatuor mutis T

vel D,item C & G:ut tam tantum tandé, idem identidem anceps,num núcubi,& ut Plinio placet,nunquis núquam.ité ſequente f,ut anfractus . Contrá n mutatur in m ſequente m:unde illud Quintiliani libro primo,Immunis (ait) illud n, quod veritas exigit,ſequentis ſyllabæ ſono victum,m gemina cômutatur.Item ſequentib. cognatis B vel P,authoribus Plinio, Papyriano & Probo,ut imbellis, improbus . Sed ſatis de varia cognatione m & n ſonus hujus audiatur. Plenius in primis ſonat (ait Priſcianus) & in ultimis partibus ſyllabarum,ut nomen, ſtamen: exilius in mediis,ut amnis,damnum.Atque n ante G & C literas (ut Nigidius apud Gellium docet)alia vis.ut in nomine anguis & angaria & anchora & increpat & incurrit & ingenuus : in omnibus enim iis non verú n , ſed adulterinú ponitur.Nam n,non eſſe lingua indicio eſt. ná ſi ea litera eſſet,lingua palatum tangeret. Hæc doctiſsimus ille Nigidius. Quod veró negat palatú tangi,id accipit propter exilitatem,quod exiliter tangat. quomodo enim á palato ad nates ſonus hic tranſiret,ſi palatú omnino non tangeret? Sed tamen præter illum duplicem & pleniorem & exilioré ſonú, & hunc á Nigidio adulterinú, liquor eſt quidam in noſtro vernaculo ſermone, cum dicimus Hiſpanum,ſocium,*Eſpaignol,compaignon*, ubi tribus literis integris,dimidiatum unius ſonum tali barbariſmo ſcribimus, quali antea tertiæ ſemivocalis dimidiatum ſonú expreſsimus in fueillet donillet.Veruntamen in ſemivocalibus liquidis liquor ipſe utcúq; nobis apparuit. Semivocalis firma ſuccedit in Jod,& Vav,Ef.Veterum Latinorú nemo quod animadvertere potuerim,expriſsit vim Jod literæ. facta figura eſt vau conſonæ:factum nomen: explicatus ſonus,ut poſtea dicetur. in hac nihil ſimile,quæ tamen habet uſum non minoré.Claudius imperator literas tres Romanis imperaverat , ait Suetonius. quænam veró hæ literæ fuerint,tacet.duæ nominantur á Priſciano,digamma,& antiſigma.Credibile eſt hujus conſonæ nomen aliquod,aliquam etiam figuram factá eſſe:at quodná id fuerit, divinare difficile eſt. Nos Hebræorú exéplo,Jod appellamus,& figuram attribuimus quá in Hiſpanorú & Francorú ſermone verſatá perſpeximus.Jampridem enim Hiſpanis neſcio quis dedit:Fráciç certé núc nuper Lodoicus Megretius utendá ꝓpoſuit,cujus in côformáda gentis ſuæ lingua induſtriá valde equidé ꝓbo & laudo. Sonú veró ſequimur qué cômunis uſus obtinet, cú nil á veteribus proditú,nec ipſi melius quicquá videamus. Itali & Hiſpani cum Latina verba pronúciant,hic vocalé,non conſoná faciunt:at ipſimet cú vulgari lingua ꝓferunt, ſonú eundé quem nos efficiunt:& vim conſonátis,nó vocalis oſtédunt.quod ſequimur. Eodé aút nomine & charactere vocalé & côſonanté appellare & ſcribere, ut Latini nominarunt & ſcripſerút, logica prorſus nulla fuit: ná ſi nomine & charactere ſuo & ꝓprio vocalis recté & vocatur & ſcribitur, nó poteſt eodem nomine v charactere vocalis & conſona recté vocari & ſcribi. Vav & Efi imitantur differentias orbis u & y. V imitatur bombum apum.

Bombilat ore legens munera mellis apes.

ait author Philomelæ. Ut igitur antea ab ovibus & avibus, ita núc ab apibus ſonú hunc licet animadvertere. Vav conſona Latinis,Varrone & Dydimo teſtibus, nominata eſt. Ⅎ figura á Claudio Cæſare facta etiam eſt. vis ejus & poteſtas eſt eadé quæ digamma Æolici,ut Terentianus oſtendit:cum de j conſona dixiſſet,cui côſonæ vav conſona præiſſet.

Verſa vice ſi ſit prior v,ſequatur illa.
Cum dico vide,contulit i ſonum priori.
Aſt ipſa manet tempore quo ſonabat ante.
Vocalibus hoc & reliquis prædita ſervat,
Ut vade,veni,vota refer,teneto vultum.
Creviſſe ſonum perſpicis & coiſſe craſſum,
Unde Æoliis litera fingitur digammos,
Quæ de numero ſit magis una conſonantum,
Vocalis ni iſtum mage quàm verſa ſit uſum.

Priſcianus idem repetit, ſic enim de hac litera Priſcianus: V veró loco conſonantis poſita, eandem prorſus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeolos digamma: unde á pleriſque hoc nomen datur, quod apud Aeoles habuit olim Ⅎ digáma , id eſt vav, ab ipſius voce ꝑfectú, teſte Varrone & Didymo , qui id ei nomé eſſe oſtendút, ꝓ quo Cæſar húc figuram Ⅎ ſcribere voluit.quod quamvis illi recté viſum eſt,tamen conſuetudo antiqua ſuperavit. Typographi veró nónulli tacito conſenſu figurá vau côſonę, hác v nempe pro digamma illo Æolico induxerunt, & figura videtur aptior propter affinita-

affinitatem tum vocali u, & certé jam uobis uſitatior. Itaque quod ratio jampridé ſuaſerit & uſus tacitus approbarit, negligendum non arbitramur. Sed literæ conſonantis á vocali tam diuerſæ figuram quoque diverſam ſequimur. F literæ definitionem Terentianus his verſibus complectitur, cum primam ſemivocalem feciſſet,

Imum ſuperis dentibus deprimens labellum
Spiramine leni, velut hyrta graja vites,
Hanc ore ſonabis, modo quæ locata prima eſt:
Adverſa palati ſupera premendo parte,
Obſtanſq; ſono, quem ciet ipſa lingua nitens.
Validum penitus neſcio quid cogit inire.

Sic Terentianus ſpiritum lenioré in f, inſinuat, quám ſit in aſpera φ græcorum. ſicut rurſus ait idem:

F literæ á Græca φ recedit lenis & hebes ſonus.

Idem Capella profitetur, cum ait f dentes labrum inferius deprimentes. Habet autem f ſonum ſono vav literæ perſimilem: quod etiá Priſcianus paulo poſt oſtédit. Habebat autem (ait) hæc f litera húc ſonum, quem nunc habet u loco conſonantis poſita, unde antiqui af pro ab ſcribere ſolebant. ſed quia non poteſt vav, id eſt, digáma, in fine ſyllabæ inveniri, ideo mutata eſt f in b. ſifilum quoque pro ſibilum (teſte Nonio Marcello de doctorú indagine) dicebant. Ergo hæc Priſcianus de conſonis v & f. unde intelligimus in f & v duas potius figuras, quám literas eſſe. Nos tamen in v bombilum illum apum potius efficimus, quám flatú, qualis auditur & in f. Sed Priſcianus tamen ait duas iſtas literas v & f ſono unas eſſe, argumentoque ex græco digamma ſumpto ita concludit: Digamma (ait) ſono eſt f: & ſané quidam f ex duplici rr factum ita putant F, & inde digamma appellari, at v ſono digamma eſt: v itaque ſono eſt f. Et quidem Aeoles ut vitarent aſperitatem literæ φ, digamma fecerunt, cujus ſono aſperitas illa pingueſceret, ut ait Sergius. Quod idem Priſcianus ait Romanos feciſſe. Quanquam (ait) antiqui Romanorú Aeoles ſequentes, loco aſpirationis eam ponebant effugiétes quoque ipſi aſpirationem. Quintilianus etiam cognationem cum ph libro primo oſtendit, cum græculum teſté á Cicerone deriſum ait, qui φ pro f pronuntiaret. Græci (ait) aſpirare ſolent φ, ut pro Fundanio Cicero teſtem, qui primam ejus literam dicere non poſſet, irridet. Differentia veró quæ ſit inter f & φ ſeu ph ſentietur, ſi ſeparatim p ſonus animadvertatur, ut ſonaret ſi Pundanius diceretur: tum ad p adderetur ſpiritus aſper. hos duos conjunctos ſonos p & h cum perceperis, intelliges quamobrem teſtis ille á Cicerone deriſus ſit, mutatoque nomine derideamur, qui duarum literarum nullam differentiam ſentiamus. Præualuit tamen illius in ſcribendo ſaltem virium, quamvis ſoni differentia ſeruaretur. Ná Diomedes aliam inter f & φ differétiam facere non uidetur, niſi quod f in latina voce, ph in græca adhibeatur, at tempore Priſciani f pro ph addebatur in latinis dictionib. (ait) nos quoq; pro ph f cœpimus ſcribere, ut filius, fama, fuga: niſi quod eſt aliqua in pronuntiatione hujus literæ differentia cum ſono ph, ut oſtendit illius palati pulſus, linguæ, lábrorú, nec tam fixis labria eſt pronuncianda f quomodo ph. atq; hoc ſolum intereſt inter f & ph. Hæc Priſcianus, veré. ná labra in p concluduntur, ut mox dicetur. Sonus igitur ille mitioris & lenioris ſpiritus á Terétiano audiatur. Quintilianus enim mihi videtur etiá hic nimiú [illegible], dú literæ hujus aſperitaté neſcio quá ſibi cóminiſcitur: cú interim tamen fateatur digamma Aeolici, quod ad emolliendá aſperitatem literæ φ quæſitú eſt, ſonú in ea ſentiri. Illa ueró (ait libro duodecimo) pene nó humana voce, uel omnino non voce potius, inter diſcrimina dentiú efflanda eſt, quæ etiam cú vocalem proxima accipit, quaſſa quodammodo: utique quoties aliquá conſonantiú frangit (ut in hoc ipſo, frangit) multo fit horridior. Aeolicæ quoque literæ, qua cervum ſervumq; dicimus, etiáſi forma á nobis repudiata eſt, via tamen ipſa nos perſequitur. Hoc Quintiliani judiciú eſt de f litera, ſed Græcæ laudis immodico ſtudio lógius prolapſi. Debuit enim digáma græcorú uná reprehendere, quoniá eandé utriuſq; poteſtaté facit: imo veró debuit φ græcorú potiús dánare, quia f mitiorem ſonú & lenioré habet quá φ. F auté ſemivocalé eſſe Terentianus aſſeruit, & flatus ipſe, qui per ſeſe exauditur, facile contra Priſcianú vindicabit ſibi ſemivocalis definitioné. Ná Priſcianus argumétú quod f ſit muta, quia uſurpetur pro muta, leve eſt. Nam f etiam pro ha, eodem authore,

uſurpatur, & ſic non eſſet omnino litera.

Atque hæc de ſemivocalibus, ueniamus ad mutas. Harum definitio ſic eſt apud Terentianum:

Pars muta ſoni comprimet ora molientum:
Hic cæca ſoni vis penitus ſubeſt latetq;.
Ut non labiis hiſcere, non ſonare lingua,
Ullum ve meatum queat explicare niſus,
Vocali arctum niſi juncta diſſerarint.

In qua definitione illud, *Comprimi ora molientum*, de clauſis labria nequaquã eſt intelligendum. Labra enim patent in quatuor r, d, c, g: quæ clauduntur in B, p. ſed compreſsio hæc de aſtrictione interiore intelligatur. Sonus tamen iu omnibus eſt mutus, ſed minus in illis quatuor. Itaque partitionem quandam etiam é vocalium partitione imitantur hiatu & orbe: primumque genus ex apertis & diductis labris, in ſpecies duas diſtinguimus, dentium & palati organo. Cognatio prima eſt Te & De. definitiones utriuſque ita ſunt in Terentiano:

T qua ſuperis dentibus intima eſt origo,
Summa ſatis eſt ad ſonitum ferire lingua.

Sed vitioſé poſt i pronunciamus pro ſ, ut in *gratis, dentium, vitium*, quę pnũtiamus tãquã *graſia, dẽſium, uiſium*. At hoc modo ſemivocalis primæ ſibilus effertur, non mutæ nixus dentibus inhibitus. Nec veterum Grammaticorũ quiſquam præcepit mutum literæ hujus ſonum ante i vocalem, ſequente alia vocali, ſemivocalem fieri. qui tamen tam religioſé ſingulos alioqui uel apices perſecuti ſunt. Grammaticorum recentiorum id fuit, é vernaculis linguis judicium de vetere Romana lingua facientium. Georgius Valla recens Grãmaticæ author recentioribus præbuit hic occaſionem neſcio quam, ut T ante vocalem pronuntiandum cenſerent: ut in pueritia, duritia, quaſi puericia duricia. Sed hi teſtes peregrini, & tam longé á Romana civitate remori, in quæſtione de cõſuetudine pópuli Romani, audiendi nõ ſunt: veteres illi, quibus perpetuis utimur, ſoli ſunt audiendi. Quidam autem hic pronuntiant T tanquam ſcriberetur ts: ut gratia dicunt, tanquam ſcriberetur gratſia. In quo error eſt etiã craſsior priore, cum pro unica muta, ſumatur muta cũ ſemivocali. Quare T ante i ſonare debet ut ante a & o. D literæ ſonus ſic á Terentiano definitur:

At portio dentes quoties ſuprema lingua
Pulſaverit imos, modiceq; curva ſummos:
Tunc D ſonitum perficit, explicatq; vocem.

D veró remiſsioné eſſe ipſius T, jam anté ex Quintiliani loco patuit de c & g. Cum c (ait) ac ſimiliter t non valuerunt, in g ac d molliuntur. Quid T (ait idem) literæ, cũ d quædã cognatio? Quare minus mirũ ſi in vetuſtis operibus urbis noſtræ, & celebribus templis legantur Alexanter, Caſſantra. Quomodo auté T molliatur in d, conſideratione non mediocri indiget. Cum Lucianus in iudicio vocalium tantam literę r ſuauitatem doceat, ut niſi d, & aliis plerisq; locũ pręripuerit, cũ etiã ipſius d aſperitas á Quintiliano reprehẽdatur. Quid? (ait libro duodecimo) quod ſyllabæ noſtræ in b literam & d innituntur adeo aſpere, ut pleriq; non antiquiſſimorum quidem, ſed tamen veterũ mollire tẽtaverint, nõ ſolum averſa pro abverſis dicendo, ſed iu prępoſitione b literæ abſonam & ipſam s ſubiiciendo? At Quintilianus in illa quæſtione cum Græcorũ eloquentiam ex literarum ſuavitate vult extollere, argumento ſuo videtur indulſiſſe, & græcarum literarum ſonis efferendis, nimiũ latinis detraxiſſe: & quidem argumento inepto. nec enim in præpoſitione ab, s ſubiicitur, ſed potius detrahitur, ut b mollius ſonet (præpoſitio enim eſt una *Abs*, ut ait in Oratore Cicero) nec s abſona litera eſt Latinis potius quám Gręcis, cum ſit cõmunis. Ergo theſis hæc attentionem majorem requirat. Sed hæc ſatis de T & D. Altera cognatio ſequitur diductarũ mutarum in Ce & Ge. C porro, Qu & Ka ſonum & cognationem, vel potius ταυτότητα identitatem. Terentianus ſic explicat:

Utrumq; latus dentibus adplicare linguam
C preſsius urget, ſed hinc hincque remittit,
Quo vocis adhærens ſonus, explicetur ore.
K, perſpicuum eſt, litera quod vacare poſsit
Et q ſimilis: namq; eadem vis in utraq; eſt.
Quia qui locus eſt primitus unde exoritur c,
Quaſcunq; deinceps libeat jugare voces.
Mutare neceſſe eſt ſonitum quidem ſupremum,
Refert nihil K prior, an Q fiet, an C.

Terentianus hic tantum poſteriorem ſoni cauſſam é dentibus attingit, nec dẽtes ipſos definit. Capella ſubtilius idem interpretatur. C (inquit) molaribus ſuper linguę extrema appulſis exprimitur. Neuter palati cauſſam attigit, percutitur tamẽ anté palati cælum intima lingua. Sic etiã

cognatæ

cognatę literę Q & K palato formantur. de quo ſic Capella: K faucibus palatoq; formatur, Q appulſu palati, ore reſtricto. Quintilianus veró & Priſcianus cum Terentiano conſentientes non tam tres hic literas, quám unius literæ tres figuras faciunt. Sed K una voce omnes Grammatici tollunt. Q (ait Quintilianus) quæ & ipſa quorũdam nominum nota eſt, & K, cujus ſimilis effectus ſpeciesq;, niſi quod paulum á noſtris obliquatur: κ apud Gręcos nunc tantúm in numero manet. Hic Quintilianus facit trium literarum C, Q, K, ſonum eundem: & K Latinis otioſum eſſe ait. Sed eãdem literam eodem libro plenius rejicit. K quidẽ (ait) in nullis verbis utendum puto, niſi quę ſignificat etiã ut ſola ponatur. Hoc eo non omiſi, quod quidam eam, quoties a ſequatur, neceſſariam credunt: cum ſit c litera, quæ ad omnes vocales vim ſuam perferat. Terentianus igitur & Quintilianus attenté & conſideraté hic audiendi ſunt, cum ajunt triũ literarum unum ſonum ante quamvis vocalem eſſe. Hinc enim patet c ante e & i vitioſé á nobis pronuntiari ſibilo s literę, ut *amice*, *amici*, vulgo ſic enuntiamus tanquam ſcriberemus *amiſe*, *amiſi*, & literam ipſam appellamus tãquam ſcriberemus *Se*. Atqui c (ut Quintilianus já nobis expoſuit) ad omnes vocales vim ſuam perfert, quam utique non perferret, ſi ante e & i ſibilaret, non mutiret. neque veterum Grammaticorum quiſquam monuit ex hac muta ſemivocalem fieri. Et quidem c eſto ultima vocis litera, ut in *nunc*, *dic*, *duc*, *fac*: illinc intelliges, ex ſono nullius literæ contagione affecto, nomen ejus propriũ ac germanum eſſe tanquam *Ke* ſcriberetur, non tanquam notetur Se. Itali pinguius hic quiddam ſonant, ad differentiam ſibili: & tolerabilius id eſt, ſed tamen verus ſonus eſt idem (ut authores illi nos omnibus Italia præſentibus latiniores docuerunt) c ante e & i, qui eſt ante a & o, & tamen in *Cicero* Italicus ſonus etiã facit é muta ſemivocalem. quod Latinum non eſt, ſed Gotticum aut Francicum, & ſi litera hæc recté nominetur ſe vel che, pro clamor crãtor ſlamor uel chlamor, item ſcantor uel crantor profeſſédũ eſſet, quo nihil ineptius fingi poſsit. Quare barbariſmus hic eſt talis, qualis antea in t dictus eſt, cum *gratia* pronuntiatur, tanquam *graſia* ſcriberetur. Sed idem Priſcianus de uno trium literarum ſono plenius repetit. K enim (ait) & q, quamvis figura & nomine videantur aliquam habere differentiam cum c: tamen eandem tam in ſono vocum, quám in metro continent poteſtatem. Nulla enim ratio videtur cur a ſequente k ſcribi debeat. *Carthago* enim & *caput*, ſive per c ſive per K ſcribantur, nullam faciunt, nec in ſono nec in poteſtate, ejuſdem cõſonantis differentiá. Quinetiam ipſius q eandem cũ c poteſtatem eſſe Priſcianus demonſtrat, his argumentis: Quod ſi (ait) q alia litera exiſtimanda eſt quam c: q, quoque, cùm ſimiliter præponitur u amittẽti vim literæ, alia putari debet: & alia, cum id non facit. dicimus enim *anguis* ſicuti *quis*, & *augur* ſicuti *cur*. Et paulo poſt de q. Niſi (ait) eandem vim haberet quam c, nũquam in principiis infinitivorum vel interrogativorum quorundam nominum poſita, per obliquos caſus in illam tranſiret, ut quis, cujus, cui: ſimiliter á verbis q habentibus, in quibuſdam participiis in c trãsfertur, ut ſequor, ſecutus, loquor, locutus. Argumenta Priſciani hæc ſunt, ſed illud prius acutius eſt poſteriore, poſteriore tamen cognatio oſtenditur é cõmutatione. Authoritas Varronis multo majoris ponderis eſt: qui teſte Cenſorino, neque k neque q adhibuit in numero literarum. De k aſſentimur: de Q non item. quoniam ipſius c ſpecies quædam ſit ad aliquem uſum ſelecta. Cõſtet tamen hic figuras quidem tres eſſe, C, Q, K: ſed revera vnam literam. Quod veró q ante liquidam u tantúm adhibeatur, Quintiliani præceptum eſt: Duras (ait libro duodecimo) & illas ſyllabas facit, quæ ad coniungendas demum ſibi ſubjecta a vocales eſt utilis, alias ſuperuacua: ut *equos* ac *equum* ſcribimus. Idẽ Terentianus:

Namque q præmiſſa ſemper u, ſimul mugit ſibi,
Syllabam non editura, ni comes ſit tertia
Quælibet vocalis illis hoc & exemplis proba:
Namque equos vel æquor, quæſtus aut aquã ſcribimus,
Et queo & querela, quercus & quater q prædita eſt.

Idem Priſcianus. Q veró (ait) propter nihil aliud ſcribenda videtur eſſe, niſi ut oſtendat ſequens u ante vocalé in eadẽ ſyllaba poſitá perdere vim literæ in medio:

deniq;

deniq; (ut Velius Longinus ait) quidam in hac litera ſola, eriam u intelligi putát. Itaq; ſcribunt *qis, qid, qero*, Quod & Teréntianus admonuit:

Qgippe q, non conſtat aliter quam duabus c, & u.

Sic Diomedes ait q eſſe compoſitam ex c & u. Ergo hæc de tribus figuris unius literæ. G autem velut c levigata eſt. id enim Terentianus diſerté ait cum de c dixiſſet:

G porro retrorſum coit, & ſonum prioris
Obtuſius ipſi propé ſufficit palato.

Nomen veró hujus literæ ex ultimis ſyllabis ſic intelligitur, ut antea nomē ipſius c. dic enim *regs gregs*, atque s detrahe: audies ſonum uerum qui ante omnes vocales eſſe debeat. Et illud eſt nimirū Quintiliani de literarum ſucceſsioue jam anté repetitum. Quarundam literarum uel exilitate uel pinguitudine nimia laboramus: quaſdam velut acriores parum efficimus, & aliis non diſsimilibus, ſed quaſi hebetioribus permutamus. Quippe ς, qua Demoſthenes quoque laboravit, λ ſuccedit: quarum vis eſt apud nos quoque, & cum c ac ſimiliter t nō valuerunt, in g ac d molliuntur. Ergo g nihil aliud eſt quám c lene ac molle, & Diomedes libro ſecundo novam ideo conſonam vocat. Hinc cognationis commutationes κυβερνήτης gubernator, κῦβος gobius, egi actum, quadringenta, ſeptingenta, pro quadrinceuta, ſeptinceuta. Sed affinitas ex Quintiliano multo notior illa eſt. Quid (ait libro primo) quæ ſcribuntur aliter quám enūtiantur? Nam Gaius c litera notatur: nec Cneus eam literam in prænominis nota accipit, quam ſonat. Quam eandé cognationem Terétianus expoſuit his verſibus, quibus & cauſſa illa ſuperior habetur:

Scribimus prænomen unum & C quidem præponimus:
G tamen ſonabit illic, quando Cneum enuntio.
Aſperum quia vox ſonorem leviore interpolat:
Vel priores g Latini nōdum ab apice finxerant.
Cajus prænomen proinde c notatur, g ſonat.
Sic amurca, quæ vetuſte ſæpe per c ſcribitur,
Eſſe per g proferendam crediderunt plurimi:
Quando ἀμοργὴ græca vox eſt, γάμμα origo præferat.

Ergo videmus veterum tantum ſtudium in vnius literę commutato ſono, ut g, pro c, proferatur, id eſt muta pro muta cognata. an tacituros fuiſſe putamus de tanta illa cōmutatione mutarum t & c? id profecto non eſt credibile. Ergo é proxima cognatione c & g, etiam intelligimus linguæ noſtræ vitium idē eſſe in ſono g ante e & i, quod in c: cum ſonus idem ante omnes vocales eſſe debeat, itaque *rege regis* pronunriare tanquam *reje rejis* ſcriberetur, barbariſmus eſt. X ſimili vitio atque zeta in literas veuit. eſt enim compendiū duarum literarum c s vel g s: non autem una litera, cujus poteſtatem iudicat Terentiauus cum de phi dixiſſet:

Mixtura ſecundæ geminum parat ſonorem.
Quis c ſimul & quæ prior eſt jugando niſum,
Retrorſus adactam ſolidant premuntq; vocem.

Ix veró poteſtatem habere cs, gs, ex Varroue audiamus. Quid ſimilius videtur, quā in his eſt extrema ſyllaba, crux, frux? quae qui audit voces, auribus diſcernere poteſt nemo, cum eaſdem non eſſe ſimiles ex aliis verbis intelligamus: quod cū ſint cruces & fruges, & de his extremis ſyllabis exemptum ſit c, ex altero g: ut ex c & s crux, ex g & s frux, quod item apparet, cum eſt ademptum s, nam ſit unum cruci, alterum frugi. Priſcianus idem libro primo repetiuit: X etiam (air) duplicem loco c & s uel g & s poſtea á Græcie totam aſſumpſimus, ut dux ducis, rex regis. Atque in his exemplis animaduertimus x redire in ſimplices c s, g e. Sed tamen hanc literam & Quintilianue & Cicero improbarunt. Noſtrarum literarum ultima x (ait Quintilianus) qua tamen carere potuimus, ſi non quæſiſſemus. Cicero in Oratore, Quinetiam verba ſæpe contrahuntur, non uſus cauſſa, ſed aurium. Quomodo enim veſter Axilla ala factus eſt, niſi fuga literæ vaſtiorie? quam literam etiam é maxillis, é taxillis, vexillo & paxillo, conſuetudo elegans latini ſermonis evellit. Sic igitur Tullius, unde intelligimus hac litera non tantum Romauos carere potuiſſe, ut Quintilianus ſentit, ſed voluiſſe, cum de induſtria ſic ejus vaſtitatem fugerint. Et quidem ſi juſta cauſa fugiendam proſodiam literæ hujus veteres illi principes putaveriut, multo juſtiore ejus orthographiā fugiendā putaviſſent, cum c s & g s diſtiuctiue ſonos ſuoe exprimant. Cum enim nex & grex ſctibitur, ambigua lectio eſt ex hac nota, utrum *negs grecs*, an *necs gregs* legendum ſit: neque hic litera eſt nota ad rem iutelligendum, ſed res ipſa aute cognita, eſt lectionis argumentum. Deinde

barbariſ-

barbariſmos ille qui fuit in zeta, huc etiá redii, ut una velun litera duarnm ſyllabarum literas complectare: ut in expiro. ná ec prima ſyllabs eſt: ſecunda *ſpi*, & tamen ecs in primá ſyllabam vitio ingenioſi hujus compendii includitur. itaqne duplex iſta litera barbariſmum quoque duplicauit. Quare ut duplex eſt conjunctio cs & gs, ita hic duplici charactere opus fuit. Quare ut antea Simonides inventione longarum η & ω, item ξ: ſic Palamedes inventione ξ duplicis nullum Grammaricæ sdjumentum attulit. Atque hæc de mutis apertis, clauſæ ſequnntur Be & Pe. cujus utriuſque literæ deſinitio apud Terentianum propter affinitatem conjuncta eſt:

B litera vel p quaſi ſyllabæ videntur,
Junguntq; ſonos de gemina ſede profectos.
Nam muta jubet portio comprimi labella:
Vocalis at intus locus exitum miniſtrat.
Compreßio porro eſt in utraque diſſonora.
Nam prima per oras etiam labella figit.
Velut intus agatur ſonus: aſt altera contra,
Pellit ſonitum de mediis foras labellis.

Græci ut anté propoſuimus, in ſex cóſonis affinitatem docuerunt p ſimplicis, b mediæ, phi aſpiratæ. b igitur plenioris eſt ſoni & durioris, quam p. quod oſtendit ipſa definitio. nam b oris labiorum compreſsis intus mutit: p foras erúpit é mediis labellis. Quare præponimus b ot plenius & aſperius, cui emolliendo ſuccedar p. B aotem idem eſt quod β: & ſimiliter utrumque ſonare debet, ot Cratini locus ille, ex ovium balatu βῆ βῆ, demonſtrat. Græci veró recentiores vitioſé pronuntiant ut digamma Aeolicum. atqui jam antea ex Quintiliano de aſpetitate b literæ dictum eſt, ut abſona illi videatur, & argnmento Quintiliani reſpondimus. Quintilianus etiam cognationem b literæ cum m, lib. I. proponit loco jam anté propoſito. Sed b quoque in locum aliarum dedimus aliquando. unde Burrus, Bruges, Belena: nec non eadem fecit ex duello bellum: unde duellios quidam dicere Bellios auſi. Hic pro p, ph, h, poſitú b Qnintilianus ait. dicimus enim Pyrrhus, Phryges, Helena. Quæ demonſtrát b Latinis veteribus gratius fuiſſe, poſtesque mollitum in p. ſed & illa commigratio hic eſt d in b: ſic in thematis verborum cum ſit b, præteritis feré mutatur in p, quod ait Priſcianus libro decimo. Mutatur b in p ſeqnente s: ut ſcribo ſcripſi, nubo nupſi. nnnquam enim (ait) b aote s in principio ſyllabæ poteſt inveniri, ut pſeudolus, ipſe. Et rurſum ibidem, Nulla autem (sit) cauſſa alia eſt mutandæ b in p ante s in principio ſyllabæ poſitæ, niſi euphonia: cnjus ratio apud Græcos quoque obſetoantiſsimos eius ſeruata eſt in ſupradictarum conſonantinm ſcriptura, ut κρύβω ἔκρυψα κέκρυψαι, λείβω ἔλειψα λέλειψαι. pro ψ enim Græca nos in principio ſyllabæ, ps ſcribimus: ut nubo nupſi nuptú, ſcribo ſcripſi ſcriptum, ſcalpo ſcalpſi ſcalptú. Priſcianus generalé mutationis cauſſam hic attulit euphoniá, ſpecislem aotem & propriam ex affinitate literarú verios attuliſſet, ſicuti primo libro propoſuit. Hæc veró affinitas b & p efficit ot etiam nó ſctiptæ literæ p ſonus, pro b ſcriptæ ſono pronuntietur. Quæri ſolet (ait Qnintilianus libro ptimo) in ſcribendo præpoſitiones ſonum quem junctæ efficiunt, an quem ſeparatæ, obſervare cóveniat: ot com dico obtinuit. ſecundá enim b literá ratio poſcit: aores magis audiunt p. Græci habent hic duplicem literam, ψ, pro ps, quam latini repudiarút, niſi qood Claodius antiſigma dicitur á quibuſdá ſcripſiſſe. ſi ita eſt, cauſſa multo juſtior hic fuit. Fuerat & hoc compendium præcipué probandum, com in eandem ſyllabá duæ illæ conſonsntes incidant. Supereſt Ha literáne an aſpiratio tantúm, magna quæſtio eſt. Sed tamen ha dicenda, non ah, ut ex Priſciano patet, qui libro quinto ſcribit tria latinarum literarú nomina in a deſinere, a, ha, ka: Sed quæſtio major eſt de ha, literáne ſit, necne. Quintilianus modo dubitat literáne ſit, modo videtur é numero literarum tollere, cum ita loquitur de literis capite quarto libri primi: An rurſus aliæ redundent præter illam aſpirationis notam, quæ ſi neceſſaria eſt, etiam cótrariam ſibi poſcit. At hoc argumento nihil concluditur. ſic enim omnium literarum contrariæ literæ quęrendæ eſſent, & contraria illa lenioris ſpiritus nota poſsit intelligi ubicumq; nulla ſit ſpiritus aſperi nots, ſicuti reuera intelligitur. Priſcianus non dubitat, ſed omnino literam non eſſe diſputat, nec aliud habere literæ quám figuram: neque vocalem, neque é cóſonis ſemivocalem aut mutsm eſſe. ſic hac de re loquitur: H veró aſpirationis eſt nota, & nihil habet

aliud

aliud literę quám figuram, qnod in verſu ſcribitur inter alias literas. Quod ſi ſufficeret ut elementum pntaretur, nihilominus quorundam etiam numerorum figuræ, quia in verſn inret alias literas ſcribútur, quamvis eis diſsimiles ſint, elementa ſunt habenda, ſed minimé hoc eſt adhibendum: nec aliud aliqnid ex accidentibns proprietatem oſtẽdit uniuſcujuſque elementi, qnám poteſtas, qua caret aſpiratio: neque enim vocalis nec cõſonana eſſe poteſt. Vocalis non eſt h, quia á ſe vocem non facit: nec ſemivocalis, cum nulla ſyllaba Latina vel Græca per integras dictiones in eam deſinat: nec muta, cum in eadem ſyllaba cnm duabns muris ponatur Pthius, Ericthonius: nulla enim ſyllaba plus duabus muris poteſt habere iuxta ſe poſitis, nec plus tribus conſonantibus conrinuare. Authoritaa quoq; tam Varronis quám Macri, teſte Cenſorino, neq; k neq; q neq; h in nnmero sdhibet literarum. Hæc Priſcianus, quibus admodum nihil efficit. Nam ah & vah in h deſinunt: quamvis argumẽti hujua graria Priſcianus fingat contractas voces eſſe pro aha & vaha. Et Diomedes docet in his tãtũ vocibus h finalem eſſe. Sed tamẽ quid aliud geminarionis argumentum efficit? quaſi alienius ſit in eadem ſyllaba cum duabus mutis ha, quám vocalem geminari. Deinde quid ad rem attinet, cõtractæ uoces an plenæ ſint? ſatis enim eſt argumenti quod hęc clauſula auribus probata ſit. Qusre Priſcianum nihil hæc adjuvant. Sed argumẽtum Terenriani præcipunm hic videtur, quod ha ſine tempore ſit:

Sola nec vocalis uſum, nec tuetur conſonæ,
Tempus aut miniſtrat ullum brevibus uſquam ſyllabis.

At huic etiam argumento reſponderi poteſt vocalem uliqneſcere aliquando, ſic s, r, l, m, n: nec proptetea literas non eſſe. Ergo his tam multis argumentis non excluditur ha de genere literarum. Age veró Priſciannm pro contrario differentem audiamus. Hanc enim cauſſam diſputat *εἰς ἑκάτερον*, docuitq; ha uim habere conſonantis v. Sciendũ tamen (ait) quod hoc ipſum Aeoles quidem ubiq; loco aſpirationis ponebant, effugiẽtes ſpiritus aſperitatem: nos autem in mulris quidem, nõ tamen in omnibus illos ſequimur, ut cũ dicimus veſpeta, vis, veſtis. Quæ ante Priſciannm Terẽtianus quoq; docuerat, heſperum, veſperũ, Henetos, Venetos, *ἑστίαν* Veſtam, *ἐσθῆτα* veſtem, & ſimilia facta eſſe. Sed Priſcianus docet etiam h vim s habere. Sępe (ait de s) pro aſpirarione ponitur in his dictionibus, quas á Gręcis ſumpſimus, ut ſemis, ſex, ſeptem, ſe, ſal: Nã *ἡμις, ἕξ, ἑπτά, ἕ, ἅλς*, apud illos aſpirationem habent in principio. Adeo autem coguatio eſt huìc literæ, id eſt, s, cum aſpiratione, quod pro ea in quibuſdam dictionibus ſolebant Bęotii, id eſt, pro s, h ſcribere, ut muha pro muſa dicentes. Docet anthor idem b literæ vim in h eſſe: unde pro Helena veteres Romani Belenam dicebãt. H igitur habet vim conſonantium S, B, V: imó vetó affirmat, ut jam citavi, ſi h vocali, cui cohærere debeat, detrahatur, vitiũ videri, quamvis intellectus maneat: ſin antem conſonanti detracta ſir, vim ſignificationis prorſus minni: quo etiam ſpectat illud Quintiliani de barbariſmo præcipientis. Ills veró (ait) non niſi anre exiguntur, quę fiunt per ſonos: quanquã per aſpirationem, ſive adiicitur vitioſé ſive detrahitur, apud nos poteſt quæri an in ſcripto ſit vitium, ſi h litera eſt, non nota. Sed illud Quinriliani libri duodecimi capite decimo illuſtrius eſt. Prudẽter (ait) qni cum interrogaſſet ruſticum teſtẽ an Amphiona noſſet, neganre eo, detraxit aſpirationem, breviavitq; ſecũdam ejus nominis ſyllabam: & ille eum ſic optimé norat. His igitur argumentis contra illa Priſciani argumenta uberius reſponderi poſsit: Priſcianiq; multo acutius judiciũ de j & v conſonis, pro ſyllogiſmi propoſitione huc appellari. Poteſtas (ait) maximum eſt in diſtinguẽdis elementis, ſicut enim quamvis in varia & vario nomine ſint k & q & c, tamen qnia unam vim habeant tam metro quám in ſono, pro una litera accipi debent: ſic i & u, quamvis unum nomen & nnam habent figuram tã vocales quám conſonantes, tamen quia diverſum ſonum & diuerſam vim habẽt in metris & in pronuntiarione ſyllabarum, non ſunt in iiſdem meo judicio elementis accipiendæ. Hæc Priſcianus rectius conſtantiuſq; philoſophatur. Poteſtas eadem quamvis diverſa nomina & diverſæ figuræ ſint, tamen eandem literam eſſe oſtendit: diverſa poteſtas diverſam deniq; literam facit. At, inquã, h vim & poteſtatem conſonantis habet, valetq;

hauc

hanc ipſam cōſonam v, de qua aſſerit Priſcianus: valet a: valet b: imo veró aſperitatem ſpiritus ſui per ſe poteſt. Quare h litera videtur, eaq; conſona. Non autem videtur muta, quia ſpiritus ipſe non mutit: ergo ſemivocalis. Sed aliás id amplius æſtimabitur. Atqui in hac etiam aſpirationis litera videmus latinorum prudétiam longé majorem quam græcorum. E græcis enim Palamedes in tribus aſpiratis conſonis tres ſibi characteres confingendos putauit, θ, χ, φ: ſimillima levitate & incōſtantia, atque antea η, ω, ξ, ψ, Simonides confinxerat. Nam ſi charactere opus fuerat ubi aſpiraretur, etiam characteribus in ſeptem vocalibus, item in ρ opús fuit, quia hæ quoque literæ aſpirantur. Latini igitur ſpreto Palamedis commento aſpirationis literam, ubi neceſſaria eſſet, addiderunt: neque partem operis, minimé præſertim neceſſarii, inchoarunt, partem omiſerunt. Sed de iis cōmpédiis notarum poſtea rurſum diſſeremus in cōjunctione conſonarum, vbi imprimis ea compendia neceſſaria videbantur. Venio ad uſum aſpirationis, deque eo veteres Grammaticos conſulo. Cicero in Oratore docet h veteribus latinis feré nullam fuiſſe niſi in vocali: ſuo tamen tépore erupiſſe contrariam conſuetudinem, cui ipſe conceſſerit. Quin ego ipſe (ait) cum ſcirē ita majores locutos eſſe, ut nuſquam niſi in vocali, aſpiratione uterentur, loquebar ſic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem aliquando, idq; ſero, convitio aurium cum mihi extorta veritas eſſet, uſum loquendi populo conceſsi, ſciētiam mihi reſervavi. Orcinos tamen, Matones, Otones, Cepiones, ſepulcra, coronas, lacrymas dicimus: quia per auriū judicium ſemper licet. Catullus veró Ciceronis æqualis immodicum illud aſpirationis ſtudium eleganti carmine notavit in Arrio:

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arrius inſidias:
Et tum mirificé ſperabat ſe eſſe locutum,
Cum quantum poterat, dixerat hinſidias.
Credo, ſic mater, ſic liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerat atque avia.
Hoc miſſo in Syriam requierant omnibus aures:
Audibant eadem hæc leniter & leviter.
Nec ſibi poſtilla metuebant talia verba:
Cum ſubito affertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, poſtquam illuc Arrius iſſet,
Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

Quintilianus idem repetiuit: Aſpiratione (ait) veteres parciſsimé ſunt uſi, etiam in vocalibus, cum œdos, ircoſque dicebant. diu deinde ſervatum, nec conſonátibus aſpiraretur, ut in Graccis & triumpis. Erupit brevi tempore nimius uſus, ut choronæ, Chenturiones, Præchones, adhuc quibuſdam inſcriptionibus manent. Terentianus deinde & Priſcianus temporum ſuorum judicia prodidere, quæ cōplectimur. Verba Terentiani ſunt:

Nulli dubium eſt faucibus emicet quod ipſis,
H litera, ſive eſt nota, quæ ſpiret anhelum.
Quam hanc etiam Grammatici volunt vacare,
Quia non adicit literulis novum ſonorem:
Sed græculi quædam ſolita nuella vocis
Vocalibus apté, ſed & antepoſta cunctis,
Haſtas, hederas quùm loquor, hiſter, hoſpes, hujus
Solum patitur quatuor ante conſonantes,
Græcis quoties nominibus latina forma eſt,
Si quando choros, Phyllida, Rhamnes, thyimus dico.

Hic docet Terentianus ſolas vocales, in latina dictione aſpirari, idemque rurſus alio loco affirmat:

Una nam ſpiramen addit omnibus vocalibus,
Haſta quando & hedera dicis, hiſter, hoſpes atque humus,
Quatuor ſolis adhæret conſonantum literis,
Inſerit ſi quando græca ſermo noſter nomina,
Quom choros, Rhamnum, neceſſe eſt Phyleidem, thimum loqui.

Diomedes idem proponit de ſolis vocalibus aſpiratis. Solas (ait lib. ſecundo) vocales aſpirari quidam exiſtimant. Priſcianus de aſpiratis vocalibus & conſonis ita loquitur: Aſpiratio (ait) quoque ante vocales omnes poni poteſt: poſt cōſonantes aút quatuor tátummodo, more antiquo græcorum c, t, p, r: ut habeo, Herennius, hyems, homo, humus, Chremes, Thraſo, Philippus, Pyrrhus. Ideo autem extrinſecus aſcribitur vocalibus, ut minimum ſonet: conſonantibus auté intrinſecus, ut plurimū. omnis enim litera ſive vox plus ſonat ipſa ſeſe cū poſtponitur, quâ cū anteponitur. quod vocalibus accidens eſſe videtur: nec ſi tollatur ea, perit etiam vis ſignificationis. ut ſi dicam Erénius, abſque aſpiratione, quamvis vitium videar facere, intellectus tamen integer permanet. Conſonantibus auté ſic cohæret, ut ejuſdem penitus ſubſtantiæ ſit, & ſi auferatur, ſignificationis vim minuat prorſus: ut

ſi dicam Cremes pro Chremes. unde hac conſiderata ratione Græcorum doctiſsimi ſingulas fecerunt eas quoque literas. Quippe pro th θ, pro ph φ, pro ch χ ſcribẽtes: nos autẽ antiquã ſcripturam ſervamus. Hæc igitur Priſcianus de aſpirationis vi & facultate. Priſcianus tamen non affirmat in ſolis vocibus græcis cõſonas aſpirari. Probus autẽ in catholicis ait in tribus latinis vocibus conſonas aſpirari, lurcho, orchus, pulcher. At cæteri Grammatici duo prima non aſpirant, & tertiũ qui deducunt á polleo, negant aſpirandum: planeq; Terentiani præceptio vera uideatur. Nam quæcũq; præterea voces ex aſpiratis illis quatuor conſonis aliquã habeant, aut græcæ aut é græco derivatæ reperientur. Diomedes ait h nulli ſubjici, niſi conſonanti, ut in Trachia & nominibus Græcis.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER III. DE ſonis ſyllabarum.

Sed de ſingulis literis ſatis. jã tempus eſt de ſyllaba dicere, quæ ipſa litera eſt, aut é literis conſtituta. Abuſive (ait Priſcianus) ſingularum vocalium ſonos ſyllabas nominamus. quamobrem veró Priſcianus id affirmet, non video. ſonus illic unus abſolutus & perfectus eſt. Atque in ſyllaba é pluribus literis conſtituta ordo certus ſpectatur antecedentium & conſequentium. Primus eſt in vocalibus, unde diphthongus oritur. Latinæ vocis ſyllaba tres vocales habere nõ poteſt, ut Quintilianus ait: & Terentianus,

Syllabam nec invenimus ex tribus uocalibus.

Itaque diphthongus eſt, in qua duæ vocales conjunctum ſonum habent. Quærit Quintilianus libri I. capite 4. quomodo duabus vocalibus in ſe ipſas coẽundi ſit natura, cum nulla conſons coẽat, niſi altera alterã frangat. quærit (inquã) at quæſtioni ſuæ non reſpondet, niſi pro reſponſo ſit illud in vocibus *conjicit, ſervus.* in quibus Jod & Vav cum vocalibus in eadem ſyllaba junguntur, neque verum eſt in una ſyllaba cõſonas alteram ab altera frangi, ut mox patebit. nec vocales coire Quintiliano eſt miſceri, ſed alterã ab altera tanquam abſumi, ut libri II. capite 3. indicat ipſe illo verſu:

Multum ille & terris———

ubi in, Ille &, duplex e coit in unum. Sed tamen locus ille Quintiliani, & hic alter locus incautis nec ſatis attentis occaſionem erroris permagni præbuit, ut putarent in diphthongo cõfundi ſonos duarum vocalium, & tertium creari. Conjunguntur quidem ſoni duo, verum minimé cõfunduntur, nec enim *δίφθογγοι* eſſent. De prima diphthongo Quintilianus veterum diſsimilem uſum tradit, quẽ modo ai more græco, modo æ dicerent. ſic autem loquitur libri I. cap. 7. ai ſyllabam cujus nunc e literam ponimus, varié per a & i efferebant. quidam ſemper, ut Græci: quidam ſingulariter tantum, cum in dativum vel genitivum caſum incidiſſent, unde pictai veſtis, & aquai Virgilius amantiſsimus vetuſtatis carminibus inſeruit. In iiſdem plurali numero e utebantur, hi Syllæ, Galbæ. Hæc Quintilianus. locus autem apud Virgilium diphthongi ai quadruplex eſt: primus 3 Æneidos,

Aulai in medio libabant pocula Bacchi:

Secundus ſexto,

Aethereum ſenſum atq; aurai ſimplicis ignem:

Tertius ſeptimo,

Exultant æſtu latices, furit intus aquai vis:

Quartus nono,

Dives equum, dives pictai veſtis & auri.

Itaque hanc diphthongum recté ait Probus quater in Virgilio inveniri, nec veré á quibuſdam reprehenditur in diphthongo aquai, præſertim cùm & Quintilianus eandem diphthongũ, in Virgilio notarit. Sic igitur Quintilianus de prima diphthongo, in qua hodie vulgus e duntaxat extremam pronuntiat, ſicut & in œ. Conſule Varronẽ, Quintilianum, & veteres illos, quos authores habere volumus: barbariſmum eſſe dicent. Hic etiam græcæ orthographiæ non ſolum proſodiæ barbariſmũ conſimilem adnoto. Græci tẽpore Quintiliani in dativo ſcribebãt αι, quĩ hodie ſcribunt ᾳ, & proferunt tanquã primam vocalem: ſic in una ſyllaba duplicẽ barbariſmũ faciũt. Atq; ut au & eu duos in unũ ſonos non confundunt illos quidem, ſed conjungunt, ſic ae & oe conjungere debeãt, quales nos Franci in vernacula lingua ſonos plané pronuntiamus

in

in his verbis, *paiant*, *gaiant*, *moe*, *toe*, & in cæteris. Et veró in Græca lingua conſimiles barbariſmos in αι & ει toleramus pronuntiando per ι & ι: neq; veterum græcorũ exemplis movemur. Ajacemq; in Sophocle valde traducimus. ait enim:

Αἰαῖ, τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον
Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς.
Νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοί,
Καὶ τρίς. Id eſt:

Ai, ai, quis unquã arbitraretur ſic denominatũ meũ nomen quadraturũ meis malis? Nunc enim adeſt & bis αἰάζειν mihi, & ter. αἰάζειν id eſt lamẽtari: atq; hæc interjectio ai etiã Gallis noſtris eſt cõmunis in doloris ſignificatione. At ſi proferatur αι per ι, nulla ſignificatio doloris exprimetur tali ſono. Plutarchus veró in ſympoſiacis id etiã manifeſtius oſtẽdit, cum doceret α, neq; vocalibus aliis in eadẽ ſyllaba ſubeſſe, ſed quaſi ſuperba & faſtidioſa litera ſit, dominatum appetere. Itaq; (ait) *συμφωνοῦντι καὶ ἀκολουθοῦντι χρῆται*, ſimul ſonante & conſequente utitur: ipſaque imprimis ſyllabam facit, ut in ἄυριον & αὐλεῖν, αἴας, αἰδεῖσθαι. Atqui cũ pronuntiatur ι pro αι dominatus ille principis vocalis in magnam ſervitutem adducitur, cum nulla vis ejus remaneat. Conſimili barbariſmo Thucydidis oraculum illud Athenienſibus redditũ valde irridetur, *ἥξει Δωριακὸς καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ*. nam ſi λοιμὸς proferatur ut λιμὸς, pro peſte fames intelligetur. Hęc exempla magna ſunt, quibus inter cætera Ioannes Checus regius in Anglia profeſſor veram iſtam germanamque literarum proſodiam popularibus ſuis propoſuit, eoq; beneficio ſtudioſos Græcæ Latinæq; linguæ imperpetuum ſibi devinxit. Poſtrema diphthongus eu, in paucis vocibus latinis invenitur, ut heu, ſeu, ceu, neu: tota feré eſt græcarũ vocum, ut Eudęmon, Euge. Au itaque & eu, ut Terentianus ait, habemus cum Græcis communiter. Sed barbare admodum pronuntiantur Græcé, ut af & ef: præſertim cum ef, ceu vav cõmunis gręciæ litera nunquam fuerit, ſed digamma Aeolicum. Quinta etiam diphthongus veteribus fuit. ει enim diphthongus illis uſitatiſsima fuit, ut toto Varronis de lingua Latina opere perſpicitur, ubi pro i longa ει diphthongus ſcripta eſt. Nigidius apud Gellium libri 13. cap. 24. novam etiã hic regulã facit. Si hujus (inquit) amici vel hujus magni ſcribas, unum i facito extremum: ſin veró hi magnei, hi amicei, caſu multitudinis recto, tum ante i ſcribendum erit e. Atque idipſum facies in ſimilibus. Item ſi hujus terrai ſcribas, i litera ſit extrema: ſi huic terræ, per e ſcribẽdũ eſt. Itẽ Mi, qui ſcribit in caſu interrogandi, velut cum dicimus mi, ſtudioſus per i unum ſcribat, nec per e: at cum mei, tum per e & i ſcribandum eſt, quia dandi caſus eſt. Sed mihi valde probatur refutatio Quintiliani. Diutius duravit (ait) ut ei jungandis eadem ratione, qua Græci ει, vterentur, ea caſibus numeriſque diſcreta ſunt, ut Lucilius præcipit,

Iam pueri venere, e poſtremum facito atque i,
ut pueri plures fiant.

Ac deinceps idem:

Mendacei furoque addes e, cũ dare furi iuſſeris.

Quod quidem cum ſupervacuũ eſt, quia i tam lõgæ quám brevis naturam habet, tum incommodum aliquãdo. nam in iis quæ proximam ab ultima literam e habebunt & i longa terminabuntur, illam rationem ſequẽtes, utemur é gemina: qualia ſunt hæc aureei, argenteei, & ſimilia. idque iis præcipué qui ad lectioné inſtituentur etiam impedimento erit, ſicut in Græcis accidit adiectione i literæ: quam nõ ſolum dativis caſibus in parte ultima aſcribunt, ſed quibuſdam etiam interponũt, ut in ληϊστὴς: quia etymologia ex diviſione inter ſyllabas facta, deſideret eam literã. Hic Quintiliani locus præter quæſtioné admonebit græcas diphthongos ᾳ ῃ ῳ valde ridiculas eſſe. Hic enim ληϊστὴς tempore Quintiliani ſcribebatur, quod nunc λῃστὴ, & ſic credito ex αι & ωι factas eſſe ᾳ, & ῳ. ηυ autem & ωυ factæ nõ eſſent, niſi literæ ejuſdem character geminatus eſſet in ε & η, itẽ ο & ω. quia character idẽ antecederet, ſicut idẽ ſequitur. Verũ hodieq; libri gręcæ perantiquę ſcripturę notariorũ in tribus impropriis diphthongis (quæ dicuntur) ᾳ, ῃ, ῳ, barbariſmum coarguũt: qualẽ Baſileę vidi Gregoriũ Theologũ: in quo pro ᾳ, ῃ, ῳ, ſcriptũ eſt αι, ηι, ωι. Sed enim ei diphthongus in latino ſermone Quintiliano non placet: & ſic ab eo antiquitas emendatur, &, meo quidẽ judicio recté. Terentianus item diphthõgos quatuor aſſerit, illam quintam rariorem facit:

Porro diphthongos latini quatuor fixas habent:
Quatuor ideo ſeparavi, quinta quod ſit rarior.

Sed Priſcianus ætate ſua non rariorem, ſed nullam prorſus fuiſſe oſtendit. I quoque (ait Priſcianus) apud antiquos poſt e ponebatur, & ει diphthōgum faciebat, quam pro omni i longa ſcribebant more antiquo græcorum. Deinde paulo poſt: ei, diphthũgo (ait) nũc nõ utimur, ſed loco ejus in græcis nominibus e vel i productas ponimus, & in priore ſequimur Æoles. Illi enim τῷ Δημοδίκῃ dicunt pro Δημοδίκᾳ & ἆκον pro ἄκον, & nos plerumque cum ei, apud græcos pura ſit penultima, in illis maximé fœmininis, quæ per adjectionem aſſumunt α apud Græcos, mutavimus ει in e productam, ut Δηϊόπη, Δηϊοπεία Deiopeia, Καλλιόπη, Καλλιοπεία Callopeia, nam in illis quæ in ia ſolum deſinunt apud Græcos, raro fit hoc: vt Argia, Alexãdria, Nicomedia, Langia, Lampia. Statius in quarto:

——candenſque jugis Lampia nivoſis.

Idem in eodem:

Hoc quoq; ſecreta nutrit Langia ſub umbra.

Item in ſecundo:

—Tunc donis Argia nitet, vlleſq; ſororis
Ornatus ſacro præculta ſupervenit auro.

Raro autem diximus propter Medeam, Plateam, Niceam. Nam quod Virgilius:

—qui tela Tiphoëa temnis,

e correptam protulit, poëticum eſt. illi enim ſolent ex ει diphthongo abjicere i. In latinis autem dictionibus difficile invenies i longam ante vocalem poſitam, niſi genitivis in ius deſinentibus ut illius, ſolius, nullius: (quæ tamen licet corripere in metro) & in verbo, fiam, fias, fiat: quod ipſum quoq; cõtra aliorum ejuſdem conjugationis fit regulam verborum. in maſculinis quoq; ει pura in e longam cõuertitur, ut Ἀχιλλεῖος Achilleius, Ἀλφεῖος Alpheus, Σπονδεῖος Spondeus. non ſine ratione tamen hoc fit, ſed quia i pura penultima ante us vel a vel um per nominativos nõ invenitur pducta in latinis dictionibus, niſi in diſſyllabis & ipſis Græcis. Nam in Græcis ſępe invenimus, ut Chius & Dia, & in vno triſyllabo, quod apud Statiũ legi, ut Lycius. Statius decimo Thebaidos:

Ad patrias ſi quando domos optataq; Pæan,
Templa Lycie dabis tot ditia dona, ſacratis
Poſtibus, & totidem voti memor exige tauros.

In aliis veró, conſonante l ſequente pro ει diphthongo longam i ponimus, ut Νεῖλος Nilus. Ergo hæc erudité Priſcianus de diphthongo ei. Hãc veró diphthongum nos Franci integre proferimus, cum pingere, fingere, peindere, feindere dicimus: ſicut ει & οι cũ minus, punctum, oſtium, puteum dicimus, moindre, poindre, huis, puis, ſi recté ſcriberemus. ut pudor ſit in erudititiſsima lingua barbariſmos fieri, qui in vernacula intolerandi eſſent. Sed tamen diphthongum hanc ει in nulla voce latina adhibendum cenſeo, licet Varro & Nigidius neſcio quid, ſed inconſtanter ſibi ipſi voluerint, neque ſeculo ſuo, nedum poſteritati perſuaſerint. Itaq; Quintilianum, Terentianum, Priſcianum ſequemur, neq; uſquam diphthongum talem vel proferemus, vel ſcribemus. Sed de Varrone iterũ poſtea ad hanc diphthongum in plurali impariſyllabæ primæ agetur. Atq; in hac diphthongo ει ſicut in illa οι, Græca prolatio hodie valde barbara eſt per i utrãq; pronuntiare: præſertim cum affectus omnium gentium & linguarum communes his diphthongis proferantur. Nam cum Dorus ille Terétianus metu territus exclamat hoi, hei, an illius uocem putamus fuiſſe hi hi? Quod ſi méris ſanæ nemo putauerit, cur qđ natura fit, arte credim⁹ fieri non poſſe? Sed hactenus de ſyllaba é vocalibus compoſita, ſequitur miſta é variis generibus: quæ binaria, ternaria, quaternaria, quinaria, ſenaria eſſe poteſt. Terentianus id diſerté declaravit. verſus ejus ita ſunt:

Literas autem receptas ſæpe ternas ſyllabæ,
Nec minus ſæpe & quaternas, porro quinas par cius.

Et paulo poſt:

Nos monemur literarũ ſyllabam ſex poſſe dari,
Græca quom duplex duab. ſolvitur noſtratibus.
Dixerit ſi forté quidam ſcrobis, abunde quod foſſa eſt,
Stirps velut dixit diſertus Gracchus alter Cajus:
Græcus hoc caſu nequibit ſyllabam talem dare,
Nec dabit per ſe ſeorſam, & reſiduam nominis.
Atq; diphthongo coactã promet, & pluraliter.
Namq; declinare græci ſæpe ſic αἰοχεὺς ſolent,
At prior ſi ſeparetur, ſex erunt ſuperſtites:
Ἀρκτικὸν nã cernis eſſe σίγμα primũ et ultimũ:
Alteram diphthongus auxit copulando literã:
Conſonans & udã complent ſyllabam ſenariã.

Priſcianus id brevius. Ab ſingulis (ait libro 2.) literis incipiens, non pluſquam ad ſex literas procedere ſyllaba poteſt in latino ſermone, ut a, ab, ars, Mars, ſtans, ſtirps. Et paulo poſt: Nõ plures tamé quã tres conſonantes antecedere vocalem,

nec

nec rurſus niſi tres conſequi poſſunt. Sed tamen hoc uotandum eſt, quod ſi antecedant tres cõſonantes, nõ poſſunt niſi duę conſequi vocalem, ut monſtraus: nec iterũ ſi conſequantur trea, poſſunt antecedere niſi duæ, ut ſtirpa. Prolixa auté admodum veteris Grámaticæ doctrina eſt de ſyllabis multarũ conſonantiom, quæ cõſonæ poſſunt inchoare ſyllabã, quæ claudere: quæ cõjuugendæ, quę diſjungédæ. Hic Herodiani, Terétiani, Priſciani pmagnũ ſtudiũ uideo fuiſſe: qui in hoc Orthographiæ Grámaticæ doctriná ſitam eſſe crediderunt. Noa hanc ſubtilitaté nequaquam arte tanta dignam, paucis & præceptia & exemplis términavimua, unde cætera facilius intelligerantur. Nam conjunctio couſonatum in principio dictionia ante vocalèm fallere non poteſt, quia neceſſarió ad vocalem aggregatur: in fine poſt vocalem item fallere nó poteſt, quia neceſſarió vocalem ſequitur. Præcipuum itaq; ſtudium hic eſſe debet in medio dictionia conjunctarum conſonarum duarum, aut ſummúm trium, ut jam uoa Priſcianus admonuit. Prima conjunctio binaria eſt, triũ ſemivocalium. S habet ſex anteceſsiones: prima eſt ante ſemivocalem m, de qua ſic Terentianua:

atque udæ quoque
Poſſe preponi ſecundæ, ſic apud Grajos vides.
Σμῦγμα ſi quando, aut σμάραγδον, σμάνιον
vel nominant.

Priſcianus idem confirmat, S quoq; ſequente m ut S m, Smyrma, ſmaragdoa: Nam vitium faciũt qui Z ante m ſcribũt. Nũquam enim duplex in capite ſyllabæ poſita poteſt cum alia jungi conſonante. Lucanua quoq; hoc oſtendit in decimo:

Terga ſedẽt crebro maculas diſtincta ſmaragdo.

Nam ſi eſſet z ante m, ſubtrahi in metro mininié poſſet, nec ſtaret verſua. S enim in metro ſæpe vim conſonantia amittit. Sequitur anteceſsio teliqua ante mutaa quinque t, c, g, b, p. De quatuor autem nempe t, c, b, p, Terentianua ſic ait cum loquitur de s:

Ἀρκτικὸν Græci vocarunt, adſeruntq; exordiis:
Et probant mutis eandem pene cunctis præfici:
Quom σβέσιν dixit quæ dicunt σκῆπτρον &
quando σπάθην
Στίγμα dicunt, σφίγγας, atque σχήματα.

Sb tamen Græca conjunctio eſt: treſq; reliquæ Latinæ. quod idem ait:

Nos tribus mutis eandem poſſumus præponere,
Nulli cum ſic poßit ante ſemivocalis dari.
Scuta namque, ſpatia dico, ſtamina, atque hoc
genus.

Hic agnoſcia præpoſitionem quinariam in σβέσις, σμάραγδος, σῖγμα, ſcutũ, ſpatium. Priſcianus veró etiam de ſq, addidit. Semivocalis nulla præponitur mutis (ait) niſi a ſequente b, ut Aſbeſtus, aſbuſtes: c uel q, ut ſcutum, ſquallor: p ut ſpes, ſphæra: t ut ſtatus, ſthennius. Unam veró conjunctionem mn negat Terentianus in latinæ vocia prima ſyllaba conſiſtere, cum in græca tamen poſsit. ſic autem loquitur de m, quam vocat udam ſeu liquidam ſecundam, & n quam vocat tertiam:

Et ſecunda pene ſolis convenit vocalibus,
Seu loco prior locetur, ſeu jugetur alteri.
Mane quom dicis, uel vmbra, menſis, ambo, &
talia,
Tertiam udam ſibi videtur poſſe ſolam jungere,
Sic tamen non in priore, ſed ſequenti ſyllaba,
Omnis ut dicas, uel amnis: uda quæque quum
ſequi
Alteram non poßit udam, dum ſit una ſyllaba.

Et paulo poſt,

Hanc tamen grecus ſecũdam tertiæ ſic præficit,
Syllaba prima latine quod nequire diximus:
Quãdo μνῆμα loquitur atq; μνᾶσθαι dictitatq; μνεῖα.

Ergo conjunctio mu primam ſyllabam græcæ vocia inchoat, latinæ ſecũdam, & id exempla Priſciani Mneſtheus, amnia, confirmant. Hæc conjunctio noa valde barbaros cum voce, tum ſcriptura imprimia eſſe demonſtrat, qui in omnia, amnia, & ſimilibus, m in priote, n in poſteriore ſyllaba pronuntiamus: ſed eó imprimis, quod ſcribendo m ſæpe tollimua, & antecedenti vocali apice ſuperpoſito cõprehendimus, ut ánis, õnia: itaque inſcitia hæc é voce & ſcriptura tollatur, uel cõpédium ſcripturæ potiua inveniatur pro mn. Conjunctio fr, ut in Afraniua, facilia eſt. Conjunctio ſl in principio ſimplicis frequẽtiſsima eſt, ut ſlvua, ſlatus: in medio, tametſi exemplum non ſuccurrit, deeſſe tamen non arbitror. Secunda conjunctio eſt antecedentium mutarum præter q omnium. T, d, c, g quaternariã anteceſsionem habent in Terentiano & Priſciano ante r, l, m, n. Sed ambo partitione ſua diſſectam hic orationem habent, quam ideo citare non potuimua E conjunctionibua antecedèntia d, præterita eſt á Teréntiano una dl, ut in Abodlaa: & nomé hoc, quod moutia quidã interpretãtur, ſolum

reperimus. talem autem conjunctionem Terentianus improbavit, cum de l ita loquitur:

D cum hac nunquam coibit.

In conjunctione D falſum exemplũ Priſcianus ſibi propoſuit: abdomeo enim (quo utitur) á lacte abdito oominatũ eſt: & ut in abdo, ab & do ſeparatæ ſyllabæ ſunt, ſic in abdomen. Lambda pro eo repoſuimus. tale exemplum eſt de Labda uxore Eetionis. E conjunctionibus ternariis Terentianus triplicem ita tradidit:

Et duas ſimul ligare ſola conſonas poteſt,
Scrindĩ ſtruemve quãdo ſplendidumve dicimus:
Tres tamen nunquam coibunt (uda niſi tertia)
Semivocales.

Terentianus tres cõjunctiones hic tantũ memorat, ſtr, ſcr, ſpr: reliquas á Priſciano ſumpſimus. Tres autem (ait) conſonátes non aliter poſſunt jungi in principio ſyllabæ, niſi ſit prima s vel c vel p: ſecuoda poſt s quidem, c uel t uel p: poſt c autem aut p principales, ſeconda t: tertia l vel r. ſed l in ſolis illis quæ a b s incipiunt. ut Aſclepiodotus, ſcriba, ſtlopus, ſplendidus, ſpretus. In græcis etiá φ ſecunda ponitur, quam nos per ph plerũq; ſcribimus, σφρáγις, uictrix, ſceptrum. Nã poſt p t vel c ſimul junctas l nõ invenitur, ut oſtẽdimus, ipſa ſoni natura prohibeote. Conjunctio etiá illa ſtl, quamvis á Terẽtiano prætermiſſa, tamẽ veteribus fuit. Quid ſtlocum, ſtliteſque? ait Quintilianus libro 1. Quáobrẽ proſodia & orthographia cõiũctarũ cõſonãtiũ hæc eſt, in qbus materies erat illa Simonidi, & Palamedi ꝑpriéꝑpoſita, ut cõjunctarũ cõſonantiũ coniunctos vel etiá in unum cõtractos characteres oſtenderent, ut in ψ, non auté in ξ, ubi confuſio eſt: multo etiá minus in ϛ, ubi diviſio contraria vera eſt: minimé veró in neſcio quibus abbreviationibus quibus præſertim græci libri hodie refertiſsimi ſuot. Eſt enim mera hæc barbaries á notariis & librariis lucri ſtudio ad velocius, nõ ad accuratius ſcribendũ inventa. Verõ has notas abbreviationum & compendiorũ nõ Herodianus, nõ Varro, nõ Ariſtarchus aut Terentianus, noo deniq; ullus veterũ, á quibus illas cõjunctiones didicimus: nõ deniq; veterum ullus iſta abbreviationũ cõpendia propoſuit. Palmã veró iſtá typographis eruditis imprimis propoſitá eſſe cupio, ut ſonorum in latina voce conjunctorũ coojunctos etiam characteres, vel vnica etiam nota, ut eſt græcis ψ, contractos & cõflatos exhibeant. Hãc enim laudem ſingulatem judico, propter quã Simonidẽ quemlibet & Palamedem longiſsimé ſoperaſſe videantor.

Sed de ſyllabæ materia in literis totaqoe forma in literarum compoſitione ſatis, unde præcipua proſodię & Orthographię præcepta jã tenemus magno ſtudio á veterib. exquiſita: unaq; tã bené loquẽdi quám bene ſcribendi ratio cõmmuois agnoſcitur, ſive proferas, ſive ſcribas. Recteq; Ariſtoteles in lib. de interpretatiõe: *ἔστι μὲν τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ.* Eſt igitur vox mentis, ſcriptura vocis interpres: nec á mandati veritate debet aberrare, ot aliud mandetur, aliud explicetur. Scribendi igitor ratio, ait Quintilianus libri primi capite quinto, conjoncta cum loquendo eſt, cujus ars (ait idem lib. 1. capite 13.) non in hoc poſita eſt, ut noverimus quibus qoæque ſyllaba literis cõſtet (Nã id quidem infra Grãmarici officiõ eſt) ſed totá, ut mea fert opinio, ſubtilitaté in dubiis habet. ut longis ſyllabis omnibus apponere apicem ineptiſsimũ eſt, quia plurimæ natura ipſa verbi quod ſcribitur, patẽt: ſed interim neceſſarium, cum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta eſt, facit. ut malus, otrum arborem ſignificet ao hominem non bonom, apice diſtinguitur: palos aliud priore ſyllaba longa, aliud ſequenti ſignificat: & cum eadẽ litera nominativo caſo brevis, ablatiuo longa eſt, utrum ſequamur, plerũque hac nota monendi ſumus. Acuté igitur illud & breviter á Quiotiliano de tota Orthographia, quód cum ipſa loquendi ratiooe conjuncta ſit. Itaque una Etymologiæ doctrina etiam proſodiæ & orthographiæ doctrina eſt: nec ulla omnino logicæ artis lege orthographia Grammaticæ pars effici poteſt. Proſodia literarum dicta primo loco eſt: orthographia eam ipſam ſequitur. ita proſodia ſyllabarum docetur: unde & orthographia ducitur. Itaque hunc ſanguinẽ ſpiritumq; perpetuó Grãmaticæ corpori fuſum videmus, poſteaq; deinceps videbimus. Sed illud etiã Quintilianus de orthographia ibidẽ proponit. Verũ (ait) orthographia quoq; conſuetudini ſervit, ideoq; ſæpe mutata eſt. Nam illa vetuſtiſsima tranſeo tẽpora,

quibus

quib. & pauciores literæ nec ſimiles his noſtris earum formæ fuerunt, & vis quoque diverſa. Fortaſſe veró ſicut ſcribebát, ita loquebantur. Ac rurſus ibidem: Ego niſi quod conſuetudo obtinuerit, ſic ſcribendum quidque judico, quomodo ſonat. Hic enim uſus eſt literarum, ut cuſtodiant voces, & velut depoſitum reddant legentibus. Itaque id exprimere debent, quod dicturi ſumus. Hęc ingenioſé Quintilianus: unde concludo quod ſæpe jam concluſi, Proſodiam & orthographiam partes Grammaticæ non eſſe, ſed eas eſſe fuſas per totam Grammaticam, ſicut adhuc intellectum eſt, & poſtea intelligetur. Syllabæ igitur proſodia ſequitur. de qua magnam video veterum & recentiũ Grammaticorum differentiam. Natura ſyllabarum (ait probus Grammaticus) brevium atque longarum in nominibus cæteriſque orationis partibus per ordinem nulla artis ratione comprehẽdi, ſed ſolà authoritate inveſtigari poteſt. Itaq; Grammaticus idem & ferè veteres Grãmatici omnes, generales longarũ & brevium ſyllabarum leges tradidere, & ſpeciales quaſdam in nominum verborumque incrementis: reliquam cujuſque ſyllabæ & primæ & mediæ infinitam multitudinem cognoſcendis poëtis ediſcendam reliquerunt: ut etiam é poeticis numeris percepta proſodia ad ſermonis proſodiam referretur. Atqui in hac multitudine tam infinita, opus reliqua Grammatica majus á Grammaticis recentioribus eſt conſumptum. Itaque equidem libenter antiquitatem illã, ut logicis legibus illis antea propoſitis congruentem, complector: ſtatuoque iſtam ſyllabarum infinitatem á Grammaticis recẽtioribus collectam non potiùs in præceptis artis ſtatuẽdam, quám de vocum ſingularum ſignificatione & conſtructione collectum á Grammaticis lexicon: cúm tamen hoc non minus quám illud neceſſarium ſit: & in illo lexico ut ſignificatio, ita quęvis quantitas apicibus ſuis cõprehendi poteſt. Ego veró magnam ei gratiam publicé debitam exiſtimabo, qui tantum literarum ſtudiis compendiũ attulerit. Quare volumina hæc ne pueris pro regula artis offerantur, ſed in doctoris intelligentia vel certé bibliotheca recondantur: ut ex his tãquam theſauris promere liceat, quoties opus fuerit. In arte genera artis affinia ſpecieſque ſtatuantur. Quinetiam ut præceptor reliquarum Grammaticæ partium rationem á pueris exigit: ſic, cúm una hora legem carminis é ſuis pedibus expoſuerit, cujuſque ſyllabæ & pedis inde legem poteſt exigere: ac deinde cúm á poëta ad oratorem pervenerit, proſodiæ cauſſam ex authoritate poëtarum repetere. Ergo tales proſodiæ leges inſtituamus. Syllabæ propria eſt affectio quantitas temporis, ſolique & omni & ſemper convenit. Syllaba igitur eſt brevis vel longa. Brevis eſt unius temporis: & ejus modi generales quatuor ſunt. De brevitate vocalis ante m, & quod, ne in verſu quidem, olim elideretur, ut nunc perpetuó jam patuit ex Ennio,

Inſignita ferè tum millia militum octo.

& Lucretio,

Corporum augebit numerum, ſummamque ſequetur.

ut inde breuitas ſyllabæ cognoſcatur. m veró finali, quamcumque vocalem præcedentem corripi, Nebriſſenſis author eſt. Longa duorum temporum eſt. Atqui ſingulæ vocales lõgæ, duo tempora poſſident, brevis unicum, conſona dimidium unius. Sed hac de re Terentianum audiamus,

Namq; ſi momenta quæ ſint literarũ examines,
Conſonantes aut quas neceſſe eſt conſonantes effici:
Tempus unũ jam tenemus eſſe correptis datum:
Bina productas habere nec minus compertũ eſt,
Tempus autem conſonantes dividunt unum duæ,
Inde quæ duplex habetur, tẽpus integrũ dabit.
Ergo correptæ jugatur una quando conſonans,
Sive vocalis referri quæ poteſt in conſonam,
Seſcuplũ tẽpus neceſſe eſt cedere iſtam ſyllabã,
Quæ duplex habere poſſet ab duabus conſonis.
Ac per hoc producta per ſe quæ duorum temporum eſt,
Conſonæ quam ſubjugatur vel relatæ in cõſonã,
Tẽporis parte atq; duplo ſit neceſſe eſt prædita:

Idem veró Priſcianus & brevius & ſubtilius. Accidit veró (ait) ſyllabæ tempus unum vel dũo, vel etiã ut quibuſdã placet unũ ſemis & duo ſemis & tria. unũ, ſi vocalis eſt brevis per ſe, ut amo, vel ſi eã una conſonans ſimplex conſequitur: unũ ſemis, in cõmunibus ſyllabis, de quib. multi docuerunt, ut lachrymæ. Lõgæ ſyllabę genera duo ſunt: alterũ natura, alterũ poſitione. In longis natura vel poſitione,

(ait idem) doo ſunt tempora, ut, dos, ars: duo & ſemis, quando poſt vocalem natura longam ona ſequitur conſonans, ut ſol: tria, quando poſt vocalem naturâ lõgam, duæ conſonantes ſequuntor, vel una duplex, ot mons, rex. Tameo in metro neceſſe eſt unamquamque ſyllabam vel unius vel duorum accipi temporum. Longæ veró natura ſyllabæ quatuor generales modi ſunt: primus diphthongi, ſecundus vocalium finaliom i & o, tertius cujuslibet vocalis ante finales n & c, quartus a, e, o ante finalem s. Multæ præterea longæ quidem natura ſunt & primarum & mediarum, ſed quarum nulla ars effici poſſe videatur: ac ſi quæ anomaliæ hic ſint, ſpeciales ſunt, & ſpecialibos locis notabuotur. Quod autem u inter s, q. g, & aliam vocalem liqueſcat, præceptum eſt Priſciani. U autem (ait primó libro) quamvis contractum, eundẽ tamen ſonum, hoc eſt y, habet inter q & e, vel i vel æ diphthõgum poſitum: ut que, quis, quæ: nec uon inter g & eaſdem vocales, cum in ona ſyllaba ſic inuenitur: ut pingue, ſanguis, linguæ. Et rurſus eodem libro, Eſt (ait) quando amittit u vim tá vocalis quám conſonantia, ut cúm inter q & aliam vocalem pouitur, ſicut jam commemoravimus, ut, quiſquam. Hoc idem plerumque patitur etiam inter g & aliquam vocalem, ut ſanguis, lingua. S quoque antecedente u, & ſequente a vel e, hoc idem ſæpe fit, ut ſuadeo, ſuavis, ſueſco, ſuetus. Hæc Priſcianus, quod quinta vocalis liqueſcat, & quod ſouum ſextæ vocalis habeat, qood antea quoque ad ſonum quintę vocalia appellavimus: Lõga poſitionę accipit unum tempus á vocali, reliquom á duabus conſonis vel diſtinctis, vel una duplici comprehenſis. duplices dictæ ſunt X & Z. At J inter duas vocales, ut propoſui, duplex eſt, ſi noo cõſonis, certé tempore, quod Tereutianus ita teſtatur,

J media quom locatur hinc & hinc vocalium,
Troja ſive Maja dicas, pejor, aut jejunium,
Nominum primas videmus eſſe vocales breves:
J tamen ſola ſequente, duplum habere temporis.
Ergo vel loco duarum conſonantium fungitur:
Vel gemella ſi locanda eſt, vt videtur pluribus.
Bis tibi vocalis eadem præbet uſum conſonæ,
Ante vocalem ſequendo cum priore ſyllaba:
Prædita & mox inſequenti, jure quo fit conſonans,

* *Hoc in his tantum invenimus nominum vocalibus.*

Priſcianus idem etiá copioſé propoſoit: Et J quidem modo pro ſimplici, modo pro duplici accipitur cõſonante: pro ſimplici, quádo ab eo incipit ſyllaba in principio dictionis poſita, ſubſeqoente vocali in eadem ſyllaba, ut Juno, Jupiter: pro duplici autem, quando in medio dictionis ab eo incipit ſyllaba poſt vocalem ante ſe poſitam, ſubſequente quoq; vocali in eadem ſyllaba, ut majus, pejus, ejus. in quo loco antiqui ſolebant geminare eádem j literam, & majjus, pejjus, ejjus ſcribere, quod non aliter pronútiari poſſet, quám ſi cum ſuperiore ſyllaba prior j, cú ſequente altera proferretur, ut pej jus, ej jus, maj jus. & doo jj pro duabus conſonantibus accipiebant. Nam quamvis j ſit conſonans, in eadem ſyllaba geminata jungi non poſſet. Ergo non aliter quám tellus, mannus proferri debuit, unde Põpejji quoque genitivum per tria i antiqui ſcribebant? quorum duo ſuperiora, loco coonſonantium accipiebant, ut ſi dicas Pompejji: nam tribus iii conjunctis, qualis poſſet ſyllaba pronuntiari? Nam poſtremum i, pro vocali eſt accipiẽdum, quod Cæſari doctiſsimo artis Grammaticæ placitum fuiſſe á Victore quoque in arte Grammatica de ſyllabis comprobatur. Pro ſimplici quoque in media dictione invenitur, ſed in compoſitis, ut injuria, adjungo, ejectus, rejice. Virgil. in Bucolicis:

Tityre paſcentes à flumine rejicere capellas.

Proceleuſmaticum poſuit pro dactylo. Quintilianus etiam de geminata j conſona idem tradidit. Sciat etiam (ait 1. libr.) Ciceroni placuiſſe, aj jo, Majjaqoe, geminata j, ſcribere. Videtur autem in Cajua prima ideo produci, quia j media ſit duplex, & ex diſſyllabo, licentia poética, fieri diviſio in triſyllabom. Is igitur veterũ de j geminata uſus ſuit. poſtea veró figura geminari deſiit: geminatio tamen temporis eſt retenta. Ut autem antea in ſyllaba brevi exceptio fuit de o finali: ſic in ſyllaba longa poſitione exceptio eſt de liquidis r & l. ubi item Grammatici ex ſpeciali anomalia analogiam generalem fecerant. Poëtæ aliqoando etiam m & n liquidas efficiunt, ot Priſcianus docet: ſed in m Græco tantum exemplo utitor. ſic autem hac de re loquitur: Sunt ſimiliter in coo-

in conſonantibus ancipites vel liquidæ, ut r & l, quæ modó longam, modó brevem poſt mutas poſitæ in eadem ſyllaba faciunt ſyllabam. His quidā addunt non irrationabiliter m & n, quia ipſæ quoq; communes faciunt ſyllabas, poſt mutas poſitæ, quod diverſorum confirmatur authoritate tam Græcorum quám Latinorū. Ovidius in decimo Metamorphoſeos:

—— Piſcoſamque Gnidon, gravidamque Amathunta metallis.

Euripidis in Phœniſsis:

Ἰοὶ τυχέτασι καρδίαν ἀνύχετον.

In eiſdem:

Ἀπωλόμεσθα δύο κακῷ αἰνίγματι τέκνοιν.

Apud Græcos invenitur tamen m ante n poſita, nec producens ante ſe vocalem more mutarum. Callimachus:

Τὸν μὲν ὁ Μνησάρχειος ἐφη ξένον ἀλλάσσειν αὐτῶν.

Alii Grammatici exempla proferunt Latina ex Horatio de m & n:

Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ dominum Tecmeſſæ.

Item:

Donatura cygni, ſi lubeat ſonum.

Exempla hæc rariora ſunt, unde lex effici catholica non poſsit, & potius notanda quám imitanda. S etiam veteribus liquida fuit, ut patet ex illo Ennii verſu, quem Varro 6. de lingua latina citavit:

Subulo finitimas propter aſtabat aquas.

Quare de quinque liquidis, tres olim s, m, n, liquorem ſuum tenuerunt: poſtea r & l tantum in hoc numero remanſerunt. In quibus tamen providendū eſt, ut ambæ conſonantes ſint ejuſdem ſyllabę, ſecus enim liquidę non eſſent, ut in obruo, ablego. Sed quæ de ſyllaba longa & brevi diſeruntur, ea feré ſunt intelligentiæ & mentis, non prolationis & linguæ. A Romanis enim quantitas cujuſvis ſyllabę proferebatur. Varro de lingua cum docet pluit & luit præſenti & præterito differre, In præteritis (ait) u dicimus lōgum, plūit, lūit: in præſenti breve, lŭit, plŭit. Ideoque in venditionis lege fundi ruta cęſa ita dicimus, ut u producamus. Hæc Varro. At iſtam differentiam vox noſtra nullam facit. Quin Grammatici pluit & luit præterita, quia vocalis eſt ante vocalem, prima corripiant: in quo tamen errare eos, non Varronem falſum ſcripſiſſe judico. Nero (ait Suetonius) Claudium morari inter homines deſiiſſe, producta prima ſyllaba jocabatur. at ut nunc pronuntiamus, nihil iſte jocus percipitur: cū morari á moror, & morari ἀπὸ τοῦ μωραίνειν deliré & fatué agendo, ſimili modo proferamus. Hiſtrio (ait in paradoxis Cicero) ſi paulo ſe movit extra numerum, aut ſi verſus pronūtiatus eſt, ſyllaba brevior aut longior, exibilatur & exploditur. Itaque rudis olim & imperita plebs longas & breves ſentiebat & ſonabat, quas nemo, vel eruditiſsimus, hodie ſentit aut enuntiat.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER IIII. DE accentu & notatione.

Ergo adhuc partes vocis in ſyllabis ſyllabarúmq; literis dictę ſūto. vocis affectio duplex eſt, accentus & notatio. Accētus vero antiquis fuit modulatio quædā vocis ex elatione & depreſsiōne: arſin hanc Gręci vocarunt, alteram contrá, theſin (ait Terentianus) ſed Priſcianus idem copioſius in libro de accentu, Ad hanc tē (ait) arſis & theſis neceſſariæ ſunt: nam in unaquaque parte orationis, arſis & theſis ſunt non in ordine ſyllabarum, ſed in pronuntiatione, velut in hac parte natura: ut cúm dico natu, elevatur vox, & eſt arſis in tu: quando veró ta, deprimitur vox, & eſt theſis de tu: quantum ſuſpenditur per arſin, tantum deprimitur per theſin. Sed ipſa vox quę per dictiones formatur, donec accentus perficiatur, in arſin deputatur: quæ autem poſt accentum ſequitur, in theſin. his anté prælibatis, nunc de conſequentia hujus libri videamus. Hæc Priſcianus de accētu, qui veteribus triplex fuit. Mira eſt (ait in Orator. Cic.) quædam natura vocis, cujus quidem é tribus omnino ſonis, inflexo, acuto, gravi tanta ſit & tam ſuavis varietas perfecta in cantibus. De triplici accentu ita Quintilianus, lib. 1. cap. 5. Adhuc difficilior obſervatio eſt per tenores, quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi, ut videlicet declinato á Græcis verbo, qui τόνους dicunt, vel accentus, quas Gręci προσῳδίας vocant, cúm acuta & gravis alia pro alia ponitur,

ponitur, ut in hoc Cámillus, ſi acuitur prima: aut gravis pro flexa, ut Céthegus, & hic prima ácuta: nam ſic media mutatur. aut flexa pro gravi, ut apice circunducta ſequente quam ex duabus ſyllsbis in unam cogentes & deinde flectentes, dupliciter peccant, ſed id ſæpiús in græcis nominibus accidit, ut Ατρεῦς, quem nobis juvenibus doctiſsimi ſenes acuta prima dicere ſolebant, ut neceſſarió ſecũda gravis eſſet: item Τερεῦ Νηρεῦque. Hæc de accénribua tradita. Triplex igitur veteribus acceotus fuit, acutus, gravis, circunflexus. Ad iſtam veró ſonorum varietaté & ſuaviratem aures jampridem obſurduerunt, cúm Sergius Grámaticus ita in Donatum ſcribat: Sciendum eſt, quod in uſu non eſt hodiemo gravia accentus. Hæc Grámaricus ille, quem ut antiqulorem Priſcianus citat: uode concludo cúm gravis accentus perierit, flexum quoque ex eo compoſitum periiſſe. Cur autem acutus potiús quám gravis remanſerit, cauſſa valde naturalis eſt: acutus enim naturális eſt in omni voce, ut docet in Oratore Cicero his verbis: Natura (ait) quaſi modularetur bominum orationem, in omoi verbo poſuit acutam vocem, nec ona plus, nec á poſtrema ſyllaba citra tertiam, quo magis naturam ducem ad aurium voluptate ſequatur induſtria. Quo ex loco intelligimus minús eſſe mitum, ſi accentus acutus ſolua relictus ſit, qui etiam veteribos perpetoos fuerit, aut né relictus quidem ſit: nec enim videtur in noſtra voce accentus ullus eſſe, ſed mora tantúm tẽporis & pauſa. Apoſtrophua autem gręcis eſt, at Latinis eſſe, Grammaticorũ, quod ſciam, nemo prodidit. Tullius in Oratore de biaru vocalium præcipiens, ait cõcurſum illum ſic io Romana lingua evitari, nemo ut tam ruſticus ſit, quin vocales nolit cónjungete: & poetæ apoſtrophum vocalis & m ſemivocalia retinẽt. S aliquando etiam tollebatur in verſu, ut conſtat Ennii illo verſu:

Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur.

Utrũ veró in proſa factũ ſit idẽ, Quintiliani locus ille de m, quę non eximitur, ſed obſcuratur, indicio eſt non tolli, & ſi fuiſſet Larinis apoſtrophus, Grámatici nequaquam viderétur taciturì fuiſſe. Quantitas ſyllabatum nolla admodũ á nobis percipitur, ut dixi, nullus item accentus verus intelligitur per utrumque: ut tamen ſyllabarum quantitatem ſic accentum appellemus, & ſi lubet, hic acutũ nominemus. Hunc igitur accentum quem ſolum ſentimus, ſolom eriam informamus, reliquos tamen ad intelligenriam vetuſtatis, conſervandos cẽſemus: & valde laudaremus, ſi quis illius antiqoitatia ſenſum poſſet revocare, ſenſum dico verum, non commentitium ſomnium. Cõmutari veró accentus acutus loco poteſt, ijſdem de cauſsis quibos veterum accentus mutabantur, merri, interrogationis, diſtinctionis graria. hæc enim tria Quintilianus notavit. Qoa de re lib. 1. Cæterũ (ait) jam ſcio quoſdam eruditos, nonnullos etiam Grammaticos ſic docete ac loqui, ut propter quædam vocum diſcrimina verbum interim acuto ſono finiant, ut io illis,

—— *Qgæ circum-ˏlittora, circum piſcoſos ſcopulos,*

Ne ſi gravem poſuerint ſecundam, circus dici videatur, non circuitus. Item quantũ quale, interrogantes, gravi, comparátes acuto tenore concludunt, quod tamen in adverbiis feré ſolis ac pronominibus viodicant, in cæreris veterem legem ſequuntur, mihi videtur conditionem mutare, quod bis locis verba conjungimus: nam cúm dico *Circum littora* tanquam unum enuntio diſsimulata diſtinctione: Itaque tanquam in una voce una eſt acuta, qood idem accidit in illo,

—— *Trojæ qui primus ab-ˏoris.*

Evenit ut metri quoque conditio mutet accentum: ut,

—— *Pecudes pictæ'que volúcres.*

Nam volucres media acuta legam: qoia & ſi natura brevis, tamen poſitione longa eſt, ne faciat iambum, quem non recipit verſus heroicus: Sepatata veró hæc á præcepto noſtro non recedent, aut ſi conſuetudo vicerit, uetus lex ſermonis abolebitur. Quod autem metri neceſsitate mutari accentum Quintilianus ait. Sergios etiam confirmat, ſed obſcuriús, Sæpe (ait in Donatum) accẽtuũ diſsipat legem uel diſtinctio, uelut cúm debet dici ſub byphen malé-ˏſanus, malé quis diſtinguendo dicat ſeparãs malé ſanus, uel pronuntiaodo, ut cúm dicere debeamus látebras, legendo uerſum quis dicat,

Impulerat ferro argolicas fedare latébras.

acuté producens. Atque hic & Quintiliani & Sargii locus iodicat aliam uerſus, a-

liam proſæ pronuntiationem eſſe, ut pronũtiatio verſus imitari debeat ipſum poëmatis numerum, & carminis prolatio ſit carmen, & cantus. Grammatici hic adhibent conciſionem de qua ſuo loco in declinatione ſecunda pariſyllaba: item tranſpoſitionẽ quæ diſtinctio eſt, & compoſitionẽ é Ciceronis loco, indoctna prima brevi, inſanus prima lõga, ſed ipſis & nobis prorſus ignoto. Quintilianus notationis partes compoſitionem & flexionem ſeparatim tractavit. Simplices voces sit Quintilianus 1. lib. prima poſitione, id eſt natura ſna conſtant: compoſitæ, aut præpoſitionibus ſubjunguntur, ut innocens interdum repugnãtibus inter ſe duabus, quale eſt imperterritus: alioqui poſſunt aliquãdo continuari duæ, ut in compoſitus, recõditus, & quo Cicero utitur ſubabſurdum, aut é duobus quaſi corporib. coaleſcunt, ut maleficus. Nam ex tribus noſtræ utiq; linguę non cõceſſerim, quãvis capſis Cicero dicat compoſitum eſſe ex cape ſi vis: & inveniantur qui Lupercalia æqué tres partes orationis eſſe contendant, quaſi luere per caprum: nam Solitaurilia jam perſuaſum eſt eſſe ex ſue, ove & tauro: & ſané ita ſe habet ſacrum, quale apud Homerũ quoq; eſt. ſed hæc non tam ex tribus, quã ex particulis triũ coëunt. Cæterùm etiam ex præpoſitione & duobus vocabulis duré videtur ſtruxiſſe Pacuvius, —— Nerei

Repandiroſtrum incurvicervicum pecus.

Junguntur autem aut ex duobus Latinis integris, ut ſuperfui, ſubterfugi (quanquã ex integris an cõpoſita ſint quæritur) aut ex integro & corrupto, ut malevolus: aut ex corrupto & integro ut noctivagus: aut ex duobus corruptis, ut pediſſequus: aut ex noſtro & peregrino, ut biclinium: aut contrá, ut epitogium, & Anticato, aut ex duobus peregrinis, ut epirhedium: nam cùm ſit præpoſitio *ἐπὶ* græca, rheda gallicum, nec Græcus tamen nec Gallus utitur cõpoſito, Romani ſuũ ex alieno utroque fecerunt. Frequenter aũt præpoſitiones quoq; copulatio iſta corrumpit, inde abſtulit, aufugit amiſit: cũ præpoſitio ſit, ab, ſola, & coit, cũ ſit præpoſitio con: ſic ignavi & erepti, & ſimilia. Sed res tota magis Græcos decet, nobis minùs ſuccedit, nec id fieri natura puto, ſed alienis favemus, ideóq; cùm *κυρταύχενα* mirati ſumus, incurvicervicum vix riſu defendimus. Hæc igitur Quintilianus de compoſitionis figura, unde tamen nullum catholicũ præceptũ colligi poteſt. Itaque in arte præceptũ hac de re nõ habemus. Habemus aũt é Quintiliano illud ꝙ compoſitio mutet ſyllabarum diviſionem. Sic enim hac de re Quintilianus lib 1. cap. 7. ut & antea iã citavimus. Eſt etiam in dividẽdis verbis obſervatio mediã literã conſonantẽ priori an ſyllabæ adjũgas. Aruſpex enim quia pars eius poſterior á ſpectãdo eſt, S literã tertiæ dabit. Abſtemius, quia ex abſtinẽtia temeti compoſita vox eſt primæ t relinquetur. Quod veró cõpoſitio mutet ſyllabę quãtitatem, literas etiã literarũq; ordinẽ, Grãmatici vulgó docent. Pleraq; veró nomina ſic cõponi ut omnipotẽs: Priſcianus primo libro copioſé docet his verbis Sciendũ tñ eſt (ait) quod pleraq; nomina, quæ cum verbis ſiue participiis componuntur, vel nominativi mutant extremam ſyllabã in i correptã, ut arma armipotens, homo homicida cornu corniger, ſtella ſtelliger, arcus arcitenens, fatum fatidicus, aurũ aurifex, cauſſa cauſidicus, luctus luctificus, cornu cornicen, tuba tubicen, fidia fidicẽ, fides plurale, cujus ſingulare fidis eſt, unde etiã diminutivum fidicula: tibia tibicẽ, pro tibiicẽ: tibia enim a in i debuit mutare, ut ſupra dictũ eſt, unde pro duab. ii brevibus, una lõga facta eſt, ꝙ in alia hujuſcemodi cõpoſitiõe nõ invenies: vulnus vulnificus, magnus magnificus, amplus amplificus, fructus fructificus, opus opifex: vel genitivi, ut vir viri viripotens, par paris parricida, ꝙ vel á pari cõponitur, vel ut alii dicunt, á patre. Ergo ſi eſt á pari, r euphoniæ cauſſa additur, ſin á patre, t in r convertitur: quibuſdã tamẽ á parente videtur eſſe cõpoſitũ, & pro parenticida, per ſyncopen & cõmutationẽ t in r, factũ parricida: frater fratris fratricida, ſoror ſororis ſororicida, lux quoq; lucis lucifer, flos floris florifer, ſacer ſacri ſacrificus, ars artis artifex: pauca ſunt quæ hanc non ſeruãt regulã, ut auceps aves capiẽs, mẽceps mẽte captus, municeps munera capiẽs, auctus, auguſtus, & ſimilia: & quę ex duob. nominativis cõponũtur, ut puta juſjurãdũ, Reſpu. nõ mutãt extremã ſyllabã, ſed ea cũ de figuris dicemus, lati tractabimus. Ergo hęc de cõpoſitiõe Priſcianus: notatio Ciceroni in Partitionib. inflexio eſt, vulgó derivatio appellatur. Etymologia eſt Varroni in ſex primis lib. de lin-

de lingua: Quintiliano eodem nomine primo libro, de qua etiam prolixiús agit: magis tamen ut authores rei nugatoriæ derideat, quám ut præceptũ ponat. Quin ipſe nil hic artis eſſe profitetur, locum totum quamvis prolixum, tamen ſubjiciemus, nec hic magis odioſum fore, quám illic arbitramur. Etymologia (ait) quę verborum originem inquirit, á Cicerone dicta eſt notatio, quia nomen ejus apud Ariſtotelẽ invenitur σύμβολον, quod eſt nota: nam verbum é verbo ductum, id eſt veriloquiũ, ipſe Cicero qui finxit, reformidat. Sunt qui uim potiús intuiti, originationem vocent. Hæc habet aliquando uſum neceſſarium, quoties interpretatione res de qua quæritur, eget, ut cúm Marcus Cœlium eſſe hominẽ frugi vult probare, non quia abſtinens, (nã id ne mentiri quidem poterat) ſed quia utilis multis, id eſt fructuoſus, unde ſit dicta frugalitas, ideoque in definitionibus aſsignatur Etymologię locus: nõnunquá etiá barbara ab emẽdatis conatur diſcernere, ut cũ Triquetrã dici Siciliã, an Triquedrã, meridiẽ an medidiẽ oporteat, quęritur, aliaque quæ conſuetudini ſerviunt. Cõtinet aũt in ſe multã eruditionẽ, ſive illa ex gręcis orta tractemus, quæ ſunt plurima, præcipueque Æolica ratione (cui eſt ſermo noſter ſimillimus) declinata: ſive ex hiſtoriarum veterum notitia, nomina hominũ locorum, gentium, urbium requiramus, unde Bruti, Publicolæ, Pici: cur Latium, Italia, Beneventum, quæ Capitolium Collem Quirinalem & Argiletum appellandi ratio. Jam illa minora in quibus maximé ſtudioſi ejus rei fatigantur, qui verba paulúm declinata varié & multipliciter ad veritatem reducunt, aut correptis, aut porrectis, aut adjectis, aut detractis, aut permutatis literis ſyllabiſve. Inde pravia ingeniis ad fœdiſsima uſque ludibria dilabuntur, ſitne Conſul á conſulendo, an á judicãdo: nam & conſulere veteres appellaverunt, unde adhuc remanet illud, Rogat boni conſulas, id eſt bonum judices. Senatui nomen dederit ætas. Nam iidem Patres ſunt & Rex, Rector & alia plurima indubitata. Nec abnuerim tegulæ regulæque & ſimilium his rationem. Jam ſit & claſsis á calando, & lepus levipes, & vulpes volipes, etiámne á contrariis aliqua ſinemus trahi? ut lucus quia umbra opacus parum luceat? & ludus, quia ſit longiſsimé á luſu? & dis quia minimé dives etiámne hominem appellari quia ſit humo natus? Quaſi veró non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales anté nomẽ impoſuerint terræ quám ſibi: & verba ab aëre verberato? Pergamus, ſic perveniemus euſque ut ſtella luminis ſtilla credatur, cujus etymologiæ authorem clarum ſané in literis nominari ea parte quá á me reprehenditur, inhumanum eſt. Qui veró talia libris complexi ſunt, nomina ſua ipſi inſcripſerunt, ingenioſeque ſibi viſus eſt Cajus Granius Cælibes dicere veluti cælites, quód onere graviſsimo vacẽt, idque græco argumento. ἠΐθεοι enim eadem de cauſſa dici affirmat: nec ei cedit Modeſtus inventione. Nam quia Cælo Saturnus genitalia abſciderit, hoc nomine appellatos, qui uxore careant: at L. Aelius pituitam quia petat vitam, ſed cui non poſt Varronem ſit venia, qui agrũ, quod in eo agatur aliquid, & graculos quia gregatim volent, dictos, Ciceroni perſuadere voluit, cúm alterum ex græco ſit manifeſtum duci, alterum ex vocibus avium? Sed huic tãti fuit vertere, ut merula, quia ſola volat, quaſi mera volans nominaretur. Quidam non dubitaverunt Etymologiæ ſubjicere omnẽ nominis cauſſam, ut ex habitu quemadmodum dixi Longos & Rufos, ex ſono ſtrepere, murmurare etiam derivata, ut á velocitate dicitur velox, & compoſita pleraque his ſimilia, quæ ſine dubio aliunde originem ducũt, ſed arte non egent, cujus in hoc opere non eſt uſus, niſi in dubiis. Hæc igitur Quintilianus de ſtudio veterum his in rebus immodico, unde Grammaticos veteres atque imprimis Varronem ipſum in his ineptiis irriſum agnoſcimus, ut pluribus diſſerendum non exiſtimem, quamobrem talem ματαιοτεχνίαν omiſerim. Atque in notatione flexionis non tantum quid flexum, aut non flexum ſit, inquirendum Varro cenſuit, ſed quid flecti poſſit, aut non flecti vel in eandem ſpeciem vel in diverſam. Sic Ariſtoteles σύστοιχα καὶ πτώσεις cognata & caſus generaliter accepit: Aliquando cognata videtur dicere ſolam declinationem nominum inter ſe, ut juſtus juſtitia, & fortis fortitudo: caſus autem adverbia inde facta juſté & fortiter. At Topico ſecundo, etiam caſus illos adverbiorum cognata dicit. Δοκεῖ δὲ καὶ τὰ

κατὰ τὰς πτώσεις σύστοιχα εἶναι, οἷον τὸ μὲν δικαίως τῇ δικαιοσύνῃ, τὸ δὲ ἀνδρείως τῇ ἀνδρείᾳ· σύστοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ἅπαντα, οἷον δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως. Videntur autem & caſus cognata eſſe, ut juſté, juſtitiæ: fortiter fortitudioi. Cognata veró dicuntur quæ ſecundum eandem cognationem ſunt omnia, ut juſtitia, juſtus, juſtum juſté. Idem Varro profitetur, qui ſic libro de Lingua ſeptimo loquitur: Duo genera ſunt verborum (ait) unum fœcundũ, alterũ ſterile: fœcundum q. multas parit ex ſe diſpariles formas, ut eſt lego, legis, legam, & ſimilia: alterũ genus eſt ſterile, quod ex ſe parit nihil, ut eſt etiam, vix, magis, cras, cur. Id inquam Varro loquitur: de cras tamẽ craſtinus flectitur: hanc generalem flexionis & derivationis rationem aliis etiam locis ſequitur. ſic enim libro nono loquitur: Declinatio eſt cúm ex verbo in verbum, aut ex verbi diſcrimine tranſeat mens, vocis cõmutatio fit aliqua. Item libro quinto: De clinationum genera ſunt quatuor. unum nominandi, ut ab equo equile: alterum caſuale, ut ab equo equum: tertium augendi, ut ab albo albius: quartum minuẽdi, ut á ciſta ciſtula: ſic aliás declinatus vocum, declinatus verborũ, declinatus ſpecies vocat. Ergo Varronis declinatio & declinatus, eſt Ariſtotelis συστοιχία καὶ πτῶσις. Sed tamen hanc flexibilitatis varietatem quo uox flecti poſsit, in arte non adhibemus, quia ſpecies declinationum & cõiugationum id poſtea ſpeciatim declarabunt. & nomine ſpeciei modó ſola declinatio intelligitur. Sed enim á Varrone flexionum in uocibus commoditates & utilitates audiendę: pleriq; enim omnes uſu diſcimus has artes: cauſas ueró ne requirimus quidem, tantum abeſt ut intelligamus. Sic igitur Varro libro 7. de Lingua philoſophatur: Declinatio (ait) inducta in ſermones non ſolúm latinos, ſed omnium hominũ utili & neceſſaria de cauſſa: niſi enim eſſet factum, neque diſcere tantum numerum verborum poſſemus. Infinitæ enim ſunt naturæ in quas ea declinantur, neque quæ didiciſſemus ex his quæ inter ſe rerũ cognatio eſſet: at nunc ideo videmus quód ſimile eſt quod propagatum legi, ut declinatum eſt a lego, duo ſimul apparent quodammodo eadem dici, & non eodem tẽpore factum: ut ſi, verbi gratia, alterũ horum diceretur Priamus, alterum Hecuba, nullam unitatem adſignificatet, quæ apparet in lego & legi, & in Priamus & Priami, ut in hominibus quædam ſunt cognationes & gentilitates, ſic in verbis: ut enim ab Æmilio homines orti, Æmilii & gentiles, ſic ab Aemilii nomine declinatæ voces in gentilitate nominali: ab eo enim quod eſt impoſitum recto caſu Aemilius, orta Aemilii, Aemilium, Aemilios, Aemiliorum, & ſic reliqua ejuſdem quæ ſunt ſtirpis. Hæ ſunt igitur utilitates declinationum: ſed tamen quoniam initio é logica philoſophiæ ſanctione & regula ſtatuimus certam eſſe Grammaticæ materiam, quam conceſſu omnium & permiſſu aſſumeret, & aſſumptæ genera, differentias, ſpecies, proprietates expenderet, eſt operæpretium ad flexionum materiam Coſconii illius quem appellat Varro, deinde Varronis ipſius hac in re incredibilem quandam diligẽtiam ſolertiamque intueri. Coſconius Latinę linguæ verba primigenia mille collegerat. Varro inde ratiocinando colligit quingenta verborum millia declinationibus fieri poſſe, æmulatus admirabilem illam Democriti philoſophiam ex infinitis atomis naturas rerum conſtituentis: imó veró, (ut ſané videri voluit) ſupra philoſophiam illam progreſſus. Locus Varronis eſt libro de lingua quinto, cúm quærendum ſibi propoſuiſſet, quanta multitudo eſſet latinorum verborum: Cúm verborum (ait) declinantium, genera ſunt quatuor: unum quod tempora adſignificat, neque habet caſus, ut ab lego legis: alterum quod caſus habet, neque tempora adſignificat, ut ab lego, lectio & lector: tertium quod habet utrumque & tempora & caſus, ut ab lego, legens, lecturus: quartum quod neutrum habet, ut ab lego, lecté, lectiſsimé: horum verborum, ſi primigenia ſunt ad mille, ut Coſconius ſcribit, ex eorum declinationibus verborum diſcrimina quingentà millia eſſe poſſunt: ideo quia ſiuguleis verbeis primigeniis circiter quingentæ ſpecies declinationibus fiunt. Primigenia dicuntur verba ut lego, ſcribo, ſto, ſedeo, & cætera quæ non ſunt ab aliquo verbo, ſed ſuas habent radices. Contrá verba declinata ſunt quæ ab aliquo oriũtur, ut ab lego, legis, legit, legam, & ſic itidem hinc permulta. Quare, ſi quis primi-

geniorum verborum origines oſtenderit, ſi ea mille ſunt, quingentum millium ſimplicium verborum cauſſas aperuit uná. In nulleis tamen qui ab heis reliqua orta oſtenderit, ſatis dixerit de origine verborum, cúm unde natà ſint principio erant pauca, quæ inde nata ſunt innumerabilia. A quibus iiſdem principiis antepoſiteis prævebiis paucis, immanis verborum accedit numerus, quod præverbiis additeis aque commutateis, aliud atque aliud fit: ut enim ceſsit atque receſsit, ſic acceſsit, & ſeceſsit: item inceſsit & exceſsit, ſic ſucceſsit & deceſsit & conceſsit & præceſsit. Quod ſi hæc decem ſolúm prę verbia eſſent, quoniam ab uno verbo declinatione quingenta diſcrimina fierent, heis decemplicateis conjuncto prę verbio ex uno quinque millia numero efficerent, ex mille ad quingenta millia diſcrimina fieri poſſunt. Democritus, ſecuti & item alii, qni infinita principia dixerunt, quæ unde ſint non dicunt, ſed cujuſmodi ſint. Faciunt tamen magnum quód quæ ex heis conſtant in mũdo, oſtendunt. Quare, ſi Etymologia, principia verborum poſtulet mille, de quibus ratio ab ſe non poſcatur, & reliqua oſtendat quod non poſtulat, tamen immanem verborum expediet numerú. Hæc Varronis eſt de multitudine verborum latinorum, id eſt de materia grammaticæ flexionis admirabilis ſané próponſirio. Uſus flexionum magnus eſt (ait illa priore propoſitione Varro) quia ex uno verbo multa nobis verba ſuppeditant. Quótnam igitur inquies? quingenta, reſpodet ſecunda propoſitio, tanta fœcunditas qnippe eſt flexionum. Sententia porro hæc, ut pleriſqne incredibilis, ita mihi ſané mirabilis, attamen vera videatur, licet veritatis hujns cauſſam reddere nequeã. Varro doctiſsimus uſquequaque pro tantis opibus doctiſsimorum hominum ſtudiis adjutus facilé potuit in latina lingua & primigeniarum & declinatarum vocum numerum habere: nobis autem peregrinis perdifficile ſit, præſertim cúm linguæ latinæ popnlus nullus ſit, cúm linguæ latinæ voces tantúm communes, neque tamen omnes reliquæ nobis ſint: agriculturæ, architecturæ, picturæ, nauticæ & cujuſvis artis, ſicut aliorum rerum propria vocabula innumerabilia perierint, cúm denique nõ latinam linguam, ſed latinæ linguæ reliquias intermortuas tantúm teneamus: quid perdifficile dixi? imó prorſus impoſſibile: attamen ut Varroni glorioſum fuit vires ingenii in tam abſtruſis rebus explicare, ſic in nobis, ut opinor, certé reprehendendum non erit, ſi in rebus propé deſperatis, tamen induſtriam operamq; juvandæ ingennæ artis cauſſa collocemus. Quare illa (ut ait ipſe Varro de ſe) quæ jam majoribus noſtris ademit oblivio fugitiva, ſecuta ſedulitas Mutii & Bruti retrahere nequit. Non ſi non potuero indagare, eó ero tardior: ſed velocior ideo, ſi quivero. Non mediocreis enim tenebræ in ſylva, ubi hæc captanda, neque eó quó pervenire volumus, ſemitæ tritæ, neque non in tramitibus quædam objecta, quæ euntem retinere poſſent. Quó ſi non perveniam, ſcientiam ad opinionem aucupabor: quod etiam nonnũquam in ſalute noſtra facit, cúm ægrotamus, medicus: quod ſi ſummum gradum non attigero, tamen ſecundum non præteribo, quod non ſolúm ad Ariſtophanis lucernam, ſed etiam ad Cleanthis lucubravi. Hæc Varronis oratio eſt, hæc non tam erroris, quám honoris deprecatio, qua & nos ipſi tecti quoque eſſe cupimus. Singularem illam Varronis propoſitionem fortaſſe non aſſequemur, ut Varro ipſe ſenſit, ſed certé in nominibus & verbis numeri hujus genera, ſpecies, differentias, proprietates, primúm, ut logica lex jubet, ſeqnemur: poſtremó etiam omnibus Etymologiæ partibus expoſitis, de numero vocum ex uña voce naſcẽtium uidebimus.

LIBER QUINTUS DE DIVISIONE VOCUM, DEQUE NOMINUM GENERE.

SEd ſatis de notatione figuræ & ſpeciei, cujus doctrinam ſemel attigimus, quia generalis eſſet, non iteravimus per ſpecies vocis nomina verba, & cæteras, ne elenchũ logicis legibus contrariũ faceremus. Ad genera igitur vocis venio, & numero diſtinguo, alterũ genus numeri, alterũ ſine numero. Flexibili voce vel inflexibili genera iſta nõ ſatis explicãtur: ad-

verbia

verbia enim flecti etiā poſſūt in nomina, ut, cras, craſtinus: numerus tamen adverbiis nullus adſignificatur. Partitionē hāc primorum in vocibus generum ſcio veteribus longé omnium grammaticarū partitionū graviſsimā & difficillimā fuiſſe. nā diviſio facta eſt illis modó in duas ſpecies, modó in tres, modó in quatuor, ac multó etiā plures. Prima diviſio (ait Varro lib. 9.) in oratione, quód alia verba nunquam declinantur, ut hæc, vix, mox: alia declinantur, ut á limo limabo, á fero ferebam. Hęc Varro: unde tamē intelligamus non idem nomina declinationis, quod antea jam diximus fœcūditatis nomine. Septimo autem libro idem ſubtiliús genera vocis diſquirit, Dionémq; & Ariſtotelem authores appellat. Locus autē initio corruptus eſt. Ne (ait) ab omnibus his declinatus putarent, quorum generū declinationes oriūtur. Partes orationis ſunt duæ, ſi item ut Dion, in tres diviſerimus partes, tes quæ verbeis adſignificantur. Una quæ adſignificat caſus: altera, quę tēpora: tertia, quæ neutrum. De heis Ariſtoteles duas partes orationis eſſe dicit, vocabula & verba, ut homo & equus, & legit & currit. Hic intelligimus diviſionem vocum quādam fuiſſe in partes duas, ſed earum nomina non exprimūtur. Prioris generis nomen in Logicis Ariſtotelis eſt κατηγόρημα, poſterioris σύνδεσμοι apud Quintilianū lib. 1. cap. 4. ubi reperitur iſta vocum diviſio. Veteres enim (ait) quorū fuerunt Ariſtoteles quoq; atq; Theodectes, verba modó & nomina & cōvinctiones tradiderunt, videlicet quod in verbis vim ſermonis, in nominibus materiam: quia alterum eſt quod loquimur, alterū de quo loquimur: in convinctionibus autem complexum eorū eſſe judicaverunt, quas conjunctiones á pleriſq; dici ſcio: ſed hæc videtur ex συνδέσμων magis ꝓpria translatio. Priſcianus etiam lib. 2. συνκατηγόρημα ſignificat illud idē quod σύνδεσμον fuiſſe. Ergo illa vocis genera Ariſtoteles fecerat, κατηγόρημα & σύνδεσμον, quæ ſi latiné Grammatici & ſequi & explicare curaſſent, pauló clarior hic eſſet doctrina. At neſcio qua negligētia pro duabus partibus tres factas videmus. Tertia diviſio vocis fuit in partes quatuor, á Græcis pariter & latinis accepta, & tribus libris á Varrone repetita, quinto, octavo, nono, quinto ſic, Cúm verborum declinātium genera ſint quatuor, unum quod tempora adſignificat, neq; habet caſus, ut ab lego legis: alterum, quod caſus habet, neq; tempora adſignificat, ut ab lego, lectio, & lector: tertium, quod habet utrumque, & tempora, & caſus, ut ab lego, legens, lecturus: quartum, quod neutrum habet, ut ab lego, lecté lectiſsimé. Octavi deinde libri locus eſt, Vides ut Græci habeāt eam quadripartitam: unam in qua ſit caſus, alteram in qua tempora, tertiam in qua neutrum, quartam in qua utrumque, ſic nos habere? hic etiam Græcorum in hac partitione conſenſus & Latinorū oſtenditur. Tertius eſt locus lib. 9. Tertia diviſio eſt (ait Varro) quæ verba declinata natura, ea dividitur in partes quatuor. In unam primam, videlicet quæ habet caſus, neque tempora habet, ut docilis, facilis: in alteram, quæ tempora habet, neque caſus, ut docet, facit: in tertiam, quę utraque habet, ut docēs, faciens: in quartam, quæ neutrum, ut docté. Hi tres Varronis loci ſignificant iſtam vocis quadripartitā diviſionē probatam Latinis fuiſſe. Quintilianus tamen oſtendit ab Ariſtarcho, quem authorem Varro frequenter appellat, octo ſpecies vocis factas eſſe. Deniq; Quintilianus capite illo 4. lib. indicat ſpecies undecim tandem factas eſſe, nomen, appellationem, articulum, pronomen, verbum, participium, adverbiū, conjunctionem, præpoſitionem, aſſeverationem, attractionem. ſic autem loquitur, Paulatim á Philoſophis ac maximé Stoicis auctus eſt numerus, ac primūm convinctionibus articuli adjecti, póſt præpoſitiones, nominibus appellatio, deindé pronomen, deinde miſtum verbo participium, ipſis verbis adverbia. Noſter ſermo articulos non deſiderat, ideoque in alias partes orationis ſparguntur. Sed accedit ſuperioribus interjectio. Alii tamen ex idoneis duntaxat authoribus octo partes ſecuti ſunt, ut Ariſtarchus, & ętate noſtra Palæmo: qui vocabulum, ſive appellationem nomini ſubjecerunt tanquam ſpecies ejus. At il qui aliud nomen, aliud vocabulum faciunt, novem. Nihilominus fuerunt qui ipſum adhoc vocabulum ab appellatione diducerent, ut eſſet vocabulum, corpus viſu tactuq; manifeſtum, domus, lectus. Appellatio, cui vel alterū deeſt vel utrumque, ventus, cęlum, deus, virtus. Adjiciebant & aſſeverationem, ut

heu, & attractionem ut faſcestim, quę mihi non approbantur: vocabulum an appellatio dicenda ſit προσηγορία, & ſubjiciēda nomini néc ne, quia parvi refert, liberū opinaturis relinquo. Hactenus Quintilianus: unde perſpicimus, quæ Logica Grammaticorum fuerit. Servius de partibus undecim conſentit. Addiderunt etiá recentiores Grammatici ſpecies duas, alteram gerūdiorum, alteram ſupinorum. Si tam ſophiſtici elenchi cauſſam requiras, redi ad illud quod in præfatione poſui. Quám facile ſit Logicis Grammaticā ignorátibus barbariſmos & ſolœciſmos facere, tam facile Grammaticis eſſe Logicam neſcientibus in hos tam hebetes elēchos incidere. Cúm veró ſubduxeris omnes orationis partes, ut Grammatici loquuntur, vel genera vocis, ut loquor, eſſentialis differētia numerus invenietur, qui ſolus nomina, pnomina, verba, participia quæ appellátur á reliquis dividit. Numerum duplicem facimus, ſingularem & pluralem: dualem quidam exemplo Gręcorum addere voluerunt, de quo Quintilianus lib. 1. cap. 5. In numeris (ait) nos ſingularem & pluralem habemus. Græci & δυϊκὸν: quanquam fuerunt qui nobis quoq; adjicerent dualem, ſcripſere, legere: quod evitandæ aſperitatis gratia mollitum eſt, ut apud veteres, pro malé mereris, malé merere: ideoque quod vocant dualo, in illo ſolo genere cōſiſtit, cúm apud Græcos, & in verbi tota feré ratione, & in nominibus deprehendatur, & ſic quoque rariſſimus ejus ſit uſus. Apud noſtrorum veró neminem hæc obſervatio reperiatur, quin é contrario,

Devenere locos. Et,
Conticuere omnes. Et,
Conſedere duces,

aperte nos doceāt nihil horum ad duos pertinere: dixere quoque, quamquam id Antonius Rufus ex diverſo ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronūtiet. Quid? non Livius circa initia primi libri, Tenuere (inquit) arcem Sabinis & mox, In adverſum Romani ſubiere. Sed quem potiús ego quám Marcum Tulliū ſequar? qui in Oratore, Non reprehendō (ait) ſcripſere, ſcripſerunt eſſe verius ſentio. Hęc Quintilianus. unde intelligimus Latinis nullum dualem numerum eſſe, ſed ſingularem tantúm & pluralem: non defuiſſe tamen Grámaticos ante Quintilianum, qui dualem numerum latinis conarentur aſſerere. Quam opinionem Donatus etiam ſecutus videtur. Numeri ſunt duo (ait) ſingularis, ut hic ſapiens: pluralis, ut hi ſapientes. Eſt & dualis numerus, qui ſingulariter enuntiari non poteſt, ut hi ambo, hi duo. Hanc numeri differentiam Grammatici quater repetunt, in nominibus ſemel, iterum in pronominibus, tertió in verbis, quartó in participiis. Lex veró logica nobis non permittit, ut quod generale eſt, per ſpecies ſæpiús repetamus. Ergo generaliter & ſemel dixerimus. Generalis item partitio apud Varronem eſt, numeralis flexionis in rectam & obliquam, idque nominum verborumque commune eſt: nam cúm in uno & eodem caſu nomē variatur per genera aut gradus, ut doctus docta doctum, doctus doctior doctiſſimus, recta flexio eſt. Item cúm verbum in una & eadem perſona per formas & tempora cōjugatur: ut amo amor, amabam amabar, amabo amabor, recta item flexio eſt. Sic Varro libro nono ad nominatus caſualis analogiam quatuor exigit. Nominatus, ait, ut ſimilis ſit nominatus, habere debet ut ſit eodem genere, ſpecie eadem, ſic caſu, exitu, & genere: ut ſi nomen eſt, quod conferas, ſit nomen: ſpecie ſimile, ut non ſolum, ſed utrumque ſit virile: caſu ſimile, ut ſi alterum ſit dandei, item alterum ſit dandei, quo cum conferas: exitu, ut quas unum habeat extremas literas, eáſdem alterum habeat. Ad hūc quadruplicem fontem ordines diriguntur bini, uni tranſverſi, alteri directi, ut in tabula ſolet, in qua latrunculeis ludunt. Tráſverſi ſunt, qui á recto caſu obliqui declinantur, ut albus albi albo: directi ſunt qui á recto caſu in rectos declinantur, ut albus alba album, utrique ſunt partibus ſeneis. Tranſverſorum ordinum partes, appellantur caſus, directorum genera, utreiſq; inter ſe implicateis forma. Hæc Varro pauló ſecus de ſolis nominibus: at tū res ipſa nō ꝑpria nominū, ſed verborum etiam cōmunis. Donatus & Priſcianus vim partitionis ejuſdem exprimunt, cúm ajunt nomina alia fixa eſſe, alia mobilia. Fixa (ait Donatus) quæ in alterum genus flecti non poſſunt, ut pater, mater, frater, ſoror: mobilia autem, aut propria ſunt, & duo genera ex ſe faciunt, ut Cajus, Caja, Martius, Martia: aut appel-

lativa

lativa ſunt, & tria genera faciunt, ut bonus, bona, bonum, malus, mala, malum. Sunt item alia nec in totum fixa, nec in totum mobilia, ut draco, dracæna, leo, leæna, gallus, gallina, rex, regina. Sunt diminutiva, quæ non ſervant genera, quæ ex nominibus primæ poſitionis accepe- runt, ut ſcutũ ſcutella, piſtrinũ piſtrilla, canis canicula, rana ranunculus, ſtatua ſtaticulus. Hæc Donatus partitionis hujus vim ſpecialiter ſaltem proponit. Hanc veró rectæ & obliquæ declinationis differẽtiam omiſimus, quia vis ejus abunde ſequentibus partitionibus expromeretur. Sed pro ea infinitæ & finitæ vocis diviſionem reponimus, quæ communem nominum & verborum uſum ſit habitura. Ergo ad vocis numeralis ſpecies accedamus, eæ duæ ſunt, ut Ariſtoteli veré placuit, nomen & verbũ, ſicut in libello περὶ ἑρμηνείας intelligitur. Fuit veró minimé conſentaneum Græcis pariter & Latinis grammaticis ſpaciem vocis numeralis in eo ſtatuere, in quo numeralis vocis nova doctrina nulla prorſus appareret. Pronomina declinantur nominum caſibus, & generib. nominũ diſtinguuntur, nec ullã præterea Grammaticam habent. At perſonam certam ſignificãt (inquies) imó veró ſi non impropriè, ſi non ambiguè loqui voles, nullam perſonam ſignificant: ut enim differentiæ numeri nominalis caſus, ſic numeri verbalis perſonæ propriè appellantur. Atque ut in verbo caſus nulli, ſic in nomine, aut iſto pronomine perſonæ nullæ ſunt. Sed perſonam neſcio quam certam pronomen ſignificet, quis illi conveniat, quid tum? utrum igitur numeralium generum differentiæ é ſignificationibus perſonarum efficientur? nõne nominativi nominum tertiam perſonam adſignificant, vocativi ſecundam? utrum inde genera vocis alia dividẽtur? Deinde pronomina multa ſunt, ut meus, mea, meũ, tuus, tua, tuum, & ſimilia quæ nullam perſonam potius habent quã bonus, bona, bonum. Itaq; perſona iſta tralatitia nullã nominis & pronominis differẽtiam facere poteſt. Quare, quoniam nominis & pnominis genus ſtatuimus in numerali flexione, inde quoq; ſpecies derivandæ erunt. De participio idem dici poteſt, nullam ejus eſſe Grammaticam niſi nominalé. Atq; ut é nominibus verba, ſic é verbis nomina plurima declinari & derivari. Sed hæc de vocũ diviſione ſatis, ad nomẽ venio, definioq; vocé numeri cũ genere & caſu. Ariſtoteles περὶ ἑρμηνείας, nomẽ definit ὄνομα μὲν οὖν ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον. Nomen igitur eſt vox ſignificans ex arbitrio ſine tẽpore, cujus nulla pars ſeparata ſignificat: & eodẽ modo rurſus definit in arte poëtica. At ex arbitrio hominũ an natura voces ſignificent, nihil ad uſum Grammaticum: & denique tota iſta definitione ἀόριστον etiam nomen erit. Quare partitionem Ariſtotelis probamus, definitionem pbare non poſſumus. Differantiã nominũ & verborum in adſignificatione tẽporis Ariſtoteles inſtituit, ego propriã nominũ in genere video. Nomen verbale eſſe poteſt & idẽ temporale, ut amãs, amatus, amaturus. At verbũ genericũ, ut ita dicã, nullo modo eſt, ſalte in lingua græca aut latina, licet naturæ nihil repugnet genera quoq; maſculina & fœminina verborũ eſſe, ut ſunt in hebræa lingua. Quare illud Ariſtotelis προσσημαίνειν, quo in verbo definiendo utitur, Varronis adſignificare grãmaticum eſt: ſic numeri, genera, tẽpora adſignificantur. Sæpe admonui da Grãmaticorum errore res ſignificates in Etymologia ſpectantiũ, cũ adſignificatas tantũ, aut ſinas ſpectare in ſingularũ vocum Grammatica deberent. Hic primus infiniti erroris cauſſa Grãmaticis fuit in dividendis generibus vocũ, ut é Priſciano apparet. Diſputat Priſcianus, Quis, cujus non eſſe pronomé, ſed nomé, quãvis nominũ declinatione declinatur: nõ enim (ait) declinatio, ſed vis & ſignificatio uniuſcujuſque partis eſt cõtemplanda; indifferẽter enim multa & nomina modo pronominũ, & pnomina modo nominum invenimus declinata. Quid enim ſtultius, quã omnia quæ ſignificant numeros nomina dicere? unum aũt unius pter declinationẽ, pnomẽ appellare? Quod ſi declinatio facit iudicium qualis ſit dictio, debent omnia poſſeſsiva pnomina, quia nominũ declinationem ſequũtur, & participia in his computari, quod omni ratione caret. Ergo nõ declinatio, ſed pprietas eſt excutienda ſignificationis. Hæc Priſcianus argumẽtatur argumento quidẽ prorſus falſo, & tñ ex ejus propoſitione aſſumi poteſt & concludi quod dico, Si declinatio facit iudiciũ qualis ſit dictio (ait) debent

omnia poſſeſsiva pronomina, quis nominũ declinationẽ ſequuntur, & participia in his cõputari. Atqui (inquã) Priſciane, antecedẽs illud ꝓpoſitionis tuæ verũ eſt. Verũ igitur & cõſequens: ſic enim prima vocis genera diviſa ſunt numero, & quia numeralis differẽtia genus facit, ſanè & è numero ſpecies generũ naſci neceſſe eſt. Hic (inquã) lapſus Priſciani fuit: quamvis Apolloniũ & Herodianũ ſecuti, á quibus veterũ errores purgatos exiſtimat. At vidēmus quã negligenter error iſte purgatus fuerit. In nominis definitione ſpeciales differẽtiæ ſunt generis & caſus: & quidẽ primo generis, quia in quibuſdam linguis genus commune eſt nominũ & verborũ, ubi plerumq; nullus eſt caſus. Genus veró in nomine propriũ agnoſcimus omniq; & ſoli & ſemper adjunctũ. Grammatici á Donato uſq; & Priſciano quandã generũ doctrinã á declinationũ doctrina ſepararũt. At quod omniũ declinationũ cõmune eſt, cõmuniter præponimus, quod in ſingulis propriè cõprehendi poteſt, poſtea ſpeciatim cõprehendemus, nec pro una doctrina ſpõte plures efficiemus. Priſcianus totũ ferè quintum librũ conſumpſit, ut per nominũ fines, doctrinã generũ cõprehenderet, & interea nõdum definitas declinationes frequenter appellaret, & poſtea fines eoſdẽ in declinationibus repetivit, ταυτολογίαν magno ſtudio vitavimus. Eſt veró generis præcipua ratio á primis uſque Grãmaticis repetita per articulos, ut vocant, hic hæc hoc: & quidem, ne quis hic rideat, á Varrone propoſita: ait enim 8. de Ling. Sic itaq; ea virilia dicimus, non quæ virũ ſignificant, ſed quibus præponimus hic & hi: & ſic muliebria, in quib. dicere poſsimus hæc & hæ. Hæc Varro. At quærunt novi Grãmatici quænã ſunt ea quibus hic vel hęc præponi poſsit, & ineptum cenſent eſſe, articulos nominib. præponi, ideoq; hãc doctrinã ut puerilẽ & circulatoriam derident. Ego veró Grãmaticos iſtos audirẽ, ſi definitiones generis cujuſq; meliores attuliſſent. At tantũ exẽpla proferũt quæ ſunt maſculina nomina, ut virorũ, fluviorũ & ſimiliũ. quid ſit maſculinũ genus, & quæ ſit una cõmunis omniũ maſculinorũ ratio nulla ab his affertur, & reſpõderi ꝓ Varrone poteſt, ex uſu cognoſci, cui nomini talis articulus præponi poſsit. Quare authoritatẽ veterũ ſequemur, deq; nec melius aliquid erit inventũ: nec tñ interea articulos ullos in oratiõe latina faciã, non magis quã ſi dicerẽ maſculinũ eſſe cui Bonus pręponi poſsit, fœmininum cui Bona, neutrũ cui Bonũ. Grãmatici generũ diviſionẽ aliã habent naturæ & authoritatis. Servius in Donatum, Genera (ait) aut naturalia ſunt, aut ex authoritate deſcendũt. Priſcianus idẽ tradidit. Genera igitur nominũ (ait lib. 5.) principalia ſunt duo, quæ ſola novit ratio naturę, maſculinũ & fœmininũ. Sic Priſcianus idem Chaldęæ, Hebręæ, Syræ, Punicæ linguæ ſcribit genera duo tãtũ eſſe, maſculinũ & fœmininũ, ſicut etiã hodie ſunt Francicę. Hanc partitionẽ parte quadã ſequimur. Breuiter autẽ notavimus quæ ſpecie virĩ cõprehẽderentur, itẽ quæ mulieris, unde maſculina & fœminina cognoſcerentur. De fœmininis Priſcianus etiã lib. 5. meminit. Grãmatici quidã, virorũ etiã nomina in um quędã faciũt, ut Dinaciũ, Paegniũ. Inveniũtur tñ apud Comicos fœminarũ quoq; ꝓpria quæ in hãc terminationem diminutionis ſive adulationis amatoriæ cauſſa proferũtur, ut Glyceriũ, Philotiũ, Dorciũ, Sophroniũ, Abrotoniũ: quæ quãvis habeãt articulos fœmininos, declinationem tñ & formam tam apud Latinos quám apud Græcos ſervant neutrorum. Repetit idẽ 6. lib. Inveniuntur apud Comicos multa hujuſcemodi, neutrorũ formam habentia mulierum nomina, quib. articulos fœminini generis neceſſarió ſignificationis gratia præponere ſolent, ut ἡ Δόρκιον, hæc Dorciũ: ἡ γλυκέριον, hæc Glycerium: ἡ χρύσιον, hęc Cryſium: ἡ ἀβροτόνιον, hæc abrotonium: ἡ λεόντιον, hæc Leontiũ: hoc aũt ſolet fieri adulationis cauſſa, ſive diminutionis ętatis. Priſcianus idem lib. 13. virorum nomina etiã in um proponit, cúm quærit cur Ego & Tu ſint nõ ſolúm maſculini & fœminini, ſed etiam neutri. Quęritur (ait) tñ cur habeat genus neutrũ prima & ſecũda pſona, cũ naturaliter ſermo nõ niſi inter mares & fœminas exerceatur, quorũ ſunt primę & ſecundæ perſonæ, id eſt á quib. profertur & ad quos dirigitur loquela. Ad q; dicimus, q; poſſunt equidẽ etiã hominũ propria inveniri nomina neutri generis, ut in maribus hoc Baſion, hoc Heliconion, quomodo etiã in fœmininis Glyceriũ, Dorciũ. Poſſumus tñ etiam ad res quæ non habent naturam loquendi, vel audiendi, per con

forma-

formationem hominum, id eſt *[illegible]* primas & ſecundas adjũgere pſonas, etiam ſi ſint generis neutri, ut foro, mari, cælo. Hæc Priſcianus de nominibus virorum & mulierum, & neutris, quæ tamen cujuſmodi ſint conſiderandũ puto: termi nario enim genus hic facit Priſciano, ac rei ſignificatio repugnat. Fluuiorum aũt nomina etiam maſculina ob eãdem cauſſam facimus, quia viri ſpecie procũbentes (ut cõſtat é Romanis triumphis) pinguntur ob eandem cauſam & menſium. Regionum veró & urbium nomina, quia fœminæ quoq; ſpecie, ut conſtat é Romanorũ prouinciarum libro, pinguntur, poterunt etiam cõmuni cauſſa fœminina dici. Exceptiones autem ſpeciales, ſuis locis dicentur. Promiſcuum veró genus *ἐπικοινὸν* græca voce á Latinis appellatur, in quo ſexus vterq; per alterũ apparet (ait Quintilianus lib. 1.) Generum autẽ, quia naturæ ratio nulla cogeret, magna licentia pro arbitrio primis authoribus latinæ linguæ fuit, quod Priſcianus in 5. monet, Sciẽdũ (ait) quod vetuſtiſsimi in multis ſupradictarũ terminationũ inveniuntur confudiſſe genera, nulla ſignificationis differentia coacti, ſed ſola authoritate.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIB. VI. DE COMparatione nominum.

ADhuc de nominum proprietate in generibus, quæ communiter percipi poterant: ſequitur proprietas in comparatione, quæ ſolis quidem nominibus in lingua latina convenit, per naturam tamen poteſt & verbis convenire, ut antea de generibus dixi. Quæ veró nomina cõparantur, Priſcianus obſcuriús explicat. Derivantur (ait) comparativa á nominibus adjectivis, quæ ſumuntur ex accidẽtibus ſubſtantiæ nominum. Accidentia autem ſunt, quæ ex qualitate vel quantitate animi vel corporis, vel extrinſecus forté evenientium trahuntur, quæ poſſunt incrementa vel diminutiones accipere, per quæ comparatio naſcitur, ſine quibus ſubſtantia intelligi poteſt. Ea veró n ſi prior ſubſtantia intelligatur, eſſe non poſſunt. Si enim dicam Homo vel lapis, ſubſtantiam demonſtravi, cujus ſignificatio nec augeri poteſt nec minui: ſin aliquid accidens homini vel lapidĩ proferam, tunc habet locum comparatio: ut homo prudens & prudentior, lapis niger & nigrior: quamvis enim non ſit prudens, poteſt homo intelligi, & quãvis non ſit niger intelligitur lapis. Hæc Priſcianus é neſcio qua Logica magis obſcuré, quám grammaticé. Differit Ariſtoteles in Categoriis, ſubſtantiis non accidere magis & minus, de quo noſtræ ſcholæ loquuntur. Id Priſcianus huc attulit. Comparati gradus ambo definiuntur á Priſciano, & verboſé tractantur. Comparativum eſt (ait) quod cum poſitivi intellectu, vel cum aliquo participio ſenſus poſitivi, magis adverbium ſignificat, ut fortior, magis fortis, ſapientior, magis ſapiens, ulterior magis ultra quám ille quĩ ultra eſt, interior magis intra quám ille qui intus eſt. Deinde, Superlativum eſt quod ad plures ſui generis comparatum ſuperponitur omnibus, vel per ſe prolatum, intellectum habet cum Valde adverbio, poſitivi, ut fortiſsimus Græcorum Achilles, id eſt, ſuper omnes Græcos fortis. Sin autem dicam Fortiſsimus Hercules fuit, non adjiciens Quorum, intelligo valde fortis. Talis eſt apud Ciceronem pro Marco Marcello, Simillimũ Deo judico, pro Valde ſimilem Deo. Sic gradus illi definiuntur á Priſciano: uterque veró gradus imparium collationẽ habet majorum vel minorum quę Logicis eſt. Has igitur definitiones, á Priſciano ſumpſimus. Varro gradus appellat primum, medium vel ſecundum, tertium: Quintilianus tamen comparationis, ſuperlationis, comparativi vocibus utitur. Fecit autem Priſcianus quatuor ſeparatas regulas de formatione horum graduum: duas quomodo formetur comparativus ſecũdæ declinationis, quomodo comparativus tertiæ formetur, totidem de ſuperlativi formatione. Nos una generali regula quatuor cõplexi ſumus, & pro quatuor doctrinis unicam fecimus, quæ id omne traderet compendio brevi, quod illæ quatuor longis ambagibus viarum producebant. Quod ad anomalias comparatorum graduum attinet, occaſionem quidem præcepti á Varrone, non tamen præceptum ſumpſimus. Varro lib. 7. duobus locis de comparatione loquitur, quam modó incremẽ-

tum, modó contentionem nóminat. Præterea ſunt diſcrimina propter incrementũ, quod majus vel minus in his eſſe poteſt: acceſsit declinationum genus, ut à candido candidius candidiſsimum: ſic á longo, divite, id genus aliis ut fieret. Locua alter eſt eodem libro doctrinæ hujus paulo plenior. Deinceps dicam (ait) de altero genere vocabulorum, in quo contentiones ſunt, ut album albius albiſsimum, in quo eam analogiam non ſervari apparet: nam cúm ſit ſimile ſalſum, caldum: et dicatur ab heis ſalſius ſalſiſsimũ, caldius caldiſaimum debuit dici: quoniá ſimile eſt bonũ malum, ab heis bonius, malius, boniſsimum & maliſsimũ. Nónne dicimus bonum meliua optimũ? malum pejua peſsimum? in aliis verbeis nihil deeſt, ut dulcis dulcior dulciſsimus: in aliis primum, ut pejus peſsimũ, in aliis medium, ut cœſius cœſiſsimus: in aliis bina ſunt, quæ ſint ab eadem voce declinata, & ea ita ut aliás deſint ſecundum & tertium, ut in hoc, mané maniúa maniſsimé: aliás ut duo prima abſint, ut optimũ: aliás ut primum & tertium deſit, ut melius. Præterea ſi dicerent ſimiliter declinari cúm ſimilia eſſent, macer, ſacer, tener, & macerrimus, ſacerrimus, tenerrimus, non diſcreparent in heis macrior & magis ſacer, & tenerior: neque alia triſyllaba fierent. Hic comparationum anomalias notari vides á Varrone per defectus graduum, quod nos ideo á tanto authore ſequimur, & ſtatuimus primó quibus abſolutus gradus deſit: ſecundó quibus ſuperlstivus: tertió quæ ſingulis gradibus diſsimilia ſint. Defectus abſoluti gradus varié traditur á Grammaticis. Priſcianus deducit libro undecimo Ocyor, quaſi ab oco, quod in uſu non eſt, licet á græco ſit ὠκυς: ſic deducit Deterior á verbo detero: at ex adnerbiis extra, intra, ultra, citra, poſtea, ſupra, infra deducit comparativos exterior, interior, ulterior, citerior, poſterior, ſuperior, inferior, tametſi diſputat non eſſe poſterus, ſuperus & inferus, poſitivos. Ná ſi eſſent á nominibus ſupero, poſtero, infero, ſervaſſent regulã in us terminantium ſecundæ declinationis, quæ in ſimus proferũt ſuperlativum, & facerent ſuperiſsimus, & inferiſsimus, & cętera. At Priſciaui argumentum valde plumbeũ eſt: ἀνωμαλία enim eſt in ſuperlativo, ſicut in pleriſque aliis. Et ait idem á vetuſtiſsimis prolatum eſſe citer. Cato de agna paſcenda: Citer ager alligatus ad ſacra erit: ſic exter honos apud Statium: *Extera quærere regna*, apud Virgilium: unde conjectura quædam eſt, abſolutum gradum in his comparativis aliquãdo nominalem fuiſſe. Potior etiam proponit á verbo, potior potiris: ſed tamé ait á potis deduci poſſe. Aproximus proximior etiam apud Senecam legitur epiſtola centeſima nona: Ita tamen, ut modum ſervem, & quidem continentiæ proximiorem. Priſcianus etiam cauſſam addit, quia proximus abſoluto propinquum ſignificat. Sic autem loquitur, In ximus duo deſinunt, unum anomalum á poſitivo in us deſinente ſecundæ declinationis, magnus, major, maximus: alterum ab adverbio, ut prope propior proximus: quod tamen quando pro cognato accipitur, poſitivi ſignificstionem habet, ideoque á legislatoribus etiam comparativé profertur, apud quos ſæpe invenitur Proximiores, id eſt propiores cognati: ut Ulpianus in lib. 25. ad edictum, Si quis proximior cognstus naſcetur. Vegetius Renstus rei militaris libro primó: Sed latera eorum ſubducantur ab hoſtibus, ne poſsint vulnns accipere, & proximior dextrá ſit, quæ plagam poſsit inferre. Nec mirum, cúm apud Græcos quoque Inveniuntur hujuſcemodi, ut Ariſtoteles ἐσχατώτερον, ἐσχατώτατον dicit, cúm ἔσχατον, id eſt extremus, ſit ſuperlativus. Addit author idem, anterior, ſed exemplum nullum comperio.

Prior & primus quæritur an ſit comparativus & ſuperlativus, & dicunt quidam quod cúm ordinis ſint, differẽtiam numeri ſignificant; ſicut enim alter de duobus, & aliua de multis dicitur, ſic prior de duobus, & primus de multis dici ſolet. Inuenitur tamé ſæpe prior pro melior poſitum, & tunc ſine dubio habet uim cõparativi: & primus pro optimus, & tum ſuperlativi ſignificationem obtinet. Virgil. in 8.

—*Et primos juvenum tot miſerit Orco.*

Primos poſuit pro optimos. Quidam autem non abſurdé confirmant quod in numeris quoque poteſt prior eſſe comparativus, unde ablativo jungitur: & primus, ſuperlativus, cúm ad multos comparatur, & ſemper genitivum ſequitur

&

& quod prior ſicut omnes comparativi, vel ad ſui generis, uel ad alieni aliquem compararur etiam cúm numerum ſignificatur prior Turnus quám Aeneas movit bellum. Primus auté, ſicut omnes ſuperlativi, ad multos ſui generis coniungitur. Virgil.in 2.

Primus ſe Danaum magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis.——

Et quod omnibus rationabilius eſt, in or deſinens, in us facit neutrũ, quod in nullis aliis niſi in comparativis invenitur, & videtur á pridem aduerbio naſci, quod abjecta dem, accipit or & facit comparativum prior: ſed i cotripuit, quia in nullo comparativo i ante or prodoci poteſt: in ſuperlativo veró ſervavit productionem accepta mus, primus: ex quo aliud adverbium naſcitur primó vel primé. unde Terérius in Andr. compoſitum dixit, Apprimé in vita eſſe vtile. Hæc Priſcianus ſatis verboſé: ſed tamen unde intelligimus veterum Grámaticorum controverſiá. Adoleſcens adoleſcẽtior, Ciceronis eſt. Noſti enim profectó os adoleſcentioris ejus Academiæ (ait) ad Varronem: pro ſoperlativo auté eſt peradoleſcens Ciceroni. Ingentior eſt apud Virgil.11. Aeneid.

——O fama ingens, ingentior armis.

Cic. in Topicis, Partium diſtributio ſæpe eſt infinitior, Saturior lactis agnus, ait Columella. Senior Priſciano tantúm maſculinum, Ait enim, Et ſciẽdum eſt quod omnia in or deſinentia comparativa cõmunis ſunt generis, & mutantia or in us faciũt neutra: excepto uno, quod ſolum cúm ſit á poſitiuo quantúm ad ſuam vocem fixo, ſervavit ejus genus. Hic ſenex, huic ſeni, hic ſenior, quamvis hoc quoq; vetuſtiſsimi cõmune accipientes, hic & hæc ſenex proferebant. Pomponius in epigrámate, quod M. Varro in libris, qui ſunt de lingua latina refert, Tua amica ſenex eſt. Hunc errorem á Probo & Sergio Priſcianus tranſtulit: illi enim anté id tradiderát: at omnes authores erroris huius Cicero refellit, qui ſic ait de legibus, Quæ vis non modó ſenior eſt quám ætas populorum, ſed æqualis Dei. Cic. in Orat. Inde ille licentior & divitior fluxit dithyrambus. Junior eſt pro iuvenior, ut Cauſius & Donatus putant. Horat. Toto anno junior. Quin Varro, ut citat Servius 5. Aeneid. Juvenior & ſenior comparativi ſunt per diminutionem. Senior, non ſatis ſenex: junior, non ſatis juvenis, uel intra juvenem, ſicut pauperior intra pauperé. A ſiniſtri ſiniſtrior eſſet: at non ſiniſtrior, ſed ſiniſterior eſt in uſu, velut ex abſoluto ſiniſteri, ait Priſcianus, ſicut népe á dexteri dexterior. De magis ſacet ſacerrimus, locus Varronis anté citatus admonuit. Salluſtius in Iugurtha, Sylla cũ equitatu apud dextimos, in ſiniſtra parte Mãlius curabat cum funditoribus. Plus (ut Priſcianus ait lib. 3.) ſingulari nominativo nõ invenitur, niſi neutri generis. Atq; ut idem lib. 7. cùm ſit neutri generis nominativus duntaxat, genitivus ejus communis trium generũ, nécnon dativus & ablativus. Citant Grámarici ex uno Ciceronis loco, multiſsimus, 11. At. Ex multiſſimis & miſerrimis curis eſt una enata. Sed in correctioribus exemplaribus legitur, Ex multis meis miſerrimis. Sunt qui & multeſsimis legendum putent.

In nequior, omnino abſolutus nõ deeſt, ſed deeſt caſus in i. nequam enim dicimus, non nequi. Lucretius lib. 3.

——Igitur parviſsima quanto,
Et leviſsima ſunt, ita mobilitate fruuntur.

De noviſsimus etiam Varro, item Gellius monuere. Noviſsimus pro extremo, primo et medio gradu caret: nec enim novus & novior tanquam extremus & exteremior. de quo ſic Varro libro de Lingua quinto, Neapolis, νέα πόλις ab antiquis noſtris vocitata, á quo etiã extremũ, noviſsimum quoq; dici cæptum vulgo, quod mea memoria, ut Aelius Gallus, ſic ſenes aliquot nimium novum verbum quod eſſet, vitabant, cujus origo, ut á vetere vetuſtius ac veterrimum, ſic á novo declinatũ novius & noviſsimũ, quod extremũ. Hunc Varronis locum citat Gellius: ſed addit Ciceronem abſtinuiſſe eo verbo, tanquam non latino. Gellii verba ſunt lib. 10. cap. 21. Nõ paucis verbis, quorum frequens uſus eſt nunc & fuit, Marcum Ciceronem noluiſſe uti manifeſtũ eſt, quod ea non probaret, velut eſt noviſſimus, & noviſsimé: nam cúm & M. Cato & Salluſtius & alii quoq; ætatis ejuſdem verbo iſto promiſcué uſitati ſint, multi etiam non indocti viri in libris id ſuis ſcripſerint: abſtinuiſſe eo tamen tanquã nõ latino videtur, quoniam qui doctiſsimus eorũ tẽporũ fuerat. Aelius, illo ut novo et imꝓbo verbo uti vitaverat, ꝓptereaq; id M. quoq; Varronis ex libro de lingua latina

tina

tina ad Ciceronem quinto, demonſtrandum putavi, A quo etiam (inquit) extremum, nouiſsimum quoq; dici cœptū vulgo, quod mea memoria, ut Aelius Gallus, ſic ſenes aliquot nimium novum verbum quod eſſet, vitabant, cujus origo ut á vetere vetuſtius ac veterrimum, ſic á novo, declinatum noviua noviſsimū. Hæc Gellius: ubi tamen videtur inconſultiús dicere Ciceronem noviſsimum & nouiſſimé, tanquam non latina vitaviſſe, quod falſum eſt. Nam pro Roſcio dixit, Qui ne in noviſsimis quidem erat hiſtrionibus, ad primos pervenit Comœdos. Item in epiſtolis, Recipere me noviſsimus cœpi. Plancus Ciceroni, Quo ego interprete noviſsimé uſus ſum. Si dixiſſet Gelljua noviſsimum pro maximé novum Ciceroni probatū non eſſe, libentiús audité.

De comparativis magnificentior, maledicētior & ſimilibus, ita Priſcianus tertio libro, Magnificentior & magnificentiſsimus, & munificentior & munificentiſsimus, cùm videantur á poſitivo magnificens & munificens derivari, ut eminens eminentior eminentiſsimus; hæc in uſu non ſunt, ſed pro his magnificus & munificus, ex quibus comparativum vel ſuperlativum, ex ſimilibus ſecundum prædictam regulam derivati invenio apud vetuſtiſsimos. M. Cato contra Thermum, De Ptolemęo rege optimo & beneficiſsimo. Ter. Phorm.

Quidnam arbitrare neſcio atqui mirificiſsimus. Accius in 11. *διδασκαλικῶν* Et magnificiſsimé, excelliſsimeq; honore. Hic videmua abſolutoa veros deeſſe, & ſuperlativos tamé ab abſolutis olim fuiſſe beneficiſsimus, mirificiſsimus, magnificiſsimus, excelliſsimua.

Etiam veterrimus notādū, quod cúm in us ejus poſitivum deſinat: tamen formam in er terminātium ſervat in ſuperlativo veterrimus, quaſi á veter poſitivo: quod Capri quoq; approbat authoritas, & uſus antiquiſsimorum. Ennius,

Cúm veter occubuit Priamus ſub marte Pelaſgo.

Cujus etiam comparativum veterior protulit Plautus in Bacchidibus, Senem tibi dedo illum veteriorem Lapide, ut lenitum reddas. Varro tamen in loco anté citato, a vetere ſecundum gradū non vult veterius, ſed vetuſtius: & certé Varronis cōparativus ille uſitatior eſt. Excipit hic etiam Priſcianus in bris deſinentia, ut ſalubris, celebris, ſaluberrimus, celeberrimus: ſed vult ea potiús á ſaluber & celeber fieri, Ouidius.

Phœbe ſaluber ades—— Et,

Circus erit pompa celeber numeroq; deorum.

A celer fuit olim etiá celeriſsimus, ut ex Priſciano perſpicitur. Cn. Manlius in Iliade:

——Celeriſsimus advolat Hector.

Ennius in Annal.

Exin per terras poſtquam celeriſsimus rumor.

Frugalis á Quintiliano lib. 1. reprehenditur, cúm pervicaciam quorundam Grāmaticorū reprehendit. Hia permittamus (ait) & audiviſſe, & ſciviſſe, & tribunale, & faciliter dicere: frugalis quoq; ſit apud illos, non frugi. Nam quo alio modo fiat frugalitas? & ſané medium & tertiū gradū frugalior, & frugaliſsimua cōmemini in Cicerone & aliis authoribus eſſe, primū non cōmemini, ſi quis animaduerterit, notato. Superlativū in limus excipit Priſcianus, E[illegible]iuntur hæc (ait) facillimus, difficillimus, gracillimus, humillimus, ſimillimua, diſsimillimus, agillimus: quorum cúm in is deſinant poſitivi, abjecta is & addita limus, faciunt ſuperlativum. Atq; hæc de duobus cōparationis gradibus, quibus carent adjectiva plurima, quorum genera decem notavimus. primó in ua purum, ut aureus, pius, idoneus: cujus generis tamen á veteribus cōparata quædá legimus, ut ſtrenuior ſtrenuiſsimus, arduior arduiſsimus, egregior egregiiſsimus, perpetuior perpetuiſsimus: de quibus ita Priſcianus, Inveniuntur (ait) quædá, quæ quamvis ſint accidētia, id eſt adjectiva, & eorum ſignificatio exigat ut faciant comparativa: tamen nō habentur in uſu frequenti. Sunt auté ea plerumq; quæ vocalea ante us habēt, ut pius, arduus, egregius, dubius, ſtrenuus. Plerumq; dixi, quia ſunt anomala, quæ nō ſervant in cōparativis regulam, quáuia Plautus in Epidico ex eo comparativum protulit ſtrennior: Nam ſtrenuiori deterior ſi prędicat ſuas pugnas, de illius ore fiūt ſordidæ. Et puto hác eſſe rationē quod oportet cōparativū una ſyllaba vincere genitivū poſitivi, niſi ſint anomala, ut teneri tenerior, docti doctior. Si ergo hæc quæ ante us vocalé habent, aſſumát genitivo or, neceſſe eſt inter duas vocales poſitá i tranſire in vim cōſonantis, quod in latinis dictionibua ſemper feré patitur,

tur, cùm inter duas vocales inveniuntur vim ſuam ſervantes. Hoc autem ideó dixi quod u poſt q vel g poſita, ſæpe ante i hoc non facit: quippe amittit vim ſuam, ut nequior, pinguior: quod niſi fiat, contingit ſi in conſonantem tranſeat i, pares eſſe ſyllabas genitivo poſitivi cum nominativo comparativi, vel hiatũ intolerabilem fieri tribus vocalibus per tres ſyllabas continué poſitis, nulla conſonante media: ut ſi dicamus piior, arduior. quod ne fiat, non ſunt uſi eorum comparativis pleriq;. Aſſumunt autem magis, adverbium, & uſum comparativi complent, ut magis pius hic, quám ille. Vetuſtiſsimi tamen comparativis etiam hujuſcemodi eſt quando ſunt uſi, ut arduior arduius Cato dixit, Quod iter longius arduiuſq; erat á curia. Idem ad populum de triumpho, Aſperrimo atque arduiſsimo aditu. Pacuvius in Medea, Mulier egregiiſsima forma. Juvenalis in 4.

Egregiús cœnat meliuſq; miſerrimus horum.

pro egregiiús. M. Cato in oratione, Ne quis iterum conſul fiat, Imperator laudé capit, exercitum meliorem & induſtriorem facit. C. Gracchus contra Aemylium Tuberonem, Vtrum inimicorum meorũ factio, an magis ſolitudo patriæ te impulit, ut in me induſtriior ſis, quã in te? Idé Cato de Ptolemęo minore, de Thermi quæſtione, Quantoq; ſuam vitam ſuperiorem, atq; ampliorem, atq; antiquioré animum inducerit eſſe quám innoxiiorem. Idem Cato de Macedonia liberanda, Idque perpetuiús atq; firmiús repſit. Idem in Thermum, Sed á benefactis atq; ab optimis artibos fugit maxima flagella perpetuiſsimo curriculo. Sic aſsiduior Varroni & aſsiduiſsimé Ciceroni. Ita enim aſsiduiores (ait Varro 2. de re ruſtica.) Et Cicero in Bruto, Aſsiduiſsimé aũt mecum fuit Dionyſius. Sic apud Varroné de Lingua, cæſius, magis cæſius, cæſiſsimus. A pius piiſsimus, quod probat Donatus, & quo Antonios uſus erat, ſed imperator ille felicior, quàm orator fuit: Itaq; reprehenditur á Cicerone 13. Philippica, Tu porró (ait Tullius) ne pios quidem, ſed piiſsimos quæris, & quod verbũ omnino nullum in lingua latina eſt, id propter divinam tuam pietatem novum inducis. Curtius tamen dixit lib. 9. Vobis quidem o fidiſsimi piiſsimiq; civium atq; amicorũ, grates ago habeoq;.

At hunc ſcriptorem latinæ linguæ authorem habere vix audeam. Ergo videmus adjectiva in us purũ rariſsimé cõparari. Secundó in dus non comparantur, ut vagabundus, colendus. Colendiſsimus igitur, reverendiſsimus & ſimilia, Romanorum non oratorum, ſed aſſentatorum vocabula ſunt. Apud Quintilianum tamen 3. lib. citatur ita Varius, Jam fero (inquit) infandiſsima: nam facere cogor. ſed unũ eſt exemplum & poetæ neſcio cujus.

Tertió in imus, ut magnanimus, opimus.

Quartó in cus, ut unicus, modicus, creticus.

Quintó ſimplex, duplex, triplex.

Sextó in ivus, ut fugitivus, demõſtrativ⁹.

Septimó in lus, ut vetulus, majuſculus.

Octavó in tinus, ut matutinus, veſpertinus.

Nonó á gero & fero, ut armiger, lethifer, aliaq; plurima, ut ſylveſter, equeſter, degener, cicur, memor, properus, vulgaris: á pene peniſsimé, & á penitus penitiſsimus Plautus extulit, ut Priſcianus exponit. A pene autem adverbio, ait, ſuperlativum in ſsimus protulit Plautus in Muſtellaria, Itáne mea conſilia pervertit peniſsimé? Ité ab eo quod eſt penitus adverbio, ſuperlativò uſus eſt. Ité in Perſa, 5. Furtivá adductá ex Arabia penitiſsima.

Sciendum tamen, quod etiam nomen invenitur hic penitus, hujus peniti, ex quo magis ſuperlativus gradus naſcitur. Plautus in Aſinaria, Etiámne age quæſo hercle, uſque ex penitis faucibus? Hæc Priſcianus, ſed rara pro ratis habenda, qualia ſunt animadverſa apud Plinium, Color purpuriſsimus: apud Catullum, cynedior: apud Plautum, pariſsimus. Denique nulla hic analogia comparationis, nec omnino ulla regula catholica eſt, niſi hactenus, ut intelligas quę nomina adjectiva comparétur ita comparari, ſed nõ quomodo quædá adjectiva cõparentur, ſic reliqua omnia nomina cõparari. Sed adhuc de nominum adjectivorũ cõparatione. Subjunxit Priſcianus comparationi prolixam inſtitutionem diminutivorũ, quorũ maſculinas formas facit undecim, ut nempe ſunt igniculus, taurulus, capreolus, agellus, pauxillus, codicillus, homulus, homũcio, paraſitaſter, scoleus, nepotulus: fœmininas quinq;, ut ſunt anicola, ſylvola, unciola, capella, maxilla, anguilla, ulla: neutra totidem, ut corpuſculum,

ſculum, corculum, capitulum, laureolũ, lucellum, villum, vexillũ, ullum, ſed longé prolixiorem & toto quarto libro productam, de genetibus denominativorũ, in quinq; vocales a, e, i, o, u, & ſex conſonantes l, m, n, r, s, x deſinentia. In a præcedẽte i vel l, vel n, vel r: ut ſapientia, ſuadela, tonſtrina, armatura. A verbalibus etiã ſunt aliæ conſonantes, ut ſcriba, collega, conviva. In e neutra ſunt, ut ſedile, cubile. In i duo ſunt indeclinabilia, frugi, nihili. In o, ut Cicero, Labeo, oratio, lectio, compago, libido, amplitudo. In u pauca ſunt, á ſpecus ſpecu, pecus pecu, teſtus teſtu, tonitrus tonitru, cornus cornu, & dubiũ eſt utrum derivativa ſint dicenda. In l, ut tribunal, pugil, conſul: in m, nequam, dumetum: in n, ut ſolamen, tubicen, tibicẽ, cornicen, fidicen, lyricen: in r, ut oleaſter, equeſter, piger, Senator, murmur: in s, pobitas, eques, docilis: in x, ut audax, vertex, nutrix, velox, dux, coniunx, arx. Hæc ut dixi, longé prolixior oratio eſt toto quarto libro: quæ omnia falſa eſſe nõ dico, ſed artis expertis, in pręceptis non pono. Lectio poëtarum & oratorum auditio, imitatio, uſus hæc adferunt. Additur á Grammaticis præterea qualitas nominum, & dividitur in propriam & appellativam: propria nomina quadruplicia ſiunt, prænomẽ, nomẽ, cognomen, agnomen, ut Publius Cornelius Scipio Africanus. Appellatiua multiplicia ſiunt, ut corporale, incorporale, homonymum, ſynonymum, adjectivum, ad aliquid, gentile, patrium, interrogativum, infinitum, relativum, demõſtrativum, ſimilitudinis, collectivum, individvum, fictitium, generale, ſpeciale, ordinale, numerale, abſolutũ, temporale, formale, patronymicum, poſſeſſivum, comparativum, ſuperlativum, diminutivum, denominativum, verbale, participiale, adverbiale. Sed de patronymicis oratio eſt lõgiſsima, quod deſinat in des maſculinum, ut Anchiſiſdes: in as, is, ne fœmininũ, ut Pelias, Aeneis, Nerine: tum poſſeſsivorum formæ in cus, ut Perſicus, Aſiaticus: in us purum, ut marmoreus, eboreus: & omnia ad materiam pertinentia, exceptis quernus, colurnus, abiegnus, oleaginus, faginus, acernus: tũ Martius, Arviſius, quibus in rebus ſecundum feré totum librum Priſcianus conſumpſit, opera non dico plané inutili, ſed certé á præceptis artis prorſus aliena. Totam igitur iſtam nominum qualitatem omiſimus, quia nihil niſi ſignificationem vocis oſtendit, quam concedendam Grãmatico, non præceptis informándam eſſe ſæpe repetimus.

LIBER SEPTIMUS

DE CASU.

ERgo hæc de comparatiõe & diminutione é differentia generis, ſequitur de caſu, quem Ariſtoteles in logica & poetica communem facit nominis, & verbi, quod & Priſcianus ſeqtur. Caſus eſt (ait) declinatio nominis uel aliarum caſualiũ dictionum, quæ fit maximé in fine: nominativus tamen ſive rectus, ut quibuſdam placet, quod á generali nomine in ſpecialia cadat, caſus appellatur, ut ſtylum quoq; manu cadentem, rectum cecidiſſe poſſumus dicere: vel abuſivé dicitur caſus, quód ex ipſo naſcuntur omnes alii, vel quód cadens á ſua terminatione in alias, facit obliquos caſus.

Sex autem caſus primi quoq; Latini iiſdem nominibus appellarunt, quibus nunc utimur. Cauſſam etiam Varro ſeptimo de Ling. attulit quare declinati caſus eſſent, ut antea declinationum attulit. ſic autem ait: Sunt declinati caſus, ut is qui de altero diceret, diſtinguere poſſet cúm vocaret, cúm daret, cúm accuſaret: ſic alis quidem diſcrimina, quæ nos & Gręcos ad declinandum duxerunt. Sine controverſia ſunt hi quinq;, quis vocetur, ut Hercules: quemadmodum vocetur, ut Hercules: quo vocetur, ut ad Herculem: cui vocetur, ut Herculi: cujus vocetur, ut Herculis. Hic Varro caſus rationem & cauſſam dedit, & quinq; ſignificat eſſe: idq; octavo libro deinde repetit. Ut enim dicũt ipſi, alia nomina, quód quinq; habent figuras, habere quinq; caſus, alia quatuor: ſic minús alia, dicere poterunt eſſe literas ac ſyllabas in voce, quę ſingulos habent caſus, in rebus plurimis, quemadmodũ inter ſe conferrẽt ea, quę quaternos habebunt vocabuleis caſus, item ea inter ſe quaternos, ſic, quæ ſingulos habebunt, ut conferant inter ſe dicentes, ut ſit hoc A, hujus A, eſſe hoc E, hujus E, huic E. Hic quini caſus repetuntur, &

formæ

formæ quędam eorum dividuntur. Repetuntur iidem quini caſus lib. 9. ſeptimo autem libro tres caſus differentias facit. Quoad caſum (ait) utrū recto ſit, ut Marcus: an obliquo, ut Marce: an cōmuni, ut Iouis: rectum tamē & obliquū ferè ſemper opponit. Rectum homo, obliquum hominis, ait ſeptimo. Et ibidem, Recto caſu accepto, in reliquos obliquoa declinant: at ibidem ſex oſtēdit. Primum ſi in heis eſſet analogia, dicunt debuiſſe omneis nominativos, & articulos habere totidem caſus, nunc alios habere unum ſolū, ut literas ſingulas omnes, alios treis, ut prædiū prædii prædio: alios quatuor, ut mel mellis melli melle: alios quinq;, ut quintus: quinti quinto quintū quinte: alios ſex, ut unus unius uni unum une uno. Non eſſe ergo in caſibus analogias. Hic Varro oſtendit ſex nominales caſus, & pauló póſt ibidem ſenos caſus dicit. Appellaverat etiam Varro ſingulos caſus ſuis nominibus, Caſuum vocabula (ait lib. 9.) alius alio modo appellavit, nos dicemus qui nominandi cauſſa dicitur, nominandi, vel nominativum. Locus Varronis deinceps totus amiſſus eſt, unde tamen conjectura de reliquis eſt, fuiſſe nominibus appellatos, quibus núc utimur: patricum tamen pro genitivo dicit ſeptimo & octavo libris: dandi caſum dicit ſeptimo & nono: ſic accuſandi caſum ſeptimo, vocandi ſeptimo, octavo & nono: quinetiam oſtendit lib. 7. & octavo vocativum, rectum non eſſe, quamvis ei ſine ſimilis ſit: ſeptimo, cúm diſputat adverſus Ariſtarchi analogiam, Cúm tranſierit é nominandi caſibus in eos quos appellant vocandi, tum denique poſſe dici rectos eſſe ſimiles aut diſsimiles: eſſet enim, ut ſi qs Menahemos geminos cúm videat, dícat ſe non poſſe iudicare diſsimiléſne ſint, niſi qui ex heis ſint nati cōſiderarit. Hic Varro Plautinæ fabulæ geminis Menahemis, ſeu Menechmis, ut in Planto hodie legitur, nominativum & vocativum comparavit: ſed tamen vocativum natum, nominativum patrem facit, & ſignificatione diſtinguit. Atq; octavo libro cúm pro Ariſtarcho reſpondet, Quod dicunt, ſimile ſit nécne nomen nomini imprudenter Ariſtarchum præcipere, oportere ſpectare non ſolúm ex recto, ſed etiam ex eorum vocandi caſu: eſſet enim derídiculum, ſi ſimiles inter ſe parētes ſint, de filiis judicare. Hic alter Varronis locus oſtendit nominativum parētem eſſe, vocativum filium. Ergo Varro ita diſtinguit nominativum & vocativū; quamvis Donatus ambos rectos appellet. Sextum caſum appellat libro nono. Varro in reliquiis ſaltem horum librorū quos habemus, ablativū, quod animadvertere potuerim, non appellat: Quintilianus taman primo libro, Cúm ſit apud nos (ait) caſus ablativus, quē Græci nō habent. Priſcianus autem, ſingulorum etiam rationem reddit. Eſt autem (ait) rectus, qui & nominativus dicitur: per ipſū enim nominatio fit, ut nominetur iſte Homerus, ille Virgilius: rectus autem dicitur, quód ipſe primus natura naſcitur, vel poſitione, & ab eo facta flexione naſcuntur obliqui caſus. Genitivus autem qui & poſſeſsivus & patrius appellatur, genitivus vel quód genus per ipſum ſignificamus, ut genus eſt Priami, vel qđ generalis videtur eſſe hic caſus genitivus, ex quo ferè omnes derivationes, & maximé apud Græcos ſolent fieri. Poſſeſſivus veró, quód poſſeſsionem quoque per eum caſum ſignificamus, ut Priami regnum: paternus etiá dicitur, quód per eum caſum pater demonſtratur, ut Priami filius: unde patronymica pariter in eū reſolvūtur. Quid eſt enim Priamides, niſi Priami filius? Poſt hunc eſt dativus, quē etiam commendativum quidam nuncupaverūt, ut, Do homini illam rem, &, Cōmendo homini illam rem. Quarto locó eſt accuſativus, ſiue cauſativus, Accuſo hominem, & in cauſſa hominem facio. Vocativus ſalutatorius etiá vocatur, ut, O Aenea, &, Salue Aenea. Ablativus etiam comparativus, ut, Auffero ab Hectore: &, Fortior Hectore: multas tamē alias quoq; & diverſas unuſquiſque caſus habet ſignificationes, ſed á notiorib. & frequētioribus acceperūt nominationé. De ablativo etiá ibidé. Igitur ablativus proprius eſt Romanorū, et quávis ipſe quoq; trib. ſociari poſsit, ut diximus perſonis: tamen, quia novus videtur á Latinis inuentus, vetuſtati reliquorū caſuum cōceſsit, quamvis húc quoq; á vetuſtiſsimis Græcorum Grámaticis accepiſſe vidétur Latini, qui ſextum caſum dicebát οὐρανόθεν, ἠῶθεν, qui profectó ablativi vim poſsidet: nam etiam præpoſitionem aſſumit, ut ἐξ ἠῶθεν, ἐξ οὐρανόθεν. Homerus,

[illegible]

Septimũ caſum Grámatici quidá addidere, & Quintilianus nõ abnuere videtur. Quærat Grámaticus (ait lib.1.) ſitne apud Græcos vis quædam ſexti caſus, & apud nos quoq; ſeptimi. nam cúm dico Haſta percuſſi, non utor ablativi natura, nec ſi idem græcé dicam, dativi. Sed hanc argutiá Priſcianus refutavit. Illud quoq; (ait) non eſt prætermittendú, quod quibuſdam ſeptimus caſus eſſe videtur ablativus, quando ſine præpoſitione profertur, quod ſatis irrationale videtur. Minimé enim præpoſitio addita vel ſubtracta mutare valet vim caſus: neq; enim cúm accuſativo caſui multæ præpoſitiones ſolent adjungi, alius caſus eſt quando habet eas præpoſitiones, & alius quando abſque his profertur. Quis tamen dubitat quod omnes præpoſitiones vel accuſativo, vel ablativo apud latinos jungi ſolent? Ergo ſi adjunctæ vel non ablativo, mutât eius vim, accuſativo quoq; adjunctæ vel non, debent ſimiliter mutare caſum. Deniq; in comparationibus abſque præpoſitiõe ſolet proferri ablativus, nec tamen dicit quiſquam ſeptimũ tunc eſſe caſum, ſed ablativum, cum dico, fortior Achilles Hectore. In quo omnes artium ſcriptores conſentiunt, & ſex eſſe caſus confitentur, non ſeptem: uno enim, non duobus latini caſibus ſuperant Græcos. Septimũ igitur qui addunt, ſupervacuũ faciunt, qui nulla differentia vocis in illo nomine diſtet á ſexto. Sergius etiá octavum caſum á quibuſdam inventum oſtẽdit: ut, it clamor cœlo, pro in cælum. Sed res etiá hic ineptior eſt. Hæc igitur de caſuũ nominib. & numero. Priſcianus etiá ordiné addidit, quare hoc ordine q́ſq; poſitus eſſet. Quorũ ſimiles ſunt bini, nominativus & vocativus: dativus & ablativus: & hi ſunt Menshemi, qui dicuntur Varroni genitivus & accuſativus diſsimiles in ſuo numero. Genitivus auté pluralis ſæpe cõtrahitur. Atq; hæc de caſibus.

P. RAMI SCHOL. GRAM. LIB. VIII. DE prima declinatiõe pariſyllaba.

DEfinitio nominis adhuc expoſita eſt generaliter, nomé eſt vox numeri cũ genere & caſu: declinationis genera iá nobis explicanda ſunt, nec tamen exemplo Grámaticorũ, præſertim recétium in tres doctrinas diſpertienda. Generũ doctrina, quæ quidem cómunis eſt, præpoſita eſt: ſpecialis per declinationũ ſpecies explicabitur. Tertiam nominis doctriná Grámatici in anomalis nominibus fecere, in verborum etymologia. id tamen vĩtium caverunt, cúm primæ conjugationis anomaliam in prima, & ſequentium in ſequentibus collocavere: hanc virtuté imitabimur, illam culpá æmulari non eſt neceſſe, anomaliam igitur primæ declinatiõis in prima declinatione, & reliquarũ in reliquis ſigillatim deſcribemus. Ergo genera propoſitarũ declinationũ cóſideremus. Latini ad iſtá declinationũ diviſioné differétiá caſus uniꝰ ſpectavere, Varro, ut eſt 9. de Lingua, Sin á ſingulari quis potiús proficiſci volet (ait) id illum facere oportebit ab ſexto caſu, qui eſt proprius: latinis enim non eſt caſus alius. Heis litterarum diſcriminibus, faciliús reliquorũ varietaté diſcere poterit, quód ii habent exitus aut in a, ut ab hac terra: aut in e, ut ab hac lance: aut in i, ut ab hoc levi: aut in o, ut ab hoc cælo: aut in u, ut ab hoc verſu. Hic Varronis locus indicat quinq; declinationum ſpecies ex ablativi varietate, qui proprius ſit Latinis. Grammatici ab eo differentiam genitivi ſpectavere, ut quia genitivi differentia quintuplex eſſet, æ, i, is, us, ei, inde quoq; genera declinationum quinq; efficerentur. Id Probus & Servius authores prodiderunt. At iſte tam multiplex in una diviſione numerus generum, Logicam ſuam oſtendit, nec unius potiús caſus differentia, quám omnium obliquorũ, excepto genitivo plurali, diviſionem efficere debuit. Genitivus enim pluralis omnium declinationum, impariſyllabus eſt nominativo. Græci, ſicut multis rebus, ſic elegátia diviſionis hujus, & imprimis Logica dichotomia Latinos ſuperavere. Declinatiões, alias pariſyllabas, alias impariſyllabas fecere: Latina lingua hanc etiá diviſionem ferebat. alia enim pariſyllaba nomina ſunt, q̃d dativi præſertim pares ſyllabis ſingulari nominativo declarant: alia impariſyllaba, quod iidé caſus oſtendunt. Veteres Latini, ut ex Priſciano patet, ſi non partitionem, certé partitionis occaſionem & materiam ipſam præbuere. Pariſyllaba enim declinatio per ſpecies

cies declinationum primam & ſecundã notata eſt. Et notandum (ait Priſcianus lib.7.) de prima declinatione, quód omnes caſus tam ſingularis, quám pluralis numeri pares habent in utroq; numero ſyllabas in hac declinatione, excepto genitivo plurali: hic enim una ſyllaba abũdat. In ſecunda norat author idem deſinẽtia in er, ir, ur, pauca creſcere una ſyllaba genitivo ſingulari, ut tener teneri, vir viri, ſatur ſaturi: attamen id incrementum ex nominativo ductum videri poteſt, ut deinde dicam: hoc excepto, reliqua declinationis illius etiam pariſyllaba efficit. Hinc igitur, partitionis occaſionem & facultatem aſſumpſimus. Pariſyllabæ ſpecies duæ ſunt, quas adhuc primas Latini fecere. Prima pariſyllaba proprium unicum finem & fœmininum habet: tres grę ci præterea ſunt fines as & es maſculini, e, fœminini generis. Priſcianus lib. 7. in hac declinatione definienda omittit finẽ e atq; ad a revocat: illa tamẽ declinatione Latini quandoq; utuntur: ſic Cicero telam Penelopes, Quintilianus, amorem Grammatices, elementa Grammaticea dicunt. Et Priſcianus ipſe lib. 6. ſic præcipit, In e productam græca ſunt fœminina, vel græcé declinantur, ut Libye Libyes: ſed mutata e in a, latiné ſępiús declinãtur, ut Helena Helenę. Sic (ait idẽ) Latini veteres, fines illos gręcos as et es per a declinabant, ut Geta, Sophiſta, Aenea, Anchiſa, Birrhia, Marſya. Denique ablativum Achate, pro Achata metaplaſmum Priſcianus appellat. Quintilianus, & antiquior & locupletior author, idem tradidit. Nam in a quidem atque s (ait) literas exire temeré maſculina græca nomina recto caſu patiebantur: ideoque & apud Cælium legimus, Pelia Cincinnatus: & apud Meſſalam, Bené facit Euthia: & apud Ciceronem, Hermagora: Ne miremur, quod ab antiquorum pleriſque Aenea & Anchiſa ſit dictus. Nam ſi ut Mecœnas, Suffenas, Aſprenas dicerentur genitivo caſu, non e litera, ſed tis ſyllaba terminarentur. Hæc Quintilianus, á quo libenter uſum vetuſtatis accipio, quę græcos fines as & es ad a latinum finẽ transferebat: argumentum tamen non audio: nec enim finis nominativi ſatis eſt argumenti ad genitivi finem concludendum, cúm idem finis variarum declinationũ ſit communis: in a ſiquidem deſinentia quædam ſunt pariſyllaba, ut poeta: quædam impariſyllaba, ut poëma: imó veró (quod Priſcianus monet) in es longum deſinẽtia, modó pariſyllaba declinatione, modó impariſyllaba flectuntur, ut Orontes Orontæ, Orontes Orontis: ſic Heraclides, Thucydides, Mithridates, Tigranes. Quintiliano igitur & Priſciano authoribus, unicum primæ declinationis pariſyllabæ finẽ fecimus, ad quẽ tres græci tranſire ſoliti ſint: quibus tamẽ interdum Latini ſunt uſi, præcipué in patronymicis in as & e, quę ſunt omnia declinationis hujus.

Numero carentia.

Anomalia numerorum multiplex á recentibus Grammaticis notatur, á veteribus non item: & tamen valde conſiderãdum illud eſt, quid Grammatici veteres illi Romanæ civitatis Romani cives pręceperint. Fieri enim poteſt, ut voces Cæſaris & Ciceronis ætate uſitatæ fuerint, quæ in nullis tamen libris poſtea repertæ ſunt. Nec enim libris mandata & deſcripta ſunt omnia vocabula, quibus populus Romanus adhuc integer & incorruptus utebatur. Ex his igitur lubet conſiderare.

Numeri Anomaliam primó, atque in ea, altero carentium exequimur: deinde anomaliã caſus: poſtremó generis. quia hic ordo in nominis definitione fuit, idque in omnibus declinationibus poſtea ſequemur. Singularia tantúm ſunt & plurali carentia quæ ſequuntur. Eloquẽtia, ſapientia, & ſimilia ſubſtantiva: id grãmatici recentiores adnotarunt.

Arena: Arenas enim Cæſar ait, ut eſt apud Gelliũ lib.19.cap.8. in libris de analogia ad Ciceronẽ, vitioſé dici exiſtimabat, quód arena nunquam multitudinis numero appellanda ſit. Virgil. tamen dixit 2. Georg. Quám multæ Zephyro turbantur arenæ. Gellius autẽ, Arenas (ait) πληθυντικῶς dictas minore ſtudio quærimus, quia pręter C. Cæſarem, quod equidem meminerim, nemo hoc doctorũ dederit. Utrum igitur Cæſarem, an Maronẽ ſequere? Sané non dubitem Cæſarem ſequi, & poëtę ſuã licentiam tñ cõcedere.

Adorea, ador farris puriſsimi genus: unde adorea pro laude ſeu gloria, quia glorioſus olim habebatur, qui farre abũdaret. Plaut. Amph. Qui præda atque agro adoreaque affecit populares ſuos.

Fama,fuga huc etiam adjiciũtur, tanquá plurali carentia.

Item Cholera, quo licet græco,tamen Celſus & Plinius tanquam latino utuntur. Gloria:tametſi Gellius ait lib.1. Has ille inanes cúm flaret gloriasſed hunc authorem latinæ linguæ non habeo.

Proſapia , progenies antiqua. Plaut. Curc. De Coclitum proſapia te eſſe arbitror. Apud Catonem pluraliter, Veteres proſapias. Cic.in Univerſitate antiquatũ eſſe oſtendit, Deinceps Jovem atq; Junonem , reliquos fratres inter ſe agnatoſq; uſurpare atque appellare ſolemus,& eorum,ut utamur veteri verbo, proſapiam. Quintil.lib.1.cap.11.teſtatur Proſapis eſſe verbum inuſitatũ. & lib.8.cap.3.Ut abſoletæ (inquit) vetuſtatis,univerſam ejus proſapiam dicere,inſulſum.Quare integré quidem declinatur, ſed vtroq; numero antiquum. Spoliant etiam Grammatici plurali numero culpa & pituita,quorum tamẽ exempla comperimus. Culpa. 7. Verr. In hoc uno genere , omnes ineſſe culpas. Pituita,at Plinius Pituitas dixit. Singulari carentia pluta ſunt.

Argutiæ Ciceroni , Apulejo argutia , Gellio etiam argutiola. Antię pro capillis demiſsis citatur ab Apulejo authore parum idoneo.

Epulæ,cibi ad hominum victum comparati.Epula tamen epulæ,dici apud antiquos Feſtus author eſt , ſed ſine exemplo.Exequiæ,põpa funeris & juſta, hinc exequialis. Ovid.14.Metam.

Carmina jam moriens canit exequialia Cygnus.

& exequiari Varro,ex Nonio, Ipſum propter vix liberti ſemiatrati exequiantur. Exuviæ, ſpolia ab hoſtibus detracta, ab exuendo. Excubiæ, militum vigiliæ. pro Marc. Non modó excubias & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus & corporum pollicemur. Inſidiæ,doloſa expectatio ad aliquem aggrediendum.3. Off. Súntne igitur inſidię, tẽdere plagas? Induciæ , ceſſatio belli in aliquot dies.1. Off. Ut illum qui, cúm centũ triginta dies eſſent cũ hoſte pactæ induciæ,noctu populabatur agros,quod dierum eſſent pactæ,non noctium induciæ. Inferiæ,ſacrificia quæ inferis pro mortuis ſolvuntur. 3.de Natur. Tertius eſt ex Idæ digitis,cui inferias afferunt. Salinæ multitudinis numero tantúm dicuntur (ait Varro lib. 7. de Lingua) nec ab iis ſingulari ſpecie dicitur ſalina.Idem lib.9.de Lingua, aquas calidas,ſcalas numero tantúm multitudinis eſſe ait: & ſic Salluſtius de ſcalis loquitur, Deinde ubi unæ atque alteræ ſcalæ comminutæ ſunt , qui ſuperſtirerant afflicti ſunt. Cajus tamen Juriſconſultus ait, Vel ſcalam ſciens accommodaverit ad aſcendendum. At Varronis hic legem malim,quám Caji. Reliquiæ. Plaut. in Milite dixit, At pedites , tibi reliquiæ erant ſi viverent. Verúm pluralis,longé frequẽtiſsimus. Thermæ,balneæ ſunt,ſed hoc é græco eſt. Tenebræ,privatio luminis. Divitiæ.1.Off. Expetuntur autem divitiæ tũ ad uſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruẽdas voluptates. Calendæ,primi dies mẽſium á calando,id eſt vocando. Cunæ lectuli ſunt infantium, de Seneċt. Si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem. Hinc cunabula pro eodem. Clitellæ, quibus ſarcinæ colligatæ , portantur á jumẽtis, hinc clitellarius aſinus, mulus. Quiſquiliæ purgamenta terrarum,& quicquid ex arboribus ſurculorũ foliorumque & florum minutim decidit. hinc tropus pro nihilo, pro Seſt. Quiſquilias ſeditionis Clodianæ . At Nævius apud Feſtum , Abi deturbate ſaxo quiſquilia, non homo.at hoc ſingulare antiquatum eſt. Manubiæ , præda ex hoſtibus capta, quia manu capiuntur. Minæ, comminationes & murorum eminentiæ, quas pinnas vocant. Nugæ,unde antea mirati ſumus,cur indeclinabile hoc fieret. Nuptię legitima maris & fœminæ conjunctio. Balneæ. Bigæ, Non dicimus ſingulari numero (ait Varro 9.de Lingua) nuptia nuptiæ , biga bigæ , quadriga quadrigæ . Quare cúm idem nõ poſsit ſubjungi ait, cúm dicimus, unæ bigæ, quadrigæ duæ, nuptiæ tres, ſed pro eo unæ bigæ , binæ quadrigæ,trinæ nuptiæ, apparet non eſſe biga & quadriga & bigæ & quadrigęs ſed, ut eſt hujus ordinis una , duæ , tres, principium una, ſic in hoc ordine altero,unæ,binæ, trinæ, principium eſt unæ, Cæſar item in libris de Analogia,quadrigas tantúm multitudinis numero declinari docuit. Suetonius tamen in Tiberio dixit, Vix unius bigæ adiectione honorari paſſus eſt. Plinius dixit bigá & quadrigam. Et in Pandectis lib. 21. Et ſi triga venierit, retinenda erit rota,& ſi quadrigæ adhibeatur. Gellius etiam Varronem ipſum

ipſum in libro Satyrarū ſingulari numero quadrigā extuliſſe affirmat: qđ valde mihi ſuſpectū eſt, niſi forté Varro in poëmate poëticū jus aliquod uſurpare voluerit. Idem Varro 9. ait ut ſcalam, ſic faletá numero ſingulari non declinari: & apud eum per f latinam literam ſcribitur: græcum tamen eſt φάλαρα. Plinius tamen dixit lib. 23. cap 1. Sed & falera poſita. Valvæ ſunt portæ geminarū partium. 1. Div. In templo Herculis valvæ clauſæ repagulis. Falæ, ligneæ turres ob altitudinem dictæ, quibus in oppidorum oppugnationibus & in ſpectaculis utebantur. á falando. Tuſci enim falandum cælum vocabant. Facetiæ, dicta urbana ſine ſcurrilitare. 1. Off. Sale veró & facetiis Cæſar Catuli patris frater vicit omnes. Gellius lib. 3. cap. 3. dixit, Adductus ſtylo atque faceria ſermonis: ſed hunc authorem imitarī nolim. Feriæ á feriendis victimis, dies ab opere vacui ſeu feſti dicuntur. Hinc feriari. 12. Epiſtol. Illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus una cum eo ſit, ne putes in Aſia fenatum illum ab iis ſtudiis, in quæ tua cohortatione incitatur, futurum.

Dica. Grammatici novi probant dica, dicam, dicas, reliquos caſus condemnant. Genitivus tamen ille græcus in antiquis illis formulis, Dicis imó, Dicis cauſſa, hujus eſſe nominis videtur, cúm utrūque á δικάζω oriatur, ut indicat Varro, cúm de verbo dico agit, quod á δικάζω derivat lib. 7. hinc appellatum eſt dictum, dictioſus, dictata: hinc antiqua illa (ait) dicis imó & dicis cauſſa: quarum formularum ſignificationem idem lib. 5. interpretatur. Conſul auguri imperare ſolet: ut inlicium vocet, Non accenſo aut Præconi id inceptum credo, cúm abeſſet Accēſus, & nihil intererat cui imperaret, & dicis cauſſa fiebant quædam, neque item facta, neque item dicta ſemper. Hic ritus & cæremoniæ ſpeciem quandam Varro declarat ſignificari ea formula: quomodo etiam 6. Verr. Cicero locutus eſt, Imperat, ait de quodā furto Verris, ut quorum argentum fuerat, aliquid illis nummorum, dicis cauſſa daret: ubi ſignificat orator Verrem non reddidiſſe, ſed redditionem ſimulaſſe, quomodo Ulpianus Juriſconſultus, Excuſantur (ait) ſervi, qui auxiliū tulerunt dño ſuo ſine dolo malo: nam ſi finxit ſe quia auxiliū ferre, vel dicis gratia tulit, nihil ei hoc cōmentū proderit. Suppetiæ & ſuppetias diptoton, á ſuppeto auxiliū. Plaut. Epid. Auxilia mihi & ſuppetiæ ſunt domi. Et apud eundē authorem, ſuppetias afferre, ſuppetias advenire. Repetundarum & repetundis apud Ciceronem etiam adiectivum. pro Cluent. Teneri lege pecuniarum repetundarum. 2. Off. Nondum centum & decem anni ſunt, cúm de pecuniis repetūdis á L. Piſone lata eſt lex: attamen aliquando ſine ſubſtantivis hi caſus ſunt. Quintilianus lib. 4. cap. 2. Aut qui repetūdarum inſimulabitur. Tacit. lib. 4. Et Ancharius Priſcus Cæſium Cordum Proconſulem Cretæ, poſtulaverat repetundis. Inficias ire, pro negare. Plaut. Curc. Nemo it inficias. Terent. Adel. Si inficias ibit. In hac etiam anomalia multó major eſt numerus á Grammaticis propoſitus quám á nobis retentus, quorum etiā exempla ſubjecimus. Aræ pro loco inter Italiam & Africam plurale tantúm, ſed id ex generali lege: Cæterum, utroque numero declinatur. 3. Natur. Eſt mihi pro aris & focis certamen, quomodo ſæpe loquimur: nolim tamen ex eo ſingularem numerum damnare, cúm ejus uſus ſit frequentiſsimus: ſic enim pro templis delubriſque ait ibidem Cicero: nec tamen templum aut delubrum minus dicā. Area locus purus ab ædificiis, quem Græci πλατεῖαν vocant, quód ardore ſolis arida ſit. Columell. lib. 3. Area quoque ſi rerena erit, &c. Antæ. Antes, ſunt extremi quippe ordines vinearum, ait Feſtus, unde etiam antæ dicuntur latera oſtiorum. Antes etiam ſunt, ait idem, quadraturæ, unde & antæ dictæ ſunt quadræ columnæ. Anta etiam ſingulariter legitur apud Vitruvium: ut, Anta fixa. Antennæ, lignū tranſverſum in malo, vbi velum alligatur. Plinius libro 7. Vela Icarus, malum & antennam Dædalus. Ouid. 3. Triſt.

Effugit hybernas demiſſa antenna procellas.

Ora, extremitas cujuſque rei ut, veſtimenti, poculi, regionis. Pluraliter ſæpe etiam declinatur pro fune nautico. Liv. lib. 28. Trahunt ſcalas oraſque & anchoras. Offuciæ á fuco, fallaciæ dicuntur. Plaut. Moſtell. Neque ceruſam, neque melinam, neque aliam ullàm offuciam. Idem in Capt. Ita mihi ſtolido ſuis os oblivere offuciis. Illecebræ. Plaut. Mene. Munditia illecebra, animo eſt amantium.

1. Cat. Jam veró quanta in ullo unquam homine juventutis illecebra fuit. Inimicitiæ. 4. Tuſc. Iuimicitia eſt ira, ulciſcendi tempus obſervans. Ennius, Amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero. Induviæ. Induvium alii Gtammatici notant, & quidem eodem Plinii teſtimonio lib. 13. Utilem ſibi arboriſque induviis circulum mira pernicitate homine ſnbeuute. Salebræ, loca aſpera & inæqualia, quæ quaſi ſine ſaltu præteriri nõ poſſunt. 5. Fin. Hæret in ſalebra. Scatebrę, ebullitio aquæ é terra exeuntis. Plin. lib. 31. cap. 10. Mirum eſt & illud ſcatebra fonticuli ſemper emicante. Spatha, gladius major. Apud Vegetium ſpathas leges & ſemiſpathas. Eſt etiam ſpatha, qua coctura in vaſis permiſcentur. Latebræ etiam latebra ſingulariter. 3. Off. Videant ne quæratur latebra perjurio. Deliciæ etiá ſingulare veteribus fnit. Plaut. Truc. At ego ad te ibam. S. ad mea delicia. Idé, Mea voluptas, mea delicia. Cæremoniæ. pro Amer. Perfidia legationis ipſins, cæremoniam polluerit. Cæſ. 7. Quod more eorum graviſsima cæremonia continetur. Copiæ pro exercitu Ciceroni ſępe: at etiam copia ſingulariter. Plaut. Amph. Poſtquam utrinque exitum eſt maxima copia. Pompejus 8. Att. Ut ipſe cum omni copia ad nos veniret. Et ibidem, Brundusium ducerem hanc copiam. Galla, Calepino ſutorium eſt inſtrumentum: at id nuſquam comperio, ſed Galla fructus quercuum eſt apud Virgilium, Columellam, Plinium. Gaza, Perſicum nomen eſt, & divitias ſignificat: pluraliter veró apud Lucanum & Senecam legitur. Lucan. 2.

—Eoaſq; premunt tentoria gazas.

Seneca in Hercule furéti, Gazis inhians. Genæ, ſunt palpebræ, ut Ennius indicat,

Pandite ſultis genas & corde relinquite ſomnũ.

Alii partes ſubjectas oculis putant. Pacuvius partes putat eſſe, quibus barba primúm oritur, hoc verſu,

Hoc primum opacat flore lanugo genas.

Hæc feſtus. Plin. lib. 11. cap. 37. Graviores aditum inferiore gena cõnivent, eadem nictantnr ab angulis membrana obeunte. Ibidem: Extremum ambitum genæ ſuperioris, antiqui cilium vocavere, unde ſupercilia: infra oculos, malæ homini tãtúm, quas priſci genas vocabant. Gingivæ, at ſingulariter Catull.

Ruſſam defricare gingivam.

& Juvenalis.

Frangendus miſero gingiva panis inermi.

Mappa, linteum, quo méſa ſternitur, aut certé qua manuum ſordes in menſa abſtergimus: nã in convivium pro ſe quiſq; mappam afferebat. Servio tantúm plurale eſt: at Horatius etiam,

—Ne turpe toral ne ſordida mappa
Corrugat nares.—

Item, mappam Quintilianus lib. 1. cap. 9. uſitatum Circo nomen Pœni ſibi vendicant. Martialis lib. 11.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur.

Minutiæ. Senec. Epiſt. 91. Donec in minutiam frequenter trita redigantur. Næniæ, carmen dicitur quod in funere laudandi cauſſa cantatur ad tibiam. 2. Leg. Honoratorum virorum laudes in cõcione memorantur, eaſque etiam ad cantus, ad tibicinem proſequuntur: cui nomen næniæ, quo vocabulo etiam Græciæ cantus lugubres nominant. Quintilianus lib. 8. cap. 2. Carmẽ lugubre, proprié nænia. Horatius, *Puerorum nænia.* Blãditię. pro Planc. Facilis eſt illa occurſatio & blanditia popularis. Paleæ. Virgil.

Nequicquam pinguis palea terit area culmos.

Notandum (ait ibi Servius) paleam ſingulari numero dici cõtra artem: nam quę é pluribus conſtant, ſunt tantúm numeri pluralis, ut cancelli, bigæ, ſcopæ, licet abutantur poëtæ. Varro, A palam nominata poteſt eſſe palea. Horat. 2. Serm. *Horna palea*, ſic palea rubra Varroni, Palea æris Plinio. Cic. Parad. Auri navem evertat gubernator, an paleæ, nihil intereſt. Fallitur igitur Servius. Præſtigiæ. pro Poſth. illinc omnes præſtigiæ, illinc omnes fallaciæ. 4. Acad. Ne ab illis quæ clara ſint ipſa per ſeſe, quaſi præſtigiis quibuſdã & captionibus depellamur. Quintilianus ſingulariter declinauit lib. 4. cap. 1. Illa veró frigida & puerilis eſt in ſcholis affectatio, ut ipſe tranſitus efficiat aliquam utique ſententiam & hujus velut præſtigiæ, plauſum petat. Vita plurali numero apud Terentium eſt in Adel. Suſpicere tanquam in ſpeculo, hóminum vitas jubeo. Vigiliæ & vigilia ſæpe ſingulariter. 1. Phil. Quaſi in vigilia quadam conſulari ac ſenatoria. Et apud Cęſarem, de prima, ſecunda, tertia, quarta vigilia ſepe leges.

Genitivus. Atque hæc de nominibus altero

ro numero carẽtibus: anomaſia caſus deinde tractãda eſt. Notat Priſcianus diphthõgi diviſionẽ in genitivo, Qua frequenter (ait) veteres Romanorum poëtę utuntur, ut Aeneai, Anchiſai & pictai & aulai, pro Aeneæ, Anchiſæ, pictæ, aulæ dicentes. unde Virgil. in 3. Aen.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Idem in 9.

Dives equum, dives pictai veſtis & auri.

Cicero in Arato,

Atque oculos urget pedibus pectúſque Nepai.

Pro Nepæ, id eſt Scorpii. In eodem,

Serius hæc obitus terrai juſſit equinis.

Lucretius in 1.

Effice ut interea fera munera militiai.

Idem in eodem.

Aulide quo pacto triviai virginis aram,
Iphigeniai turparunt ſanguine fœdi.

Græcus caſus primæ declinationis unus uſitatus eſt: alios etiam Priſcianus á veteribus proponit, Ejuſdem declinationis primæ (ait lib. 6.) fœmininorum, genitivum etiam in as, more Græcorum ſolebant antiquiſsimi terminare, unde adhuc paterfamilias & materfamilias & familiæ ſolemus dicere, & frequẽs hoc habet uſus. Liv. in Odyſſea, Atq; eſcas habamus mentionem. eſcas pro eſcæ, ibidem. Nam diva monetas filiam docuit. monetas ꝓ monetæ. In eodem, Mercurius cũq; eo filius Latonas, pro Latonæ. Nevius in carmine belli Pun. 1. Inerant ſigna expreſſa, quomodo Titani bicorpores, gigãtes magniq; Atlantes, Rhuncus atq; Purpureus filii terras, pro terrę. In eodem, Ei venit in mentem hominum fortunas, pro fortunæ. Ennius in 7. Annal. Dux ipſe vias, pro vię. Cic. in 4. Verr. Liberos, matreſ familias, bona fortunasq; omnes. Dicitur tamen & paterfamiliæ & patresfamiliæ & familiarum & familiis. M. Brutus de officiis, Itaque patresfamiliæ domini ſumus. Sall. in Catil. Sed filii familiarum, quorum é nobilitate maxima pars erat, qui parentes interficerent. Cic. in frumẽtaria. Itaq; ex his ſcribis, qui digni ſunt illo ordine patribusfamiliis, viris bonis atque honeſtis, percontamini. Hi caſus gręci ſunt, eſcas, monetas, Latonas, terras, fortunas, vias, ubi tamen Priſcianus patribusfamiliis legit, legitur patribusfamilias. Sic pro Cælio, Illum filium familias patre parco ac tenaci, habere tuis copiis devinctum non potes. Cæſar lib. 10. Quibus rebus accidit, ut pauci milites [illegible] quesfamiliæ, qui aut gratia aut [illegible] dia valerent, aut natura ad[illegible] recepti, in Siciliã incolum[illegible] Et Varro 7. de Lingua, [illegible]tresfamiliarum reprehende[illegible]verſus analogiam ita diſpu[illegible] patrifamilias, dicere non debuer[illegible], ſi analogias ſequi vellent, quod eſt ut Atiniæ, Scatiniæ, familiæ: ſic una Atinia, Scatinia, familia: itẽ, Plures patresfamilias dicere non debuerunt, ſed, ut Siſenna ſcribit, patresfamiliarum. Tacitus libr. 1. pluralem genitivum uſurpat, Nunquamnam niſi ad ſe filios familiarum venturos?

Accuſativus Græcorum frequenter Latinis græcus eſt, & n pro m capit, ut Aenean, Anchiſen: quanquã, ut Priſcianus monet, Romani gręca illa in as vel es deſinentia, per a declinabant.

Vocativus græcus detracto s, retinet tamen ultimam longam. Virg. 10. Aen.

Aenea, vigila —

Idem 3. Aen.

Conjugio Anchiſe Veneris dignate ſuperbo.

Nominatiuum prętereа & vocativum plurales, ait Priſcianus, ſimiles quidem eſſe genitivo & dativo ſingularibus, ſed in his diviſionem diphthõgi fieri nõ poſſe, ut in illis pictai, terrai.

Priſcianus de genitivo plurali hujus declinationis ita loquitur, Genitivus pluralis eiuſdem declinationis, fit addita ablativo ſingulari rum ſyllaba, ut ab hoc poeta, horum poetarum, ab hac muſa, harum muſarum: producitur enim a, tam in ablativo ſingulari, quám in genitivo plurali. Et notandum quod omnes caſus tã ſingularis, quám pluralis numeri, pares habent in utroq; numero ſyllabas in hac declinatione, excepto genitivo pluralis hic enim una ſyllaba abundat. Eſt autem quando hunc quoque per conciſionem proferunt, & maximé in compoſitis & patronymicis, ut Grajugenũm, pro Grajugenarum. Virg. in 3. Aen.

Grajugenũmque domus ſuſpectaque linquimus arva.

In eodem,

Caprigenũmq; pecus nullo cuſtode per herbã,

pro caprigenarum. Idem in 8.

Optime Grajugenũm, cui me fortuna precari.

Idem in eodem,

Omnigenũmque deũm monſtra & latrator Anubis,

…igenarum. Sic cælicolũm pro cæli… & trinundinũm pro trinundi… …ro Cornelio, Primò ex pro… mulg… …nundinũm, dies ad ferendum po… …eniſſet, Amphorũm pro amphora… …neadũm pro Aeneaderum. Lucr. in … verſo, (ptas:

Aeneadũm genitrix, …minum divũmq; volu-

Similiter Dardenidũm pro Dardenidarum. Virgil. in 2.

O patria, o divũm domus Ilion, & inclyta bello
Mœnia Dardanidũm.——

Idem in 11.

—— Variusq; per ora cucurrit
Auſonidũm turbata fremor.——

Sex dativo & ablativo declinentur in abus, equebus, libertabus, filiebus, mulabus, natabus, deabus. Palladius, Admiſſarii generoſis equabus admittendi ſunt. Modeſtinus, Libertis libertabuſq; meis. Cato, Dotes filiab. ſuis nõ donent. Reliquorum generũ exempla Grãmatici nulla proferunt. Valerius, Phocas & Priſcianus addunt eſinabus: at nihil probent. Priſcianus etiam illud eit, Eabus pro eis Hemina protulit: multa alia quoque contre regulã vitioſé & in his & in aliis caſib. vetuſtiſsimi protuliſſe inveniũtur, in quibus non ſunt imitandi. Citet etiam 13. lib. Plautum in Curculione, Pariſſimi eſtia hibus, pro his. Diomedes euté cauſſam etiam reddit: Sublata autem ait, de ablativo ſingulari e noviſsime, & appoſita ia ſyllaba, fit dativus & eblativus pluralia, ut ab hoc Aenea, ab his Aeneis: nam deabus, filiabus, libertabus, muleb. & quicquid hujuſmodi eſt, diſcernendi ſexus gratia, cõtra rationem & præceptũ eſt. Sergius itẽ de mulabus, filiabus & cæteria, Sciendũ eſt id fieri propter teſtamẽtorum neceſsitatem. Nam hæc pauca dicit Probus cõtra artem eſſe ſuſcepta, nec nos debemus ad iſtorum ſimilitudinem, alia declinare. Ea enim quæ arte carent, ſola authoritete firmentur. D. Hieronymus, animebus & famulabus attulit. At 14. lib. Epiſt. titulus eſt Ciceronis, Tullius Terẽtiæ & Tulliolę duabus animis ſuis. Itaq; quidem cevilleti ſunt, Hieronymũ injuſte ꝑ Ciceroniano cæſum, qui tam lõgé á locutione Ciceronis ebeſſet. Atq; hęc de detivis et abletivis impariſyllebis.

Genus. Generũ veró ſpeciales regulas in ſpecies declinationũ rejecim9: atq; ideo in hac declinetiõe ſpeciales regulæ declarantur é finibus: fœminina enim ſunt in a & e, reliquæ meſculinæ. In a autem, maſculina ſunt primæ declinationis græcæ, ut Adria, Cometa. Excipiũtur hęc charta, hæc cataracta, margarita, catapulta, quæ cúm ſint maſculina apud Græcos, apud nos etiam genus cum terminatione mutaverunt: cetaractes tamen apud nos etiã maſculino genere dicitur. Plinius, Noviſſimo cetaracte, cúm de Nilo agit. Priſcianus lib. 5. etiam idem docet: In multis enim videmus cõmutatione terminationis genere quoque eſſe converſa, ut ὁ κρατήρ, hęc cratera, ὁ χάρτης, hęc charta, ὁ κηρὸς, hęc cera, ὁ ἀμφορεὺς, hęc emphora, ὁ πάρδος, hæc penthera. Horat. in 2. Epiſtol.

Diverſum confuſa genus panthera Camelo,
Sive Elephas albus, vulgi converteret ora.

Deniq; Priſcianus idẽ alio loco addit ὁ γαυσάπης, hæc gauſapa: quinetiam citat Varronẽ 7. lib. Hac de re Varro de lingua latina (eit) alie ex græco ſumpta, ex maſculino in fœmininum tranſire, & a litera finiri, ὁ κοχλίας, hæc cloclea, ὁ χάρτης, hæc charte. Poſtremó Priſcianus etiam 5. lib. notat quædam in hac declinatione communia, ſed pené ait á verbis compoſita vel derivete, ut agricola, cęlicola, advena, perricide, grajugena, cõviva. Pomponius in Autorato, Conveni omnes convivae meas. Hor. in 2. Serm. *ut conviva ſatur.* Alie veró omnie propria ſive appellativa in a deſinentie fœminina ſunt, ut Roma, curia, muſa, Italie. In promiſcuis tamen invenimus quædam, authoritete veterũ, ſecundum meſculinum genus prolata. Virgil. in 1. Georg.

Aut oculis capti fodere cubilia talpæ.

Idem in Bucolicis.

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Horatius tamẽ fœminino hoc idem protulit in 1. Carm.

Superjecto pavidæ natarunt æquore damæ.

Idem in 2. Epiſt.

Si foret in terris, rideret Democritus, ſeu
Diverſum confuſa genus panthera Camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora.

Et magis hoc in quadrupedibus invenies: nam in aliis animalibus, ſi ſint promiſcue in a, fœminini articulos aſſumũt. Hæc Priſcianus recté, uno fortaſſe de cõmunibus excepto: nec enim agricola, & ſimilia omnie cõmuni genere ꝓferre auſim, niſi locupletiorib. exẽplis id eſſe ꝓbatum videam. Citat aũt Priſcianus lib. 17.

Opti-

Optima cælicolûm Saturnia magna dearum.

Hic, fœmininum genus eſt: & Ovidius 10. Metam. ait,

Amnicolæq; ſimul ſalices & aquatica lotos.

Ergo quantû tibi probabitur, tantûm credes. Mãna, mammona, paſcha neutra fiunt á recentibus Grammaticis: at manna fœmininũ eſt Plinio, & thuris eſt, non illius aërii roſcidiq; mellis. Plin. lib. 29. c. 6. Viperã vivã in fictili novo comburere, addito fœniculi ſucco ad cyathũ unũ, & thuris manna una. Hic Plinius mannã in thure ſtatuit, nõ in melle illo aërio ſeu roſcido, ɋ manna ſit & Dioſcorides lib. 1. c. 84. etiã de manna thuris ita præcipit. Mãmona, vox Syriaca, quę divitias ſignificat maſculini generis, penultima longa, cûm gręcé p ω ſcribatur. Paſcha, vox eſt hebręa, quę tranſitum ſignificat, vulgus declinat paſcha paſchæ, at alii paſcha paſchatis, & Auſonius neutro genere extulit.

Nos etenim primis ſanctum poſt paſcha diebus.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER IX. DE ſecunda declinatione pariſyllaba.

Pariſyllaba ſecunda quatuor fines habet in recto maſculinos, unũ neutrum: Tertia & quarta græcorum declinatio in hanc declinationem cadit. os in us vertitur, ut Κῦρος Cyrus, πέλαγος pelagus, ὁ χάος Chaus. Ovid. 14. Metam.

Et noctem noctiſq; deos, Ereboq; Chaoq;

Convocat. —— In ρος deſinentia mutãt plerumq; ρος in er, ut ἀγρὸς ager, Μένανδρος Menander. Græcorum caſus in hac declinatione demonſtrãtur quidam verſibus poëtarũ. Apud Virgilium nominativus & vocativus ſecundum Græcorum regulam invenitur prolatus in 2. Aen.

Panthus Othriades arcis Phœbiq; ſacerdos.

In eodem.

Quo res ſumma loco Panthu? quam prendimus arcem?

Dativus græcus eſt in Bucol.

Orphei Calliopea Lino. pro Orpheo.

Accuſativus græcus eſt 1. Aen.

Ilionea petit dextra. pro Illioneum.

Vocativus gręcus in nominibus in eus fit abjecto s, ut Tydeu, Pantheu. Probo tamen ait Priſcianus, in quibuſdam aliis artium ſcriptoribus & o Panthee, & o Tydee, & o Illionee poſſe dici ſecundum analogiam latinam placet, quod in uſu non inveni. Tibullus,

Cimmerion etiam obſcuras acceſſit ad oras.

Ergo hi græci caſus in poëtis aliquãdo reperiũtur. Prima pariſyllaba, raras cõtractiones habet, ſecũda complures, qua de re lubet Varronis, Cicerõis, & poſt utriuſq; Priſciani judiciũ audire. Varro enim libr. 7. de Lingua, Itẽ quærũt oẽs (air) ſi ſit analogia, cur appellãt omnes ædẽ deũ Conſentũ, & nõ deorũ Cõſentiũ? Itẽ cur dicatur mille denariũm, nõ mille denariorũ? Eſt enim hoc vocabulũ ea figura, ut Vatinius, Mãlius, denarius: debet igitur dici, ut Vatiniorũ, Manliorũ, ſic denariorũ: & nõ equũ publicũ mille aſſariũm eſſe, ſed mille aſſariorũ: ab uno enim aſſario, multi aſſarii, ab eo aſſariorũ. Hæc Varro: at in Oratore Cicero idem copioſius exponit. Atq; etiã (ait) á quibuſdã ſeró jã emendatur antiquitas, q hæc reprehendũt: nã pro deũm atq; hominũ fidẽ, deorum aiũt. Ita credo, hoc illi neſciebãt, an dabat hãc cõſuetudo licentiã? Itaq; idẽ poëta qui inuſitatius contraxerat, Patris mei meũm factũm pudet, p meorũ factorũ. &, Texitur exitiũm examen capiti, p exitiorũ. nõ dicit liberũm, ut pleriq; loquimur, cũ cupidos liberũm, aut in liberũm loco dicim9. Sed ut iſti volunt, neq; tum unquã in gremiũ extollas liberorũ ex te genus. & idẽ, Nãq; Aeſculapii liberorũ. At ille alter in Chryſe, Non ſolũ cives antiqui amici majorum meũm: quod erat uſitatum, ſed durius etiam, Conſilium ſoci, Auguriũm atque extũm interpretes. idemq; pergit, Poſtquã prodigiũm horriferũm portentũm pavor. quæ non ſané ſunt in omnib. neutris uſitata: nec enim dixerim tam libenter armũm judicium, & ſi eſt apud eũdem, Nihilne ad te de judicio armũm accidit? quãm armorum. Jam, ut Cenſoriæ tabulæ loquuntur, fabrũm & procũm audeo dicere, non fabrorum & procorum: planeq; duorum virorũ judiciũ aut triũ virorũ capitaliũ, aut decẽvirorũ litib. judicãdis, dico nũquã. Atqui dixit Accius, Video ſepulcta dua duorum corporum, idemque, Mulier una duũm virũm. Quid verum ſit intelligo, ſed aliás ita loquor ut conceſſum eſt, ut hoc, Vel pró deũm dico, vel

en, vel pró deorum: aliás, ut neceſſe eſt, cùm triumvirūm, non virorum, cûm ſeſtertiūm nummūm, non nummorum, q, in his conſuetudo varia non eſt. Hæc Cicero. Priſcianus copioſiſsimé idem protulit: Inveniuntur (ait) per conciſionem mediæ ſyllabæ maſculinorum plerumq; nominum, quę neutra, non habent hunc caſum proferentes, maximé poëtæ. Eſt autem apud veteres proſam ſcribentes, idem invenire, ſed raró. Virgil. in 1. Aen.

It cælo clamorque virūm ſtridorque rudentum,

pro virorum. idem in 3.

Cura deūm bis Pergameis erepte ruinis,

pro deorum. idem in 5.

—— Genus alto á ſanguine divūm.

pro divorum. Nummūm veró pro nummorum, & liberūm pro liberorum, & ſeſtertiūm pro ꝓ ſeſtertiorum, & jugerūm ꝓ jugerorum, modiūm pro modiorum, medimnūm, ſenūm, ſeptenūm, denūm, frequētet etiam oratores per ſyncopam ſolent proferre. Cic. 3. Verr. Iſte unus inventus eſt, qui ex complexu parentum abreptos filios, ad necem duceret, & parentes pretium ꝓ ſepultura liberūm poſceret: liberūm, pro liberorum. In eodem: Cúm aſſerat ſeſtertiūm vicies, quingenta millia tem eſſe conſtaret. In eodem, Quis eſt enim qui tueri poſsit liberūm noſtrorum pueritiam contra improbitatem magiſtratuum. Idem in 4. Verr. Et pueri annorum ſenūm ſeptenūmque denūm Senatorum nomen nundinati ſunt: ſenūm ꝓ ſenorum, ſeptenūm pro ſeptenorum, denūm pro denorum dixit. Idem in frumentaria: Sed tritici ſepties medimnūm ex Nymphonis arationibus tollit: medimnūm pro medimnorum. in eadem, Minus te jugerūm profeſſum eſſe dico, ꝓ jugerorum. Nam quod ſingulare hujus, hoc jugerum eſt, ipſe oſtendit in eadem: In jugerum Leontini agri medimnum feré frumenti ſeritur: dicitur tamē & hoc jugus jugeris. Juvenalis,

Jugeribus paucis, lumbos donare clientis.

Cic. in 4. Verr. Quid ſi doceo (Judices) eos qui quadringenta millia modiūm lucrifaciūt? pro modiorum. Idem pro Mur. Præfectum fabrūm, pro fabrorum. Idem pro Vareno, Deūm fidem, pro deorum. Idem, ꝓ Clu. Millibus quadragenis nummūm, pro nummorum. Idem ad Herennum lib 3. Pedum tricenūm, pro tricenorum. Frequentiús tamen hac utitur Cicero & cæteri ſyncopa in eis nominibus, quæ numeros vel menſuras ſignificant. Recuſant autem hoc in maſculinis habētibus neutra, vel in neutris, ne ſimilis ſit nominativo ſingulari neutrorum: quamvis in his quoque nominibus, quæ ex ſe faciunt neutra, licet non frequens, invenitur tamen uſus hujuſcemodi conciſionis. Virgil. in 9.

—— Altaque certant
Prendere tecta manu ſociūmque attingere dextras.

pro ſociorum. Idem in 10.

At Rutulūm acceſſu juvenis tum juſſa ſuperba.

pro Rutulorum: quamvis & ſocius ſocia ſocium, & Rutulus Rutula Rutulū dicatur. Ter. Heaut. Quare omnes vos oratos volo, ne plus iniquūm poſsit, quám æquūm oratio, pro iniquorum & æquorū. Statius in 1. Theb.

—— Illa novos ibat populata penates
Portarum in bivio, lateri duo corpora parvūm
Dependent. ——

pro parvorum. Virg. in 3.

—— Magnanimūm quondā generator equorū.

Idem in 6.

Magnanimūm heroum pueri innuptæq; puellæ.

Quod in pronominibus quoque fecerūt antiqui, meūm pro meorum, tuūm pro tuorum, noſtrūm pro noſtrorum dicētes. Plaut. in Trinummo, Ut rem patriam & gloriam majorum fœdarim meūm. Idem in Penulo, Ecquid meminiſti tuūm parētum nomina? Idem in Menæchmis, Avertit prędam ab hoſtibus noſtrūm ſalute ſociūm. Hęc Priſcianus. unde cognoſcimus quātus hic contractionis uſus apud poëtas & oratores ſit. Atq; hæc de contractione cuiuſcunq; finis.

E nominibus in us deſinētibus, multa altero numero ſpoliantur á Grāmaticis, pleraq; retinuimus, quorū uſus nobis notus fuit, nec dubito quin multó plura retineri poſsint, ſed exempla non occurrebant, quibus poſita regula poſſet improbari. Atq; id omnino conſiderandum eſt á veteribus Grammaticis, qui latinę linguæ adhuc populum, ſi non integrū, certé non omnino corruptum habuere, & libros longé plures quám ad nos pervenere, non multam anomaliam hic animadverſam fuiſſe, tanta verborum anomalórum multitudo collecta eſt á Grammaticis novis, neque Romanis, ſed Gallis, Hiſpanis, quibus perdifficile ſit demonſtrare vocem aliquam uſitatam non eſſe.

Primúm

Primũ, q liceat peregrinis & nũquã in illa vera Romana civitate verſatis, ſcire qoa voce Romaoi nõ uſi ſint? an é libris id ſatis ęſtimari judicariq; poteſt? At multę voces temeré ab iis rejectæ docent libros non ſatis accuraté perlectos eſſe: deinde libri permulti periere, in quibus illa vox eſſe potuit: tum multa dicta á Cicerone & Cæſare, quæ ſcripta nunquam ſuot. Quare, ut initio poſui, Grammaticorum regulæ, quæſtiones porius, quám præceptiones propooun: ſpoliantur auté plurali numero uncus, genuinus, muſcus, mundus, quorum tamen pluralia agnoſcuntur. Cato. c.10. Operculũ aheni unũ, uncos ferreos tres. 2. de Nat. de dẽtibus, intimi autem cõficiunt qui geouini dicũtur. Apuleius, Saxum inſurgit in ſpelũcæ modum muſcis. in Acad. Democritus sit innumerabiles eſſe mundos. Numeri diſtributivi ut bini, temi, ipſi per ſe multitudioem indicant: dixit tameo Virgilius ſepteno gurgite, ſed poeta eſt. Macte & macti, vocativi uſitati ſunt: at Cato dixit, Uti ſies volens propitius mihi liberiſque meis, domo familięq; meæ, mactus hoc ferto.

Vocativus á nominativo io os præcipuã anomaliã habet, & á Grãmaticis anxié & ambigué deſcriptam: atq; adeó (ut ait Servius) cõtra regulã hic plurimũ ſibi aſſumpſit authoritas. Phocas communia nomioa in ius accidentia vel derivata, etiam non pura, vocativo declinat in e, ut fluvius fluvie: antiquum vocativum putat eſſe fluvius: ſic doctus docte, Romanus Romane: cætera declinat potiús in us quám io e: ſic Lucanus ait,

Degener o populus.—— Et,

O popule lectum eſt. Lucus, o lucus: quæ á veteribus propter aſperitaté vocis, minimé uſitata ſunt, adeó ut rara hujuſmodi declinationis reperiãtut exépla. Hæc myrtus o myrte.

Et te proxima myrte. Hæc Phocas, cum quo Probus non omnino cõſeotit. Secunda declinatio (ait) terminat vocativum generis quidem maſculini aut e correpta, aut i: vel ſimilem nominativo, ut o magne, o Saluſti, o puer. Invenies antiquitús, & us ſyllaba terminatum vocativum ſingularem ſecundæ declinationis, ut Virgilius,

Corniger Heſperidum fluvius.—— pro fluvie. Fœmini generis ſecundæ declinationis vocativos ſingularis ſæpe e correpto terminatur, o fraxine. Servius unicum vocativum hic excipit, fili. Hic impius (ait ipſe in Donatum) impie, hic egregius, o egregie. At huic regulæ contrarium eſt hic filius, o fili. Quare majores noſtri timentes, ipſum vocativum ſimilem fecerunt nominativo, ut Virgilius dicit,

Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum.

& Lucilius, O Fabius judex. Priſcianus idem feré præcipit, ſed ait etiam filie. Nomina in us, converſa us in e, faciunt vocatiuvum (ait) ut Priamus o Priame, pius o pie, myrtus o myrte, ſcyphos o ſcyphe: excipitur unum, qood tam io e quã in i facit vocativum, quamvis ſit appellativum, o filie vel fili. Livius Andronicos in Odyſſea, Pater noſter, Saturni filie. Catullus autem,

Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculoſæ Celtiberiæ fili.

Terentianus de ſyllabis,

Hic primus tu Baſine fili, & tu gener Novate mi.

Eſt tameo quando, nominativo quoque terminato in us pro vocativo ſive metri, ſive euphoniæ cauſſa utũtur. Virgil. in 8.

Corniger Heſperidum, fluvius regnator aquarum.

Lucanus in 1.

Degener o populus, vix ſecula longa decorum,
Sic meruiſſe viris.—— Adnotarunt etiam Grammatici ex Tibullo genius, geni,

Mane geni, cape thura libens. Item, meus mi. Ter. Andr. Pater mi. Denique ex Virgilii loco illo,

De cera facta dat tibi poma deus.

Vocativus deus approbatur, non dee. Quatuor io e vel us, ut fluvius, populus, chorus, agnus: at e malim, & us poeticũ potiús quám oratorium crediderim. Quare tria taotúm communia, in i vocativo declinamus, fili, mi, geni, deos nomioativo & vocativo ſimiliter. De propriis in ius ſequimur Nigidiũ illum Ciceroois æqualem & amicum. Publ. Nigidii verba ſunt apud gellium lib. 13. cap. 24. ex commentariorũ grãmaticorũ 24. hominis in diſciplinis doctrinarũ omnium præcellentis: Deinde (ait) voculatio qui poterit ſervari ſi non ſciemus in nominib. ut Valeri, utrũ interrogãdi aut vocãdi ſint? Nã interrogãdi ſecũda ſyllaba ſuperiore tono eſt quã prima,

prima, deinde noviſsima dejicitur:at in caſu vocandi,ſummo tono eſt prima,deinde gradatim deſcendunt. Sic quidem Publ. Nigidius dici præcipit: ſed ſi quis nunc Valerium appellaris in caſu vocandi,ſecundum id præceptum Nigidii acuerit primá,non aberit, quin rideatur: ſummum autem tonum προσῳδίαν acutam dicit, & quem accentum nos dicimus, voculationem appellat, & caſum interrogãdi eum dicit, quem nunc nos genitivum dicimus. Hæc Nigidius, latinæ linguæ Varro alter, quem tamen Gellii jam ætas non probabat, nec poſtea Priſcianus probavit: ait autem hæc olim etiam in e vocativos habuiſſe, de accentu diſſentit cum ait lib.ſeptimo.In us veró terminantia,ſi ſint propria,i ante us habentia,abjectã us faciunt vocativum,ut hic Virgilius o Virgili,hic Saluſtius o Saluſti,hic Pompejus o Pompei: hæc tamen eadem tria in e proferebant antiquiſsimi,o Virgilie, Mercurie dicentes.Liv.Andron. in Odyſſea, Neque enim te oblitus ſum Laërtie noſter.Liv.in Seteno. Cura nunc Laërtie velle para ire Ithacam. Laërtius enim pro Laërtes dicebant, quomodo & Græci Λαέρτιος pro Λαέρτης. Σοφοκλῆς ἐν Αἴαντι μαστιγοφόρῳ, Αἶ μὲν ὦ παῖ Λαερτίε διογενές. Juniores autem, gaudentes brevitate, per extremæ ſyllabæ abſciſsionem,protulerunt pro Virgilie Virgili, pro Mercurie Mercuri.Horat.in 1.Carm.

Mercuri facunde nepos Atlantis.

In eodem,

Multis ille bonis,flebilis occidit,

Nulli flebilior,quám tibi Virgili.

Unde accẽtus perfecti vocativi in his ſervatur: ſi enim non eſſet abſciſsio,debuerunt hujuſmodi vocativi, id eſt, qui in i deſinentes, penultimam correptá habent, antepenultimam acuere, ut Virgili, Mercuri, quod minimé licet: nam penultimam acuimus:in abſciſsionibus enim, ſi ea vocalis, in qua eſt accentus, integra manet, ſervat etiam accentum integrum,ut audivit,audit,noſtratis,noſtras,illice,illic. De vocativo Põpei, valde ambiguus eſt Priſcianus, nos vulgó pronuntiamus ultimam literam tanquam vocalem, retenta tamen penultimæ quantitate.Priſcianus tanquam cõſonantem facit. De Pompei (ait)& Vultei, & Cai & ſimilibus vocativis, quæ i, loco conſonantis ante us habẽt in nominativo, dubitatur utrum i extrema,pro vocali an pro cõſonante ſit accipiẽda,quomodo in aliis caſibus, quod magis more antiquo, rationabilius eſſe videtur: nam ſolebant illi non ſolúm in principio,ſed etiam in fine ſyllabæ ponere i loco conſonantis,idque in vetuſtiſsimis invenies ſcripturis, quoties inter duas vocales ponitur, ut eius, Pompeius, Vulteius, Caius: quod etiam omnes,qui de litera curioſiús ſcripſerunt, affirmant, necnon etiam metra oſtendunt,quod dicimus, & regulæ ipſius ratio in ſupradicto vocativo: omnis enim vocativus in i deſinens, una ſyllaba minor eſſe debet nominativo ſuo,ut Saluſtius o Saluſti,Virgilius o Virgili,Terentius o Terenti. Ergo ſi Põpeius & Vulteius triſyllaba ſont in nominativo,neceſſarió in vocativo diſſyllaba eſſe debent:quod non poteſt fieri, niſi i loco conſonantis accipiatur: unde illud quoque poſſumus ſcire,quo bene,cui,pro monoſyllabo accipiunt metrici, & huic: omnis enim genitivus in ius deſinens,una vult ſuperare ſyllaba ſuum dativum,ut ille,illius,illi:ipſe,ipſius,ipſi: unus, unius, uni:alter, alterius, alteri: alius quoque per duas ii debuit eſſe genitivus cauſſa dativi, quod eſt alii: ſed vel hiatus cauſſa eſt,vel quia inter duas vocales,i vocalis eſſe non poterat:dativus autem,loco conſonantis eam accipi prohibebat,quam ipſe duplicabat vocalem,& credo,differentiæ cauſſa, ne ſi ali diceretur, verbum infinitũ eſſe putaretur, ideo plerique recuſarunt eum frequenti uſu proferre. Priſcianus ita diſputat é principio temere poſito,quaſi regula ſit ulla in Grammaticis,quæ nullam anomaliá patiatur. Itaq; ad iſtam ſententiam Priſcianus jubeat in Pompei pronuntiari j conſonam, ut pronuntiatur in Pompejus. Pergit veró ut idem confirmet. Quod autem (ait ibidem) Pompei, & Vultei & Cai & ſimilia i finalem, & ante eam vocalẽ pro una ſyllaba habent, olus quoque confirmat. Horat.in 1. Epiſt.

Durus(ait) Vultei nimis attentuſq; videris.

Vultei diſſyllabum accipit ſecũdum analogiam. Hæc Priſcianus: in quo falli poteſt Horatii poëtico & licentioſo exemplo,ubi contractio ſit: licet enim plenum caſum ex aliis poëtis proferre: Ovidius,

Accipe Pompei deductum carmen ab illo.

Hic triſyllabum eſt.Item Martialis,

Quod peto,da Cai,non peto non conſilium.

Hic

Hic Cai diſſyllabum eſt. Atque j conſona redit in vocalem, & cõſuetudine poëtica, vocalis licet vocali præpoſita, tamen producitur, quod Priſcianus ibidem ait. Nihil tamen mirum i loco conſonantis poſitum, tranſire in vocalem, cúm u quoque idem patiatur in quibuſdam dictionib. apud poëtas, ut Horatiũ in Epodo,

Niveſq; deducunt Jovem.

Nunc mare nunc ſylvæ. Hic enim diviſiõe facta, uæ extremæ ſyllabæ, u á cõſonantæ tranſit in vocalem. Eſt enim dimetrum iambicum, conjũctum ſemiquinariæ heroicæ. Hæc argumẽtatur Priſcianus, nec tamen ejus argumento tam moveor, quám ætate & ſeculo, quo nõdum extincta Romæ erat Romana lingua: & tamen dum tam ſolicité id diſputat, indicat tum rem liquidam non fuiſſe. Uno contra Priſcianum argumento moveor. Si in vocativis Pompei, Vultei, Cai, cõſona j eſſet ultima, j conſona vocem clauderet, itaq; & ſyllabam ultimam, & ideo in nominativo Pompejus priorem clauderet, non inchoaret ſequentem: at illá clauſulam in doctrina literarum claudẽtium ſyllabam Priſcianus non proponit, imó lib. 1. nominatim v conſona, ſyllabam nõ claudi affirmat. Habebat autem (ait lib. 1.) hæc f litera hunc ſonum, quem nunc habet v loco conſonantis poſita, unde antiqui, af, pro ab ſcribere ſolebãt: ſed quia non poteſt vav, id eſt digamma in fine ſyllabæ inveniri, ideo mutata eſt f in b: ſifilũ quoque pro ſibilum, teſte Nonio Marcello de doctorum indagine, dicebant. Hæc Priſcianns, qui decimoſeptimo lib. idem repetit, vav nempe conſonam initio ſyllabæ ſemper adjungi. Quare malo poetas hic imitari, & j conſonam nominativi commutare in vocalem vocativo, ſervata quantitate, quám conſonante j, vocem claudere. Ἀνωμάλων generis veteres Grámatici minorem fecere. Priſcianus tantũ quatuor excipit fœminina, humus, alvus domus, colus: & duo neutra, virus & pelagus. Excipiuntur (ait 5. lib.) hæc humus, alvus. Virgil. in 2. Aen.

In latus inq; feri curvam compagibus alvum.

Actius tamen maſculinũm hoc protulit Annaliũm. 1.

Maja nemus retinens, gravido concepit in alvo.

& domus, colus, quæ tam ſecundæ, quá quartæ declinationis inveniuntur. Neutra pelagus, virus. Eadem quatuor repetit libro 6. cúm dixiſſet in us deſinentia, quartæ declinationis eſſe: Excipitur hæc alvus, hujus alvi, quod veteres frequentet maſculino genere protulerunt. Accius in Annalibus.

— Ut quám fragiliſſimus alvus.

Cato ad Filium, Ex dolore, ex febri, ex ſiti, ex medicamentis bibendis, ex cataplaſmatis, ex alvo lavando. Cinna in Smyrna,

At ſcelus inceſto Cinyræ creſcebat in alvo.

Itaq; ſecundum hoc genus, bene declinatur alvus alvi. Virgilius tamen hoc protulit fœmininum in 2. Aen.

In latus inque feri curvam compagibus alvum.

Humus humi, hoc etiam neutrum in um deſinens invenitur apud veteres, ſecundum quod opportuné hanc declinationem ſervavit. Liv. in Adone, Humum humidum pedibus fodit. Gracchus in Thyeſte, Merſit ſequentis humidum plãtis humum. domus hujus domus, & domus hujus domi. Terent. Eun. Domi ſociq; fac viciſsim ut memineris. Virg. in 6.

Hic labor, ille domus & inextricabilis error.

Ovid in 4. Metam.

— Domi communis utrique.

& colus, coli & colus. Virg. in 8.

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva.

Statius in 6. Theb.

— ſed hujus

Extrema jam fila colu datur ordo ſenectæ.

Virus & vulgus etiam iterantur lib. 6. Excipitur virus (ait ibidem Priſcianus) quod quidam indeclinabile, quidam ſecundæ declinationis eſſe voluerunt, ſecundum Lucretium, qui ſic protulit:

Liquit enim ſupra tetri veſtigia viri. Idem,

Contractoq; ſuo, contractus perdere viros

Vulgus quoq; excipitur, quod tá neutri, quám maſculini eſt generis, & ſecundũ regulá maſculini declinatur. Lesbos, Abydos fœminina ſunt ex arte, attamen poetæ terminationẽ ſequuti interdũ maſculina faciũt, quos in proſa nõ imitabere, ſi Quintilianũ audies. Lecithus, græcé λήκυθος, luteũ eſt ovi, item ampulla olearia, fœmininũ Ariſtophani λήκυθος κακίστη. Sed & græcé eodem genere notatur λήκυθος, αἱ δὲ λήκυθοι in Ariſtoph. Paradiſus maſculinum eſt Xenophonti in Cyro lib. 2. Ἐν τῷ δὲ στράτευμα πολὺ ἐν τῷ πλησίον παραδείσῳ. In proximo autem paradiſo, id eſt, In proximis hortis magnæ copiæ ſunt.

Deſinentia in er quædam creſcere di

cũtur genitivo, cũ tamẽ incrementũ illud priús in nominativo fœminino & neutro appateat. De his veró nominib. Priſcianus lib. 6. ſic loquitut, Illa quoq; larina nomina (ait) quę fœminina in a, faciũt, et in ri mutãt in genitivo, ut par ſit ſyllabis ſuo nominativo, ut ater atri: facit enim atra, niger nigri nigra: exceptis illis q̃ s, vel ſp, vel u aut r habet, & á gerẽdo vel ferẽdo cõpoſitis, quę accepta i, faciũt genitivum una ſyllaba vincẽtem ſuũ nominativum, ut miſer miſeri, ptoſper proſperi. Domitianus in Senatu pro ſe, Ut proſper dicendi ſucceſſus oſtẽderet, auditorũ benevolentia creſcere dicentiũ facultatẽ. Cicero tamẽ proſperus protulit in 6. de Rep. Deinde eſt hominũ generi proſperus & ſalutaris. Aſper aſperi: nã aſpri per ſyncopã dicitut, lucifer luciferi, corniger cornigeri, tener teneri, libet quoq; quãdo ingenuũ ſignificat, liberi differẽtiæ cauſſa declinamus, ne, ſi libri dicamus, aliud ſignificare putetut, dexter ſimiliter dextri & dexteri, & adulter adulteri. Et notandũ q̧ tot ſyllabarũ eſt maſculini genitivus, quot ſit nominativus fœminini. Excipiũtur alter & uter, & ex his cõpoſita. Hęc Priſcianus. Idem, lib. 7. Iberus & Iber cõtractũ dicit. Iber Iberi (sit) quod per apocopã extremæ ſyllabæ prolatum, ſolum in hac declinatione producit er, & ab eo cõpoſitum Celtiber Celtiberi. Dicitur tamẽ & Iber Iberi ꝓ Hiſpanus, & Ibet Iberis, quando de gẽte loqmut, q̃ eſt iuxta Armenios, & Iberus Iberi fluvius, unde Lucan. in 4.

Qui præſtat terris, aufert tibi nomen Iberus.

Hæc Priſcianus. Idẽ ruſſus lib. 7. Notãdũ tamen, quod Plautus á puet nominativo, vocativũ puete dixit in Mercatote, Egomet memor, tu puete abi hinc intro ocyus. Idẽ in Curculione, Cedo puete ſignũ, quid facturus es? Jã ſcies. Quod quibuſdã rectiús á nominativo puetus eſſe videtut. Proſperus igitur, Iberus, puerus oſtendũt in proſper, Iber, puer cõtractionẽ: in reliquis adiectivis, genitivus recto, ſi nõ maſculino, certé fœminino & neutro, pariſyllabus eſt: rectus enim eſt ꝓſper ꝓſpera proſperũ, tener tenera tenerũ, miſer miſera miſerũ, liber libera liberũ, ut ſi incrementũ ſit, ante ſit in recto caſu rectæ declinationis, quã in obliquo obliquæ. Iraq; Priſciani illud jã citatũ tor ſyllabarũ eſſe maſculinũ genitivum, quot ſyllabarũ ſit nominativus fœmininus, indicat caſus pariſyllabos. In nomine autẽ Iber, Priſcianus et producit, & apud Flaccũ ita eſt,

Quos nec Iber, nec tuta ſuis Aurora pharetris
Suſtinet.—

Martialis tamen corripit Celtiber lib. 10.

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras.

E nominibus in um deſinentib. pleraq; numero altero carẽt, in quib. aurũ, argentũ, ſtannũ, plũbũ: deniq; metallica & liquida omnia Grãmatici plurali ſpoliãt. De metallis & liquidis omnes certatim pręcepere. Palęmo vocar nomina quę ad põdus & mẽſurã veniũt. Phocas & Donatus metallica & liquida. Sed Varro præ cæteris hũc locũ illuſtravit. Qui reprehẽdũt (ait 8. de Lingua) quod nõ dicatur ut unguentũ unguẽta, vinũ vina, ſic acetũ aceta, garũ gara, faciũt imperitẽ, qui ibi deſiderãt multitudinis vocabulũ, quæ ſub mẽſurã ac põdera potius, quã ſub numerũ ſuccedãt: nã in plũbo, oleo, argento cũ incremẽtũ acceſsit, dicimus multũ oleũ, multũ plũbũ, argentũ, nõ multa olea, plũba, argẽta. Cumq; ex heiſce fiãt, dicamus plũbea & argẽtea. aliud enim tũ ex argẽto: nã id tũ cũ jam vas argenteũ, aut pocillũ, aut quid itẽ, quod pocilla, argẽtea multa, nõ quod argentũ multũ, ea natura in quib. eſt mẽſura nõ numerus, ſi genera in ſe habẽt plura, & in uſum veniunt & genere multo, ſic vina, unguenta dicta: alius enim generis vinũ quod Chio, alius qđ Lesbo, ſic ex regionib. quæ ipſa dicũtur nũc melius unguenta, cui nũc genera aliquot. Si itẽ diſcrimina magna eſſent olei & aceti, & ſic cæterarũ huiuſcemodi in uſu cõmuni dicerẽtur, ſic olea & vina. hęc ille. De metallis reiecimus, quia feré huj9 ſit loci, & in aliis declinationib. nõ ſit omnino verũ. Cælum etiã hic ſtatuimus, de quo magna Grãmaticorum jã á Palęmone turba contra Cæſarẽ facit, Cæſar cælũ ex iis eſſe ait, quæ numero multitudinis careãt. Et veró latinẽ cælũ, totũ illud cæleſte corpus appellatut, quod unicũ eſt, ut aeris unicũ: & quidẽ cæli iſti qui vulgó dicũtut Martis, Jovis, globi nominãtur á Cicerone. Et locus ille Ciceronis in Epi. ad Pætũ, Ille Baro te putabat quæſiturũ unũ cælũ eſſet, an innumerabilia, planẽ demõſtrat Ciceroni hos cælos inauditos fuiſſe, ſecus ſolœciſmũ faceret. Grãmatici citãt alios á Varr. & Cicer. locos, ſed falſo ut collatis libris invenies: Citãt aũt Grãmatici oẽs certatim unicũ á Lucre. locũ,

Quæ

Quis pariter cœlos omnes convertere.

Ar poëta jus ſuum retinuerit. Cæſaris autem & Ciceronis judicium nequaquam cum hujus poëtæ licentia comparandum cenſeo. De nomine balneum Varronem ſequimur, qui ſic loquitur 7. de Lingua. Quædam (ait) ſolúm ſunt multitudinis, ut ſalinę, balneę. non enim (ait) ab iis ſingulari ſpecie dicitur ſalina & balnea, neque ab eo quod dicunt balneum, habet multitudinem conſuetudo. Et idem 8. Ubi bina eſſent conjuncta ædificia lavãdi cauſſa, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur, ab eadem ratione domi ſuæ quiſque ubi lavatur balneũ dixerit, & quod non erát, duo balnea dicere non conſueverunt, cúm hoc antiqui non balineum, ſed lavatrinam appellare conſueviſſent. Sergius tamen citat neutrum plurale ab Horatio,

Balnea vitantur.

Et rurſus 1. Epiſt.

—Mutat cœnacula lectos,

Balnea, tonſores.— Varronis tamen judicium Ciceronis exempla comprobant, cúm ait pro Cælio, Mulier ingenioſa, conſtitui locum juſsit balneas xenias. Ibidẽ, Cúm enim balneas publicas cõſtituerat. Sic pro Sexto Roſcio, Balneæ Palatinæ. Quid igitur hic dices Horatiũ poëtã jure ſuo uſum eſſe, an utrumq; latiné dici? Spoliantur á grammaticis plurali æuum, ſolium, ſolum, lutum, macellum, barathrum, vitrum, fœnum. At dixit Ovidius,

Perſequar, ut cunctis nulli datus omnibus æuis.

Et Plin. lib. 14. cap. 1. Tot ævis incorruptum. Idem lib. 33. cap. 12. Soliis argenteis. Cicer. pro Cornelio, Vos mutæ regiones imploro, & ſola terrarum ultima: Cæſar luta, Ennius macella, ut de utroque Caper affirmat. Barathra Græci vocant loca quo flumina demerguntur. Vitra leges in poëtis. Apuleius, In Aſini faciem fœna rodebamus. Contrá ſimili temeritate ſpoliantur ſingulari, iuga, tranſtra, aulæa, lachana, liba, ſpolia, carcheſia, quorum ſingularia in dictionariis expoſita ſunt. Ut Dindymus Dindyma, ſic Grammaticis infernus inferna: at infernus adiectivum tantúm eſt: Ut autem raſtrum raſtra & raſtri, ſicillis filum, fila & fili, ſic capiſtrum, clauſtrum, plauſtrum, forum: at de fili quod affertur á Lucano,

Traxerunt torti magica vertigine fili.

mendoſum videri poteſt, & pro fili, fuſi legendum, & exemplum eſt unicum, & poetæ qui non ſatis idoneus latinitatis author Servio viſus eſt. De cæteris Grãmaticorum eſt commẽrum, nulla demõſtratio. Duplicia veró plura ſunt, quám quæ collegimus. Varro 8. de Lingua, Hoc gladium & hic gladius, ut dupondium & dupondius, & pleraque alia.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER X. DE Pronominibus.

SEparavimus ad finem pariſyllabæ declinationis utriuſque unum & viginti adiectiva propter communem anomaliam, quæ commodé in ſingulis declinationibus ſigillatim explicari non poterat. Tria veró, Ego, Tu, Sui, propter ſingularem anomaliam ſeparatũ declinationis genus á Grammaticis accepere. Qua de re Priſcianus lib. 13. ita loquitur, Sunt igitur (ait) in pronominibus modi declinationum quatuor, primus qui in tribus primitivorum perſonis cernitur per obliquos caſus. Nam nominativus primæ perſonæ diſſonus eſt á genitivo: tertia veró deficit, ut Ego, mei vel mis, Tu, tui vel tis, Sui, quod debuit ſecundũ analogiam eſſe Sui vel ſis: quod dubitationis cauſſa, ne verbum eſſe putetur, recuſaverunt proferre: nam ad Græcorum imitationem his quoque utimur duplicibus genitivis pronominum: apud illos enim ἐμοῦ & ἐμοῦς doricé, σοῦ & σοῦς, & οὗ & οὗς dici ſolet: in ος autem deſinens genitivus ſolet apud nos in is finiri, ut Δημοσθένους Demoſthenis, Ἑρμογένους Hermogenis: in ς uero in i, Πριάμου Priami, Κύρου Cyri: ſic ergo ἐμοῦ, σοῦ, οὗ, mei, tui, ſui, ἐμοῦς, σοῦς, οὗς, mis, tis, ſis, ſed propter ſuprá dictam cauſſam tacitus eſt tertiæ huiuſmodi genitivus. Ennius in 2.

Ingens cura mis cum concordibus æquiparare.

mis dixit pro mei: Hęc veterum grammatica de tribus iis nominibus fuit. Mi, contractus eſt mi ꝑ mihi, nec mi aurũ poſco nec mi aurum dederitis, dixit Ennius. De his etiam Quint. lib. 1. cap. 5. id annotauit. Mehe quoq; (ait) pro me apud antiquos Tragœdiarum præcipuè ſcriptores in ve-

teribus libris invenimus. Et ibidem, Sibe & quaſe ſcriptum in multorum libris eſt: ſed an hoc voluerint authores, neſcio. T. Livium ita his vſum ex Pædiano comperi, qui & ipſe eum ſequebatur. Hæc nos i litera finimus. Sed horum anomalorum duobus Grámatici vocativos detrahũt. Donatus ait, Ego ſine vocativo eſſe. Palæmo huc etiam tendit, ſed lapſum indicat. Prima (ait) perſona quæ dicitur Ego, tam in ſingulari quám in plurali numero non habet vocativum, quia nemo ſe vocat. Sed cúm forté cõtigerit ut dicamus, o ego, & o nos, non tam pronominis ratione quám interjectionis, id eſt dolendi gratia cõtingit quám vocádi Diomedes, Ego vocativum habere nõ poteſt, niſi exclamatio ſit, ut apud Horatium.

O *quiſquis volet inopiam.* Nec pluralis vocativum habet, niſi exclamatio ſit, ut cúm dicimus, O nos fœlices. Sic Priſcianus lib. 13. nulli pronomini niſi ſecundę perſonæ, & primę poſſeſsivo vocativum tribuit, ut o tu, o vos, o mea tu, o noſter. Et rurſus lib. 14. ex Terentio in Andria, O mea tu. & in Adelph. O noſter Demea: ſic noſtras vocativum habet, cætera carét vocativo (ait ibidem.) Idem repetit lib. 17. At (inquam) o magiſtri exclamare enim libet, exclamando nonne vos hic appello & vocandi caſu utor? Itaq; ſivé exclamádo, ſive dolendo vocativum habeat Ego, nónne ſatis eſſet ut vocativum haberet? cúm ipſa exclamatio, vocatio per ſe ſit? at o ego commentum eſt Palæmonis, non obſervatũ ex authore idoneo exemplũ: o & nos felices, accuſativi caſus eſſe poteſt, attamen decretum Grámaticorum adnotavi, ſi cui placuerit. Controverſia etiam de Tu veteribus fuit. Tripho enim vocativum tantúm eſſe cenſuit, & ei tantúm apoſtrophen dedit: Apollonius contrá diſſeruit etiam nominativi caſus eſſe, ut Priſcianus author eſt lib. 17. ubi & docet vocativos tue & ſue, figuraté uſurpari poſſe, neč id ratione carere, quamvis in uſu nõ ſint. Tria deinde ſũt adiectiva hic, hæc, hoc, is, ea, id, quis, quæ, quod: de primo ſic Priſcianus lib. 13. præcipit, Hic, hujus, huic, quod ſolum aſſumpſit c per omnes caſus ſingulares abſque illis qui in s deſinunt, hoc eſt genitivo ſingulari, & dativo & ablativo & accuſativo pluralibus: quibus tamen frequenter authores ſolẽt addere ce ſyllabam, hujuſce, quomodo & pluralibus ejus in eandem terminantibus cõſonantem, ut hiſca, hoſce, haſce: quamvis reliquis quoq; caſibus vetuſtiſſimi addebant eandem ſyllabam, hicce, hæcce, hocce: unde vocali quoq; ſequẽte e, ablata per ſynalœphá, manenrib. duab. c ſolebát pducere hoc, ut Virg. in 2. Aen.

Hocce erat alma parẽs, quæ me per tela, per ignes, Eripis.— Sed ſcriptorum negligẽtia prætermiſit unũ c. Et ſciendũ qđ accuſativi caſus ſingulares, & genitivi plurales m in n cõuertunt, c ſequẽte, ut hũc, hác, horunce, harũce. Hæc Priſcianus. vocativum autem quidá retinent, quo Virg. 12. Aen. uſus videtur,

Eſto nunc ſol teſtis, & hæc mihi terra precanti.

Et ſic Græci ὦ οὗτος in vocativo dicunt, heus tu. Verum illud, eſto, poteſt eſſe tertiæ perſonæ. Veterib. accuſativus im fuit pro eum, ut é duodecim tabulis citatur á Macrobio, Si nox furtum factum ſit, ſi im aliquis occiſit, jure cæſus eſto. Ubi etiam nox vetuſté pro nocte ponitur. Ille videtur eſſe vocativus ecloga quinta,

Deus Deus ille Menalca
Sit bonus o fœlixq; tuis.

De tertio Priſcianus eodem libro hæc tradidit: Quis etiam cõmunis eſſe generis putaverũt vetuſtiſsimi, ſicut apud Gręcos ὅτις. Terẽt. Eun. Hunc oculis noſtrarũ quiſquá nõ vidit, Phædria. noſtrarũ quiſquá dixit, pro quæquá. Plau. in Aulul. Dic mihi, ſi audes, quis ea eſt quẽ vis ducere uxorẽ? Et obliquos eius caſus tá ſecundũ tertiá, quám ſecundá declinationẽ terminabát, unde nunc quoq; accuſativus maſculini in em ſecundũ tertię proportionẽ profertur, quávis fœminini in am, ut quẽ quá. Ablativus nõ ſolũ in o, ſed etiá in i, á quo vel á qui, & á qua vel á qui. Vir. in 11.

—Accam ex æqualibus unam,
Qui cum partiri curas.— pro qua cũ. Ter. Eun. Qui cũ? Cũ Parmenone. Nominativum quoq; pluralẽ non ſolúm in i & æ, ſed etiá in es, qui, quæ vel ques, accuſativum etiá, quos, quas vel ques: ut Pacuvius in Medo, Ques ſunt iſti? Cato, Quecunque Romæ regnaviſſent. Accius in Neoptolemo, Sed queſdam. Nam dativum & ablativum nunc quoque tam per is, quám per bus proferimus, quis vel quibus. Sciendũ autẽ, quod qui, quádo pro interrogativo vel infinito, id eſt pro quis ponitur circunflectitur: quando autẽ pro relativo, acuitur per ſe, in lectione gravatur.

tur. Similiter obliqui caſus generalem accentuum tegulam ſeruant, quádo ſunt infinita vel interrogativa: quádo veró relativa, acuuntur per ſe, in lectione gravantur per omnes ſyllabas.

Movet ibidem Priſcianus quęſtionem de trium horum adiectiuorú dativis, monoſyllabi'ne ſint. Quæritur sit, in hoc modo declinationis, cúm omnis dativus una ſyllaba minor ſit genitiuo, ut illius illi, iſtius iſti, ipſius ipſi, unius uni, ſolius ſoli, utrius utri, alterius alteri, an huius huic, cuius cui, eius ei, monoſyllaba ſint accipienda in dativo, quod regula exigit, & pleriq; poëtarum metris comprobát, ut Virg. in 4. Aen.

Cuiq; loci leges dedimus, connubia noſtra
Reppulit.— Idem in 1. Georg.
Huic á ſtirpe pedes temo protentus in octo.

Et ubiq; hoc ſervat. Inveniuntur tamé, ſed raró diſſyllaba, & maximé ei, differétiæ cauſſa, ne interiectio eſſe putetur, quod de nomine quoq; tractantes memoravimus. Unde pluralis etiá dativus & ablativus, ſecundú analogiam in ius terminátiú genitivum ſingularé, quorum dativus ſingularis, in i terminans, & pluralis, in is deſinens, pares habet ſyllabas, ei, eis vel iis, ut cui, quis, huic: in quo c, per adiectioné differentiæ cauſſa accedit. His, quávis & hibus pro his antiqui protulerót. Plau. in Curculione, Eodé hercle vos pato & pono, patiſsimi eſtis hibus. quod per diæreſim ei, & eis invenitur diſſyllabum, oſtédit Juvenalis in 5.

Implet & ad mœchos dat eiſdem ferre cynædis.

Statius quoq; huic videtur protuliſſe per diæreſim ſyllabarum, in 1. Syl.

Lætus huic dono, videas dare thura nepotes.

Idem in eodem,

Falſus huic pennas & cornua ſumeret æthræ.

Cui quoq; Terentianus de literis,

Verum ut cuiq; eſt proximitas loci ſoniq;.

Eſt enim Sotadicú ex duob. ionicis á majore & tribus trochæis. Idem in eodem.

Ex ordine fulgens, cui dat locum ſonipes.

Plurales autem caſus ii & iis pro ei & eis aliquando poëtis monoſyllabi ſunt, de quo ſic in Oratore Cic. Idé campus habet (loquit Ennius) & in téplis iſdé. Probavit iſdem: at eiſdem erat verius: nec tamen Opimius eiſdé, malé ſonabat iiſdé. Atq; hæc de tribus adiectivis in ius genitiuo habétibus, tredecim ſequentia anomaliá diſsimilé habent in nominativo.

Ipſe, analogú veteribus fuit Ipſus, ipſa, ipſum, qua de re ita Priſcianus: Illud etiá attédendú, quod cúm ille illud, iſte iſtud, is id faciút neutra, ipſe ſolum, quod & ipſus invenitur, á vetuſtiſsimis prolatum, neutrú in um deſinens fecit. Ter. Andr. Ipſos mihi Davos, qui intimus eſt eorum cóſiliis, dixit. Idé in eadé, Iſtuc ipſum, Atqui hoc ipſum nil pericli eſt, me vide: Illa enim quæ quibuſdá viſa eſt ratio, non adeo firma videtur, ideo in facere neutrú, quia in us deſinit maſculinum. Ná alius cúm in us terminetur, neutrú tamé aliud fecit. Omnia neutra pluralia ſimilia ſunt ſingularib. fœmininis, ut illa, ea, hæc. Genitivos habét in ius i lóga. Priſcianus de i longa ante us nó ſemel præcipit. Ná primo libro ſic ait, In latinis dictionibus nó facilé invenies i longú ante vocalem poſitam, niſi in genitivis in ius deſinétibus, ut Illius, Solius, Ullius: quæ tamé licet & corripere in metro. Priſcianus hic generaliter loquitur, nil excipit. Et ſecúdo lib. idem prorſus ait at lib. 6. deinde unú excipit, Et ſciendú (ait) quod in ius terminátium, genitivus producit penultimá, niſi poëtica authoritas eá corripiat, excepto Alter alterius, quod ideo magis correptá habuit penultimá, quód duabus ſyllabis vincit genitivus nominativum. Quod igitur creuit ſyllabis, hoc minuit tépore. Terentianus tamen invenitur huius etiam i penultimam produxiſſe in trochaico metro, quod eſt ex ſepté pedibus & ſyllaba.

Secuplo vel una vincet alterius ſingulum.
Sextus enim pes vult á longa incipere.

Hæc Priſcianus, ubi excipit unú genitivum alterius, quod Grámatici adhuc ſecuti ſunt. Terentianú tamen hic authoré & antiquioré & uberioré ſequi malui.

Hexaptota. Hæc tria ſola Priſcianus hexaptota putat eſſe cúm de hexaptotis loquitur, lib. 13. Nec in omnibus (ait) variantur caſibus, nec in nominibus tamen hoc invenies niſi tribus, quæ nominativum in us genitivum in ius terminantia, ſecundum quorúdam pronominum declinationem flectútur: unde quidam decepti, pronomina ea eſſe putaverunt: ut unus, unius, ſolus ſolius, totus totius: ná ullus, nullus, alius vocativos habere nó poſſunt, cúm abnegant præſentium demóſtrationem perſonarú, vocativus autem, præſentem ſoleat demonſtrare perſoná. Eſt notandú quod Priſcianus anxié

 varíis

varìis item locis iteravit caſus iſtos in ius & i veteribus aliquando analogos fuiſſe. Exempla ex Priſciaui variis locis conferemus. Iſti pro iſtius. Cato, Pecunia mea Reipu. profuit, quam iſti modi, uri tu es. Illi pro illius. Cato, Er quis illi modi eſſe vult. Ipſi ℘ ipſius. Afranius, Ipſi me velle veſtimenta dicito. Totæ pro toti. Cicero ad Herennium, Non res rotæ rei neceſſe eſt ſimilis ſit. Toti pro totius. Afranius, Adeó ut te ſatiaa caperet toti filiæ. Solæ pro ſoli. Terent. Eunuch. Nunquam ædepol quicquam jamdiu quod magis vellem evenire, mihi evenit, quám quodmodó ſenex intró ad nos venit errās mihi ſolæ ridiculo fuit, quę quid timeret, ſciebā. Soli pro ſolius. Caro, Nam de omui Tuſculana civitate ſoli Lucilij Manulei beneficium gratum fuit. Unæ pro uni. Cice. pro Marco Tullio, Hoc judicium ſic expectatur, ut nō unæ rei ſtatui, ſed omnibus conſtitui putetur. Uni pro uuius. Titinnius in Barbato, Quod quidem, Pol mulier dicit: namque nni collegii ſumus. Ulli pro ullius. Plaut. in Truculen. Quaſi veró corporis reliqueris poteſtatem, coloris ulli capiendi mala. Nullæ pro nulli. Cecilius, Nullæ nationi, tot rantas comminuas victorias, tam brevi ſpatio datas arbitror, quám vobis. Cato in 1. Originū. Nulli pro nullius, Qnod tāriſper nulli rei eſt, dum nihil agas: poteſt tamen hic dativus accipi, uulli rei, pro nulli utilitati. Terent. in Andr. Quandoquidem tam iners, tam nulli conſilii. Alteræ pro alteri. Tereot. in Heaut. Hæc ipſa in itinere, alteræ dū narrat, forté andivi. Alii pro alius. M. Cato in Cenſura de veſtitu & de vehiculis, Nam periujuriū, ſi & cúm mihi ob eos mores quos prius habui, honos detur ubi datus eſt: tamen uti eos mutem atque alii modi ſim. pro alius modi. ſic Cæſ. in Anticatone priore, Uno enim excepto, quem alii modi atque omnis natura finxit, ſuos quiſque habere charos. C. Licinius in 2. Perverſum eſſe, alii modi poſtulare. Aliæ pro alius, Cecilius in 5. Nullius alię rei, niſi amicitiæ eorum cauſſa. Hæc exempla ſunt é Priſciano, unde cognoſcimus caſus uſitatos olim fuiſſe iſti, illi, ipſi, rotæ, toti, ſolæ, ſoli, unæ, uni, ulli, nullæ, nulli, alteræ, aliæ, alii. Sed in nomine neuter (ait idem) ex contrario aliis, quæ ſimili forma declinantur, frequentior eſt uſus genitivi in i & dativi in o terminantis in maſculino & neutro, in fœminino veró in æ diphthongum, hic neuter & hoc neutrū, hujus neutri, huic neutro, hæc neutra, hujus & huic neutræ. Idem author in declinatione compoſiti alteruter alterutra alterutrum multus eſt. Unum apud Latinos (ait lib. 5.) invenitur nomē, quod quāvis ex duobus nominativis ſit compoſitum: non tamen ex utraque parte declinatur, id eſt alteruter alterutrius, quod tamen ipſum non abſque ratione declinatur: nam cúm duæ pugnant inter ſe regulæ, ut unam ſervet, neceſſarió perdidit alteram. Omnia enim nomina vel pronomina quæ genitivum in ius terminant, debent hunc habere communem trium generum, unus unius, una unius, unum unius: ſolus ſolius, ſola ſolius, ſolū ſolius: ille illius, illa illius, illud illius. Cúm igitur fœmininum & neutrū ſupradicti nominis, ex integro & corrupto ſint compoſita, hiatus cauſſa & euphoniæ, alterutra pro alterautra, alterutrū pro alterūutrum: & neceſſarió extrinſecus habuerunt declinationem, id eſt alterutrius: unde Cicero pro M. Marcello, Quod ſi in alterutro peccandū ſit, malim timidus quā parúm prudēs videri. Itaq; maſculinum quoq; eorum eſt declinationē ſecutum, propter rationem ſupradictam in ius terminantia gentivi, qui communis trium vult eſſe generum. Quod idem 6. lib. repetit Priſcianus, & docet etiam utraque parte declinari. Alterutrum (ait) ex altera parte plerunq; declinatur, id eſt exterioſe, alteruter alterutrius, ut ſit genitivus & dativus, trium generū ſimilis, quod proprium eſt omnium in ius terminantium genitivos. Inveniuntur tamen & alteraûtra & alterumutrú protuliſſe veteres, & ex utraque parte declinaſſe. Cic. in Protagora, Quæ igitur poteſt eſſe indignitas voluntatis ad moleſtiam, niſi in magnitudine aut longitudine alteriuſutrius poſita? Cato de ambitu, Sed ſunt partim, qui duarum rerum alteriuſutrius cauſſa magiſtratum petunt. Idem rurſus, Alteruter (ait lib. 6.) alterutra vel alterautra, alterutrum vel alterumutrum, alterutrius vel alteriuſutrius, alterutri vel alteriutri: utraq; enim declinatio in uſu veterū eſt. Ambo & duo aliquando pro ambos & duos poni dicimus, & exempla ſunt hujus rei. Plaut. Rud. Iube dum recedere iſtos ambo illuc modo. Horat. 2. Serm.

Præte-

Præterea ne vos titillet gloria, jure,
jurando obſtringam ambo. 3. Epiſt.

Duo enim duarũ ætatũ plurimi facio, eadẽ ratione Cn. Põpejum filiæ tuæ ſocerũ & M. Brutũ generum tuũ. Virg. 11. Aen.

Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra viros.—

Atq; hæc nomina ſunt unũ & viginti, de quibus propoſui, quorũ partẽ á nominibus Grámatici ſegregant, & pronomen ſpeciem vocis á nomine diverſam faciunt, quem errorem anté refutavi, & hoc ipſo in loco refelli cõmodiús etiam poteſt comparatis Grámaticorum definitionibus. Nomen (ait Donatus) eſt pars orationis cũ caſu, corpus aut rẽ proprié cõmuniterve ſignificans. Hac definitione cõprehenduntur omnia pronomina: nullũ enim eſt, quod non ſit pars orationis cũ caſu corpus aut rẽ proprié cõmuniterve ſignificãs. Pronomen etiã pari logica definitũ eſt, Pronomẽ (ait Donatus) eſt pars orationis, quæ pro nomine poſita tantundẽ pene ſignificat, perſonamq; interdũ recipit. Quódnã igitur, ó Donate, adjectivum nomen eſt, cui definitio iſta convenire non poſsit? Quid Rhetorũ ἀντωνομασία, utrũ iſtá nominis pro nomine poſitionẽ, pronomẽ nomine faciet? Itaq; ex definitionibus natę ſunt ambiguitates illæ Grámaticorum. Probus facit pronomina numero unũ & viginti: alii deinde numerũ ad quindecim reduxerunt, quos Priſcianus ſequitur. Donatus quærit qd inter pronomina & articulos interſit. Inter pnomina (ait) & articulos hoc intereſt, quod pronomina ea putantur, quæ cúm ſola ſunt, vicem nominis complent, ut quis, ille, iſte. Articuli veró cúm pronominibus aut nominibus aut participiis adjunguntur, ut hic, hujus, huic, hũc, hoc, hi, horũ, his, hos, his. Hæc eadẽ pronomina & pro articulis, & pro demonſtratione ponuntur. Neuter, uter, unus, omnis, alter, alius, ullus, ambo, uterq;, ſunt qui nomina, ſunt qui pronomina exiſtimãt, ideo quód articulis in declinatione nõ indigẽt. Hæc Donatus, unde anxietatẽ hominis agnoſcimus, qa nihil definitum logicis & accuratis definitionibus haberet. Varro lib. 7. nomina vocat appellationes. Appellandei veró (ait) partes ſunt quatuor, é queis dicta á quibuſdã provocabula, quę ſunt, ut quiſque: vocabula, ut ſcutũ, gladius: nomina, ut Romulus, Remus: pronomina, ut hic, hæc, duo media dicuntur nomina, prima et extrema articuli. Primũ genus eſt infinitũ, ſecundũ ut infinitũ, tertiũ ut finitũ, quartũ finitũ. Palęmo ſimili logica facit pronomina triũ generũ, finita, ut hic, iſte: infinita, ut quis, quiſq;: minús quám finita, ego, tu. Atq; in pronominibus genera ex ſignificationib varia facta, alia demõſtrativa, ut ego, tu, hic, iſte, meus, tuus, noſter, veſter, noſtras, veſtras: alia relativa, ut is, ſuus, ipſe, ſui: alia utrumq;, ut ille, ipſe. Quã differentiã leviter attigimus, ſi quid emolumẽti res afferre poſſet ad Syntaxin. Quamobrem, ſi quis miretur cur huic doctrinæ non aſſentiamur, miretur potiús cur ipſa ſibimet ipſi tam contraria tamq; repugnantia profiteatur.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER XI. DE prima declinatione imparisyllaba.

Declinatio impariſyllaba á grãmaticis confuſiſsimé tradita eſt, generalia nobis præponũtur in definitione in accuſativo græco & vocativo. Atque hic ſpecies duæ ex incrementi differentia ante oculos erant. Priſcianũ hac de re audi, proponet ſi nõ te ipſa partitionẽ impariſyllabæ declinationis, certé partes ipſas. ſic enim loquitur ſeptimo libro: Oportet aũt ſcire (ait) quod in quibuſdã pares habet genitivus tertiæ, ſuo nominativo ſyllabas, in quibuſdã una, in aliis duabus ſyllabis vincit: & pares quidẽ habet in nominibus in e deſinentibus correptam, vt hoc mare hujus maria hoc monile hujus monilis: & in quibuſdam in er vel in es productam, vel in is tam correptam, quám productã exeuntibus, ut hic pater hujus patris, hic Verres hujus Verris, hæc cædea hujus cædis, hic collis hujus collis, hæc avis hujus avis, hæc vis, hujus vis. In aliis autem omnibus ejuſdẽ declinationis nominibus, una ſyllaba ſuperat nominativum genitivus, ut ſchema ſchematis, Cicero Ciceronis, conſul conſulis, pecten pectinis, baccar baccaris, lis litis, apex apicis. Hæc igitur Priſcianus, quibus docet re ipſa declinationis hujus impariſyllabæ duas eſſe ſpecies: primã, cujus ge

nitivus ſingularis nõ creſcit, eiq; fines attribuit e, ea,ia,er:tum ſecundá ſpeciẽ docet eſſe, quæ utroq; numero creſcit. Ergo diviſionis hujus cauſſam, etiá Grámatici veteres probauerũt:atq; hic, ut anté fecimus, præcipuá quorundá rationem habebimus. Primæ itaque impariſyllabæ primus finis eſt e neutrum. Lacte olim fuit nõ lac: & Diomedes lib. 1. Lac a Varrone exterminatũ ait: deniq; Priſcianus repetit, & Nonius citat á Varrone, Cádidú lacte papillá cum fluit. Atq; etiam é Plauto proferuntur in Menęchmis. Nec aqua, aquæ, nec lacte lacti, crede mihi, uſquam ſimilius: idem in Mil. Tam ſimile, quá lacte lacti eſt. De mille, Grámatici altercantur. Mille cúm neutrũ eſt ſingulare, Grámatici quidá unicó l ſcribi jubẽt, cúm autem eſt omnis generis, l geminaro, differentia ridicula & cõmentitia. Varró autẽ ſic de hoc nomine loqtur, Hoc mille (ait) denarium, non, hoc mille denarij, & hæc duo millia denariũ, non duo millia denarij. Sed hæc Varronis ſententia multó clarior eſt apud Gellium lib. 1. cap. 16. his verbis: Quadrigarius in 3. Annalium ita ſcripſit. Ibi occiditur mille hominum: occiditur (inquit) nõ occiduntur. Item Lucilius in 3. Satyr.

Ad portam mille á porta eſt exinde Salernum.

Mille (inquit) eſt, nõ mille ſunt. Varro in in 18. rerum humanarũ, Ad Romuli initiũ plus mille & centum annorũ eſt. Cato in 1. Originum, Inde eſt fermé mille paſſus. M. Cic. in 6. in Antoniũ, Itáne Janus, medius in L. Antonii clientela eſt. quis unquá in illo Jano inventus eſt, qui L. Antonio mille nũmũ ferret expenſum? In his atq; multis aliis mille, numero ſingulari dictum eſt, neq; hoc ut quidá putant, vetuſtati conceſſum eſt, aut per figuratũ cõcinnitaté admiſſum eſt, ſed ſic videtur ratio poſcere: mille enim non pro eo ponitur quod græcé χίλιοι dicitur, ſed quod χιλιάς, & ſicuti una χιλιάς & duæ χιλιάδες, ita unũ mille & duo millia, certa atq; directa ratione dicitur. Quamobrẽ, id quoq; recté & probabiliter dici ſolitum, Mille denariũ in arca eſt, & mille equitũ in exercitu eſt. Lucilius autẽ præter quam ſuperius poſui, alio quoq; in loco id manifeſtiús demonſtrat. Nam lib. 15. ita dicit,

Hunc milli paſſum qui vicerit atq; duobus,
Campanus ſonipes ſuccuſſor nullus ſequetur,
Majore in ſpatio ac diverſus videbitur ire.

Item alio lib. 9.

Mille die nummum, potes uno quærere centum.

Mille paſſum dixit pro mille paſsibus, & uno mille mummũ pro unis mille nummis, aperteq; oſtendit mille & vocabulũ eſſe, & ſingulari numero dici, eiuſquę plurativum eſſe millia, & caſum etiam capere ablativum, neq; cæteros caſus requiri oportere, cúm ſint alia pleraq; vocabula, quæ in ſingulos tantúm caſus, quædam etiam, quæ in nullum inclinentur. Quapropter nihil jam dubiũ eſt, quin M. Cic. in oratione quam ſcripſit pro Milone, ita ſcriptum reliquerit, Ante fundũ Clodii, quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facilé mille hominum verſabatur valentium: non verſabantur, quod in libris minús accuratis ſcriptũ eſt: alia enim ratione, mille hominum, alia mille homines dicendum eſt. Hæc Gellius, ubi addit etiam ſingularem ablativum milli, quod vix ſequar.

Feſtorum nomina (ait Priſcianus libro ſeptimo) in ia deſinentis, ſemper pluralia, genitivum quidem tam ſecundum formá ſecundæ, quám tertiæ proferunt, dativum veró & ablativum ſecundum tertiam. Hęc Vulcanalia, horum Vulcanaliorum & Vulcanalium, his et ab his Vulcanalibus. Similiter Saturnalia, Floralia, Compitalia, Terminalia, Quinquatria. Horum veró dierum nomina, longa ſerie recenſentur á Varrone lib. 5. Agonalia, Carmentalia, Lupercalia, Quirinalia, Feralia, Equiria, Liberalia, Megaleſia, & multa ejuſmodi. Sed Macrobius in Saturnalibus lib. 1. cap. 2. pauló expreſsiús hac de re loquitur, nec omnium feſtorum nomina in eandem formam includit, ut Ferialium non Ferialiorum, Floralium non Floraliorum, Liberalium, non Liberaliorum, Lucarium non Lucariorũ. Itaq; cum in ium deſinunt hi genitivi, putat Macrobius analogiá eſſe, cúm in orum, anomaliam authoritate in certis vocibus, non in omnibus confirmatam: proponit etiá ſimilem varietatem in quibuſdam nominibus non feſtorũ dierum, vt vectigalium vectigaliorum, anciliũ anciliorum, ſponſalium ſponſaliorum.

Ex ea fine etiá quædá contracta ſunt. Adipes illa, citatur ex Varrone apud Priſcianum, adeps præcipué proponitur á Grámaticis. Sepes, ſeps etiam Grammaticis: at integrum malo. Plin. lib. 12. cap. 5.

Opaca

Opaca ſepes et munita vallo arboris. Trabes cæſa, ex Ennio eſt in Topicis Ciceronis: trabs tamen frequétiús. Plebes quos pro ſe cótra vim auxilii ergo creaſsit, Tribuni ejus ſunto, Cic. 3. leg. ſic apud Liviú, Plebes erecta: apud Salluſtium, Plebes armata: plebs, etiam uſitatum. Græca veró nomina pleraque finis hujus, etiam primæ patiſyllaba declinantur, de quibus ita Priſcianus lib. 6. Si gręca in ς terminát genitivum, primæ ſunt declinationis, ut Ἀχάτης Ἀχάτου, Achates Achatæ, Ἀγχίσης Ἀγχίσου, Anchiſes Anchiſæ. Sæpiſsimé tamen huiuſcemodi nomina antiqui & ſecúndum tertiam protulerunt declinationem, ut Orontes Orontæ & Orontis, Timarchides Timarchidæ & Timarchidis, Herodes Herodæ & Herodis. Horat. in 2. Epiſt.

Præferat Herodis palmetis pinguibus alter.

Cic. in 1. Tuſc. Non ſine cauſſa, cùm Oreſtis fabulam doceret Euripides. Sall. in 2. hiſtoriarum, Eam deditionem Senatus per nuntios Oreſtis cognitam approbat. Idem in 4. hiſtoriarum, Namque primú Iaſonem novo itinere maris, Æetę hoſpitis domum violaſſe. A. Gellius noctium Attic. 9. Hiſtoriæ ex libris Heraclidæ Pontici jucunda memoratu, & miranda. Sciédú tamen q frequentiſsimé & tertia utúntur declinatione in propriis, quæ formá habent patronymicorum, & in barbaris, ut Thucydides Thucydidæ & Thucydidis, Mithridates Mithridatæ Mithridatis, Tigranes Tigranæ Tigranis: hujuſcemodi enim nomina Parthica etiam græci ancipiti terminant genitivo, modó ς, modó ος, Τιγράνης Τιγράνου Τιγράνους. Virg. in 12.

—*Nec Drancis dicta refellam.*

Eſt item genitivus hic in i á ſecunda pariſyllaba, ut Ariſtoteli, Demoſtheni, Thucydidi, Euripidi, pro Ariſtotelis, Demoſthenis, Thucydidis, Euripidis. Verum Priſciano tantum credes quantum incorruptis teſtimoniis approbabit.

Vis, recto & obliquis dicitur (ait Varro.) Grámatici novi, dativo ſingulari privant, quamobré tamen, non ſatis video, cúm eodé fine ſit uſitatus ablativus vi, nec veterum tamé quiſquam id præceptú reliquit, ut intelligamus caſu illo veteribus interdictum fuiſſe. Vis, etiam pluralis aliquando fuit. Salluſt. Malé jam aſſvetum ad omnes vis controverſiarum. In accuſativo & ablativo ſingulari & genitivo plurali facilitas magna nobis invéta eſt é diviſione impariſyllabæ, duas in ſpecies: omnia enim illa quæ tá obſcuré traduntur á Grámaticis, ad unam feré primá ſpecié redeunt. De accuſativo in im, non una Grámaticorú ſententia eſt, aliiq; aliter authorú locos, unde confirmare decretum ſuum poſsint, legunt. Cæſ. 1. Citra flumé Ararim. Plaut. Curc. Datin' iſti ſellam, ubi aſsideat citó, & aqualim cum aqua. pro Mur. Sed Servi, quam te ſecurim putas injeciſſe petitioni tuæ? De Senect. Quaſi diuturná ſitim explere cupiés. Plaut. Aul. Ad ravim poſcamus. Plin. lib. 23. cap. 1. Tuſſim veteré inhibet. Idé lib. 20. cap. 1. Cucumim ſylueſtré eſſe diximus. 1. Georg.

Continuó in ſylvis magna vi flexa domatur,
In burim & curvi formam accipit ulmus aratri.

Pelvis notatur á Grammaticis omnibus. ſed ſine exéplo, nec modó ullú ſuccurrit. De duplici accuſativo præcipimus feré quod uſus nobis oſtendit. Terent. Ad reſtim res rediit. Plin. Reſtem circumlini. Accius in Medea, Apud vetuſtam turré. Cæſ. 10. Majoriq; cum fiducia ad alteram turrem aggeremq; eruptione pugnaverunt. Virg.

Turrim in præcipiti ſtantem.—

Cato, Clavem torculario uná. Plaut. Moſtell. Clavim mihi harunce ædium nunc jam jube efferri intus. Cic. Navem maximam, & idem Navim rectá. Lucanus puppem dixit. Virg. 1. Aen.

—*Ingens á vertice pontus*
In puppim ferit.—

Ad Att. Cóvertere naué ad puppim. In Arat. A prora ad malum, á malo ad puppim. Celſus, Minuere febrem. Horat. Reducere febrim. Ablativus analogus eſt in e ex accuſativo in em: at analogus eſt in i ex accuſativo in im. His addútur tredecim, quorú tamé ablativus analogus eſt in e, multó frequétior, imó (ait Priſcianus) quod in i deſinat, non arti, ſed authoritati aſcribédum. 9. Aen.

—*Dextra cingitur amni.*

Horat. 1. Epiſt.

—*Cane pejus & angui.*

Idem 1. Carm.

Nereus fata mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Græcia milite.

Sed Varronis 7. de lingua illud inſignius eſt, Sine reprehenſione (ait) vulgó alii dicunt in ſingulari hac ovi & avi, alii hac ove & ave. 4. Aen.

—Et

—Et caeco carpitur igni.

Horat.1.Epiſt.

—Acuto ne ſecer ungui.

De ablativo civi Priſcianus citat quinq; exempla á Cicerone.4.Verr. Quod Siculus á civi Romano,civis Romanus datur. Pauló infrá,Primum ſuę legis,quod civis cum civi ageret.Idem pro Planc.Quid dicam de C.Virgilio tali civi, & viro? Idem pro Seſt. Quid auſus eſſet pro civi,pro bene merito civi.Idē 6.Philipp.Sed in principe civi non eſt ſatis. Hos Priſcisnns locos ita legit, & conqueritur veteres codices, qui hanc lectionem habeant, ab imperitis corrumpi.8.Aen.

Advectum Aeneam claßi victosque Penates.

Priſcianus tamen *ἰλλογισμὸν* putat hic eſſe poſſe, claſsi pro claſſe. Nepti additur á Grāmaticis, exemplum requires. Ovid. Metamorph.

Raptaque de dextro robuſta repagula poſtí,
Oßibus illiſit.—

Ea fini citatur á Gellio. Fuſti caput afflixit, á Tacito. Ter. Eun. In medium huc agmen cum vecti Dorax.

Arare ablativus eſt Cæſaris 1. Eo frumēto quod flumine Arare navibns ſubvexerat, propterea minús uti poterat, quód iter ab Arare Helvetii averterant.In contractione genitivi pluralis, Priſcianus citat Ovidium 8.Metam.

Et quot ſuſtinui, bis menſum quinque labores.

ſed poëtæ exemplum eſt.

Accuſativus pluralis ex genitivo in ium, aliquādo in *ει* diphthongum deſinit, de quo ſic Varro lib.7.de Lingua (ait) In accuſandi caſu, hos monteis fonteis, hos montes fontes. Et ibidem. Nam quid poteſt ſimilius eſſe quám mens, dens, gens? cúm horum caſus patricus & accuſandi in multitudine ſint diſpariles: nam á primo fit gentium & genteis utróbique ut ſit i: á ſecundo mentium & mentes,ut in priore ſolo ſit i: á tertio dentium & dentes, ut in neutro ſit i.Hęc Varro, unde lex concludi nō poteſt.Terētianus de diphthongo *ει* diſſerens,quædam generis hujus notavit cúm ait,

Sic oveis,plureis,omneis ſcribimus pluraliter:
Non enim nunc addis e, ſed permanet ſicut fuit.

Priſcianus idem diſsimiliter etiam tradit lib.7. Quorum autem in ium terminatū genitivum frequentiús is, & quorum rariús exeat accuſativus in es, ut potero, breviter colligam. Quæ veró Priſcianus enumerat, hæc ſunt: Alpis Syrtis, Trallis, Sardis, omnis,pinguis,dulcis, navis,manis,acris,ſalubris,imbris,decembris, celeris, & ea quæ deſinunt in ns & rs,ut fontis, mortis, partis, parentis, ingentis, bidentis, pluris, compluris. Trallis & Sardis uſus tantúm recepit, & nos in regula ſtatuimus. Cætera tantúm cōfirmat poeticis teſtimoniis, & quidem Varroni diſſimiliter. Nam Varro ex illis in ns definētibus, facit montes & monteis, fontes & fonteis, & diphthongum ſcribit, quá Priſcianus abiicit, i longa retenta. Itaque regula é tam variis incertiſque & ſentētiis & exemplis, nulla fieri catholica poteſt. Adde quod ambiguitas crearetur nobis, i longum non aliter in ultimis ſyllabis, quám breve pronuntiantibus: & Priſcianns, cúm ait frequētiús in is quám in eis deſinere, videtur nobis terminationem es in accuſatiuo permittere.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER XII. DE ſecunda declinatione impariſyllaba.

SEcnnda impariſyllaba generalia quædam habet, & communia ſequentium terminationum. ea igitur præponnntur. Ex impariſyllaba autem ſecunda, naſcitur pleiumque pariſyllaba declinatio, de qua ſic Priſcisnus lib. 6. In multis invenimus (ait) á genitivo græco factum latinnm nominativum, *ἐλέφας ἐλέφαντος*, hic Elephas hujus elephantis, & hic Elephātus huius Elephanri, á genitivo græco elephātos: ſimiliter hic abacus hujus abaci, á genitivo græco abacos, Arabs Arabos, Arabs Arabis, & Arabus Arabi: Titan Titanos; hic Titanus hujus Titani. Plaut. in Menæchmis, Barbatum tremulnm Titanum, qui lucet Cygno patre. Necnon ab accuſativo græco fit nominarivus latinus, Pāthera, cratera, quod Græci quoque in multis fecere, quos in hoc quoq; ſequimur, qui ſæpe & genitivo & aliis caſibus pro nominarivo ſunt uſi, ut *ὁ μάρτυς τοῦ μάρτυρος καὶ μάρτυρος μαρτύρου, ἰκτὶν ἰκτῖνος, ἰκτῖνος ἰκτίνου*. Virg.7.

Hircaniſve Arabiſve parāt ſeu tendere ad Indos.

qui eſt á nomiuativo hic Arabus. Idē in 8.

Omnis

Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

Lucilius in 4. Aethiopus dixit pro Aethiops.

Rhinocerus velut Aethiopus.—

Titanus quoq; pro Titan dicebant: unde Nævius in carmine belli Punici primo, Inerant ſigna expreſſa, quomodo Titani bicorpores gigantes, magnique Atlantes. Lucan. in 9.

Nec tutus ſpatio eſt Elephas.

Iuvenalis in 4.

Rurſus ad Aethiopũ populos alioſq; Elephãtos.

Virgil. in 8.

—Pantheræ terga retorquens.

Cic. in Arato,

Tũ magni curvus Capricorni corpora propter
Delphinus jacet, haud nimio luſtratus nitore.

Horat. in 2. carm.

Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

Ennotandum eſt etiam de genere, quod maſculino genere protulit Horatius, cùm Virgilius fœminino in 4. Georg.

Quid lynces Bacchi variæ?

Perſius,

Crateram argenti ſudabit pertrepidum cor.

Juvenalis in primo,

Lectus erat Codro procula minor, urceoli ſex.
Ornamentum abaci. Idem in 10.
Quanto delphinis Ballena Britannica major.

Horat. in 2. Carm.

Nulla decempedis metata privatis
Opacam porticus excipiebat Arcton.

Hæc decẽpeda ab accuſativo græco ἀπὸ τοῦ δεκάποδα. Idem in 2. Epiſt.

Diverſum confuſa genus Panthera Camelo,

Caſsida quoque accuſativus eſt græcus ab eo quod eſt caſsis, quo uſus eſt pro nominativo Virgilius,

—Aurea vati
Caßida.— m Statius veró, Caſsis protulit in 2. Thebaidos,

Bellipotens, cui torva genis horrore decoræ.
Caßis & aſperſo crudeſcit ſanguine Gorgon.

Quod autem græcum eſt hoc nomen, oſtendit etiam Probus in libro, qui eſt de catholicis nominum. Atque hæc de ortu pariſyllabæ ex impariſyllaba. Ablativus contractorum in as, á Priſciano proponitur. Veteres (ait lib. 7.) huiuſcemodi nomina in is proferebant, hic & hæc Arpinatis dicentes, unde neutrum Arpinare. Itaque in huiuſmodi nominibus citat Priſcianus á Catone lucus Capenatis, mortuus eſt Arpinatis: rurſus, populus Ardeatis. Plaut. autem in Curc. Quid eum nunc quæris aut cuiatis? Atque hęc in as circunflexa (ait Priſcianus ibidem) tam in e quám in i finiunt ablativum. Cic. pro Vareno, Cajus Ancharius Rufus fuit é municipio Fulginate. In eodem, In præfectura Fulginate. Idem pro Clu. Ex municipio Aletrinati. Ablativus etiam comparativorum in e vel i ſic á Priſciano explicatur: Non mirum tam in e, quám in i comparativorum ablativos terminari (ait lib. 7.) quando vetuſtiſsimi etiam neutrum in or finiebant, & erat eadem terminatio communis trium generum, quæ capax eſt, ut docuimus, utriuſque ablativi tam in e quám in i terminátis. Valerius Antias in 6. Annalium, Hoc Senatuſconſultum prior factum eſt. Caſsius Hemina Annalem ſuum quartum hoc titulo inſcripſit, Bellum Punicum poſterior. Claudius in 8. Annalium, Qui prior bellum quod cũ bis geſtum erat, meminiſſent. Idẽ in eodem, Ubi decreverunt, commemorant Graccho fœdus prior Pompejanum non eſſe ſervatum. In ix etiam fœminina, verbalia quæ poſſunt eſſe communia cum neutris, ut victrix, ultrix, unde & victricia & vltricia, tam in e quám in i finiunt ablativum. Lucan. in 1.

In ſua victrici converſum viſcera dextra.

Idem in eodem.

Tollite jampridem victricia, tollite ſigna.

Statius in 5. Theb. *—Ultricia Grajis*
Virginibus dare tela pater.—

Impariſyllabæ ſecundæ, fines infinitos, ad incrementi vocales reduximus, & é majore parte regulam fecimus, ἀνωμάλους ſuis quaſq; locis diſtinximus: nec enim, ut anté dictum eſt, hic alienius videri debet heteroclita ſuis quæque declinationibus nomina comprehendi, quám poſtea heteroclita verba ſuis coniugationibus quæque ſubjici. Ex iis autem paucis incrementi modis, ſyllabæ quantitas & generum doctrina faciliús percipietur: Finibus veró nominativorum, declinationum ſpecies non diſtinguuntur, ut anté poſui, ſed obliquis, pręcipueque dativis. Itaque cúm puer dativum nominis habuerit, ſpeciem declinationis intelliget: Incrementorũ igitur illos modos ſequimur, & qu dem ſequimur ordine, quo literas collocavimus.

Fauces. Varro 9. de Lingua, Conſuetudo quædam non parietur, ut dicas fauces, faux. Ovidius tamen in Ibim dixit,

Fauce

Fauce pręſtricta laqueo. At poëticum jus illud fuerit. Laquear eſt á lacus, unde lacunarium & per antiſtichon laquearium: lucar eſt æs quod ex lucis captatur: qui avem ſignificari putat hoc nomine, id approbet.

In ar (ait Priſcianus) latinum unũ duntaxat proprium maſculinum diſſyllabũ eſt, ut Cæſar, & maſculina monoſyllaba Nar, Lar. Virg. 10 7.

Sulfurea Nar albus aqua.

Paris citat Priſcianus ex Attalo lib. 7. Ad haoc fortunam acceſsit ei ſortuna paris. Lar, quod ſignificat *κατοικίδιον θεόν*, Laris facit genitivum: ſin autem imperatorem Vejentorum, Lartis, quem mactavit Coſſus, & teſtis eſt Ovidius in Epigrammatibus ſic dicens,

Larte ferox cæſo, Coſſus opima tulit.

Livius in 4. ab urbe cõdita, Larte Tolomnio, rege Vejentorum. Barbara veró plura, Haſpar, Boſtar, Bomilcar.

Far farris, differentiæ cauſſa aſciſcit alterum r in genitivo, ne ſi faris dicamus, putetur á for faris verbo venire.

Jubar albus ex Ennio citatur.

Minutal condimentum inde dictum, quia ex marino piſce, liquamine, oleo, vino; porris, coriandro minutatim conciſis, fieret. Animal, cujus pleno caſo adiectivum eſt animale. Lucret.

Unde animale genus generatim in lumina vita
Reducit Venus —

Et primom adjectivi hujus finem 1. Tuſc. Cicero uſurpavit, Sive illi animi ſunt animales, id eſt ſpirabiles, ſive ignei Et idem de Uniuerſitate, Animalia vinculs. Tribunal ut minutal, eadem forma tantum cõtractum, valet, & á tribubus quibus jus in eo reddebatur, dictum. Poteal á puteo cujus operculum eſt, ex adjectivo potealis, quod in uſu permanſit, cõtractum eſt. Bacchanal. Plaut. Mil. Vos in cella vinaria bacchanal facitis. Vectigal, etiam adjectivum habet plenom, vectigales civitates, ſyluas, lucos Cicero dicit. Maſculina in al corripiunt: tametſi contraria quoque diſciplina eſt Valerii probi apud Gellium lib. 1. cap. 7. Is (ait Gellius) Annibalem, & Aſdrubalem, & Hamilcarem ita pronuntiabat, ut penultimam circumflecteret, ut teſtis eſt Epiſtola ejus, ſcripta ad Marcellum, in qua Plautum & Enniũ, multoſque alios veteres eo modo pronuntiaſſe affirmat: ſolius tamẽ Ennij verſum unum ponit ex libro qui Scipio inſcribitur, eum verſum quadrato numero factum ſubjecimos, in quo niſi tertia ſyllaba de Annibalis nomine circũflexé ponatur, numerus claudus eſt. Verſus Ennii quem dixit ita eſt:

Qui propter Annibalis copias conſiderant.

Salem & alia irritamenta gulæ dixit Salluſtius: Sal coctum & modicé infarctom, Columella.

Neutra in a atis græca ſunt (ait Priſcianus lib. 6.) et genitivum addita tis faciũt ut hoc peripetaſma, hujus peripetaſmatis, hoc poëma, hujus poëmatis: hæc tamen antiquiſsimi ſecũdum primam declinationem ſæpe protulerunt, & generis fœminini, ut Plautus in Amphitryone, Cum ſervili ſchema, pro ſchemate. Nuncne ornatum hunc, vos meum admiremini, qoód ego huc proceſsi ſic cõ ſervili ſchema. Valerius in Phormione, Quid hic cum tragicis verſis & ſyrma facis? pro ſyrmate. Plaut. in Perſa, Theatrum lepida eom decorat ſchema. Cecilius in Hippol. Filios in me incedit, ſatis hilari ſchema. Pomponius in Satyra, Cujuſvis leporis liber diademam dedit, pro Diadema. Liberius in Cancro, Nec Pythagoream dogmam doctus. Plaut. in milite glorioſo, Glaucomam ob ocolos objiciemus, eumque ita faciemus, ut quod viderit ne videat. Quidam autem in um etiam teſte Celſo, hujuſcemodi nominũ protolerunt nominativos, hoc emblematom, hujus emblemati, hoc toreumatum, hojus toreumati declinãtes, unde frequens uſus, eorum dativos & ablativos pluralis in is terminat, his & ab his ſchematis, emblematis, peripetaſmatis, toreumatis, quibus frequenter caſibus in Verrinis utitur Cicero. Hæc Priſcianus, unde cognoſcimus hæc nomina utraque declinatione pariſyllaba declinata eſſe, & hac ſecunda imparisyllaba. Priſcianus etiam dativos & ablativos plurales horum nominom pariſyllabos notavit lib. 7. In hujuſmodi tamen nominibus (ait) id eſt neutris, a finitis, quæ ſunt græca, frequenter inuenimus antiquos dativum & ablativum plorales in is productam proferentes, cõtra regulam tertiæ declinationis, quã ſeruant in cæteris caſibus ſupradictorũ nominum, ut Cicero frequenter in Verr. toreumatis dicit & peripetaſmatis & emblematis. In lib. de ſignis, Nunc de peripetaſmatis

Petaſmatis quemadmodum te expedias non habes. Idem in eodem, Scapha cum emblematis. Idem ad Herennium in 4. De orationibus aut poëmatis. Quamvis neutro genere hoc ubique ille profert: ſi enim ſicut Plautus & alii vetuſtiſsimi, fœmininum hoc protuliſſet, pares ſyllabas omni caſui ſeruaſſet abſq; genitivo plurali, ſecundum analogiam primę declinationis. Eſt igitur magis apud Ciceronem & eos qui ſimiliter hujuſcemodi profeſrunt heteroclitum, vel ut videbatur Celſo, á nominativo hoc peripetaſmatú, hoc emblematum. Hæc Priſcianus de dativis & ablativis pluralibus veró: de reliquis exemplum requires.

Limax limacis. Grámatici maſculinum genus tátúm notavere: at Plinius lib. 29. ait, Limacis inter duas orbitas inuentæ offendiculum. Ex terminatione es ei, facta eſt á Grámaticis quinta nominú declinatio: quorum tredecim etiam pariſyllaba prima declinátur, avarities, ſegnities, ſcabrities, materies, maceries, mollities, mundities, nequities, nigrities, notities, bládities, pigrities: atque ex ijs exceptis, quæ etiam in a conuertuntur, & ſequuntur cómunem analogiam primæ pariſyllabæ: reliqua, duo & triginta adhuc animadverti, acies, avarities, effigies, alluvies, & ejuſdem originis eluvies, illuvies, ingluvies, ſubluvies, diluvies, colluvies, proluvies, ſanies, ſeries, ſcabies, ſpecies, ſpes, rabies, res, requies, luxuries, temperies, dies, & inde æquidies, facies, fides, meridies, cęſaries, canities, cógeries, pauperies, pernicies, planicies, plebes, progenies, pro qua paucitate, nova ſpecies declinationis inſtituenda nó fuit, pręſertim cúm multę ſint in ſingulis declinationib. anomaliæ multó majorem numerum cóplexę: & antea monuimus de errore pronominú, pro quorú tam exiguo numero, & genus diverſum vocis, & declinationú ſpecies temeré eſſent confectæ. Neq; veró caſus, qui hic anomali ſunt, uno omnium conſenſu facti ſunt: alii enim dies die, alii dies dies, alii dies dii etiá declinarunt: qua de re Gellius copioſé lib. 9. cap. 14. Quod autem ſuprá ſcriptum eſt in Q. Claudii verbis, Propter magnitudinem atq; immanitaté facies, id nos aliquot veteribus libris inſpectis exploravimus, atque ita eſſe ut ſcriptum eſt comperimus. Sic enim pleraq; ætas veterum declinavit hæc facies, hujus facies, quod nunc propter rationem grámaticam faciei dicitur. Corruptos autem quoſdam libros reperi, in quibus faciei ſcriptum eſt, illo quod anté ſcriptum erat obliterato. Meminimus etiam in Tyburtii bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro ſcriptum utrumq; facies & faciei, ſed facies in ordine ſcriptum fuit, & contra per ii geminum facii, neq; id abeſſe á quadam cóſuetudine priſca exiſtimavimus. Nam & ab eo quod eſt hic dies, tam hujus fames, quám famii dixerút. Q. Ennius in 16. Annali, dies ſcripſit pro diei in hoc verſu;

Poſtrema longinqua dies confecerit ætas.

Ciceronem quoq; affirmat Ceſellius in oratione quam pro Publ. Seſtio fecit, dies ſcripſiſſe pro diei, quod ego impenſa opera conquiſitis veteribus libris pluſculis ita ut Ceſellius ait, ſcriptum inveni. Verba ſunt hæc M. Tullii, Equites veró daturos illius dies pœnas. Quocirca, factú hercle eſt, ut facile iis credam qui ſcripſerút, idiographum librum Vergilii ſeſe inſpexiſſe, in quo ita ſcriptum eſt,

Libra dies ſomniq; pares ubi fecerit horas.

Id eſt, libra diei ſomniq;. Sed ſicut hoc in loco dies á Virgilio ſcriptum videtur, ita in illo verſu non dubium eſt quin dii ſcripſerit pro diei,

Munera lætitiamque dii —. Quod imperitiores dei legunt ab inſolentia ſcilicet vocis iſtius abhorrentes: ſic autem dies dii á veteribus declinatum eſt, ut fames famii, pernicies pernicii, progenies progenii, luxuries luxúrii, acies acii. M. enim Cato in oratione quá de bello Carthaginenſi compoſuit, Pueri atq; mulieres extrudebantur famii cauſſa. Lucilius in 12. Rugoſum atque famii plenum. Siſenna in hiſtoriarum libro 6. Romanos inferendæ pernicii cauſſa veniſſe. Pacuvius in Paulo,

Pater ſupreme noſtre progenii patris.

Cn. Matius in Iliadis 20.

Altera pars acii vitaſſe fluminis undas.

Idem Matius in 13.

An maneat ſpecii ſimulachrum in morte ſilentú.

C. Gracchus de legibus promulgatis, Ea luxurii cauſſa ajunt inſtitui. Et ibidé infrá ita ſcriptum eſt, Non eſt ea luxurii quæ neceſſarió parentur, vitæ cauſſa. Propter quod apparet eum ab eo quod eſt luxuries luxurii patrio caſu dixiſſe. M. quoque Tullius in oratione qua S. Roſciú defen-

dit, Pernicii ſcriptum reliquit. Verba hæc ſunt, Quorum nihil pernicii cauſſa divino cõſilio, ſed ui ipſa & magnitudine rerum, factum putamus. Aut facies ergo in caſu patrio, aut facii Quadrigarium ſcripſiſſe exiſtimandum eſt, faciei autem in nullo veteri libro ſcriptum reperi: in caſu autem dandi qui puriſsimé locuti ſunt, non faciei, uti dicitur nunc, ſed facie, dixerunt. Luciliusin Satyria,

Et primum, inquit, facie honeſtas accedit.

Idem Lucilius in libro ſeptimo,

Qui te diligit, ætati facieq; tuæ ſe

Fautorem oſtendat, fore amicum pollicetur.

Sunt autem non pauci qui utrobiq; facii legant. Sed C. Cęſar in libro de Analogia, Secundum hujus die, & hujus ſpecie dicendum putat. Ego quoque in Jugurtha Salluſtii ſummę fidei & reverendæ vetuſtatis libro, Die, patrio ſcriptũ inveni. Verba hæc ita erant, Vix decima parte die reliqua: non enim puto argutiolam iſtá recipiendá, ut die dictum, quaſi ex die exiſtimemus. Hæc Gellius, cui ſimilia repetuntur á Priſciano, Veteres tamen frequẽtiſsimé inveniuntur (ait) ſimilem ablativo protuliſſe in hac declinatione tam genitivum quám dativum, ut Salluſtius in hiſtoriarum primo. Dubitavit acie pars, pro aciei. Virg. 1. Georg.

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.

die pro diei. Ovidius quoque in 3. Metamorph. Fide pro fidei poſuit,

Prima fide vociſq; ratæ tentamina ſumpſit.

Idem in 6.

Utque fide pignus dextras utriuſq; popoſcit.

Et pauló poſt, Inveniuntur tamen hujuſmodi ablativo veteres etiam pro genitivo uſi, ut Virgil. 1. Georg.

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.

Die poſuit pro diei. Salluſt. quoq; in hiſtor. lib. 1. Dubitavit acie pars. pro aciei. Idem in 1. At inde nulla munitionis aut requie mora proceſsit ad oppidum. requie pro requiei. Quidam tamen antiquiſsimorum, etiam ſimilem nominativo genitivum protulerunt ejus declinationis. Hæc Priſcianus. At Soſipater ad noſtræ partitionis cauſſam hoc amplius addidit, hæſitatũ diu eſſe in hac ſpecie, atque á Grammaticis uelut ἀνωμαλίαν quandá factam eſſe, ſed ab aliis quidem ſubjectam ſecundæ pariſyllabæ declinationi, quia genitivum haberet in i: ab aliis veró impariſyllabæ, quia accuſativum haberet in em, & dativum atq; ablativum pluralem in bus. Hic Soſipatri locus nos admonuit, ne tam pauca nomina ſpecie declinationis ſepararemus, nec pariſyllabæ ſecundæ declinationis, ſed impariſyllabæ ſecũdæ potiùs ſubjiceremus, præſertim cum utroq; numero creſcat: in hac igitur anomalia, etiam veterũ authoritatem ſequimur, & quidẽ é duabus potiorem.

Later. Donatus nominativum huic nomini detrahit. Columella tamen, author Donato non pauló melior, ait lib. 6. cap. 14. Veteri lateri later conteritur. Carcer Grãmaticis eſt cuſtodia reorũ: carceres, unde in publicis ludis educuntur equi: et utrumq; utroq; numero declinatur. author ad Herenni. lib. 4. Impudenteſq; illos dicit eſſe qui currere cœperint, ipſe intra carceré ſtet: ſic Ovid. 10. Metamorph.

Signa tubæ dederant, cùm carcere pronus uterq;

Emicat— Et Seneca dicit plenos carceres. E creſcẽtibus per e vocalem, quædá in is & er deſinunt, de quibus ita Priſcianus lib. 6. Illa quoq; tam in is quám in er finita nomina, regulá ſervant in er terminatorũ, id eſt, accepta is, faciunt genitivũ, ut hic pulvis & pulver pulveris, hic cucumis & cucumer cucumeris, hic cinis & ciner cineris, hic vomis & vomer vomeris. Præterea Cæſar declinat pubis puberis: qdá, ut Probus, pubes puberis: quidá puber puberis. Ex eo tamen cõpoſitũ invenitur ſimilem habens nominativũ genitiuo, hic impubis hujus impubis. Virgil. in 5.

—*Impubis Iuli.*

Et ab eo neutrum impube Horatius protulit in Epodo:

Ut hæc trementi queſtus ore,

Conſiſtit puer impube corpus.

Cic. tamen in 4. invectiua, Filiumq; ejus impuberem Legatũ á patre miſſum. Idẽ in 2. de Orat. Quod niſi puberem, te iam (inquit) haberem.

Enis. Græcorũ veró nominũ qdá, ut anio anionis, qđ antiquiſsimi ſecũdũ analogiá anien nominativũ proferebát. Cato cõtra Veturium, Aquá aniené in ſacrariũ inferre oportebat. Nõ minus quám quindecim millia anien obeſt. Ovidius,

Quaque Numici

Anienis aquæ curſuq; breuiſsimus almo.

Cicero pro Cornelio, in primo, tran. anienem. Horatius in ſeptimo Carmin

Ac

Ac præceps anio ac Tyburti locus. Utraq; ſpecie imparisyllaba declinantur quædã in es deſinentia, de quibus eſt erudita Priſciani præceptio lib 6. In es (ait) productã græca ejuſdem declinationis in ης uel in ως, vel in τος genitivum græcum terminãtia, ου vel ε vel ως in i mutantia, faciunt genitivum latinum, ut Παλαμήδης Παλαμήδεος, Palamedes Palamedis, Ἐτεοκλῆς Ἐτεοκλέος, Eteocles Eteoclis, Χρέμης Χρέμητος, Chremes Chremetis & Chremis. Terẽt. Andr. Etiam puerum inde abiens cõveni Chremis. Idem in eadem, Egomet cõtinuó ad Chremem. Μένδης Μένδητος nomen eſt urbis Aegyptiacæ, cujus mentionem Pindarus facit, Mendes Mẽdetis & Mendis: ſic quoq; Ῥάμνης Ῥάμνητος, Rhamnes Rhamnetis & Rhamnis, quod græcum eſſe oſtẽdit aſpiratio poſt r poſita, quod in latinis nominibus non fit. Λάχης Λάχητος, Laches Lachetis & Lachis: ſic & ſimilia in τος terminantia græcum genitivum: nec eſt mirum, duplicem declinationem hæc habuiſſe apud Latinos, cùm apud Græcos quoque multa inveniantur hujuſcemodi ancipitem habentia declinationem, teſte Herodiano. Γύγης nomen Gygantis, Γύγη & Γύγητος. κώμης, proprium, κώμη & κώμητος. μένης μένη & μένητος, ὁ μάνης μάνη & μάνητος & ὁ πίλης πίλη & πίλητος, μίγης μίγη & μίγητος, πύλης πύλη & πύλητος: Similiter Thales, Menes, Ageles, Galles, Dares váriè declinantur, unde Virgilius duplicem accuſativum græcum protulit in 5. Æn. Dareta & Daren, illos ſecutus qui πάδητα & πάδην, μήτητα & μήτην protulerunt, ut,

Præcipitemq; Daren ardens agit æquore toto.

In eodem.

Sed finem impoſuit pugnæ feſſumq; Dareta.

Cardo, homo, nemo communia. Quidã veterũ (ait Priſcianus lib. 6.) etiam fœminino genere hoc protulerunt. Gracchus in Atalanta, O grata cardo, regium egreſſum indicans. Ordo etiam ordinis, homo hominis, qđ eſt cõmune. Cic. pro Cluent. cùm de ejus matre loqueretur ait, Cujus ea eſt ſtultitia, ut eam nemo hominem appellare poſsit. Et Lucan. in 5. de Phemonoe,

Atq; hominem toto, ſibi cedere corpore juſsit.

Virgil. in 1. Aen.

—Nec vox hominem ſonat —

De fœmina loquens. Vetuſtiſsimi tñ, etiã homo homonis declinaverunt. Ennius,

Vulturis in ſylvis miſerum mandebat homonem.

Heu, quàm crudeli condebat membra ſepulchro,

Nemo quoq; ſive ex hoc compoſitũ, ut quibuſdam videtur, ſeu non, cõmunis eſt generis, & ſimiliter o in i convertit in genitivo, ut nemo neminis. Lucilius in 30.

Neminis ingenio quenquam confidere oportet.

Plaut. in Captivis, Neminis miſereri certũ eſt, quia mei miſeret nemo. Titinnius, Quod rogas neminẽ, decet bonam. Terent. in Andr. Hoc ego ſcio unum, neminem peperiſſe hic. nec ſolùm de hominibus dicitur. Virgil. in 9.

Turne, quod optanti, divum promittere nemo.

Sanguis. hic ſanguis hujus ſanguinis, qđ veteres hoc ſanguen dixerũt. Cic. in Hortenſio, Ut ait Ennius.

Refugiat timidos ſanguen, atq; exalbeſcat metũ.

Idem in 2. Annal.

—O genitor, o ſanguem diis oriundum.

Hæc pollis pollinis. Sic Cariſius. Probus autem & Cæſar, hoc pollen pollinis declinaverunt. Exemplũ in Catone maſculini generis comperio, qui cap. 157. ita loquitur, Eo addito oleum bene & ſatia paulum & cominum & pollinem polentæ. A ſanguine autẽ exsanguis, prima ſpecie imparisyllaba declinatur. Priſcianus libr. 6. unde tamen ſanguem & pollem neutra agnoſcuntur.

Delphin. Sciendũ (ait Priſcianus lib. 6.) quod omnia in in deſinentia, etiam in is productam finiuntur. Arin proprium nomen & Aris, Delphin & delphis, Eleuſin & eleuſis, trachin & trachis. Et notandũ, quód authores Græcorũ in is magis terminatione ſint uſi: noſtri veró frequẽtius in in; quamvis Cicero pro Scauro, cũ dare nollet, (inquit) Aris clam ex Sardinia eſt fugere conatus. In eadẽ, Arinis uxorẽ pellicatus dolo concitã. Cervix cervicis Varro lib. 7. de lingua. Quod alii dicũt cervices, & id Hortẽſius in poëmatis, Cervix: & idẽ lib. 9. conſvetudo quædã verba cõtra uſum veterẽ declinata patietur, ut paſſa eſt Hortenſium dicere pro hę cervices, cervix. Quintilianus idem repetivit lib. 8. cap. 3. Cervicẽ videtur Hortẽſius primus dixiſſe. Nã veteres pluraliter appellabãt.

Creſcẽtia per o Minos Minois, etiã Mino Minois, qua de re ſic apud Priſcianum ἥρως ἥρωος, heroa herois, μίνως μίνωος, minos minois. Saluſtius tñ ꝓtulit minonis genitivum, in 5. hiſtoriarum. Norat Priſcianus lib. 4. hæc quatuor mutare u in o, eboris, roboris, jeroris, fœnoris: atq; iſta literarũ

nempe cognatio eſt, cujus in Gniphone inſcitiam, antea Quintilianus accuſavit. Fœnns etiam et penus, fœneris & peneris faciunt, ſicut Priſcianus docet libro 6. Iuvenalis in 4.

—Acre paterno
Ac rebus merſis, in ventrem fœnoris, atq;
Argenti gravis & pecorum agrorumq; capacẽ.

Quod tamen antiqui fœneris dixerunt, unde & fœnero verbum & fœnerator. Et pignus pignoris & pigneris, unde pignero pigneras. Lucan. in 2.

Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui.

Iuvenal. in 3.

—Viginti millia fœnus
Pigneribus poſitis.—

Priſcianus lib. 7. Sciendum eſt (ait) quod hic & hęc concordis & hoc concorde dicebãt antiqui. Cecil. Modó ſit obſequẽs, hilaris, comis, communis, cõcordis, dum id quod petit potitur. Pompon. Blanda, Fallax, impotens, ſuperba, diſcordis. Pręcox præcocis. Gellius lib. 10. cap. 11. ad illum Afranii verſum, Appetis, dominatũ demens præmaturé præcocé. In quo verſu (ait) animaduertendum eſt, quod pręcocem inqoit, non præcoquem. eſt enim caſus ejus rectus nõ præcoquis, ſed præcox. Hæc Gellius, quibus videtur dãnare obliquum præcoquis: at Columella lib. 3. cap. 2. præcoques vites, & aliqnando præcoquus, præcoqua, præcoquum. De græcis in o, quartæ declinationis græcæ, diſsimilis veterum & recentium Latinorum uſus fuit, qua de re ſic Quintilianus lib. 1. Mihi autem (ait) placet latinam rationem ſequi quouſque patitur decor: neque enim jam Calypſonem dixerim, ut Iunonem, quáqnam ſecutus antiquos C. Cæſar utitur hac ratione declinandi, ſed authoritatem conſuetudo ſuperavit. In cæteris quæ poterunt vtroque modo non indecenter efferri, qui græcam figuram ſequi malit non latiné quidem, ſed citra reprehenſionẽ loquetur. Hæc Quintilianus, cui non protinus aſſentiendum tamen eſt, ſed id conſiderandum, Romani veteres, imó Romani illi veriſsimi, & bene loquendi ſtudioſiſsimi & peritiſsimi, latiné græca nomina declinarunt: Cicero, ut patuit, Athos Athonis: Cæſar nõ ſolúm antiquos, ſed Ciceronem ſecutus, ſimiliter declinat: Semiromani, & ſermone jã corrupti, adeo ut Quintilianus ipſe ꝯfitetur, tota theatra barbaré exclamantia audirẽtur, græcé declinare maluerũt: utrum igitur modum ſequemur? Equidẽ, nec auream illam ſub Cæſare latini ſermonis ætatem, cum ferrea Quintiliani ætate, nec Cæſarem ipſum cum Quintiliano conferendum cenſeam, neque quiſquam hodie pluris Quintilianum, Plinium, Tacitum facit, quám Cæſarem & Tullium. Quare, qui declinabit Didonem, Calypſonẽ, latiné declinabit. Denique Sergiũ libentiús hic audio, quám Quintilianũ. Sunt quæ dicuntur tota græca (ait Sergius) ut Dido, Manto, græcé hæc & latiné poſſunt declinari: græcé, ut Dido Didus: latiné Dido Didonis, Manto Mãtus, & Manto Mantonis. Priſcianus lib. 6. idẽ præcipit, In o productam deſinentia græca, ſunt fœminina, & vel græcé declinantur, ut Manto Mantus. Vergil. in 10.

Fatidicæ Mantus, & Tuſci filius amnis.

vel addita nis faciũt genitivum, ut Dido Didonis, Calypſo Calypſonis, Io Ionis: idq; uſus antiquorũ comprobat. Accius, Cuſtodem aſsiduum Ioni appoſuit virgini. Pacuvius, Filios ſibi procreaſſe eandẽ per Calypſonem autumant. Plaut. in Aul. Quod ſi Argus ſeruet, qui oculeus totus fuit, quem quondam Ioni Juno cuſtodem addidit. Quod autẽ Ionis, Didonis, Calypſonis dicitur, oſtendit etiam Ciſellius Vindex in Stromateo his verbis, Calypſonem ita declinatum eſſe apud antiquos. Livius, Apud Nympham Atlantis filiam Calypſonem. Ennius in 8.

Pœnos Didone oriundos.

Accius in Ione, Cuſtodem aſsiduum Ionẽ inſtituit virgini. Hæc Priſcianus. Quamobrẽ jam non dubitabo tã multis tanq; locupletibus authoribus dicere Ionem, Didonem, Calypſonem & ſimiles caſus: neque tamen græcam declinationem reprehendam, ſed latinam præferam.

Frons frõtis maſculino genere, defendit Gellius lib. 15. ca. 9. ex Cecilii teſtimonio, Fronte hilaro. Catonis, Aequo fronte, recto fronte: & rationem affert, quia omnia tribus iiſdem literis quibus frons, deſinẽtia, maſculina ſint, ut mons, fons, pons: at contra Gellium, idem nomen aliter declinatum, frons frondis, fœminini generis affereturꝰ & Virgilius, Tenera frons, Horat. *Urbana frons.* Cicero, percuſſa frõs dixerint.

Ut inops, ſic quondã opa & copa adiecti-

va

va fuerunt. Priſcienus lib.7. In ops (eit) latinum fœmininũ unum, ut hæc Ops, hujus Opis, nomã matris deorum, & copia. Ejus quoque nominativus, in uſu frequẽti non eſt, ſed illius quod ex eo componitur commune omnis generis, hic & hæc & hoc inops: vetuſtiſsimi tamen, hic & hæc & hoc ops & cops pro opulentus & copioſus dicebant. Accius de Herculo dicene, Quorum genitor fertur eſſe ops gẽtibus, pro opem ferens & auxilium gentibus. Sic Caper. Poteſt temen etiam fœminino genere ſic intelligi figuraté conjunctum meſculino, ut ſi dixiſſet, Quorũ genitor auxilio fuit gentibus. Jupiter Jovis. Inveniuntut tamé (ait Priſcianus lib. 6.) apud vetuſtiſsimos, hæc encipitis genitivi, hic accipiter hujus accipitris & accipiteris, Opiter Opiteris & Opitris, Meſpiter Maſpireris & Maſpitris, Dieſpiter Dieſpiteris & Dieſpitris: ſic etiam Jupiter Jupitetis & Jupitris, ut Ceſellio Vindici placet; debuit declinari: nem Jovis nominativo quoque caſu invenitur. Cecilius in Epiſtola, Nam novus quidem Deue repertus eſt Jovis. Accius in ἐπινανσιμάχῃ, Luciſera lampade exurat Jovis atietem. Ex quo etiam plutalem numerum Plautus protulit in Caſsina, Repenté ut emorientur humeni Joves. Sic Varro lib.7. cõmunem nominativi & genitivi caſum facit Jovis. Jupiter tamen in nominativo uſitarũ, non Jovis. Bos bovis aſſumit v (eit Priſcianus lib.6.) loco digãma, quia Aeoles quoq; ſolent inter duas vocales ejuſdem dictionis, digamma ponete, quos in multis, nos ſequimur. ὄϝις ovis, Δάϝος Davus, ὠϝὸν ovum. In nominativo quoque hujus nominis illos ſequimur: nã & Aeoles & Dores βῶς dicunt pro βοῦς, βῶ, diphthongum in ω longam vertentes, & quod hoc verum eſt, oſtendũt epigrammeta vetuſtiſsime, quæ literis antiquiſsimis ſcripte in multis tripodibus legi, & maximé in Tripode Appollinis, qui eſt Conſtantinopoli in loco quem ξηρόλοφον vocant. Sunt eutem ſcripta ſic Δημοφόϝων pro Δημοφόων, Λαοκόϝων pto Λαοκόων. Atque á bove, plutalis debuit eſſe bovum, ut ait author idem: ſed hoc nomen notãdum eſt, iti quo v conſonentem aſſumunt obliqui caſus ſingulares, hierus cauſſa: abjiciũt autem eam plutales. Virg. in 3.

Huc ubi delati, portus intravimus, ecce
Læta boum paßim campis armenta videmus.

Idem in 8.

Reddidit una boum vocem vaſtoq; ſub antro.

Detivus autem & abletivus ejus nominis per ſyncopam ſemper madiæ proferuntur ſyllebæ: bobus pro bovibus. Horat. in Epodo,

Beatus ille, qui procul negotiis
Paterna rura bobus exercet ſuis.

Nominativua veró pluralie & eccuſativus & vocativus, qui ſimiles ſunt, raró abjiciunt v conſonantis loco poſité. Virgil in Bucol.

Ille meas errare boves, ut cernis, & ipſum,
Ludere quæ vellem.—

Idem in 8.

Diſceſſu mugire boves.

Idem in eodem,

Abſtractæque boves, abjurataq; rapinæ.

Usuis. Hęc nomina veteribus, varié declinata ſunt. Verro & Nigidius, legitimé ganitivum declinabẽt, Senatus Senatuis; non Senatus. Auguſtus veró non niſi domos genitivo ſingulari pro domus extulit (ait Suetonius.) Julius dativum Senatu non Senetui: dein de corrupta priús eſt latina lingua, quám conſtaret utro modo declinandũ eſſet: ſed hac de te Gelliũ eudiamus, Marcum Varronem & Publ. Nigidium, viroa Romani generis doctiſsimos competimus non aliter locutos eſſe & ſcripſiſſe, quám Senetuis & domuis & fluctuis, qui eſt pattius caſus ab eó quod eſt Senatus, domus & fluctus, huic Senatui, domui, fluctui, cæteraq; his conſimilia, pariter dixiſſe. Terẽtii quoque Comici verſus in libris vetetibus itidé ſcriptus eſt, Ejus anuis (opinor) cauſſe, quæ eſt mortus. Hanc eorum euthoritatem quidam é veteribus Grammaticis, ratione etiam firmare voluerunt, quod omnis dativus ſingularis, litera finitus i, ſi non eſt ſimilis genitivi ſingularis, s litera addita, genitivum ſingularem facit, ut petri petris, duci ducis, cædi cædis. Cúm igitur (inquiunt) in caſu dandi, huic Senatui dicimus, genitivus exeó ſingularis Senatuis eſt & non Senatus. Sed non omnes concedunt in caſu detivo, Senatui magis dicendum, quám Senatu, ſicut Lucilius in eodem caſu, victu & anu dicit non victui & anui in hiſce verſibus,

Quod ſumptum atque epulas, victu præponit honeſto.

Et alio in loco, Anu noceo (inquit.) Virgil. quoque in caſu dandi, aſpectu di-

 cit,

cit, non aſpectus.

Teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro.

Et in Georg.

Quod nec concubitu indulgent.

Caius etiam Cæſar, gravis author linguæ latinæ in Anticatone, Unius (inquit) arrogantiæ, ſuperbiæque dominatuque. Itē in Dolabella, Actionis illibuiſti, quorum in ædibus faniſque poſita, & honori erant & ornatu. In libris quoque analogicis, omnia iſtiuſmodi, ſine i litera dicenda cenſet. Hæc Gellius. Alia etiam varietas é Quintiliano exoritur. Is enim lib.1. cap.6. ſic ait, Quid de aliis dicā, cùm Senatus Senatus Senatui, an Senatus Senati Senato faciat incertum ſit? Alia igitur eſt hic & nova declinatio pariſyllaba nempe ſecunda, quod Priſcianus libro ſexto copioſé exequitur, In ua correptam (ait) deſinentia maſculina latina s vel t vel x antecedentibus, ſi ſint rerum incorporaliū vocabula, quartæ ſunt declinationis, ut hic viſus hujus viſus, hic caſus hujus caſus, hic ſitus hujus ſitus, hic poſitus hujus poſitus, hic partus hujus partus, quamvis hæc partitio hujus partitionis antiqui protuliſſe inveniantur. Plautus in Truculento, Horreſco, miſera mētione quoties fit partitionis. Hic ſexus hujus ſexus, hic luxus hujus luxus: ſimiliter quartæ ſunt quæ rerum vocabulis homonyma inveniuntur, ut hic magiſtratus ἡ ἀρχὴ καὶ ὁ ἄρχων hujus magiſtratus: hic ſaltus, ὁ νάπος καὶ ἡ νάπη hujus ſaltus: hic verſus, ἡ γραφὴ, καὶ ὁ στίχος, hujus verſus, hic exercitus, ἡ γυμνασία καὶ ὁ στρατὸς, hujus exercitus: faſtus quando á faſtidio eſt verbo, quartæ eſt: quando veró pro annali accipitur, á faſtis & nefaſtis diebus ſic dictū, frequentius ſecundæ eſt: invenitur tamē & quartæ. Lucanus in 10.

Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

Quod tamen errore Lucani prolatum dicit Servius in commentario tertii libri Virgiliani, cùm antiquiores quoque ſimiliter idem protuliſſe inveniantur. Ovidius Faſtorum inſcripſit libros: nam apud Horatium duplicé invenio ſcripturam & faſtos & faſtus in tertio Carminū.

Per memores genus omne faſtos.

Et faſtus in aliis codicibus. Varro in Ephemeride, Poſtea honoris virtutū cauſa Julij Cæſaris, qui faſtus correxit, menſis Julius appellatus eſt. Senatus quoque ideo quartæ eſt, quod á vocabulo natus componitur: & ſi ante tus alia ſit in eadē ſyllaba conſonans, etiā corporalia quartæ ſunt declinationis, niſi ſint propria vel mobilia, ut hic fluctus hujus fluctus, hic quæſtus hujus quæſtus, hic rictus hujus rictus, hic victus hujus victus. Excipitur hic lectus ἡ κλίνη hujus lecti: quod tamen etiam hujus lectus antiquiſsimi protulerūt. Cornificius in primo de cœnis deorum, Ipſis veró Cereris memoriæ novādæ gratia lectus ſternuntur. Plautus in Amphitryone, Quám lectus ubi concubuiſti concaluit locus. Muſtus quoque muſti, excipit Probus, quod tamen mobile videtur cùm veteres & fœminino & neutro genere inveniuntur hoc protuliſſe pro novus nova novum. Martialis in primo,

Quid te Tuſca juvat vetulo miſcere falerno,
In Vaticanis condita muſta cadis?

Ovidius in 14. Metamorphoſeos,

Ter centum meſſes, ter centum muſta videre.

Cato Cenſorius de agna muſta paſcenda, muſta agna pro nova dixit. Inveniuntur tamen antiquiſsimi multa ex ſupradictis, in genitivo etiam i terminaſſe. Terent. in Andria, Nihil ornati, nihil tumulti, pro ornatus & tumultus. Idem in Adelphis fructi pro fructus, Nūc ex acta ætate hoc fructi ℘ labore ab his fero. Quæſti pro quæſtus. Idem in Hecyra, Nunquam animum quæſti gratia ad mulas adducam partes. Adventi pro adventus, idem in Phormione, Patrem, ut extimeſcam, ubi ejus adventi venit in mentem. Senati pro Senatus. Salluſtius in Catilinaria, Senati decretū fit, ſicut ille cenſuerat, verſi quoque pro verſus. Laverius in lacu Averno, Verſorū non numerum numero ſtuduimus. Valerius in Phormione, Quid hic cum tragicis verſis & Syrma facis? Livius in Polymetris, Omnes ſunt denis ſyllabis verſi: hic victus, huius victi. Plautus in Captivis, Proin tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas. Idem in Aulularia hujus gemiti dixit, Tātum gemiti & malæ mœſtitiæ. Hic dies mihi obtulit famé & pauperié. Subijcimus autem huic anomaliæ etiam alia in u monoptota, in u quia plurale ejus declinationis eſt. De iis veró Priſcianus ita præcipit. In u latina ſunt generis neutri, & aptota in ſingulari numero, nō etiā in plurali, ut hoc cornu, tonitru, gelu, quæ tamé antiquiſsimi inveniūtur in um

quoq;

quoq; proferentes in eodem genere, & in ua genere proferentes maſculino & quartæ declinationis,ut Lucanus in 7.

—— Cornus tibi cura ſiniſtri.

In eodem,

Seu tonitrus ac tela Jovis præſaga notavit.

Cicero tamen in Arato,hoc genua pro genu protulit.

Tertia ſub cauda ac genus ipſum lumina pandit.

In eodem.

Ac propter lævum genus omni ex parte locatas,
Parvas vergilias tenui cum luce videbis.

In eodem,

Hæc genus ad levum nixi delapſa reſedit.
Atq; inter flexum genus & caput alitis hæſit.

Accius in Prometheo,Profuſus flamine hyberno gelus. Illud etiam notādum, quod cúm plerumque compoſita ſimplicium declinationem ſervent, Capricornus ſecundæ invenitur declinationis. Cicer. in Arato,

Corpore ſemifero, magno Capricornus in orbe.

Idem in eodem,

Tum magni cornus Capricorni corpora propter
Delphinus jacet haud nimio luſtratus nitore.

Ovidius in 2. Metamorphoſeos,

Dextra cornum tenet.——

Idem in quinto,

—— Flexile cornum.

Lucretius ſimiliter in 6.

Propterea, ſit uti quæ ſemina cumq; habet ignis
Demittat, cúm ſæpe gelum quod continet in ſe
Mittit. ——

Accius veró in Troadibus, Sed utrum terræ motus ſonitus ne inferum pervaſit aureis inter tonitra & turbines. Similiter artus. hoc enim quoque cum neutro etiam genere hoc artu veteres proferebant bene ſecūdum quartam declinationem: omnia enim maſculina, deſinentia in us quæ neutra quoque in u deſinentia inveniuntur, ejuſdem ſunt declinationis, ut hic tonitrus hoc tonitru, hic cornus, hoc cornu. Ergo ſimiliter hic artus hoc artu. Plautus in Menæchmis, Ita mihi imperas, ot ego hujus membra atque oſſa, atque artus comminuam. Illud etiam poſſumus dicere, quod artus ideó eſt quartæ declinationis, quód á verbo atio artas rei vocabulum fit artatus, & per ſyncopen artus, quomodo á poto potas potatus potus: ideoq; nomen etiam quod ſignificat ἄρθρον, id eſt artus, quia vocabulo rei eſt ſimile, etiam eandem ſervavit declinationem, quomodo exercitus, ſaltus, magiſtratus, & forſitan ideo etiam acus ab acotu, portus á portatu, lacus á laqueatu, ſinus á ſinuatu, currus á curſu, gradus á greſſu nata primitivorum ſervant declinationem, quomodo univoca fixa á partu compoſitum tam maſculini quám neutri generis invenitur & ſecundæ declinationis. Hic angiportus & hoc angiportum, his angiportis: ſic Plinius Secundus in primo artis Grammaticæ. Terentius quoque in Adelphis, Id quidē angiportum non eſt pervium. Idem in Phormione, Sed hinc concedam in angiportum hoc proximum. Gradus quoque eſt quartæ ut oſtendimus, & ſinus: dicitur tamen & hoc ſinum i producta in neutro genere, & ſignificat vas. Varro de vita populi Romani libro primo. Ubi erat vinum in menſa poſitum aut galeola aut ſinum. Virgil. in Bucolicis,

Sinum lactis & hæc te liba Priape quotannis.

Sed hoc etiam maſculino quidam protulerūt. Plautus in Curculione, Hic cum vino ſinus fertur. Forté igitur etiam differentiæ cauſſa hoc ſecundæ, illud quartæ declinaverunt. Currus ſimiliter excipitur, quod quartæ eſt declinationis, ut autē docuimus, & poſſumus ſimilem de his omnibus rationem, ut ſuperiús demonſtravimus reddentes dicere, quod ea quę á participiis derivantur in us deſinentia, ſi ſint fixa quartæ ſunt, portatus portus, artatus artus, arcuatus arcus, laqueatus lacus, acutus acus, ſinuatus ſinus, á curſu quoque vel curro currus, á greſſu vel gradior gradus. Adeo autem cognatio eſt currus ad curſum, quod diminutivum currus curriculus pro curſu accipitur. Cicero pro Marcello, Nefas eſſe ducebam verſari me in vetere noſtro curriculo. Quomodo igitur ſi eſſent participiis ſimilia fixa, quartæ proferrentur declinationis, ſicut omnia quæ ſimilia ſunt participiis non mobilia, ſic etiam per ſyncopam prólata, vel mutatione conſonantium ante us poſitarum, eandem tamen declinationem ſervaverunt, nec mirum in nominibus hoc fieri, cū etiā ipſa participia eſt quādo inveniantur per ſyncopā prolata, ut potus pro potatus, cretus pro creatus, dictus pro dictatus, ſaucius pro ſauciatus, truncus pro truncatus, laſſus pro laſſatus, tonitrus quoque & cornus

quando ſunt maſculine, notentur quod quartæ ſunt: nam plerumque neutre inveniuntur hoc tonirru, hoc cornu, de quibus ſuprá quoque docuimus. Quomodo eutem quædam quartę declinationis nomine etiam ſecundæ regula protuliſſe ſuperiús vetuſtiſsimos oſtendimus, ſic é contrario quæ debuerunt ſecundæ eſſe vetuſtiſsimi quartæ, eſt quando declinevere, ut hic ſibilus, hujus ſibilus, vedus, vulgus, fretus. Siſenne in 12. hiſtoriarum, Procul, ſibilus ſignificare Conſuli cœpit. Palpud oppidi nomen. Citat Priſcianus é Tito Livio, Ipſe circa Palpud tuebatur. Specus & penus meſculini & fœminini, neutri generis eſt epud Priſcianum. Et hic ſpecus (eit) quod tam maſculinum quám neutrum invenitur. Horatius Carminum lib. 3.

Quo me Bacche rapis tui plenum,
Quæ nemora aut quos agor in ſpecus.

Sed hoc ſpecus meliús dici in ſingulari numero, in plureli hi ſpecus, Servio placet: fœmininum tamen hoc quoque nomen invenitur. A. Gellius noctium Atticarum 6. Sole medio (inquit) & arido & flagranti, ſpecum quandam nectue remotá latebroſamque penetro & recondo. Ennius in 16. Annalium,

Tum cava ſub monte late ſpecus intus patebat.

Pecuv.us in nuptiis, Advenio in ſcrupuloſam ſpecum. Dicebát temen & hoc ſpecum & hæc ſpece. Cato, Spece appoſita, quo eque devia abiret. Sed Livius etiá in ſinguleri numero hoc popit maſculinum in primo eb urbe condita, Lucus eret quem medinm ex opeco ſpecu fone perenni rigabat aque. Similiter Ovidius in 3. Metemorphoſ.

Eſt ſpecus in medio virgis ac vimine denſus,

Idem in 7.

– – Specus eſt tenebroſo cæcus hiatu.

Idem in 11.

Eſt ſpecus in medio natura factus in arte,
Ambiguum. —— Penus quoque & maſculini & fœminini & neutri invenitur, teſte Donato & Cepro. Pleutus in Pſeudolo, Niſi mihi annuus penus ab emetorlbus congeritur. Lucilius,

Magna penus parvo ſpatio conſumpta peribit.

Horetius in 1. Epiſtolarum,

Annonæ profit portet frumenta penuſque.

Cujus neutri genitivus eſt penoris, ut pecus pecoris: Cæſar, Strebo contre Sulpitium tribunum plebis propinquos noſtros Meſſalea domo deflagrata, penore volebemus privere. Hoc penum etiam Afranius protulit, In penum herile. De nominativo ficus ejuſdem teſtimonii varie concluſio eſt, Etiam hic ficus vitium corporis quertæ eſt (eit Priſcianus.) Martialis in 1. Epigrammatum,

Cum dixi ficus, rides quaſi barbara verba:
Et dici ficos Cæciliane jubes:
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficos, Cæciliane tuos.

Ex quo oſtendit & vitium & fructum, poſſe quartæ eſſe declinationie, genere autem differre. Hæc Priſcianus, qui veré reprehenditur á Leurentio Valla, quod pro morbo, poſsit eſſe quartæ declinationis, cúm ſemper ſit ſecundæ, ſed Valla putet pro fructu quartæ declinationis eſſe, quod verum eſt, ſed addit etiem in genere maſculino, quod ſi probeſſet, crederetur. Ficus enim pro erbore & pro fructu fœminini generis eſt, & in ſecunda pariſyllabe, & in hec ſecunde impariſyllaba, pro arbore. Plin. libro decimoſexto capite trigeſimoprimo. Quidam brevitete radicum, celeriús ſeneſcere arbores putát, quod arguút fici, querum redices longiſſimæ, & ſenectus ocyſsime 2. Orat. Uxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu. Pro fructu, eſt ejuſdem generis. Varro primo de re ruſt. Semen naturale intus in ea fico quam edimus. Maſculinum veró genus quidem ex mendoſo Plinii loco mendoſé concludunt: ſic enim hodie legitur libro decimoquinto capite uigeſimoquinto. In ficis, mirebilee ſunt & ebortus, qui nunquam matureſcunt. Neque enim relativum Qui ficis, ſed abortus refert. Ficus igitur pro arbore & pro fructu fœmininum ſemper eſt: pro morbo autem, tantum eſt maſculinum. Genitivus pluralis, hic reró contrahitur. 6. Aen.

—— Quæ gratia currum.

De detivis autem illie in ubus, teſtimonie hæc comperimus. Cic. 1. Orat. Omnibus artubus contremiſcere. Idem pro Plancio, Deferendis tribubus. Columella, Lacubus diſtinguuntur graneria. Virgil. In defoſsis ſpecubus. Cic. 6. Verr. Cinctæ duobus portubue inſule. Cæſ. tamen 3. bell. civil. Longius portibus committere ſeſe non audebat. Plin. lib. 7. cap. 3. De prodigioſis pertubus, & ibidem capite quarto. De geminis partubus. Quercubus qui offendet, ednotato. Palæmo addit vi-

dit victubus, Alexander acobus, ficubus, verubus, Valla quæſtubus. Si teſtimonia dediſſent, audirentur.

Furis. Furem ex eo dictum dicit Varro, quod veteres Romani furvum atrum appellaverint, & fures per noctem quæ atra ſit, faciliùs furentur. Nonne ſic videtur Varro de fure erraſſe tanquam Lælius de lepore, nã quod á Græcis οὐ καλεῖται dicitur, antiquiore lingua græca φῶρ eſt dictum. hinc per affinitatem literarum, quę φῶρ græcé eſt, latiné fur. Sed ea res fugeritne tunc Varronis memoriam, an contrá, aptiùs & cohærentiùs putarit furem á furvo, id eſt nigro appellare, in hac re de viro tam excellentis doctrinæ, non meum judicium eſt. Hæc Gellius, cum quo ſentiens ait Priſcianus lib. 1. cum ait u pro ω poni, ſic fur pro φῶρ.

Creſcentia per y. In yn quoque terminantia addita is faciunt genitivum. Adraniyn adraniynis. Nomẽ Herois Phorcyn Phorcynis. unde Lucanus in lib. 9.

Squallebant late, Phorcynidos arma Meduſæ,

Nam Phorcys per s Phorcyis declinatur, non Phorcynis.

Calyx calycis. Incrementum nominis hujus videtur, á Grammaticis producit at Homerus Iliad. 3. corripit.

Πόρπας τ' γναμπτάς θ' ἕλικας καλύκας τε καὶ ὅρμους.

Fibulaſque curvaſque armillas calyceſque collaris.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER XIII. DE adjectivis anomalis.

PLeraque ſunt impariſyllabæ utriuſque declinationis, adjectiva tantúm ſingulari, plurali communia, ut inquies, ſenex, author, memor, dives, comes, de quibus Priſcianus, Comes (ait lib. 5.) á comitando, hic & hæc comes, quod tam ad mares, quám ad fœminas pertinet, & omnia ſimiliter utrique generi convenientia, hic & hæc dives, ſuperſtes, quadrupes, inquies, ſoſpes etiam & hoſpes. Lucan. in 5.

Hoſpes in externis audivit curia tectis.

Frequenter tamen hæc duo in genere fœminino, a terminant authores, ut Virgil. in 3.

—— Bellum o terra hoſpita portas.

Lucan. in 5.

—— Tunc obtulit hoſpita tellus
Puppibus acceſſus faciles, legere rudentes.

Et ſoſpita Juno. Ovidius in 2. Faſt.

Principio menſis Phrygiæ contermina matri,
Soſpita delubris dicitur aucta novis.

Invenitur etiá antiſtita pro antiſtes. Cicero de ſignis, Poſtridie ſacerdotes Cereris atq; illius fani antiſtitæ, majores natu probatæ ac nobiles mulieres, rem ad magiſtratus ſuos deferunt. Neutris quoque conjuncta hæc, id eſt in es communia inveniuntur, ut Virgil. in 7.

—— Sed hæc tereti mos eſt aptare flagello.

Juvenalis in 5.

—— Nec unquam
Depoſitum tibi ſoſpes erit. ——

Lucan. in 5.

—— Rerum nos ſumma ſequetur.
Imperiumque comes. ——

Salluſt. in 1. hiſtor. Nobis primæ diſſenſiones, vitio humani ingenii evenere, quod inquies atq; indomitum ſemper in certamine libertatis, aut gloriæ, aut dominationis agit. Et iterum lib. 7. Virg. in 3. Aen.

Et pater Anchiſes, bellum o terra hoſpita portas.

Similiter & ſoſpes & ſoſpita prolatũ eſt ab authoribus. Ovidius in ſecundo Faſt.

Soſpita delubris dicitur aucta novis.

Neutra quoq; ſupradictorum pluralia tradit uſus. Statius in quarto Thebaidos;

Accipite, feſſiſque libens iterum hoſpita pandis
Flumina.

Priſcianus lib. 7. ait antiquos protuliſſe hic & hæc amentis & hoc amente: & citat Ennió in Epicharmo, Terra corpus eſt, amentis ignis eſt. Lentis quoque pro lens. Ibidem comprehendit eodem genere ditis & dite; unde plurale ditia. Lucanus in 9.

Non illic Libycæ poſuerunt ditia gentes.

De nominib. ſignificatione tãtũ declinabilibus, deq; eorum nominibus quæſtio eſt inter grammaticos. ἄπτωτα ea propriè dicuntur, ut verba perſonis carentia ἀπρόσωπα. Grãmatici tñ quidam μονόπτωτον pro eodem capiunt: ſed μονόπτωτον (ait Sergius) non bene dicimus, cùm ἄπτωτα dicenda ſint, ut nequã. Nam μονόπτωτα illa ſunt, quibus unus tantùm caſus eſt, ut

ſponte:

ſponte: ἄπτωτα veró illa ſunt, ubi omnes quidẽ ſunt caſus, ſed nulla ratione variátur, ut eſt frugi. Hanc etiam quæſtionem Priſcianus diſceptavit. Quæritur autem (ait) quid ſit inter indeclinabilia & ἄπτωτα & μονόπτωτα: & ſciendum quod ἄπτωτα, & μονόπτωτα, indeclinabilia ſunt: ſimiliter enim non variant terminationem, ſed immobilẽ eam ſervant: ἄπτωτα tamen ſunt proprié dicenda, quæ nominativum ſolum habent, qui plerunq; & vocativus invenitur, & nõ accipitur etiam pro obliquis, ut Jupiter, Dieſpiter: non enim licet eodem pro genitivo, uel alio caſu obliquo uti: ideo autem dixi ꝓprié dicenda, quia inveniontur etiã aptota pro monoptotis, monoptota pro aptotis poſuiſſe. Neutrũ veró ſi ſit aptotũ, neceſſarió etiam pro accuſativo & vocativo accipitur ejus nominativus, quod generale eſt omniũ neutrorũ: ut fas, nefas, hiſpus: monoptota veró ſunt, quę pro omni caſu una eademq; terminatione fuogun tur, qualia ſunt nomina literarũ & numerorũ á quatuor uſq; ad centũ. Mille quoque indeclinabile eſt, & ſi qua inveniuntur ſimilia, ut hoc a, bujus a: hoc alpha, hujus alpha: hi quatuor, horũ quatuor: hoc gummi, bujus gũmi: hic & hæc & hoc nequam, hujus nequam: hi quot, tot, horũ quot tot, & barbara plurima: ſed magis omnia, niſi ea ad græcam uel ad noſtram regulam flectamus, uel ab authoribus flexa inveniamus. Hæc Priſcianus. Partitionem veró caſuum in caſus ſignificationis tantúm, aut ſignificationis ſimul & vocis Priſcianus non generaliter, ut oportuit, ſed tamen in una nominum ſpecie diſerté propoſuit. In his ergo (ait) id eſt carentibus declinatione finalium ſyllabarũ, quę monoptota nominamus, videntur caſus fieri non vocis, ſed ſignificationis duntaxat. Itaq; articulis diverſis utimur pro varietate ſignificationis, necnon etiam ſtructuræ rationem ſervamus, ſicut in declinabilibus per ſex caſus. Velut autem una voce diverſas habere ſignificationes tam declinabilia per quoſdã caſus, quám indeclinabilia per omnes caſus, ſic é contrario diverſis vocibus ſępe invenimus unã eandémq; fieri ſignificationem, ut labor & labos, honor, honos: hujus cornus & corni, pinus & pini: hujus quæſtus uel quæſti, ornatus uel ornati, tumultus uel tumulti, Achillis uel Achilli, aulai & aulę, á felice uel felici, deis & diis, ſapientium uel ſapientum: nec ſolúm in nominibus, ſed etiam in aliis partibus, ut amaverunt uel amavere, amaveram uel amaram, ei uel ii, eia uel iis, nimium uel nimis, ſatis vel ſat. De nominibus numerorũ & literarũ jam dictum eſt é Priſciano, de literis etiam & ſyllabis Varro lib. 8. Dicere potuerunt (ait) eſſe literas ac ſyllabas in voce, quæ ſingulos habent caſus. De ſubſtantivis etiam illis quæ ſtatuimus, Grãmatici conſentiunt. Inveniuntur & barbara in i, ut Illiturgi oppidũ. Liv. in 23. ab urbe condita, Illiturgi oppidũ oppugnabatur. Trajanus in 1. Dacicorum, Inde Berzobim, deinde Aixi proceſsimus. Pondo aliquãdo idem eſt quod pondus. Liv. 14. lib. Scribitur coronam auream libræ pondo Jovi dicatam fuiſſe. Plautus in Rudente, Neque piſcium ullam unciam pondo hodie cepi, niſi hoc quod nunc fero in rete. Pondo etiam idem quod libra. Plautus in Aſinaria, Quot pondo te eſſe cẽſes nudum? Neq; tamen pluraliter tantúm declinari indicant illæ ſermonis formulæ, duo põdo, quinq; pondo, decem pondo, cẽtom pondo: nõ bina, quina, dena, cẽtena, qualia adjectiva ſingulari carentibus addun tur. Hir eſt vola manus. Probo eſt indeclinabile. Cariſius tamen Hiris facit: at nullum affert exemplum. Inſtar inſtaris quidam citant é Pacuvii loco illo ad Herennium, Saxóque inſtare globoſo prædicat volubili. Sed aliás legitur, Saxique ad inſtar. Plinius Acerrimum ſinapi dixit: at ſinapis etiam dicitur. Plaut. Pſeudol. Teritur ſcelerata ſinapis cum illis. Plin. lib. 19. cap. 6. Ergo omnibus annis ſeparatim ſemen cepe cauſſa ſeritur, ſeparatim cepe ſeminis. Ovidius,

Cædenda eſt hortis eruta cepa meis.

Cim nomen vici in Italia, Gadir inſulę nomen, quæ & Gades. Gelu aliquando etiam ſingulariter declinatur gelus geli, & gelũ geli. Accius apud Priſcianũ, Profuſus ſanguine hyberno gelus. Lucret. 6.

Propterea fit, uti quæ ſemina cunq; habet ignis
Demittat, cum ſæpe gelum, quod continet in ſe.

Gith genus ſeminis. Plin. lib. 20. Gith ex Græcis alii melanthion, alii melaſpermon vocant. Et Varro II. de Ling. Gith ꝑ omnes caſus declinavit (ait Solipater.) Gũmi optimũ Plinius dicit: ſed & gummis fœmininum eſt. Columella lib. 12. capit. 50. Nova dolia liquidam gummi perluere.

perIinere. Nauci, quod putamen nucis ſignificat (ait Priſcianus.) Plaut. Qui homo timidus erit in dubiis rebus, nauci nõ erit. 1. divin. Non habeo deniq; nauci M. Augurem. Neceſſe uel neceſſum Donatus ait nomen eſſe. Nepet, oppidum Hetruriæ, quę & Nepeta, unde Nepeſini. Hilum eſt illud fabæ nigrũ quod in ſummitate fabę cernitur, ideoque, ut Nonio placet, pro parvo & exiguo ponitur. Lucil.

Quodq; tuas laudes culpes, non proficu bilum.

Hinc nihil & nil nota ſunt. Pedũ Phocas facit indeclinabile, nec reperi quo refellerem. Frit (ut Varro ait 1. de re ruſtica) illud vocatur quod ſumma in ſpica iã matura, minus eſt quám granum. Fas & nefas proprié dicuntur in divinis, ut juſtum & injuſtum in humanis. Tempe, Theſſaliæ loca amœniſsima, item in Bœotia: deniq; abuſivé ſic appellantur loca quælibet amœnã, aquas pręſertim & nem⁹ habentia. Cete, balenæ ſunt & belluæ marinæ: Ceti etiã appellãtur. Donatus & pleriq; ab eo Grãmatici Nugas aptoton efficiunt. At Cicero ad Att. Meræ (inquit) nugæ: & idẽ 2. de Divin. Delectati nugis ait: ut mirer quid nam hic ſibi Grãmatici voluerint. Opus omnis generis & numeri. Cic. in Epiſt. Dux nobis & author opus eſt. Ibidem, Nihil tibi opus illud eſt á trabea, id eſt, omnia pollicitus eſt, quę sibi eſſent opus. De hujuſmodi, iſtiuſmodi, illiuſmodi & aliis talibus ait Priſcianus lib. 6. Multi dubitaverunt utrum compoſita ſint an non: ſed ea compoſita eſſe ipſe accentus docet, qui in fine præcedentis dictionis poni non poſſet, niſi eſſent cõpoſita. Ideo autem indeclinabilia ſunt, quia utraq; pars genitivum caſum habet. Quo modo igitur, ſi uterq; ſit nominativus, in cõpoſitis uterq; declinatur, ſic in his nominibus quia uterq; genitivus eſt, manſit indeclinabilis. Damnas ſingularis numeri. Quintilianus lib. 7. Hæres meus uxori meæ damnas eſto dare argenti quod elegerit pondo centum. Pluralis etiam numeri eſt in Juſtiniani Pandectis, L. Titius & Cajus Fejus Publ. Mævio decem dare damnas ſunto. Frugi & mancipi Priſcianus ait libr. 5. obliquos caſus eſſe figuratos, cum omnibus caſibus. Frugi tamé aliquando ſubſtantivũ eſt. Cic. ad Att. lib. 4. Permodeſtus ac bonę frugi homo. Plaut. Trinum. Is probus eſt, quem nõ pœnitet quám probus ſit & frugi bonæ. Priſc. lib. 6. oſtẽdit olim frux adiectivũ fuiſſe. Frux (ait) frugis genitivum facit, quia ἀπὸ τοῦ φρύγω verbo græco naſcitur. Enn. in 17. annaliũ, *Si lucis, ſi nox, ſi mox, ſi iam data ſit frux.* Idem in 9. pro frugi homo, frux ponit, quod eſt adjectivũ. *Si quid ego hæc memoro, dictum factumq; facit frux.* Id eſt frugi homo. Mancipi aũt ſive mãcupi cõtractus videtur caſus, pro mancipii, qui caſus etiã integer eſt in quibuſdam exemplis. Nequã Phocas neutrum ait eſſe, ut fas & nefas; in quo fallitur. Varronem hic audiamus. Dicunt enim (ait) non habere caſus mox & vix, nequã habere, quód dicamus hic nequam, hujus nequam, huic nequam, cum intelligimus aut hominis ejus quẽ volumus oſtẽdere eſſe nequam, dicimus caſus, & ei præponimus non, cujus putamus nequitiam. Quod vocabulum factũ, ut ex non & volo, nolo, ſic ex ne & quicquam. Item media extrita ſyllaba coactũ eſt nequam. Itaque ut eum quẽ putamus eſſe non hili, dicimus nihili: ſic in quo putamus eſſe nequidquam, dicimus nequã. Hic videmus nequam maſculinum eſſe. Sic Philipp. 2. Cic. O hominem nequam. Columella nequam vitem dicit. Varro 6. de Ling. Ex quo carminari dicitur tum lana, cúm caret eo quod in ea eſt nequam. Præſto omnis generis & numeri. Cicer. 3. Epiſt. Legatus tu⁹ mihi pręſto fuit. Idẽ 2. de Fin. Virtutes præſto eſſe, ut ancillulas. Sed de his indeclinabilibus in i deſinentibus Priſcianus lib. 6. copioſé. In I latina (ait) ſive græca inveniũtur, & neutra ſunt vel omnis generis, & ἄκλιτα, ut hic & hæc & hoc frugi, nihili, mancipi, hujuſmodi. Quibuſdam autẽ non irrationabiliter genitivi uel dativi caſus iſti ſunt exiſtimati, qui figurate cum omnibus aliis caſib. & genetibus poſsint adjungi. Nã frugi dativus eſt á nominativo frux uel fruges, & mancipi á manceps, & nihili genitivus á nominativo nihilũ. Atq; hæc de aptotis.

P. RAMI SCHOLARUM GRAMMATICARUM LIBER XIIII. DE verbi modis & temporibus.

QVod adhuc de nominum Grãmatica tentavimus, ut genera, differẽtias, ſpecies, proprietates loco poneremus, idem nobis

nobis in verborum Grámatica eſt experiendum: & quia nomē & verbum, generis ejuſdē ſpecies ſunt, analogia utriuſq; ſpeciei confetenda & compatáda eſt. Magna nominalis Grámaticæ mateties nobis fuit, majot & uberior in verbo proponitur. Ex hac igitut matetia, definitiones & partitiones verbalis Etymologię petēdę ſunt, ut antè petita eſt nominalis Etymologia è ſimili nominum materia. Sed generalia prius excutienda ſunt. Vox numeri antea finiti & infiniti differenriá habuit, nec ſpeciale quicquam habet in vetbo. Hæc tamen partitio finiti & infiniti, multum laboris Grammaticis exhibuit: itaq; pleniùs á nobis exponetur. Modus Grammaticis (ut Priſcianus 8. lib. ait) eſt diverſa inclinatio animi, varios ejus affectus demonſtrans. Hæc definitio nihil definit, & voluntatis humanæ definitio potiùs fuerit, quám ullius verbalis proprietatis. Grâmatici feré omnes modum generaliter primó, deinde ſpecialiter partiūtur. Prima partitio eſt modi finiti & infiniti: ſpecialis eſt finiti in Indicativum, Imperativum, Optativum, Conjunctivum: item infiniti in cognominem modum, item gerundium & ſupinum. Alii etiam pauló aliter. Varro, modos, appellat diviſiones loco illo. Quod ad verborum rationem attinet (ait) partes ſunt quatuor, temporum, perſonarum, generum, diviſionum, & quatuor exprimit, interrogandi, reſpondendi, optandi, imperandi: ſic autem libr. 9. Eorum declinatuū ſpeciss ſunt ſex, una quę dicitur temporalis, ut legebam, gemebam, lego, gemo: altera perſonarum, ut ſero, meto, ſeris, metis: tertia rogādi, ut ſcribóne? legóne? ſcribiſne? legiſne? quarta reſpōdendi, ut fingo pingo, fingis pingis: quinta optandi, ut dicerem facerem, dicam ſaciam: ſexta imperandi, ur cape rape, capito rapito: itē ſunt declinatuum ſpecies quatuor, quæ tēpora habent ſine perſonis in rogando, ut foditúrne? ſeritúrne? fodietúrne? ſeretúrne? Ab reſpondendi ſpecie eædem figurę fiunt extremis ſyllabis demptis, optandi ſpecies, ut vivatur, ametur, viveretur, amaretur. Imperādi declinatus ſintne, habet dnbitationem, & earū ſitne hæc ratio paretur, pugnetur, parari & pugnari. Ex iis locis Varronis conjectura quædā eſt, modos verborum jam tum tētatos eſſe, neq; tamen ad hunc numerū perductos, qui fuit poſtea. Palęmo nominat indicativum, promiſsivum, imperativū, infinitivum. Quintilianus, qui Palæmoni ſuperſtes fuit ſex aut octo oſtendit factos eſſe, cúm de modo ait lib. 1. cap. 5. Fiūt ſolœciſmi per genera, tēpora, perſonas, modos, ſive cui ſtatus eos dici, ſeu qualitates placet, vel ſex, vel ut alii volunt octo. Donatus ita de modis loquitur: Modi aūt ſunt, ut multi exiſtimant, ſeptem, Indicarivus, qui & pronuntiativus dicitur, ut lego: Imperativus, ut lege: Promiſsivus, ut legam: ſed nos hunc modū nō accipimus: Optativus, ut utinam legerem: Subjūctivus, ut cúm legam: Infinitivus, ut legere: Imperſonalis, ut legitur. Sed hunc modū quidā ꝑ genere & ſignificatione verbi accipiūt, cujus verba aut in tur exeūt, aut in it, aut in et: ſed quæ in tur aut in it exeūt, hęc ab indicativo oriūtur, ut lego legitur, contingo contingit: quę autem in et exeūt, duas formas habent: alia enim ab Indicativo veniunt, ut miſereor, miſeret: alia á ſe oriūtur, ut pudet, tędet, pœniret, libet: quāvis dixerint veteres pudeo, pœniteo & tędeo. Servius Donati interpres, de promiſſivo & imperſonali aſſentitur: cum modis tamen, imperſonalis numerari nō debet: verbū enim imperſonale, per omnes modos conjugatur. Hæ Grammaticorū ſunt opiniones de modorum finitorum partitione, quam probare nō poſſumus, & quidē duabus de cauſsis, quia doctrinæ nihil habet, quia falſum docet. Dico enim per ſpecies iſtas finiti modi, nihil verborum naturá diſtingui, nil dividi, ſed omnes iſtos modos inter ſe penitus confundi, ut indicativus modus ſit conjūctivus, & conjunctivus indicativus, & cum utroq; imperativus, & optativus ſit permiſtus. Adverſus Grammaticorum commenta utor Ciceronis, Cęſaris, Terentii, id eſt, Latinę civitatis uſu & authoritate, ne temere ismptidē conſtituta artis fundamenta cōvellere videat. Nā cū Tullius ait, Si vales bene eſt, Si me audies, nūquā labere, verbis utitur ad iſtam Grammaticorū doctriná indicativis: & tamen, ut res ipſa demonſtrat, conjunctivis. Contra ait idem 9. Att. De triūpho tibi aſſentior, quē quidem totum facilè & libenter abjecero. Terentius *Hecyr.* Et me ſuſpicione exolvam, & illis morem geſſero. Et ibidem, Poſt, de matre videro. Idem, Si quid paululum te fugerit, ego perierim.

Hæc

Hæc verba ad iſtam Grammaticorum doctrinam, conjunctiva ſunt: & tamen revera, hic indicant: denique omnibus verbis conjunctiuis, quæ ab iis Grammaticis appellantur, frequenter optatur, ſed præcipué facultas quædam uel officium abſoluté indicatur. 3. Verr. Si quis novi quid inſtituerit, is non omnia quæ anté acta ſunt, rata eſſe patiatur, id eſt, nō debet pati rata eſſe. Cæſ. 1. Quos tamen aliquid, uſus ac diſciplina quam á nobis accepiſſent, ſublevarent. pro Mur. Inventus eſt quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis incautis jureconſultis, eorum ſapientiam compilarit: id eſt, qui auſus eſt, vel qui potuit configere, proponere, compilare. 3. Verr. Voconia lex, te uidelicet delectabat, imitatus eſſes illum ipſum Voconiū, qui lege ſua, hæreditatem ademit nulli, neque virgini, necꝫ mulieri: id eſt, imitari debuiſti aut potuiſti. 11. Aen.

Nec uos arguerim Teucri.—

Tibull. lib. 3.

Nec tibi crediderim, uotis contraria uota.

2. Phil. Citius dixerim jactaſſe ſe aliquos. 1. Off. Itacꝫ non iidem erunt neceſsitudinum gradus, qui & temporū: ſuntque officia quæ aliis magis quàm aliis debeantur: ut vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quàm aut fratrem aut familiarem. At ſi lis in judicio ſit, propinquum potiùs & amicum quàm vicinum defenderis. Hæc (inquam) verba omnia, patiatur, ſublevarent, propoſuerit, eſſes, arguerim, crediderim, dixerim, adjuveris, defenderis, facultatē uel officium abſoluté ſignificant: Nec veró minor eſt Imperativi & Optativi modi confuſio: Nec enim ſolis uerbis imperativis & optativis, quæ dicuntur, imperatur & optatur: ſed etiam futuro utroque infecto & perfecto imperatur, optatur, rogatur, permittitur. Ad Treb. Valebis, meaque negotia videbis, mecꝫ diis adjuvantibus, ante brumam expectabis. 1. Catil. Egredere ex urbe Catilina, libera Rempub. metu, in exilium, ſi hanc vocem expectas, proficiſcere. pro Mur. Nihil ignoveris: imó aliquid, nō omnia. Nihil gratię cauſſa feceris: imó ne reſiſtito gratiæ, cúm officiū & fides poſtulabit. In hoc exemplo Feceris, Ignoveris & Reſiſtito, ſimiliter imperāt. Optatur. 1. Catil. Tum tu Iupiter, qui iiſdē quibus hæc urbs auſpiciis á Romulo es conſtitutus, quem Statorem hujus urbis atque imperii veré nominamus, hunc & hujus ſocios á tuis aris cæteriſque templis, á tectis urbis, & mœnibus, á vita fortuniſque civium omnium arcebis, & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate conjunctos, æternis ſuppliciis vivos mortuoſque mactabis. Hic optatio eſt imprecationis. Rogatur. 1. de Orat. Sed tu hoc nobis da Scæuola & perfice. Ter. And. Iuno Lucina fer opem. Permittitur. 1. Agr. Si quid eſt quod indagaris, conſume ſané. 3. Verr. Hoc dico, niſi vobis id hominum honeſtiſsimorū tabulis planum fecero, fingi á me hoc totū temporis cauſſa putatote. Merito igitur Protagoram deridet Ariſtoteles, á quo reprehendebatur Homerus, quód diis imperaret cum vellet precari, μῆνιν ἄειδε, θεά. Illic enim precatur Homerus, non imperat, & Protagoras fatuis Grammaticorum ſomniis inductus ad corrigendum Homerum. Ergo partitio Grammaticorum in tot modos nullam artificioſam Grammatices partitionem continet, ſed abſurdam & explodendam confuſionem. Hanc modorum confuſionem Grammatici videre, & Priſcianus (á quo etiam pleraque ſuperiorum deduximus) nominatim libro 17. Amet, doceat, legat, audiat ſunt imperativi præſentis, ſunt optativi futuri & ſubjunctivi præſentis, nec aliter poſſunt eorum ſignificari varietates, niſi per conſtructionem eis accidentium adverbiorū vel temporum: ut imperantes quidem ſine adverbio dicimus amet, doceat, legat, audiat: Optantes veró cum adverbio, utinam amet, doceat, legat, audiat: Subjungentes quoque, cúm amet, doceat, legat, audiat. Hæc Priſcianus de confuſa partitione modorum finitorum: quæ repetit libro 18. Alios modos pro aliis invenimus proferri (ait) ut, *Muſa mihi cauſſas memora.* Et, *Dicite Pierides.* Imperativa pro optativis, & contrá optativa vel ſubjunctiva vel indicativa pro imperativis, ut Terent. Eun. Nihil tibi quicquā credo; deſinas. pro deſine. Virg. in 4. Georg.

Sin duram metues hyemem parceſque futuro,
Contuſoſque animos, & res miſerabere fractas.

pro parcito & miſerator. Idē in Bucolicis,

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

dicetis pro dicite. Horat. in 1. Epiſt.

Si te forté meæ gravis uret ſarcina chartæ,
Abjicito potiùs, quám quo perferre juberis

Clitellas ferus impingas.—

pro impingito. In eodem,

Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
Victor propoſiti ſimulac perveneris illuc,
Sic poſitum ſervabis onus.—

pro ſervato, quomodo utéris pro utitor. In eodem,

Inter cuncta leges & percontabere doctos.

pro legito, & percontator. Græci quoque, frequenter hoc utuntur, modos verborum pro modis ponentes, de quibus in Atticiſmis, quibus Romani quoque utuntur, póſt oſtendetur. Hæc Priſcianus Quibus elenchum & ſophiſma in arte inſtituenda captioſiſsimum convincit, neque tamē eius vitium ſentit: atqui multo fœdius eſt illud in doctrina vitium, quám eſſet ulla barbariſmi labes aut ſolœciſmi: Sed Priſcianus logicam in eo ſuam prodit. Quapropter dubitari jam (opinor) non poteſt, quin modi finiti partitio in Indicativum, Imperativum, Optativum, Conjunctivum, nihil Etymologiæ Grammaticæ partiatur, cúm res confuſiſsimas complexa ſit: Sed majus erroris hujus argumentum eſt ex falſitate. Indicativi modi dicuntur eſſe amabam & amaveram: at falſum id omnino eſt: nec enim ſententia ſimplex & abſoluta, verbo ejuſmodi uno indicari poteſt, ſed conjungi alterum verbum neceſſe eſt, ut ſententia abſolvatur: Dic enim, Tullius amabat, Tullius amaverat, ſuſpenſum habes auditoris animum, & aliud quidpiam expectantem: Itaque verbo alio ſenſus ille neceſſarió abſolvitur. De Inv. Fuit quoddam tempus, cúm in agris paſsim homines beſtiarum more vagabantur. In Brut. M. Curius, cúm Appius de plebe Conſulem non accipiebat, patres authores fieri coegit. Terent. Eun. Aut negotii, ſi quando odium cœperat, requieſcere ubi volebat. quaſi noſtin? hic utrumque tempus eſt. Sic 4. Verr. Cúm diutiús in negotio curaque fueram, ad Carpinatium revertebar. Hîc item utrumque. Hæc igitur argumenta duo noſtra ſunt ex intimo uſu deprompta, quibus modi finiti partitionem ſequi prohibemur. Atque hoc generale de modis verborum, tempus eſt prima differentia verbi, quam Ariſtoteles in logica & poetica obſervavit. Tempus igitur, eſt differentia verborū, ut genus nominum, ſed temporis materies in verbo multó copioſior eſt, quám generis in nomine: multa nomina cum unico genere declinantur, pauca cum tribus: At omnia verba cúm variis temporibus conjugantur & quidem varié multiplicatis, unde fit, ut ex uno verbo plura verba creari poſſint, quám ex uno nomine nomina. Finiti autem verbi tempora infecta cum infectis, præſentia cum præſentibus, præterita cum præteritis, futura cum futuris conjungimus, perfectaque ſimiliter ordinamus, Varronem hujus analogiæ principem & authorem ſecuti. In verborum genere (ait 7. de Lingua) quæ tempora adſignificant, quod erant tria, præteritum, præſens, futurum, declinatio facienda fuit triplex, ut Saluto, ſalutabam, ſalutabo. Idem libro 9. de Lingua, infecta tempora cum infectis, perfecta cū perfectis ita comparat, Conjunctæ ſunt triplices analogiæ (ait) in verborum tribus temporibus, ut legebam, lego, legam, quód quam rationem habet legebam ad lego, hanc habet lego ad legam. In hoc feré omnes homines peccant, quód perperam tribus temporibus hæc adjiciunt, cúm proportione volunt pronuntiare: nam cúm ſint verba alia infecta, ut lego & legis, alia perfecta, ut legi & legiſti, & debeant ſui cujuſque generis in conjungendo copulari, & cúm recté ſit ideó lego ad legebam, non recté eſt lego ad legi, quód legi ſignificat quid perfectum, ut hoc tutudi, pupugi, tundo, pungo, tundam, pungam, item necatus ſum, verberatus ſum, necabor, verberabor, injuria reprehendunt, quod infecta inter ſe ſimilia ſunt, & perfecta inter ſe, ut tundebam, tundo, tundam & tutuderam, tutudi, tutudero, ſic amabar amor, amabor & amatus eram, amatus ſum, amatus ero. Hæc Varro, unde finiti verbi analogiam ſequimur infecta tempora primum conjugando, deinde perfecta: Ex Varronis tamen ſententia medium illud proportionale ſequi non poſſumus: primum enim facimus quod natura primum eſt, thema nempe ſeu radicē, ut prius Varro locutus eſt, & unde alia oriuntur, cauſſam nempe principem, ortis inde ac formatis temporibus. Ac Priſcianus 8. lib. licet futurum perfectum tollat ex indicativi numero, tamen á veritate rerum ipſa inductus, etiam præſens facit modum præteriti imperfecti, ut legebam, lego, legā: infecta Varronis illa ſunt: & cum ait futuro illi ſcripſero, quod ſubjunctivum tantúm eſſe vult cognationē eſſe cum præterito ſcripſi, oſtendit nempe

Varronis

Varronis illa perfecta legeram, legi, legero cognata inter ſe eſſe, quæ cognatio in omni doctrina præcipuè ſpectanda eſt: Hæc enim *συγγένεια* genera quæ nobis inquirenda ſunt, continet. Ignoratio hujus cognationis, magnum errorem Grammaticis attulit: ex hac enim temporum analogia perverſè conſtituta modorum illa confuſio nata eſt. E' temporibus autē, tria ſunt ambigua, ut amem, amarem, amaverim: Amem nō præſentis ſolúm, ſed futuri poteſt eſſe. 2. Ph. Duo modó hæc opto, unū, ut moriens, populū Rom. liberū relinquā, alterum, ut cuiq; ita eveniat, ut de Repub. quiſq; mereatur. Hic relinquam, eveniat, mereatur futura ſunt. Amarem, præſentis, præteriti infecti & futuri eſſe poteſt. 1. Ph. Vellem adeſſet Antonius. & ibidem. Pecunia utinā ad Opis maneret. Hic adeſſet & maneret præſentia ſunt. 5. Verr. Primúm enim ſi Apronium abſolutū iri putaret, nihil erat quod ullum præjudicium vereretur. Hic putaret præteritum eſt. ad Lent. Non illi quidē ut mihi ſtomachū facerēt. Hîc facerent futurū eſt. Amaverim autem, non ſolúm præteriti eſt, ſed etiā futuri, ut ſuperiora illa Dixerim, Crediderim. Sic Sall. Iug. bello, De his haud facilè cōpertū narraverim. A' Diomede uſq; Grammatici in ſecūdo futuro infecto tertias perſonas plurales habēt amantote, amaminor & cęteris ſimiliter. Nebriſſenſis amantote docentote rejecit: cur autē amaminor & ſimiles retinuerit, vellem cauſſam dixiſſet. Si quis earum perſonarum exēpla in probatis authoribus animadverterit, admoneto. Incremēti rationem generalem, ſtatim poſt perſonæ temporis ſubjicimus, quia id é generali tēporum conjugatione accidit. In rimus & ritis quod penultima producatur, licentia eſt poetica. 6. Aen.

Namque ut ſupremā falſa inter gaudia, noctem
Egerimus, noſti.

Ovid. 4 de Ponto,

Hæc ubi dixeritis, ſervet ſua dona rogate.

Hic, propriè corripitur: Licentia autem eſt in ſequentibus. Catull.

Dein cùm millia multa fecerimus.

Ovid. 4. de Ponto,

Et n..ris Ionij tranſieritis aquas.

Præteriti perfecti formatio ſequitur, res in tota verborū etymologia, imprimis conſiderāda. & ſanè à Grāmaticis veteribus, maximis ſtudiis exquiſita, Priſcianus libro 9, profitetur ſe generales regulas, & omnium præteritorum cōmunes traditurum: Et quidem tradit, ſed eas, quod mirabere, in formatione pręteriti perfecti nō ſequitur, ut appareat aliquid melius ab illis unde ſumpſerat, cogitatum eſſe, quàm Priſcianus ipſe docuerit. Præteriti perfecti (ait) multiplices & variæ ſunt regulæ: Itaque cōmodum putavimus primo quæ in eo generalia eſſe contemplati ſumus diſſerere, poſtea veró, per ſingulas ſyllabas tractare de eo: Omne igitur præteritum perfectum, primam perſonam in i terminat, amavi, docui, dixi, comperi, & aſſumpta, ſti, facit ſecūdam amaviſti, docuiſti, dixiſti, cōperiſti: t veró aſcita & correpta, i tertiam amavit, docuit, dixit, cōperit: mus, primā pluralem amavimus, docuimus, diximus, comperimus: i tamē penultima correpta: Secūda pluralis à ſua ſingulari fit addita s, amaviſtis, docuiſtis, dixiſtis, comperiſtis: Tertia autem, ex prima ſingulari naſcitur, i finali, converſa in e productam & addita runt, vel re, ut amaverunt vel amavere, docuerunt vel docuere, dixerunt vel dixere, comperunt vel cōperere: Deinde cúm prolixè docuiſſet quæ literæ præterito in alias literas mutarentur, octo præteriti generales formas ait ſe traditurum, vi, ui, ſi, xi, i præcedente conſonāte, quæ fuerat in præſenti ante o, eo, io, ut juvo juvi, video vidi, fugio fugi, tres reliquas formas ſtatuit in geminatione primæ conſonātis mediæ finalis, ut do dedi, mordeo momordi, credo credidi. Has originationes Priſcianus generales eſſe ait: & tamen pauló póſt confitetur duas tantúm primas, eſſe cōmunes conjugationū omnium, nec repugnantiā intelligit: Deinde ſomnus neſcio quis hic multó gravior & arctior eſt, quod Priſcianus nō animadvertit, ſecundā formam, primæ contractionē eſſe: imó ſolam primā, eſſe legitimam & generalem, reliquas ab ea, eſſe quaſdam anomalias. ut domavi, cubavi, docevi, colivi, proſilivi plenū præteritum erat: Hic una vocalis detrahitur, & ex v cōſona fit vocalis u, & fit domui, cubui, docui, colui, proſilui. Atque in reliquis formis illis, anomalia ejuſmodi quędam eſt: Aliquando ſyllaba ante vi tollitur, ut à juvas, caves, ſolvis, cōperis, non juvavi, cavevi, ſolvivi, comperivi, ſed juvi, cavi, ſolvi, comperi, & in cæteris illis formis ſimiliter, ut per ſpecies conjugationum dicetur: Itaque Priſcianum equidem laudo, quod tantū laborarit in generali forman

di præteriti & omnium conjugationum cõmuni doctrina: Nullus enim tota ejus Grammatica neq; tantus, neq; iam prolixus labor eſt: Logicam tamen in his laboribus, valde deſidero: Docet autem Priſcianus generalis hujus primæ formæ in præterito formationem vel á ſecunda perſona præſentis naſci abjecta s & aſſumpta vi, ut amas amavi, fles flevi, cupis cupivi, audis audivi. Hanc formationem ſequor, reliquas illas formas quia ſpeciales ſunt, non generales, ſpecialiter ſuis locis explicandas reſervo. Contractio nominum feré eſt in genitivo plurali: verborum autem præcipué in præteritis.

De præteriti biſyllabi quantitate, vulgatem Grammaticorum doctrinam ſecuti ſumus: Varro tamen lib. 8. de Ling. videtur contrarium, ſaltem in duobus verbis affirmare. Quidam reprehendunt (ait) quod pluit & luit dicamus in præterito & præſenti tẽpore, cùm analogiæ ſui cujuſq; temporis verba debeant diſcriminare, falluntur: nam eſt ac putant, aliter, quod in præteritis, u diximus longum, luit, pluit, in præſenti breve, luit pluit: ideoq; in venditionis lege, fundi ruta cæſa ita dicimus, ut u producamus. Hęc Varro, cui conſentaneum erit poſtea in præterito amavit. Paſsiva & deponentia, præteritis carere, cõmunis Grammaticorum omnium diſciplina eſt, ſed eorundem etiam illud eſt cõmune, periphraſim è participio & verbo ſubſtituere, quod non facimus: hic enim de vocibus ſingulis præcipitur, poſtea ſyntaxis, earũ compoſitionẽ docebit: nec è præteriti regulis ſciri poteſt quomodo periphraſis iſta fingenda ſit, ſed è convenientia nominis cũ nomine, verbi cum nomine. Hiſterologiã igitur tam manifeſtam evitavimus. Atq; hæc de tẽporibus modi finiti: infiniti ſpecies duæ revera ſunt, altera perſonis tantũm, altera perſonis, formis, tẽporibus pariter infinita. Illa vocatur á Grammaticis quibuſdã perpetuum infinitum, hæc, participiale infinitum. Sed prior, nomen generis vulgò retinuit, de qua Priſcianus pro ſuo ingenio philoſophatur cùm de modi finiti verbis dixiſſet. Sciendũ tamen quod quidã auſi ſunt infinita ponere prima, ſed malè: non enim oportet á re imperfecta aut dubia incipere: quidã enim dubitaverũt an verba ſint hęc, & inter adverbia magis ponẽda cenſuerũt, quòd nec numeros, nec perſonas, nec affectus animi certos habent, & egẽt ſemper aliis verbis, ſicut adverbia: dicimus enim, legere ſtudeo, ſtudes, ſtudet, ſicut dicimus bene ſtudeo, ſtudes, ſtudet. Sed hęc poſtea refutetur: nũc hęc ſufficiat oſtendere non bene ab infinitis, quoſdã cœpiſſe. Illi veró quidẽ quos nõ appellat Priſcianus, Apollonius eſt, ut libro 18. poſtea indicatur, Ab infinito, ait, incipit exponere verbi ordinationem Apollonius, oſtendens hoc verbũ generale eſſe, & pro omni poſſe accipi modo verborũ. Hic, Priſcianus fatetur illius opinionis authorẽ eſſe Apolloniũ. Idemq; infinitivus eſt, qui & perſonis & numeris deficit, unde & nomẽ accepit infinitivi, quòd nec perſonas, nec numeros definit, & eget uno ex quatuor ſupradictis modis, ut ſignificet aliquid perfectum, ut legere propero, legere propera, utinã legere properarẽ, cùm legere properẽ. Deinde rurſus eodẽ libro, Nota (ait) quod vim nominis rei ipſius habet verbũ infinitum, unde quidã, nomen verbi, hoc eſſe dicebãt: dico enim, bonum eſt legere, ut ſi dicam, bona eſt lectio: Itaq; omnis modus finitus poteſt per hunc interpretari, ut ſi dicã lego, quid indicavi? legere me, lege, quid imperavi? Legere te, utinam legerem, quid optavi? Legere me, Cùm legã venio, quid junxi, prius legere poſt venire. Hæc Priſcianus de hoc infinito modo: Infiniti autẽ præſens, & imperfectum conjugatur á Grammaticis: ſed hæc differẽtia temporis adſignificatur verbo præſenti aut præterito: ut, Dico te amare: id eſt quod tu amas: dixi te amare: id eſt, quod tu amas, vel amabas. Cic. pro Pompeio: Bono te animo tum Q. Hortenſi & cæteros, qui erant in eadem ſententia, dicere exiſtimavit ea quæ ſentiebatis. Itaq; non dices, Dico te amare, pro eo quod eſt, tu amabas: ſed, Dicebã te amare, vel dixi. Quod autẽ infinita illa, Ridere convivæ, cachinnari ipſe Apronius, pro ridebant, cachinnabatur, accipiãtur, falſa eſt Grammaticorũ interpretatio: ellipſis enim illic verbi eſt, cœperunt, cœpit, cujus doctrinæ eũ authorẽ habeo Priſcianũ de infinito modo ſic 18. lib. præcipientẽ, Itaq; omnes modi in hunc id eſt infinitũ tranſſumuntur, ſive reſolvuntur, ut ambulo, indico me ambulare, ambula, impero te ambulare, utinã ambularẽ, opto me ambulare, cùm legã ambulo, dico me prius legere, poſtea ambulare: Itaq; apud Græcos quidem pro imperativo ponunt, apud nos autem, pro præterito imperfecto: Et apud [illegible] illos

ſlos tamen & apud nos hoc fit per figuram *ἐνλείψεως*, id eſt defectionis. Gaudere enim dicunt pro gaude, & ſubauditur jubeo vel volo, vel opto: ſic enim antiqui, Gaudere te jubeo, pro gaude. Ter. Adel. Salvere Hegionẽ plurimum jubeo, pro, ſalve Hegio plurimum: Sic ergo & apud nos, cũ imperfectũ fit, dicere cœpi, pro dicebã, ſcribere cœpi, pro ſcribebã, per eclipſim verbi cœpi ſolent authores proferre verba infinita, ut Ter. Andr. Ego illud ſeduló negare factũ. deeſt enim cœpi negare, pro negabam. Futurũ infinitı nullum ponimus niſi gerundium & ſupinũ, cum tamen infiniti temporis futurũ à Grammaticis fingatur propriũ: ut amatum ire, vel amaturũ: Priſcianus amaturũ eſſe pro amatum ire etiam docet: Sic enim ait lib. 9. Sciendũ autem, quód in um deſinens ſupinum accepto verbo infinito quod eſt ire, facit infiniti futurũ, ut oratum ire, dormitum ire, lautum ire, vel lavatum ire, ſtatum ire. Frequenter tamen antiquiſsimi neutro participio futuri addebant eſſe, & infiniti futurum ſignificabant, oraturum eſſe pro oratum ire dicentes, & facturum eſſe pro factum ire. Cato in 5. Originum, Illi polliciti ſeſe facturum omnia, per eclipſin eſſe, pro factũ ire: quod Græci dicunt *ποιήσειν*, quód eſt infinitũ futuri. Lucilius in 16. ad Penelopam converſus ait,

Nupturum te nupta negas, quod vivere Ulyſſem
Speras. — In hoc quoq; ſubaudiendum eſt eſſe, id eſt nupturum eſſe pro nuptum ire, *γαμηθήσεσθαι*. Sylla in 21. rerum ſuarum, Ad ſummã perniciẽ Rempub. perventurũ eſſe. pro perventum ire, *ἐλεύσεσθαι*. A. Gellius libro 1. cap. 7. non addit eſſe, ſed ſine perſona & genere, ut amare, ſic amaturũ dicit, verba ejus ita ſunt, In oratione Ciceronis quinta in Verrem libro ſpectatæ fidei, Tironiana cura atq; diſciplina facto, ita ſcriptum fuit, Homines tenues, obſcuro loco nati navigant, adeuntque ad ea loca, quæ nunquã antea adiverant, ubi neq; noti eſſent, quò venerunt, neq; ſemper cum cognitoribus eſſe poſſunt, hac una tantùm fiducia civitatis nõ modo apud noſtros magiſtratus, qui & legum, & exiſtimationis periculo continentur, neque apud cives ſolùm Romanos, qui & ſermonis & juris & multarum rerum ſocietate juncti ſunt, fore ſe tutos arbitrantur, ſed quocunq; venerint, hanc ſibi rem, præſidio ſperant futurũ. Videbatur cõpluribus in extremo verbo menda eſſe: debuiſſe enim ſcribi putabãt, non futurum, ſed futuram, neq; dubitabãt quin liber emẽdandus eſſet, ne ut in Plauti Comœdia Mœchus, (ſic enim mendæ ſuæ illudebant) ita in Ciceronis oratione ſolœciſmus eſſet manifeſtarius. Aderat ibi forté amicus noſter, homo lectione multa exercitus, cui pleraq; omnia veterum literarum quæſita, meditata, evigilataq; erãt. Is libro inſpecto, ait nullum eſſe in eo verbo neque mendum neque vitium, Ciceronem probé ac venuſté locutum. Nam futurum (inquit) non refertur ad rem, ſicut legentibus temeré & incurioſe videtur. Neque pro participio poſitum eſt, ſed verbum eſt indefinitum, quod Græci appellant *ἀπαρέμφατον*, neque numeris neque generibus præſerviens, ſed liberũ undiq; & impromiſcuum eſt, quali C. Gracchus verbo uſus eſt in oratione, cujus titulus eſt de Q. Popilio circum conciliabula, in qua ita ſcriptum eſt, Credo ego inimicos meos hoc dicturum. Inimicos inquit dicturum, & non dicturos. Videtúrne ea ratione poſitum eſſe apud Gracchum dicturum, qua eſt apud Ciceronẽ futurum: ſicut in Græca oratione ſine ulla vitii ſuſpicione, omnibus numeris generibuſq; ſine diſcrimine attribuuntur hujuſcemodi verba, *ποιήσειν, ἰέναι, λέξειν* & ſimilia. In Qu. quoque Quadrigarii tertio annali verba hæc eſſe dixit: Dum ii conciderentur, hoſtium copias ibi occupatas futurum. In 12. Annali ejuſdem Quadrigarii, principium libri ſic ſcriptum, Si pro tua bonitate & noſtra voluntate tibi valetudo ſuppetit, eſt quod ſperemus deos bonis bene facturum. Item in Valerii Antiatis libro 4. & 20. ſimili modo ſcriptũ eſſe, Si hæ res divinæ, factæ, recteque perlitatæ eſſent, aruſpices dixerũt, omnia ex ſententia proceſſurum. Plautus etiam in Caſina, cúm de puella loqueretur, occiſurum dixit, non occiſuram his verbis,

Etiámne habet Caſina gladium? habet, ſed duos,
Quibus altero, te occiſurum ait, altero villicum.

Item Laberius in gemellis, Non putavi, inquit, hoc eam facturum. Non ergo iſti omnes, ſolœciſmus quid eſſet ignoraverũt, ſed & Gracchus dicturũ, & Quadrigarius futurum, & bene facturũ, & Plautus occiſurum, & Antias proceſſurum, & Laberius facturum indefinito modo dixerunt, qui modus neque in numeros, neq; in perſonas, neq; in genera, neque in tempora diſtrahitur, ſed omnia iſthæc una ea-

demque declinatione complectitur, ſicuti M. Cicero dixit futurum non virili genere, neque neutro (ſolœciſmus enim foret planè) ſed verbo uſus eſt, ab omni neceſſitate generum abſoluto. Hæc Gellii doctrina eſt de futuro infinito, ex uno Ciceronis exẽplo eoque ambiguo, & ſex antiquis, inimicos dicturum, occupatas futurum, deos benefacturũ, omnia proceſſurum, Caſinam occiſurũ, eam facturũ, unde etiam ſi Priſciani tria illa prima adjungantur, catholica Grãmaticæ artis regula inſtitui non poſſit, cũ ſint in uſu frequentiſſimo innumerabilia exẽpla periphraſis è verbo ſubſtãtivo & futuro in rus: neque tamẽ inficior, id illis veteribus uſitatum fuiſſe, & cõplura etiam exẽpla adnotari poſſe. Varro 8. de Lingua, Cùm hic liber id quod pollicitus eſt demonſtraturum, abſolverit, faciã finem. Quomodo & Terent. in Eun. dixit, Is hodie, venturum ad me cõſtituit domum. Cicero etiam pręſenti tempore pro infiniti perpetui futuro aliquando utitur. De Fato: Hoc loco Chryſippus æſtuãs falli ſperat Chaldęos. idem ad Att. Cato tamen affirmat ſe vivo illum eum triumphare: id eſt falſum iri: id eſt non triumphaturũ. idem ad Varronẽ 9. Epiſt. Quapropter ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire: venire non nunc, ſed de futuro dicitur. Sed alia etiam colligat alius: attamen recordetur præceptis artis inſtituendũ eſſe non quod aliquando licuerit, ſed quod omnino perpetuoque liceat. Quare periphraſin futuri illius paſſivi, amatum iri pro futuro dicam, quia Cicero & cæteri magni authores ita ſæpe ſunt locuti: amatum ire pro ſimili futuro activo non dicam, nec amaturũ vel amaturum eſſe abſolutum à genere pronunciabo: nec tamen periphraſim illam amatum iri, verbum futurũ faciam, ut vulgò Grãmatici, ſed è verbo infinito iri, & ſupino amatum, compoſitam orationẽ: Atq; ut ineptum ſit & præpoſterum de verbis conjugandis in Syntaxi præcipere, ſic incongruum & abſurdum videri debeat, de cõponenda oratione & fingenda iſta periphraſi in Etymologia verborum, præceptum ponere: quomodo id fieri debeat, è Syntaxi poſtea cognoſcetur.

Sed hæc de verbo infinito primo tantùm perſonis infinito ſatis. Servius, gerundium verbi modum inducit præterea, infinitum nempe etiam temporibus, aut certè valde confuſum. Item (ait) gerundium quem dicunt modum, plerique negant eum modum eſſe, ſed dicunt participiorum à paſſivo futuri & præteriti eſſe declinationem. Sed eſt modus, quia in o breve deſinit ultimo tempore ſuo, in quã literam nullam deſinit participium, & ſignificationẽ habet tam agentis quàm patientis, quod utique non haberet, ſi participium paſſivum eſſet: etenim cùm dicimus Cantando, & agentis & patientis habet ſignificationem, quod probatur teſte Virgilio, ubi dicit,

Cantando tu illum?——

agentis ſignificationẽ oſtendit: ubi dicit,

——*Cantando rumpitur anguis*, patientis.

Servius Phocam & Diomedem aſſertores & vindices habet. Diomedes, Phocam citat, ejuſque ſententiam ſequitur. Participialis modus verborum dictus eſt, quod ejus verba, participii ſunt omnia ſimilia: nec tamen participia ſunt, ut legendi legendo legendum, lectum lectu: Dicimus enim, Officium legendi mihi eſt, legendo didici, legẽdum, à lectu proficit, & lectum eſt, quibus participia ſimilia ſunt, ut hujus legendi, huic legendo, hunc legẽdum, & hunc lectum. Hæc eadem ſunt quæ Probus ſupina appellat, quoniã nec certum habent numerum, nec perſonam, nec ſignificatum, quo ſolo ab imperſonalibus differunt: Nam imperſonalia, agentis tantùm habent ſignificatum, ut puta legitur, ſcribitur, hoc eſt, omnes legunt, omnes ſcribunt: Nam legitur pro omnes legunt, non leguntur, nominativo dixit. Participialia autem, & agentis & patientis habent ſignificatum: nam cùm dicat Virgilius,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,

patientem, non facientem oſtendit: ſignificat enim, dum incantatur.

——*Uritque videndo*,
Fœmina.——

nondum videt, ſed dum ab aliis ipſa conſpicitur. Item,

Fando aliquid ſi fortè tuas pervenit ad aures,

pro, dum dicatur, paſſiva ſignificationes aliter enim dictum eſt,

——*Quis talia fando*,
Temperet à lachrymis?——

activa ſignificatione. Item,

——*Miſerabile viſu*,

quod ſignificat, miſerabile dũ videtur. Et

——*Finem dedit ore loquendi*,

quod ſignificat, finem dedit ore dum loquitur. Et

——Dicta

—— Dictu mirabile monſtrum.

quod eſt, Mirabile dum dicitur. & ejuſmodi declinatio, tam ex activa, quám paſſiva ſignificatione naſcitur. Hæc Diomedes. Priſcianus de gerundivo illo, cũ Servio ſentit quod in legendo, o commune ſit, citatque Juvenalis illud,

Plurimus hic æger moritur vigilando, ſed illum,
Langorem peperit cibus imperfectus. ——

Itẽ, Quód ſignificatione partim ſit actionis, partim paſſionis. Id, inquam, totũ argumentũ Servio concedit: argumentationis tamen concluſionem negat, appellatque legendi, legendo, legendum, lectum lectu, participialia, modo etiam gerũdia, modó ſupina, diſputatque non eſſe verba, quia nec perſonas diſcernant, & temporibus careant, quod accidere verbo nõ poſſit, ſed eſſe nomina, quia caſus habeant, genitivum legendi, dativum vel ablativum legendo, accuſativum, legendum & lectum, ablativum, lectu, deinde quia ſeparatam præpoſitionem ante ſe habeant, unde etiam caſus cognoſcãtur, ut 4. Verrin. A' quo pecuniam ob abſolvendũ acceperis. pro Milone, Hujus ergo interfector, ſi eſſet in confitendo. Atqui verbum, neq; caſus habet, neq; ſeparatam præpoſitionẽ ante ſe admittit: Itaque Priſcianus cõcludit participialia non eſſe verba, ſed nomina, idque duobus octavi libri capitibus iiſdem argumentis repetit: Veruntamen Priſciani argumentis reſpondere, difficile non eſt: primúm quód perſonas gerundium non diſcernit, id illi commune eſt cum verbis imperſonalibus, quæ ideó nomen id habent, deinde cum infinitis illis amare, amaviſſe, quæ tamen Priſcianus é verborum genere non ejicit. Hoc igitur argumento, Priſciani concluſio nihil adjuvatur. Secundum eſt, quód tempore careant, ſine quo tamẽ verbum intelligi nullum poteſt. Argumenti ſui ſolutionem argumẽtator ipſe nobis etiam ſuppeditat, amare infinitũ, & curritur imperſonale, nõ tam perſonis carent, quám perſonas confuſas habent, Cupio amare, cupis amare, cupit amare, cupimus amare, cupitis amare, cupiunt amare. Item curritur á me, á te, ab illo, á nobis, á vobis, ab illis. Id, inquã, de perſona Priſcianus concedit. Quid igitur de tempore quod infinitis attribuit? Participialia (ait) pro omni tẽpore infinitivi verbi ſolent accipi: dicimus enim, Legẽdi cauſſa in honore fui, & ſum, & ero. *ἀντὶ τοῦ ἀναγινώσκειν, ἢ τοῦ ἀναγινώσκειν χάριν ἢ τοῦ ἀναγνῶναι, ὁμοίως δὲ καὶ τοῦ ἀναγνώσεσθαι, καὶ τοῦ ἀναγινώσκεσθαι καὶ τοῦ ἀναγνωσθήσεσθαι.* Ergo, ut perſonas habent infinitas & confuſas, amare amaſſe, ſic legendi legendo legendum, lectum lectu, tempora non tam nulla adſignificant, quám habent infinita & confuſa: & tamen temporum quædam nota eſt præſentis in legendi & legendo, ut voluptas legendi: delectaris legendo: præteriti in lectu, ut illud Catonis, Cubitu reſurgo: futuri in legendum & in lectum aliquando etiam velut á paſſiva forma, ut indicat periphraſis illa futuri infiniti. Cic. ad Attic. Octavium quamvis magna manu veniat: tamẽ puerum eſſe, ac ſi multum poſſet, multó firmius acta tyranni comprobatũ iri quám in Telluris. Quare ſecundum hoc argumentum Priſciani non procedit: denique participialia his rationibus é genere verborum non tolluntur. Jam totidem Priſciani probatiões quod nomina ſint, excutiamus. Participialia, caſus habent (ait) Ergo nomina ſunt. Certé nominalis caſus ſpeciem potiús habent quâm veritatem: nec enim his caſibus alius caſus addi poteſt, quin plané nomen fiat, non gerundium, ut Studioſior reſtituendi mei, quám retinendi. Nihil igitur hac ratione á Priſciano concluditur. Secundum eſt de præpoſitionibus quas ait gerundiis præponi, unde nomina putat effici Priſcianus idem, á ſeipſo refellitur: Infinitivus enim Græcis tempora habet, & á Priſciano verbum appellatur, at gerundia (ait Priſcianus) infinitivi vice fungũtur, quod ſolet apud Græcos, articulis conjungi. Itaque pro infinitivo qui conjungitur genitivo caſui, articuli apud Græcos, nos utimur in di terminatione, quæ ſimilis eſt genitivo nominis legendi, *τοῦ ἀναγινώσκειν, καὶ τοῦ ἀναγινώσκεσθαι καὶ τοῦ ἀναγνωσθήσεσθαι.* Pro eo autem qui dativo articuli adjungitur, infinito apud Græcos antecedente *ἐν* præpoſitione, nos in do utimur terminatione, quæ ſimilis eſt dativo, vel ablativo nominis, niſi quód verbum hoc exiſtimantes quidam, etiam corripiunt o finalem ejus. Juvenalis in 2.

Plurimus hic æger moritur vigilando, ſed illum
Langorem peperit cibus imperfectus. ——

Alpheus Anitus in ſecũda excellentium, Spatiando paulatim trahit: Eſt enim dimetrum iambicum, ut legendo *τῷ ἀναγινώσκειν καὶ ἐν τῷ ἀναγινώσκεσθαι, καὶ ἐν τῷ ἀναγνωσθήσεσθαι.* Pro eo quoque qui accuſativo

 adjun-

adjungitur in dum, terminatione utimur quæ ſimilis eſt accuſativo nominis, ut legendum [illegible]. Huic tamē frequentius ſolet etiam præponi præpoſitio ad, ut ad legendū. Hæc Priſcianus: Itaque cùm ita diſputat, Gerundia ſeparatas præpoſitiones ante ſe admittūt: Ergo nomina ſunt: At (inquā) Priſciane, ais ſeparatas præpoſitiones infinitivis Græcis adjungi, neq; tamen negas verba eſſe: Ais etiam gerundia infinitis illis ſimilia eſſe: Tuo igitur argumento te ipſum induis, & eam ſententiam quam verbo oppugnas, tuo argumento cōcludis. Sed Priſcianus in hac diſputatione, mirificus diſputator eſt: cùm diſputaret, gerundiū, ſine tempore, verbū eſſe non poſſe, parem ſibi laborem objectum intelligebat, ut nomen efficeret ſine numero, ſine genere: Itaq; ut caſum, ſic numerū & genus participialibus attribuit, eaque facit generis neutri & ſemper ſingularia: & tamen omni generi & omni numero conjungi ait dum ita loquitur, Et quod ſupina cùm ſint generis neutri, & ſemper ſingularia conjunguntur diverſis & generibus & numeris, ut amando virum, amando mulierem, & amando pueros. Hæc Priſcianus, in quo hominē alioqui eruditū valde miror tanta repugnantia commotum nil eſſe, ut neutra nomina faceret, quæ tamen generibus omnibus putaret accommodari, & numero ſingularia, quæ numero etiam plurali poſſent adjungi: Anomaliam magnam videt in verbis participialibus, quód verbi proprietatibus ſpoliari, quód nominis caſibus indui videantur: At ut verbum ſine tempore, ſic nomē ſine genere facere non poterat: Itaque ut é participialibus nomina potiús quám verba fierēt, maluit Grāmaticus iſte falſum genus affingere, quā confuſum tempus explicare. Quare Priſcianum tantum licet & tam ſingularem latinæ linguæ Grammaticum: tamen hic logica non ſatis inſtructum perſpicimus: Itaque judicium ejus hic non audiemus, ſed legendi legendo legendum, lectum lectu, verba quidē, ſed perſonis, formis, temporibus infinita efficiemus, neque dicemus auditu pro auditione, ablativū eſſe, ut Priſcianus ait: Quintilianus enim eam opinionem jam olim refutaverat, Dictu & factu, ait lib. 1. cap. 4. ſunt verba participialia quidem, non tamen qualia dicto factoque. Ergo hæc verba infinita, verba participialia dicantur, quia caſualem, ſi non veritatem, at ſpeciem quandam á nomine capiant, ſicut ámans amatus amaturus, nomina participialia, quia ſignificationis vim, & adſignificationem temporis, á verbo capiāt. Sed de participialibus infinitis ſatis. Quæritur á Grāmaticis de gerundijs in di do dum, quomodo ſignificēt: de activa ſignificatione aut neutrali nihil eſt dubium, de paſſiva exemplum eſt unum quod videatur paſſivé uſurpari: Cic. 2. Verr. Non cōmittam ut tum res judicetur, cum hæc frequentia totius Italiæ Roma deceſſerit, quæ convenit uno tempore undiq;, comitiorum, ludorum cenſendique cauſſa. At hoc exemplum ſingulare generalem regulā facere nō poteſt.

P. RAMI LIBER DECIMVSQVINTVS, DE *Participiis & de formis verborum.*

ATque hæc temporū differentia eſt in verbo finito & infinito, unde nomina oriūtur verbi ſignificationē & tempus retinentia: participia ideo nominantur, quorum Grāmatica præter & nominū & verborum Grammaticam nulla nova eſt: Itaq; ut gerūdia verba quamvis partem quandam á nomine capiant id eſt ſpeciem caſus: attamen propterea non é verborum genere tollimus, ſed verba participialia dicimus: ſic participia cùm totam nominis etymologiam ſubeant, quod á verbo partem, id eſt ſignificationem & tempus capiant, non ideo é nominibus tollentur, ſed nomina participia tanquam aliquam á verbo partem capientia dicemus. Quæſtio autem á Grammaticis varié diſceptata eſt, ſed á philoſophis acutiús. Quæſitum eſt (ait Priſcianus libro 11.) an bene ſepoſuerint participium ab aliis partibus, Grammatici, & primus Tripho, quem Apollonius quoque ſequitur: Stoici autem partem orationis non efficiebant, quia derivatorum tātúm eſt: ſed Ariſtoteles multó ſubtiliús & acutiús, qui categorema ſtatuit in nomine & verbo, reliqua [illegible] fecit, ut antè dictū eſt: nec veró participiū ſubjicere poſſum verbo cū Stoicis, quia verbi definitio illi nō cōvenit: vox numeri cū tēpore & perſona. Perſonas enim neq; finitas, neq; infinitas habet, ſed nomini debeo, quia nominis definitio plané ei cōvenit:

eſt:

eſt enim vox numeri cum genere & caſu: Priſcianus tamen videtur noſtram partitionem convellere lib. 11. cùm ſic ait, Itaq; quibuſdã philoſophis, placuit nomen & verbum ſolas eſſe partes orationis: cętera veró adminicula vel juncturas earũ, quomodo naviũ partes ſunt tabulę & trabes: Cætera autem, id eſt cera, ſtupa & clavi & ſimilia vincula & cõglutinationes partiũ navis, hoc eſt tabularum & trabium, non partes navis dicuntur. Sed eſt objiciendũ ad hoc, quod cera & ſtupa non ex eadem conſtat materia ex qua tabulæ & trabes, conjunctiones autẽ & præpoſitiones & ſimilia, ex eadem materia, ex qua nomẽ & verbum, cõſtant, hoc eſt literis & ſyllabis & accentibus & intellectu, Itaq; etiã per ſe prolatæ quoq; partes ſunt orationis oſtendunt. Quid enim eſt aliud pars orationis niſi vox indicãs mẽtis conceptũ, id eſt cogitationẽ? Quęcũq; igiť vox literata profertur, ſignificãs aliquid, jure pars orationis eſt dicẽda: Quod ſi non eſſent partes, nunquam loco eorũ, nomina ponerẽtur, cũ loco ceræ vel ſtupæ in navi tabula fungi non poſſit. Invenimus autẽ loco adverbii nomen unà, multùm, falſò, quàm, & pronomẽ ſimiliter, eò, illò, & loco conjunctionis tam nomen quàm pronomẽ, quare, ideó, & adverbiũ loco nominis, ut mane novũ & ſponte ſua, & euge tuũ, & belle & cras alterum: Sed ſi quia compaginem videntur præſtare nomini & verbo, non ſunt partes orationis dicendæ: Ergo nec partes corporis debemus accipere nervos, quia ligant mẽbra & articulos: quod penitùs videtur abſurdum. multó igitur meliùs, qui principales & egregias partes nomen dicũt & verbum: alias autẽ, iis appendices. Hæc Priſcianus, quibus fortaſſe videatur Ariſtoteleam partitionẽ convellere: At ut ſimilitudo illa Priſcianum non evertit, ſic neq; hæc diſſimilitudo confirmat: nil enim his cõparationibus concluditur: neq; veró participia voces eſſe nego; ſed vocum ſpeciem à nominũ ſpecie diverſam non facio, nec cùm nomina facio, voces non eſſe dico, ſed cujus generis voces ſunt, oſtendo: Denique ex arte tantùm diſputo, definitionem adhibeo, vox numeri cũ genere & caſu eſt nomen, Participium eſt vox numeri cum genere & caſu: Participium igitur eſt nomen: addat etiam ſi quis volet ſtoicam illam conjecturam, Participia omnia aliunde derivata ſunt: non igitur ſpeciẽ vocis faciunt, quam tamen non magni facio, ſed uno illo definitionis argumento nitor. Temporis autem adſignificatio, quæ participio tribuitur valde mihi ſuſpecta eſt, nec omnino tempus aliud adſignificatur quàm verbo orationis, in qua participium fuerit, congruet: Ariſtoteles diſputat inambulans. Hic quia verbum diſputat eſt præſentis temporis, ideo & ambulans eſt præſentis temporis. Cic. 1. Aca. Quæ ad confeſsionem ignorationis adduxerunt Socratem & velut amantes Socratẽ, Anaxagoram, Democritum, Empedoclem: amantes, id eſt, qui amabant vel qui amarent. Idem poſt reditum: Agente P. Lentulo, cõſentientibus cæteris magiſtratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus faventibus, diis immortalibus reditum meũ comprobãtibus reſtitutus ſum: id eſt, Poſtquam egit: conſenſerunt, faverunt, comprobarunt. idem in Brut. Cum è Cilicia decedens Rhodum veniſſem, id eſt poſteaquam deceſsiſſem è Cilicia & Rhodum veniſſem: de futuro idẽ erit. Præteritum autem amatus quod dicitur nõ potius adſignificat tempus quã charus. Nec amatus fui ſum, aliud adſignificat tẽpus quàm charus fui, ſum, ero. Præteriti ratio varia eſt, quædam participia præteriti à neutris oriuntur, & tamen deponentium vim habent & vulgò neutra paſsiva dicuntur, ut pranſum, quamvis neutrum ſit, tamen habet participium præteriti pranſus, ut cœno cœnatus, juro juratus, careo caſſus, pateo paſſus, titubo titubatus. Et multa præterea à vetuſtiſsimis ſimiliter ſunt prolata participia præteriti à neutralibus verbis, ut à ſeneo ſenectus, ὁ γηράσας, diſcedo diſceſſus, ὁ ἀναχωρήσας, intereo interitus, ὁ ἀπολωλώς, obeo obitus, ὁ τεθνηκώς, occido occaſus, ὁ δυνὼς potus, ὁ πεπωκὼς καὶ ὁ ποθείς, ut juratus ὁ ὀμόσας καὶ ὁ ὀμοθείς. Catullus,

Sed hæc fuere non recondita ſenecta quiete.

Seneſco enim inchoativum eſt. Salluſt. in 4. hiſtoriarum, Omnes quibus ſenecto corpore, animus militaris erat. Cæcilius in 4, Cuſtodibus diſceſsis, multi interficiuntur. Claudius, Pugna acriter cõmiſſa multis utrinque interitis. Livius in Proteſilao, Cupidius miſerato obito. Lucilius in 2.

—Quæ horis ſublata duabus
Omnis ſunt ſole occaſo ductoque—

A' decreſcò quoq;, decretum Livius protulit in 3. Erotopægnion; Nocte dieque

decretum

decretum & auctum. Terētius in Hecyra, Quid ais? cum virgine una, adoleſcens cubuerit plus potus. Hoc tamen Juvenalis paſsiuè protulit in 4.

—Epotaque fluminis Medo,
Prandente.—

Sicut & juratus tam activè quàm paſsivè profertur. Cic. in 2. Verrin. Malo ei jurato ſuā, quàm injurato aliorū tabellas commitere. Lucan. in 8.

Priſca manent mihi per latium jurata tonantem.

A' titubo quoque, titubatus. Virgil. in 5.

—Veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo.—

Idem in 2.

—Nunc caſſum lumine lugent.

Quamvis à careo, futuri participiū non caſſurus ſed cariturus faciat, ſicut ſupra oſtēdimus Juvenalem in 2. protuliſſe. A' pateo, quoque paſſus naſcitur teſte Virgilio, qui ponit in 3. Aeneid.

Et pater Anchiſes paßis de littore palmis.

Idem in 2.

—paßis Priameia virgo
Crinibus.—

Hæc Priſcianus de participio præterito. Ne tamen hic quiſquam fallatur, nomina quædam ſunt participiorū præteritorum ſimilia: quæ tamen à nomine, non à verbo deducuntur, de quibus ita Priſcianus lib. 9. Et ſciendū (ait) quod participia ſine verbis eſſe non poſſunt: ſi qua igitur videantur ſine verbis formam habere participiorum, nomina ſunt dicenda, & carent temporali ſignificatione, ut penulatus, togatus, ſcutatus, galeatus, haſtatus, palliatus, caligatus, & his ſimilia: Sunt tamen quædam huiuſcemodi, quæ & nomina, & participia eſſe poſſunt: nomina quidem, cùm ipſum habitum ſignificant, nō paſſionem nec tempus, ut armatus, ab armis habendis ἑκτικὸν nomē eſt: cúm verò à verbo armor paſsivo naſcitur & præteritum tempus ſignificat armatus, [illegible] ſine dubio participium eſt. Ex omni autem ferè habitu, huiuſcemodi nomina inveniuntur apud Latinos, ut à capillo intonſo, capillatus, à coma comatus, à cirro cirratus, ab auribus auritus, à naſo naſutus, à tunica tunicatus, à lacerna lacernatus, à purpura purpuratus, à bracchis bracchatus, à pallio palliatus, à prętexta prętextatus, à trabea trabeatus, à taberna tabernatus, à manicis manicatus, à paludamēto paludatus, à ſtola ſtolatus, à lorica loricatus, à pictura picturatus, à ſcuto ſcutatus, à tabula tabulatus, à pilo pilatus, à gladio gladiatus, ex quo gladiator, à ſtella ſtellatus, à pelle pellitus, à dentibus dentatus, á barba barbatus, à pluma plumatus, à balano balanatus, à gemma gemmatus, à roſtro roſtratus, à ferro ferratus: Ex alijs quoq; nominibus inveniūtur, ſed nō adeó multa, ut à Cerere ceritus, à lympha lymphatus & lymphaticus. Nec incongruū vel abſonum mihi videtur poſſe verba quoque ex his ipſis ad ſimilitudinem eorū quibus uſa eſt authoritas proferre. Quid enim impedit nos quoq; aliquid copiæ ad opulentiā latinæ conferre eloquentię? & ad imitationem armo & armor armatus dicere, tunico & tunicor tunicatus, & ut roboro roboror roboratus, & ut æro & æror æratus, ferro ferror ferratus, plumbo plumbor plumbatus, & ut veſtio & veſtior veſtitus? togo & togor togatus? Si enim authoribus timiditas obſtitiſſet, ut nullis novis uterentur dictionibus, ipſa natura & ſignificatione rerū exigente, perpetuis latinitas anguſtiis damnata manſiſſet. Hęc Priſcianus. Participiū in rus quod futuri temporis à Varrone & cæteris deinceps Grāmaticis efficitur, futurum nō clarius exprimit, quàm ſupinū unde formatur: qualitatē autem quandā ut interdū potius adſignificat, quam futurum tempus: jungitur enim præterito. 1. Epiſt. ad fratrem. Qui privatus nunquā futurus fuit. Item 2. Orat. Cū ſic juriſconſultus ſuperior fuerit diſceſſurus. jungitur etiam futuro. 2. Orat. Hoc Oratori primo præcipiemus: quaſcunq; cauſſas erit acturus. 2. At. Ipſo die quo ad Sicā venturus ero. Ibidem: Addis ſi quid ſecus eo ad ad me fore venturū. Talis qualitas adſignificatur illo Quintiliani loco: Neq; omnino huius rei uſquam poeta meminit, nō taciturus de ſua tanta gloria. Quibus exemplis intelligimus tali participio non ſic adſignificari futurum, ut in verbo ipſo agam. Quartum vero in dus participiū illud, quod Grammatici cōmenti ſunt, Varro nullum ſtatuit: has enim ſolas, è verbo ternas formas agnovit: ſic enim lib. 7. de Lingua, loquit, Præterea cum ſint ab eadē origine verborū vocabula diſsimilia ſuperiorū, quód ſimul habeāt caſus & tēpora quę vocātur participia, & multa ſint cōtraria ut amor amo, ſetor ſero, ab amo & ejuſmodi omnibus verbis oriuntur præſens & futurū, ut amās & amaturus: & ab his verbis tertium, quod debet fingi prępteriti, in lingua latina reperiri nō poteſt: non ergo eſt analogia: ſic amabor, legar, & ejuſmo-

& eiuſmodi verbi eſt vocabulum ejus generis præteriti tēporis, ſit, ut amatus erā, ſim, ero: neque præſentis & futuri ab his fit: non eſt ergo analogia, præſertim cùm tantus numerus vocabulorum in eo genere interierit. Quod dicimus in his verbis & in iis verbis, quæ contraria non habent, loquor, vænor: tamen dicimus loquens, vænans, locuturus, vænaturus, quod ſecundum analogias non eſt, quoniam dicimus loquor & vænor, unde illa quæ erant ſuperiora minus ſervantur. Quod cum his quæ contraria verba habent, efficiunt terna, ut ea quę dixi, alia bina, ut ea quæ dicam, currens, ambulans, curſurus, ambulaturus: Tertia enim præteriti non ſunt, ut curſus ſum, ambulatus ſum. Hic Varro, ternas participiorum formas ſingulares agnoſcit, unam præſentis, alteram præteriti, tertiam futuri: Attingit id ruſſus libro 8. Analogiam item (ait) de his quæ appellantur participia, reprehendunt multa injuria: nam debent duci terna à ſingulis verbis, amaturus, amans, amatus, quod eſt ab amo, amans & amaturus, ab amor amatus. Quod igitur tria tantum participiorum genera inducam, Varronem authorem habeo: imó veró Varronis dominum, id eſt uſum ſermonis, ut Varro ipſe confitetur. Cùm veró nomen illud in dus uſurpatur, nullum tempus futurum, ſed officium aut qualitas quædam adſignificatur, ut amanda virtus, id eſt, quæ debet amari, digna eſt quæ ametur, quod Priſcianus interdum videtur approbare, ut libro octauo, cùm ait, Sed tamen ſciendū quod omnia hujuſcemodi formæ participia, id eſt in dus terminantia, etiam nomina eſſe poſſunt, quod & alibi repetit, ſed addit tum fore nomina, cùm tempus amiſerint: At (inquam) tempus nunquam tali voce adſignificatur: atque ad ſignificationem temporis illius futuri, quod Grammatici in illo in dus nomine comminiſcuntur, Cicero & Cæſar periphraſi utūtur. Cic. Quo in genere, ſperare videor Scipionis amicitiam & Lælii notā poſteritati fore. Idem de Fato: Chryſippus ſperat Chaldæos cōtentos Stoicorum cauſa fore. Cæſ. 1. Commiſſum cum equitatu prælium fore videbatur. non ait Cicero noſcendam, non ait Cæſar committendum, ut Donatus & ab eo Grāmatici præcipiunt. Quare participium hoc quartū rejicio: gerundium, nomen appello.

LIBER DECIMUSSEXTUS DE I. conjugatione in bo.

Atque hęc conjugationū communia ſunt, ad ſpecies eſt accedendū, quas Græci accentu diviſerūt in gravitonas & circūflexas, cujus diviſionis ſimilitudinē quandā Didymus Grāmaticus in latinis verbis pro ſingulari ingenii acumine exquiſivit, ut Priſcianus ait. Sed longior adhuc oratio fuit de tēpore, prima verbi differētia, ſupereſt altera de perſonis. Caſus nominis ſunt ſex, perſonæ verborū tres tantúm: Hic verborū materies, minor eſt quám fuit antea nominū. E' perſona, verbū perſonale vel imperſonale dicitur: perſonale, quod tribus perſonis cōjugari poteſt, ut amo, amas, amat, &c. Imperſonale, quod unica perſona conjugari poteſt, ut pœnitet, tædet, curritur. Hæc partitio verborū, modo quodam reſpondet partitioni nominū, & ut nomen ἄκλιτον, ſic verbū ἀπρόσωπον dicitur: at cúm dico homo nequā, hominis nequā, homini nequā, tum nequā nominativi, genitivi, dativi caſus eſt: de verbo imperſonali, nō poteſt ita dici ſignificatione per omnes perſonas ducta. Imperſonale enim, vocē tantúm tertię perſonę ſingularis obtinet: Simile tamē hic Priſcianus cōminiſcitur. Imperſonalia verba (ait lib. 17.) cúm per ſe infinita ſint, perſonis & numeris additione pronominū definiūtur, & loco perfectorum, per omnes modos accipiuntur verborū, ut curritur à me, á te, ab illo, à nobis, à vobis, ab illis. Imperativo curratur à te, ab illo, à nobis, à vobis, ab illis: Similiter optativo, utinā curreretur à me, á te, ab illo, à nobis, à vobis, ab illis. Probus tamē imperſonalia velut vniverſalia facit, & interpretatur legitur, ſcribitur, omnes legūt, omnes ſcribūt: quod tamē Probus nequaquam mihi facilé probaverit: id enim verbū, indefinitæ ſignificationis eſt: Sic cúm dicis pugnatur, infinité loqueris, & ideó intelligentia hæc ſæpe definitur, ut pugnatē ab his, ab illis. Itaq; Priſcianum hic ſequi malo; & certé tam uſitatus eſt hujus verbi ſenſus, ut ſi de uno aliquo mentio facta ſit, verbo imperſonali id tam quā ſubjectum & ſuppoſitū intelligatur. Sic de Antonio. 2. Phil. Inde itur Alexandriā, ab Antonio quippe. pro Inde it Alexandriā Antonius. Hinc igitē intelligimus

in unius

in unius tertiæ perſonæ ſpecie, perſonas utriuſque numeri confuſas eſſe, nec tamen prima perſona dici poſſe ego amatur, tu amatur, nos amatur, ut homo nequam, hominis nequam, homini nequam, ſic tædet me, te, illum, nos, vos, illos. Verba (ait Priſcianus libro 8. de figura) per omnes perſonas in omni tempore, nominativi caſus vim habent, cui ſoli poſſunt conjungi, ut facio, facis tu, facit ille: ſimiliter per omnia tempora, unde tamen non concludes omne verbum perſonale eſſe nominativi caſus. Ita verbũ imperſonale, quamvis omnibus perſonis conveniat, non ideo perſonæ cujuſquã propriè dicemus eſſe. E perſonalium finium differentia, formæ verborum naſcuntur, quibus verborum copia major eſt quàm nominũ: nec enim nomina in uno & caſu & genere variantur: at verba in una perſona & uno tempore variantur, ut amo, amor, amabam, amabar. Itaque materies verborum, formis locupletior eſt: ſed ut in modis illis, ſic in his formis Grammaticorum doctrina valde confuſa eſt. Varro jam indicat ætate ſua agitatum hic aliquid eſſe: ſic enim ait 8. de Lingua: Quod ad verborũ rationẽ attinet (ait) partes ſunt quatuor, temporum, perſonarum, generum, diviſionum, ſed de formis ſeu de generibus, mirifica Grammaticorũ doctrina eſt: formas, perfectam, inchoativam, meditativam, frequentativam faciunt, cujus partitionis jam Varronis tempore aliquid fuit, cùm lib. 9. de Lingua, ita ſcribat: Accedunt (ait) ad has ſpecies à copuleis diviſionum quadrineis ab infecti & perfecti emo, edo, emi, edi, à ſemel & ſæpiùs, ut lego, ſcribo, lectitavi, ſcriptitavi: Faciendi & patiendi, ut uro, ungo, uror, ungor: à ſingulari & multitudine, ut laudo, culpo, laudamus, culpamus. Varro his verbis confuſionem partitionum quæ tum oriebatur, propoſuit: ſemel illud & ſæpiùs, frequentativum Grammatici dicunt. Priſcianus lib. 8. ſpecies verborum hic appellat, & varias efficit. Primò inchoativa eſt, quæ initium actus vel paſsionis ſignificat, & plerumque à neutris abſolutam, vel intrinſecus natam paſsionem, id eſt [illegible] ſignificantibus, & fit à ſecunda perſona, addito co, ut labaſco, veſperaſco, luceſco, horreſco, concupiſco, reviviſco, præſciſco, ſentiſco: hiſco tamen, non hiaſco. Secundò meditativa eſt, quæ meditationem ſignificat, & fit à ſupino in u, & ferè eſt à quarta conjugatione, ut eſurio, parturio: alia tamẽ à tertia, ut nupturio, proſcripturio, ſyllaturio. Frequentativa eſt quæ frequentiam actus ſignificat, eaque deſinit in to, ſo vel xo, & fit partim à ſupino, ut à dictu dicto, curſu curſo, nexu nexo, imperatu tamen imperito, rogatu rogito, volatu volito a in i verſo: Quædam à ſecunda perſona, s verſa in to, ut cogis cogito, fugis fugito, noſcis noſcito, quæ ſunt omnia primæ conjugationis: ſector tamen pro ſecutor. Deſiderativa, quæ deſiderium ſignificãt, ut viſo, faceſſo, capeſſo, laceſſo, arceſſo: Alias etiam derivativorũ verborum ſpecies Priſcianus enarrat, ut diminutivorum in lo, ut ſorbeo ſorbillo, calvo cavillo pro calvillo: item à patre patriſſo, ab albus albico, & pleraque ejuſmodi: at inchoativis illis verbis nullum ſignificatur initium magis quàm primitivis: nec derivativa illa, ſignificant aliud quàm primitiva: Nec meditativa quæ dicuntur, meditationem ſemper ſignificãt, nec enim parturio ſignificat meditor parere, ſed ſum in labore pariendi. Plaut. Amph. Nam ubi parturit, deos invocat. Terent. Adel. Iuno Lucina fer opem, ſerva me obſecro. H. hem numnam illa quæſo parturit? Nec illa tertiæ formæ, frequentiam actus ſemper ſignificant, ut dormito, deſiderium potiùs ſomni, aut leviculum ſomnum, quàm frequentẽ ſomnum indicat. Cœnato mihi & jam dormitanti, epiſtola reddita eſt (ait Cic.) Nec Horatianum illud conveniret,

Quandoque bonus dormitat Homerus.

ſignificaret frequenter dormire: Quomodo enim frequenter & quandoque convenirent? Sic uolitare non frequenter, volare ſed leviter volare. Denique diminutio ſic potius quàm multiplicatio ſignificatur. Nec omnino deſiderativa illa, deſiderium, ſed actum oſtendunt, ut viſo, potiùs eſt eo ad videndum, quàm cupio videre: ac ſic in cæteris invenies: Denique dum Grammatici iſtas ſignificationum artes nobis comminiſcuntur, non Grammaticæ præcepta, ſed ſua placita nobis oſtendunt: Quinetiam, ſi vera eſſent hæc omnia, tamen eſſent ab artis præceptis aliena: quoniam Grammaticæ propoſitum non eſt ſingularum vocum ſignificationes explicare, ſed uſum. Talis eſt anxietas in partitione generum verbalium, quæ ſi vera eſſet, inutilis tamen eſſet, quia ſignificationes tantùm tractaret:

quarum

quarum tamen notitia ſumenda, ut ſæpe dixi, non docēda ſit. Grāmaticus Palemo cùm genera quinq; feciſſet activum, paſſivum, neutrum, cōmune, deponēs, ait, Sanè illud monemur, quomodo in nominibus major quātitas eſt maſculini & fœminini generis: neutri verò minor & cōmunis: Sic & in verbis multa fuerunt activa, multa æquè & paſſiva, non tanta neutralia nec communia, nec deponētia: & propter hoc regula activorū paſſivorumque in immenſum tenditur: cæterorū verò verborum regulæ à diligētibus colliguntur. Hic Grāmaticus videtur ad uſum cōjugationum duo tantùm genera facere: illud activum, hoc paſſivum, ut plena conjugationis analogia illic ſit, anomalia quædā in cæteris. Huc Phocas etiam tendit, cùm genera illa quinq; feciſſet, & addidiſſet ſupina, ut pendeo, væneo, vapulo, Conſtat (ait) univerſa duobus modis declinari: nam neutra & ſupina, activorū, deponentia & cōmunia paſſivorū regulā ſequuntur. Sic Diomedes genrra verborum ſeu ſignificationes principales duas, activam & paſſivam. Donatus, quē fermè omnes ſcholæ deinde ſecutæ ſunt, genera verborum, ſignificationes ab aliis dicit appellati, & ad quinq; genera addit verba alia inæqualia, alia monoſyllaba, alia ſignificatiōis incertæ. Servius Donati interpres, videtur magiſtri definitiones parū probare, Quęcunq; illæ ſint definitiones (ait) quæ hic lectæ ſunt variæ: tamen quantum ad ſignificationes, id pertinet, omnia iſta quinque, duas habent ſignificationes, id eſt aut patiētis aut agētis: Hinc eſt, quòd in neutrali verbo, & agentis & patientis invenimus ſignificationem: agentis, ut nato: patientis, ut vapulo: Itē in deponenti verbo, ubi ſola utiq; debuit eſſe paſſiva ſignificatio, & agētis nunquā invenitur, ut eſt loquor. Confuſio autem cōmunis verbi caſibus ſegregatur. Nam ſi accuſativum verbū jungas, agētis eſt, ut criminor illum: ſi ablativum, patientis, ut criminor ab illo. Priſcianus primam partitionē attingit, ſed tamē in eādem erroris ſocietatē labitur. Significatio (ait) vel genus, quod Græci *διάθεσιν* vocāt verbi, in actu eſt propriè, ut dictum eſt, vel in paſſione, & omnia verba perfectam habentia declinationem & æqualem, vel in o definunt vel in or. Hæc Priſcianus, ubi & plenā illam activè & paſſivè formæ analogiam attingit, neq; tamē ſequitur. At in hac partitione, primùm cōmunia quæ dicūtur, in uſitata locutione nulla ſunt, & jam olim Gellius verè docuerat omnia hæc ex altera parte, inuſitata eſſe, Sic autem loquitur, Utor & vereor & hortor & cōſolor, cōmunia verba ſunt, ac dici utroq; verſum poſſunt, Vereor te, & vereor abs te, id eſt, Tu me vereris, Utor te & utor abs te, id eſt, Tu me uteris, Hortor te, & Hortor abs te, id eſt, Tu me hortaris, Conſolor te, & Conſolor abs te, id eſt, Tu me conſolaris. Teſtor quoque & interpretor ſignificatione reciproca dicuntur. Sunt autem verba hæc omnia, ex altera parte inuſitata, & an dicta ſint in eam quoq; partem, quæri ſolet. Afranius in Conſobrinis,

Hem, iſte parentum eſt vitabilis liberis,
Ubi malunt metui, quàm vereri ſe à ſuis.

Hic, Vereor ex ea parte dictum eſt, quæ eſt non uſitatior. Nonius in Ligaracta Licinaria verbum quod eſt utitur, ex contraria parte dicit, Quia ſupellex multa, quæ non utitur emitur tamen. Id eſt, Quæ uſui non eſt. M. Cato in 5. Origin. Exercitū, inquit, ſuum pranſum, paratū, cohortatum eduxit foras atque inſtruxit. Conſolor, quoq; in partem alterā, præterquàm dici ſolitum eſt, in Epiſtola Q. Metelli, quam cùm in exilio eſſet ad Cn. & L. Domitios dedit, Ac cùm animū, inquit, veſtrum erga me video, vehemēter conſolor, & fides virtuſq; veſtra mihi ante oculos verſatur. Teſtata itidem & interpretata, eadē ratione dixit M. Tullius in 1. lib. de Divinat. ut teſtor interpretorq; verba communia videri debeant. Salluſtius quoque eodem modo dilargitis proſcriptorum bonis dicit, tanquam verbūm largior, ſit ex verbis cōmunibus. Veritum autem, ſicut puditum & pigitum, non perſonaliter per infinitū modum dictum eſſe, non à vetuſtioribus tantùm videmus, ſed à M. quoque Tullio in 2. de Finib. Primùm, inquit, Ariſtippi, Cyrenaicorùmque omnium, quos non eſt veritum in ea voluptate, quæ maxima dulcedine ſenſum moveret, ſummū bonum ponere. Dignor quoque & Veneror & Confiteor & Teſtor habita ſunt in verbis communibus, ſicut illa in Virgilio dicta ſunt,

Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo. Et,
—— Cirſuſque dabit venerata ſacerdos.

Confeſſi autem æris, de quo facta confeſſio eſt in XII. Tabulis ſcriptū eſt his verbis, Aeris confeſſi rebuſque judicatis, triginta dies juſti ſunto. Item ex iiſdem tabu

lis id quoque eſt, Quæ ſi erit teſtatior libripenſve fuerit, in teſtimonium feriatur, improbus inteſtabiliſque eſto. Hæc Gellius. Itaque memento omnia hęc communia quæ dicuntur, ex altera parte inuſitata eſſe, & quod ex Tullio Gellius citat, in participiis eſt frequens & uſitatum: non autem in verbis, nec exempla illa Ciceronis, verborum, ſed participiorũ tantum ſunt. Priſcianus locupletiore exemplorũ inductione, rē copioſiùs perſuadet, Sunt (ait libro octavo) alia verba, quæ quamvis non ab activis proficiſcentia: tamen paſsivam ſemper habent formam, & ex his quædam eadem voce utrumque ſignificant, id eſt actionem & paſsionem, ut oſculor te & oſculor à te, criminor te, & criminor à te. Hæc communia nominamus. Alia verò quæ ſimiliter eandem in or terminationem habentia, nec ab activis nata, unam duntaxat habent ſignificationem, ſed non omnia eandem, hæc deponentia nominamus, cùm quædam activam vim poſsident, ut conſpicor te, ſequor te, præſtolor te & tibi. Terent. in Eunuch. Quem præſtolare Parmeno? Cic. in 2. Invectivarum, Qui tibi ad forum Aurelium præſtolarentur. Inſidior tibi. Ex his multa antiqui tam paſsiva quàm activa ſignificatione, protuliſſe inveniuntur, & maximé ea quæ apud Græcos activã vim habent & paſsivam, ut eſt auxilior te & auxilior à te: ſimiliter adminiculor, adulor, auguror, adhortor, adipiſcor, abominor, conſequor, amplector, adorior, abutor, miror, anteſtor, execror, machinor, polliceor, conſector, cõteſtor, dignor, deteſtor, aggredior, aſpernor, architector, aſſector, argumentor, reor, vereor, ſolor, arbitror, blandior, conſolor, conſpicor, comminiſcor, complector, calumnior, carnificor, deſpicor, demolior, dominor, depeculor, dilargior, ementior, exordior, experior, fruſtror, hortor, for faris fatur, meditor, obliviſcor, metor, morigeror, aſſequor, queror, Hæc, plerique deponẽtia eſſe confirmant, ideò quia frequens uſus eorum, ſignificationis eſt activæ. Communia verò eſſe defendit tum natura ipſius ſenſus, tum veterum non improbanda authoritas, à qua quæ potuimus à diverſis colligere libris, exempla proferamus. Lucilius, A' me auxiliatus ſi eſt. paſsivè [illegible]. Caſsius ſimiliter, Adulatique erant ab inimicis, & adhortati. adulati, [illegible], adhortati [illegible]. Varro, Tribunitio auxilio adminiculati, [illegible]. L. Cæſar, Certæque res augurantur, [illegible], cujus activum Virgilius in 7.

— Si quid veri mens augurat, opto.

Cicero tamen Verrinarum 4. Ex nomine iſtius, quid iſte in provincia facturus eſſet, perridiculé homines augurabantur. C. Fannius, Hæc adipiſcuntur, ἐπιτυγχάνονται. Fab. Maximus, Amitti magis, quàm adipiſci. Paſsivè omnia ſunt prolata. Verrius, Sævitiaque eorum abominarentur ab omnib. paſsivè dixit. Orbilius, Quæ vix ab hominibus conſequi poſſunt. [illegible]. Patronius, Animam noſtro amplexam in pectore. [illegible]. Lucilius, Quin amplexetur qui velit, ego nõ ſinam me amplectier. amplexetur [illegible]. Cicero pro Roſcio, Quo uno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur. Aurelius, Ab his Gallos adortos, ex inſidiis plurimos necatos. adortos, [illegible]. Q. Hortenſius, Abuſis jam omnibus locis, abuſis, [illegible]. Varro, Utile utamur potiùs, quàm ab rege abutamur. Canutius, Turpe eſt propter venuſtatem veſtimentorum admirari, & propter turpiſsimè vitam actam contemni. admirari, [illegible]. Cicero pro Muræn. Publicis literis teſtata ſunt omnia. teſtata paſsivè [illegible]. Livius, Impubes, libripens eſſe non poteſt, neque atteſtari, [illegible]. Cato in 4 Originum, Exules duo, lege publica execrati: paſsivè, [illegible]. Salluſtius in 2. hiſtoriarum, At Lucullum regis cura machinata fames, brevi fatigabat. machinata paſsivè dixit. Metellus Numidicus in oratione quã apud populum Cajo Manlio Tribuno plebis reſpondit: Nam ut aliis plerumq; obvenienti magiſtratu ob metum ſtatuæ polliceantur. paſsivè, ἐπαγγέλλονται. Reor quoque, queror & ſolor in ſignificatione paſsiva inveniuntur. Cicero ad Nepotem, Hoc reſtiterat etiam, ut à te fictis aggrederer donis. aggrederer, paſsivè dixit, [illegible]. In eodem: Qui habet, ultro appetitur, qui eſt pauper, aſpernatur. paſsivè, [illegible]. Nepos, Aedis Martis, eſt in Circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio. architectata, paſsivè poſuit, [illegible]. Ennius, Aſſectari ſe omnes cupiunt. aſſectari paſsivè, [illegible]. Alpheus Phyſiologus, Themiſtocles cùm à formoſo aſſectaretur. paſsivè [illegible]. Auguſtius, Omnia argumentata homina, paſsivum argumẽtata, [illegible].

Cecilius

Cecilius, Ex ſcriptis eorum, qui veri arbitrantur. paſsivè ὑπολαμβάνονται. Verrius,

Blanditusque labor molli curabitur arte.

Blanditus paſsivè κολακευθείς. Aſinius Pollio, Sed tum ob ea, quæ ſperaveram, dolebam, conſolabar ob ea quæ timui. conſolabar paſsivè protulit. Varro, Paupertas enim hæc tum non ita nutricata, ut nunc conſpicatur. ὁρᾶται, paſsivè dixit. Appius Cæcus, Amicum cùm vides, obliviſcere miſerias, inimicus ſi es commentus, nec libens æquè commentus cæco. πεπλασμένος. Varro, Veſtales inceſti compertas, anſa petuntur incognita, conſecutą negliguntur. conſecuta pro impetrata, paſsivè ait. Laverius, Uxorem tuam & meam novercã à populo lapidibus conſectari video. conſectari paſsivè διώκεσθαι. P. Auffidius, Si quis alio vocitatur nomine, tum cum his conteſtatur atque olim vocitabatur. conteſtatur, paſsivè poſuit, συμμαρτυρεῖται. Cicero, Cupio eum tam invidioſa fortuna complecti. paſsivè. Staverius de proportione, Non eſſe poſitiones regulæ, à quibus interdum analogia calumniatur. συκοφαντεῖται. Siſenna, Vitam cum dolore & inſigni cruciatu carnificatus amiſit. carnificatus βασανισθείς. Cic. in œconomico, Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur. paſsivè, ἀξιοῦνται. Horatius in 1. Carminum, Bellaque matribus deteſtata. Qu. Pompejus, Me miſerum, quem mille fœminæ deſpicari auſæ ſunt. deſpicor commune accipiebãt. Curio pater, Nuſquam demolitur, nuſquam exoneratur pecunia. demolitur paſsivè dixit. Terentius in Phorm. Meditata mihi ſunt omnia mea incommoda. μεμελετημένα, meditata paſsivè dixit. Nigidius, Omne pecus indomitum, habet quiddam in ſe ferum: ſed tamen ea natura eſt, ut curari & dominari poſsit. δεσπόζεσθαι, dominari paſsivè. Lucius Cælius, Ubi Senatus intellexit populum depeculari, ἀποσυλᾶσθαι. C. Gracchus, Aerarium delargitur Romano Populo. delargitur paſsivè protulit. C. Memmius, Quàm ſtultè conficta, quàm apertè ementita ſunt. ἐψευσμένα. Cic. ad Antonium libro 2. Quem ipſe ementitis auſpiciis vitioſum fecerat. ementitis ψευδέσιν. Viſellius, Bonæ res per illos à raro initio exorſæ, in te ad ſummum pervenerunt. exorſæ, id eſt initæ. P. Nigidius, Experienda ratio. Aſinius, Cujus experta virtus bello Germaniæ traducta ad cuſtodiam Illyrici eſt. experta paſsivè. Accius, Multa inventa expertaque ex hoc ſunt bona. Feneſtella, Fruſtratus igitur à ſpe, devictus in caſtra ſe recepit. fruſtratus ματαιωθείς. Laverius, Fruſtramur, irridemur. Varro, Ab amicis hortaretur. Suetonius in 8. Prætorum faſti dies ſunt, in quibus jus fatur, id eſt dicitur, ut nefaſti, in quibus non dicitur. Virgil. in Bucolicis,

Nũc oblita mihi tot carmina, vox quoq; Mœrim,
Jam fugit ipſa.——

oblita paſsivè poſuit. Horat. in 2. Carm.

Nulla decempedis metata privatis opacam,
Porticus excipiebat arcton.

Similiter protulerũt tam in activa quàm in paſsiva ſignificatione tutor, vador, venor, velificor. Juve. in 4.

Velificatus Athos.——

Vociferor, veneror. Virgil. in 3. Aeneid.

——Curſuſque dabit venerata ſacerdos.

Confiteor, tueor, aggredior, ſtipulor: in quo quoq; eſt illud obſervandum, quòd activa ſignificatione quomodo paſsiva, ablativo conjungitur. Stipulor à te, pro interrogo te & interrogor à te, quomodo dicimus, quæro à te, pro interrogo te, quã vis ſit activum. Juvenalis in 7.

Quãtũ vis ſtipulare, et protinus accipe quod do;
Ut toties illum pater audiat.——

Et ſubauditur, à me ſtipulare. Ecce hic eſt activè. Suetonius autem paſsivè protulit in 4. Prætorum, Lætoria, quæ vetat minorem annis viginti quinq; ſtipulari. ἐπερωτᾶσθαι. Livius in 33. ab urbe condita, Nec alieni momentis animi circumagi, ſtipularique irato Conſuli, Tribuno inde plebei. Plautus in Ciſtellar. Me reſpondere poſtulas, injurium eſt: ſtipulari ſemper me ultrò oportet, à viris enim quæſtũ facio, nihil jutes, promittere. activè dixit. Idẽ in Pſeudolo, Minæ viginti ſalvę ac ſanæ ſunt tibi hodie quàm abs te eſt inſtipulatus Pſeudolus. Idem in Rudẽte paſsivè dixit, Ni dolo malo inſtipulatus ſis, nunc etiam dum ſiem quinque & viginti annos natus. Hæc Priſcianus erudita inductione, ſed quatuor tantùm è Cicerone exemplorũ aſpernari, aggredi, cõplecti, dignari, quæ ſexcentis aliis locis activa tantùm ſignificatione leges: nec exempla illa imitari velim, cùm uſus ſignificationis activæ, longè frequentiſsimus ſit: Addit verò etiam multa verba antiquitus ancipiti terminatione idem ſignificare, ut partio partior, munero & muneror, mino & minor, mutuo & mutuor, minito & minitor.

meridio & meridior, modulo & modulor, meto & metor, modero & moderor, mentio & mentior, obverſo & obverſor, præverto & prævertor, pignero & pigneror, pacifico & pacificor, ſcruto & ſcrutor, progredio & progredior, perconto & percontor, prælio & prælior, jurgo & jurgor, potio & potior, prædo & prædor, prævarico & prævaricor, preco & precor, quærito & quæritor, quadruplo & quadruplor, quieto & quietor, nequito & nequitor, rimo & rimor, recordo & recordor, reminiſco & reminiſcor, revereo & revereor, ſtabulo & ſtabulor, ſecto & ſector, ſeco & ſecor, ſortio & ſortior, ſciſco & ſciſcor, tuto & tutor, tumultuo & tumultuor, villico & villicor, velito & velitor, vago & vagor, vocifero & vociferor, ulciſco & ulciſcor, uto & utor, murmuro & murmuror, manduco & manducor, mando & mandor, oſcito & oſcitor, palpo & palpor, proteſto & proteſtor, rumino & ruminor, tolero & toleror, ſolero & ſoleror, præſagio & præſagior, opino & opinor. Hæc Priſcianus de generibus verborũ, in quibus tamen multo plura proponit quam queat opinor locuplentibus teſtimoniis approbare, utrum tamen ſi hęc generum partitio verisſima, ut dixi eſſet: tamẽ eſſet ad verborũ Grammaticam inutilis. Vide quid Grammatici, in his generum definitionibus ſpectaverint, quem uſum ſecuti ſint, reperies fines perſonarũ & terminationes ad differentiam verbalium flexionũ ſpectari. Has igitur terminationũ formas retinemus, & perſpicuam veritatem explicamus: nulla tamen ſignificationis facta mentione, ſed finium tantum. Grammaticã unam facere tentaret, de quo lib. 8. Priſcianus ita loquitur, Sciendum tamen quod videmur in præterito perfecto plerumq; barytona quoq; Græcorum imitari in commutatione conſonantiũ teſte Didymo, qui oſtendens omnia quæ habent in arte Græci, habere etiam Latinos, exemplis hoc approbat: Nam, cúm primam conjugationẽ dicunt βαρυτόνων quæ tres cognatas habet conſonantes, id eſt β, π, φ, pro qua nos ph ſcribimus in pleriſque, & in omnibus hujus conjugationis verbis, per ψ declinãt ἀόριστον, hoc eſt præteritum infinitum ſpatio temporis utrum pauló anté an multó póſt ſit perfectum, ut λείβω, unde κρύπτω, ἔκρυψα, λείπω, ἔλειψα, ἀλείφω ἤλειψα. nos quoq; in præterito perfecto quod pro παρακειμένου, id eſt pauló ante perfecto & pro ἀορίστου teſte Probo habemus: (nam amavi, πεφίληκα & ἐφίλησα ſignificat. ſimiliter feci, πεποίηκα & ἐποίησα: vidi, ἑώρακα καὶ εἶδον, & ſic omnia cætera) nos quoq; cúm in præſenti in bo vel po deſinat verbum, plerunque in pſi facimus præteritum perfectum in tertia conjugatione, ut ſcribo ſcripſi, nubo nupſi, ſcalpo ſcalpſi, repo repſi: nam pro ψ Græca duplici, in principio ſyllabarum poſita Romani pſ ſolent ſcribere. In ſecunda autem conjugatione βαρυτόνων Græci quæ γ, κ, χ, habet, per ξ efferunt præteritum infinitum, ut λέγω, λέξω, ἔλεξα, πλέκω πλέξω ἔπλεξα, ἄρχω ἄρξω ἦρξα. Nos quoque in go vel in co deſinentibus idem frequenter facimus in præteritis perfectis, id eſt per x declinamus hoc tẽpus, ut rego rexi, pingo pinxi, duco duxi, dico dixi. Nam in pho, cho, tho nullum terminat latinum verbum: Itaque triumpho græcum eſt, ἀπὸ τοῦ θριαμβεύω, ſed tranſlatio fuit aſpirationis á prima ad poſtremã ſyllabam, quomodo κύθρα pro χύτρα, ἐνθαῦτα pro ἐνταῦθα, quod eſt ionicum, ad cujus imitationem latini pro θρίαμβος triumphus per tranſmutationem aſpirationis protulerunt. Ideó tamen b in p converſa eſt, quia b aſpirari non poteſt. Tertiam quoque illorum imitamur conjugationem quam per δ, θ, τ, efferunt, ut ᾄδω ᾖσα, πείθω ἔπεισα, ἀνύτω ἤνυσα, nos, ardeo arſi, lædo læſi, ludo luſi, concutio concuſsi. Ad quartæ quoque imitationem quæ per ζ vel duplicatum ſſ profertur, & præteritum per ſ facit, ut ὀρίζω ὥρισα, λιτάσσω, ἐλίτασα: nos quoque pitiſſo pitiſſavi, patriſſo patriſſavi, muſſo muſſavi. Quinta per liquidas profertur, eaſque ſervat in omni præterito τίλλω ἔτιλα, νέμω ἔνεμα, τέμνω ἔτεμα, σπείρω ἔσπειρα. Nos quoque in pleriſq; ſervamus liquidas, non tamen in omnibus, ut cœlo cœlavi, doleo dolui, domo domui, timeo timui, emo emi, tono tonui, teneo tenui, cano cecini, aro aravi, terreo terrui. Ideó autem diximus in pleriſque, quia inveniuntur & m & n & r in præſenti, quæ in præterito perfecto vel abjiciuntur vel mutantur, ut rumpo rupi, premo preſsi, ſterno ſtravi, temno tempſi, tero trivi, uro uſsi. Sextam conjugationẽ dicunt, quæ per ω puram effertur, ut ἱκετεύω, πλέω, βασιλεύω, qualia ſunt apud nos omnia ſecundæ & quartæ conjugationis verba: quippe in eo vel in io deſinentia: Inveniuntur tamen etiam primæ & tertiæ conjugationis nõ ſolùm e vel i antecedentibus,

ſed

ſed & aliis vocalibus, ut inchoo inchoas, mutuo mutuas, meo meas, hio hias. Tertia tamen a vel e ante aſpirationem invenitur habere penultimas, ut traho traxi, veho vexi, i veró vel u puras ſine aſpiratione, ut facio facis, ruo ruis. Hæc Didymus acuté & ſubtiliter collegit, ſed ad latinam Grammaticã parum utiliter, cúm major multó ſit diſsimilitudo, quám ſimilitudo, Itaquè hanc é literis characteriſticis partitionem ſequi non poſſumus. Græci, verba in μι ex fine nominaverunt: ſic nos dum commodius aliquid occurrat, conjugationis verbalis ex fine duo genera nominamus in bo & in am, cujus utriuſque generis ſeparatas differentias Priſcianus exponit: nec tamen partitionem fecit ut eam omnino ſequatur. Docet autem in prima & ſecunda conjugatione præteritum infectum & futurũ formari à ſecunda perſona: præteritum, s verſo in bam, futurum, s verſo in bo: contra in reliquis cõjugationibus, tertia & quarta, à prima: præteritum o in e verſo & addito bam: futurum, o verſo in am quæ generum noſtrorum differentiæ ſunt: ſic autem Priſcianus loquitur, Verba autem & in principio & in fine & in medio moventur: non tamen per ſingula tempora omnes motus neceſſe eſt pati, ſicut oſtendetur. oportet igitur de his, ratione cõgrua exponere: cur tamen à præſenti, ſicut à nominativo, declinationis exordium ſúmimus, ſuperius tractatum eſt, quod ſcientes, de cæteris dicemus. Præteritum imperfectum, apud Latinos, principium nunquam movet, ſed finem, ut àmo amas amabam, doceo doces docebam; lego legebam, facio faciebam, munio muniebam. Et in prima quidem conjugatione, a habet ante bam. Secunda enim perſona in as definens abjecta, s, aſſumit bam, amo amas amabam, meo meas meabam. In aliis veró omnibus e productam docebam, legebam, audiebam: in quarta tamen conjugatione eſt, quando antiqui tranſmutantes locum vocalium pro i & e, æ diphthongon proferre ſolebãt, quam poſteà in i longam verterũt, uti polibam pro poliebam, munibã pro muniebam. In eo veró definentibus verbis ejuſdem quartæ conjugationis, nec poſſumus aliter proferre præteritum imperfectum, niſi i ante bam ſervantes, ut eo ibam, adeo adibam, væneo vænibam, queo quibam. Nec mirum; cúm hæc verba ex ſecunda perſona faciunt tam præteritum imperfectum, quám futurum ad ſimilitudinem primæ & ſecundæ conjugationis: Nam tertia & quarta conjugatio ſolet èx prima perſona gignere tam præteritum imperfectum quàm futurum: præteritum imperfectum, mutatione o in e productam, & additione bam, ut lego legebam, facio faciebam, audio audiebam. Futurum, mutatione o in am ut lego legam, facio faciam, audio audiam, exceptis in eo definẽtibus, quæ ſicut ſupra diximus, à ſecunda perſona faciunt prædicta tempora. Hæc Priſcianus, unde bipertitam conjugationem verborum deducimus, in bo & in am. Primæ veró conjugationis, ſicuti reliquarum, nulla admodum magna eſt animadverſio, niſi, præteriti & ſupini. Atque in primæ conjugationis præterito & ſupino Grammatici veram analogiam ſecuti ſunt é prima verborum origine in avi & atum, id ſequimur. De neutropaſsivis antea monuimus & ſpeciatim ſuis locis admonebitur, ut hic cœnatus, juratus, conjuratus, pro quo barbarum eſt conjuratór.

Neco. Sic autem Priſcianus de hoc verbo libro 9. Supradictis (ait) addunt quidam neco necavi vel necui, ſicut & Probus & Cariſius & Diomedes, ideoque participiũ præteriti paſsivum necatus à necavi & nectus à necui facit. Horatius in 1. Epiſtol.

Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando.

Liv. ab urbe condita 21. Fame, frigore, illuvie, ſqualore enecti. Cicer. Tuſc. 2. Enectus ſiti Tantalus. Sed propriè necatus ferro, nectus veró alia vi peremptus dicitur. Ennius,

Hos peſtis necuit, pars occidit illa duellis.

Ergo veteribus preteritum fuit necui. Sed Plaut. Hoſpes hic me necavit. Liv. Obrutam armis necavere. Id præteritũ ſequar. Quædã duplex habent præteritũ: quamvis non legi crepavi & crepui, attamẽ increpavi & increpui, diſcrepavi & diſcrepui uſitata ſunt. Cic. ad fratr. Cato, Pompeji in me perfidia increpavit. Plaut. Totus timeo, ita me increpuit Jupiter. 3. Orat. Si qua in re diſcrepavit ab Antonii diviſione noſtra partitio. Horat.

Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.

Compoſita à plico cum præpoſitione Priſcianus ait ſæpius in ui diviſis ſyllabis facere, cũ nomine veró ſæpius avi: At comperió etiam illa cum præpoſitione com-

poſita frequenter avi facere: Sic autem loquitur libro 9. Plico plicas plicui & plicavi, quod maximé in compoſitis dignoſcitur: nam cum præpoſitione magis per ui diviſas: cum nomine veró cõpoſitum, per avi terminat perfectũ, ut implico implicui, applico applicui, explico explicui, replico replicui, complico complicui, duplico veró duplicavi, triplico triplicavi, multiplico multiplicavi: Invenitur tamẽ etiã cum præpoſitione, in avi faciens præteritum, ſed in raro uſu. Pacuuius, Quæ te applicaviſti: tamen ærumnis obtuta. Cic. Rhet. 2. Quod in itinere tam familiariter ſe applicaverit. Varro de poetis lib. 1. Deinde ad Siculos ſe applicavit. Hæc Priſcianus, qui in ſupino eandem retinet differentiam. Plico etiam & plicatum (ait) & plicitum facit, quia & plicavi & plicui. Ex eo igitur compoſita penultimam a vel i habent in ſupino, duplicavi duplicatum, explicavi, explicatum, implicui vel implicavi, quod in raro uſu eſt, implicitum & implicatum, unde Lucanus in 3.

Implicitas magno Cæſar torpore cohortes.

Cicero veró in Piſonem. Quod avaritiæ quę criminib. infinitis implicita eſt, ſummam nunc explicem: Idem in eodem, Familiaritate implicatus. Salluſtius in 4. Hiſtoriar. Implicatæ rates, miniſteria prohibebant. Hæc Priſcianus. Et certé Cicero pro Milone (ait) Niſi etiam muliebribus religionibus te implicuiſſes. Et pro lege Manilia, Hæc fides pecuniarum implicita eſt. tamen participia Ciceronis analoga longé frequẽtiora. Pro Quintio, Res controverſiis implicata. Pro Amerino, Non tam propenſus ad miſericordiam, quâm implicatus ad ſeveritatem. De reſponſis, Implicatus expectatione ſupplicii. Sic alias perſæpe, Applico applicui. Cic. 1. de Oratore, Si ſe ad aliquẽ quaſi patronum applicuiſſet. At idem in Academ. Ad hãc potiſsimûm philoſophiam me applicavi. De claris Orator. Meque ad Molonem applicavi. pro Cluentio, Oppianicus ſe ad Staleni familiaritatem applicavit. Ergo hic etiam avi frequẽtius eſt. Explicuit. Virgil. 2. Georg.

Ut ſæpe ingenti bello, cúm longa cohortes
Explicuit legio.——

At Cicero de divinat. Explicavit ſententiam. De finibus, Quam ſi explicaviſſet. In Epiſtolis, [illegible] totam in hoc imperio explicavi: & ſic ferè perpetuó. Itaq; Gellius lib. 1. cap. 7. veré illud affirmavit Ciceronem in Maniliana maluiſſe dicere explicavit quâm explicuit. Locus eſt Ciceronis, Teſtis eſt Sicilia, quâm multis undique periculis cinctam, non terrore belli, ſed cõſilii celeritate explicavit. At ſi explicuit diceret (ait Gellius) imperfecto & debili numero verborum ſonus clauderetur. Cicero tamen etiam dicit ad Atticum, A' te ejus quoque rei juſta defenſio eſt explicita. At idem locis infinitis, legitimum uſurpat: Pro Planco, Cauſſa facili & explicata. De Orat. Veteris memoriæ non ſatis explicata recordatio. Ibidẽ, Locis illuſtribus & explicatis. Ex replico, etiam Plinius, Cúm ſæpiús ille replicaſſet. Idem, Replicata erant. Et Cicero de Natura, Eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam mundi motum regat. Itaque hic etiam explicavi & replicavi maluero quâm explicui replicui. Sic in Officiis, Si quis voluerit animi ſui complicatam rationem cõtinere: unde & complicavi malim quâm complicui. Denique Priſciani regulam falſam hic animadverto, & contrariam inſtituo in compoſitis cum præpoſitione, avi ſæpiús eſſe quâm ui: A ſupplico autem ut ſupplicatio, ſic videtur & ſupplicium eſſe, Non ſuppliciis muliebribus, &c. ſed potiús eſt nomen à nomine ſupplex ſupplicis.

Nexo nexas é poetis citatur. 5. Aeneid.

Nexantem nodis, ſeque in ſua membra plicantem.

Lucret.

Pars etiam brevibus ſpatiis nexatur ab ictu.

Hujus præteritum quia nullum notaretur, Grãmatici nullum licere crediderunt, quod præcipiendi genus valde periculoſum ſit, ſi omnibus caſibus nominum, omnibus temporibus verborum interdicatur, quia nullum exemplum appareat: At veterum nemo interdixit.

Do. A do compoſita & à monoſyllabis (ait Priſcianus) præpoſitionibus, tertiæ ſunt conjugationis, ut addo addis, reddo reddis, trado tradis, prodo prodis: Nam circundo circundas facit, quia circum & diſſyllabum & magis adverbium eſt. Steti ſtatum (ait Priſcianus) ſupinum penultima producta debet facere, unde Lucanus in 2.

Conſtatura fides ſuperûm.——

Cúm datum & datus, ſicut ſuperiûs oſtendimus, corripiant a penultimam: Eſt tamen in hoc quoque notandum, quod nomina ab eo derivata, a penultimam corripiunt & antepenultimam, ut ſtatus ſtata ſtatum;

ta ſtatum: & ſtabilis. Lucanus in 10.

——Quorum ſtata tempora flatus.

Idem in 5.

Et quam non ſtabili tremulo ſed culmine cuncta
Deſpiceret.——

Compoſita ab eo varié vetuſtiſsimi protulerunt, aſto aſtitum & aſtatum, præſto præſtitum & præſtatum. Aemilius Porcius orator in oratione, Uti lex Aemilia abrogetur, Tempore aſtiturum atque petiturum me eſſe. Brutus in Epiſtolis, Occiſo C. Cæſare poſtquam mare tranſierat, præſtatũ eſt. Quædam duplex habent præteritum: quamvis non legi crepavi & crepui, attamen increpavi & increpui, diſcrepavi & diſcrepui uſitata ſunt. Cicero ad fratr. Cato, Pompeji in me perfidiã crepavit Plaut. Totus timeo, ita me increpuit Jupiter. 3. Orat. Si qua in re diſcrepavit ab Antonii diviſione noſtra partitio. Horat.

Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.

Deponentia conjugationis hujus ferè ducenta ſunt, atque omnia anomala, cujus ſimile nihil eſt in reliquis conjugationibus.

Mico micui (ait Priſcianus) etiam micâvi [illegible] dictum faceret, h[illegible] ambiguitas à mingo faceret. Emicô emicui tantum: tametſi (ait Quintilianus) quidam pertinaces Grammatici etiã emicavi vellent. Cæſar 2. belli civil. Nõ minore animo ac fiducia quàm antè dimicaverant, naves conſcendunt. Ovid. Eleg. 2.

Hac tibi ſit pugna dimicuiſſe ſatis.

Et hic Cæſarem quàm Ovidium malo.

P. RAMI LIBER XVII. DE SECVNDA *conjugatione in bo.*

GEneralem antea legem ſtatuimus de formatione præteriti in omni conjugatione, deque ſupini è præterito: Id ſecuti ſumus in prima conjugatione, & ſequemur deinceps in reliquis. Grammatici in hac conjugatione ex anomalis [illegible] analogiam fecere, quia [illegible] numerus anomalorum in ui & [illegible] o artis poſcebat, ut è prima verborum origine, analogia conſtitueretur. Hic [illegible] errorem Grammaticorum nõ ſequimur, ſed analoga præponimus, anomala deinde pro generibus plenorum & imminutorum ſubjicimus.

Oleo olevi (ait Priſcianus) & olui: de olevi nullum exemplum afferunt Grammatici. Quidam ex illo Perſii loco deducunt,

——Veto quiſquam hic faxit oletum.

At demonſtratio captioſa eſt, cùm ſupinum poſsit eſſe analogũ, ubi tamen præteritum nullum ſit, ut lavatum eſt, non tamen lavavi: at Horatius ait,

Vina ferè dulces oluerunt mane Camœnæ.

In compoſitis tamen quibuſdam permanet. Lucilius in 30.

Quis totum ſcis corpus jam peroleſſe biſulcis

pro peroleviſſe. Virgil. in 12.

——Mox cum matura adoleverit ætas.

Varro tamen, etiam adolui protulit in tertio Rhetoricę. Poſtquam adoluerit hęc juventus. Caſsius ad Tiberium ſecundus. At contra Aegyptios ſacrificium ubi integrum anſerem adoluerunt. Paſsivi quoque participium adultus pro adoletus prolatum eſt. Anuas 47. Eo omnes hoſtiæ vituli 26. confecti, & ita omnia adulta ſunt. Obſoleo quoque obſolevi facit: non eſt enim à ſoleo (quod ſolitus ſum vel ſolui ſecundum Salluſtium facit perfectum, qui in ſecundo Hiſtoriarum poſuit, Neque ſubſidiis uti ſoluerat) compoſitum, ſed ab obs & oleo, ſicut obſcœnus ab ob & canendo vel cœno, vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, unde & inquino. Cicero de Imperio Cn. Pompeji, Obſolevit jam iſta ratio re multò magis quàm verbis refutata: Idem in libro 1. Rhetor. Hoc verò à pleriſque eorum deſertum obſolevisse. Idem pro Cælio, Chariæ quoque quæ illam priſtinam ſeveritatem obtinebant, obſoleverunt. Ex oleo quoque exolevi, unde exoletus exoleta exoletum. Plautus in Medico, Domi reliqui exoletam virginem, id eſt grandem quæ exoleverat. Aboleo verò, velut redoleo & abolui & abolevi facit præteritum, unde & aboletum & abolitum & abolitio dicitur. Livius in 8. Et ſi omnis divini humanique memoria aboleverit. Cic. in Verr. de Prætura urbana, Vereor ne hæc cuipiam minus antiqua, etiam obſoleta videantur.

Sorbeo ſorbui ſorpſi quidam Grammatici fecere, quia dixit Lucanus,

Abſorpſit penitus rupes & tecta ferarum.

At Cic. 2. Phil. Sanguinem civilem exhauſit vel potiùs exorbuit. Idem pro. Mur. Difficultatem exorbuit. Ciceronem igitur malo. Et Probus, Sorbeo ſorpſi barba-

riſmus eſt (ait) quãvis aliquando lectum ſit, & illud ſorpſi, potiùs eſſet à ſorbo ut Priſcianus indicat.

Soleo. Quoniã (ait Varro 8. de Lingua) eſt ſoleo, oportet dici ſolui, ut Cato & Ennius ſcribunt, non, ut dicit vulgus, ſolitus ſum. Et ſic Sall. 2. Hiſtor. locutus eſt, Neq; ſubſidiis uti ſoluerat compoſitis: Cic. tamen vulgi errorem illum quem Varro reprehendit, ſecutus eſt. de Orat. Ratio conſuetudinis meæ, qua quondã ſolitus ſum uti. De Aruſp. Ut ſolitus eſt prædicare. De Orat. Quod optimo cuiq; accidere ſolitum eſt. Et ſic aliàs ſępe: utroque igitur uti licebit, ut cœnavi cœnatus, prãdi pranſus pro eodem, ſed Ciceronis uſum malim.

Mereo. Cic 1. de Natur. Quid mereas ut Epicurus eſſe deſinas. Plaut. in Stych. Novi illum, joculo iſthæc dicit, neque illo ſibi mereat Perſarum montes.

Ferveo ferbui, Priſcianus ferbeo pręſens probat, quia præteritum eſt ferbui, conferbui, deferbui. Horat.

Velatumque ſtola mea cùm conferbuit ira.

Cic. pro Cæl. Cupiditates adoleſcentiæ deferbuerunt. Idem pro Cluent. Studia hominum deferbuere. at præſens ferbeo non legi, ſed ferveo.

Mulceo. Duo verba hæc mulceo & mulgeo præteritũ & ſupinum duplex habent, unde Cic. in concione Metelli, Permulſa atque recreata eſt. Varro, Capite permulſo. Mulxi etiam è ſupino conjicitur. Salluſt. Dein lenita jam ira, poſtero die liberalibus verbis permulcti ſunt. Mulgeo etiã hic item præteritum geminum eſt. Virgil.

Quod ſequente die mulſere horiſque diurnis
Nocte premunt.——

Mulxi etiam (ait Priſcianus) quidam differentiæ cauſſa protulerunt. Columella libro 2. mulctũ velut à mulxi deducit, Sed horum (ait) ſunt diſcrimina quædam, & à paſtionibus & à pecudum natura & à mulctu. Hinc etiam mulctra & mulctrum & mulctrale.

Veo. Præterita generis hujus aliquando contrahuntur. Inveniuntur enim (ait Priſcianus libro 9.) authores, qui quomodo in præterito primæ conjugationis in vi ſyllabam terminante, faciunt in ſecunda tam ſingulari quàm plurali, & in tertia plurali in runt deſinente perſona penultimæ ſyncopã ſyllabæ: ſic etiam in ſecunda conjugatione quomodo præteritum in vi deſinit. Virgil. in 4. Aeneid.

Hircanæque admorunt ubera tigres.

pro admoverunt. Horat. 1. Sermonum,

Hunc hominem, ſi velles tradere, diſperéam ni
Summoſſes omnes.——

pro ſummoviſſes. Fautum & cautum Priſcianus ait eſſe facta ad differentiam catum & fatum.

Conniveo. De hoc verbo ſic Priſcianus libro 9. Conniveo, quod etiam cõnivo ſecundum tertiam protulerunt veteres, pręteritum tam in vi quàm in xi habuit. Nimius Caſsius in 23. Iliados,

Nam non connivi oculos ego deinde ſopore.

Turpilius veró in Paraterusa, Dum ego cõnixi ſomno, hic ſibi proſpexit vigilans, virginem.

Calvus, connivere infinitum ſecundum tertiam conjugationem correpta penultima protulit,

Cùm gravis ingenti connivere pupula ſomnò.

Perſius veró ſecundæ protulit,

Væ niſi connives, oleum artocreaſque popello
Largior.——

Hæc Priſcianus. Supinum veró videtur connictum fuiſſe, unde nicto nictas & pro eodem nictor nictaris, ex ſimplici nempe niveo nives.

Audeo, gaudeo. Hæc verba quondam auſi & gaviſi fecerunt: ſic enim Priſcianus lib. 9. Au ante deo habentia, per participium in præterito declinantur, ut audeo auſus ſum, gaudeo gaviſus ſum: Vetuſtiſsimi tamen, & auſi pro auſus ſum, & gaviſi pro gaviſus ſum protulerũt. Cato Cenſorius in oratione pro Lucio Antronio, Beneficii poſtridie juſsiſti adeſſe in diem ex die, non auſi recuſare. Liv. in Odyſſea, Quoniam audivi paucis, gaviſi. L. Caſsius Hemina in 2. Annalium, Idque admiratum eſſe, gaviſi. In hoc verbo etiam illud animadvertendum, quod auſim, auſis, auſit, pro audeam audeas audeat inuenimus. Virgil. in 2. Georg.

Auſim vel tenui vitem committere ſulco.

Ovid. in 6. Metam.

Et nihil eſt quod non inopino captus amore
Auſit, nec capiunt incluſas pectora flammas.

Detondi. Veteres tamen etiam detotondi protulerunt. Varro Detotonderat forcipibus vitarpiferis.

Mœreo, Grammatici participium mœſtus hinc deducunt: at mœſtum mœſtu ſupina non animadverti, nec mœſtus derivatum à mœreo arbitror.

P. RAMI LIBER XVIII. DE PRIMA CONJUGATIONE *in am.*

GRammatici in ſecunda conjugatione ex anomalia analogiam fecere, ut dixi: at hic nullam prorſus animadverterunt, cùm initio nullā formandi præteriti & ſupini communem legem prævidiſſent, ſed ſingula ex alphabeti ſui ordine ſunt ſecuti. Res eſt valde confuſa in hac conjugatione: analoga tamen ſepoſuimus, cætera ſubjecimus ſuis anomalis, in quibus, fines præteriti ſequimur ut antea, nec enim ex prima perſona præſentis, intelligis præteritum, ſicut ex fine nominativi non intelliguntur caſus obliqui ſingularum conjugationum: at ex præterito ſupinum deducitur: Itaq; præteritorum fines hic ſequimur ad ſupinum formādum, & tamen colligimus omnia, quæ in eundem præteriti finem cadunt: Analoga itaque ſunt ferè in pio, ut cupio, quod olim etiam ut audio conjugatum eſt. Lucret.

——Effringere ut arcta
Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.

Priſcianus, Sapio tā ſapivi vel ſapii quàm ſapui protuliſſe authores inveniuntur. Probo tamen ſapui placet dici, Cariſio ſapui vel ſapivi, Aſpro, ſapivi & ſapui ſecundum Varronem, quod Diomedes etiam approbat: Nonius tamen Marcellus de mutatis conjugationibus ſic ponit ſapivi pro ſapui: Nævius in Virgine prægnante, Quando ego plus ſapivi qui fullonem compreſsi Quinquatribus. Terent. ſimiliter, Cùm intelligo reſipuiſſe, pro reſipiviſſe. Caper, utrumque in uſu eſſe oſtendit. Afranius in Brunduſinis, Equidem nunc reſipui poſtquam pectus eſt lætitia onuſtum. Plaut. in Rudente, Pol magis ſapuiſſet, ſi dormiviſſet domi.

So. Salluſt. in 1. Hiſtoriarū, Domitium Proconſulem ex citeriore Hiſpania, cum omnibus copiis quas paraverat arceſsivit. Cic. pro Roſcio, Acceſsivit aliquem, quem? aut quando? Laceſſo laceſsivi. ſic Probus: & videtur Priſciano melius dicere laceſsivi quàm laceſsi: participium enim paſsivum laceſsitus: Caper tamen, laceſsi dicit eſſe, ut faceſsi, & profert exemplum Lucilii, quo uſus eſt 14. Nam vetus ille Cato laceſsiſſe appellari, quod conſcius ipſe non erat ſibi. Sed poteſt laceſsiſſe, per ſyncopam eſſe prolatum vi ſyllabæ, ut cupiſſe, petiſſe dicimus pro cupiviſſe, petiviſſe. Salluſt. in 2. Hiſtor. Diverſa, uti ſolet, rebus perditis laceſsivit. Idē in 4. Igitur legiones pridie in monte poſitas arceſsivit. Faceſſo verò & capeſſo & viſo ſecundum Diomedem & Cariſium, o in i convertentia, faciunt præteritū perfectum, ut faceſſo faceſsi, capeſſo capeſsi, viſo viſi: ſimiliter quæſo quæſi: Probus tamen quæſivi dicit, & Priſciano melius videtur, quamvis primitivum quoq; ejus, id eſt quæro quæſivi faciat præteritū. Salluſt. in 1. Hiſtoriarū, Curionem quæſivit, uti adoleſcentior & populi ſuffragiis integer, ætati concederet Mamerci. Cic. in Div. Ipſe profectò, metuere incipies ne innocenti periculum faceſſeris: Invenitur tamen in quibuſdā codicibus, faceſsieris.

Elicio. Liv. 5. Ad colloquium, vatem elicuit. Et (puto) ideò, ne ſi elexi diceremus, neceſſariò participiū, electus fieret, & eſſet dubitatio ſignificationis. Pellicui quoque pro pellexi, veteres protulerunt. Livius in Laodamia, Aut nunc quæpiam alia te illo Aſiatico ornatu affluens, aut Sardiano ac Lydio fulgens, decore & gloria pellicuit. Sed Terent. Phorm. Is ſenem per epiſtolas pellexit, modò non montes auri pollicens. Invenitur etiā allicuit, & pellicuit. Piſo Hiſtor. 1. Cujus unius præmio, multorum allicuit animos. P. Varro belli Sequanici lib. 2.

Deinde ubi pellicuit dulcis levis unda ſaporis.

Gigno, pro quo olim geno. Varr. Sed quòd hæc loca, aliquid genunt. Cujus infinitū paſsivū Lucret. in 4. protulit geni.

——Tantò magis inficiandum,
Totum poſſe extra corpus durare genique.

Pono. Antiq tamē (ait Priſcianus) poſivi protulerūt. quod erat minus anomalū.

Pinſo pinſui facit præteritum, quod Probus Pomponii uſu comprobat, Neq; molis molui, neque pilis pinſui.

Ex uo præſenti & præterito ui, ſupina vertunt i præteriti in tum, & producunt u penultimam, acui acutum, imbui imbutum, indui indutum, annui annutum, innui innutum, argui argutum, unde participium argutus, id eſt convictus. Plaut. in Pſeudolo, Argutus malorum facinorum. Et futurum arguturus, & derivativum ex hoc, verbum argutor argutaris. Invenitur tamen in uſu etiam arguiturus pro arguturus. Salluſt. in 2. Hiſtor. Quos adverſum, multi ex Bythinia volentes

occurrere

occurrere, falſum filium arguituri. Plaut. iterum in Pſeud. de Sycophanta, Ecquid argutus es? pro convictus. Excipitur rutum, vel ruitũ, quod u corripit, vel quod i ſervavit: Nam ſecundum futuri participium id eſt ruiturus, debet ruitum eſſe. Lucan. in 4.

——Ruituraque ſemper,
Stat mirum moles.——

Secũdum præteritum verò debet rutum dici penultima correpta. Virgil. in 11.

Nec mihi cum Teucris ullum poſt eruta bellum
Pergama.——

Et videtur hoc per ſyncopam i vocalis, in præterito prolatum, erutus pro eruitus, ideoque tempus præteriti perfecti simplex, qđ habuit u ante i ſervaſſe. A' ſpuo & metuo & pluo ſecundum analogiam, ſputum & metutum vel metuitum, & plutum à pluvi, velut adjutum ab adjuvi debent formari: ſed in uſu ea non inveni.

Ruo, Rui. Illud (ait Priſcianus) ſciendum, quod in ui diviſas terminãtia præteritum perfectum, cúm ſoleant corripere penultimam: tamen vetuſtiſsimi inveniuntur etiam produxiſſe eandem penultimam, in his maximé quæ à præſenti in uo diviſas deſinente proficiſcuntur, ut eruo erui, arguo argui, annuo annui. Ennius in ſecundo,

Annuit ſeſe mecum decernere ferro.

Atque illud nimirum videtur Varronis eſſe, quod antea poſuimus, u in præterito pluit & luit produci.

Pluo. Liv. 2. 21. 22. dicit, Lapidibus pluiſſe. & 23. Lapidibus pluit.

Sterto. Perſius,

Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mœonides, quintus pavone ex Pythagoreo.

Excello. Lucretius ab excello (ait Priſcianus) excellis infinitum protulit penultima correpta,

Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.

Cicero veró in 1. Epiſtolarum ad filium, Quare effice & elabora ut excelleas. quod eſt ab excelleo excelles, cujus præteritum debet eſſe èxcellui, ut calco calui ſecundum proportionem ſecundæ conjugationis. Idem tamen Cicero in Verrinis percellunt protulit ſecundum tertiam conjugationem. Et in 1. pro Cornelio, Qui eloquentia cæteris antecellit. Ex quo debet exculi quoq; eſſe præteritum perfectum, ſicuti percello perculi. Virg. in 5.

Perculit, & fulva moribundum extendit arena.

Hæc Priſcianus. Requires tamen nuncubi excelleo legatur, & utrum Priſcianus hic mendoſo Ciceronis exemplo falſus ſit.

Meto meſſui. Cato in 2. Originũ, In campo Tiburti ubi hordeum demeſſuit. Idem in montibus, Seruit ibi hordeum, idem iterum meſſuit. Caſsius Hemina in 3. Annalium, In campo Tiburti ubi hordeum demeſſuerunt.

Nexo. Citat Priſcianus Accium in Deiphobo, Nos continuó ferrum eripimus, omnibus manicas neximus: tum Livium in Odyſſea, Nexebant multa inter ſeſe flexu nodorum dubio: deinde Virgilium 5. Aeneidos,

Et paribus palmas amborum innexuit armis.

At author idem, præteritum idem tribuit verbo necto, & eodem teſtimonio approbat. Citat etiam Salluſtium, Nexuit catenæ modo.

Pecto. Similis hic eſt Priſcianus, In to (ait) c antecedente, invenio pecto, cujus præteritum plerique pexui. Aſper tamen pectivi: Cariſius pexi protulerunt. Mecœnas in Octavia, Pexiſti capillum, naturæ muneribus gratum.

Claudo. Claudo vel cludo (ait Priſcianus) clauſi vel cluſi: Invenitur tamen etiam claudeo, ſed & claudo pro claudico. Salluſt. in 3. Hiſtoriarum, Conjuratione claudit. Cecilius in Epiclero, An ubi vos ſitis, ibi conſilium claudeat?

Stinguo. Stinguo (ait Priſcianus) in raro uſu eſt: Cicero tamen in Arato, ſtinguens participio uſus eſt, quod à verbo ſtinguo naſcitur,

Quem neque tempeſtas perimet, neque longa vetuſtas
Interimet ſtinguens præclara inſignia cæli.

Idem, paſsivum ejus verbi in prognoſticis protulit,

Ut cùm Luna means Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radii cæca caligine tecti.

Surgo. Surgo & pergo quamvis in præſenti ſyncopam vocalis patiantur: tamen præterito euphoniæ cauſſa ſervant, ut ſurrexi, perrexi, tanquã à ſurrigo, & perrigo.

Coquo vel coco ait Priſcianus.

Plecto plexi antiqué. Livius apud Priſcianũ, Andromacha perdudũ manu laſcivula, tenellula capiti meo trepidans, libens inſolito plexit munere.

Conquiniſco. Eſt autem cõquiniſco caput inclino. Pompejus in Vacca vel Marſupio ait, Simul intro veni, acceſsi ad patrem, prendi manum in terra ut cubabat nuda,

nuda, ad eum ut conquexi, interim mulie res conſpiciunt.

Mejo. E quoque antecedente (ait Priſcianus lib. 10.) in io unum invenio mejo. tertiæ conjugationis, in quo ſimiliter i loco conſonantis eſt. Iuvenalis ejus infinitum profert in 1.

Cujus ad effigiem non tantum mejere fas eſt.

Perſius,

Pinge duos angues, pueri ſacer eſt locus, extra Mejite. ——

Quidā tamen etiā mejo mejas dici putaverunt: Sed mingo quoq; dicitur, ex quo præteritum in uſu minxi, unde Horatius,

Hunc perminxerunt calones. ——

Ex quo ſecūdum regulā naſcitur in ctum ſupinum mictum. Horat. in 1. Serm.

Mentior at ſi quid, merdis caput inquinet albis,
Corvorum, atque in me veniant mictum atque cacatum.

Unde etiam meditativum micturio, ut lectum lecturio, partum parturio, eſum eſurio: à ſupinis enim meditativa ſolent fieri.

Nubo. De hoc Priſcianus, In bo (ait) deſinentia verba, vocali longa antecedente, bo in pſi convertētia, faciunt præteritum perfectum, ut ſcribo ſcripſi, nubo nupſi: nunquam enim b, ante s in principio ſyllabæ poteſt in veniri, ut Pſeudolus, ipſe.

Demo. De finibus, Qui nihil dempſit. Cicer. in Verr. Quantū de capite dempſiſſet.

Curro etiam repetita priore ſyllaba, cucurri facit præteritum, quod in compoſitione invenitur apud quoſdam authorum, geminationē primę ſyllabę ſeruans, apud alios, minimè, ut Virgil. 4. Aeneid.

Decurrēre jugis, alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos. ——

Livius in 22. ab urbe condita, Qua cuiq; proximum fuit decurrere. Idem in 20. Et ſi ferocius procurriſſent. Cato cōtra C. Piſonem, Video hac tempeſtate concurriſſe omnes adverſarios. Terent. in Hecyr. Una illarum interea propere præcucurrit. Cæſar ad Virg. Excucurriſti à Neapoli. Plaut. in Stycho, Præcucurri ut nuntiarem nuncium exoptabilem.

Verro ſecundum Servium facit verſi, ſecundum Cariſium autem verri, quod & uſus comprobat. Licinius Macer pro Tuſcis, Quos oportuit amiſſa reſtituere, Hiſce etiam reliquias averrerunt. Publius in Muro, Mutone cellas ſervorum cōverrit.

Pſallo. Baſſus apud Priſcianum,

Calliopæ princeps ſapienti pſallerat ore.

Vello. Utrumq; præteritum Priſcianus ſus

approbat. Cic. de Suppliciis, Revelliſtis atque in profundum abjeciſtis. Virgilius in Bucolicis,

Cùm canerem ſylvas & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit. —— Lucanus in 4.

Caſtrorum ſiccas, de ceſpite vulſerat herbas.

Idem in 6.

—— *Percuſſaque viſcera, membris*
Vulſit. —— Idem in eodem,

Ille genæ florem primævo corpore vulſit.

Idem in 9.

Avulſitque manum, telumque affixit arenæ.

Ignoſco. Terent. in Adelph. Ignotum eſt, tacitum eſt, creditum eſt, unde & participiū futuri ignoturus. Cic. in Catone Majore, Ignoturus alteri quòd patrem, alteri quòd tutorem ſecutus eſſet. Cato in 5. Originum, Quod eorum nemo quiſquam, quicquam mihi ignoturus eſt. Quidam tamen contra regulam, à præſenti tempore hoc derivatum protulerunt ignoſco ignoſciturum. Piſo frugi, in 2. Annalium, Quodcunque deliquiſſet, ignoſciturum affirmabat: Notandum tamen, quod cognoſco cognovi cognitum, & agnoſco agnovi agnitum in frequētiori uſu faciunt per o penultima producta, quā vetuſtiſſimi ſervabant analogiam ſequētes i correptam adhibentia, unde Juvenalis in 1.

Agnitus accipies, jubet à præcone vocari
Ipſos Trojugenas. —— Lucan. in 2.

—— *Calida medius mihi cognitus axis*
Aegypto, atque umbra nuſquam flectente Syene.

Salluſtius tamē ſecundum analogiam in 2. hiſtoriarum, Neque inermes ex prælio viros quenquam agnoturum. Pacuvius ſecundum utrumque protulit, In turba Oreſti cognita, agnota eſt ſoror.

Calvo. Sall. 3. hiſtor. Contra ille calvitur, id eſt decipi, unde calvor calveris deponens. Plaut. Caſ. Nam ubi domi ſola ſum, ſopor manus calvitur.

Siſto, quando activā habet ſignificationē, tam in ſimplici quàm in cōpoſito præteritū non habet: quando verò abſolutā, & ſimilem ſto verbo, cōmune cum eo habet præteritū, ut reſiſto, vel reſto reſtiti, cōſiſto & conſto conſtiti, perſiſto, & perſto perſtiti. Hæc Priſcianus, à quo diſſentit Gellius, cùm de ſiſto activo & ſtiti loquitur: ſic autem ſecundo lib. ait, In libro vetere M. Cato qui inſcribitur contra Tiberium exulem, ſcriptum ſic erat, Quid ſi vadimonium capite obvoluto ſtitiſſes? Rectè ille ſtitiſſes ſcripſit: ſed falſi & audaces emendatores, è ſcripto per libros, ſtetiſſe

ſtetiſſes fecerunt, tanquā ſtitiſſes, vanum & nihili verbum eſſet: quin potiùs ipſi nequam & nihili ſunt, qui ignorant ſtitiſſes dictū à Catone, quoniam ſiſteretur vadimonium, nō ſtaretur. Hæc Gellius, cui potiùs aſſentior. Et Jupiter, Stator à Romulo à ſiſtendo videtur apud Livium lib. 1. appellari, Jupiter (ait) orans Romulus fuſa Romana acie, tuis juſſus avibus, in palatio prima urbi fundamenta jeci: Arcem jam ſcelere emptam Sabini habent, inde huc armati, ſuperata media valle tendūt, at tu pater deûm hominumque, hinc ſaltem arce hoſtes, deme terrorem Romanis, fugamque fœdam ſiſte: Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monumentum ſit poſteris, tua præſenti ope ſervatam urbem eſſe voveo.

Cudo. Cudo ſecundum Diomedem & Cariſium & Phocam cuſi, ſecūdum alios, cudi: & videtur etiam Virgilius ſic protuliſſe in 1. Aeneid.

Ac primum ſilicis ſcintillam excudit Achates,
Suſcepitque ignem foliis. ——

Excudit enim tam præſens, quâm præteritū poteſt intelligi, ſed quia ſuſcepit ſubjunxit, melius præteritum intelligitur, idque etiam Servius in commentario Aeneidos comprobat his verbis, Excudit autem feriendo ejecit, quia cudere eſt ferire, unde & incus dicitur, quod illic aliquid cudamus, id eſt feriamus. Sciendum autē quod ejus freqventativū cuſo eſt, ex quo cōpoſita incuſo incuſas, recuſo recuſas, & accuſo accuſas, & excuſo excuſas.

Sido. Ab eo quod eſt ſido (ait Priſcianus) præteritum non inveni. Lucan. in 4.

——*Sidentia peſſum*
Corpore cæſa tenent.——

Virgil. ex eo compoſitum, in 5.

Subſidunt undæ, tumidumque ſub axe tonanti
Sternitur æquor aquis.——

Ejus paſsivum Statius protulit in quinto Thebaid.

——*Summiſque inſiditur aſtris.*

Hæc Priſcianus: Columella tamen lib. 12. præteritum dedit, Deinde (ait) patiemur picē conſidere, & cùm ſiderit, aquā eliquabimus. Columellā igitur, hic ſequemur.

Tendo. Præterea (ait) & tentum & tenſum facit. Virgil. in 7.

Audit, & ſi quem Tellus extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga ſolis iniqui:

Lucan. in 1.

Et varias ignis tenſo dedit aere formas.

Idem in 2.

——*Tenſis rudentibus aſſe.*

Oſtendo quoque ab eo compoſitum, ſimiliter facit oſtentum & oſtenſum. Lucanus in 2.

Ut ſcelus hoc Syllæ cædeſque oſtenſa placeret,
Agnoſcendus erat.——

Apuleius in Phædone, Et cauſſam gignendi oſtenſurum, & immortalitatem animæ reperturum. Varro rerum Ruſtic. 1. Oſtenſus ſol. Idem Divinarum 3. Salute oſtenta. Cato pro Cæſare ad populum, Quod ego me ſpero oſtēturum. Oſtentum quoque, quando monſtrum ſignificat, nomen eſt participiale, quomodo factū & dictū & viſum ab oſtendendo futura, dictū.

Abſcondo. Plautus, Secundum ipſam aram, aurum abſcondidi. Et Silius in 8.

Donec arenoſo ſic fama Numitius illam
Suſcepit gremio, vitreiſque abſcondidit atris.

Priſcianus citat Albinum.

——*Cui freta nulla repoſtos*
Abſcondere ſinus.——

Et abſcōdi uſitatius putat eſſe, quâm abſcondidi: aliud tamen exemplum modò nullum teneo.

A pedo pepedi, nullum ſupinū Priſcianus ait ſe inveniſſe. At Catullus ait,

Subtile ac leve peditum Lyconi eſt.

Scindo ſcidi: Vetuſtiſsimi tamen (ait Priſcianus) etiam ſciſcidi proferebant, quod ſolum quoq; in uſu eſſe putat Aſmonius in arte quam ad Conſtantinum Imperatorem ſcribit. ſed errat: Nam Lucan. in 3. ſcidit ponit.

Quæ mare tellurem ſubitis aut obruit undis,
Aut ſcidit & medias fecit ſibi littora terras.

Statius in 9. Thebaid.

Oraq; pectoraq; et viridem ſcidit horrida veſtē.

Idem in 11.

Alloquio ſcidit ipſa novo terrore cruenta
Eumenis. ——

Martialis in 3. Epigramm.

Unguentum fateor, bonum dediſti
Convivis here, ſed nihil ſcidiſti.

Sed Afranius more antiquo dixit in Homine,

Satis fortiter paulò veſtras ſciſcidiſtis colus.

Accius Soradicorum 1.

Non ergo aquilæ, ita ut prædicant, ſciſciderat pectus.

Nævius in Teſticularia,

Imò quò ſciſcidimus, conſcindam atque abjiciam.

Ennius in Menalippa, Cùm ſaxum ſciſciderit. Et videntur hi rationaliùs protuliſſe, ne minorum temporū eſſet præteritum quâm præſens, quod rariſsimè invenitur.

Ico præterea (ait Priſcianus) penultima breui profertur in præſenti, teſte Capro, ſed producit eam in præterito perfecto, & mutat o finalem in i, ico ici, unde ictus. Cato Cenſorius de Veturio, Hoſtem nummum icit. Celius in 1. Qui cum iis ita fœdus icitis. Lucretius tamen, etiam in præſenti producit penultimam,

—Ex hinc corpus propellit & icit.

Negligo. Quāvis Aemilius Macer in 16 Annaliū apud Priſcianū, Omniū noſtrū neglegerit authoritatē, pro neglexerit ait.

Pago & pango. Priſcianus utrumq; proponit, ſed pago facit antiquum. Pango quoque (ait) pegi, & ex eo compoſitum, impingo impegi facit. Pacuvius in Medo, Tonſilla pegi læuo in littore. Luc. in 5.

Sufficit ad factum belli feruor iſte laborque
Fortunæ, quod te noſtris impegit arenis.

Simplex tamen pango, etiam pepigi facit ſecundum Cariſium, & panxi. Sed antiqui pago quoque dicebant pro paciſcor. Cic. in 2. ad Herennium, Pacta ſunt quæ legibus obſeruanda ſunt. Hoc modo rem ubi pagunt, oratione pagunt. De hoc verbo ſic Quintilianus libro 1. loquitur, Prima quoq; aliquando poſitio ex obliquis invenitur, ut memoria repeto convictos à me, qui reprehenderant quod hoc verbo uſus eſſem pepigi: Nam id quidem dixiſſe ſummos authores cōfitebantur: rationem tamen negabant permittere, quia prima poſitio paciſcor cùm haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito pactus ſum. Nos præter authoritatem oratorum atque hiſtoricorum, analogia quoque dictum tuebamur: Nam cùm in 12. Tabulis legeremus, Ni ita pagunt, inveniebamus ſimile huic cadunt, inde prima poſitio, etiam ſi vetuſtate exoleverat, apparebat pago ut cado, unde non erat dubium ſic pepigi nos dicere, ut cecidi.

Pungo. pupugi vel punxi (ait) Priſcianus. Varro in 1. Humanarum, Ut habent Martii qui vocantur ὀφιογενεῖς & in Africa Pſylli, quorum ophiogeniſtum arbitrantur, ſuppoſitum eſſe in ſtirpe aliquem, ſi admoveçant, ut pungat colubra, cùm pupugerit, ſi de genere ſit, vivere, ſi non ſit, mori. In eodem, Admota aſpis cùm pupugerit, ſi non occidat, ſciat ex Pſyllorum ſtirpe eſſe. Nævius in Glaucoma, Quod de eo obſonio, ſtilo mihi in manum pupugit. Expungo verò, expunxi dicimus: at repūgo repupugi & repunxi, ut Capro videtur, Cū ei qui nos pupugit, talionē, id eſt vicē à nobis redditā oſtēdimus, repupugi dicimus: quādo verò de ratione vel calēdario loquimur, repūxi dicimus.

Priſcianus quatuor anomala in hac cōjugatione ſtatuit, edo, ſum, volo, fero. In do, unum anomalum invenitur, Edo es eſt. Vetuſtiſsimi tamen, edo edis edit dicebant, correpta prima ſyllaba. Nævius in Carbonaria, Tibi ſervi multi apud menſam adſtant, ille ipſe aſtat, quando edit. Nō poteſt enim in hoc iambo penultima ſyllaba longa eſſe, ut intelligatur præteritum, ne ſit ἐνεστώς. Plaut. in Lipargo, Nihil moror, mihi fucum in alvo apibus quæ peredit cibum. Corripitur enim penultima. Lucilius in 4.

—Qui edit ſe, hic comedit me.

Supinū ejus eſt eſum, ut ſupradictū eſt, quanquam eſtū uſus exigit, ut poſsit dici. Virgil. in 9.

—Et poſtibus hæſit adeſis.

Idem in 3. Aeneid.

Ambeſas ſubigat malis conſumere menſas.

Cic. pro Cluentio, Abditum aliqua in parte panis quaſi totum liquefactum in potione eſſet celeriùs, potiùs comeſtū quàm epotum in venas atq; omnes partes corporis permanaret. Edo quoque per ſyncopam, id eſt per conciſionem d literæ facit ſecundam perſonam, & per ſynæreſim e & i in ei diphthongum coacta, & ei diphthongo in e productam converſa, differentiæ cauſſa, ne ſi eis diceretur, aliud ſignificare putaretur, Edo es, quod non dubito differentiæ cauſſa eſſe factū, ne ſi edis diceretur, dubitationem faceret ſcripturæ, quomodo deberemus pronuntiare productam an correptam. Huic opponitur, Cur igitur in prima perſona cùm ſimilis eſſet dubitatio, hoc non eſt factum? ad quod dicendum, quod & ſi conciſio d literæ facta eſſet, multò major fieret erratio: ſi enim, eo diceretur pro edo, nulla eſſet non dico ſcripturæ, ſed nec temporis differentia inter eo is, & eo quod pro edo poneretur. Itaque jūre manſit integra prima perſona. Tertia verò naſcitur à ſecunda perſona addita t, es eſt, quod in hoc ſolo & alio invenitur ſum es eſt. Et certum eſt id quoque fieri differentiæ cauſſa, ne ſi ſecundum proportionem aliorum verborum, ſecunda perſona s in e convertente tertia, proferretur es et, ut doces docet, conjunctio, non verbum, eſſe putaretur. Non ſolùm autem in omnibus æqualibus verbis ſecunda perſona s, t convertit & facit tertiam: ſed etiam fero fers fert, facit,

cit,quod eſt inæquale. Edo tamē in plurali numero ſervat regulā tertiæ conjugationis,ut edimus editis edūt. Similiter in prę terito imperfecto & futuro, edebā edā, & in omnibus quæ ſolent in hac cōjugatione á prima perſona naſci, hoc eſt,in tertia perſona imperativi edat,& in futuro optativi, quod eſt etiā ſubjūctivi præſens, edam edas edat. In omnibus veró quæ ſolētá ſecūda naſci perſona, corruptā invenies regulā cōjugationis:Eſt tamē producta,quā à ſecunda acceperunt perſona,ſervata ubiq;,es eſte,eſto eſtote,eſſent,eſſe.

Sum. Verbum ſum ex Græco εἰμὶ deducit. Sum quoque,ait,per abſciſionem i finalis & additionem s in principio,loco aſpirationis ſicut ἕξ ſex, ἑπτὰ ſeptem, ἥμισυ, ſemis,& mutatione ε in u, εἰμὶ ſum. Varro tamen octavo de Lingua oſtendit fuiſſe eſum es eſt. Sic autem loquitur, Item malé conferūt fui, ſum, ero, quod fui eſt perfectum, cujus ſeries ſibi ut debet, in omnibus perſonis & formis cōſtat, quod eſt fueram, fui, fuero, de infectis ſum, quod nunc dicitur,dicebatur eſum, & in omnibus perſonis conſtabat quod dicebatur eſum es eſt,eram eras erat,ero eris erit:Sic hujuſmodi cætera ſervare analogiam videbis. Priſcianus ait in hóc verbo tēpus præſens habere vim præteriti, Maxima temporis pars (ait) jam præteriit vel futura eſt, excepto ſum verbo,quod ὑπαρκτικὸν Græci vocant, quod nos poſſumus ſubſtantivum nominare.Id enim omniū ſemper eſt perfectiſsimū, cui nihil deeſt:Itaq; præteriti quoq; perfecti vim habet, quod oſtēditur, quādo participiis præteriti junctū officio fungitur præteriti perfecti per paſsivorū declinationē, vel ſimiliū paſsivis. Similē huic vim habent etiam vocativa,ut Priſcianus, vocor, nominor, dicor, nuncupor,appellor:Alia autē verba pręſentis,ſicuti diximus, inter præteritū & futurū ſunt:Priſcianus hic indicat cōmunionem temporū in hoc verbo. Similis autē Jureconſultorū quæſtio eſt de præteriti & futuri cōmunione apud Gelliū, Legis veteris Atriniæ verba ſunt: Quod ſubreptū erit,ejus rei æterna authoritas eſto. Quis aliud putet in hiſce verbis quàm de tēpore tantúm futuro legē loqui:Sed Q. Scævola patrē ſuum & Brutū & Manilium viros apprimé doctos quæſiiſſe ait dubitaſſeq; utrúmne in poſtfacta modó furta lex valeret,an etiā in antefacta, quoniā quod ſubreptū erit, utrumq; tempus videretur oſtēdere tam præteritū quàm futurū. Itaque Publ. Nigidius civitatis Romanæ doctiſsimus, ſuper dubitatione hac eorum, ſcripſit in XXIIII. Cōmentariorū grammaticorū, Atq; ipſe quoq; idem putat incertam eſſe temporis demonſtrationē, ſed anguſtè perquam & obſcuré diſſerit, ut ſigna rerum ponere videas ad ſubſidiū magis memoriæ ſuæ, quàm ad legentiū diſciplinam: Videbatur tamen hoc dicere. Verbum eſſe,& verbū erit, quādo per ſeſe ponuntur,habent atq; retinent tēpus ſuum: Cúm veró præterito junguntur, vim temporis ſui amittunt & in præteritū contendunt. Cúm enim dico, in campo eſt, in comitio eſt,tēpus inſtans ſignifico. Itē cúm dico,In campo erit,tēpus futurū demonſtro: At cúm dico factum eſt,ſcriptum eſt, ſubreptū eſt: quanquā eſt,verbum ſit temporis præſentis: confunditur tamen cum præterito,& præſens eſſe deſinit. Sic igitur inquit,etiam iſtud quod in lege eſt,ſi dividas ſeparesſque duo verba hæc ſubreptū &,erit,ut ſic audias ſubreptū, tanquā certamen erit aut ſacrificiū erit: tum videbitur lex in poſt futurū loqui. Si veró copulaté permiſtéq; dictū, intelligas, ut ſubreptum erit non duo ſed unum verbum ſit, idque unica declinatione patiēdi ſit: tum hoc verbo, non minùs præteritū oſtendit quàm futurum.Idem in Pandectis lib. 50. traditur, Verbū erit interdū etiam præteritum,nec ſolū futurū tempus demonſtrat, quod eſt nobis neceſſariū ſcire, & cū codicilli ita cōfirmati teſtamēto fuerūt. Quod in codicillis ſcriptum erit,utrumne futuri temporis, demonſtratio fiat an etiā præteriti, ſi ante ſcriptos codicillos quis relinquat,quod quidē ex voluntate ſcribentis interpretandū eſt. Quemadmodū autem hoc verbum Eſt, non ſolū præſens, ſed & præteritū tempus ſignificat, ita & hoc verbum erit,non ſolúm futurū,ſed interdum etiā præteritū tempus demonſtrat: Nam cū dicimus Lucius Titius ſolutus eſt obligatione, & præteritū & præſens ſignificamus,ſicut hic, Lucius Titius alligatus eſt. Idemq; fiet & cúm ita loquimur, Troja capta eſt: Non enim ad præſentis facti demōſtrationē refertur is ſermo, ſed ad præteritū. Hæc igitur ſummorū hominū ſententia eſt de verbi ſubſtātivi tēpore,quod tamē idem omniū verborum activorū & neutrorū in una ſaltem voce poteſt eſſe, ut amaverim, fleverim, cupiverim, audiverim. Hæ ſiquidē voces & præteritū & fu

turum

turū indicant. Citatur ex Gellio Tullius in oratione contra concionē Metelli, Eſſendi concione concurſus eſt populi factus: At in Gellio legitur, Aſcendi in concionem, concurſus eſt populi factus.

A' volo (ait Priſcianus) ſecundā perſonā per conciſionē l conſonātis & mutationē o in e, & adjectione is per diphthongū proferebāt antiquiſsimi, volo veis pro volis, ſed ei diphthongū in i longā poſtea converterūt more bœotio. Tertia quoq; perſona per cōciſionē i profertur, vult pro volit. In hac quoq; o in u cōvertētes, vult dicimus, quāvis rationabilius ſit, volt dicere, quo magis vetuſtiſsimi utuntur. In pluralibus prima quidē perſona pro i, u habet penultimā, ut volumus pro volimus. Secūda veró perſona, per cōciſionē i profertur tertiæ perſonæ ſingulari addita is, ſicut in aliis quoq; ſolet verbis, ut amat amatis, docet docetis, legit legitis, fert fertis, eſt eſtis, volt vel vult, voltis vel vultis. Tertia ſecūdū formulā ſupradictæ tertiæ cōjugationis à prima pſona indicativi, o in unt cōverſa proferē, volo volūt. Per cætera quoq; tēpora indicativi hoc verbū ſervat regulā tertiæ cōjugationis, volebā volui, voluerā, volam voles volet. In imperativo deficit, nec mirū, quippe corrupta ſecūda perſona indicativi, ex qua ſolet imperativi ſecunda perſona naſci. Tertia quoq; deficit, quāvis in hac conjugatione ex prima perſona indicativi fieri ſolet, mutata o in at, ut lego legat, dico dicat, fero ferat, & poteramus ab eo quód eſt volo dicere volat: Tamē ne dubitatio fieret ſignificationis, non eſt ab authoribus uſitatū. Utimur ergo ſubjunctivo pro hoc, velis velit. Aliam quoq; quidā rationē de hoc conati ſunt reddere, dicentes quod imperativus modus neceſsitatē ſignificat. Voluntas autē, libera debet eſſe. Itaq; hoc verbū, quod carere debet neceſsitate, caret imperativo. Ex hoc tamen cōpoſitum, habet imperativum in ſecūda perſona in i deſinēte, noli: licet tamē & ſubjunctivo, ut ſupra diximus, uti pro imperativo, id eſt velis, fac velis: In prima enim & tertia perſona plurali omniū verborū imperativus præſens, ſimilis eſt ſubjunctivo. Optativus quoq; ejuſdem verbi tā in pręſenti ſive in præterito imperfecto, quàm in futuro ſimiliter corrūpit regulā, ut vellem & velim. Et pręſentis quidē, quod & præteritū eſt imperfectū, cauſſa eſt corruptionis. Secunda perſona indicativi ex qua oritur. Futuri veró ſynonymia id eſt anceps ſignificatio, quæ fieret ſi volā volas volat, volamus volatis volant diceremus. Itaq; pro volā, velim authoritas nō irrationabiliter tradidit dicere, & volim tamē pro velim proferebant antiqui. Cic. lib. 2. de Natura deorū, Quo facilius id quod docere volimus, intelligi poſsit. Alia veró omnia quæ á prima pſona ſupradictæ cōjugatiōis ſolēt naſci, integrā ſervāt declinationē, exceptis ſupradictis ſynonymiæ cauſſa.

Fero per conciſionē, id eſt per ſyncopā i literæ ſecūdā & tertiā facit perſonā fero fers fert, pro feris ferit: quod puto differentiæ cauſſa fieri, ne ſi feris ferit diceremus, putaretur ab eo quod eſt ferio feris, cū nulla ſcripturæ eſſet differētia, quamvis temporū ſyllabicorū eſſet. Pluralia veró in prima & tertia perſona ſecundū rationē tertię conjugationis proferūtur, ferimus ferunt, in ſecūda veró per conciſionē, fertis pro feritis. In pręterito quoq; imperfecto & in futuro, regulā ſervat tertiæ cōjugationis, ferebā, ferā feres feret. In omnibus quoq; aliis modis ſervat rationē ejuſdē conjugationis exceptis illis quæ ſolent á ſecūda perſona naſci. In his enim ſervat ejuſdem perſonæ conciſionē, ut fers fer, ferte ferto, fertote, ferrē, ferre. Nam quæ á prima perſona accipiūt regulam, rectā declinationē ſequūtur, ut fero ferebā feram. Deponentia in rior deſinētia, orior & morior, tam ſecundū tertiam, quàm ſecundum quartam conjugationem declinaverunt authores, orior oreris & oriris, morior moreris & moriris. Lucan. in 4.

Non gratis moritur jugulo qui provocat hoſtem.

Ennius in 14. Annal.

Nunc eſt ille dies cúm gloria, maxima ſeſe
Nobis oſtendat, ſi vivimus ſive morimur,

Terēt. in Eunucho, Riſu emoriri oēs deniq;. Virgilius in 2. Aeneidos,

—telis
Noſtrorum obruimur, oriturque miſerrima cædes.

Lucilius in 3.

Conturbare animam potis eſt quicunq; adoritur.

Eorū ſupina ortum, & moritū, quamvis oriturus non orturus inveniatur participium futuri, ſed præteriti ortus, non oritus dicitur. Horat. Epiſt. lib. 2.

Nil oriturum aliás, nil ortum tale fatentes.

A morior quoq; notandū, quód cum moriturus ſecundū analogiā faciat participium futuri mortuus, fecit pręteritū, geminata u, quod in nullo alio participio invenies, pro mortuus vel moritus, quod proportio magis exigebat. In tior deponens tam tertiæ quàm quartæ conjugationis, unum invenitur potior. Virgil. in 3. Aeneid.

Fas omne abrumpit, Polydorũ obtruncat, & auro
Vi potitur.——

i ſecundum tertiam conjugationem corripuit penulumam. Lucilius verò in 5.

Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.

Secũdũ quartã conjugationẽ, producta penultima ꝓtulit. Similiter Nevius in Ilia. 2.

Fœcundo penetral penitùs thalamoque potitur.

Infinitum tamen ſecundum quartam ſemper invenitur. Cic. in 3. Invectiv. Rerum potiri volunt. Supinum in itum definit penultima producta, potitum. Deponentia verò in ſcor deſinentia, in antepenultima quidẽ ſyllaba, a vel i vel e correptas habentia, in ctum faciũt ſupinum, ut paciſcor pactum, proficiſcor profectum, expergiſcor, quia à pergo eſt, experrectũ facit: quàvis vetuſtiſſimi etiam expergitus dicebant. Lucil. in 3.

Et ſomno pueros cùm manè expergitus clamat.

Cælius verò ſecundũ analogiã protulit in Imbribus, Mihi ſordido dormitũ ſuadet ut eam quiſquã? & ſi ego obdormiero, tute idẽ ibi eris experrectus. Nãciſcor etiã nactũ facit abſq; n, ut Probo & Capro & Pollioni & Plinio placet. Quod autẽ corripitur antepenultima paciſcor & nanciſcor & proficiſcor & expergiſcor, ex cõpoſitis ſive primitivis eorũ poteſt dignoſci. Paciſcor & depeciſcor, proficiſcor à facio, expergiſcor à pergo pergis: nãciſcor verò, à nancio eſt, quod in uſu fuit vetuſtiſsimis. Gracchus pro ſe, Si nanciã populi deſiderium, cõprobabo Reip. cõmoda. Alia verò abſq; c in tũ faciũt ſupina, ut iraſcor iratum, ulciſcor ultũ, naſcor natũ, obliviſcor oblitũ. Excipitur deſeciſcor defeſſum faciẽs ſupinũ, & participiũ præteriti defeſſus, ut Terent. in Adelph. Defeſſus ſum ambulãdo. Idẽ in Phorm. Neq; defeciſcar uſq; adeò experirier. Nam ab eo quod eſt deficior defectus, fit participium præteriti. Excipiuntur etiã duo compoſita, quæ quàvis antepenultimã i habeant correptã, in tum tamẽ, non in ctum faciunt, ſupinum, cõminiſcor cõmentum, adipiſcor adeptũ: Nam à reminiſcor, ſupinũ vel participium præteriti vel futuri in uſu non inveni, quamvis ratio hæc quoq; remẽtum, quomodo commentum exigat dici.

P. RAMI LIBER XIX,
DE II. CONJUGATIONE
in ам.

Conjugationis hujus verba omnia activa vel neutralia in io deſinunt, exceptis eo & queo & veneo, & ex eis cõpoſitis. Ajo, cujus declinatio in uſu frequẽs non eſt, quartæ cõjugationis eſſe oſtẽditur ab imperativo in i terminante. Sic enim Probus de dubio perfecto tractans oſtẽdit Neviũ protuliſſe, An nata eſt ſpõſa prægnãs, vel ai vel nega. Accius in Ione, Quibuſnã te aibant ortũ locis, pro ajebãt, quod in hac cõjugatione fieri ſolet. Et eſt notandũ in hoc verbo, quod pares habẽt ſyllabas tres perſonæ ajo, ais, ait, quod in alio hujus cõjugationis verbo nõ inveni, & quod penultima primę ſolius perſonæ producitur, quæ ſola i habet loco cõſonãtis. Unde tertia quoq; pluralis, quæ ſolet à prima fieri, ſimiliter j conſonantẽ habẽs ꝓducit penultimã. Quod autẽ in aliis corripitur, oſtendit uſus. Virgil. in 1. Aen.

Sic ait, & dicto citiùs tumida æquora placat.

Et Nevius, An nata eſt ſponſa prægnãs, vel ai vel nega: Nam niſi corripiatur a, jambus ſtare nõ poteſt. Invenimus tamẽ tertiã perſonã præteriti ait, quaſi à prima ai aiſti ait, quæ in uſu nõ ſunt, unde neq; perfecti, neq; pluſquã perfecti, nec futuri ſubjunctivi in hoc verbo declinatio invenitur. Poteſt etiã ait præſens pro prętèrito accipi. Raucio Priſcianus ſtatuit in hac conjugatione, & citat illud Ciceronis, At Aeſopũ ſi Paulũ irrauſerit, explodi. At eo loco hodie legitur irraucuerit, & poteſt ab irrauceo derivari, & Priſciani non curantia quędam mihi ſuſpecta eſt. Raucio tamẽ videtur olim valuiſſe, unde participium apud Lucilium,

Rauſuro tragicus qui carmina perdit Oreſte.

Salio ſalivi (ait Priſcianus) & ſalui & ſalvi. Virgil. in Bucolic.

Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Idem præteritum in 2. Georg.

Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

In quibuſdam tamẽ invenitur codicibus, etiam ſaluere ſcriptum. Idem in 11. Aeneid.

—— portiſque ab equo regina ſub ipſis
Deſiluit.—— Idem in 5.
Haud mora, proſiluere omnes, ferit aurea clamor
Sidera.—— Lucan. in 3.
Inſiluit ſolo nociturus pondere puppim.

Statius tamen in 9. Thebaidos,

—— excuſſi ſalierunt cuſpide dentes. In eodẽ,
Inſiluere vadis magnoque fragore ſolutus
Agger.—— Ovid. in 11. Metamorph.
Cum ſæpe aſſiluit defenſæ mœnibus urbis.

Idem in 4. Faſt.

Per flammas ſaluiſſe pecus, ſaluiſſe colonos.

Quadrigarius in 6. Annali. Artorius tauręx dextrũ humerũ ſauciat, atq; ita reſiliit. Salleo es veteribus fuit, Cùm caro ſallet, eſt diuturnior, Fabianus apud Diomedem, id eſt ſalliẽ. Cambio (ait Priſcianus) ἀμείβομαι ponit Chariſius, & ejus præteritũ campſi.

quod

quod ἀπὸ τ͂ κάμπτω, ἔκαμψα græco eſſe videtur, unde & campſo campſas ſolebãt vetuſtiſsimi dicere. Ennius in 10. Leucatẽ campſant. Senio ſenivi. Plaut. Tu is es qui per voluptatẽ in mea ærumna obſeniſti graviter. Ambio (ait Priſcianus) ab eo cõpoſitũ ſolum mutavit penultimã e in i: itaq; in io quidẽ deſinennũ regulã ſervavit in ſupino & participio, quippe producta penultima ambitus ambita ambitũ. In nomine autẽ, ſive vocabulo rei, differẽtiæ cauſſa in eo terminannũ regulam ſervãs, corripuit penultimã ambitus, ut Ovid. in 1. Metamorph.

Juſſit et ambitæ circũdare littora terræ. Luc. in 1.

—— Cethaliſque ambitus urbis

Annua venali referens certamina campo.

Quãvis Scaurus ſimilẽ eſſe in utroq; tenorem putavit. Sed Velleſus Celer reſpõdens Hadriano Imperatori per epiſtolã de hoc interroganti, declinatione & tenore ambitus nomen á participio oſtendit diſcerni, quod uſu quoq;, ut oſtẽdimus, cõfirmatur. Aperio aperui (ait Priſcianus) quod videt á pario cõpoſitũ, qđ vetuſtiſsimi non ſolũ ſecundũ tertiã, ſed etiam ſecundũ quartam conjugationem declinabãt, unde Ennius,

Ova parire ſolet, genus pennis condecoratum.

Igiť ex eo cõpoſita ſi principalẽ ſyllabã purã nec ex integra præpoſitione habuerint, io in ui cõvertũt in præterito, ut aperio aperui, cooperio cooperui: Reperio veró duplicavit p in præterito, quippe diminuta una ſyllaba, repperi. Simile eſt á comperio cõperi. Sũt & alia ex hoc ipſo cõpoſita deponentia, experior, operior, quorũ participia expertus & opertus oſtendunt á pario eſſe cõpoſita, cujus participium partus eſt.

P. RAMI LIBER XX.

DE RELIQVIS VOCVM *generibus.*

VOcũ ſine numero genera duo ſunt, alterũ ſingulis vocibus, alterũ conjunctis inſervit: Primũ genus adverbiũ eſt. Varro partẽ adminiculãdi vocat lib. 7. de Lingua, cujus duas ſpecies interjectiones & præpoſitiones Latini á ſui generis cõplexu non ſatis legitima cauſſa ſejunxerũt. Græci in una ſpecie meliús, qui interjectiones in adverbiis ſtatuerunt: & multo major ἀνάγκη interjectionũ ſex tantũ hei heu heus ó proh væ, in genere dictionis numerare quám pronomina quindecim: & Priſcianus veterũ Grammaticorũ differẽtias ediſſerens, hæret in ſalebra, nec concludere poteſt quanam re præpoſitiones ab adverbiis ſejungãtur. Præpoſitio (ait) præponiť appoſitione, vel cõpoſitione, ut ad urbem adhæreo: at inquã Priſciane, adverbium utroq; modo præponitur, ſatis vini, ſatisfacio, & præpoſitiones quædam poſtponuntur, ut tenus in hactenus, crurũ tenus, mecum, tecũ, ſecum: Sic aliquãdo quem contra, loca hæc circiter, hac ſuper re, quamob rem, patria procul, & portum verſus: & ad verbia interrogativa omnia præponuntur, ubi, unde, quando. Priſcianus aliam differentiam quærit é ſignificatione, quod præpoſitio nil certi ſignificet, adverbium ſignificet: At id argumentũ eſt falſum, cũ pleræque voces eadem ſignificatione tantum ſyntaxi mutata, & præpoſitiones & adverbia vel ipſi Priſciano ſint: Itaque Priſcianus cúm Græcos imitari vellet, qui præpoſitiones omnes primitivas habent, contrá, Latini quaſdam, ut ſupra, infra, intra, extra derivativas & cõtractas habeant, tandem ait, & præpoſitiones pro adverbiis & adverbia pro prępoſitionibus uſurpari, id eſt, doctrinã hic nullã certam cognoſcit. Et quidẽ ſi qua differentia ſit præpoſitionũ & adverbiorũ, ea debuit ex Etymologia peti, nõ é ſyntaxi: At regere caſus aut nõ regere, præponi aut poſtponi, ſyntaxeos eſt, non Etymologiæ. Stoici veró reliquos græcos Grãmaticæ doctores hoc uno acumine ſuperãt, quód præpoſitionẽ nõ genus vocis numero carẽtis, ſed generis ſpeciẽ faciant: errant tamen, quod conjunctionẽ faciant, cúm, cõjunctio ſit cõjunctarũ vocũ, præpoſitio cũ reliquis adverbiis ſingularũ. Sed Stoici fortaſſe συνδέσμων, id eſt, ut é Quintiliano monuimus convictionẽ generaliter accepêre, ut adverbiũ eſſet συνδέσμων ſingularum vocum. Priſcianus differt doctrinam præpoſitionũ priorẽ eſſe doctrina reliquarum partiũ indeclinabiliũ: Itaq;, ait, cũ bene mihi videantur prępoſitionẽ cęteris indeclinabilibus, Græcorũ doctiſsimi prępoſuiſſe, & maximé Apollonius, cujus authoritatem in omnibus ſequendã putavi, ego quoq; ab ea incipiã. Hæc Priſcianus, at vellẽ anté cõſtituiſſet quidnã hæc eſſet doctrina, quàm de loco doctrinæ diſputaret: Deniq;, ut aliquid concludã, nullam etiam in adverbiis propriã Etymologię doctrinã video. Significationũ genera perſequi cúm ſit artis alienũ, ut ſæpe jam profeſſus ſum, tum veró eſt infinitũ: Itaq; Gręcorũ doctiſſimi, ut Gaza, cúm illã infinitatẽ effugere cuperet huc deniq; recidit ut in decem categorias Ariſtotelis, adverbia diſtribueret, quod quám ridiculũ ſit noſtræ ſcholæ ab-

undé docebunt, cúm docuerint illam categoriatū partitionē ineptam ac deridēdam eſſe, tantū eſt illud cōmune é notatione ſpeciei: Primitiva ſi quidem (ait Priſcianus) uniformia ſunt, nec regulam aliquā ad ſimilitudinem vel collationem aliorum poſſunt accipere, ut cras, cur, heus, ſic, nempe. De quinque ſemper compoſitis Priſcianus ita loquitur. Et dí quidem & dis eandē ſignificationē habent, quomodo ab & abs: Sunt autē ſeparativæ, ut divido, diduco, diſtraho, diſcurro, quod apud Græcos διὰ præpoſitio facit, & ſciendū quod tunc, dis præponitur cū ſequitur c vel f, vel p, vel s, vel t vel i loco conſonātis, ut diſcumbo, diſcutio, differo, diffido, diffundo, in quibus s in f convertitur euphoniæ cauſſa, diſpliceo, diſputo, diſperdo, disjicio, diſtraho, diſturbo, diſtorqueo, disjectus, disjūgo, aliis veró quibuſcunq; conſonātibus ſequentibus, di præponitur, dimitto, diruo, diduco, digero, diluo, & ubique producitur di, excepto dirimo, & diſertus. Lucan. in 4.

——dirimit tentoris gurges. Idem in eodē,
Qui medi⁹ caſtris tutā dirimebat Ilerdā. Idē in 5.
Et nō amiſſæ dirimit ſuffragia plebis. Virg. in 5.
Cede Deo, dixitque & prælia voce diremit.
Juvenal. in 3.
——didicit nam dives avarus,
Tantúm admirari, tantúm laudare diſertos.

Re, videtur á retro per apocopā factū, ſicut & ipſe ſenſus manifeſtat, reſpicio, retro ſpicio, revertor, retro vertor, recurro, retro curro, vel ex hoc natum eſſe adverbiū, quomodo ab ex, extra. Se quoq; pro διὰ græca præpoſitione, ſeparativa eſt, ut ſecubo, ſeparo, ſeduco. Eſt etiā abnegativa, ut ſecurus, ſine cura. Præterea ſeorſum fit adverbiū á ſe, ut á de deorſum, á ſuper ſurſum: quibuſdā ſe á ſemis, quod ſeparationē facit, quibuſdā á ſecus videtur profectū. Aliis autē magis ea videtur á ſe, præpoſitione eſſe derivata. Am etiā, ἀμφὶ græcā præpoſitionē ſignificat, amplector, amputo, ambio, in quo etiā additio b conſonātis fuit propter m. Con pariter loco cū, præpoſitionis, cúm de ea diſſerebamus, accipi ſupra docuimus. Derivativa veró, quæ ſub aliqua certa proferūtur forma, inter ſeſe adhibita collatione, rationem plerunq; regulæ poſſunt accipere pro ſimilitudine terminationū: plerumq; autē diximus propter excepta anomala, ut bene, malé, duriter. Ergo per ſingulas terminationes, neceſſariū eſt eorū formas inſpicere. Hic Priſcianus analogiā quandam in ſpecie adverbiorū eſſe admonet, ſicut ante Priſcianum Chariſius admonuit: utrumq; igitur ſequimur, ſed cōpendio paulo breviore & faciliore. Adverbia quædā Priſcianus putat oriri ab adverbiis per cōparationem, ut á prope propius, ultra ulterius. At idem tamē ait ultra & citra ex nominibus ultera, citera cōtracta eſſe, ſupra, infra ex ſupera, infera, nec dubito quin olim propus, nomē fuerit: unde propior & proximus & ab his adverbia prope propius proximé, ſic á ſæpus, ſæpior ſæpiſsimus, unde adverbia ſæpe ſæpius ſæpiſsimé: nec omnino adverbium ex ſeſe comparationē recipit, ſed tantū, ut Comminianus Grammaticus docuit, quoties nomē & appellatio unde tranſit cōparatur, quod & Priſcianus cōfitetur, Inveniuntur (ait) tamen pauca, quę quamvis á nominibus nō deriventur: tamen habent cōparativa vel diminutiva, ut ſæpe ſępius ſæpiſsimé & ſæpiuſcule. Antiqui tamē & ſæpior & ſępiſsimus protuliſſe inveniuntur, ſicut ultra, ulterius ultimé, ulterior ultimus: nō enim adverbia á nominib⁹, ſed ab adverbiis hujuſmodi nomina naſcūtur, ſupra ſuperiús ſupremé, ſuperior ſupremus, citra citerius citimé, citerior citimus, extra exterius extremé, exterior extremus, infra, inferiús infimé, inferior infimus, diu diutius diutiſsimé, diutior diutiſsimus, nuper nuperius nuperrimé, antiqui nuperus, nuperior nuperrimus, ocyor quoque ocyſsimus, & ocyus ocyſsimé á græco eſt ὠκὺ. Satis quoq;, quia pro ſufficiens accipitur, quomodo ſupra diximus, ideó habuit cōparationē ſatius. attendendū igitur, quod non inveniūtur cōparativa adverbia, niſi ſint adjuncta cōparativis nominibus. Sciendum tamen, ait Priſcianus, quod quædā adverbia non plené ſervant ſignificationē quæ in nominibus eſt, é quibus derivantur, ut ferus feré, ſanus ſané, ſenſus ſenſim. Ideó autē diximus non plené, quia poteſt eſſe aliqua ratio, ut feræ dicūtur quæ omni corpore feruntur, quippe cùm quatuor pedibus utantur, fere ergo pro juxta, quod celeribus omnia juxta ſunt: ſanus, pro validus accipitur: ergo & ſané pro valde. Hoc quoq; notādum, quod á valido valde pro validé per ſyncopā profertur, ſenſim pro paulatim, quia ea maximé faciunt ſenſum quæ morantur: A rito veró verbo vel ritu, rité pro recté, quia nihil traditur ritibus, niſi quod rectum eſſe credatur. Idem longe plura olim er habuiſſe pro e author eſt, Inveniuntur, ait, & alia, quibus tamen nō eſt utendū, Pomponius in Auctorato, Ludit nimiū inſaniter, pro inſané, ſeveriter quoque pro ſeveré. Titinnius in Proclia, Seve-

riteq;

rier hodie ſermonem amica mecum contulit. Idem blanditer, benigniter. Plautus amiciter, veraciter, avariter, munditer, ſeveriter, mœſtiter, equiter, aſperiter. Nonius, feſtiviter. Lucilius ampliter, ignaviter. Varro probiter, mutuiter. Ennius proterviter, ignaviter, inimiciter, iracunditer, ſuperbiter, temeriter, præclariter, torviter, puriter, reverecunditer, miſeriter, proſperiter. Dicitur etiam abundè ab abundo, & abundanter ab abundans. Hæc Priſcianus.

Conjunctionis ſpeciem Grammatici nominant hic poteſtatem, quæ eſt (ait Priſcianus) in ſignificatione: in quo fallũtur. potes enim ſignificationes conjunctionum intelligere, ut ſi græcas latinè, aut latinas gallicè reddas, neque tamen poteſtatem hanc intelliges: & hic etymologia quædam eſt propria, nõ ut in adverbiis, communis. Itaq; ſpecies conjunctionum poterãt exquiri, quod quædam primitivæ ſint, ut &, que, vel, ſi: quædã derivativæ, ut cò, quò, quapropter, quamobrem: Figuram autem Grammatici hic tractãt, quòd quædam conjunctiones ſimplices ſint ne, que, at: quædam compoſitæ ut neque, atque. Sed tota hęc notatio levis eſt, neq; conſiderationis propriæ, ſed omniũ generum cõmunis: itaq; prætermiſimus genera verò cõjunctionũ pro generibus. vinculorum quibus variè aliquid enuntiatur, diſtincta ſunt à nobis.

Lubet verò ad extremũ Varronis admirabilem illam propoſitionem de multitudine latinarum vocum repetere, cùm genera, differentias, ſpecies, proprietates executi ſimus: Hic enim numerus individuarum vocum ex una origine jam baberi poteſt. Quid porrò Coſconius illẽ Varronis ſecutus ſit, ut ex una voce quingẽtas inflecteret, divinare difficile eſt, certè vocem primigeniam à Coſconio primùm tot vocum matrem poſitam, ſatis conſtat inflexibilem non fuiſſe: Inflexibilis enim ſterilis eſt, nec ex ſeſe quicquam gignit, ut antè Varro ipſe nos docuit: Ergo non omnes latinas voces Coſconius enumerat, ſed flexibiles tantùm, nec eas quidẽ omnes, ſed propriis prætermiſsis cõmunes tantùm: Quomodo autem vocis unius fœcunditas tanta poſsit eſſe, quantam Varro ratiocinatus eſt, profiteri non audeam de omnibus communibus, unius tamẽ exemplo declarare certè poſſum: Eſto igitur vox iſta Doceo, hinc voces mille ſexcẽtas quinquaginta poſſum deducere. primum verba hinc oriuntur centum viginti ſex, tum è nomine doctus per genera & gradus, omnibus caſibus, variato oriuntur nomina centum & octo: Caſus enim quiſq; per genera & gradus, novem nomina facit: Itaq; cùm caſus ſint in utroque numero ſeni, novies duodena, centum & octo faciunt: adde adverbia, Docte doctiùs doctiſsimè, habebis ex una radice vocis, ducentas triginta ſeptem voces: Compoſitio cum adverbiis varia eſt, addoceo, edoceo, ſubdoceo, dedoceo, condoceo, perdoceo, prædoceo: multiplica igitur ſepties ducẽtas triginta ſeptem voces, procreabis mille ſexcentas quinquaginta novem: Quid ſi nomina ab eadem radice cætera colligas tum ſimplicia, ut doctor, doctrina, docilis, docilitas, tum cõpoſita, ut indoctus, indocilis, quanto Varronis ubertatẽ ſuperabis? Quid ſi majoris fœcunditatis vocem ſumpſeris, ut Duco, cujus ſeptendecim compoſita adnotantur, ex una voce, vocum ſupra millia quatuor efficies. Quamobrem Varronis ingenium equidem laudo & admiror, qui grammaticarum flexionum præclaras iſtas & ſingulares utilitates exquiſierit, ut artis hujus ſtudioſi intelligant quãtam hominibus ſermonis uſuram, quantum orationis fœnus flexione vocum natura dederit.

DE SYNTAXI.

DE ſyntaxi nihil video præter artem, de quo magna diſceptatio requiratur, cùm præcepta artis legitimis exemplis ſint approbata: ordinis ratio è logicis legibus illis ſemel inſtio poſitis, perpetuò dirigenda: prætermiſſorum quorundã ratio fortaſſe requiretur, quæ breviter expediri poteſt.

Teſte patre viro, figura Grammaticis eſt, appoſitio dicitur. At figuram hic nullam video, cùm alia hic ſyntaxis eſſe nulla poſsit: nec novata hic ulla eſt orationis forma, cùm dicis Marcus Tullius, Julius Cæſar, & in ſimilibus: cõvenientiam hic legitimam ſtatuimus, & primam in communibus nempe definitionis nominalis partibus.

Ad Syllepſim numeri videntur illa ſpectare.

Terentius in Eunucho,

Neſcio quid profectò abſente nobis turbatum
eſt domi.

Plautus in Amph.

Nec nobis præſente aliquis, niſi ſervus Africa-
nus adeſt,

At notanda hæc tantùm, non imitanda ſunt: & Donatus in hac orationis ſpecie ait intelligi Me, ut ſit ſenſus, abſente me: aut archaiſmon eſſe, aut præpoſitionem eſſe pro Clam: ſic etiam præſente pro Coram. Marcellus abſente & præſente defendit, pro abſentibus & præſentibus uſurpari. Quicquid ſit, id artis regulam facere non poteſt, nec imitandũ omnino eſt: Itaque omiſimus.

Syllepſim generis ſecũdam etiã Grammatici faciunt, maſculino & fœminino neutrum genus concipi, quam ad rem citatur Virgilius 7. Aeneid.

——cæſoſque reportant
Almonem puerum, fœdatique ora Galeſi.

At ſine generis cõceptione poteſt iſta oratio conſtrui, Reportant nempe cæſos, & inter eos, Almonem: tum ora Galeſi fœdati. Ac exemplum id poeticum eſt, nec in proſa imitandum: qualia ſunt quæ finguntur à Grammaticis, Dominus & mancipium ſunt boni.

Addunt etiam Grammatici iſtam in rebus inanimatis ſyllepſim, & Lucani authoritate confirmant,

—— Hinc leges & plebiſcita coactæ.

At hic poeta non bonus latinitatis author Servio videtur, & mendoſus locus eſſe poteſt, pro coacta, aut diviſis partibus, ut plebis ſcita coactæ.. denique uno poetæ exemplo generalis grãmaticæ regula cõſtitui non poteſt. Videtur autem ſecunda Philippica fœminino neutrum genus concipi. Signa tabulas, quas populo Cæſar unà cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeji deportavit, partim in villam Scipionis.

Hic quas & eas videntur referre ſigna & tabulas. At hic quiſpiam dubitabit, utrum, zeugmate poſsit explicari, ut illud, Servate liberos fortunasq; veſtras. Nam & veſtros intelligimus. ſic & hic, quæ ſigna, intelligas. Eſt verò ſyllepſis illa generis inſolens, nec omnino imitanda.

Ubi illic ſcelus eſt, qui me perdidit? Item,
Ut illum dii deæque ſenium perdant.

licet utrunque ſit in Andria Terentii. Hic Ille differentia aliquando in Cicerone ipſo non ſervatur, ut pro Comœdo, Quid eſt quòd negligẽter ſcribamus adverſaria? quid eſt quòd diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſſa? quia hæc ſunt menſtrua, illæ ſunt æternæ: hæc delentur ſtatim, illæ ſervantur ſanctè. Sed hãc Ciceronis telanonem imitari nolim, illam infinitis & certioribus exemplis approbatam malim.

In enallage, recta & ſimplex oratio perinde uſitata eſt, nequis figuram tantùm hic uſitatam credat. 2. de Nat. Propiis à terra Jovis ſtella fertur, quæ Phaeton dicitur. Hic relatio antecedentis eſt legitima Idem in ſomnio, Homines tuentur illum globum, qui terra dicitur. Liv. libro 36. dixit, Ludos Megaleſia appellatos, quod rectum eſt. idem lib. 31. Captivi, militum præda fuerant.

Gerundia ſcrupuloſam conſiderationem habent, paſsivum in dum, ut amandum pro oportet amari, nuſquam legiſſe me recordor: activum nominativi caſus perrarò, & quidẽ ex uno ferè Varrone exempla citãtur, ut Colligendum eas in vas aliquod, frenos ſuſpendendum, faciendũ aras quadratas, dandum panes bordeaceos. Poetæ etiam interdum. Virgilius 11.

——pacemque ab rege petendum. Lucret.
Externas quoniam pœnas in morte timendum.

Allegatur hic etiam Ciceronis locus 14. ad Att. Iterandũ eadem iſta mihi: at mendoſè citatur locus ille, qui in emendatioribus libris ſic legitur, Itera dum & eadẽ iſta mihi. Gerundium in di paſsivè nonnunquam capi Grãmatici docent exemplo Juſtini, Athenas erudiendi cauſſa miſſus, id eſt ut erudiretur. At author iſte nõ ſatis idoneus ad legem linguæ latinæ ferendum. Gerundium in do videtur aliquando paſsivè capi. Virg. 3. Georg.

——Uritque videndo
Fœmina.——

Quintilianus, Memoria excolendo augetur. At hæc impersonalium more explicari poſſunt, id eſt dum homines vident, dum excolunt: & quomodocunq; explicentur, rara tamen admodum ſunt. Reliqua differentia ſiqua ſit, levis eſt, & modico labore experienti facilis: Itaque plura perſequi deſinam, & grammaticas ſcholas concludam.

FINIS.

PETRI RAMI SCHOLAE RHETORICAE SEV QVAESTIONES BRVTI-
næ in Oratorem Ciceronis,

AD

HENRICVM FRANCIAE REGEM.

SPERO, Henrice Valeſi, Franciæ Rex Chriſtianiſsime, amplitudinem tuam me nihil offenſurum, ſi Rhetoricas ſcholas non ſolùm ad te mittere, ſed etiam in tuo nomine divulgare audeam. Nanque & huius artis, & omnium omnino doctrinarum laudandarum cognitionem non modò ingenuis animis digniſsimam, ſed etiam regum propriam eſſe ſtatuo: Etenim quid eſt tam regum proprium, quàm quod à ſummis regibus ad omnium dignitatem regnorum eſt inveſtigatum, & æternis literarum monumentis poſteritati relictum? Quæramus igitur à quibus tandem hominibus tam varias, tamque multiplices artes vel ad orationis cultum, vel ad rationis ſolertiam atque iudicium, vel ad cæterarum rerum fructum & uſum inventas & deſcriptas accepimus: reperiemus profectò horum bonorum inventores & authores, potentiſsimos principes & imperatores extitiſſe. Ponamus ante oculos (ut à primis literis incipiam) M. Varronem, Iulium Cæſarem: quorum alter de analogia, alter de lingua Latina tam multa ad Ciceronem perſcripſit. At quantis opibus, quanta dignitate in ampliſsima orbis terrarum Republica viri? Quid Pericles, quid Demoſthenes Athenis? quid Romæ Cato, Antonius, Cicero, Brutus, quæ imperia, quanta reipublicæ gubernacula tenuerunt? At orandi & leges & exempla ab illis omnia ferè tenemus. In Dialecticis deos præceptores Plato ſtatuit. Quid verò in Phyſicis Platonem, aut Ariſtotelem potius commemorem, quàm Alexandrum Macedonem? Is enim nobiliſsimæ ſcientiæ cupiditate inflammatus, tot hominum millia (quot tanto Aſiæ, Africæ, Europæ imperio venatus, aucupia, piſcatus alebant, quibuſque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria curæ erant) conduxit, omneſque omnium ea de re hominum conſcriptos libros conquirendos curavit: ut & peritos rerum naturalium percunctando, & libros varios perlegendo pręclara de tot rebus occultis volumina hominum generi compararet. Interroga medicos de ſuæ artis origine: Aeſculapios tibi & Apollines reſpondebunt. Quid Mathematicæ artes & diſciplinæ? nónne ſibi (ut variæ teſtes ſunt hiſtoriæ) tum primos ab initio mundi patriarchas, Adamum, Sethum, Noeum, Abrahamum: tum Africæ atque Europæ clariſsimos reges, parentes vendicant & aſſerunt? Inſtituta verò de vita hominum & moribus tametſi optimi

ſi optimi quippe rerumpublicarū principes gloriæ ſuæ propria ſemperceſſe duxerunt, tamen regnis & imperiis humanis excellentiora & præſtantiora eſſe confeſsi ſunt, cúm certis numinibus leges ſuas attribuerunt, Licurgus Apollini, Solon Palladi, Minos Ioui, Charundas Saturno, aliique diis ac deabus aliis. Cúm igitur doctrinas non ſolúm ingenuas, ſed regias dico, nihil amplificandi cauſa dico, ſed earum nobilitatem veré ac ſimpliciter exprimo. Age veró, cúm magnifica iſta artium regna mente atque animo complexus eris, ad amplitudinem generis tui oculos converte: patrem regem conſpicies in iſto genere laudis regum omnium longé primúm & maximum. E cæteris enim regibus nonnulli poetás amaverunt, alii philoſophos coluerunt, alij aliarum peritos artium in honore habuerunt. At Franciſcum Valeſium omnium literarum patrem verius, quám mecœnatem poſſumus appellare: á quo Latinæ, Græcæ, Hebraicæ linguæ interpretes, Philoſophiæ, Mathematicæ, Medicinæ doctores honeſtiſsimis ſtipendiis affecti & ornati ſunt. Quo regnante, imó veró cohortante, tot populorum rectores, tot ſenatores, tot omnium generum homines incredibili literarum amore ſunt incenſi. Tum uero quum á tali patre diſceſſeris, quem potius, quám te unum, te, inquam, unum in tanto ſplendore conſpicies, qui paternis paſsibus ad eandem gloriæ æternitatem graderis, qui ſimilibus honoribus doctos homines & eruditos afficis, quibus anté pater affecerat? imó veró qui ſuſtentes eos, de quibus eruditionis ac doctrinæ ſpes aliqua fore videatur. Cur enim ingraté reticeam unum me (quem noſtrates Ariſtotelei & lingua & manibus ita conſtrinxerant, ut de philoſophia nec dicere, nec ſcribere quicquam, ac vix quidem cogitare poſſem) unum me, inquam per te priſtinæ libertati reſtitutum? júſſumque reſciſsis Ariſtoteleorum iudiciis liberé de his artibus (in quibus me exercuiſſem) & commentari & ſcribere, & philoſophari? Quo tuo beneficio ſic adhuc uſus ſum, & ſuperis bene fauentibus impoſterum ſic uſurus ſum, ut vel Ariſtotelei Petrum Ramum (quem iam vehementer & acerbé afflixerant) per te ſuſtentatum & liberatum eſſe gaudeant. Quamobrem Rhetoricas ſcholas, quoniam hæ quoque artes, ſicuti reliquæ, regiæ ſunt, ad te & regis literarum omnium amantiſsimi filium & regem ipſum pari ſapientiæ amore inceſum ſcribere, & in tuo nomine emittere non dubitavi: & eas quidem ſcholas, quæ magnorum in republica principum Ciceronis & Bruti de ſumma regendæ reipub. doctrina contentionem explicarent. Etenim cúm in tanta republica, quanta tum Romana res fuit, eloquentia ſapientiæ coniuncta unicum ad honores ſummos & ſingulare inſtrumentum eſſet, non tantum ſapientia, eloquentiaque præſtantes & ſummi viri Romæ extiterant, ſed ſumma quoque inter ipſos

diſſenſio

diſſenſio fuit de optimo uirtutis hujus genere. Cicero oratoris, id eſt ſapientis illius & eloquentis uiri (ſic enim appellabat) ſummam & abſolutam laudem triplicem arbitrabatur eſſe, Docere, delectare, movere: reſque magnas grauiter, & parvas ſummiſſe, & mediocres moderaté dicere: ad eamque rem Philoſophiam totam, leges, hiſtorias, Rhetoricam neceſſarias judicabat, Hæc enim Oratoris ad Brutum ſententia eſt. Brutus autem, Callidius, Calvus, Cornificius, ac cæteri qui ſe tum oratores Atticos velut abſolutos appellabant, de artium cognitione nihil diſsidebant: duas etiam primas (quæ docendi & delectandi ſunt) laudes valde probabant: moveri tamen judicem uehementius & turbari ab oratore nolebant, eoſque quorum altior eſſet oratio, furere & bacchari arbitrabantur. Hoc itaque tertium in Cicerone reprehendebant, ſicut alia quædam, quód in egreſsionibus & repetitionibus eſſet nimius, quód inſolētius aliquando ſe jactaret. Itaque & hi Ciceronem ut redundantem, & doctis atque attenté audientibus moleſtum: & illos Cicero ut jejunos & aridos, & multitudini, cui nata ſit eloquentia, contemptos ſæpe cavillatus eſt. At Cicero quamvis de grauitate & vehementia dicendi verius fortaſſe ſecutus eſt, hæſit tamen ſine dubio ad illas egreſsionum, repetitionum, oſtentationum ſalebras, nec inde explicare ſe atque expedire potuit. Atque hæc Ciceronis & Bruti de cauſis orandis diſſenſio fuit: de orandarū veró cauſſarum arte potuit etiam Bruti cum Cicerone major eſſe contentio: quód Cicero uno Rhetoricæ artis nomine multas artes varié confunderet, quæ præceptis diſtinctæ & facilius diſcerentur, & commodius exercerentur. Quod utrunque tamen vitium & redundantiæ & Rhetoricæ artis confuſius inſtitutæ non tam Ciceroni, quám magiſtris (quos vel audierat, vel legerat) attribuendum eſſe arbitror. Audivit adoleſcens Menippum Stratonicenſem, Dionyſium Magnetem, Æſchylum Gnydium, Adramiteum Xenoclem, tota Aſia illis temporibus oratorum facilé principes, á quibus Aſiatica redundātia ſic imbutus eſt, ut poſtea ſe (tametſi redundantem, & quaſi, ut ait ipſe de ſe, extra ripas diffluentem ſentiret) nulla tamen ratione reprimere ac coercere potuerit,

— *Adeo à teneris conſueſcere multum eſt:*

& Ariſtotelem (qui Rhetoricas & Dialecticas artes potius é uarijs autoribus collegit, quám digeſsit aut diſtinxit) præcipué in Rhetoricis præceptis ſequutus eſt, & quidem ſic ut ſummus in republica princeps tantis & publicis & domeſticis negotijs occupatus ex Rhetoricis præceptis, ſicut ex juris ciuilis legibus tum quoque, ſed hodié multó magis confuſis, paſsim carperet potius, & undique colligeret forenſem & ciuilem uſum, quám conſideraret, quám artificioſe, quamque diſtinctè iſta docerentur. Quamobrem in Oratore Cice-

ronis non ſolúm de Aſiatica redundantia, ſed etiam (quoniam datur ijs exercitationibus ea uenia) de proprijs Rhetoricæ diſciplinæ præceptis, deque totius tractationis ratione, conſtantia, ueritate, quærentem Brutum feci, & quidem ita quærentem, ut proprias Ciceronis laudes & uirtutes ornaret, uitia non ſolúm á uirtutibus ſepararet & diſtingueret, ſed in authores transferendo uel excuſaret, uel extenuaret, ſingularique Ciceronianæ eloquentiæ uſu uana ſcholaſticorum rhetorum præcepta refelleret. Nam quæ uiginti é diſcipulis noſtris præcipui conſilio noſtro de numeroſis clauſulis in uiginti Ciceronis præſtantiſsimis orationibus obſeruaſſent, ea Brutinæ inquiſitioni etiam attribui. Sed longius progredior, dum Brutinæ diſputationis argumentum planum facere cupio, quod é re ipſa forſan melius intelligetur. Itaque Brutum ipſum cum Cicerone loquentem iam nunc audiamus.

P. RAMI

P. RAMI SCHOLARVM RHETORICARVM IN CICERONIS ORATOREM LIB. I. DE SVMMA *quæſtionis, deq; tribus egreſsionibus.*

ANimadverti, Marce Tulli, te vehementer eſſe cõmotum, quód oratorem, quẽ tantopere probares, imꝓbare potuerim: queri enim & expoſtulare tanquã de gravi & acerba injuria ſoles, quód audeam non ſolum ad Atticum, ſed ad teipſum etiã ſcribere, quod in eo tibi placeret, id mihi diſplicere. At ſi conſilij mei rationẽ cauſſamq; penitus intellexeris, ſpero te non modo nihil repugnaturum, ſed magnas etiam nobis gratias habiturum. Quanvis enim ſcripſis etiã ad alios epiſtolis teſtatus ſis te quicquid habueris judicij de dicẽdo, in illum librũ contuliſſe: neq; recuſare, quin quantũ de illo libro, tantundẽ de tui judicij fama detrahatur: tamen cõfido me certiſsimis tibi rationibus probaturũ, neq; judicij tui quicquã admodum hîc adhibitum eſſe: neq; ſi de iſto libro plurimũ detrahatur, neceſſe tamen eſſe de judicij & eloquẽtiæ tuæ fama multũ detrahi. Etenim ſiquid eſt judicij tui in hoc oratore propriũ, quod expenderis, æſtimaris, judicaris, nihil tam politum fingi, cogitarive poteſt, quàm quod eſt à Cicerone judicatum. Summas rerũ principes initio ſtatuam, de quibus accuratẽ judicaſſe mihi videaris. De cæteris ſuo loco nihil tibi detraham. Ac primúm ſummũ diſputationis vniverſæ caput excutiamus: videamus quemadmodũ expenderis & æſtimaris: de præſtãtis hujus & excellentis viri (qui civium ſuorũ cauſas & cõtroverſias orando diſceptet) definitione quæramus. Is erit, ais, qui ita dicet ut probet, ut delectet, ut flectat, quiq; & humilia ſubtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatẽ dicat. Quid hoc abſolutius æſtimari aut judicari poteſt? Hîc igitur tibi non modó nihil repugno, ſed judicium tuũ valde laudo & probo: tametſi de tertio illo flectendi & movẽdi genere Attici noſtri leviter & eruditẽ quidem diſſentiunt: attamen quia plerunq; hebes & tardus auditor eſt, nec (tãquam malus equus) niſi agitatus facit, neceſſariã orationis gravitatẽ & majeſtatem eſſe cõcedo, atq; hanc triplicem docendi, delectandi, movẽdi varietatẽ cùm ſplendidé ſané ac magnificé in hoc libro demõſtraſti, tum in cauſis ipſis ſic oſtendiſti, ut fateri, vel potius profiteri meritó poſsim in hoc genere laudis, omnium non ſolúm mortuorũ famã, ſed viventiũ quoq; gloriam ſapientia & eloquẽtia tua victã eſſe atq; ſuperatã. Fuerint enim, ſintq; etiam nunc in ſingulis vel docẽdi, vel delectandi, vel movendi generibus excellentiores quidã: in omnibus autem peræquè præſtantẽ vel fuiſſe, vel eſſe arbitror omnino neminẽ. Hoc tantæ virtutis elogium ſanctum per me & inviolatum obtineto. Addis poſtremó moderatorẽ & actorẽ cauſarum ita definitũ, magnis & excellentibus artibus ornatũ eſſe oportere, Dialecticis, Ethicis, Phyſicis legibus, Hiſtoriis, Rhetoricis: quod á te & ſingulari judicio dictũ eſt, & in foro, & in curia, in roſtris, in omni deniq; cauſſarũ genere re ipſa ac veritate tam mirabiliter expreſſum, ut interdũ M. Cicero judicibus, patribꝰ, Quiritibus non homo ex homine genitus, ſed deus quidã é cælo delapſus in terras eſſe videatur. Hæc veriſsimé & excellentiſsimé á Cicerone judicata & facta ſunt. At inter iſtas ſapiẽtiæ & eloquẽtiæ tuæ tã ſpecioſas laudes nõnihil eſt ſané, licet perexiguũ, licet tãto ſplendore occultũ & obſcũratũ, non nihil tamẽ eſt, quod non ſolũ mihi & Callidio & Calvo & Cornificio, & atticis omnino noſtris, ſed tibi quidẽ ipſi veré judicãti nõ ſatis ſpecioſum videat̃: tum quód in orãdis cauſsis egredi leviter, idẽ repetere frequẽter, inſolenter etiã de tuis rebus gloriari ſoleas: tum quód in agendarum cauſſarũ arte falſum Rhetorũ potius arbitrium, quàm verũ judiciũ tuũ adhibeas. Hæc paucula quamvis maximis & plurimis virtutibus tuis longé quidem minora atque inferiora: tamen in hoc oratore notãda & ſeparãda ſuſcepi, ut ſimplices,

& minus attenti diſtincta & diviſa haberent, & bona, quæ ſequerentur, & mala, quæ declinarent. Quamobrem utranque diſputationem (quia tua deſcriptio poſtulat) conjungemus, atque ita diſſeremus, ut firma ratione ſingulis de rebus contendamus, teſtimonia dubia & incerta nulla proferamus. Age itaque miſſas opiniones hominum faciamus: rem, naturam, veritatē ſpectemus: adhibeamus eam in diſputando artem, quæ regulam veri falſique judicandi præbeat, ejuſque legibus pareamus. Regem quendam fori, actoremque cauſſarum excellentem cogitas, & omnibus laudandis artibus informas, ut ſit & dialecticus, & ethicus, & phyſicus, & iureconſultus, & hiſtoricus & orator: denique illo doctrinæ velut orbe, (quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν appellant) rotundus atque perfectus: hoc totum, ut dixi, laudo: attamen quam tot artium doctrinam explicas? Tria nobis imperas, ut doceatur, delectetur, moveatur auditor: ad ea multas egregias facultates, multa inſtrumenta comparas: at quomodo facultates iſtas, quomodo hæc inſtrumēta declaras? hominis naturam deſcribere propoſitum ſit, definieris igitur ut oratorem, ex officiis: tum dicas ſingulares ad hæc officia & animi & corporis á natura dotes eſſe: nónne ut inſtituto ſatiſfacias, & hominis naturam declares accuraté, animi, corporiſque & facultates, & partes ad extremum declarādæ erunt? Sic, opinor: nam ſi brachiū aut de membris aliquot duntaxat unum attigeris, cætera contempſeris: certé non expoſueris cauſſas proprias & neceſſarias, quibus hominis natura contineatur. Domus definiatur, cauſſæ quibus efficiatur & componatur, enumerentur: fundamentum, cella, paries, triclinium, cubiculum, tectum, & reliquæ, quibus domus integra ſolet inſtitui: tum veró ſi parietem unum utcunque ædifices, deſignata cætera relinquas: rideberis, non domum compoſuiſſe videberis. Conſtet igitur iſtud, & concludatur,

Omnes propriæ cauſæ quibus artis rhetoricæ finē conſequimur, in arte ipſa ſunt explicandæ.

Philoſophia & Dialectica & Ethica & Phyſica, item Leges & Hiſtoria, poſtremó Rhetorica ſunt cauſſæ quibus oratoriæ artis finem conſequimur, nempe ut docendo, delectando, movendo bene dicatur: Et tu omnes iſtas cauſas poſt oratorē definitum, & iſto ordine recenſes.

Quare ſi definiti á te oratoris artem velis explicare, neceſſe eſt ut omnes artes illas explices.

At architecto illi ſimilis es: magnificā eloquentiæ domum deſcribis: partes Philoſophiam, Leges, Hiſtorias, Rhetoricam deſignas: cúm ædificium inchoandum eſt, parietem rhetoricum ſcilicet erigis, & pro tam multis artibus minimam omnium inſtituis. Hîc igitur tibi, M. Cicero, vehementer & acriter reſiſto, atque hoc judicium tuum eſſe pernego: ſcholaſticas opiniones magiſtrorum tuorum eſſe confirmo. Nunquam enim mihi perſuaſeris æſtimatum & judicatū á te eſſe, quomodo iſta dicerentur: totum corpus artium omnium complecteris initio, membrum tandem unum cæteris omiſsis retines. Ciceronis igitur judicium eſſe tam inconſtans & imbecillum nunquam putabo. Qui error magnus & abſurdus eſt: Multæ ſunt, ais, ad orandas & diſceptandas civium cauſſas artes neceſſariæ, Philoſophia, Leges, Hiſtoria, Rhetorica: Rhetoricam poſtremam cæteris omiſsis ſolam interpretaris: hoc eſt cælum, aerem, aquam, terram polliceri, ſolam terram præſtare. Veruntamen age, dixeris, quod probare nemini intelligenti poſsis, plus Rhetoricam artem, quám Hiſtorias & Leges, & Philoſophiam ad tractandas & expediendas civiles controverſias valere, & idcirco de Rhetorica præcipiendum fuiſſe, de cæteris duntaxat admonendum, quia hæ tanquam famulæ & adminiſtræ ſunt, illa autem domina. At, mi Cicero, quám nihil iſta procedet ratio? quám nihil errorem primum adjuvabit? Eſt enim plané ridiculum Rhetoricam cum Philoſophia, Legibus, Hiſtoriis ita comparare. Sed finge quod falſiſsimum & ineptiſsimum eſt, eſſe tamen aptiſsimum & veriſsimum. Sic Rhetorica domina & princeps artium reliquarum, & idcirco de ea præcipiendum orandarum cauſſarum doctorī & magiſtro. Quid ſi doceo Rhetoricam neq; in hoc oratore, neq; in cæteris oratoriis tuis libris á te legitimis partibus informari, ſed alienis permiſceri, nónne tua iſta defenſio corruet? At ſpondeo, recipio, pmitto, cōfirmo (quod adverſus Ciceronē niſi clariſsima veritate motus nunquā dicerē, crimenq; levitatis & incōſtan-

tiæ

tuæ pertimeſcerem) recipio, inquam, & confirmo me probaturum, in omnibus tuis libris totam iſtam τεχνολογίαν infinitis partibus imperfectam. De hoc uno libro tantum loquar, locos tamen (qui ſunt in cæteris tuis libris) eoſdem diſputabo. Diſputavi adhuc breviter & ſummarim facultatem oratoris, ſi hoc nomine forenſium & civilium cauſſarum actorem ac diſceptatorem, id eſt multarum & variarum artium hominem intelligi vis, à te non demonſtrari, non infor mari: deinceps etiam ſi malis oratorem ut grammaticum, ut arithmeticum unius certæ diſciplinæ hominem dicere, ne quid in ambiguitate nominis bujus occultum relinquatur, diſputabo, oratoris virtutem à te non legitimè perpendi atque æſtimari. Itaque de Rhetoricæ artis confuſione tecum vel potius cum magiſtris tuis certamen deinceps inſtituo: de egreſsione, repetitione, jactatione ubi ſeſe locus in libro tuo oſtenderit (nequid hîc turbetur) tum dicam. Atque ut tota res via & ordine procedat, de Rhetoricæ artis propria & legitima ratione, primùm quæramus. Omnes artes, omnes artifices ex rebus ſibi propriè ſubjectis exponantur neceſſe eſt, non ex alienis, non ex communibus adumbrētur: Rhetoricā unam quandam & ſingularem artem de liberalibus eſſe volumus. Hæc ars igitur & bujus artis artifex ex materia ſibi propriè ſubjecta definiatur. Diſtinguamus Rhetoricæ artis materiam, & à cæterarum artium materia dividamus, ut conſtet quod ejus proprium ſit, ut omnis omnino confuſio tollatur: quod Grāmaticis præceptis doceatur, id rurſus in Rhetoricis non miſceatur: quod in Rhetoricis inſtituatur, à Dialecticis non attingatur: breviter artium omnium fines & inſtitutiones ſeparentur: uſus tamen conjungatur: ſicuti in hominum fundis & agris fieri videmus: ut meus ager in tuum non incurrat, nec tuus incidat in meum: rerum tamen noſtrarum vendendo, emendo, permutando uſus communicetur. Quin illam Solonis legem (quam dicitur Atheniēſibus tuliſſe) nobis proponamus. Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύσσῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν. ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολείπειν. ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας. ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν. ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν. ἐλαίαν δὲ ἢ συκῆν, ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν. τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας. Sic igitur de ſapientibus ſapientiſſimus ille Solon, Siquis ad alienum (dicam enim rurſum, & quidem ſi potero Latinè) fundum ſepem conſtituerit, extra terminum ne excedito. Si murum, pedem relinquito. Si domum, duos pedes. Si ſepulchrum aut ſcrobem effoderit, quanta ſit altitudo, tantum relinquito. Si puteum, paſſum: ſi oleam aut ficum, novem pedes ab alieno plantato: cæteras arbores, quinque pedes: Hanc igitur diſtinctionem finium, quæſo te, bona fide meditemur, & unicuique quod ſuum eſt, attribuamus. Duo verò ſunt universa deorum munera hominibus tributa, unde alia ferè omnia profecta ſunt, ratio & oratio: rationis doctrina, Dialectica eſt: ideoque quicquid rationis ac mentis propriū fuerit, quod ſine ratione tractari & exerceri poſsit, id propriè dialecticæ arti attribuito. Rationis duæ partes ſunt, Inventio conſiliorum & argumentorum: eorumque judicium in diſpoſitione enuntiati ſyllogiſmi & methodi: diſpoſitionis umbra quædam eſt memoria: quoniam iſta omnia in hominibus mutis, & omni orationis facultate carentibus inſunt. Nam & res cogitant, & judicant, & meminerūt, & omnes omnino homines hæc aliquando tacendo melius, quàm dicendo faciunt. Tres itaque partes illæ, Inventio inquam, Diſpoſitio, Memoria, dialecticæ artis ſunto. Orationis laudes ad iſtam regulam metiamur, & grammaticæ primùm ſuas partes aſsignemus. Puritas autem ſermonis eſt, & elegantia: quæ perſpicitur in ſingulis verbis ex etymologia, in conjunctis ex ſyntaxi. Hîc grammaticæ fundus totus & proprius eſto: Dialectica hîc, neque Rhetorica quicquam ſuum ducito. Quid ergo? quid Rhetoricæ relinquetur? non elocutio ſolùm in tropis & figuris (quam tamen ſolam hîc putas oratoris eſſe propriam) ſed actio. Hæc Rhetoricæ virtus & propria & ſola eſt, ut poſsit troporum luminibus variare, inſignibus figurarum exornare, modulatione vocis permulcere, dignitate geſtus excitare: quæ quidē maxima virtus & ampliſsima eſt. Vides Marce Tulli, quomodo diſputem: non abutor Platonis, vel Ariſtotelis, vel Iſocratis, vel hominis cujuſquam opinione vel authoritate: cauſſas rerū ſummas & primas ab imis fontibus repeto, & quod Apollo tibi quondā reſpondiſſe dicitur, naturā potius ducē, q̄ multorū opinionē ſequor: artes præceptis & inſtitutis ſecernen-

& minus attenti diſtincta & diviſa haberent, & bona, quæ ſequerentur, & mala, quæ declinarent. Quamobrem utranque diſputationem (quia tua deſcriptio poſtulat) conjungemus, atque ita diſſeremus, ut firma ratione ſingulis de rebus contendamus, teſtimonia dubia & incerta nulla proferamus. Age itaque miſſas opiniones hominum faciamus: rem, naturam, veritatē ſpectemus: adhibeamus eam in diſputando artem, quæ regulam veri falſique judicandi præbeat, ejuſque legibus pareamus. Regem quendam fori, actoremque cauſſarum excellentem cogitas, & omnibus laudandis artibus informas, ut ſit & dialecticus, & ethicus, & phyſicus, & iureconſultus, & hiſtoricus & orator: denique illo doctrinæ velut orbe, (quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν appellant) rotundus atque perfectus: hoc totum, ut dixi, laudo: attamen quam tot artium doctrinam explicas? Tria nobis imperas, ut doceatur, delectetur, moveatur auditor: ad ea multas egregias facultates, multa inſtrumenta comparas: at quomodo facultates iſtas, quomodo hæc inſtrumēta declaras? hominis naturam deſcribere propoſitum ſit, definieris igitur ut oratorem, ex officiis: tum dicas ſingulares ad hæc officia & animi & corporis à natura dotes eſſe: nónne ut inſtituto ſatiſfacias, & hominis naturam declares accuraté, animi, corporiſque & facultates, & partes ad extremum declarādæ erunt? Sic, opinor: nam ſi brachiū aut de membris aliquot duntaxat unum attigeris, cætera contempſeris: certé non expoſueris cauſſas proprias & neceſſarias, quibus hominis natura contineatur. Domus definiatur, cauſſæ quibus efficiatur & componatur, enumerentur: fundamentum, cella, paries, triclinium, cubiculum, tectum, & reliquæ, quibus domus integra ſolet inſtitui: tum veró ſi parietem unum utcunque ædifices, deſignata cætera relinquas: rideberis, non domum compoſuiſſe videberis. Conſtet igitur iſtud, & concludatur,

Omnes propriæ cauſæ quibus artis rhetoricæ finē conſequimur, in arte ipſa ſunt explicandæ.

Philoſophia & Dialectica & Ethica & Phyſica, item Leges & Hiſtoria, poſtremó Rhetorica ſunt cauſſæ quibus oratoriæ artis finem conſequimur, nempe ut docendo, delectando, movendo bene dicatur: Et tu omnes iſtas cauſas poſt oratorē definitum, & iſto ordine recenſes.

Quare ſi definiti à te oratoris artem velis explicare, neceſſe eſt ut omnes artes illas explices.

At architecto illi ſimilis es: magnificā eloquentiæ domum deſcribis: partes Philoſophiam, Leges, Hiſtorias, Rhetoricam deſignas: cùm ædificium inchoandum eſt, parietem rhetoricum ſcilicet erigis, & pro tam multis artibus minimam omnium inſtituis. Hîc igitur tibi, M. Cicero, vehementer & acriter reſiſto, atque hoc judicium tuum eſſe pernego: ſcholaſticas opiniones magiſtrorum tuorum eſſe confirmo. Nunquam enim mihi perſuaſeris æſtimatum & judicatū à te eſſe, quomodo iſta dicerentur: totum corpus artium omnium complectens initio, membrum tandem unum cæteris omiſsis retines. Ciceronis igitur judicium eſſe tam inconſtans & imbecillum nunquam putabo. Qui error magnus & abſurdus eſt: Multæ ſunt, ais, ad orandas & diſceptandas civium cauſſas artes neceſſariæ, Philoſophia, Leges, Hiſtoria, Rhetorica: Rhetoricam poſtremam cæteris omiſsis ſolam interpretaris: hoc eſt cælum, aerem, aquam, terram polliceri, ſolam terram præſtare. Veruntamen age, dixeris, quod probare nemini intelligenti poſsis, plus Rhetoricam artem, quàm Hiſtorias & Leges, & Philoſophiam ad tractandas & expediendas civiles controverſias valere, & idcirco de Rhetorica præcipiendum fuiſſe, de cæteris duntaxat admonendum, quia hæ tanquam famulæ & adminiſtræ ſunt, illa autem domina. At, mi Cicero, quàm nihil iſta procedet ratio? quàm nihil errorem primum adjuvabit? Eſt enim plané ridiculum Rhetoricam cum Philoſophia, Legibus, Hiſtoriis ita comparare. Sed finge quod falſiſsimum & ineptiſsimum eſt, eſſe tamen aptiſsimum & veriſsimum. Sic Rhetorica domina & princeps artium reliquarum, & idcirco de ea præcipiendum orandarum cauſſarum doctori & magiſtro. Quid ſi doceo Rhetoricam neq; in hoc oratore, neq; in cæteris oratoriis tuis libris à te legitimis partibus informari, ſed alienis permiſceri, nónne tua iſta defenſio corruet? At ſpondeo, recipio, ꝑmitto, cōfirmo (quod adverſus Ciceronē niſi clariſsima veritate motus nunquā dicerē, crimenq; levitatis & incōſtan-

tuæ pertimeſcerem) recipio, inquam, & confirmo me probaturum, in omnibus tuis libris totam iſtam τεχνολογίαν infinitis partibus imperfectam. De hoc uno libro tantum loquar, locos tamen (qui ſunt in cæteris tuis libris) eoſdem diſputabo. Diſputavi adhuc breviter & ſummatim facultatem oratoris, ſi hoc nomine forenſium & civilium cauſſarum actorem ac diſceptatorem, id eſt multarum & variarum artium hominem intelligi vis, à te non demonſtrari, non informari: deinceps etiam ſi malis oratorem ut grammaticum, ut arithmeticum unius certæ diſciplinæ hominem dicere, ne quid in ambiguitate nominis hujus occultum relinquatur, diſputabo, oratoris virtutem à te non legitimé perpendi atque æſtimari. Itaque de Rhetoricæ artis confuſione tecum vel potius cum magiſtris tuis certamen deinceps inſtituo: de egreſsione, repetitione, jactatione ubi ſeſe locus in libro tuo oſtenderit (nequid hic turbetur) tum dicam. Atque ut tota res via & ordine procedat, de Rhetoricæ artis propria & legitima ratione, primúm quæramus. Omnes artes, omnes artifices ex rebus ſibi proprié ſubjectis exponantur neceſſe eſt, non ex alienis, non ex communibus adumbrẽtur: Rhetoricã unam quandam & ſingularem artem de liberalibus eſſe volumus. Hæc ars igitur & hujus artis artifex ex materia ſibi proprié ſubjecta definiatur. Diſtinguamus Rhetoricæ artis materiam, & à cæterarum artium materia dividamus, ut conſtet quod ejus proprium ſit, ut omnis omnino confuſio tollatur: quod Grãmaticis præceptis doceatur, id rurſus in Rhetoricis non miſceatur: quod in Rhetoricis inſtituatur, à Dialecticis non attingatur: breviter artium omnium fines & inſtitutiones ſeparentur: uſus tamen conjungatur: ſicuti in hominum fundis & agris fieri videmus: ut meus ager in tuum non incurrat, nec tuus incidat in meum: rerum tamen noſtrarum vendendo, emendo, permutando uſus communicetur. Quin illam Solonis legem (quam dicitur Athenĩeſibus tuliſſe) nobis proponamus. Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύξῃ, τὸν ὅρον μὴ διαβαίνειν. ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολείπειν. ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας. ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν, ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν. ἐλαίαν δὲ ἢ συκῆν, ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν· τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας. Sic igitur de ſapientibus ſapientiſſimus ille Solon, Siquis ad alienum (dicam enim rurſum, & quidem ſi potero Latiné) fundum ſepem conſtituerit, extra terminum ne excedito. Si murum, pedem relinquito. Si domum, duos pedes. Si ſepulchrum aut ſcrobem effoderit, quanta ſit altitudo, tantum relinquito. Si puteum, paſſum: ſi oleam aut ficum, nouem pedes ab alieno plantato: cæteras arbores, quinque pedes: Hanc igitur diſtinctionem finium, quæſo te, bona fide meditemur, & unicuique quod ſuum eſt, attribuamus. Duo veró ſunt univerſa deorum munera hominibus tributa, unde alia feré omniã profecta ſunt, ratio & oratio: rationis doctrina, Dialectica eſt: ideoque quicquid rationis ac mentis propriũ fuerit, quod ſine ratione tractari & exerceri poſsit, id proprié dialecticæ arti attribuito. Rationis duæ partes ſunt, Inventio conſiliorum & argumentorum: eorumque judicium in diſpoſitione enuntiati ſyllogiſmi & methodi: diſpoſitionis umbra quædam eſt memoria: quoniam iſta omnia in hominibus mutis, & omni orationis facultate carentibus inſunt. Nam & res cogitant, & judicant, & meminerũt, & omnes omnino homines hæc aliquando tacendo melius, quám dicendo faciunt. Tres itaque partes illæ, Inventio inquam, Diſpoſitio, Memoria, dialecticæ artis ſunto. Orationis laudes ad iſtam regulam metiamur, & grammaticæ primum ſuas partes aſsignemus. Puritas autem ſermonis eſt, & elegantia: quæ perſpicitur in ſingulis verbis ex etymologia, in conjunctis ex ſyntaxi. Hîc grammaticæ fundus totus & proprius eſto: Dialectica hîc, neque Rhetorica quicquam ſuum ducito. Quid ergo? quid Rhetoricæ relinquetur? non elocutio ſolúm in tropis & figuris (quam tamen ſolam hîc putas oratoris eſſe propriam) ſed actio. Hæc Rhetoricæ virtus & propria & ſola eſt, ut poſsit troporum luminibus variare, inſignibus figurarum exornare, modulatione vocis permulcere, dignitate geſtus excitare: quæ quidẽ maxima virtus & ampliſsima eſt. Vides Marce Tulli, quomodo diſputem: non abutor Platonis, vel Ariſtotelis, vel Iſocratis, vel hominis cujuſquam opinione vel authoritate: cauſſas rerũ ſummas & primas ab imis fontibus repeto, & quod Apollo tibi quondã reſpondiſſe dicitur, naturã potius ducẽ, quàm multorũ opinionẽ ſequor: artes præceptis & inſtitutis

ſecernen-

ſecernendas eſſe doceo: uſu tamẽ conjungi volo. Sic enim fiet, ut facilius ita diſtinctæ cognoſcantur, & ad earum uſum brevius perveniatur. Quamobrẽ cũ Rhetoricæ fines elocutionis & actionis partibus concludantur, orator nobis definiendus eſt bene dicendi peritus: bene autem & ornatè dici & elocutionis & actionis virtute. Hoc verò fundamentum ſententiæ meæ de principio tibi propono, ut inde reliqua diſputatio deducatur. Tu verò, Marce Tulli, quomodo propriam oratoris facultatem, qua via propriam ejus virtutem inquiris? Attende quæſo, & conſidera quantum judicio tuo deferam, quàm nihil detraham: eadem planè via ad inveſtigandam oratoris ſpeciem tibi progrediendum judicaſti, qua ipſe paulò antè progrediendum judicavi: ſeparanda cenſes & ſecernenda omnia eſſe quæ communia ſunt, id ſolum quod proprium ſit oratoris, in ejus definitione & doctrina retinendum: vide quàm conſentiant, & propè conſpirent cogitationes & ſententiæ noſtræ. Definiendum oratorem ex artis ejus propria, & à cæteris artibus diſtincta materia judico: tu communibus omnibus rejectis ex eo quod proprium relinquetur, definiendum oratorem judicas: judiciũ igitur noſtrum unum & idem eſt. At dum ſcholaſtica Ariſtotelis maximè, deinde aliorum quorundam rhetorum decreta ſequi vis, totus à teipſo diſſides, & infinitè à propoſita via aberras: actionem enim rejicis, quæ propria tamen eſt: Inventionem, Diſpoſitionem, Memoriam, quas ut improprias rejeceras, attamen ſicuti philoſophiam totam & leges & hiſtorias retines, & omnes undique collectas quiſquilias admiſces: ut ſi in media libri tui parte uſque ad elocutionis præcepta longiſsimam orationem, quæ & oratoris inveſtigationem præcedit, & quæ de oratoribus & ſophiſtis eſt, & quæ de partibus eloquentiæ uſque ad oratoris definitionem tractatur, & quæ deinceps ad inventæ definitionis exornationem adfertur: tot enim partis primæ libellos, ſi vis, faciamus: ſi inquam ſingula iſta expendere mecum, & ſubductis rationibus æſtimare volueris, intelliges profectò te nulla de re fruſtrà aut temerè à nobis admoneri. Etenim Marce Tulli, cùm nos ingentis cuiuſdam muneris expectatione ad oratorem cognoſcendum excitaſſes, cogita quàm ad proluſionem tribus egreſsionibus abutare. Quæſtionem ponis, quid orator perfectus ſit, derepentè nulla re definita: poſitæ quæſtionis immemor, de via diſcedis, & ab ea longiſsimè aberras. An hoc eſt acutè & conſtanter, quod propoſueris, explicare? an hoc eſt in docendo dialecticorum conſiliis & legibus obtemperare? Egreſſioni locus conceditur aliquando longiore diſputatione fatigatis, ut in iſto, tanquam amœno diverſorio requieſcant: at nihil adhuc interpretatus es. Atque hoc primum egreſsionũ tuarum exemplum eſto: egreſsiones iſtas videamus: neque enim ſolùm egreſsionis genus ipſum totum non probo, ſed in partibus permulta magis concinna, quàm neceſſaria video. Prima egreſsio nos ad bene ſperandum incitat, & quaſi ſigno quodam ſublato cohortatur exemplis poetarum, philoſophorum, pictorum, ſtatuariorum, oratorum. Verùm quid iſta cohortatione tam bella, tã magnifica, tam ad eloquentiæ jactationem compoſita nobis opus fuit? Exordio nos antea tibi conciliaſti: quia noſtro amore adductus, iſtam diſputationem ſuſciperes: nos mirabiliter excitaſti, quia rem tantam tractare te diceres, quantam non modò facultate conſequi difficile eſſet, ſed etiam cogitatione complecti: nos ad audiendum & cognoſcendum ſapienter inſtituiſti & comparaſti, quia quo de agitur proponendo declaraſti: poſt exordium tam diligens & accuratum quid rurſus egreſsione iſta ſolicitandi & cohortandi fuimus? Dic quæſo tute ipſe, & tanquam de te ipſo judex ſtatue: nunquid aliter de Rhetorica arte, aliter de Milone dicendum exiſtimas? In explicandis diſciplinæ rationibus & decretis auditorẽ habes ſua ſponte vel potius utilitate ad audiẽdum comparatum: In cauſſa Milonis ignarus fortaſſe judex eſt ac negligens, aut alienus, ut omnibus modis excitandus ſit: attamen in ipſa Milonis cauſſa quis tantas oratoris delitias ferret, quantas in diſputatione de arte & doctrina hîc tibi permiſiſti? Sed tamen in his delitiis perſeueras, & me à prima egreſsione in ſecundam vocas: & Ideæ nomine Dialectica quædam definiendi præcepta valde obſcurè & ineptè tractas. Quid verò ſi in explicanda grammaticorũ doctrina dialecticas præceptiones iſtas traderem, annon ridiculè & imprudenter facere judicarer? certè. Ar-

tes ſiqui-

res ſiquidé ordine docendæ ſunt, nec poſterioris pręcepta in prio1e miſcéda ſunt: atque rhetorica ut grámatica, prior eſt cognitionis ordine, quám dialectica. Quare temeré in rhetorica diſpotatione, dialecticorum decreta miſceri non decet. Nec veró ſine ratione teſtimonium vel Ariſtotelis (qui tantam rhetoricæ confuſionem vel peperit, vel auxit certé) vel Zenonis nobis objiciatur: quód rhetoricæ ex altera parte reſpondeat Dialectica. His cómétitiis ſomoiis poſtea reſpondebo: dicis te judicij quicquid habueris, huc cõtuliſſe: judicio itaq; tuo, nõ alieno arbitrio mecum contende: nec per alienos oculos de coloribus ſtatue. Non utar in hac diſputatione opinionibus, vel ſententiis hominis cujuſquá. Quare miſſos facito teſtes illos mutos præſertim, & nullam ſententiæ ſuæ rationem reddentea: non utar inquam teſtimoniis, niſi forté tuis: quia tu repudiare tuum ipſius de te teſtimonium judiciumq; nõ poſsis. Teipſum igitur potius vel in hoc opere præciplentem audi, totas inventionis artes Philoſophię attribuentem: hic enim primúm ais, Nec veró ſine philoſophorum diſciplina genos & ſpeciem cujuſque rei cernere, neq; eá definiendo explicare, nec tribuere in pártes poſſumus: nec judicare qoæ vera, quæ falſa ſnot: neq; cernere conſequentia, repugnantia videre, ambigua diſtinguere: tum deinde ſcribis, Invenire & judicare eſſe magis propria prudentiæ, quám eloquétiæ. Prudeniiam autẽ illam Dialecticam in topicis poſtea editis ſignificas te dicere: ubi Dialecticæ partes ais duas eſſe, Inventioné & Iudicium. Omiſsis igitur fallacibus & captioſis Græcorum hominũ cõmentis, crede veritati, qnam ex artium diſtinctione anté demonſtravi: crede tibi veriſsimé ſentienti inventionem Dialecticæ artis propriá eſſe, quia rationis ſit: non eſſe autem Rhetoricæ, qnia nihil ſit orationis: crede veriſsimo contra ſecundæ, egreſsionis tuę culpá ſyllogiſmo: Artes ordine docẽdæ, nec decreta poſterioris in priore ponenda ſunt: Rhetorica eſt ordine docédi prior, Dialectica poſterior: quia ſioe hac illa & doceri & percipi poteſt, hæc ſine illa nó poteſt: Dialecticę itaque præcepta in Rhetorica arte ponenda non ſunt. Ad Solonis legé redeamus, artium fines regamua: extra terminos ne excedamus. Sed quoniá ſecúda de ideis egreſsio videbatur obſcura & aliena, tertia rurſus egreſsione vagaris & erras, ut ſecũdam excuſes. Obſcura te & nova dicere ais, ſed pleriſq; imperitis, credo, cúm pervetera dicas. Rudes nempe & ignaros rerũ exiſtimas, qui Platonis ideas ignorẽt á Platone ipſo vel nõ intellectas, vel tam obſcuré declaratas, ut qui ipſum audierint, nihil certi de his tenuerint: ſed alij alio diſtracti, partim omnino deriſerint, partim diſsimillima ratione ſint interpretati. Ná & eas Ariſtoteles modis omnib. labeſactavit: & ex his qui Platoné magis amaverunt, alŋ quædam rerũ ſingulariõ, quæ á Deo procreantur, æterna exempla ideas appellant: alij qui minus abſtruſi, et ad hominũ intelligẽtiam magis accõmodati eſſe voluerunt, qualis interdũ eſt Ariſtoteles, generales rerum & perfectas notiones hoc nomine definierunt. Itaq; intelligis non ſolúm indoctis, ſed eruditis quoq; hanc idearum doctriná perobſcurá videri. Quare cúm in omni oratione grave peccatũ ſit rem propoſitá non conſtáter perſequi, ſed res alienas agere: quáto gravior erit culpa, ſentẽtias præſertim alienas vix, ac ne vix quidem ſuis authorib. cognitas admiſcere? Sed tamé obſcuritas quám veré reprehẽdatur, iam intelligis: videamus quo jure quod alienum ſit, poſsis uſurpare. Philoſophia, inquîs, eſt oratori neceſſaria. Quid tum? non eſt igitur, inquies, alienum in explicãdo oratore de philoſophiæ legib. & inſtitutis pręcipere. Deũ immortalem, qualis dialecticus es M. Tulli? Adeſte potius dialectici, utrumq; hujus & argumenti & argumentationis mecũ ex artis veſtræ decretis æſtimate. Vtrumq; enim vitioſum eſſe cõtendo, ac primó argumentũ, Philoſophia eſt, (ais) oratori neceſſaria: imó veró, eloquẽtia potius eſt philoſopho neceſſaria. Redeamus ad illũ ſuperioré, ꝑximó docédarũ artiũ ordiné, Nõ ſunt antecedẽtib. artibus cõſequẽtes neceſſariæ, qa ſine his illę ꝑcipi poſſunt: alioq fruſtrá prius Inſtituerentur: Rhetorica antecedit, Philoſophia ſeqoitur: Non eſt igitur Rhetoricæ Philoſophia neceſſaria. Quare nihil te præclara iſta ratio (cúm falſa ſit) adjuvat. At oratoré non illum vulgaré, ſed perfectiſsimũ & doctiſsimũ hominé, & omnium artiũ participem, credo, deſcribis. Intelligo, inquá, & iſtam confuſioné in te reprehẽdo: quód unius artis nomine alias pené om-

nes artes cóprehendas. Politicú quédam virum omnib. partibus abſolutum informare vis, & hunc oratorem vocas: in quo vehementer erras. Plato cúm iſto modo perfectum reipub. moderatoré deſcriberet, nõ dubitavit eum omnib. diſciplinis inſtruere, ut magnificum quendã & præclarũ ducem faceret: is tamen longé aliud eſſe exiſtimavit, artem tradere, aliud artibus variis præſtãtem in republica virũ ornare. At tu longé ſecus. Cúm enim velis excellentem iſtũ civem fingere, qui cauſſas civium ſuorũ oratione tueri, qui conſilia reipub. utilia interpretari, qui deniq; poſsit in omni genere civilis oratiõis decoré verſari: hunc tu nõ populi magiſtrũ, nõ reipub. gubernatoré, nõ regem, nõ dictatorem ampla & nobili appellatiõe, ut decebat, appellas ſed pueriles exercitationis & doctrinę nomine vocas oratoré. Verúm aliud eſt civem perfectum, aliud oratorem perfectũ definire. Oratoris veró perfectio quæcunq; poſsit eſſe, oratoriæ artis virtute propria metienda eſt. Sic enim artium omnium finis ex earũ inſita & propria facultate æſtimandus eſt. Grãmaticus eſt perfectus, qui cõſequutus eſt quicquid grãmaticæ artis præceptis cõtinetur: ſi Rhetoricæ, ſi Dialecticæ, ſi Philoſophiæ univerſæ cognitionem adjunxeris: homo quidem perfectior erit, grãmaticus perfectior nõ erit. Grãmaticæ enim finis & perfectio nõ pendet á rebus externis & extrinſecus poſitis. Perſuadere non eſt finis & perfecta ſummaq; laus oratoris. Quid ita? quis id in eventu fortuito ſitum eſt, quem ars ſua vi præſtare nõ poteſt: ſed bene dicere: quod elocutionis et actionis virtute cõprehenditur. Gubernator bonus tẽpeſtate abreptus navem ad portũ non perduxerit, dicet tamen notũ illud, dũmodo rectũ clavum teneãt neci-deo gubernatoris laude exciderit. Cõſtet igitur artiũ omniũ finem, id eſt perfectionem & abſolutioné propriis earũ virtutibus contineri, ac iá totum ſyllogiſmũ cõcludamus: Virtus oratoriæ artis eſt elocutio & actio. ut in principio poſui, & poſtea rurſus dicam. Oratoris aũt perfectio eſt ex artis oratoriæ virtute: Oratoris igitur perfectio eſt ex elocutione & actione. Animadvertis quomodo diſputé? quomodo te refellam? Cauſſas rerum primas ab origine revoco: Dialecticá ἀπόδειξιν, nõ captioſum elenchum adhibeo: neminem Ariſtotelis errore in erroré induco, firmo & conſtanti judicio rem pondero. Itaq; qui dicendo & tropis & figuris res propoſitas ornare, qui & voce & geſtu decoré pronuntiare didicerit, illum ego perfectũ oratorem veriſsimé nominabo. Quales in Græcia permulti, ſed imprimis Demoſthenes: quales in noſtra civitate cúm alij quamplurimi, tũ infinitis partib. ante oẽs alios tu, tu inquã, M. Tulli, conſidera iam quomodo vitiis tuis refellendis virtutes tuas extollam. Quæris eloquentiæ perfectæ laudem? eã veró pleniſsimã tibi, veriſſimamq; cõcedo: neq; hic tamé errorem aut vitiũ ullum tuũ eſſe puto, ſed Ariſtotelis cõfuſionem iſtã judico, qui primus in rhetoricis artibus philoſophiã docuit, idq; ſe feciſſe etiã gloriatus eſt initio rhetoricæ artis, ubi veteres reprehendit ſophiſtas, qui de dialecticæ inventionis facultate nihil in rhetorica præcepiſſent: quare ne teſteris judicij quicquid habueris, id omne huc collatũ eſſe: nunquã M. Bruto probaveris, tã leve Ciceronis eſſe judicium. At dices te illum neſcio qué abſolutum quærere, cui nihil addi poſsit, quem nunquã vidit Antonius: qui omnino nullus unquam fuit. Depone quæſo te, M. Cicero, vanã iſtam & confuſam græculorum hominũ, vel, ſi mavis, imperitæ plebis opinionem: hoc enim judiciũ tuũ nõ eſt. Vocavit Athenienſis populus eos homines oratores, qui cauſſas civiũ agerent & diſceptarent: quibus hominibus meritó putas multas artes attribuendas eſſe. Verúm redi ad illũ diſtinctionis fontem tibi propoſitum: hunc errorem vulgi repudiabis. Et quidem quæris perfectum oratorem, cui nihil deſit: ſed admodũ ridiculé. Primũm id quæris quod eſſe nullo modo poteſt. Nulla hominis cujuſquam natura perfecta eſſe poteſt, nulla ars, quoniã naturá imitatur, perfecta eſſe poteſt: nulla exercitatio perfecta eſſe poteſt: ſic ut addi nihil poſsit, cúm vita hominis tã brevis ſit & incerta. At orator, imó veró omnis artifex tribus ex illis rebus cõſtat. Orator igitur pefectus eſſe nullus poteſt: ſicut addi nihil ei poſsit. Quid quæris igitur, quod inveniri non poſsit? quid igitur diſputas, quod arte teneri nõ poſsit? An veró iſtam tuã Ariſtotelicã artem, tam vanã, tam confuſam, tam falſam, ut demonſtrare iam cœpi, et demonſtrabo, oratoris illius tã perfecti artem audebis affirma-

re,

re, ut eá quoq; tam perfectá dicas, ut addi nihil ei poſsit? Ná ſi tam numeris omnib. abſolutú oratorem intellexeris, planeq; cóprehenderis, neceſſe eſt ut tu cauſſas quoq; illas & naturæ, & artis, & exercitationis pervideris, quibus ad tantá illá perfectioné perveniri poſsit. At hoc nefas eſſe doceo: illud igitur. Poeticus eſt iſte furor, Marce Tulli, quo te potius in hanc cogitationé impulſum, quám firma ratione adductum ſentio. Admirabilis videri voluiſti: nova quædam & inuſitata fuerunt promenda: trita & uſitata contemnenda. Itaq; tanquá prodigij cujuſdá inſtar negaſti oratorem perfectum reperiri in Græcis aut Latinis oratoribus: quaſi veró facilius ſit iſto modo perfectum grammaticum, perfectum dialecticum, perfectum medicum, perfectum deniq; in ulla alia arte virum inuenire, quám in Rhetorica, aut omnino id fieri poſsit, cúm ejuſmodi perfectio (ut dixi) ex tribus cóſtet rebus, natura, arte, uſu, quarú nulla unquá fuit, vel erit in homine perfecta. Poëtica, inquam, ſunt iſta miracula, plena, quidem puerilis admirationis, prudentiæ veró ac veritatis inania. Quare ut tádem pars iſta peroretur, Philoſophia eſt (ais) oratori perfecto neceſſaria: argumento plané falſo uteris, tum veró deinceps cóplecteris: nó eſt igitur alienú de philoſophiæ præceptis in arte Rhetorica dicere, Ariſtotelico ſophiſmate deciperis: judicio tuo nó uteris. Enimvero non eſt iſtud, nó eſt inquá, mihi crede, vel ipſius dialecticæ, de qua loquimur, judicio cóſentaneú. Animadverte enim mecum, & attente conſidera, quid tuis iſtis veſtigiis poſsimus efficere: Eſt neceſſaria Grámatica oratori, dialectico, arithmetico, geometræ: imó veró fac omnes artes omnib. utiles ac neceſſarias eſſe: alienum igitur nó eſt in Arithmetica de loquendi regulis, aut in Grammatica de numeris præcepta dare? Quis, obſecro, tá abſurdam cóclusionem feret? Atqui Dialecticæ propriú eſt leges definiendi dare. Cur igitur in quæſtione de perfecto oratore dialectica præcepta explicantur? cur nó ſuis locis potius diſcutitur? Artiú enim omniú quávis uſus in humana vita cómuni quodá quaſi vinculo nexus cójunctuſq; ſit, inſtitutiones tamé diſtinctæ eſſe debét. Quamobré percipis, opinor, in hac utilitatis & neceſsitatis ratione, quám vehemeter Ariſtoteles tuus erret, quantá errandi occaſionem ſimplicibus et imperitis pateat. Ná ſi puer á Grámaticis inſtitutus ad rhetoricas tuas artes ſe conferat, tanquá proximas his unde venerit, admirabitur in his libris ita de philoſophia dici, quód ea formet oratorem, quód ex Academiæ ſpatiis, nó é rhetorú officinis talis orator extiterit, quód Pericles, quód Demoſthenes á Philoſophis tales oratores ſint effecti: tum rhetoricis ſtudiis omiſsis (quæ videt ſine philoſophia percipi non poſſe) tibicinis Latini modo ad philoſophiam tranſibit, ut Rhetorica, quæ abs te ſæpe famula & adminiſtra ſapientiæ dicitur, nunc videatur ejus domina conſtitui. Hac ambitione có motos in omnib. feré artiú ſtudijs homines quoſdam vanitatis cupidiores, quám veritatis videmus. Scribit hic de arte poëtica? ſur perfectum (quem ſomniat) poëtá effingat? omnes ei doctrinas attribuit. alius medicum perfectum cogitat? nullá diſciplinam medico nó ſubjectam affirmabit. ullus grámaticum abſolutú deſcribit? omnia hominum inventa grámatici cognitione comprehenſa eſſe contendet. Deniq; ſi coquus aliquis de arte ſua loquatur, ut ſe beatú & glorioſum efficiat, nihil erit, quod iſto jure ſibi arrogare non poſsit. Utinam, Marce Tulli, ineptias iſtas aliquando tá libenter abjicias, quám ego veré ac conſtanter refutabo, deſines certé Ariſtotelia argutias impoſterum tá vehementer admirari: deſines iactari te, judicij quicquid habueris, huc cótuliſſe: cúm hiſce de rebus omnino leviſsimé credideris, nihil omnino judicatis. De oratore nihil adhuc audivimus, luſimus tantú, tres egreſsióes habuimus, quám leues, quám vix joculatoriae, quoniam vides, nihil acerbius renouabo, neq; dicam Aſiaticæ ubertatis oblectamentú hoc eſſe, nó Romanæ gravitatis judicium: eloquentiam Ciceronis in toto genere orationis in verbis, in figuris, in nobilib. & eximiis exemplis argumétorú magnificentiá vel in cælo pono: magiſtrorú, qui te iſto modo quæſtiones propoſitas tractare docuerút, requiro prudentiá. In ſcholá oratoris abs te invitamur, interim viridarium occurrit; eó voluptate pellecti trahimur: horti propinqui nos oblectarunt, & illuc percurrimus, ſunt circá rigui fontes, amœnitate illi quoque ſua nos pellexerunt.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER II. DE GRAECIS & Latinis oratoribus & ſophiſtis.

VEruntamē heus tu in viam redeamus, vel potius viam ineamus: quoniam nondum ingreſsi ſumus, & digrediamur ab his glorioſis digreſsionibus: & quod ſecundum in prima reprehenſione poſitum eſt, ad oratoris inquiſitionem ex Latinis & Græcis oratoribus & ſophiſtis, aliquando veniamus. In quo primùm & odioſam proœmij repetitionem, & oratoris definitionē (quæ tamē inveſtigatur oratione tam prolixa) initio poſitam eſſe video. Inveſtigemus hunc igitur, ais Brute, quem nunquā vidit Antonius. Nónne re vocatur huc exordium, quod initio fuerat? & idem difficultatis argumentū iteratur? Atq; hic repetitionis exemplū primū deprehendo & cōmōſtro, ne falſo te in repetitionibus nimium à me dici putes. Agé porrò qualiſnam hęc oratoris eſt inveſtigatio? nónne definitur initio inveſtigationis quod inveſtigandum proponitur, ut inventus iam ſit orator ille priuſquā inveſtigetur? Tria dicendi genera, ſubtile, moderatum, grave definis: quibus oratorem peræquè excellentem, perfectū eſſe dicis: minus apertè quidē, ſed tamen hoc loqueris, cúm ais, Tria ſunt omnino genera dicendi, quibus in ſingulis quidam floruerunt: peræquè aūt id quod volumus, perpauci in omnibus: tū genera hæc tria definis: quid inquā, tribus illis ſignis propoſitis, nónne perfecta eloquentiæ idea quā volumus, fingitur & informatur? Et tamen tandē poſt indagationē longiſsimā idem nos reperiſſe gloriamur: quaſi nō fuerit illud initio repertum & definitū. Recognoſce igitur, quæ oratio tua fuerit, & aude affirmare nō eſſe prorſus eadē pronūtiantis, quæ nobis initio ſigna hæc tria ſignificaverant: cōplectar brevi (ais) differā pluribus: is eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna graviter, & mediocria tēperatè poteſt dicere: at nūc doces tria eſſe dicendi genera, ſubtile, grave moderatum: quibus in omnibus qui peræquè præſtiterit, eum eſſe oratorem, quē volumus: definitū igitur oratorem tenemus, quem quęrimus. Tenemus, inquies, animo, reipſa nō tenemus. Bene res habet: perfectæ eloquentiæ ſpeciē & definitā veritatem mente & intelligentia cōplexi ſumus: effigiem & exemplum auribus quęrimus: cur igitur tādē exclamas, quaſi novi aliquid poſt longiſsimā diſquiſitionē inveneris? Tenemus igitur Brute, quē quærimus, ſed animo: nā mano ſi cōprehendiſſem, ne ipſe quidē ſua tāta eloquētia mihi perſuaſiſſet, ut ſe dimitterem: ſed inventus eſt profectó eloquēs, quē nunquā vidit Antonius. Hæc eſt geſtientis & exultātis exclamatio, teq; ipſum nō mediocriter accuſantis. Inveſtigare paras oratorē magnis & moleſtiis itineribus: at iā inventus eſt. An veró dicere iam audebis, quicquid de dicēdo judicij habueris, huc te contuliſſe? An nō fabulam aliquā populo dare volumus ruſtici cujuſdam aſellū, in quo inſideat inquirentis, tandemq; poſt multos errores, cúm forté ex longa ſolicitudine ſeipſum collegerit, & auriculas aſelli aſpexerit, ſibi de reperto aſello gratulātis? tua enim iſta perſimilis eſt indagatio. Collige, quæſo te, & conſidera qualis inveſtigatio tua ſit, & poſitis ante oculos harū rerum exemplis, noli pertinaciter honori ac gloriæ tuæ repugnare. Dico te errare in hac oratoria explicatione, errores oſtendo: redi in viam. Atq; etiā definitionē tam alienā & impropriam cognoſce. Etenim iſta generū partitio, quibus oratorē definis, rhetoricæ nihil eſt, niſi quod ſubjecti proprium eſt, adjūctis rebus attributis: nec enim gravitas, ſubtilitas, mediocritas orationis ex elocutionis ornamentis oritur, ſed é rebus ipſis, quæ elocutione tractantur. In comœdia ſunt omnes tropi, omneſq; & ſententiarū & verborū figuræ, ſicuti ſæpe ſunt, & in omni materia adhiberi poſſunt (nullus enim tropi modus eſt, nulla ſpecies figuræ vel in verbis, vel in ſententiis, quæ in parvis & mediocribus & magnis rebus aliquando adhiberi nō poſsit, & Rhetorica eſt doctrina bene dicendi nō de hac, aut illa re, ſed communiter de omnibus, & totius elocutionis ac totius pronuntiationis ornatus pro conditione rei ubiq; poteſt adhiberi) ſed tamen in comœdia ſunt, ut dixi, hæc omnia: ſummiſſa tamen hæc appellatur oratio: ſint hæc eadem genera in tragœdia, ſublimis: ſint in re moderata, mediocris. Ergo rerum varietas non elocu-

elocutionis hanc diſtinctionem partitionemq; facit. Finge comicã Proſopopœiã, humilis erit: fac Proſopopœiam tragicã, ardebit: idem tamen figuræ genus eſt; ſed illius materiæ velut humiliori ſono, languidius: hujus graviore fortius inflatur. Hoc modo ſyntaxis grammatica acuta, mediocris, incitata: hoc itẽ modo ſyllogiſmus & ſubtilis & vehemens & moderatus diceretur. Quare partitio iſta elocutionis (unde tamen oratorem tã mirabilem fingi vis) propria nõ eſt: nec hinc idcirco definitur ꝓprié & legitimé orator. Sed obliviosi ſimus, ne recordemur, qđ quætimus, repertum eſſe: oratorem quẽ inventũ amiſimus, requiramus: aut exemplum & effigiem oratoris inveſtigemus, ſi tamẽ ipſum ratione & cogitatione informatum tenemus: at hoc antea falſum eſſe docui. In Romanos oratores, atq; in meipſum imprimis digrederis: digrederis, inquã, & quidem quarto loco digrederis, ut iſtis tot jam exemplis intelligas, cur in egreſsionibus non ſatis cõſtans nobis videare. Et quoniã nos Attici eſſe & videri volumus, & inanem quandã verborum profluentiã in te deſpicimus, imperiti tibi videmur. Atticos oratores laudas, in quo tibi libenter aſſentior: eorum genera (quos accuſas) tria facis, Lyſiacos in acuto, Thucydidios in gravi, Xenophõteos in mediocri genere deſcribis: qua partitione videor abs te eſſe liberatus, & reprehenſione nominis hujus exceptus: neq; enim in eorum genus unum me (opinor) includis: quia nullum ex his ſolũ imitandũ mihi propoſui. Itaq; qui primo illo de Atticis ſermone cómotus, tecum pugnare & contendere parabã, nunc me ad tuã ſententiam adjungo aggregoq;: hanc tamen Atticorum noſtrorũ partitionẽ rhetorica licentia mihi videris fingere, ut á liás fortaſsis andies: & ſimul vereor id unum vt tibi poſsim concedere, quód Thucydidis oratiões ſic attentues, ut nihil ab ea poſsit ad oratorem transferri. Nam tú ipſe reminiſcere, quæ apud te de illo viro, cúm de hiſtoricis agit, loquatur Antonius. Thucydides, ait, omnes dicẽdi artificio facilé vincit: quia ita creber eſt rerũ frequentia, ut verborum propé numerũ, ſententiarũ numero conſequatur: ita porró verbis aptus & preſſus eſt, ut neſcias utrum res oratione, an verba ſentẽtiis illuſtrentur. Et tu ipſe in hoc præſenti ſermone, Incitatior (ais) fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodámodo claſsicum. Quid veró? quod Demoſthenes á té maximis & quidem veriſsimis laudibus affectus Thucydidem tam ſtudioſe & legerit & edidicerit, quam cauſſam exiſtimabis fuiſſe? an quód oratorem vis illá militaris & bellica nil adjuuaret? nimió ſtudio contradicendi laberis: & dũ cauſſam tuam hoc modo ſuperiorem facere conaris, inferiorẽ facis. Hoc veró non eſt tam diligenter, quám dicis, M. Tulli, res expendere, atq; judicare: ſed quod libuerit, arripere. Recipis autem te tandem ex hac egreſsiõe, & errorem tuũ velut agnoſcis. Referamus nos igitur (ais) ad eum quem volumus inchoandum. Bellé me hercule res habet, magno labore leuatus ſum: metuebam enim ut rudibus & imperitis te toties á propoſito digreſſum probarẽ: tuæ nos errationis admones: in viã revocas, & culpam nondũ accuſatus, ſpõte cõfiteris. At Deum immortalem, quid tibi vis? exhortaris nos ad rectius deinceps iter ingrediendum: & quod agitur aliquando conſiderandum. verúm quinto loco viam deſeris, & recto curſu omiſſo, indomiti inſtar & effrænis equi (quocunq; rapit impetus) excurris: ad eoſdem veluti carceres exordij relaberis: & quoniã in hac ludicra (credo) & ioculatoria luſione tibi cõmodum eſt, idem argumẽtum tertio loco repetis. An moneo re fruſtrá, mi Cicero, vera eſſe, quæ tibi á noſtris Atticis objiciuntur? dico te in egreſsionibus, vel ſcholaſtico rhetore frequentiorẽ eſſe: egreſsiones tuas oſtendo: dico te in repetitionibus nimium eſſe: repetitiones odioſas & moleſtas indico. Etenim magnus iſte tuus in nos amor & ingens difficultatis magnitudo, nónne primo exordio nos ſatis incitaverant? hic cur iterantur? cur amplificantur? quid iſta teſtificatio voluntatis ad inſtitutam rationẽ pertinet? doceri de oratore quid optimũ judicares, volebam: blanditias iſtas laudationum nõ requirebã: maxima voluntate (quoniam te precibus impuleram) ad judicium tuũ percipiẽdum cõmotus erã: quæſtionis gravitate (quam tantã facis) toties fruſtrá excitandus nihil eram. Pergia oratorem inventum (ut antea dixi) tamen indagare, & ejus effigiem (quam in Latinis, in Græcis etiam oratoribus nullam videras) in ſophiſtarum & rhetorum

ſcholis inquirere: quorúm oratio quia diſcrepat ab oratoris oratione, illa enim tibi videtur dulcis, effluens, concinna, ſuavis, aperté omnibus pigmentis rhetoricis colorata & diſtincta: hæc fortis, contorta, probabilis, occulté & velut ex inſidiis nõ tam ornata quám armata inſignibus elocutionis: illa ex ludo & palæſtra in pompam, hæc in aciem, pugnam, dimicationemq; venit: idcirco concludis oratorem perfectũ apud hos magiſtros & artifices orationis nõ eſſe. Quod nõ ſatis acuté diſtinguis, quaſi perfectus orator iſtã quoq; ſophiſticam dictionem nõ adhibeat aliquando cúm opus ſit, & in ſumma eloquentia non etiã laus iſta dicendi ſita ſit. Etenim ſiquid ſcienter & artificioſé numeris explicatur, ea laus quãtacunq; ſit, Arithmeticæ tota & propria eſt: ſic orationis ornatus preſſus an effuſus, amplus, copioſus, an rotundus, & limatus ad poſſeſsionis jus nihil intereſt, rhetoricæ proprius putandus eſt: ut tu etiam in hac diſputatione indicas, quando ais elocutionem oratoris eſſe propriã: ſuſceperis auté panathenaicũ aliquod dicendi argumentum, aut imperatorem laudandũ, vbi populus orationis tuæ ſuavitate oblectari volet: tu qui auditorem facis eloqnẽtiæ moderatorem, quomodo dices? nũ Iſocratis more? ſic opinor: nã tu ipſe poſtea moderatum dicendi genus (quod oratori perfecto ſubjicis) é ſophiſtarum fontibus defluxiſſe cõfirmas, in eoq; ais omnia dicendi ornamenta cõcedi ac permitti. At illo genere orationis in foro nõ utitur orator; quid tum? at alicubi certé uti poteſt. Atq; iſta forenſis dictionis & epidicticæ differentia ex rebus magis eſt, quám ex oratoriæ artis ratione atq; uſu, ut antea dixi de tribus generibus. Sed quid tã longa oratio ad hanc differentiã conſtituendã exprimenda fuit, vt epidictici generis inventores, authores, perfectores cognoſceremus? & quæ aliena etiam hîc erant (hîc enim ſexto loco digrederis) ſed tamen quæ aliena hîc erant, inquam, de Thucydidis, Herodoti, Iſocrãtis laudibus audiremus? ac etiam, ſi diis placet, nos refelleres, quód Plato laudaret Iſocratẽ, quem nos improbaremus. Ego veró, mi Cicero, non multó plus de fama Iſocratis detraho, quám tu in hoc ipſo loco detraxiſti. Principẽ ſophiſtarũ facis, qui palæſtræ homines dicati & pompę, ad puerilẽ quãdã & inanem oſtentationem inſtituti & formati omnes delicias, vel potius ineptias conſectentur. Quid ergo miraris, ſi mollitiẽ vix ſatis nõ dico honeſto viro, ſed modeſta muliere dignã aſperner ac contemnã? Et iſta nimirũ Iſocratica mollities orationis eſt, quam Attici noſtri in te reprehendũt, ne mireris Bruto tuo Atticos imitanti Iſocratem tuũ non probari. Hæc inquã, tam prolixa oratio quid ad inveſtigationẽ oratoris attinet? niſi forté ſimili ratione duceris, atq; antea. Eſt utilis philoſophia oratori: nõ igitur eſt alienũ de philoſophorum decretis in eloquentiæ explicatione dicere: ita nũc ſophiſtici generis nutrimentis eloquentia alitur & educatur: non igitur eſt alienum in hac oratoria quęſtione de primis illis incunabulis pauló copioſius & uberius quærere: nempe iſta ſubtili & acuta cõcluſione miſceas & confundas omnia, alienum nihil erit, quãdoquidem nihil eſt á rei (de qua quæritur) natura tã diuerſum, quod emolumenti nihil afferre poſsit. O te Marce Tulli, non Rhodii Molonis, ſed Menippi, Dionyſii, Æſchyli, Xenoclis Aſiaticorum rhetorum diſcipulum: neq; enim tam inanem redundantiam aliunde ſumpſiſtis definiſti oratorem, & tamen definitionẽ ejus inquiris: nos in jucundiorem locum unum atq; alterum é moleſta via feſſos vĩdelicet adducis: interponis res alienas & cõmentitias: id ſophiſtarum & rhetorum proprium eſſe, hoc ipſo loco confiteris, et tamen facis. Atque in his duobus primæ reprehenſionis membris magis Aſiaticã redundantiam notavi, quám diſputavi rhetoricam vitioſé deſcriptam. Proponis initio de Oratore te dicturum eſſe: & veré quidem, atq; dialecticé proponis: ſic enim lex jubet ut id ponatur initio, de quo agendum ſit: at egrederis ſubinde, & quidem tribus continuis egreſsionibus: primúm exordium repetis: oratoris definitionem ponis initio, falſam quidem & ridiculam: quam tamen velut non inventam magnis erroribus inveſtigas: neque Latinorum, neque Græcorum oratorum cuiquam definitionem hanc convenire putas: egrederis iterum: de Thucydide falſa dicis: egrederis rurſum: argumentum exordij tertio reperis: falſó doces epidicticum genus perfecti oratoris nihil eſſe: egrederis adhuc rurſum. Tot igitur egreſsiones, tot repetitiões, tot falſæ

res omnibus locia permiſtæ, veræ rhetoricæ micam nullam babent: tamē hæc vitia loquacitatia Aſiaticæ neſcio quo modo propria magis videtur: definire vis Oratorem perfectum, id omnino nō facis: rhetoricæ artis unum vitium eſt, quia nō rectè definiatur: cætera illa interim tam multa redūdantia (quam piget ſæpius dicere) alius cujuſdam generis culpa eſt: & quidem (ut dixi) magiſtrorum Aſiaticorū culpa potius, quám tua. Ab illis enim fœcundam illam tot egreſsionum & repetitionum copiam ſumpſiſti. Ornatus autē orationis tuæ in iis licet ineptiis & nugis tamen tantus eſt, ut me quoq; ſentiam, cúm iſtis de rebus contra te diſputo, elegātiorem & ornatiorem ornatu ipſo tuo eſſe factum: & iſtam laudem ſingularem tibi conſervo: nullum tuum tropum, nullam figurá reprehendo, ſed omnia dictionis & locutionis ornamenta ſumma tibi concedo. Tametſi Attici noſtri & compoſitionis mollitiem, & contentionis ardorem plerunq; in te ferre non poſſunt.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER III. DE partibus rhetoricæ.

Quæ veró ſequuntur, majorem de oratoris arte cōtentionem habent. In tertio enim quartoque membro mirabilem artis rhetoricæ caliginem video: neq; tamē hanc Cicerouis præcipuá potius & propriam culpam ſtatuo, quám Ariſtotelis & magiſtrorum aliorum, é quorum ſcholis & libris præceptiunculaś tam perturbatas in hunc librū, ſicut in reliquos oratorios tranſtuliſti: authoritati nimium tribuiſti, unius præſertim Ariſtotelis: qui tot tenebras in rhetorica & dialectica peperit. Bona enim (quę videmus in te) tam egregia, tamq; divina ſingularis orationis elegātia, incredibilis ornatus, ingenium in rebus acerrimum: judicium etiam, ubi liber & attētus eſſe volueris, ſané ampliſſimum: Reipublicæ regendæ ſumma ſciētia: excellentium deniq; virtutum tá multa genera Ciceronis ꝓpria ſunt: quæ nōnunquam requirimus, magiſtris quibus facilé magis & benevolé quá temeré credidiſti, potius aſsignanda ſunt. Nego enim M. Tulli, nego unquá, verū eſſe, quod tibi tñ tantopere perſuaſiſti, quicquid judicii habueris, id te totum huc cōtuliſſe: nego enim de tam multis inventionis & diſpoſitionis erroribus qui ſequūtur, tui judicii quicquam eſſe. Quáobrem deinceps exiſtimato, me potius adverſua loquaces Græculos & leves diſputare, quá tecum ſeverius agere. Tria oratori (ut de tertio membro dicere incipiam) videnda eſſe dicis, quid, quo loco, quomodo: veſtigia tua, ſicut adhuc feci, perſequar: et ubicunq; notas confuſionis inuſtas inveniam, inibi quoq; veræ & conſtantis admonitionis contratiam lucem imprimá. Nos igitur ad eloquentiæ partes quæ dicūtur, adducis: in elocutione ſolá cæteris partibus repudiatis, oratoris propriá laudem poſitam dicis eſſe. Hic noſtras volūtates conſentire video: diſtinguere vis oratoris propriam facultatem á cæteris omnib. artibus: hoc item ipſe volo, ſed alia via, quá tibi ſequendam eſſe duxiſti. Solá elocutionem oratoria propriá facis, ego actionem addo: reliquas partes, Invētionem, Diſpoſitionem, Memoriam ſeparas hactenus, ut propriæ non ſint: retines tñ, quia cōmunes oratori ptes cū artificib. aliis eſſe: ego veró uſum artium communem eſſe ſæpe jam prædico: præcepta tñ ea propria eſſe & confirmavi antea in diſpoſitionis univerſæ fundamento, & hic iterum confirmo: & Invētionem, Diſpoſitionem, Memoriam dialecticæ artis eſſe cōvinco, quia rationis omnino ſunt: quia ſine ullo orationis uſu ſeipſis cōtentæ eſſe poſſunt: hanc regundarum artium legē tam conſtantē, tamq; nobilem mihi propoſui, tu Ariſtotelis captioſam & fallacē opinionē habuiſti. Hæc igitur jam videamus, utro modo verius oratoris fines regantur, & de tribus quæ videnda oratori eſſe dicis, diſſeramus. Sed has tamen partes novo quodam & inuſitato modo partiris. Nam de partib. eloquētiæ (quas putas) unam prætermitti affirmo: & duas tñ præterea redundantes includi: ita omnia partiendi vitia hic conjūcta ſunt. Etenim incredibili oblivione partē eam omiſiſti, quæ niſi eſſet, meminiſſe nil poſsis. Memoriæ enim, quá alibi partem eloquentiæ facis, nullum locum relinquis. Dicis Oratori tria eſſe videnda: quid dicat, quo quidque loco, & quomodo: primo membro inventionem, ſecundo collocationem, tertio elocutionem & actionem

comprehendis: memoriam igitur in hac triũ membrorũ partitione prætermittis. Cõmunis eſt (ais aliquot paginis poſt eã partitionẽ) multarũ artiũ: ꝓpterea omittitur. Enimvero, inquam, inventionis & diſpoſitionis tota doctrina quamvis dialecticæ propria ſit, uſu tamen ſuo poteſt ad omnes res accommodari, ſicut memoriæ doctrina: cur igitur hæ recẽſentur, illa cõtẽnitur? Sed majora ſunt in hac partitione vulnera, quib. æqua ratio mederi nullo modo poſsit. Tria videnda eſſe oratori dicis: quid, quo loco, quomodo dicat: at unum duntaxat videndum eſſe oratori non modó contendo, ſed neceſſariis rebus addico: Invẽtio & Diſpoſitio (quę rerum & copiam & ordinem ſuppeditant) dialecticæ partes ꝓpriæ ſunt. Redeamus enim ad illum rhetoricæ fundum, quem initio definivimus, & á cæteris diſtinctũ ei proprium dedimus: confuſionem tollamus: memitiſrimus etiã quæ de te ipſo antea diximus: neq; enim vel hîc diffiteris, quod ajo, cùm ajs duas illas inventionis & diſpoſitionis partes magis eſſe proprias prudentiæ, quám eloquentiæ: & aliis item apertius confirmas, cùm doces dialecticæ duas eſſe partes, unam inveniendi, alteram judicandi. Iudicium autẽ diſpoſitione fit, enuntiati, ſyllogiſmi, methodi. Quid igitur? quouſq; tandem confuſionem artium tantam perferemus? an núquam illud intelligemus, quod initio poſui, in Republica optimis legibus moribuſq; cõſtituta, fundos & poſſeſsiones ſingulorum civium certis finibus regi, terminari, & circumſcribi: ſic in artibus proprié vereque traditis, materias diſtinctas, partitas, definitas eſſe oportere? Docet Grammatica dictionum proprietates, cõjunctiones, ne igitur hæc alia ſibi doctrina vẽdicet: explicet Rhetorica tropos & figuras oratorias: adde vocis & geſtus varietatem ac dignitatem: quia hoc ei proprié ſubjectum eſt: injuria ſit, ſi dialectica ſibi harum explicationem rerũ attribuat: Dialecticæ propria vis eſt, & inventionis fontes aperire, & collocationis ordinem deſcribere. Qua igitur ratione rhetorica idipſum profiteri ac ſuſcipere audeat? Si quis ad alienum fundum murum conſtituerit, pedem relinquito: tu cúm ad alienum dialecticæ artis fundum, rhetoricũ murum ædifices, non modó intermediũ pedem nullum relinques, ſed mediá ſua di partem occupabis & intercipies? At Rhetorica, dices, ſine his inveniẽdi & diſponendi partibus perfecta eſſe non poteſt. Id veró antea docui plané abſurdum & falſum eſſe: poteſt enim puer, cũ á grãmaticis diſceſſerit, tropos & figuras in poetis & oratoribus intelligere: & materis propoſita tractare, & per ſe exercere, & cum dignitate pronunciare: quod ſolũ Rhetoricæ propriũ eſt: deinde ſi non poſſet uſus Rhetoricę ſine dialecticis illis virtutibus perfectus eſſe, an idcirco perturbatio hæc & cõfuſio doctrinæ confingẽda eſſet? Non poteſt, ut ad eoſdem impetus ſæpius iteratos idẽ murus nobis opponatur, ſine numeris geometria, muſica, aſtrologia cõſiſtere: an ꝓpterea hæ artes numeros explicare, & ſuæ profeſsioni ſubjicere debebũt? uſus artium, ut jam toties dixi, copulatus eſt perſæpe: pręcepta tñ confundenda nõ ſunt, ſed propriis & ſeparatis ſtudiis declaranda. De perſpicuitate doctrinę diſputo, ut ſuis ſint poſſeſsionibus artes diſtinctæ, nõ alienis cõfuſę: nõ recuſo, imó veró maximé probo ac laudo, ut ſit idem Grammaticę, Rhetoricæ, Dialecticæ, cæterarumq; diſciplinarum (ſi fieri poſsit) doctor ac magiſter, qui diſsimilium ac variorũ dogmatum uſus ad mentem & linguam conformandum ſociatos & conjunctos oſtẽdat: ſed tamẽ qui ſuo tempore, qui ſuo ordine, qui ſua velut ætate & maturitate ſingula partita ac definita doceat. Vides quomodo regãtur á nobis artium fines? quo jure, qua lege ſuum cuiq; tribuatur? quo judicio res diſceptentur? Dicis deinde inventionem & diſpoſitionem nõ tam inſignes eſſe ad laudem, quám neceſſarias: quod his videlicet præſtet elocutio: id autẽ falſum eſt: quãto enim mens præſtantior lingua, tãto invẽtio diſpoſitioq; (quę mentis ſunt) excellẽtiores ſunt elocutione: deinde cõtinuó póſt adfirmas partes illas eaſdem duas, tanquam animi inſtar eſſe in corpore, ut intelligamus antecedẽtia conſequẽtibus eſſe confutata: nẽpe quanto ſit animus corpore præſtantior, tanto inventionem & diſpoſitionẽ elocutione eſſe nobiliorem & excellentiorem. At mirifica quædã ſubtilitas ingenii tui eſt in hũc unum effuſa locum. Tribuis oratori Invẽtionem & Diſpoſitionem, cúm ais videndũ oratori quid dicat, & quo loco dicat: eã detrahis, cúm neges ejus eſſe ꝓprias: ac rur-

ac turſos ſubjicis, cúm jubes ei notos eſſe argumentorum locos, item judicii ac diſpoſitionis modos: acuta ſané & ſibi conſtans oratio. Hic M. Tulli te fefellit Ariſtoteles: hic enim magiſter (ut antea dixi) gloriatus eſt ſe primū invétionis artes & probationis in rhetorica tradidiſſe: id eſt, Dialecticam in rhetorica confudiſſe. Sed tamen valde mirum eſt, quod orator nōdum inventus, aut certé velut non inventus, nunc tam multis rebus inſtruatur, id eſt, nondū natus veſtiatur & ornetur. Noverit, ais, argumétorum locos, judicium adhibebit: magna diligētia collocabit: utcunq; ſe affectum videri, & animū audiētis moveri volet, ita certum vocis admovebit ſonum, idemq; motu ſic utetur, nihil ut ſuperſit in geſtu. Hic oratorem Inventione, Diſpoſitione, Pronuntiatione inſtruis, quem tamen tibi videris non inveniſſe: non definiſſe, quám veró præpoſteré, quám ad illas Platonis ideas inconvenienter & indecoré? Primū enim (quia ratione & via te diſputaturum recepiſti) orator tibi fuit ad ultimā ſui generis formam, ſpeciemq; redigendus ac definiendus, tum propriis rebus exornandus. At antequam tibi videaris inveniſſe, vel definiſſe, de ornamentis diſputas, & quidem non alienis ſolúm (invétio enim & diſpoſitio Dialecticæ ſunt propriæ) ſed etiá falſa. Quæſtionum enim (quas Oratori tractandas putas) genera tria & falſo & inutiliter facis: an eſt, quid eſt, quale eſt. Iſta vanitas Ariſtotelici ingenii eſt: quæſtiones (ubi Davus bone, miniméneceſſa fuit) ejuſmodi argutiolis diſpertiri. Ré pauló diligentius, accuratiusq; diſputemus. Cur igitur tria quæſtionum genera cōſtituuntur? nam diviſio & imperfecta & inutilis eſt: cúm quæro, ubi eſt? quando veniet? quo pergit? quot partes habet? ex quo conſtat? quamobrem id eſt? nihil horum triū requiro: ſcio nos pueros in ſcholis falli ſolitos neſcio quib. captionibus, quód ad hæc tria genera, reliqua revocari dicerentur. Sed per Deum immortalé, quid ſibi vult hæc illuſio? an tres ſunt artes harum triū quæſtionum propriæ, per quas reliquæ tractētur quæſtiones? Quæramus ſummam & primá partiēdæ quæſtionis cauſſam: Ariſtotelem & falſum & fallacem, vel Ariſtotelis ipſius artibus doceamus: ἀπόδειξιν adhibeamus. An inquá, tres ſunt artes ſingulares triū illarū quæſtionū ꝓpriæ, per quas ſolas quæſtiones reliquę tractentur? hæc enim vera & ſumma cauſſa eſſet. At ne id Ariſtoteles quidem ipſe ſi reviviſceret, dicere audeat, cū præter quęſtionum locos & inventioné, confundat aliam inventionem & in trib. cauſſarum generibus, & in partibus orationis: quod tu ab illo es etiá mutuatus. Quare partitio iſta inutilis eſt: atque etiá hoc idem repetatur altius. In grammatica, in arithmetica non fit diviſio rerū per grammaticam & arithmeticam explicandarum: quid ita? quia ad res omnes ſibi ſubjectas declarandum omnino & communiter adhibētur: nec earum pars aliis alia rebus accommodatur: cur in oratoris tui doctrina (cujus partes quinque facis, Inventionem, Diſpoſitionem, Elocutionem, Memoriá, Actionem) cur inquá res oratori ſubjectæ, id eſt, quæſtiones dividuntur? An non eſt tota vel quinq; partibus confuſa rhetorica, quæſtionum omnium communis? doctrina pronuntiationis una communis eſt omnium rerū pronuntiandarū, memoria recordandarum, elocutio ornandarum, diſpoſitio in ꝓnuntiato ſyllogiſmo & methodo (quas res nuſquam tamen integras, nec Ariſtoteles in rhetoricis confundit, neq; tu exponis) collocandarum, inventio cogitandarū? Quod ſi eſt, quorſum tua partitio? At videris in poſtrema parte reſiſtere, ſicut Ariſtoteles tuus. At certas (ais) quæſtiones certi argumentorum accōmodantur loci: ſitne ſignis, quid ſit definitionib. quale ſit recti praviq; partib. diſputatur: quid ſi (inquam) & hæ tres quęſtiones & omnes aliæ prorſus iiſdē argumentis tractētur, nō inutilis erit iſta diviſio? redderes enim rationem atque cauſſam, quomodo ad artis uſum ſpectaret, quod ad nullam artis partem ſpectaret: illud autē vel tuo ipſius teſtimonio facilé probabitur: hoc igitur fateare neceſſe eſt. Etenim prima quæſtio ſignis & cōjecturis diſputatur, ais: quid conjecturæ? unde ſumuntur? Ex cauſis, eventis, circunſtātiis, teſtimoniis, quæſtionibus, exemplis, cōparationib. deniq; (ut in partitionib. doces) ex veriſimilibus & propriis rerū notis: illas definis, quæ plerunq;: has, quæ nūquam aliter fiant: quibus duobus generibus omnia argumētorum genera cōplecteris: quia omnia argumenta (ſi quid veré arguant) aut plerunq;, aut ſemper fiūt: deinde,

de, quávis id non doceres, tñ omnino verū eſt ex decem argumentorū generibus; cauſsis, factis, ſubjectis, adjūctis, diſſentaneis, cōparationib. nominib. tributiōib. definitiōib. teſtimoniis (quę omnia & ſola argumētorum genera ſunt) nullū eſſe, undę conjectura tractari non poſsit. Ergo ad primā quæſtionē omnes inventionis loci accōmodantur: ad ſecundā quid? ſolāne definitio? at definitio, ut in iiſdē partitionibus author es, ex omnib. argumētis exponitur: & ſi id non doceres, tamen omnino verū eſt, abſolutam definitionē ex cauſsis rem cōſtituentibus, deſcriptionem etiā é reliquis argumētis fieri: tertiæ quæſtionis diſceptatio (quā hic doces recti pravíq; partibus, quod argumenti generale nullū nomē eſt, explicari) ex locorū deſcriptione ſumēda eſt, ut ais ibidem. Una igitur invētio cōmunis eſt omnium quæſtionū: neq; hi loci harū quæſtionū proprii, ſed omnes cōmunes omniū. Tū verò, nō ſint omnium quæſtionū omnes loci, nec omnis quęſtio omnib. argumentis probari poſsit, qd tū? an ideo quæſtionū tā inepta partitio confingēda fuit? an quæſtionis (quacunq; de re ſit) cū locis & generibus argumentorū collatio non facilius oſtēdet quæ cui quæſtioni argumēta conveniāt, quā iſta diſſectarū quæſtionū confuſio? Cū puero nomen propoſitū eſt explicandū, protinus ex communi nominum doctrina videt quale nomen ſit, quomodo declinādū, comparandū, quo genere diſtinguendū: ſic dialecticæ veræ ſtudioſo diſcipulo cū poſita quęſtio fuerit, videbit, primus quæ ſint cauſſæ, facta, ſubjecta, adjūcta, diſsētanea, quæ cōparata, quæ nominis ratio, quę partes, quę definitio, quæ teſtimōia: & ex hac illuſtri & facili ꝓviſiōe ꝑcipiet quæ in hāc quæſtionem argumenta conveniant, quę non cōveniāt: & quod illa quæſtionū fallax diſſectio cōfundit, illud idē hæc illuſtris explicatio locorū diſtinguit. Itaq; nulla eſt cauſſa quæſtionis diſtribuendæ, vel in ea rhetorica, quā quinq; partibus falſo conſtituis, Unus eſt Romæ fluvius, Tyberis, ad varios uſus accommodatus, ad potandum, lavandum, irrigandum, purgandū, reſtinguendum, vehendum: nec ſinguli rivuli ad ſingulas ejuſmodi cōmoditates dirimūtur, ſed univerſum flumen ſua natura tale eſt, ut ſingulis uſquequaq; adhibeatur: ita eſt inventionis doctrina per ſe tota communis, ad uſus omniū quæſtionum: hinc enim cauſſę, facta, ſubjecta, adjūcta, diſsētanea, cōparata, nomina, tributiones, definitiōes, teſtimonia: id eſt, omniū generum argumenta, ad oēs quæſtiones, ad omnes probationes aſſumuntur. Quare iam licet Ariſtotelem magiſtrū interroges, vel potius hoc argumento refutes: Ars omnino communis ſubjectam ſibi materiam dividere nō debet, ut grammatica, arithmetica, geometria. Rhetorica etiam tot partibus confuſa, tota cōmunis ars eſt. Rhetorica igitur ſubjectam ſibi materiam, id eſt, quæſtionem dividere non debet. Quamobrem & hanc, & quālibet aliā quęſtionum partitionē (quales in topicis & analyticis, non ſolúm in rhetoricis Ariſtoteles ſomniavit) tollamus: quando nihil veri, nihil cōmodi ad inventionis rationem afferre poteſt. His locis (ais) ſic utetur orator, ut á propriis & perſonis, & tēporibus controverſiam, ſi poſſit, avocet. Hoc præceptū non hic ſolúm, ſed in oratoriis dialogis valde miratus ſum, cúm affirmares omnes cōtroverſias ad univerſi generis vim referri. Et hoc Ariſtotelicū ſomnium eſt: ſuſtulit enim Ariſtoteles de problematis topicis problema non modó rei propriæ, ſed infimi generis, quā ille ridicule ſpeciem vocat, ut nō quęreretur, an eſt hic homo Plato: ſed ne omnino, an Plato eſt homo. Suſtulit é ſyllogiſmorum ſimplicium doctrina concluſiones ex propriis enuntiatis, nec ullum pręceptū de iis poſuit, cū tñ affirmet per artes á ſe traditas triū figurarū (ut ait) omnes ſyllogiſmos concludi. Ariſtotelei aūt Ariſtotelę hic defendunt, quia ſingularia rejicienda eſſe dicant á diſciplinis. Quaſi veró de ſingularib. & ſpecialib. nō poſsit eſſe generale & univerſum præceptū. Ariſtotelis igitur has nugas ſequutus rejicis ab arte, credo, hypotheſim, & quæſtionē ſingularē tollis: ad inventionis locos dicis nil Opimii nomē, nil Decii perſonā, deniq; nullam definitam quæſtionem & circūſtantiis cōcluſam pertinere. Atenim cúm quæritur, an Opimius jure Gracchum necaverit, nónne & perſonæ, & cædis, tum facta, tum cauſſas, tum reliqua argumentorum genera ex inventionis locis requiro? Ex inventionis igitur locis, non ſolúm generalis quæſtio, ſed ſpecialis etiā diſputari poteſt. Quód ſi diceres argumenta, quæ de quæſtione

poſita

poſita oriuntur, niſi univerſé & generaliter tractétur, vim nullam habere, aliquid fortaſſe quod intelligi & probari poſſet, affirmares: ut in Opimii defenſione ſi dicas, Ex ſenatuſconſulto necavit: jure igitur fecit. ratio perinfirma in hoc genere plerunque ſit: niſi propoſitio generaliter ſtatuatur, ut id omne jure fieri, quod ſenatuſconſulto factum ſit: id inquam, perſpicué & probabiliter diceretur, tametſi ex parte quadam, non totum: argumenta enim ſingularia ſunt quædam, quę ſic enũtiari nõ poſsũt, ut Plato eſt philoſophus, idemq; Athenienſis, quare & Athenienſis quidam philoſophus eſt. Hujuſmodi ſunt arguméta é ſingulis teſtimoniis, quibus hominum feré judicia continentur. At hebes & impolitum hominum genus Antonii voce appellas, qui putant etiam controverſias, id eſt, peculiares & definitas quæſtiones, non ſolúm generales & univerſas locis invẽtionis explicari. Obſecro, mi Cicero, deſine haſce magnificas nugas tanti venditare. Ariſtotelem iſtum tam captioſum, abjice: noli hominis hujus tam multas ineptias judicium tuum nominare: ſperabam me, cúm primo iſta dicerentur, ſciẽtiam quandam perceptarum ſingularem & admirabilem, quá cæteri antea omnes dicendi magiſtri ignoraſſent: at fumum duntaxat video liberali doctore certé minimé dignum. Similia duo ſunt, unum, quod argumentorũ genera loci á te nominantur: alterum, quod mones ut diſcat orator, unde emanẽt cõmunes loci. grammaticæ etymologiæ octo partes poterant appellari etymologiæ loci: primus de nomine, ſecundus de pronomine, ac de cæteris partibus orationis eodem modo: poterant dialectici judicii multiplices loci nominari in enũtiatorum, ſyllogiſmorum, methodorum modis. Dialecticus aliquis excogitavit, ut genera argumentorum τόπȣ, id eſt, loci dicerentur, paraq; illa dialecticæ τοπικὴ diceretur. Hinc ortæ ſunt otioſorum & inertium hominum quæſtiones, quomodo differant & locus & argumentũ: quaſi argumẽtum non eſſet ipſe locus: & artis vocabula non ſignificarent aliquando artem ipſam, aliquado res artibus propoſitas: ut nomen aliquádo ſignificet ſpeciẽ vocabuli nomen, id eſt partẽ orationis: aliquando rẽ ipſam illi parti propoſitam, ut Cicero, Cato: ſic argumentum indicat aliquando artem argumenti, aliquando rem ipſam, quæ arguit & probat. At veró quanto ſimplicius erat inventionẽ (ſi hoc nomine priorem Dialecticæ partẽ placet appellare) definire artem argumẽtorum, quæ nempe aliquid arguerent: tum argumentorum genera deſcriberẽtur: loci nullum nomẽ quaſi proprium interponeretur. Atq; hoc ẽ propoſitis duobus alterũ: ſecundum ſequitur: jubetur abs te orator videre, unde emanant cõmunes loci: unde, quęſo, diſputationes latę & inſignes? num ex cõmunibus inventionis argumẽtis promũtur? & unde paradoxa, quę cõmunes locos vocas, nõnne ex iiſdem locis, unde omnis argumẽtatio diſputationeque ſumitur? Explica totas orationes tuas tota tua ſcripta: argumẽta omnia, cauſſæ erunt aut facta, aut aliquid omnino é decem generibus argumentorum. Quid ergo fuit opus, cúm de locis invẽtionis monuiſſes, præterea de locis cõmunib. præſcribere? quaſi non & illis hi continerentur? quaſi denique diſputatio ulla eſſet, quæ argumentis nõ uteretur? & argumẽtorũ doctrina inventioni aliquando non attribueretur? Invẽtionis doctrinam nullam tradis: eam veró (quoniá oratori tuo ſubjicis) debueras totam locis decẽ, cauſſis, factis, ſubjectis, adjũctis, diſſentaneis, cõparatis, nominib. diſtributionib. definitionib. teſtimoniis concludere & declarare: nihil autẽ definis, nihil diſtribuis, nihil omnino invẽtionis exponis: quare nõ diſputabo tecũ plurib. iſta de re. Diſpoſitio autẽ triplex eſt, enuntiati, ſyllogiſmi, methodi. Ex enũtiatiõis diſpoſitiõe, primarũ rerũ p ſe manifeſtarũ lucẽ oſtẽdit: ex ſyllogiſmi doctrina, quæ quibus per argumẽtum medium ineſſe concludantur: hoc enim præſtat aurea illa ſyllogiſmi divinaque regula. Ex artificioſæ veró methodi lumine, cúm res & univerſæ generaleſq; pceſſerint, & ſubjectæ partes ſequantur, omneſq; mirifica illa antecedentium & cõſequentiũ cõnexione ac collocatione ita diſpoſitæ ſint, ſané fiunt & doceantur apertius, & multó facilius intelliguntur: hæc artificioſę ſiquidẽ methodi claritas eſt. Tu veró quomodo iſtam nobis explicas dialecticę diſpoſitiõis doctrinã? Quid de his diſpoſitionis generibus exponis? ſyllogiſmi & methodi neſcio qd innuis, artem veró ne ſuſpicari quidem videris. Nam cúm de inventione, quæ voluiſti,

dixiſſes,

dixiſſes, tum de judicio & delectu argumentotum præcipis, eadem ſcilicet quæ in oratorio ſecundo, & in partitionibus, antequam tamen de diſpoſitione dicas: ut mirum Dialecticam tenentibus videri poſsit, quid artis hic exponas. Nam cúm quinque partes eloquentiæ tuę facias ex dialecticis & rhetoricis conflatæ, inventionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, actionem: prima parte deſcripta de judicio præcepta ponis, quæ tamen ad nullam de quioque partibus partem refetas. In dialecticæ diſpoſitionis ſecundam partem, id eſt ſyllogiſmum incidis: delectum inventatum rerum quæris, artem nullam ejus eſſe putas: imó diſpoſitionis nihil hic eſſe ſentis. At veró M. Tulli, delectus iſte tuus judicium dialecticum eſt, & arte omnium artium pulchetrima comprehenſum. Si argumenta reperta & enunriatione diſpoſita pateant per ſe judicantur: ſecus, aliis clarioribus repertis, & ad ſyllogiſmi regulam compoſitis judicantur. Hanc veró tam ſingularem doctrinam cave ne doctrinæ expertē judices. Quid enim Stoici, qnos acerrimos diſputatores ſemper exiſtimaſti, quid reliqui dialectici, an vaná & inaná ex tot enuntiatorum & cóclusionnm generibus & modis doctrinam tradiderunt? An ſyllogiſmus, & ſimplex & conjúctus artem nullam habebit? O dies fruſtrá nobis conſumptos in audiendis dialecticis, ſi modó vera prædicas? I veró nunc, & teſtificate te, quicquid judicii habuetis, huc totum contuliſſe, qui micam tui judicii nullam ſané iis in rebus adhibuetis. Vtinam, mi Cicero, in explicando judicio judicium tuum potius adhibuiſſes, quám Ariſtorelis placita ſecutus eſſes. Credo enim & hujus erroris Ariſtotelem tibi magiſtrú fuiſſe, qui tametſi de ſyllogiſmis ſimplicibus ram multa cumulavir, tamen nullum eorú uſum docet, & niſi me memoria fallit, in quibuſdá rhetoricis hunc tuum delectú argumentorú inſtituit. Audiuiſti itaq; judiciú rebus inventis adjungendum eſſe, quoniam ut á fœcundis ſegetibus nó fruges ſolúm, ſed etiá frugibus inimiciſsimę herbæ gignútur, ſic ab ingeniis doctrina pręſertim exculris, & tanquam ſubactis nonnulla aut levia, aut inutilia cogitátur, quorum magnus delectus habédus ſit: quod ſané verum eſt: id ad diſpoſitionem nihil attinere, ſimpliciter credidiſti. Itaque in oratoriis dialogis, & in partitióibus, & in hoc oratore poſt invétionem monuiſti de judicio: tum diſpoſitionis arres explicaſti, quaſi judiciú diſpoſitionis nó eſſet. Quáto veró in populi cauſsis, quám in hujus doctrinæ ſtudiis acutior es? Teſtis adducitur vel Catone ſanctior, ei nihil credis: vitam, mores, voluntatem, cauſſas omnes teſtimonii excutis, omniaque efficis, ne quid ejus teſtimonio tibi noceatur. At in explicandis artiú decretis (ubi lógé maxima non credulitas, ſed prudentia eſſe debeat) audis illum doctorem affirmantem judicium partem eſſe dialecticę, & diſpoſitione ſyllogiſmi ac cóclusione deſcribis fateris, atq; etiá ſcriptis libris profiteris. Audis hunc quinq; partes eloqnentię cóſtituentem, invétionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, actionem: judicium veró artis nihil habere: fuſum quendá & laté per omnia ſparſum ſenſum eſſe: id quoq; credis & ſequeris, & pceptis teſtatis. Quamobrem collige teipſum, & ad academiæ ſpatia (unde te oratorem tá tum, quantus es, extitiſſe prædicas) revertere: ex illis curriculis reminiſcere, quám non præcipitandum iudicinm, quám cohibenda & ſuſpendenda non perſpectis rerú cauſsis ſit aſſertio. Cúm aút iſto modo de ſyllogiſmo diſpntaſti, de methodo diſpoſitióis nomine (neq; enim ſyllogiſmum diſpoſitionis parté eſſe vidiſti) pauca præcipis, & ex ea partitioné orationis eam deducis, quá & poſtea repetis, & in tuis omnib. orarotiis libris adhibuiſti in exordiú, narrationé, cófirmationé, perorationé. Hoc igitur loco dialecticæ methodi aliqd ineſſe video: q a ſúms ponitur initio, quæ ut ſimplex aut multiplex eſt, ita diſpoſita, deíde diſputatur & poratur. At ſácte Iuppiter, quátas hic Ariſtorelis unis tenebras aſpicio? Gloriatur ille philoſophus ſe ſyllogiſmi invétorem & doctoré inter homines primú fuiſſe. Verum quá negligenter attendit hic inventor inventi ſui doctriná, quám potius rotum uſum nihil cogitat? Syllogiſmus, quod ad arté ejus attiner, eſt diſpoſitio, qua quęſtio cú argumento diſpoſita neceſſarió concluditur. Ariſtoteles cú de diſpoſitione pcipit, ſyllogiſmú diſpoſitionis nihil eſſe meminit. Syllogiſmus, ſi ſpectes ejus uſum, eſt judicii, eſt delectus omnib. in reb. dubiis ſingularis regula: Ariſtotel. cú de delectu & judi-

& judicio præcipit, ſyllogiſmum judicii & delectus nihil eſſe animadvertit. Methodus, ſi ad docendum via quęratur, eſt diſpoſitio rerum ab univerſis & generalibus principiis, ad ſubjectas & ſingulares partes deductarum. Ariſtoteles (quē ſui ſectatores & æmuli, methodi laude tollunt in cælum) cum in rhetoricis de rerum, quæ inventæ jam ſunt & repertę, quæ ſelectæ ſunt etiá atq; judicatæ, ſumma collocatione & diſpoſitione agitur, logicū nihil, nec diſpoſitionis hujus dialecticum quicquā eſſe ſentit. Methodus, quod uſus eſt, eſt lux univerſi illius ordinis, qua res ita diſpoſitæ docentur apertius, & facilius percipiuntur: cùm de iſta diſpoſitionis utilitate agitur, Ariſtoteles logicam artē recordatur, ſed quatuor partes orationis facit, exordium, narrationē confirmationem, perorationem: & in ſingulis hiſce partibus artes invētionis maximas commentatur. Deus bone, vereor ne tantæ rerū tenebræ perinde percipiantur ab aliis, atq; animo pervideo: dico enim hanc orationis partitionem imperfectiſsimam eſſe, & quia veræ partes orationis nullæ hic oſtendantur, & quia tota ara incredibili confuſione his partibus involvatur. Atque primùm de veris partibus dicamus, ut falſæ cognoſcantur. Orationis partes dico eſſe, inventionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, actionem, ſi placet iſtas artis partes eſſe: quamobrem? quia opus cujuslibet artis ex omnibus ejus partibus dividendū & conſiderádum eſt: grammaticæ opus eſt ſermo: cujus laudes, vt rectè dividantur & conſiderentur, ſané ſpectāda eſt in ſingulis verbis etymologia, in cōjūctis, ſyntaxis: & totidem partes erūt operis, quot artis. Opus dialecticæ eſt diſputatio: ejus igitur virtutes ex invētionis & diſpoſitionis artibus dividantur & examinētur neceſſe eſt: & totidem partes operis erunt, quot artis: nec veró quicquam differt ars ab artis opere, niſi ut cauſſa ab effectu: ars eſt facultas efficiendi: opus effectus ipſe. Sic Ariſtoteles docet analyſim dialectici operis ab effectione, id eſt geneſi, differre. Ponatur igitur fundamētum illud, & totus ſyllogiſmus concludatur. Opus artis ex omnibus artis partibus dividendum eſt & conſiderandum. Oratio eſt opus artis, nempe rhetoricæ (ut tu ais) Oratio igitur ex omnibus artis, id eſt, rhetoricæ partibus dividenda eſt & conſideranda. Quare ſi dividēda eſſet oratio jā facta eſſet ſané ex artis tuæ quinque partibus dividenda: & ſi facienda eſſet ejus partes ex partibus artis ſumendæ eſſent, ut inventio res ſuppeditaret, diſpoſitio collocaret, elocutio exornaret, memoria comprehenderet, actio pronontiaret. Atque hæc de veris partibus. Rhetoris (quiſquis hic primus fuit) partitionem & confuſionem videamus. Etenim quid de grāmatico ſentias, qui cū totam etymologiā ſingulorū vocabulorū, expoſuerit, tū paret de collocatione coojūctorum & ſyntaxi formulas exponere: ac partiatur orationē duas in partes, nomen & verbū, & ad iſtas duas partes omnem illam etymologiæ doctrinā varié confuſam revocet: nulla ſyntaxis communia præcepta proprié declaret: qd de literatore iſto judicabis? quid etiā de dialectico dicas, qui cū deſcriptas habeat inventionis partes ex omnibus argomentorū generibus ac modis, polliceatur nobis ſyllogiſmi diſciplinam & artem: tùmq; dividat ſyllogiſmū tres in partes, Propoſitionem, Aſſumptionē, Complexionē, ſpecies ejus nullas explicet, ſed deſcriptas invētionis artes ad illas ſyllogiſmi partes cum magna confuſione referat: doceat & ꝓpoſitionum, & aſſumptionum, & complexionum inventionem & copiā: quid de tali ſophiſta ſenties? quid inquam, de tali & grammatico & dialectico ſtatues? Tu veró, ut opinor, non doctorem, ſed nebulonem utrumq; æſtimabis. Conſtituatur igitur fundamētum illud diſputationis noſtræ, Summæ cōfuſionis eſt in una artis parte alias partes antecedētes cōfundere, partis ipſius etiam artē nullam tradere. At Rhetor in una artis parte alias partes antecedentes confudit: ejus ipſius partis nullam artem docuit. Summæ igitur cōfuſionis author fuit. Agé veró aſſumptionem illam planam faciamus. Inventionē rhetoricæ partem primam facit Rhetor, falſo ut antea docui, quia dialecticæ propria eſt, ſed tamen rhetoricæ partem facit, & ejus multiplices artes primo artis univerſæ loco conturbat in probationibus tum artificialibus & morum, & affectuum, & rationum in locis & propriis cauſſarum, quæſtionumque, & commonibus exemplorum atque enthymematum: tum in artificialibus, ut legum, teſtium, pactorum,

quæſtionum, jurisjurandi: tandem elocutione etiam prius confuſa pervenit ad diſpoſitionem, ubi de enuntiatione, de ſyllogiſmo, ut jam dixi, nil præcipit, nec ſyllogiſmum diſpoſitionis eſſe ſuſpicatur: nihil de methodo perſpicué tradit, id eſt, de diſpoſitione nullam doctrinam interpretatur, ſed obſcura quadá, nec ipſi doctori nota methodi ſpecie partitioné orationis fabulatur in exordiú, narrationé, confirmationem, peroratione: quibus in partibus incredibili caligine invétionis artes anté jam contextas retexit ad exordium demonſtrativum, judiciale, deliberativum: ad narrationem demonſtrativam, judicialem, deliberativam: ad confirmationem demonſtrativam, deliberativam, judicialem: & variis altercationú ſophiſmatis interpoſitis implicat: nullá diſpoſitióis, ut dixi, doctrinam tradit. Utinam mentes tam ſapientes, quám ſenſus haberemus? Aedificanda domus fuerit, lapides é latumiis ſint eruti, latomus idoneos probaverit, rejecerit alienos: quid ſupereſt, niſi ut diſponantur, & murus ac domus conſtruatur? an non delirus architectus habeatur, ſi lapidibus inventis & probatis, tanquam horum nihil actum ſit, nos ad latumias remittat, nec lapidis cum lapide compoſitionem & conjunctionem inſtituat? At Rhetor hic delirus architectus eſt, latumias inventionis totas effodit & exinanivit: judicium & delectum adhibuit: utiles lapides ſelegit, inutiles rejecit, id eſt, earú rerum artes propoſuit & explicavit: ad ſtructuram & diſpoſitionem ubi pervenit, nihil ædificat, nihil cóſtruit, ſed quaſi adhuc nihil inventum ſit, nos ad latumias redire jubet, locos inventionis pro diſpoſitióis modis & regulis neſcio quo modo ſomniás rurſum in falſis hiſce partibus confundit. Opus Rhetoricæ partitur ex una duntaxat ejus parte: diſtributio enim orationis in exordium, narrationem, confirmationem, perorationem ex diſpoſitione ſola eſt, quæ ad tuum judicium (qui quinq; facis eloquentiæ partes) una de quinque partibus & ſola eſt: & quidem ita partitur, ut de diſpoſitione nihil præcipiat, ſed invétionem anté traditam pro diſpoſitionis doctrina conturbet & confundat. Quamobrem, mi Cicero, ut ſępe jam moneo, ſcholaſtica hęc cómenta contemne ac deſpice: ac tam ſimplicter ei credere deſine. Deſine inquam hominis cujuſq; deliramentum, judiciú tuú appellare: ac ne dii Ciceroni tá veheméter offenſi ſint, ut ei tá imbecillú, támque infirmú judiciú donét. Sed de tertio partitionis tuæ mébro dicamus, quomodo ſit oratori dicendú: ſatis enim de duobus ſuperiorib. dictú eſt, & quid, & quo loco diceretur: & quantas rhetores illis partibus tenebras offuderint. Hic quanti nos glires tibi videmur? quanto, quáque alto ſomno ſepulti? eodé difficultatis argumeto quoties iam excitamur? quinto enim loco idem exordii argumentum repetitur. Ré difficilé, dii immortales, atq; omniú difficillimá (ais.) Perge inquá, rem valde difficilé ſentio: & te vehemétet occupatú video. Memoriá hic cótenis (hoc antea in partitionis imperfectione reprehendi) & quidé contemnis, quia ſit ea cómunis artiú multarú: quo argumento qđ intelligas, ſané vix intelligo. Etenim ſi memorię uſum exiſtimas cómunem eſſe multarú artiú, ut hæc memoria teneátur, libenter aſſentior: quinetiá de meo, ſi voles, addo omnium nó modó artium, ſed quarúvis aliarú rerú, quæ in hominis ſenſum aut intelligentiam cadant, memoriá eſſe cómunem. At iſta ratione ſuit inventio tibi & collocatio contemnéda, & deinceps elocutio & actio: quoniá omniú rerú pariter cómunes ſunt. Sin aút multarú artiú eſſe dicis de memoria præſcripta quædá & formulas exprimere, id nullo modo concedá. Nam quicquid eſt artis, qua memoria poſsit adjuvari, ordo ac diſpoſitio rerú eſt qua quid primú, quid ſecundú, quid tertiú ſit, animo cernamus. De locis aút & imaginibus, quæ vulgó dicútur, valde ſunt inepta, & á quibuſdam artis magiſtris meritó deriſa: quot enim imagines Philippicæ Demoſthenis deſiderabút? ordinis porró quoniá ſola dialectica diſpoſitio doctrina eſt, ab ea ſola memoriæ præſidium & ſubſidium peti poteſt. Quare ut inventioné & diſpoſitioné, qđ initio poſui, ſic memoriá illi arti veriſſimé poſsis attribuere. Dicédi modus ſequitur, qué partiris bifariá in elocutioné & actionem, laudo: de actione multa magnificé deſcribis, quæ probo: actionem rejicis velut communem, non laudo: has enim partes duas eloquentię proprias eſſe jam conſtitui. At inquis, orator una excellit elocutione, cætera in ea latere indicat no-

cat no-

cat nomen ipſum. Non enim inveotor aut compoſitor, aur actor hæc complexus eſt omnia, ſed & Græcé ab eloquendo ῥήτωρ, & Latiné eloquens dicitur. Bene ſané diſputas, & peracoré moveris: ῥήτωρ ἀπὸ τοῦ εἴρεσθαι, & eloquens ab eloquédo dictus eſt, fateor: & elocutio, quia, ut ais, ῥήτωρ complexus eſt hæc omnia: complectitur actionem, eſto. Sed, mi Cicero, non vides hoc argumentum rotum á me eſſe? elocutio nomen generale eſt, & ſignificat tropos & figuras, & torum dictionis ornatum: ſed complectitur etiam actionem, ur ais, & quidem multo magis cóplectitur & ſignificac, qnám ſcriptam dictionem: ut in grammatica cúm definitur vulgó ars ipſa doctrins recté loquédi, loqui refertur ad vocem & pſodiam: ut ſcribere ad manum: ſic uſu quodam etiam refertur eloqui ad troporum & figurarum dictionem, ut elocutio hæc ipſa dictio iam dicatur. Quare, ſi vis, argumento tuo utar, concludam pronuntiationem oratoris eſſe ptopriam. Quod indicatur oratoris nomine, eſt oratotis proprium: Pronuntiario indicarur oratoris nomine. hoc enim ſignificar & orator, & eloquens, & ῥήτωρ. Pronuntiatio igitur eſt oratoris propria. Redeamus veró ad fundamentum illud ſummæ diſtinctionis initio poſitum: tres enim ſunr artes, quas jam ſæpius nomino, communes maximé, maximéq; genetales; Grammatica, Rhetorica & Dialectica: duę priores ſunr ſermonis & linguæ: tertia rationis & prudentiæ: hæc cogitat & perpendit omnia: illæ cogitata puré & ornaté pronútiant. Grammatica docet puré ſcribere, ac pro temporis ratione contendere, incſinare, inflectere ſyllabæ modum. Rhetorica docet ex tropis & figuris ornaré dicere: eadem non ſolúm graves, & acutos, & inflexos ſonos (quod á Grammatica didicerit) ſed ut otator animum audieotis moveri volet, ita certum tota oratione admouebit ſooum: ut contenta uoce atrociter, ſummiſſa leviter, inflexa miſerabilirer, inclinata graviter & acerbé dicat: geſtum corporis ac motum ad vocis modulationes & varietates accómodet: idque Rhetorica non ut commune, ſed proprium declarabit. At cum hiſtrionibus, dices fortaſſe (nihil enim hîc dicis) illud eſt oratoribus commune, vel hîc nos potius illorum iuvamur & inſtruimur arte. Sic á Satyro Demoſthenes, & tu (ſicuri audivi) á Roſcio, & Æſopo adjutus es. Ego veró hæc eó pertinere non ſtatuo, ut quia hiſtriones in pronuntiandi dignitate elaboraront, & ab iis orarores quidam adjuti ſunt: idcirco ars pronuntiandi, nó ſit orarorum, ſed hiſtrionum propria: de hominibus hæc dicuntur, non de artibus. Cûm Romæ eſſer auditum Hortenſium eſſe dicturum, hiſtriones eó conveniebant, ut ab eo geſtus dignitaté & præſtantiam diſcerent. Hoc modo igitur extorquebo ut hiſtriones oratorum diſcipuli eſſe videantur, non magiſtri. Deniq; multis antea ſeculis nationes omnes hiſtrionia caruerunt, & poſtea fortaſſe carituræ ſunt: et tñ poſt homines natos eloquentiæ vis in aliis alia major valuit, & quádiu genus erit hominú, tamdiu valebit. Tum veró recordare quid oratorio 3. de actione ſcripſeris. Sed hæc ipſa (ais) omnia perinde ſût, ut agûtur: actio (inquá) in dicédo una dominatur: ſine hac ſummus orator eſſe in numero nullo poreſt: mediocris hac inſtructus, ſummos & ſæpe ſupabit. Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cû rogaretur, quid in dicédo eſſet primum: huic ſecúdas, huic tertias. Hác igitur oratoris, id eſt reipubl. & civiú ſuorum principis excellétiam ab hiſtrionú ſcena, cum qua ab illis nominari ignominioſum ducimus, repetendam judicabit. Veruntamen quid pluribus iſtá quæſtionem perſequor, ſi latiné loquâtur hiſtriones, ſi numerent, ſi metiantur, eritne ideo hiſtrionum propria Grammatica, Arithmetica, Geometria? non opinor, cúm uſus illarum artiú cómunis quidé ſit, ratio aût & inſtitutio generis minus ꝓpria: at Rhetorica ſi veré deſcripta ſit, ut elocutionis, ſic actionis uſum communem omniú hominú habebit in foro, in ſcena, in urbe, in agro, deniq; ubicunq; & rem quamcumq; tractantiú. Quare ſi Hiſtriones bene dicant & agant, id Rhetoricæ facultate faciût: ut Gramaticæ, ſi bene loquûtur: ut Arithmeticæ, ſi bene numerét: ut Geometriæ, ſi bene metiantur. Artes ſua natura, non ex hominú ſtudiis metiédæ & æſtimandæ ſunt. Nemo inter artes liberales artem hiſtrionicá numerat: at ñ ex his duas grámaticam & rhetoricá fatemur eſſe ſermonis non ſolúm texendi & ornandi, ſed efferendi ac pronuntiandi. Quare quemadmodú dialectico invétio

quæſtionum, jurisjurandi: tandem elocutione etiam prius confuſa pervenit ad diſpoſitionem, ubi de enuntiatione, de ſyllogiſmo, ut jam dixi, nil præcipit, nec ſyllogiſmum diſpoſitionis eſſe ſuſpicatur, nihil de methodo perſpicué tradit, id eſt, de diſpoſitione nullam doctrinam interpretatur, ſed obſcura quadã, nec ipſi doctori nota methodi ſpecie partitionẽ orationis fabulatur in exordiũ, narrationẽ, confirmationem, perorationẽ: quibus in partibus incredibili caligine invẽtionis artes anté jam contextas retexit ad exordium demonſtrativum, judiciale, deliberativum: ad narrationem demonſtrativam, judicialem, deliberativam: ad confirmationem demonſtrativam, deliberativam, judicialem: & variis altercationũ ſophiſmatis interpoſitis implicat: nullã diſpoſitiõis, ut dixi, doctrinam tradit. Vtinam mentes tam ſapientes, quám ſenſus haberemus? Aedificanda domus fuerit, lapides é latumiis ſint eruti, latomus idoneos probaverit, rejecerit alienos: quid ſupereſt, niſi ut diſponantur, & murus ac domus conſtruatur? an non delirus architectus habeatur, ſi lapidibus inventis & probatis, tanquam horum nihil actum ſit, nos ad latumias remittat, nec lapidis cum lapide compoſitionem & conjunctionem inſtituat? At Rhetor hic delirus architectus eſt, latumias inventionis totas effodit & exinanivit: judicium & delectum adhibuit: utiles lapides ſelegit, inutiles rejecit, id eſt, earũ rerum artes propoſuit & explicavit: ad ſtructuram & diſpoſitionem ubi pervenit, nihil ædificat, nihil cõſtruit, ſed quaſi adhuc nihil inventum ſit, nos ad latumias redire jubet, locos inventionis pro diſpoſitiõis modis & regulis neſcio quo modo ſomniãs rurſum in falſis hiſce partibus confundit. Opus Rhetoricæ partitur ex una duntaxat ejus parte: diſtributio enim orationis in exordium, narrationem, confirmationem, perorationem ex diſpoſitione ſola eſt, quæ ad tuum judicium (qui quinq; facis eloquentiæ partes) una de quinque partibus & ſola eſt: & quidem ita partitur, ut de diſpoſitione nihil præcipiat, ſed invẽtionem anté traditam pro diſpoſitionis doctrina conturbet & confundat. Quamobrem, mi Cicero, ut ſępe jam moneo, ſcholaſtica hęc cõmenta contemne ac deſpice: ac tam ſimpliciter ei credere deſine. Deſine inquam hominis cujuſq; deliramentum, judiciũ tuũ appellare: ac ne dii Ciceroni tã vehemẽter offenſi ſint, ut ei tã imbecillũ, tãmque infirmũ judiciũ donẽt. Sed de tertio partitionis tuæ mẽbro dicamus, quomodo ſit oratori dicendũ: ſatis enim de duobus ſuperiorib. dictũ eſt, & quid, & quo loco diceretur: & quantas rhetores illis partibus tenebras offuderint. Hic quanti nos glires tibi videmur? quanto, quãque alto ſomno ſepulti? eodẽ difficultatis argumẽto quoties iam excitamur? quinto enim loco idem exordii argumentum repetitur. Rẽ difficilẽ, dii immortales, atq; omniũ difficillimã (ais.) Perge inquã, rem valde difficilẽ ſentio: & re vehemẽter occupatũ video. Memoriã hic cõtẽnis (hoc antea in partitionis imperfectione reprehendi) & quidẽ contemnis, quia ſit ea cõmunis artiũ multarũ: quo argumento qđ intelligas, ſané vix intelligo. Etenim ſi memorię uſum exiſtimas cõmunem eſſe multarũ artiũ, ut hæc memoria teneãtur, libenter aſſentior: quinetiã de meo, ſi voles, addo omnium nõ modó artium, ſed quarũvis aliarũ rerũ, quæ in hominis ſenſum aut intelligentiam cadant, memoriã eſſe cõmunem. At iſta ratione fuit inventio tibi & collocatio contemnẽda, & deinceps elocutio & actio: quoniã omniũ rerũ pariter cõmunes ſunt. Sin aũt multarũ artiũ eſſe dicis de memoria præſcripta quædã & formulas exprimere, id nullo modo concedã. Nam quicquid eſt artis, qua memoria poſsit adjuvari, ordo ac diſpoſitio rerũ eſt qua quid primũ, quid ſecundũ, quid tertiũ ſit, animo cernamus. De locis aũt & imaginibus, quæ vulgó dicũtur, valde ſunt inepta, & á quibuſdam artis magiſtris meritó deriſa: quot enim imagines Philippicæ Demoſthenis deſiderabũt? ordinis porró quoniã ſola dialectica diſpoſitio doctrina eſt, ab ea ſola memoriæ præſidium & ſubſidium peti poteſt. Quare ut inventionẽ & diſpoſitionẽ, qđ initio poſui, ſic memoriã illi arti veriſſimé poſsis attribuere. Dicẽdi modus ſequitur, quẽ partiris bifariã in elocutionẽ & actionem, laudo: de actione multa magnificé deſcribis, quæ probo: actionem rejicis velut communem, non laudo: has enim partes duas eloquentię proprias eſſe jam conſtitui. At inquis, orator una excellit elocutione, cæteta in ea latere indicat no-

cat nomen ipſum. Non enim inventor aut compoſitor, aut actor hæc complexus eſt omnia, ſed & Græcé ab eloquendo ῥήτωρ, & Latiné eloquens dicitur. Bene ſané diſputas, & peracuté moveris: ῥήτωρ ἀπὸ τοῦ εἰρῆσθαι, & eloquens ab eloquẽdo dictus eſt, fateor: & elocutio, quia, ut ais, ῥήτωρ complexus eſt hæc omnia: complectitur actionem, eſto. Sed, mi Cicero, non vides hoc argumentum totum á me eſſe? elocutio nomen generale eſt, & ſignificat tropos & figuras, & totum dictionis ornatum: ſed complectitur etiam actionem, ut ais, & quidem multo magis cõplectitur & ſignificat, quám ſcriptam dictionem: ut in grammatica cúm definitur vulgó ars ipſa doctrina recté loquẽdi, loqui refertur ad vocem & pſodiam: ut ſcribere ad manum: ſic uſu quodam etiam refertur eloqui ad troporum & figurarum dictionem, ut elocutio hæc ipſa dictio iam dicatur. Quare, ſi vis, argumento tuo utar, concludam pronuntiationem oratoris eſſe propriam. Quod indicatur oratoris nomine, eſt oratoris proprium: Pronuntiatio indicatur oratoris nomine. hoc enim ſignificat & orator, & eloquens, & ῥήτωρ. Pronuntiatio igitur eſt oratoria propria. Redeamus veró ad fundamentum illud ſummæ diſtinctionis initio poſitum: tres enim ſunt artes, quas jam ſæpius nomino, communes maximé, maximéq; generales, Grammatica, Rhetorica & Dialectica: duę priores ſunt ſermonis & linguæ: tertia rationis & prudentiæ: hæc cogitat & perpendit omnia: illæ cogitata puré & ornaté pronũtiant. Grammatica docet puré ſcribere, ac pro temporis ratione contendere, inclinare, inflectere ſyllabæ modum. Rhetorica docet ex tropis & figuris ornaté dicere: eadem non ſolúm graves, & acutos, & inflexos ſonos (quod á Grammatica didicerit) ſed ut orator animum audientis moveri volet, ita certum tota oratione admouebit ſonum: ut contenta voce atrociter, ſummiſſa leviter, inflexa miſerabiliter, inclinata graviter & acerbé dicat: geſtum corporis ac motum ad vocis modulationes & varietates accõmodet: idque Rhetorica non ut commune, ſed proprium declarabit. At cum hiſtrionibus, dices fortaſſe (nihil enim hic dicis) illud eſt oratoribus commune, vel hic nos potius illorum iuvamur & inſtruimur arte.

Sic á Satyro Demoſthenes, & tu (ſicuti audivi) á Roſcio, & Æſopo adjutus es. Ego veró hæc eó pertinere non ſtatuo, ut quia hiſtriones in pronuntiandi dignitate elaborarunt, & ab iis oratores quidam adjuti ſunt: idcirco ars pronuntiandi, nõ ſit oratorum, ſed hiſtrionum propria: de hominibus hæc dicuntur, non de artibus. Cúm Romæ eſſet auditum Hortenſium eſſe dicturum, hiſtriones eó conveniebant, ut ab eó geſtus dignitaté & præſtantiam diſcerent. Hoc modo igitur extorquebo ut hiſtriones oratorum diſcipuli eſſe videantur, non magiſtri. Deniq; multis antea ſeculis nationes omnes hiſtrionia caruerunt, & poſtea fortaſſe carituræ ſunt: et tñ poſt homines natos eloquentiæ vis in aliis alis major valuit, & quãdiu genus erit hominũ, tamdiu valebit. Tum veró recordare quid oratorio 3. de actione ſcripſeris. Sed hæc ipſa (ais) omnis perinde ſũt, ut agũtur: actio (inquá) in dicẽdo una dominatur: ſine hac ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt: mediocris hac inſtructus, ſummos & ſępe ſupabit. Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cũ rogaretur, quid in dicẽdo eſſet primum: huic ſecũdas, huic tertias. Hãc igitur oratoris, id eſt reipubl. & civiũ ſuorum principis excellẽtiam ab hiſtrionũ ſcena, cum qua ab illis nominari ignominioſum ducimus, reperendam judicabit. Veruntamen quid pluribus iſtã quæſtionem perſequor, ſi latiné loquãtur hiſtriones, ſi numerent, ſi metiantur, erit ne ideo hiſtrionum propria Grammatica, Arithmetica, Geometria? non opinor, túm uſus illarum artiũ cõmunis quidẽ ſit, ratio aũt & inſtitutio generis minus ꝓpria: at Rhetorica ſi veré deſcripta ſit, ut elocutionis, ſic actionis uſum communem omniũ hominũ habebit in foro, in ſcena, in urbe, in agro, deniq; ubicunq; & rem quamcumq; tractantiũ. Quare ſi Hiſtriones bene dicant & agant, id Rhetoricæ facultate faciũt: ut Grãmaticæ, ſi bene loquũtur: ut Arithmeticæ, ſi bene numerẽt: ut Geometriæ, ſi bene metiantur. Artes ſua natura, non ex hominũ ſtudiis metiẽdæ & æſtimandæ ſunt. Nemo inter artes liberales artem hiſtrionicã numerat: at ñ ex his duas grãmaticam & rhetoricã fatemur eſſe ſermonis non ſolúm texendi & ornandi, ſed efferendi ac pronuntiandi. Quare quemadmodũ dialectico invẽtio

nem, diſpoſitioné, memoriá merito aſsignamus, ſic elocutioné & actioné oratori ꝓpriam relinquamus. Quod quidem neſcio quomodo velut aliud agens per Craſſú & Antoniũ indicas, cũ Antonius, qui ad ingenii prudentiá & conſtantiam inveniendi, diſponẽdi, & recordandi propios accederet, haſce tres partes oratorio ſecundo tractet & explicet. Craſſus (cujus magnificẽtior eſſet oratio) reliquo ſermone laudes elocutionis & actionis perſequatur, ut quæ erant in oratoris nomine ante confuſæ, Dialectica & Rhetorica, partitione illa diſtinguerentur. Sed já tertii mẽbri pars altera exponenda eſt: unica aũt eſt elocutio, unde promi poſsit orator, & nomen ipſum oratoris indicat ſolá elocutioné oratoris eſſe propriá, cætera in eo latere: qđ tibi hactenus concedá, ut æſtimentur in elocutione ita latere, ut animus in corpore: ſic enim antea inventioné, diſpoſitionémq; cũ elocutione cõparaſti: non aũt tanquam elocutionis ſplẽdore reliquarũ partiũ dignitas obruatur: major eſt enim inventionis & diſpoſitionis prudentia, quá ut cũ ſola eloquẽtia cõparetur: & pauló anté confirmabas multos infantes actionis dignitate, eloquẽtiæ fructũ tuliſſe: diſertos veró deformitate agẽdi multos infantes habitos eſſe: ut non ſine cauſſa tribuiſſet Demoſthenes & primas & ſecundas & tertias actioni. Non igitur majores illæ nobilioreſq; partes latent in elocutione: ſed elocutio cũ ab his & ſenſum & ſpiritũ hauſerit, ita tũ ſuũ præclaré tuetur. Verũ multa genera facie elocutionis: philoſophi verecundé dicũt & molliter: ſophiſtæ ſuaviter & arguté: hiſtorici æquabiliter & fuſe: poëtæ numeris cũ ſint aſtrictiores, reliquis tñ generibus dicendi licenter utũtur & liberé: quæ omnia quidé orationis genera eloquentiæ propria ſunt: cúm ſoli rhetoricæ ꝓprius omnis orationis ornatus cõcedatur. Quare quávis in ſingulis non omnes dicendi laudes poſitæ ſint, ea tñ ſunt etiá oratoris: & ſimilibus ꝓpoſitis argumẽtis ſimiliter ac illi ſunt locuti, pfectus orator diceret: nec hoc loco ſicut antea de ſophiſtis dictũ eſt (quos hic inutiliter cũ oratore denuó cõparaſti) ſatis apté facta eſt iſta diſtinctio: ſed tñ in his præclaris differentiis cõſtituẽdis, quid attinet quæ ſunt inventionis, inculcare? Philoſophi ſedare malũt, quá incitare, de placatis rebus ac minimé turbulentis docendi cauſſa, non capiendi loquũtur: ſic ſophiſtis ais propoſitũ eſſe nõ perturbare animos, ſed placare potius: nec tá perſuadere, quá delectare. Itaq; magis concinnas exquirunt ſententias, quá probabiles, á re ſæpe diſcedunt, intexunt fabulas: ſic de hiſtoria poſtremó loqueris: in qua & narratur ornaté & regio ſæpe aut pugnæ deſcribitur, interponuntur etiá ſæpe conciones & hortationes: quid, inquá, hæc omnia, quæ nõ imprudẽter effudiſti, ſed de induſtria palám atq; aperté collegiſti, nõ elocutionis (de qua ſola nunc diſſeris) propria ſunt? nonquid invẽtionis ea ſunt omnia? quá veró ridiculũ eſſet cũ de generibus diceres argumẽtorum, figurarũ diſsimilitudines interponere: tá hoc tẽpore ineptũ judicandũ eſt, cũ de differentiis præcipitur elocutionis, quæ ſunt invẽtionis admiſcere. O te, M. Cicero, ſapienté, ſi Apollinẽ veriſsimé tibi conſulenté audire voluiſſes. Meminiſti enim quemadmodũ (ut ajũt) tibi de tua laude ſciſcitanti reſpõderit, ut naturá potius ducé, quá multorũ opinioné ſequerere. Ingenio prorſus admirabili, acerrimo judicio natus eras: quib. bonis quoties liberé uti voluiſti, Cicerone præſtantioré virũ neminé unquá judicavi. At quo te ſimplex & credula de inertibus magiſtris opinio deduxerit, tam multa in primæ reprehenſionis parte tertia peccata admonere te poſſunt. Partitio ipſa primúm ſi vera eſſet, tamen eſſet partis unius omiſsione vitioſa, at falſas partes amplectitur, inventionem & diſpoſitionem, quas elocutione tum inferiores, tum ſuperiores facis: eaſdémque oratori & tribuis & detrahis: falſam & inutilem quæſtionum partitionem inſtituis: quid? quod affirmas quæſtionis ſpecialis nullam eſſe artem? quod argumentorum locos á communibus locis neſcio quomodo diſtinguis? quod expers artis judiciũ putas? quod egrederis toties? quod tam inutiliter, támque ridiculé idem proœmium repetis? quod elocutionem philoſophorum, ſophiſtarum, poëtarum, hiſtoricorum oratoris eſſe negas? Quare deſine (quod toties iam moneo) judicium tuum hic iactare, nunquam mihi tui eſſe judicii tantam egeſtatem perſuaſeris.

P. RA-

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER IIII. DE oratoris definitione & exornatione.

Atque has tam duras, támque obſcuras ſalebras prętervecti, nondum tamē oratorem vel oratoris ſpeciē (nec enim facile eſt divinare utrum quæras) in Latio, in Græcia, in ſophiſtarũ ſcholis, in inventione, diſpoſitione, memoria, actione, elocutione philoſophorũ, ſophiſtarũ, poëtarũ, hiſtoricorum reperimus. Ad id igitur qđ poſtremò primæ reprehenſionis loco poſitũ eſt, accedamus: in oratore tractando fortaſſe fœlicior es, quá fueras in inveſtigádo. Audiamus igitur quæ tua definitio ſit, quæ ex rebus adjũctis facta ſit exornatio. Nō ſit inventus orator tā multis in regionibus: an nuſquá tandē reperietur? Erit, ais, eloquens is, qui in foro, cauſſiſq; civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Rē nová, dii Immortales, minimeque omniũ abs te in hac diſputatione ſperatá. Quid eſt Rhetorica, M. Tulli? nōne doctrina de omnibus rebus bene dicēdi? nónne inventionis, diſpoſitionis, elocutionis, memoriæ, actionis artes uel á te eloquentiæ nomine cōprehenſę, generales ſunt, & cōmunes omniũ rerum? quid eſt igitur de quo bene dici nō poſſit? cur igitur in foro cauſſiſq; civilib. potius, quā omnino in omnib. locis atq; rebus? quáto melius in oratoriis ac veriis rhetores hujus ſentétiæ authores irriſiſti, qui in civiles & forenſes cauſſas oratorē detruderent ac cōpingerent? quanto cōſtantius ibidem de vi oratoris ac poſſeſsione docuiſti, ut de omni re quæcunq; eſſet poſita, ab eo ornaté, copioſeque diceretur? At hic oratorē in judicia & conciunculas velut in vincula cōjicis: illic nullis terminis circunſcribis, quo minus liceat ei vagari quo velit. Agé veró tollarur forum, ne ſit iſta per diſertos uel eloquentes homines litigandi ratio, dicat pro ſe quiſq;, patronũ non adhibeat, nulla ſit ad populũ dicendi poteſtas, Reſpublicæ regũ aut tyrānorum dominatione teneantur, legibus á principe ſcriptis pareatur: quæ omnia & facta ſunt aliquando, & natura fert ut accidere in poſterũ queant: an eloquentia, quia locum abs te nuſquā definitum obtineat, nullũ prorſus obtinebit? lāgueſcet? peribit? At, inquies, cęteris omnibus in reb. non inficior eloquentiā poſſe verſari: ſed magis aſsiduè, & maiori cum laude in forenſib. cauſis occupari dico. Teneo, inquá, ſed tñ quî divinare iſtud poterā, cũ verbis aliud exprimeres? At veró id falſum eſt: cúm ſit aliquádo tēpus illud, quo nullā in foro laudem orator aſſequatur. Quare cogita iſtud quale eſt, quód definitio tua non ſemper oratori coveniat. Reminiſcere quæ antea de lege definiendi tradideris: ideas Platonis in memoriā redige, quas ille gigni negat, & ait ſemp eſſe: at id qđ nobis definis, natũ aliquando eſt, q́a non ſemper fuit: nec eſſe iſtiuſmodi neceſſe eſt, cũ poſsit accidere cōtrariũ: atq; hic etiā dicā quod te admiraturũ arbitror: ſi cōpares reliqua omnia genera rerũ, quæ poſſunt eloquentia tractari, cũ forenſib. & civilib. cauſsis, dices Oceanũ cũ ſtilla muriæ eſſe cōpararum: tot decreta diſputantur in omnib. diſciplinis infinitis voluminibus, tot hiſtoriæ, tot cōſolationes, tot epiſtolæ, tot legationes, tot explicationes rerũ & diſpurationes, quę quotidie accidunt, an eloquētiæ ornatũ, an pronũtiationis gratiā non capiũt? Addis in iſta definitione, ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. O cæcam & lubricā definitionis rationē: negaſti antea inventionē eloquentię eſſe propriā, & quiddā propriũ longé perfectius ſimulaſti te cogitatione & animo cōplecti: at tũc quod antea repudiaras, repetis: & oratoris perfecti primá laudē facis, docere: unde porró vis iſta docendi emanat? an é luminib. & ornamentis elocutionis? nihil minus, ſed tota invētionis eſt: unde etiā & delectandi & movendi reliquæ partes multó copioſius & abundantius oriũtur, quám ex elocutione. Teſtē ignotũ & peregrinũ nullũ proferá, teipſum tibimet opponā: in oratorio ſecũdo inventioni nō ſolúm fidē, ſed delectationē & motũ ſubjeciſti: in partitionibus idē feciſti. Invētio igitur quæ tibi antea nō tā inſignis ad oratoris laudē videbatur, quā neceſſaria: eadē nũc omniũ laudum (quas habeat orator proprias) propemodũ ſola effectrix & mater videtur. Simillimé veró ac ſi pictor aliqs tibi tabulam eximiam pollliceretur, negaret ex ullo colore vulgari futuram: non é nigro, non candido, nō rubro, non viridi,

non purpureo, non ceruleo: tãdem cúm diu multumque emptorem ſuſpẽdiſſet: é quo tandem colore rogares, tabulam iſtam mirabilem conficies? ex viridi reſponderet, & ceruleo: nónne meritó pictoris illius vanitarem & jactanriam irridẽdam & explodendam judicares? at tu quid ais? talem oratorem fingam & informabo, qualis nunquam fuit: neque enim é Latinis, é Græcis oratoribus, é ſophiſtis quiſquam talis extitit: non eſt iſta perfectio In invẽrione, diſpoſitione, memoria, actione, elocutione philoſophorum, ſophiſtarum, hiſtoricorum, poẽtarũ: hîc cúm expectationem noſtram tam lõga, rámqne prolixa oratione ſuſpenderis: ſi id rogemus, ubinam igitur tanti oratoris virtus ſita eſt? tum reſpõdeas, in inventione: ut tametſi non verbo, re ramen ac veritate vim mirabilis hujus oratoris In inventione poſitam eſſe fateare: quid enim? conſidera, qua ratione expectationem tantam, quanram promiſsione tanta, tamq́ue verboſa cõcitaveras, tandem tueare: conſidera inquam, mi Cicero, Atticáne an Aſiatica ſit iſta tanta & loquacitas & redũdantia: definiendus erat initio tibi propoſitus orator aperté, breviter, proprié: tu res obſcuriſsimas intermiſces & confuſiſsimas: tu dimidiam partẽ operis & libri tui in iſta definitione collocas: tu taudem rebus & impropriis & alienis & falſis oratorem deſcribis & explicas. Sequitnr ut tribus officiis oratoriis tria dicendi genera (quæ jam dixi oratoris proprium nihil eſſe) accommodentur, ſubtile in docendo, mediocre in delectando, grave in flectendo. Quam generum varierarem ſplendidé ſané & magnificé deſcribis, & veré ſenris in agendis cauſsis adhibẽdam, ut initio dixi, nobis eſſe: qnamvis enim Attici noſtri de ſecundo poſtremoque (ut dixi) á te diſſentiant, quód auditorem veré & conſtanter doceri malint, quám ulla cupiditate capi, aut vi inflammatę orarioniaimpelli ac turbari, tamen veritate victus, me ab illis nonnihil disjunxi, & ad tnam ſententiam feté aggregavi: & quamvis hoc efficere ipſe non poſſum, non idcirco in te nõ laudandum exiſtimo (quamviſq́ue iſtam triplicem docendi, delectandi, movendi virtutem communem artium & virturũ multarum non rheroricæ propriam judico) tamẽ in actore cauſſarum ſummas & ſingulares eſſe laudes tecnm ſentio: neq; quicquam majus eſſe judico. Quamobrẽ quód exiſtimas huic ipſi cauſſarum regi atq; princlpl hoc inſtrumenrum eſſe ram inſigne, tamq́ue glorioſum, fateor & concedo: quód autem oratori, id eſt unius artis (ut anté ram acrirer egi ac diſputavi) homini, inficior plané ac pernego. Sed tamen tria dicendi genera proponis, eamq́ue partirionem ex decoro deducis: cujus admonitio quid cuiq; opus ſit, quid conveniat, quid deceat, tametſi eſt in omnibus artibus, imó iu omnibus dictis & factis neceſſaria, ejus tamen conſilium & doctrina (ſi decori conſilium ullũ, ſi doctrina eſt ulla propria) dialecticæ invẽtionis diſpoſirioniſq; propria eſt. Sed uſus & iu ſingulis rebus peritia quidem decorum hoc affert, quando pleno ſermone, quãdo integra ratiocinatione, quãdo utroq; genere contracto, quando hoc uel illo modo præcepris artiũ reliquarũ ſit utendũ. Hic nos dormire adhuc arbitraris. Magnus (ais) eſt locus hîc Brute, quod te nõ fugit, & magnũ volumen aliqđ deſiderat: magnus eſt locus, M. Tulli, fateor neq; tñ valde magnũ volumẽ deſiderat. Vim ejus infinitá quandã vides, artẽ tñ videris nõ ſatis inrelligere. Ná antea dialecticæ ſeparatim aliquid artigiſti, cũ de genere, ſpecie, definirione, partirione, veri falſiq́; regula dictũ eſt: & poſtea de inventione, judicio, diſpoſitione præcepiſti, tã quam & hæc ab illis diverſa eſſent: idem ſapientiã ſingulari quidẽ nomine, ſed parũ intelligenter expreſſo nominas. Quid enim eſt ſapientia hęc? Philoſophiáne de moribus? minimé. nam hîc cũ honeſtum verbo oportere, & decorũ verbo decere appellas: hęc ſeparas & diſtinguis: idq́; aliis etiã libris apertius facis. An prudẽtia eſt in reb. humanis, qualẽ in ethicis Ariſtoteles definit? ne hoc qdẽ dici poteſt: nullꝰ enim delectus bonorũ & utiliũ quęritur: aliud eſt decorum, qđ quæritur: aliud bonũ, aliud utile. An philoſophia de natura & rebus occultis? nequaquã. Neq; enim eſt ullũ in tota illa ſapiẽria verbũ de decoro: quęnam eſt igitur iſta ſapiẽtia? Dialecticáne? hæc enim reſtat é tribus partibus ſapientiæ: nõ Ita videris exiſtimare, cũ de dialectica dixeris antea, & dicturus poſtea ſis, & tamen decori nullã mentionem unã cũ dialectica, nec antea feceris, nec facturus poſtea ſis. Quãobrẽ ut vere-

res illi priniq; philoſophi, cúm cæleſtiũ orbium conſtanres & ratos motus, cúm ſtellarum cursus & recurſus certos & immurabiles animaduertiſſent, mirabilem quandam harum tor tãrarumque rerum effectricem vim eſſe crediderunr: quid tamen eſſet, ignorauerũt: ſic tu cúm in poëtis, in pictoribus, in hiſtrionibus, in vita, in motibus, in omnibus dictis & factis minimis, & maximis admirabilem modi cujuſdam & decori rationem pro ſingulari tuo judicio perſpexeris, caprus admiratione, & incenſus velut exclamas, & ſapientiá appellas: ſed quid ſit, qua ratione & via cognoſci poſsit, non demõſtras. At, mi Cicero, ſi qua (ut dixi) decori ars eſſe poteſt, dialectica eſt. Nam ſi decori rationem rhetoricæ artis eſſe putas, neceſſe eſt ſané ut referas ad aliquam earum partium, quas rhetoricæ tribuis: pronuntiationis autem memoriæ, elocutionis non videtur eſſe proprium hoc decretum: neceſſe eſt igitur inventioni & diſpoſitioni, id eſt dialecticæ (cujus hæ duæ partes propriæ ſunt) attribuas: dialectica inquã, iſta decori ars eſt, quæ quid ſit quod deceat, an non decaat, rationes oſtendit, judicandi regulas præbet: quod tu his verbis quoque indicas, cum ais, Magni igitur judicij, ſummæ etiam facultatis eſſe debebit moderator ille, & quaſi temperator hujus tripertitæ varietatis: nam & judicabit quid cuique opus ſit, & poterit, quocunque modo poſtulabit cauſa, dicere. Hæc tua verba ſunt, quibus ſignificas decorum eſſe judicij, & decorum ſervaturum eſſe, qui poterit judicare quid cuique opus ſit: ergo doctrina judicij erit etiam decori doctrina. Hoc auté immenſi vſus eſſe confiteor, ſed artis modicæ, & paucorum præceptorum eſſe dico, quæ dialecticæ & inventionis & diſpoſitionis inſtitutis continentur. Ab hoc decoro ad genera dicendi pervenis: & é ſomno nos exciras. Magnum opus & arduum Brute, ſed ingredientibus conſiderandum fuit, quid ageremus. Verúm perge, neque enim probare cuiquam pores, non modó ex academiæ ſpatiis, ſed ne ex rherorum quidé officinis hæc profecta eſſe, ut cúm vigilantem auditorem, & per ſe audiendi cupidum acceperis, toties ſine cauſſa, & eodem, quod moleſtiſsimum eſt, argumento exagites: ſexies enim jam repetitur. Si, me hercule, de Salamine, aut Marathone (qui rhetorum campi ſunt) apud Gorgiam, aut Iſocratem declamares, vix quiſquam tam molles delicias perferret: in artis autem abſolutione deſcribenda, vbi prudẽtia & diligentia partes omnes occupauit, jactantiæ & oſtentationi nullum locum reliquit: nos ineptias iſtas quomodo vis perferamus? Sed tamen, vt dixi, perge: de generibus dicendi præcipis, de quibus antea præceperas, ut neceſſe nihil eſſet hæc eadem rurſus inculcare: admiſces in elocutionis generib. denuó quæ ſunt inventionis, de ſententiis acutis, de ſalibus in genere ſubtili, de affectibus in gravi: ſed tñ ex omnib. tuis in hac quæſtione peccatis hoc unũ maximũ mihi viſum eſt, quod cúm in oratoriis dialogis de hoc ipſo elocutionis decoro poſt expoſitas oẽs oratoriç ſupellectilis facultates abs te dicatur, nunc nõdum deſcriptis ornamentorũ generib. (id enim poſtea facis) de delectu præſcribis, & totam rẽ permiſces: judiciũ ſcilicet decorũ atq; aptum de rebus nõdum expoſitis atque explicatis facis. Exclamas, Tenemus, Brute, qué quærimus, quẽ nunquã vidit Antonius: qué inquam? qui & humilia ſubtiliter, ais, & magna graviter, & mediocria temperaté poteſt dicere. O præclarã & verã gratulationem: quaſi nó & illum initio inventũ tenuerimus, & iiſdem generũ laudibus definitum: quaſi veró eundem etiã non viderit Antonius, quem nũc vides: nõ eũdem tenuerit, qué nunc tenes: & eloquentiæ definitio in ejus libro non fuerit vel tua definitione melior. Quid enim Antonius apud te oratorio primo, cúm de duobus oratoris generibus: mediocris & perfecti diſputat, quomodo loquitur? Tumq; ego, ait, hac eadé opinione adductus ſcripſi etiam illud quodã in libello, qui me imprudente & invito excidit, & pervenit in manus hominũ, diſertos me cognoſſe nõnullos, eloquẽtẽ adhuc neminem: quód eum ſtatuebã diſertũ, qui poſſet ſatis acuté atq; dilucidé apud mediocres homines ex cõmuni quadã hominũ opinione dicere: eloquẽtem veró, qui mirabilius & magnificentius augere poſſet, atq; ornare quæ vellet, omneſq; omnium rerum quæ ad dicendum pertinerent, fonteis animo ac memoria cõtineret. Quid iſta eloquentiæ, id eſt (ut ais) perfecti oratoris definitio, an non illum tuũ cauſſatũ actoré tam bellé demõ-

ſtrat, quám tua? viderat igitur Antooius oratorem tuum perfectú, ut tu vides, méte nempe atq; animo: quia definierat tá bellé, quám tu: effigiem & exemplum nõ viderat, neque tu, ut ais, quia nullum in Græcis, nullum in Latinis talem unquá fuiſſe affirmas. Quid igitur gloriaris te tenere, quod ille non teñuerit? qoam viam nobis aperis ad illius oratoris pfecti laudem, quá ille non viderit? Tum relaberis ad illum furorem poëticũ: Objicis enim tibi neminé oratorem talem vnqoá fuiſſe, qualem definieris. Quid enim initio, nóone idé? At ego In ſummo oratore fingendo talem informabo (ais) qualis fortaſſe nemo fuit. Rationé porró Platonicę formæ eádem ad utrũq; locum accõmodas, ſic velut in mari fluctibus ad eoſdem ſcopolos ſæpius rejiceris. Atq; ita nobis oratorem definis falſa definitiõe, decori valde indecora, & generũ dicédi prorſus allena cõfuſione. Atq; hæc de oratoris definitione. Exornationé ipſam ſpectemus, in qua Dialectica, Ethica, Phyſica, jura, veteris memorię monumenta oratori ſubjiciõtur: quáobrem? quia ſine his perfectus eſſe nõ poteſt: quid inqoá? multó minus poteſt philoſophus & hiſtoricus ſine eloquentia perfectus eſſe. Quare eloquentiá philoſophis & hiſtoricis miniſtrá adjongamus: at eá dominá reliquarum artium cõſtituis: quid iſta qoám incõſtáter dicantur, nõ vides? uſum artium omniũ cõmuni quodá vinculo contineri ſæpe já propter iſtá tuá perpetuá confuſionem, repeto: at pręcepta ſeparáda ſont. Redeamus ad Solonis legé: fines regamus, extra terminós ne excedamus: Si oleá plátaueris; nooẽ pedes relinqto: at tu rhetoricá hác; ſi Palladi placet, oleá cũ plátes, juxta philoſophorũ fundũ, nõ modó pedem nullũ intermedium relinqois, ſed radicib. arboris totam philoſophiæ regionem cõplecteris: an non juſto legum ſacramento cõtendere, teq; ex jure manu conſertũ vocare meritó poſſum? At mirificum eſt in perfecti oratoris explicatione toties eandem ré & temeré abs te iterari: nullus erat in otatore definiendo, & ſuis omnib. numeris abſoluendo propriua locus, obi de dialectica dici poſſet: tu tamen pro ſingulari ingenio tuo tres inveniſti. Et quidé tot repetitionea iá á nobia hic notatæ & animadverſæ, nunquámne perſuadebũt juſtá eſſe admonitioné meá, quod in repetitionib. nimius ſis? At fortaſſe ipſe fallor, & poteſt eadem res ſæpios ſioe reprehenſione dici. Verumenimuero attende quid hîc tibi reſpondeá. Noſti quæ Solonis in condendis legibus prudentia fuerit, & quám omnium gentiũ judicio cōprobara? hic aotem theſmothetas couſtituit, qui quotáois leges civitatis legerét, & accuraté perpenderent, ac ſi doas de re eadem reperirent, deteriorem abrogarét, conſervarent meliorem: præcepta autem artiũ, ut veriſsimé ſummus author Plato cõfirmat, leges ſunt: quare una de re uoicá dũtaxat legem teneamos. Videa quomodo cõcludam: nõ veto quin puer qui diſcere velit, idem præceptũ legat, repetatq; decies, donec mente memoriaq; cõplectatur: imó veró omoi exercitatiõe cõſequatur. Sed te accuſo, quód eádem rem tam ſæpe præſcribas, quæ ſemel præſcripta majoré, & omnibus modis clariorem utilitatem adferret. Vtilitas enim illa pręcepti frequentius iterandi, oõ percipitur dictádo, ſed legendo, audiendo, exercendo: quod unico præcepto poſito melius fieri poteſt, quám ſi millies idem mille diverſis locis confunderetor. Attamen cúm nobis dialecticam tradas, qua ratione á rhętorica ſejongis? Facile veró fuit veris finib. & terminis ſeparare, quia rhetorica eſt ornaté dicendi, quod elocutione fit, et áctione: dialectica eſt ars ſapienter diſſerendi, quod inventione rerũ fit, & diſpoſitione: tu veró quomodo diſtinguis? Dialectica eſt eloquentia contracta, Rhetorica quædam eſt dilatata dialectica: ſic Zeno, ſic Ariſtoteles philoſophi ſenſerunt. Zeno quidem (ais) ille á quo diſciplina Stoicorum eſt, mano demõſtrare ſolebat, qoid inter has artes intereſſet: ná cúm cõpreſſerat digitos, pugnumq; fecerat, dialecticá ajebat ejuſmodi eſſe: cúm autem diduxerat, & manum dilataverat, palmæ illios ſimilem eloqoentiam eſſe dicebat. Atq; etiá ante hunc Ariſtoteles principio artia rhetoricæ dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ: ut hoc videlicet differát inter ſe, quód hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquédi cõtractior. Qood de hominibus diſcrimen, nõ de artib. ipſis eſt inventó: qui in ſcholis tenoiter & ſuccincté de re ꝑpoſita diſſerebant, dialectici, qui in foro res civiles copioſius & uberios tractarét, oratores ſũt appellati. Et hoc Ariſtotelis cõmẽtũ eſt, q ſyllogiſ

mos

mos dialecticis, enthymemata oratoribus attribuit: ſomnium inquá: non enim obſeruatum ex veró & naturali vſu documentum. Sunt enim in Demoſthenis & tuis orationibus ſyllogiſmi frequentiores & abſolutius concluſi, quám in ſpinetis & ſophiſmatis Ariſtotelis: vnde cõſtat hominem húc effudiſſe nobis quod ſomniaſſet, non explicaſſe quod obſeruaſſet. Hoc cómentú arripuit Zeno: ætare enim pauló inferior fuit: & cúm tá jejunus & aridus eſſet, omniq; eloquentia tam nudus, auſus eſt tamen de rhetorica etiam cum Ariſtotele fabulari & argutari. quod etiam diſcrimen á teipſo meritó deriſum video. Tua enim verba ex ſecundo de finib recognoſce, rhetoricé igitur, inquã, nos mavis quám dialecticé diſputare. Quaſi veró, inquit, perpetua oratio rhetorum ſolum, non etiam philoſophorú ſit. Zenonis eſt, inquam, hoc Stoici omnem vim loquendi, vt jam anté Ariſtoteles, in duas tributá eſſe partes dicere: Rhetoricá palmæ, dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, quód latius loquerẽtur rhetores, dialectici aút compreheſius. Hæc, inquá, in ſecúdo de finib. verba tua ſunt: quibus quávis hanc præclatá Rhetoricę & Dialecticæ diſtinctioné meritò derides. attamé iſtorú hominum ſcholaſticá & cõmentitiá opinionem judiciú tuú audes appellare et poſtulare, ut quantú de hac leuitate, tantum de ingenij, de eloquentiæ tuæ fama detrahatur. At, Deum immortalem, ſpectemus potius in artiú veritate, ſubtilitate, & perfectione inveſtiganda, quid res ipſa ac natura deſideret, quó progrediatur, quám, quales, & quibus nominib. artifices vulgó ſint nominati: redeamus non ſolúm ad Platonis (quas tá mirificé amplecteris) ideas: ut perpetuum aliquid & immortale, nihil caducum quæramus: ſed etiá ad Solonis legem, ad fines artiú redeamus. Proprium aliquid efficiamus: unus eſt in hominis natura ſenatus, unú conſilium, ratio eſt: cujus explicationem & doctriná Dialectica ſibi vendicat: duo ſunt in veſtibulo curiæ præcones, ad ea quæ ſenatus decreverit proferéda atque enuntianda, ſermonis puritas, quam ſibi Grammatica declarandam ſumit: orationis ornatus, cujus arté ſibi Rhetorica tribuit. Conſideremus igitur, omiſsis opinionibus (quæ tam ſæpe fallunt) quám laté pateat uſus ratióis, an aliquis ſit orationi locus, ubi nullus ſit rationi: nullú ſané reperiemus. Quicquid enim dicitur, id ratione recta, aut caprioſa, prudéti, aut ſtulta cõficitur: in poëmate, epiſtola, oratione, altercatione, ſermone ſit, nihil intereſt, ratio eſt: ſic quacunq; de re ornaté dicitur, res aliorú ſit ſtudiorum, ornatus tamen eſt rhetoricæ proprius: ſit Rhetorica ſuis cõtenta legitimis ac propriis finibus, ſuas ſibi res Dialectica habeat, latius ſanæ dialecticæ vagari, quám rhetoricæ licebit, quádo nihil dicitur ſine ratione, id eſt, Dialectica: ſine exornatione, id eſt, rhetorica, plurima dicũtur. Et ſané de tribus artibus cõmunib: Grámatica, Rhetorica, Dialectica, anguſtiſsima eſt rhetorica: ſermo enim purus eſſe poteſt facilius ſine ornatu, quám ſine puritate ornatus, & utroq; carere poteſt diſputatio, quia méte fieri & exerceri ſine ullo ſermonis vel orationis cómercio poteſt, ut Dialectica latiſsimé omniú pateat, tú Grámatica, proximé ſequatur, poſtrema ſit Rhetorica. Quare Zenonis manú nihil pertimeſcamus, neq; enim tá firma eſt, ut quenquá feriat, cúm ſeipſam tueri non poſsit: nec Ariſtotelis viciniam ſine cauſſa amemus, quæ ficta, quæ falſa, quæ nulla eſt. Quid dialecticę pręcepta quæ tradis, vel potius quę tradit Ariſtoteles (hęc enim ejus feré ſunt omnia) qualia ſunt? duplicé habent docendi viá (ais:) inventione (opinor) & judiciú ſignificas: tametſi id explicas parú perſpicué: imó veró mirabiliter totum obſcuras, cúm de Dialectica ſic loqueris, ut videat genera verború, & diſtinguat, & verú falſumq; judicet, & ambigua dividat & definiat, & partiatur: falſa miſces, poſteriora præponis, poſtponis priora: idem tuo more iteras et repetis. Primú enim quale eſt qđ jubes, ut genera verború & ſingulorú & copulatorú in Dialectica videantur? Hoc enim Dialecticæ nihil eſt, quę tota ratióis eſt & métis, ut ſępe iá dico, oratióis nullá curá habet: nec iſtud ad inventioné aut diſpoſitioné rerú, quæ ſolæ Dialecticæ partes ſunt, quicquá attinet: ſingulorú aút vel copulatorú verború genera Grámatici in Etymologia & ſyntaxi doceant, ab illis ea cognita ad Dialecticá adferri debét. uſus varius eſt: ſive enim puré loq, ſive ornaré dicere, ſiue diſputare ſubtiliter, ſiue de numeris & lineamentis aliqd explicare velis, una grámaticorú doctrina in verború ſimpliciú etymologia, in con-

conjunctorum ſyntaxi ad omnes illos uſus ſatis ſuperque fuerit: nec ſi grammaticæ varius ſit uſus, ideo neceſſe eſt tam varias grammaticas artes deſcribi. Tyberis unus eſt (ut dixi antea) quamvis multiplex & varius eſt uſus: alioqui in ethicis, in phyſicis, in mathematicis ſingulis grámaticæ præceptiones inſtituendæ erunt. Ariſtotelis error hic fuit, ſicut antea jam tam multi, qui quicquid neceſſarium vel utile putavit, in dialecticis & aliis artibus temeré confudit: non conſideravit proprium eſſet, an alienum. Categorias ad eá rem putatur á quibuſdam ſuis ſcripſiſſe. Deniq; Dialectica, ut dixi, tota ratio eſt, ſermonis & orationis in ſuis præceptis nihil habere debet. Quid veró eſt quod de judicio primúm, tum de inventione præcipis? quis hic ordo eſt? quid eſt quod eodem loco vix duobus verſibus interpoſitis idẽ repetis? Noverit (ais) quot modis quidque dicatur: tum deinde paulo póſt, Cumq; ambigué multa dicantur, quomodo quidq; eorũ dividi explanariq; oporteat. At, mi Cicero, Dialectica recte deſcripta ex inventionis & diſpoſitionis partibus nihil habet ad ambiguas res diſtinguendum præcipué accõmodatum: tota Dialectica huc referri & accõmodari poteſt: cõmentum eſt Ariſtotelis tam multa de ambiguorũ diſtinctione in logico organo (quod ab Ariſtoteleis dicitur) fabulantis, nec artem ſatis animadvertentis, qua poſſũt ambigua diſtingui: tota enim Dialectica ambigui diſtinguendi ars illa eſt, nil Dialecticæ ſeparatum. Quare, cúm videas quantá Dialecticis gratiá debeas, á quibus tam multas, tamq; ridiculas nugas acceperis, cave ne hominũ tam lubricũ cõmentũ judicium tuũ eſſe prædices. Verúm hæc miſſa faciamus: ad alia veniamus. Oratorem philoſophia, legibus, hiſtoriis inſtructũ, ad rhetoricá revocas de generibus quæſtionũ: quod totum & falſum & inutiliter præcipi antea docui: nihil enim ad uſum inventionis & diſpoſitionis (quę ſolæ ſunt ad rem diſceptandũ partes) quęſtionũ legalium, rationalium, generalium, ſpecialiũ genera ſpectant: ſatis enim eſt id de quo agitur, per ſe ſpectari, an legalis, an rationalis appelletur ea quæſtio: nihil ad artis uſum. Incidis quarto loco in inventioné argumentorũ, nec tamen animadvertis in tam confuſis erroribus te verſari: diſpoſitioné & elocutioné novo nomine appellas tractationem, quæ doceat quo ordine & quomodo ſingula tractanda ſunt. At nimiũ pervicax iandiu fortaſſe videor, qui doctrinæ perfectioné quandam, & accuratá deſcriptioné abs te requiro, cúm id tibi minimé ppoſitũ fuerit, audio inquá, & multis já antea locis, id te toties dicere valde miratus ſum: unde ſunt illę callidæ cautiones. Nulla præcepta ponemus, neq; enim id ſuſcepimus, ſed excellentis eloquentiæ ſpecié & formá adumbrabimus, nec quibus rebus ea paretur, exponemus, ſed qualis nobis eſſe videatur. Item, De quo plura dicerem, ſi præcipiendi tẽpus eſſet. Ité, Illud tamen quod anté diximus, meminerimus, nihil nos præcipiendi cauſſa eſſe dicturos, atq; ita potius acturos, ut exiſtimatores videamur loqui, non magiſtri. Ité, Quando autem, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus, quoniá, ut ſuprá dixi, iudicé me eſſe, nõ doctoré volo. Item, Quoniã autem non quem doceam quæro, ſed qué probé. Hæ ſunt adverſus reprehéſionis metũ pręclarę defenſiones comparatæ, & toties repetitæ & iteratæ. Reprehendo cõfuſa in hoc libro eſſe omnia, multa falſa, multa aliena: quid tũ? nõ eſt mihi (ais) cõſtitutũ præcepta ponere. Cõturbet igitur Ciceronis orator omnia, cõminiſcatur, & fallat, nihil ad rem: non enim vult oratorem docere, ſed probare. Magna quidem te, M. Tulli, & acerba cõtumelia jandiu afficere videar, ſi ratio iſta contra me valeat. At mihi videor hanc aſtutiam veteratoriã (qua te judicibus tenebras offundere, etiam aliquando gloriari ſoles) deprehendiſſe. Quid enim habet iſta cõtra tã multa peccata defenſio? non doctoré me, ſed judicem ęſtimari volo: nec formulas exprimere, ſed excellentis eloquentiæ ſpeciem adumbrare. Agé veró ſi te duntaxat interrogem: An excellés grãmaticus, perfectus Dialecticus, ſine natura, arte, exercitatione poſſit exiſtere? negabis, opinor, cúm alibi doceas, quod á Platone anté didiciſti, omnes artifices hiſce virtutibus perfici: itémq;, ſi requiram ad exprimendam grãmatici, aut Dialectici præſtantiá, quid deſcribẽdum ſit, arté dices, quoniá & naturæ vires imitetur, & ad uſum viam paret: poſtremó ſi illud etiá percuncter, nónne quanto artis vis perfectius & excellentius expreſſa fuerit, tanto artificem præſtantioré eſſe demonſtra-

monſtratum putes? tātoq; perfectius oratoré expreſſum, quāto pingetur oratoris ars abſolutius? Cauſſæ perfecti oratoris ſunt, Natura, ars exercitatio: harum omnium rerū pictura cōmunis eſt. Qui volet igitur oratorem perfectū perfecté demonſtrare, perfectas cauſſas illas exprimat neceſſe eſt. Nihil hic cōmentis opus eſt, res ipſa paret: ſi inquam hæc duntaxat ita cōtra te dicerem, tamen obtinerem & convincerem, ut quæſtioni ſusceptæ ſatisfaceres, artem oratoris, & facultatem abſolutiſsimé tibi deſcribendam eſſe: veruntamen nō ſolùm arguo te veras artis & perfectas vias aſpernatū, ſed falſas & contrarias ſequutum convinco: non dico te tantum multas explanationes neceſſarias omiſiſſe, ſed tradidiſſe præceptiones irridēdas & explodendas. Quare nihil iſta cautio tam aſtuta, toties repetita tueri te poteſt, quin dependendum tibi ſit, qui tanta aſſeveratione pro oratore perfecto ſpopōdiſti: præſertim cúm poſtea ſuperiores illas cautiones tu ipſe damnaveris, cúm te excuſaſti, quód tantus vir de artificio dicēdi literis tā multa mandares. Si profitear, (ais) quod utinā poſſem, me ſtudioſis dicendi præcepta & quaſi vias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandē id juſtus rerum æſtimator reprehēderet? ac paulo póſt, Atq; haud ſcio (ais) an pleriq; noſtrorum oratorū ingenio plus valuerint, quám doctrina: itaque illi dicere melius, quám præcipere: nos contrá fortaſſe poſſumus. Hic nō modó confirmas, quæ negaveras antea, verumētiā tibi laudi ducis. Sed ad oratoris exornationē tendeamus, cui tu poſtremó θέσιν, αὔξησιν, παθητικὴν, ἠθικὴν attribuis: eaq; mirabilia in oratore eſſe exiſtimas. Quod quidem, ut verum eſſe fateor, ita longé à te in earum rerum præceptis diſſentio. Nā & loci cōmunes & amplificationes, & affectus tū leviores tū graviores ex iiſdem fontibus hauriuntur: una inventio & argumentorum explicatio eſt omnibus cōmunis hiſce rebus perficiēdis, apta, idonea, ſeipſa contenta: adjuvant etiam elocutionis ornamenta, ſed & invētionis & diſpoſitionis generalia præcepta hæc omnia ſuppeditant. Fecerunt ridiculé & inepté magiſtri (quos modó ſequeris) qui nobis iſtarum rerum neſcio quas præceptiunculas excogitarunt. At, mi Cicero, in tā longinqui erroris tui fine tandem quid ſis? ac

cúm de affectibus loqueris, quoniā ipſe affectu raperis ac turbaris, ut magno probitatis & conſtantiæ tuæ periculo te oratorem tā glorioſum nobis oſtendas? Credidi antea tot egreſsiones, tot repetitiones Aſiaticorū rhetorū mores eſſe: Dialecticç tā multas tenebras à magiſtris profectas diſputavi: at hæc poſtrema quomodo magiſtrorum eſſe dicam? qua ratione rejiciam ac transferam? nihil hîc de ornatu orationis tuæ, nihil de verbotū aut ſingulorum elegantia & puritate, aut cōjunctorum lumine atq; ſplendore tibi detraho; omnia illa ſuperiora in te eſſe confitemur, quæ nō dico ſperare, ſed optare vix audeamus: nullā tamen egreſsionem immodicam, nullam repetitionem moleſtā coarguo, ſed miſerum neſcio quod fatū tuum miſeror ac deploro: quo plurimæ alioqui & præclariſsimæ virtutes tuæ nō nihil obſcurātur. Quid enim, unde eſt iſta jactatio? Nobis (ais) ꝑ familiari reo ſummus orator nō reſpondit Hortenſius: at id nō vi orationis tuæ, ſed calliditatis novo quodam genere perfectum eſſe ſæpe ex te & aliis audivi: omiſſa enim glorioſa iſta eloquentia productis in medium teſtibus, probatisq; coēgiſti judices de reo ſententiam ferre: neq; iam dicas vim talem in actionibus tuis eſſe, quibus Hortenſius reſpondere non potuerit: nam cōtra tuas nō actiones veras: ſed fictas declamatiōes Hortēſius ſuas etiā declamatiōes edidit. A nobis homo audaciſsimus Catilina in ſenatu accuſatus, obmutuit (ais.) At veró, ſicut hiſtoriæ loquūtur, nō modó tibi reſpōdit, ſed univerſo ſenatui graviter & acerbé reſpondit. Nobis privata in cauſſa magna & gravi, cum cœpiſſet pater Curio reſpondere, ſubitó aſſedit, cū ſibi veneficiis ereptā memoriā diceret. Verùm in ſermone de claris oratoribus ad me nuper ſcripto aliter multó loqueris: (ais enim) Curio memoria ita fuit nulla, ut cúm aliquoties tria propoſuiſſet, aut quartū adderet, aut tertiū quæreret: qui in judicio privato vel maximo, cúm ego pro Ticinia Cottæ peroraſſem: ille cōtra me pro Servio Nævio diceret, ſubitó totā cauſſam oblitus eſt, idq; veneficiis & cantionib. Ticiniç factū eſſe dicebat: ubi veré illius vitio attribuis, qđ nūc falſa laude tibi ſumis. Quāobrem nō iā te à magiſtrorū tuorum vitiis revoco, ſed de inſolenti gloriatione familiariter admoneo. Hæc

de

de ſe prædicatio, mi Cicero, etiã in veris rebus verecunda debet eſſe, ut erubeſcere etiã deceat, cúm in os laudamur: hinc graves civium noſtrorũ offenſiones adverſus te et ſimultates extiterunt, nõ quidem ullo tuo turpi aut inhoneſto facto, ſed quód aſsiduis laudibus res tuas geſtas tam vehementer extolleres. Habet porró hominis natura ſuperbum quendã & elatum ſenſum, ut cedentes & ſummittentes ſe libenter tanquam ſuperior allevet: contrá veró ſupra modum glorioſis & inſolentibus quaſi tyrannidem & intolerandam potentiam affectantibus reſiſtit, invidet, malevult. Itaq; propter illos magnificos verſus,

O fortunatam natam me conſule Romã. Itẽ,
Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

& cætera præconia tua, quód re Minerva omnes artes edocuerit, Iupiter optimus maximus in concilium deorum admiſerit, Italia exulem humeris ſuis reportarit, meminiſti quanti fluctus invidiæ in te cõcitati ſint. atque illa tamẽ majore de cauſſa dicebantur, hæc autem tam falſa, tam á te ipſo ſecus teſtata quorſum evadant, nõ attentius cõſiderabis? Plerique oratores Romæ hoc in te vitium reprehendunt, quód te inſolẽter efferas: hoc admoneo, & exempla tibi tua ante oculos ſubiicio. Reminiſcere veró quæ ſunt apud te quinta ſchola, Tuſculana de Demoſthene. Leviculus (ais) ſané noſter Demoſthenes, qui illo ſuſurro ſe delectari dicebat, aquã ferentis mulierculæ (ut mos in Græcia eſt) inſuſurrantisq; alteri, Hic eſt ille Demoſthenes: quid hoc levius? At quantus orator: ſed apud alios loqui videlicet didicerat non multum ipſe ſecum. Hæc tua verba ſunt, quæ utinam in animo tuo infixa penitus inſediſſent, eſſes tu quidem forſan orator non melior, nec princeps ſapiẽtior: ſed certé magna invidia ſolutior & liberior. Verũtamen nunc quid agis? Videris omnia cõturbaſſe in falſa definitione oratoris, in decori, in generum, in omnium artium perturbatione, ut tenebris tam multis impediri, & minus ad judicãdum attẽti, Ciceronem perfectum illum (quẽ nunquã viderat Antonius, quemq; exprimere vix deo conceſſum eſſe dicebat) perfectum inquã illum, & omni laude cumulatum oratorẽ eſſe putaremus: Perfectus eſt orator, q poteſt parva ſummiſſe, modica temperaté, magna graviter dicere. Ad concluſionis hujus aſſumptionem (quia putidiuſcula videretur) fucati medicamenta ſcilicet pudoris & ruboris infarciuntur: nulla laus eſt (ais) oratoris, cujus in noſtris orationibus nõ ſit aliqua ſi non perfectio, at conatus & adumbratio: non aſſequimur: ad quid deceat, videmus: nec enim nunc de nobis, ſed de re dicimus: in quo tantum abeſt, ut noſtra miremur, ut uſque eo difficiles ac moroſi ſimus, ut nõ ſatisfaciat ipſe Demoſthenes. Et pauló póſt uides profectó illum multa perficere, nos multa conari, illum poſſe, nos velle quocunque modo cauſſa poſtulet, dicere. Hęc tua remedia ſunt (ut dixi) adverſus aſſumptionis odioſam & inſolentem jactantiam. Quid enim ex illo propoſitionis initio, Perfectus eſt orator, q poteſt parva ſummiſſé, mediocria moderaté, magna graviter dicere: qđ inquã inde ſumitur, Cicero hæc omnia poteſt, Dixit pro Cecinna ſubtiliter, in lege Manilia temperaté, pro Rabirio graviter: hęc eadem interdum temperavit & variavit, ut in ſeptem accuſationis libris, in Cornelij, in Habiti, in pleriſque aliis orationibus: imó veró primus jejunas hujus multiplicis orationis aures civitatis accepit: primus ad hoc genus dicendi, incredibilia audiendi ſtudia cõuertit. Philoſophiã totam tenuit, imó ab ea tantus orator eſt effectus, leges, hiſtorias, rhetorum præcepta didicit, ἦθος & πάθος quoties vult arripit, affectus ardẽtiores nullus unquam movit. Itaque ſæpe adverſarios de omni ſtatu dejecit, nihil reſpondit Hortenſius, Catilina obmutuit, Curio metu memoriam amiſit. Cõcludamus, aut ſi nequeamus, á Diogene minam repetamus: eſt enim cõplexio manifeſta hujuſmodi antecedentibus probatis. Perfectus orator eſt, qui poteſt parva ſummiſſe, mediocria temperaté, magna graviter dicere. Cicero hæc omnia copioſiſsimé præſtat: Cicero eſt igitur perfectus orator. Siccine nobis oratorem nomine tuo tandem, tam alienis, tam ſuppoſititiis, tam tranſlatitiis ornamentis inſtruis, ut te ſuſpiciamus & admiremur? Vtinam, M Tulli, veram illam definiendi oratoris viam potius tenuiſſes: oratoremque elocutiónis & actionis laude pręſtantem declaraſſes: in tenebras tam multas nũquam incidiſſes, & hominum conſenſu tuliſſes perfectam eloquentiæ palmam: tametſi enim

Attici

Attici noſtri & mollitiem & contentionē reprehendunr: attamen pleriqne omnes incredibilem troporum venuſtatem, & figurarum ſplendorem, & pronuntiationis vel in voce cōſtantiam & varietatem, vel in geſto gratiam atque dignitatem, id eſt, abſolutam eloqoenriæ laudem largiuntut. Vtinam ſcholaſticas magiſtrorum ioeptias vitare potuiſſes: quanto, Deum immortalem, majorem veriorem que gloriam conſecntus eſſes? nullum eſt vel in Græcia, vel in Italia tribnnal, nullum in ullo populo forum, ubi audeas iſto modo, vel de regundis agellorū finibos agere, quomodo in artis liberalis quæſtione de finibos oratoris egiſti. Dixeris enim, Suſcepi, Iudices, rem tantam, quantam nō modó facultate conſequi difficile ſit, ſed cogitatione complecti: fingam vobis & informabo agrum tam perfectum, ut ei nihil addi poſsit: tū ad cohortationea digrediare, & diſpotes de genere viæ ad agrum, & hoc multia verbis excnſes: deinde, Inveſtigemus igitur agrum, Iudices, qualem nemo vidit unquam. Is terminos tres habet, quibos clauditūr, aureom, argenteum, ferrenm. Non eſt autem hic ager in Iralia, non eſt in Græcia, non eſt in ulla Mediterranei maris inſula, non eſt in Syria, noo eſt in Ponto, non eſt in Cappadocia: ubi igitur aſt? Eſt, Iudices, in Phrygia: nec in omnibus tamen Phrygiæ partibus, ſed vbi quondam regia Priami fuerat. quis eſt igirur hic ager? qnibns finibus & terminis clauditur? tribna, Iudices, aureo, argenteo, ferreo: & tum dicerea, qoanvia non eſſet hic ager, Iudices, io illis ſuprá memoratis regionibos, tamen omnes eas regiones hic unus ager intra finea ac terminoa ſuos complexus eſt. Quis tam delirus unquam ſedit judex, qui te iſto modo orantem pateretur? Redi veró nunc jam ab illis agri finibus ad oratoris regundos fines: confice ſummam oratoriæ inveſtigationis tuæ: cogita quám magnificé definieris, quám acuté, quám ſapienter, quám veré, quám cōſtanter, tū tibi nil opns erit admonitore M. Bruto, tu tibi Iudex idoneus eria.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER V. DE tropis & figuris.

HActenus de oratoris inveſtigatiooe & exornatione tibi reſpondimus: quæ fuerat primę partitionis noſtrę pars prima: ſecuda, & ultima in elocutione verſatur: quam cúm oratori ſolam & propriam reliqoiſſes, invêntionem, diſpoſitionē, memoriam, actionem, communes feciſſes, præ cæteris exornare debuiſti: hic te oſtētare, hic oratorias facultates exercere, hic iactatiónē glorioſam habere, & curſum prædicabilem tenere potuiſti: hic campus, hæc palæſtra conceſſu omnium dabatur ad omnes oratoriæ ſupellectilis opes explicaodum & propalam collocandum. Atque utinam potiua iſtam laudem adamaſſes: quám veram, quámque ſingularem artem haberemus? quám diuinam oratoris ſpeciam, formamque expreſſam teneremus? At omnem ſané elocutionia doctrinam ita contempſiſti, ut non explicare docendo, ſed omnia confundendo, ac conturbando perdete voluiſſe videaris: neq; enim audio, quod ais, Cúm hæc tu optime Brute teneas, quid attinet nominibus vel exemplis oti? tantummodo notetur locus. Quid ergo? utrum me ſolum hæc lecturum putaſti? an potius (ut ipſe ais) ad alios ſi minns noſtro nomine, tua tamen commendatione perventura ſperaſti? Qnare his etiam lectoribus, qui minus iſta quám nos, nota habeanr, proſpici oportuit & provideri. At in toto libro, ut dixi, nihil contamptius, nihil abjectins, nihil negligentius eſt expoſitum. Elocutio definienda fuit orationis á vulgari conſuętudine ad elegantiorem quēdam modum mutatio: nihil definis: diſtribuenda fuerat in tropum & figurā: nihil hic partiris: de tropis & figuris primū de nomero veluti genere quodam alio plurima perſcribis. quā partitionē in reſpondendo ſubſequar. Tropos igitur definiēdus erat elocutio, qua verbi ſignificatio á proprio loco in alium mutatur, & diſtribuēdus in Metonymiā, Ironiam, Metaphoram, Synecdochen: quia omnis verbi ſignificatio quatuor illis generib. continstur: nihil definis, nihil partiris, de

generibus troporum unicam metaphorã attingis, hoc ipſo loco, quo tibi fuerant ſpecies omnes accuraté deſcribendæ: reliqua genera, aia ex collocatione verborũ ſumi: qua, quæſo, ratiõe? an quia idem in oratorio tertio tibi placuerat error? ſic enim ornatum orationis partiris, & in hoc libro et in oratoriis dialogis, ut ſit in ſingulis verbis, & cõjũctis: in ſingulis ꝓpria ſint, novata, translata, & translationis nomine tropos omnes comprehendis: in cõjunctis autem collocatio ſit orationis & figura: ſic enim tertio oratorio posteaquã de tropis dixiſti, de collocatione dicis, & de figuris. Tum veró partitionis factæ immemor, tropos etiam omnes præter metaphorã in conjunctis verbis eſſe ſtatuis. Ubi eſt acumen tuum M. Tulli? ubi vís ingenij? tropi omnes in ſingulis verbis partitione prima locantur, tamen idem omnes præter metaphoram ponis in cõjunctis. Tantam repugnantiã non vides? Ariſtotelis etiam hæc, opinor, doctrina fuit, & idcirco protinus approbãda. Quanquã ne idipſum quidem omnino verum eſt, quód reliqua genera præter metaphorã in coniunctis verbis eſſe ais. Nã Metonymia, Synecdoche, Ironia, in ſingulis verbis verſantur. Atq; hæc de tropis. Figura tibi definienda fuerat. Elocutio in cõjunctis verbis, qua mutatur habitus orationis: diſtribuenda in duas ſpecies. Similis autem tua diligentia eſt ſuperioti, nihil definis, nihil partitis, nihil exemplis exponis: quin figuras omnes tam negligenter expoſuiſti ut faſtidioſam & inſolenté deſpiciẽtiam duntaxat hîc agnoſcam: ſic non confuſé tantúm, ſed profuſé cumulas quicquid hæc ſcribenti temeré ac fortuitó occurtit. In figuris verborum cõtrarium ponis, quod argumenti nomen eſt, ut generis, ut ſpeciei. Reticentiam & Exclamationé numeras, quas tamen cõſtat figuras eſſe ſententiarum, cúm in totius oratiõis ſententia comprehendantur, nõ in ſententiæ verbis: quin reticentiam teipſum ſcilicet retexens, in figuris ſentétiarũ conſtituis. Mirandum autem non minus eſt, quód aſyndeton numeres, polyſyndeton relinquas: utrũq; enim vel rejici, vel retineri debuit: & grãmaticum neſcio quid hîc potius eſt, quám rhetoricũ: quód ſimiliter cadẽtia, deſinentiaq; proponas, parium obliuiſcare: quæ tamé oratorio tertio adhibuiſti. Quid veró? quãta iſta eſt nõ curãtia, quód oratorio tertio tres & quadraginta verborum figuras numeras, hic ne dimidiam quidem partem complectare? Ecquid nunc attendis, quãobré aliena permiſceas, propria prætermittas? In figuris veró ſententiarum, quid cõmune cum figuris habent cõmoratio, extenuatio, irriſio? quæ figuræ non ſunt? omnia enim hæc ſine ulla figura eſſe poſſunt: & ſicut omnis oratio & diſputatio ex omnibus argumentis & figuris fieri poſſunt, & cõmoratio in eodem loco niſi magnam & neceſſariam cõmoditaté habet, vel quæ cum attenté audientium faſtidio cõpenſari poſsit, quid aliud quám reperitionum (de quibus dictum eſt) vanitatem oſtendit. Quid propoſitio? definitio? argumentum oratione concluſum? diviſio in partes? ſimilitudo? exemplum? tributio? quæ dialecticorum tota ſunt? An tibi cõmodum eſt dialecticam inventioné, ſicut antea tot locis feciſti, nó ſolúm rhetoricæ falſo attribuere, ſed in elocutionis præceptis iſto modo confundere? Redeamus ad diſtinctiones artium: rhetorica elocutio hîc tractatur; rerum igitur inventio non admiſceatur. Si ficum plantares, novem pedes inter me & arborem tuam intereſſent: plantas elocutionem, quam oratoris propriam eſſe judicas: quamque cõſtat á dialectica & inventione & diſpoſitione toto poſſeſsionis genere diſtinctam eſſe: fines igitur regãtur: pes ſaltem unus interponatur. Elocutio eſt orationis conformatio: arguméta igitur ne miſceantur: nec captioſa illuſio, nec Ariſtotelica quæratur, quód aliter utantur his dialectici, aliter oratores: nec diſtinguamus artes hominibus, ut antea Ariſtoteles & Zeno. Demoſthenes enim & Cicero mihi ſunt & dialectici & oratores: quód enim res pervidetint cauſsis, quas agebant, congruas & cõſentaneas, quód apto ordine collocatint, dialectici ſunt: quód tropis & figuris exornatint, quód decoré pronũtiarint, oratores ſunt. Artes præceptis conſtantibus, & perpetuis, & uniuſmodi ſunt: uſu autem multiplici & vario, ut iam ſæpe adverſus iſta ſcholaſticorum hominũ ſophiſmata repeto. Quid veró iterario? collatio culpæ in adverſarium, in hilaritatem riſumq; converſio? interpellatoris coërctio? denũtiatio cautionis? ira? objurgatio? medela? exercitatio? inſinuatio? brevitas? hilaritas rurſus?

rurſus? atq; in hac prodiga cõmentatione, cur toties & tam oblivioſé eadem iterantur? ſæpe ut irrideat, ſæpe in hilaritaté riſúmue convertat, tum ut declinet á propoſito, deflectatq; ſententiam, & á propoſito declinet aliquãtulum, tũ ut anté præmuniat, ut anté occupet, tum ut dividat in partes, ut aliud alij tribuens diſpertiat. Quid, quód oratorio tertio figuras ſententiarum ſeptem & quadraginta numeras, hic neſcio quot ex hoc numero detrahis? quid hæc inquam tot peccata, quid aliud niſi præcipitem oblivionem demonſtrãt? aut faſtus ſpecie ac ſimulatione, neſcio quid pejus tegunt ac diſsimulant? Atq; hæc tamen, ut de Craſſo tute ipſe ſolea dicere, nõ tam exiſtimari vis neſcire, aut nõ poſſe docere, quàm deſpicere atq; contẽnere. Antea cùm Latinos oratores & Grecos, cùm ſophiſtas etiã tam longé ab oratoris perfecti laude diſtraheres, cùm nihil inventionis & diſpoſitionis prudentiã, nihil actionis dignitatem præ elocutionis gloria eſſe diceres: & Critolai pené librã quandam induceres, in cujus altera lance poſitas omnes reliquarum rerũ laudes, quin cum his maria & montes elocutio ſola deprimeret: quantum, pró Iuppiter, elocutionis pondus nobis promittere videbare? At cùm huc perveniſti, rẽ omniũ leviſsimã feciſti, ut ex ea te vix ſatis conſtantem hominem judicaremus.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER VI. DE collocatione & concinnitate.

VEruntamé numerus ſupereſt, qué collocationem appellare maluiſti: tametſi ſeparatim hic præcipis de collocatione et cõcinnitate, ſeparatim de numero. Hãc igitur (quoniam tibi placet) partitionem ſequamur. Spero autẽ hic te nova diligentia præteritam negligentiam compenſaturum: quod te tandem feciſſe glorians. Et quoniã (ais) plura de numeroſa oratione diximus, quàm quiſquã ante nos. quare bene ſperare de te in poſterũ poſſimus, qui omnes artis hujus magiſtros ſtudueris vincere. At eundem te doctorẽ præſtabis, quem adhuc præſtitiſti: nihil perſpicué, nihil acuté, nihil proprié declarabis: tibi atq; ingenio tuo obtẽperabis: miſcebis aliena, falſa, inania, nec ullam veræ doctrinæ lucem adhibebis: nihil enim definis, nihil partiris, nihil feré exemplis exponis: imó veró ne nos de diſciplina potius aliqua quæſtionem tractari, quàm pompam & ſpeciem ſophiſticæ oſtentationis quæri putaremus, ſeptimo loco nos áre propoſita deducis: reſpondes prolixé & verboſé numeri reprehenſoribus: quos re vera nullos eſſe arbitror: ſed communis aliquis locus, & latior campus inveniendus fuit, ubi ſophiſtica hęc eloquentia liberius incederet. Sed tamẽ cùm jam tertia pagina tota procederet, ad inſtitutam diſputationẽ reverteris: collocationẽ partiris. Collocabuntur igitur (ais) verba, aut ut inter ſe quàm aptiſsimé cohæreãt extrema cum primis, eaq; ſint quàm ſuaviſsimis vocibus: aut ut forma ipſa concinnitasque verborum conficiat orbem ſuum: aut ut comprehenſio numeroſé & apté cadat. Hæc tripertita diviſio tibi placuit. At quicquid eſt collocutionis proprium, id numerum, aut partem numeri eſſe dico eſt numerus: Modulata orationis compoſitio. Conſtructio eſt modulata orationis cõpoſitio, aut certé pars quędam compoſitionis: item concinnitas. Conſtructio igitur & concinnitas numerus eſt, aut certé pars numeri. Hæc tuipſe tuo teſtimonio judicioq; confirmas: numeroſa, ais poſtea, efficitur oratio non ſolùm numero, ſed etiam conſtructione & concinnitate. Eſt igitur, inquam, & conſtructio, & concinnitas numerus, aut numeri quiddam: quoniam orationem utraq; numeroſam facit. Facit orationem numeroſam: eſt igitur efficiens cauſſa numeri. Quare cùm omnium rerum cognitio ſcientiaq; ex cauſsis promenda ſit, in explicando numero cauſſæ illæ efficientes erunt adhibendæ: non autem velut ſpecies diverſæ ſeparãdæ erunt: quia duę primæ conſtructio & concinnitas in tertia continentur. Memini ſecundo de finibus in errore ſimili, quo pacto Epicurũ reprehẽdas. Diviſit (ais) ineleganter: duo enim genera, quæ erant, fecit tria, hoc eſt non dividere, ſed frangere rem: tum veró non ſolum ex duobus generibus cõſtructione & conjunctione pedum (quæ erãt duo) tria facis, addita concinnitate: ſed

etiam numerum (qui erat genus) in ſpecie numeraſti:ita præclara iſta dividendi elegantia Epicurum viciſti. In cõſtructione vitari jubes biatum & aſperitatem literarũ:id lando. Eſt autem prorſus admirabile, dum de prima hac junctura & coagmentatiõe præcipis, unde, & quorſum tam multas grammaticorum quæſtiunculas unum in locum conduxeris, de contractione, de conjunctione, de commutatione literarum, nominum, accentuum, ſpirituum. Neq; enim tam moleſta, tamq; prolixa deſcriptio ullam componẽdæ oratiõis viam (psuculis illis exceptis, quæ ſunt in principio de hiatu & aſperitate) docet, quod erat boc tempore propoſitũ: ſed comparatione quadam demonſtrat, quemadmodum tandem tu ipſe concludis: ſi indocta cõſuetudo (unde tam multa exempla collegiſti) tam ſit artifex ſuavitatis, id ipſum multó magis ab arte & doctrina expetendum eſſe. Itaq; in quantam perturbationẽ incidiſſes, coactus es pauló póſt confiteri: propoſitæ enim partitionis immemor, antequã primũ membrum abſolueris de conſtructione & ſuavitate vocum, novam diſtributionem inſtituis, qua ſuperiorem confundis. Duæ ſunt res (ais) quæ permulcent aures, ſonus & numerus: quid, inquã, nónne tres in partitione ſuperiore eſſe dixiſti? cõſtructionem, concinnitatem, numerum? Conſtructionem enim ſæpe ſignificas ad demulcendas aures totam pertinere. Impetratum eſt (ais) á conſnetudine, ut ſuavitatis cauſſa peccare liceret. Item, voluptati aurium morigerari debet oratio. De cõcinnitatis orbe quid ais? ſuapte natura (inquis) numeroſus eſt, etiam ſi nihil eſt factum de induſtris. Cõſidera, M. Cicero, qua conſtantia partitiones iſtæ deſcribãtur: prima tres facit partes diverſas, conſtructionem, concinnitatem, numerũ. Secũnda duas primas partes confundit in una, id eſt, in ſono, & quidem ita ut numerus ipſe ſonus ſit, & in nna parte tot partes tam negligenter diſtinctæ comprehẽdantur. Conſtructio enim cúm vitat biatũ & aſperitatem, concinnitas, cúm orbem conficit, numerus, cúm tempora temporibus annectit, nónne ſonũ quærit & ſectatur? De concinnitate deinde præcipis, quæ, ut affirmas, ex ſimiliter cadentibus & deſinentibus, ex paribus, ex contrariis orbem quendam numeroſum neceſſitate ipſa efficit, & eum ſine induſtria: quanquam contraria nnllnm locũ hîc habent: & argumenti genus iſto nomine ſignificatur: ut generis, ut ſimilitudinis: & numerus omnis qui bîc efficitur ex tribus primis tantum eſt. Imó παρίσωσιν ex paribus membris, & ὁμοιόπτωτα é ſimilibus caſibus, nullam omnino numeri cauſſam ſuſtinẽt, ſola ſunt ὁμοιοτέλευτα quæ numerũ faciãt. Sed tamen ſi nnmeroſum dicas, quód ex numero qnovis cõſtet, certé orbis ille ex ſimiliter deſinentibus, cadentibuſq;, ex paribus, non numeroſus eſſe non poterit. Sin legitimum & oratorium numerũ intelligis, cogitare debebis in orbem illũ & verſus, & inſuavẽ cõpoſitionem & rudem poſſe comprebendi. Finxerit enim aliquis poëta tale carmen,

Rumpitur invidia quidam chariſſime Iuli,
Quód me Roma legit, rumpitur invidia:
Rumpitur invidia, quód turba ſemper in omni
Monſtramur digito, rumpitur invidia:
Rumpitur invidia, tribuit quód Cæſar uterque
Ius mibi natorum, rumpitur invidia:
Rumpitur invidia, quód rus mibi dulce ſub urbe eſt,
Parvaq; in vrbe domus, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quód ſum jucundus amicis:
Quód conviva frequens, rumpitur invidia.
Rũpitur invidia, quód amamur, quodq; probamur:
Rumpatur quiſquis rumpitur invidia.

Hic enim ſunt ſimiliter cadentia deſinentiaq;, & paria paribus collata: & in illum orbem poteſt aſperitas omnis & hiarus incidere. Quare deſine in præceptis ponere, quod tam fallere poſsit ignorãtem, quám adjuuare: & noli nobis perſuadere, tuum potius boc eſſe judicium, quám cõmentum rhetorum. quorum artes huc tranſtuliſti. Sed tamen dnæ ſnnt res (ais) quæ permulcent aures, ſonus & nnmerus. At ſoni rationem tam negligenter attigiſti, ut potius rbetoris cujuſdam partitione (in quam forté incideris) quám utilitate & neceſsitate motus eſſe videare: bic ſonorum genera in literis, in ſyllabis, in dictionibus totis & vires & proprietates perſequi debuiſti. Sine hac enim ſoni virtute, omnis cõpoſitio orationis exanguis & intermortua jacebit, ut antea ſignificavi, & poſtea clarius erit.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER VII. DE tribus primis numeri partibus.

SEd ad numerũ accedis: de quo priuſquam præcipias, lõga oratione egredetis ad his reſpõdendum, qui numeros in oratione repreherent. Tametſi ſatis ſuperq; de toto colloca dæ orationis genere iſtis fictis reprehẽſorib. paulò antè erat reſponſum: egreſſiones tibi nimiũ placent, teq; ſophiſticæ oſtẽtationis gloriolam nimio ſtudio cõſectari demõſtrãt. Aſiaticũ iſtud nimis obtines. Si toties oleas in curriculo tráſilires, quoties lineas in hac diſputatione poſitas tranſiliſti, omnia, me hercule, ſibilus ad te explodendum conſumeretur: octavus enim hic eſt egreſsionum tuarum locus. Mirificam veró quandã doctrinæ expectationem initio concitas: ſic enim ais, Viſne igitur, Brute, totum hunc locũ accuratius etiã explicemus, quám illi ipſi, qui & hæc & alia nobis tradiderunt? Multos equidem Græcos memini hiſce de rebus varia docuiſſe: quos utinam nõn vana potius ſubtilitate, qua mortales omnes vincunt, quám ſolida veraque laude poſsis vincere. At enim nõ ſolúm tibi uſitatum, ſed propé perpetuum eſt in hac oratoris explicatione leves & ineptas nugas undique colligere: in explicando numero dialectica ratio poſtulabat (ut jam dixi) ut numerus definiretur, deinde genera deſcriberentur, propoſitis exemplis uſus oſtenderetur generum ſingulorum. Contempta autem via illa docendi longé veriſsima, placuit Ciceroni videlicet, vel pótius Ciceronis doctorib. ac magiſtris nova quadam docendi ratione numeri originem, cauſſam, naturam, uſum perſequi. In origine Gorgiam, Iſocratẽ, & reliquos inventores numeri, in cauſſa modum inveniendi per animadverſionem fortuitorum, & naturalium exemplorum, in natura quæſtiones, an eſt numerus, & qualis eſt, ſicut aliæ permultæ, omiſſa tamen principe quæſtione quid eſt diſputantur, in uſu quæruntur multa ubi numerus ſit, quomodo differat á numeroſo, tum de inciſis, membris, periodis, déq; tota generis hujus utilitate. Quid ſi, M. Tulli, de tota dicendi arte, & de omnibus ejus partibus quatuor iſta quærantur ſicuti poſſunt? ridiculum, opinor, fuerit, in explicãda arte inventoré quaſi partem artis numerare, cum id ſi neceſſe ſit, poſt rem definitã poſsit uno verbo notari. Ridiculum, inquam, fuerit quærere tropi & origině, & cauſſam, & naturam, & uſum: figuræ & originem, & cauſſam, & naturam, & uſum: vocis & originem, & cauſſam, & naturam, & uſum: geſtus & originẽ, & cauſſam, & naturã, & uſum: ridiculum in grãmatica, in dialectica, in omni deniq; diſciplina: quia artes ſunt conſtantiũ, & æternarum rerũ, quæ temporibus mutari non ſolent: ridiculum veró multó magis etiã illud, quód duo membra facis, originem & cauſſam, quaſi veró nõ ſit origo, etiam cauſſa: & inventores & authores numeri nõn ſint ejus efficientes cauſſæ: & non verius uno cauſſæ nomine dicatur & qui invenit, & inveniendi ipſa facultas & occaſio, præſertim cúm in origine finem numeri, qui inter cauſſas principem locum tenet, conſtituas: Cúm enim de origine, & Iſocrate numeri inventore loqueris: ſic ais; Cúm videret oratores cum ſeveritate audiri, poëtas autem cum voluptate, tum dicitur numeros ſequutus, quibus etiam in oratione uteremur, cúm iucunditatis cauſſa, tum ut varietas occurreret ſatietati. Quare in origine numeri declaranda cauſſam duplicem comprehendis; finem & efficientẽ. Quid autem duo prima membra cauſſas eſſe dico? nõnne tertium, ubi natura tot quæſtionibus involuitur, veram propriamque numeri cauſſam exquirit? Quid enim aliud tot quæſtionum altercatio ſibi propoſuit, niſi ut ex cauſsis ſuis numerum nobis explicaret? natura enim rei cujuſque cauſsis continetur, ut natura hominis, id eſt ſubſtantia, continetur anima & corpore: quæ forma & materia, id eſt principes & ſummæ cauſſæ ſunt, quibus hominis natura continetur: cauſſas autẽ ſummas & proprias qui explicat, qui naturam ex his penitus demonſtrat, is veré definit, veré demonſtrat. Veruntamen per Deũ immortalem, quám nugatoria? quám tota ſine ullo ſale, ſine ullo judicio pars iſta tertia de natura numeri nobis objecta eſt? Bona quæ ſunt in te, ſicuti ſæpe iam profiteor, tua, tua, inquam, ſunt, M. Tulli: paucula veró

iſta, quę pauci quidam Attici non probamus, á magiſtria tota ſunt. Incidiſti in rhetoris cujuſdam argntias plané ſané pueriles, vel deliras potius & aniles: quas tamen cúm avidé magis, quám conſideraté & attẽté legiſſes, ſuo te, opinor, acumine perpuletunt: intima artis myſteria quędá eſſe credidiſti: tam ſancté, tamq; religioſé ad eas accedis. Sunt porró de numeri natura hæ quæſtiones quindecim, qui, ubi, unde, quotuplex, quomodo, quorſum, quando, quo loco, quomodo faciat voluptatem, an ſit, qualis ſit, quis aut qui, cõmunis an diſpar, cur non æqué in oratione apparet atque in verſu, unde numeroſum efficitur. O muſæ, ô charites, ô præſides ingeniorũ literarumq; deæ, quid iſtę quæſtionea, quam nobis numeri naturá definiunt? quale Ciceronis judicium nobis oſtẽdunt? Novem primæ, quas brevioris & planioris viæ eſſe dicia, in extremũ locum rejiciuntur: poſtremæ ſex, quas lõgioris viæ dicis eſſe, primo loco perobſcura, perq; difficili oratione tractantur. Ná cúm quęſtiones eſſent quindecim propoſitæ, decima primo loco explicatur, & reliquæ, deinceps ad extremú, tum revolvitur explicatio ad nové, quæ primo loco poſitæ fuerant. At longioris viæ prima quæſtio eſt, dicas fortaſſe, quá tu decimá facis: quid tu inquá, an longiorẽ viam dicis breviore eſſe planiorẽ, ut præcedere debeat? at cõtrá dicis brevioré eſſe planioré, atq; omnino proponis ante quæſtiõea brevioris viæ. At confuſio tantum eſt, alta quædam & recondita natura in hac cõfuſione forſan occultatur: imó veró mera ſomnia, nulla naturę explicario, nulla definitio traditur. Quod ne tibi temeré confirmare videar, ſiugulas quæſtiones excutiamus ac perpendamus, an ulla omnino ad numeri naturá definiendá pertineat, Decima quæſtio prima, ut dixi, diſputatur, quód numerus ſit in oratiõe, idq; ſenſus teſtimonio ꝓbatur. At quorſum hæc & quæſtio, & quęſtionis ratio? quid novi ad numeri definiendam naturã? duo prima partitionis memba, origo & cauſſa, inventos eſſe numeros docuerunt, & obſeruatione naturæ inventos docuerunt. Quamobrem igitur quæritur an ſit, quod inventũ eſſe já cõſtiterit? Et quidé ne mea te potius reprehenſio accuſet, quám tua ipſius oratio cõvincat, recognoſce in hac quæſtione, quæ antea de cauſſa numeri dixiſti. Neque (aia) ipſe verſus ratione eſt cognitus, ſed natura atque ſenſu, quæ dimenſa ratio docuit quid acciderit. Ita notatio naturæ & animadverſio peperit artem. Quid? nónne eadem ſimilitudine & ratione ſecundum membrum partitionis de numeri cauſſa tractaſti? Ut igitur, dicebas, poëtica & verſus inventus eſt terminatione aurium, obſervatione prudentium: ſic in oratione animadverſum eſt, multó quidem illud ſerius, ſed eadem natura admonẽte eſſe quoſdam certos curſus, concluſioneſque verborum: quare quoniam eãdem rem nobis explicat iſta quæſtio, quám ſecunda pars diviſionis oſtenderat, cur in tertia parte collocatur? At pergis in hujus quæſtionis explicatione, & longius progrederis: dicis in verſu numerum apertiorem eſſe, quám in oratione, quod tamen decimæquartæ quæſtionis proprium eſt. Addis autem, Omnino duo ſunt, quæ condiant orationem, verborum numerorumque jucunditas: quo tandem tertia ejuſdem rei partitio? Antea enim tota compoſitionis ratio trifariam diſtributa fuerat, in coagmẽtationem, concinnitatem, numerum: deinde in ſonum & numerum: nunc veró nullis novis generibus propoſitis illa ipſa prorſus eadem materies in verborum numerorumque jucunditatem diſtribuitur. An hoc eſt dialecticorum acumine, vel partes, vel ſpecies dividendo diſcernere? an imperitorum coquorum more frangere ac diſcerpere? Reliqua porró hujus quæſtionis tractatio, qua demonſtras, numerum tardius inuentum, clarius quám ſuperiora & manifeſtius probat, quicquid hîc eſt inculcatum id totum ad primas illas partes de origine, & cauſſa pertinere. Quare decima hæc quæſtio tam longa nihil novi nos docet ad numeri naturam explicandam accõmodatum: ſed ex antecedentibus partibus quiddam ſubſtractum: quæ tamen, ut dixi, in oratoria arte legitimé deſcripta, nullum neceſſariũ locum obtineret. Undecima quæſtio decimæ ſuccedit, quales ſint numeri oratorii. Hic primúm quæro, cur ea quæſtio (quæ ſola erat hujus loci propria) quid eſſet numerus, prætermittitur? Soletis enim in quæſtionum generibus (de quibus antea á nobis dictum eſt) tria numerare, an eſt, quid eſt, quale eſt: qua porró de cauſſa á primo genere non potius per ſecun-

ſecúdum ad tertium aſcenſum paramus, quám fractis ſcalarum gradibus ruinam iſtam creamus? Quid de qualitate dici poteſt, ſi quid res ſit ignoretur? Itaq; iam mecum cõſidera, quám abſurdé, quámque nihil ad rem accommodaté reſpondeas. Nullus eſt (ais) oratorius numerus extra poëticos. Nobis igitur percontantibus qualea oratorii numeri ſint, reſpõdes eſſe poëticos: quaſi tota numerorum doctrina & explicatio non ꝓpria ſit rhetoricæ, & poëma ac verſus ſi rhetorica legitimé tradita ſit, non eodem loco cum his numeris explicari debeat, ut utriuſq; qualitas vel ex æquo nota ſit, uel ignota. Quanquam falſa videri poſsit, non obſcura duntaxat illa reſponſio: in numero enim poetico certa quædam & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe: in oratorio autem numero nihil eſt ejuſmodi propoſitum, ſed tãtum ne immoderata, aut diſſoluta, aut effluẽs ſit oratio. At numeros, inquies, poetarum & oratorum non eoſdem intelligi volo, ſed nullum eſſe pedẽ in poemate, quo non ſit oratoribus uti conceſſum. Hoc enim tua probatio demonſtrat, in qua concludis (cúm eos trifariam diviſiſſes) omnes pedes in orationem cadere. Video (inquam) numeri rationem ad pedes valde inſolenter abjectam: quamobrem, non video: quamvis enim ſpectaret eoſdem pedes orator & poeta, non idcirco numeri oratorii qualitatem é pedibus poeticis agnoſcerem: alia ſiquidem pedum ſingulorum, alia cõjunctorum, qui numerum faciunt, qualitas eſt & ratio. Quare ex pedibus poeticis oratorii numeri qualitatem nullá nobis explicas. Atq; per ego te deos omnes oro, animadverte quo qualitatem iſtam deducas. Nullus eſt, ais, numerus oratorius extra poeticos, quia omnis pes qui adhibetur ad numerum, partem habet aut æqualem alteri parti, aut altera tota, aut ſexquimajorem. Etenim unde tam obſcura, tamque diſsipata partitio? Arithmetici numerorum differentias (unde hę ſunt abreptę) lõgé alia ſubtilitate partiũtur: æquales ajunt eſſe, aut inęquales: inæquales, majores aut minores: tum majorum cum minoribus collatorum ab iis conſtituuntur differentiæ, tum prima ut ſimplex ἐπιμόριον & ἐπιμερὲς, ut πολλαπλάσιον, tum conjuncta ut πολλαπλασιεπιμόριον, ut πολλαπλασιεπιμερές. E quibus differentiis tua iſta partitio tantúm duas amplectitur, πολλαπλάσιον καὶ ἐπιμόριον. An é reliquis rationib. nihil in pedes poeticos cadit? quid igitur amphibrachis ex brevi, lõga, brevi conſtans, qualem partium collationem habebit? Frãge eũ quomodo volueris, ſyllabas ejus tres inter ſe quomodo velis cõpara, ſecundã cũ prima aut tertia, nũquã parẽ, nũquã duplicẽ, aut ſeſquiplicẽ rationẽ harũ ſyllabarũ triũ reperies. Tria enim in duabus ſyllabis tẽpora, uni unius ſyllabæ tẽpori cõparata, triplicẽ rationem faciunt. Atq; hic pes é triſyllabis octo, unus eſt notiſsimus. Neq; veró dicas tút dactylũ eſſe tẽporib. amphibrachi parẽ: nil enim te adiuvet hęc excuſatio: ſit enim totus pes par toti pedi, at pares partes utriuſq; nunquã reperientur, ut utrobiq; partium ſit eadẽ inter ſe ratio: niſi enim collocatio iſta, ratioq; de ſyllabis fiat, certũ nil erit. Hęc enim ex temporibus ſeorſum, non de ſyllabis accipi debẽt: nã cũ in dactylo quatuor tempora ſint, ego tria potero cõparare uni, & triplam rationem efficere: dicã pæanẽ eſſe quadruplũ, quia ex quinq; temporibus (quæ ſunt in pæane) quatuor licebit uni comparare: at hunc pedẽ ſeſquiplicẽ facis, quia tres breves uni longæ cõparatæ hanc rationẽ faciunt. Sed quid hæc pluribus diſputo? cũ tu antea in dividendis pedibus nõ cõpares ſingillarim tẽpora temporibus, ſed pedis partẽ ex ſyllabis cũ altera parte ex ſyllabis cõpoſita. Quid dochimũ, quem tu ipſe adhibes & ꝓbas, é brevi, duabus longis, brevi, longa, rationis itẽ diſsimilis vis proferã? Quinq; enim tẽpora in trib. ſyllabis, tribus in duab. ſyllabis tẽporibus cõparata, ſicut ſyllabarũ ratio exigit, rationẽ habent ἐπιμόριον. Quare vides hanc partitionẽ valde rudẽ & imperitã eſſe, in qua res partita plura cõplectatur, quã ſubjectæ partes explicẽt: nec tñ id eſt maximũ in hac partitione vitium, ſed aliud longé magis eſt reprehendendũ, quod imperiti quidam ꝓfeſsionis hujus doctores ac magiſtri, qui te in errorẽ induxerunt, cũ é reconditiorib. diſciplinis aliquid tenuerunt, id in his primis informandæ juvẽtutis ſtudiis (ut ſe magnos & admirabiles apud ignorantẽ & ſimplicẽ diſcipulũ reddant) infarciant: quo nihil poteſt eſſe ineptius aut ſtultius. At Ariſtoteles graviſsimus author & probatiſsimus ita ſentit, inquies, eamq; pedum partitionẽ tradit.

Tradat, quid tum? an nobis probatius futurum exiſtimas, quod falſa hominis opinio temere cōceperit, quám quod res ipſa veritáſque manifeſtè docuerit? Quanquā ne philoſophi illius authoritate (ſicuti facis) abutare, poſtea videro. Ad duodecimam quæſtionem venio: quibus potiſſimum numeris ſit utēdum, quam tertio loco pſequeris: ſed ea protinus omiſſa ad proximam reverteris, & rurſus oratione longa diſputas in ſolutis etiam verbis ineſſe numeros, eoſdemque eſſe oratorios qui ſunt poëtici: tū revocas intermiſſam quæſtionem. Ita in hac confuſione non minor tibi tecum, quám cum rebus ipſis videtur eſſe contentio. At duodecima iſta quęſtio de numerorum generibus, quę maximé cadant in orationem, quomodo explicatur? nihil enim eſt naturæ, tota eſt uſus. Nam hic quæritur cō ponēdorum numerorum ratio, quod ad quartum principis partitionis membrū pertinere poſtea dicis. Sed quāvis aliena quęſtio eſt, & temeré poſita, videamus tamen cujuſmodi ea ſit. Quidam é Græcis rhetoribus iambum duntaxat amplectūtur. Ephorus ſequitur pæana, & dactylū: ſpondæum, & trochæum fugit. Ariſtoteles grandiorem dactylum putat, quám ſoluta oratio deſideret: iambū nimis è vulgari eſſe ſermone, trochęum laſciviorem, ita pæana probat. A quibus omnibus cū meritó diſſentias (omnes enim pedes in oratione permiſti ſunt ac confuſi) mihi tamen mirū viſum eſt, quód in paribus cauſſis tam diſparia judicia facias: amatores iambi juſté reprehendis, reliqui enim pedes etiam adhibentur. Ephorum juſtè cq arguis, qui vituperat trochæum & ſpondæum, quibus etiā locus in oratione ſit. Ariſtoteles veró cúm unicum pæana laudet, reliquos condemnet: qua ratione tibi author optimus viſus eſt? At eadē quæ Ariſtoteles, etiā Theophraſtus & Theodectes ſcripſerunt: erraverint cū magiſtro diſcipuli, an idcirco melior Ariſtotelis cauſſa tibi videri debuit, quód nō ipſe ſolúm falſus ſit, ſed diſcipulos quoq; ſuos fefellerit? Nimium illi homini in his artibus concedere ac tribuere mihi videris, quas ipſe præſertim contempſerat, ut in oratoriis dialogis affirmas. Pæana igitur quoniā Ariſtoteles probavit, probādum imprimis & aſſumendum exiſtimas. Sic enim ais, Sit igitur oratio permiſta & temperata numeris, pæane maximé, quoniā optimus author ita cenſet: at huic optimo authori pauló póſt reſragaris, & quā laudem falſò dederas, eandem vera dicēdo detrahis: Pæana Ariſtoteles ut optimum probat, ais, á quo diſſentio, ac mox apertioribus etiam verbis, quare etiā qui dixit aptiorem, in quo eſſet longa poſtrema, vidit parum. Hic Ariſtotelem non ſolúm repudias, ſed ignorantiæ condēnas, quem tamen antea mirificé in eadē quęſtione, in eadē re laudaſti. Ita te memorē & cōſtātē præſtas. Ariſtoteles veré cēſet pæana optimū numerū eſſe: Ariſtoteles non veré cēſet pæana optimū numerum eſſe: quid iſta contradictio, qua lege vera fieri poteſt? O te, Cicero, diſcipulū magis credulū, quám judicem cōſtantem & ſeverum: atq; in hoc tuo magiſtro tamen ſi quid eſt callidé ſubtiliterque traditum, negligentius attendere videris. Ariſtoteles elegantiam & dignitatē pæanis arithmetica ratione demonſtrat, tu triplicem dactyli, iambi, trochęi, pæanis partitionē facere credidiſti: diſputat pæana idcirco dactylo & iambo temperatiorem & gratiorem eſſe, quia pæanis ratio ex dactyli & iambi rationibus componitur: tu diſſerentias pedū deſcribere putaſti: unde antea partitionem illā claudicātem, pariū, duplicium, ſeſquiplicium probaſti. Ac ne me tibi falſa objicere exiſtimes, Græcum illius ſermonem iam corám cōferamus, λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ὡς ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι, οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν. ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιάν, καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων. τρία δὲ πρὸς δύ' ἐστίν. ἐκείνων δὲ ὁ μὲν ἓν πρὸς ἕν. ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος. οὗτος δ' ἐστὶν ὁ παιάν· οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μετρικοί. ὁ δὲ παιὰν ληπτέος. ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν ὥστε μάλιστα λανθάνειν.

Quid ait? an eadem quæ tu? Reliquus eſt itaque pęan, quo utebantur uelut occulto, ſed imprimis Thraſimachus: tametſi imprudentes ac ignorantes quiſnam pes hic eſſet. Eſt veró tertius pęan, é dictis comprehenſus: eſt autem ut tria ad duo: illorū qdē alter ut unū ad unū, alter veró ut duo ad unū: ex his autem rationibus ſeſquiplex comprehenditur, hæc autem eſt pæan. alii quidem omnes omittendi, tum propterea quę dicta ſunt, tum quia metris ſunt accommodati: aſſumendus autem pæan, á quo ex enumeratis

rhythmus

rhythmia ſolo nullum carmen efficitur, unde fit ut maximé lateat. Hic, M. Tulli, differentias pedum non inſtituit Ariſtoteles, ſed probat pæanis rationem ex dactyli & iambi rationibus comprehendi, ut concludat pæana dactylo & iãbo pręſtantiorem. Quám veró fallaci & captioſa cõcluſione, hinc poteſt intelligi, quód iambus, quem fugit Ariſtoteles, quemq; in clauſula poſtremum ipſe vituperas, nõ ratione quadam & ſpecie, ſed re vera ac veritate ſit in pęane quarto ex duabus ultimis ejus ſyllabis: ſed tamen hæc Ariſtoteles ut ita concludat: neq; veró quiſquã ignarus arithmeticæ putet ex dactyli & iambi rationibus non effici rationẽ pæanis, quód ex dactylo & iambo pæan non efficitur: non enim ſi dactylus & iambus ſuperant numero ſyllabarum pæanem, rationes dactyli & jambi ſuperãt pæanis rationem: ratio enim æqualis, (qualis eſt ratio dactyli) & ratio duplex, (qualis eſt iambi) additæ ſeſquiplicem rationem faciunt: tu veró quid ais? Ita pæana probat, eoq; ait uti omnes: ſed ipſos non ſentire cùm utantur, eſſe aũt medium ac tertium inter illos, ſed ita factos eos pedes eſſe, ut in eis ſingulis modus inſit aut ſeſquiplex aut duplex, aut pãr. Hæc tua ſunt Ariſtoteli authori falſo attributa: quare in poſterum cavere debebis, ne tãtum opinionibus ſcholaſticorum hominum (qui ex umbra in pulverem & aciem nunquã ꝓdierunt) concedas, ut judicium adhibere deſinas: ſed id multó magis, ne incognita pro cognitis, & incerta ꝓ certis affirmes. Hoc academiæ ejus non eſt, quam á pueris amaveris, quamq; in omni vita unicé colueris. Retexe, mi Cicero, retexe teſtificationem illam: non recuſo, ais, quin quãtum de libro illo, tantum de judicii mei fama detrahatur: imó recuſa, nega, obſiſte, pugna, ne tui judicii fama é ſcholaſtica iſta levitate pendeat. Attamẽ heus tu, quid agis iſta quæſtione duodecima? docere vis qui maximé cadãt in orationem numeri: at nullos explicas: de iãbo, pæane, dactylo, ſpondæo, trocheo loqueris: qui pedes ſunt, unde numerus efficitur: nullum omnino numerum proponis, niſi pæana numerum dicas: quid inquam agis M. Tulli? quomodo propoſitã quæſtionem explicas? an non conſiderabis, quid hic magiſter (á quo has ſpinas tranſtuliſti in oratoré tuum) dicat, & quomodo? Decima quæſtio ad originem & cauſſam numeri pertinet, nihil novi adfert ad naturam: undecima plena cõfuſionis & erroris nihil ei, quod interrogat, conſentaneum interpretatur: duodecima multó plurib. tenebris eſt involuta: permiſcet undecimam quæſtioné, ipſa tota eſt aliena Ariſtotelẽ & laudat incõſtanter, & falſo interpretatur, & errantẽ ſequitur. Decimatertia quæſtio quarto gradu ſubſequitur, quos numeros cũ quibus tãquã purpuram miſceri conveniat: atq; etiam quibus orationis generibus ſint, cuiq; accõmodatiſsimi: quæ quæſtio ſi plené tractaretur, ad uſum eſſet referẽda: quia illic cõponendorum ratio quæritur, quod ad uſum, quartam partitionis partem pertinere poſtea doces? verúm vix attigit, quod pollicebatur: tres enim pedes, iambum, dactylum, & pæana (credo ut tribus eorũ authorib. pauló anté nominatis aliquid gratificaretur) duntaxat hic attigit, & in iſta quęſtione quandiu verſatur, nõ alios miſcendos & temperandos inter ſe proponit. Quid attingit dico? imó ne attingit quidem, quia proponit in hac quæſtione de numeris ſe dicturũ, quomodo miſceãtur inter ſe: at hic nullum omnino numerum ponit: de pedibus loquitur, qui numerum juncti faciunt, de numero nullo loquitur, niſi forté pæana placet numerũ dicere. Decimæquartæ quæſtioni cur nõ æqué in oratione atq; in verſu numerus appareat, deinde reſpondes: neque tamẽ ad naturam numeri ſpectare videtur oratio tua, quæ levem & é circunſtãtiis quibuſdam collectam differentiam numeri oratorii & poëtici tradit, qua nihil numeri naturam cognoſcimus, numerus poëticus certam & definitam legem ſpatiorũ continet, oratorius non cõtinet, ꝓpterea magis apparet in verſu numerus, quã in oratione: tu veró ꝓclara iſta differẽtia pcipi poteſt, ſi ꝗd numerus ſit ignoretur? at definitus nondũ eſt: nullã igitur naturam numeri hæc quæſtio ſicuti neq; ſuperiores oſtendit, & tñ in quæſtione decima, quæ diſputatur, primo loco iſta differentia fuerat. Quid ſequitur? ſolet aũt quæri, ais, totóne in ambitu verborũ numeri tenẽdi ſint, an in primis partib. atq; in extremis. Enimveró unde nobis iſta quæſtio? neque de quindecim ulla fuerat, & uſus eſt, nõ naturę, atq; illic etiã diſputatur: cũ enim ad quartum principis diviſionis

locum

locum perveniſti,tum ais, ſatis multa de naturs,ſequitur uſus, de quo eſt etiam ac curatius diſputandum:in quo quæſitum eſt,in toróne circuitu, an in principiis ſolum,an in extremis,an in utraq; parte numerus tenendus ſit. Quorſum igitur iſta præceptio (quæ ad quartam partem propɩié & veré pertinet) in tertia falſo cõfunditur? Ac ne tibi id ſatis eſt cõturbare, inducis de excercitatione rationem in definienda re perridiculam. Similitudines ac diſsimilitudines poëtarum & oratorũ antea in generibus elocutionis explicatas, huc in alieniſsimum locum revocas: qua tamen ex oratione cõſidera quid efficias: ita ſit, ais,ut non item in oratione, ut in verſu numerus extet, ídq; quod numeroſum in oratione,non ſemper numero fiat, ſed nonnunquam aut concinnitate,aut conſtructione verborum. Unde cõſecutio hæc efficitur? quæ ratio? quod argumentũ? quæ probatio anteceſsit? quęſtiones hę decimaquarta & decimaquinta fuerant:& earũ alteri pauló anté quodammodo reſpõſum eſt:alteram propoſitam initio & concluſam tandem videmus: probatam & explicatam nullo loco videmus: atq; ita ſex poſtremæ quæſtiones non ad explicandam,ſed ad conturbandam numeri naturam concludunt turnovem quæ primę fuerant,poſtremę ſequuntur,egregio ſané confuſionis ordine. Ita ſi numerus(ais)quæritur qui ſit,omnis eſt: iſta reſponſio ſuperioribus gratior eſſe debet: ut enim nihil de natura numeri doceat,ut quid ſit intelligam:nihil enim explicatur, affirmatur tantum; ita non valde moleſta eſt, quia perbrevis eſt. Atque etiam hæc tam ſuccincta ſolutio in quæſtione duodecima (quæ tertio loco tractatur) fuerat. Si locus? in omni parte verborum:quæſtio hęc proxima ſuperiore pagina,cũ de toto ambitu quæreretur, expoſita eſt, & ad uſum diximus pertinere:ita res aliena huc inutiliter iteratur. Si unde ortus ſit? ex aurium voluptate: quæſtio hæc duobus primis membris origine & cauſſa diſputatur: huc autem inutiliter revolvitur. Quartam quæſtionem quotuplex eſſet numerus,omiſiſti & minus idcirco quám in reliquis partibus offendiſti. Utiná M. Tulli, reliquas ejuſmodi ſcholaſticas nugas omiſiſſes. Si componẽdorum ratio? dicetur alio loco, quia pertinet ad uſum, quæ pars quartá & extrema nobis in dividendo fuit: ergo hanc partẽ intelligis,non naturę, ſed uſui ſubjectã eſſe, & tamen prudens ac ſciens erras, & alieno loco ſtatuis: gratiã videlicet magnã idcirco tibi debeo, quód nõ ullo meo labore,ſed tua ipſius confeſsione culpam iſtam deprehendo. Si ad quá rem adhibeatur? ad delectationem:hic finis numeri in origine poſitus á teipſo, & tamen huc nullo fructu repetitur. Si quándo? ſemper: hæc quæſtio ad uſum pertinet,ut bis antea jam dixi,eaq; á teipſo tã quam falſa refutatur: quód diſſolutio orationis & hiatus indicet aliquando non ingratam negligentiã hominis de re magis,quám de verbis loborantis,ut nõ ſemper numerus adhibendus ſit,ſicuti nunc doces. Si quo loco? in tota cõtinuatione verborum:hæc quæſtio ſecũda fuerat, & inutiliter hic iteratur,quia etiã prius fuerat in quæſtione illa interpoſita, totóne in ambitu numerus adhiberetur. Si quæ res efficiat voluptatem? eadẽ quæ in verſibus,quorum modũ notat ars, ſed aures ipſæ tacito eum ſenſu ſine arte definiũt: hæc quæſtio valde detorto ſenſu hic implicatur. Antea enim quæſitum eſt quemadmodũ adhibitus numerus aliquid voluptatis adferret:nũc autem quæris quæ res efficiat voluptatem, an eadem res & antea & poſtea tibi quæri videtur? Tũ veró conſidera quomodo quæſtioni tuæ reſpõdeas: neq; enim doces quomodo numerus adhibitus voluptatẽ afferat. Quãobrem, M. Tulli, excita, quæſo, teipſum, & Rhetoris (á quo in tuũ librũ hæc tranſtuliſti) vanitatem & inſulſitatem circunſpice: quam numeri naturam tot quęſtionibus definierit. Quæſtio breviſsima & unica erat hujus loci propria, per quã numeri naturam & diffinitionem invenire debuimus ejuſmodi, Numerus eſt figura verbi qua modulate oratio componitur: hanc Rhetor omiſit: quæſtiones cõfuſiſsimas quindecim induxit, per quas de numeri natura nihil invenimus. Simillimé profectó ac ſi ingenioſus ſcilicet & exercitatus venator cuniculũ aliquẽ in media via laticantẽ, & foſſula tectũ capere velit, canes permultos generũ omniũ ad eã venationẽ cõparet, ſaltus oẽs, luſtra per diſpoſitos miniſtros occupet, cavat ipſe tuba, & uſquequaq; curſitet, atq; imprimis magnũ ſtudiũ & ardorẽ ꝑ ſe ferat: tãdem multis clamorib. laborioſa cõcurſatiõe,

canibus hominibúſq; fatigatis ioanis domũ redeat: quid iſti venatori facias, ſi dominus ejus ſis? nónne meritó hominé ſimili cœna excipias, jubeáſq; collocari in aureo lecto, abacóſq; complures ornari argento, auróq; cælato, tũ eximia forma pueros aſsiſtere, qui ad nutum illius præſto ſint, adſint unguenta & coronæ, incédantur odores, tandem cùm epulari volet, patinę vacuæ & inánes aperiantur, ut ferina (quá venatus eſt) ſaturetur. At tuus Rhetor, venator ille nobis eſt: quærebatur numeri definitio, res illa beſtiola multó ad inveniendum facilior: latebat enim in paucorũ verborũ evolutione, Numerus eſt figura verbi qua oratio modulate componitur: ad hunc cuniculum inveſtigandum quindecim quæſtiones tanquã canes expedivit, qui etiam credo ad inſidiandum, ordinem ipſum varié cõturbavit, de primo loco novẽ primas quæſtiones in poſtremum quaſi ſaltum induxit, poſtremas ſex in primum locum ſummiſit: falſas interim rerum ſpecies locis aliquot obduxit, nullumq; de pręſtantis illius & excellentis venatoris muneribus omiſit, ut inanis nulla numeri invéta natura domum rediret. O præclaram & ſingularem indagationẽ. Nullá hic eloquentiá tuá requiro, nullũ tropum, nullam figuram reprehẽdo: imó veró ſingularem totius orationis ornatũm admiror & laudo. De tua te bonitate & ſimplicitate admoneo, qui Academicum te profiteri cũ ſoleas, tam leviter tamen incognitis magiſtrorũ decretis aſſentiare. Dixit Ariſtoteles, ergo verũ: dixit Iſocrates, ergo verum: ſyllogiſmus nõ eſt, M. Tulli, judiciũ non eſt, ſed temeritas plerumq; & error. Quare magnificas aſſeverariões tuas expende: Quicquid habeo judicii, in oratorem meũ contuli: nec recuſo quin quantum de libro illo, tantum de judicii mei fama detrahatur: detraham veró de hoc libro quicquid & uſus & veritas improbabit: nec tamen de judicii tui fama propterea detraham, ſed liberé & veré dicã Apollinis oraculum diligentius tibi conſiderandum, & interpretandum fuiſſe, ut potius naturam, id eſt conſtantem & firmam judicii regulam, quám multorum hominum opinionem (quæ temeraria plerumq; & fallax eſſet) ducem ſequerere.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER VIII. DE numari uſu, & ejus quæſtionibus 20.

VSus orationis aptæ & numeroſæ ſupereſt, in quo venationem quandam ſuperiore longé ſtultiorem & ineptioré ab eodem, opinor, magiſtro inducis. Proponis enim viginti, ſed proponis duntaxat quæſtiones: totúſne ambitus numeroſus eſſe debeat, quid inter numerũ & numeroſum interſit, an partes orationis æqualiter dividendæ, quádo, cur, partibus pluribus an ſingulis, imparibus an æqualib. quando his utandum, quæ aptiſsimé collocentur, quo modo, an ſine diſtinctione, unde ſit numeroſa oratio, unde periodus, quãta, quid mẽbra & inciſa, quanta, quæ partes, quádo, quomodo, quorſum. Ac licet, ais, non ad ſingulas res reſpondentem de univerſo genere ſic dicere, ut etiam ſingulis ſatis reſponſum eſſe videatur: quorum neutrum facis: nihil enim commune omnium & univerſum tradis, & in quadam confuſione ſingulis ſeparatim reſpondiſti: doces circumſcriptionis numeroſæ uſum in laudatione & exornatione conceſſum, in ſeriis cauſsis non itẽ, modos & clauſulas laudabiles ſepté præſcribis: ex dichoreo, cretico, pæana quarto, ſpondęo, præcedente aut iambo, aut choreo, aut dactylo, ex dochimo. Hoc primæ quæſtionis, nonæ, decimę, undecimæ, & duodecimæ aliquid eſt, non totũ: nullũ enim verbũ eſt de numeria primorũ & mediorũ locorũ: tũ ais numeroſam orationé non ſolũ numero, ſed etiá collocatione & concinnitate fieri, & differentiá revocas numeri & numeroſi: quod dictũ antea fuerat, & hic inani labore repetitũ. Hîc etiá ſecundæ quæſtionis eſt ſolutio. Tũ de periodi, & partiũ ejus longitudine, uſuq; nonnihil aggregas, ubi eſt aliquid quæſtionis tertię, & quartæ, & quintæ, & ſextæ, & ſeptimæ, & octavę. Itemq; decimæſextæ, & decimæſeptimæ, & decimæoctavæ, & decimænonę: nihil enim via & ordine explicatũ: tũ viceſimæ quęſtionis, reliqua libri diſputatio tribuitur. Ita quæſtiones hæ venatoriæ viginti tractantur, ut nihil recté definiatur, nihil expli-

explicetur ratione, ſed temeré ut quicq; occurrit, ita confundatur: nec ſpeciatim ſingulis rebus, nec univerſis generatim reſpondeatur. Verum Rhetoris tui ſzus hæc eſto: judicii tui nihil hic eſſe tibi perſuadero: de tota confuſione in ſingulis partibus accuratius diſſeramus. Doces non eundem numerorum uſum in forenſi, in hiſtorico, in epidictico genere: laudo: neq; hoc Iſocratici, ſed Ciceroniani ingenii eſſe duco. Accedis ad numeros, & eorum (ut dixi) in clauſulis genera ſeptem conſtituis: dichoreum, creticum, pæanem quartum, ſpondęum præcedente uel iambo, uel choreo, uel dactylo, itē dochimum: nihil præterea de numerorū generibus hic præcipis. Quæro igitur cujuſmodi ſit in tradenda numerorum (quibus apté cōcluditur oratio) doctrina, obſervatio? quæ animadverſio? non enim loqueris de uno pede extremo: adjungis etiam quod minimum ſit proximum ſuperiorem, ſæpe etiam tertium: in dichoreo duos choreos ex longa brevi, longa brevi perſpicio, & hæc non couremuenda videri fortaſſe poſsit obſervatio, quæ duos pedes extremos animadvertat. At in cretico non dicis qui pedes laudabiliter, qui vitioſe præcedant. Si pes igitur unus ſatis non eſt extremus, quid me doces in cretico? conſidera contradictionis hujus ineonſtantiam: non eſt ſatis obſervare pedem unū in clauſula: ſatis eſt obſervare pedem unum in clauſula. In pæane quarto ex tribus brevibus & lōga pirrhichium & iambum agnoſco, atque hęc excuſari, ſi non omnino probari animadverſio poterit. Sequitur ſpondęua iambo præcedente: ſpondęus tribrachi præcedente: hic conjungendorum pedum ſtudium video. Eſt autem ſpondæus, ais, in extremo laudabilis pręcedente dactylo: quo in præcepto, mi Cicero, miſeret me profectó tui, quem in his nugis non judicio lapſum, ſed facilitate & credulitate deceptum perſpicio. Rhetor aliquis hanc componēdi numeri rationem docuit: arripuiſti protinus, & huc contuliſti: non attendiſti quid, aut quale dictatum hoc eſſet, incognitum probaſti. Erenim quoties jam, quoties numerus otarorius á poetico diſtinctus & ſegregatus eſt, ne poematis ſimilis eſſet oratio? At clauſulam carminis ex dactylo & ſpondęo clauſulam facis orationis: at cujus carminis? carminis heroici omnium carminum ut maximi & præſtantiſsimi, ita clariſsimi & notiſsimi. Quomodo enim verſus illi tui tibi gratiſsimi clauduntur,

O fortunatam natam me conſule Romam,
Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

quomodo cæteri omnes epici, nónne dactylo & ſpondęo? Quare collige reipſum, & deſine mirari, quamobrem iſta levium & inertium magiſtrorum (quos ſequeris) ſomnia mihi non probentur, & cur in erroribus tā manifeſtis, doctoribus illis reſiſtam: neque judicii tui quicquam hic eſſe conſtituam. Aliquid ſaltem tam inconſiderato præcepto addidiſſent, ut dactylus & ſpōdęus orationē non inepté clauderent, ſi dactylus & ſpōdęus non ſinguli ſuis dictionibus comprehenderentur, cujuſmodi clauſula aliquoties uſua etiá hic eſt: unde ſunt illa, Sed habeo mediocritatis rationem: item, Hoc aſſequi non potuerunt: hæc inquam ſi ſic dixiſſent, aliquid audiremus: quod ſi non omnino laudari, certé aliquo modo poſſet excuſari. De ſpondæo ante ſpondęum nihil hic ais, quem numerum tamen poſtea cúm de Craſſo loqueris, ais tibi maximé probati: negas iambū extremum in oratione recté collocari. Enimveró quid vis uel ſimpliciratem, & indiligentiam tuam coarguam? præceptiſne tuis an exemplis? utraque enim contra te faciunt, & quodammodo contrá clamant. Etenim, ut de præcepsis primúm dicam, quid? nónne & creticum & pęanem & dochimum aptos & numeroſos in fine orationis pedes exiſtimas? At eorum ſingulorum duę poſtremæ ſyllabæ iambum conficiūt: aut igitur pedes illos omnes damnes neceſſe eſt, aut iambum uná cum omnibus approbes: neq; veró te tuis præceptis, imó ne tuis quidē, ut ſępe profiteor, ſed ſcholaſticis & nugatoriis ſolúm refellere, ſed exemplis etiam á tanto errore revocare cupio: quæ (ne te falli exiſtimes) ex hac ipſa diſputatione ſumá: unde enim ſunt illi iambi geminati in his clauſulis, Proceritate tardius, Orationis attinent, Maxime probo, Siculorum ſimillimum, Auditi libentius: quibus in ſingulis exemplis iambi gemini, in ſecundo etiam tergemini ſunt: & ſi de tuis orationibus exempla mavis, recognoſce unde ſint hæ clauſulæ, Hoc mihi majus á diis immortalibus dari nihil poteſt: item, Sunt enim librarii

manu.

manu.ex ſecunda tua Philippics, Tergemini illi ſuot iambi.& in Catilinam, Quibus te brevi tempore confectum eſſe ſenties.item tertio actionis lib. Venit in Galliam expectatus ad exercitum conſulatẽ cum pecunia.& quarto, Videte Iudices, Item, Libidini ſuæ.& quinto, Fugienda ſuot.Item, Eſſe quæ poteſt.Sed quid exẽpla velut certo numero recenſeo? Volo tibi Brutinæ conſiderationis conſilium ſtudiumq; totum patefacere.Cũ mihi ſtatuerem ſingulatẽ eloquentiæ tuæ uſum quibuſvis præceptis tuis magiſtrum meliorẽ eſſe, quia præcepta tua é ſchola eſſent, hominũ qui forum nunquam attigiſſeot, resq; de quibus loqueretnr, nunquã experti eſſent, uſus autem præſertim tã inſignis artis ipſius magiſter eſſe debeat, doctis hominibus viginti, totidem præſtantiſsimas oratiões tuas tradidi, in quibus clauſulas omoes obſervarent. Hanc obſervationem octavo poſt die cũ ab illis ſtudioſé accurateq; factã accepiſſem, generaq; ſiogularia cootuliſſem: tandem magna lætitia deprehẽdi non modó hũc numerum frequẽter in omnibus feré orationibus tuis, ſed quemcumque alium ſex poſtremis ſyllabis variatom modo et diſtinctum adhiberi. Itaq; noli putare unius Bruti diligeotiam tantam eſſe, viginti Brutorum diligentia eſt, & quidem diligẽtia ſingularis tuæ laudis & gloriæ interpres & internõtia. Nam cum tuis exẽplis tua præcepta refellimus: nónne id deniq; contendimus Ciceronis eloquentia omoes Iſoctatis Moloniſq; artes ſuperatas eſſe? Quare impoſterum orationes toas beoe dicẽdi magiſtras, nõ Rhetorum tuorum præceptiunculas mihi ſtatusm. Sed ad numetos Rhetorum tuorũ redeo, nec veteor ne contra arguteris, in his exemplis eſſe choreũ cũ dactylo uel cretico, & idcirco geminos iambos notari non poſſe: Romanus eſt Cicero, & Italus, & homo: non eſt igitur Arpinas? quænam, quæſo te, repugnantia iſta fuerit? cujuſnam diſsidii fuerit iſta complexio? an ſi quinq; ſyllabis comprehendantur, choreus & creticus, in iiſdem geminus iambus non erit? Neq; veró exempla tua nõ laudo, ſed Ariſtotelẽ iambi contemptorẽ potius cõtemno & irrideo, qui ſine cauſa ſoaviſsimum pedem deſpiciat. Etenim cũ temporũ in clauſula tanquã colorõ in purpura tẽperatio moderatioq; laudetur, atq; idcirco dichoreus omniũ numerorũ primus & jucundiſsimus tibi videatur, quia pares cũ paribus, longas cũ brevibus ſyllabas permiſtas hsbeat, longam brevem, loogam brevẽ: quanto præſtantior iambos eſt judicaodus, cũ vel gratiorem temperationẽ brevi præcedeote, ſequẽte lõga obtineat? Verba enim melius in lõgiores ſyllabas cadere tute ipſe antea nobis author fuiſti. Nec ſimilitudo in iambis potius, quám in cæteris pedibus geminatis, oel choreis, uel ſpondæis ſuavitati credatur officere: tã enim poteſt caveri, ne ſæpius geminus iambus, quã geminus choreus aut ſpondæus iteretur: & ut geminis iambis dici poteſt iambici carminis quiddam ſtrepere, ſic geminis trochæis trochaici carminis, & ſpõdæis ſpõdaici. Quamobrẽ, ut hanc iambicã cõprehenſionem cõcludã, aut Rhetoris tui præcepta tam cõmeotitia eſſe, aut exẽpla tua nõ ferenda fateare: non aũt exempla tua, quæ voluptatis hujus artifex & magiſter uſus, quæ optima item ratio tueatur: præcepta igitur Rhetoris. Dochimus reliquus eſt, in quo ut numerũ ipſum laudo, ſic obſervationis genus perridiculum eſſe cenſeo: quo ſi teipſum falſum & deceptum eſſe cognoveris, facilius te moveri, credo patiere. Quicũq; enim magiſter ſive Gorgias, ſive Iſocrates, ſive tuus ille tot nugarũ & tenebrarũ Rhetor numeros oratorios partim triſyllabis, partim quadriſyllabis, partim aliis polyſyllabis pedibus juſsit nos obſervare, in magnã ſané confuſionẽ ſua nos imperitia deduxit: ꝑpterea quód in ſex á fine poſtremas ſyllabas (qui feré modus eſt hujus adnimadverſionis univerſæ) varii pedes diverſorũ generũ includi poſsint: ut ſit extrema pars orationis (reipublicę) dochimus eſt, item iambus & creticus, item iambus & dactylus, quia ultima ſit indifferens, ut tibi placet: item bacchius & iambus, item ſpondæus & iãbos: atq; hoc modo in omnes obſervationes per polyſyllabos ejuſmodi pedes ſimilis cõfuſio poteſt accidere: quam perturbationem doctrinæ videris etiã nonnihil, ſed velut præteriens aſpexiſſe, cũ ais pæana, quód plures ſyllabas habeat, numerum á quibuſdam, non pedẽ haberi. At bone Deus, quám tota iſta per pedes vel generis cujuſcunq; obſervatio captioſa & tenebricoſa, & inanis eſt. Vitaveris enim poëmatis ſpeciem, ne

ſit carminis noti pſertim & inſignis clauſula, nrationis clauſula: neq; principium, principiū i licet ex omnibua pedibus numerū cōficere, ſed variatum ſubinde atq; temperatū. Ex ſex pnſtremis in clauſula ſyllabis, ſex & triginta genera numerorū varia conficinntur: eorū omnium exépla in tuis nratinnibus infinita prnpemodū (ut pauló anté dictum eſt) notata et obſarvata legi, ut ſi ex pedū ratione numerus orationis ſpectetur, nulla non numeroſa poſsit eſſe oratio. Quāvis omnia illa tua exempla non probo, imprimis carminis ſimilitudinem, deinde longarū & breviū perpetuitatem. Quare id tantúm, ut dixi, tenendū eſt, ut illis viriis evitatis mndera tio teneatur. Nnnc itaq; ex pluribus lnngis, nunc ex brevibus pluribus, nūc ex iiſdé inter ſa diſsimiliter compoſitis numerus efūciatur. Hoc, M. Tulli, breviſsimum mnnitū totam tam longæ cōfuſionis, tāque involutæ utilitatem, & quidem mnltó majorem & veriore, quám tradis, explicat, & prnpalá conſtituit. Dnces deinde non ſolis pedibus, ſed etiam conſtrnctione & cōcinnitate numeroſam orationem fieri: quod antea tnties inculcatnm, & nūc iteratum ſine cauſſa admnnere te mnleſtiſsimę & ineptiſsimę reperitinnis aliquando potuit. Tum reliqua nratione ad ulrimam quæſtioné de ambitu, de mēbris & inciſis multa loqueris: circumſcriptionis longitudinem mnderatam quatuor, minimá duobua mēbris concludis: exemplum nullum moderatæ pnnis: interimq; exemplis etiā nobis illudis. (Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant) duo inciſa facis: quamobrem? nónne utraque ſententia tametſi altera ad alteram pertinet, perfecta tñ eſt? nónne mēbrum id verius diceretur, quā inciſum? ut perindus ſententia ſit abſoluta ex nulla alia pandens, nec ad aliā ſpectans: membrū ſentētia ipſa perfecta quidem, ſed alió tñ relata: inciſum deniq; mēbri particula ſit imperfecta & incōpleta ſententia: qđ inciſorum tñ exemplū cúm pro valde nnmernſis á Craſſo ſumpſiſſes, & ſenariū neſcio quo modo pcepiſſes, bella, ita me Deus amet, averſione culpá illá vitaſti. Niſi intervalln dixiſſet, ais, ipſi prodeant, ſenſiſſet pfectó effugiſſe ſenariū: quaſi veró nequeant verſus intercipere & membra, & inciſa, & omnea omninn interſpirationes, ac propterea verſus eſſe deſinant.

Nos alió mentes, alió diviſimus aures, ait Catullus nnſter: an quia intervalln dixit (alió diviſimus aures) idcirco numerus hic verſus & poëma eſſe deſinit? O virū ſimplicē, qui nos nihil celes ſapiētem, qui ſummis viris, ſi quid leviter offenderint, ignnſcendū putea? ſed certé ſectatoribus tuis non ſatis prnſpicientē, qui cautinne ejuſmodi nnn intelligas occaſionē ſimilis offenſionis ſimplicibus & imperitis exhiberi. Alia rurſus inciſa quatuor orationis cujuſdā tuæ, & quidē pro valde numeroſis ſtatuis: Domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? at egebas. Primúm cur hæc inciſa nominas, quę ſententiam licet alió relatam, perfectā tñ habeant? deinde conſidera primū illud inciſum (domus tibi deerat) quā numeroſum ſit: deſinit enim in quinqne breves: aut ſi deerst, diſſyllabum ſit, turpius in finē carminis heroici deſinit. Poſtrema de numeri utilitate eſt quæſtio, quā tu ſané pclaré & magnificé deſcriptis vitiis, exéplorumq; tū rectorū tū vitioſorū cōmutatinne & cnnverſione tractas: hic aūt aptā oratinné & abſolutá numeroſam vocas, cui contrariā opponis ſolutá & diffluentē: & hāc virtutem numeroſę nratinnis & cōpoſitionem & perfectionem & numerū vocas: ſed tñ in his exemplis te nō animadvertiſſe valde miratus ſum, numeroſum iſtud (quod quæritur) non tá ſyllabarū, qnas nnmeras in pedibus, dimenſinne, quá literarū natura atq; dignitate fieri. Laudas eá clauſulá (Marcellos, Maximoſq; multi eunnchi é Syria, Aegyptoq; vicerunt) neq; reprehendn: cnnſtat enim ex iambo & ſpondęo. Hāc vituperas, Vicerūt eunuchi é Syria, Aegyptoq;: quam laudare juſtius poſſum, ſi numeri tui doctriná ſequar, quá tu ſuperiorem: de ſex enim pnſtremis ſyllabis duæ primæ & ultima braves ſunt, tres intermediæ longę, quæ varietas major eſt, quám antea. Laudas rurſus (ab aliquo video pfacile Daliaco aut Syro potuiſſe ſuperari) neque hnc accuſn: numerus enim eſt ex ſex ſyllabis, prima & duabus ultimis longis, tribua reliquis brevibus: illud (pntuiſſe ſuperari sb aliquo Syro aut Deliacn) reprehēdis: quę clauſula tñ ſi ultima ſit indifferés, ut tu vis dichnreus eſt: quem tu antaa pulcherrimū judicaſti: & idcirco judicio tuo proxima lōgé melior. Quid ergo? iámne vides, iámne ſentis quátn in errore magiſtrorum.

giſtrorum, á quibus iſta egregia dogmera tréſcripſilli, animi vagentur? quám nihil conſtans, quám nihil firmũ doceant? atque idcitco aut eorum præcepte refellas exemplis ruis, aut exépla tua præceptis eorũ coargues? Quid igitur eſt? dicam, M. Ciceto, quod eb illis doctoribus non acceptiſti: non eſt, nõ eſt, inquem, orationis ſuavitas, mihi crede, in iſta pedum ſubductione tora cõſtituts, ſed mulro megis, ut dixi, in verborũ præſtátia & bonitare. de qua ſpecietim tñ nullũ verbũ feciſti. Pervenis ed extremũ, & deriſis Romenis Atticis velutinfsnribns, ſtatuis eloquétem, qui non approbetiones ſolûm, ſed admirationes, clemores, plauſus movere debeet, omnibus dicendi laudibue oportese ſic excellere, ut ei turpe ſit quicquá aut ſpectari, eut audiri libentius: ubi(ſicut antea ſæpe feciſti) qd multarũ artiũ cõmune eſt, uni rhetoricæ ettribuis. Atq; ita in elocntione (in que ſole eloquentiæ principetũ conſtitueras) quám te eloquérem præſtireris, jem potes æſtimate. Quid eſt enim elocutio, M. Tulli? quæ ſunt elocutionis pertes? nihil reſpõdes: qd tropus? quot ejus ſpecies? nihil ais, ſed metaphorem breviter ettingis, tellquoe tropos falſõ eſtimes ex collocetione verborum ſumi: quid figure? quæ genera? quæ generũ ſpecies? hic obmuteſcis, & genera alie in aliis confundis, vera quædam prætermittis, falſa multó plure ſupponis: quid numerus? quínam ſunt ejus modi? nihil defi nis: collocetioné elieno nomine eppellas: ꝓ duob. generibus trie facis, nihil in conſtructione de ſono & virtute litererũ (quod præcipuum erar) explicas, concinniratem temeré interponis: in numero, ut ſeptem modos cleuſularum conturbares, nullem ſolidam & certem doctrinam trederes, tertiam operis univerſi partem cõſumpſiſti: in eaq; quoſdam ertis hujus megiſtros omni ineptierum genere redũdantes tibi ſequẽdos puteſti. Petoraſti tádem eliquádo, & ecademiæ decora quadam verecũndia totum opus concluſiſti: tibi tuum judicium ſumis, mihi meum relinquis: hoc emo et laudo, & philoſopho præſertim Cicerone dignlſsimũ judico, qui aces demicis præceptoribus tam multis, tamq; eruditis uſus fueris. Quemobrem, ur hic etiem petorem, M. Tulli, conſidera tecum academica iſta judlcandi ſapientia, monitionis noſtræ & de cauſsis orandis, & de cauſſarum orádarum arre ſummam vniverſam: vittures & laudes tues quæ ampliſsimę ſunt, ante oculos ribi propone: magiſtrorum opiniones á judicio ruo divide & ſecerne, reperies ſené velut in formoſiſsimo & cõpoſitiſsimo cotpore nævos quoſdam non mulros eſſe, nec tá penitus ingeneratos, quám extrinſecus edjnnctos, ſed temen nævos faſtidioſis & religioſis Atticorum noſtrorũ oculis ingraros. Incredibile eſt, quám me ſingularis & in hoc libto, & in omnibus dictis ec ſcriptis eloquentie tua delectet: tanra eſt in verbis ſingulis proptietas, puritas, eleganria: tantus in conjũctis ornatus, tam varia figuterum lnſignie, et lumina, ranta in voce jucũdiras, in actione dignitas: quæ rhetoricæ facultatis laudes propriæ ſunt, ſed ex aliis artibus pręterea tente, remq; recõdita ſcientia: tauta rerũ humenerũ prudentia, ingenii bona tá ta actem multa, ut ſi forũ & judices eſſent ln cælo, á diis immorralib. non multó mitabilius & divinius cauſſas agi etq; otari poſſe exiſtimem. Diſplicet ramen Atticis noſtris inter tot ranteſq; virtutes Aſiaticorum magiſtrotum in cõpoſitione, eletione, digreſsione, repetitione, jocatione, jectarione, redundantis. Neq; veró ſolũ incredibilem civilis illius facultaris fructũ tuliſti, ſed ejus artem quoq; ſepiẽter æſtimeſti: ec docendi, delectandi, movendi virture deſiniſti: neceſſaria adjũmẽte ex philoſophie, legib. hiſtoriis, rhetoricis, atq; inſtrumẽta cõſidereſti: hoc judicium veriſsimum eſſe judico. Verúm á tem multis artibus ad rhetoricẽ delaberis, & unam pro omnibus eſſumis, Hic judicium tuum nullum video, ſed perciplo megiſtrorum tuorũ commentitiũ decretũ. Oratoré ſtatuiſti ex ꝓpriis bonis inquirendũ eſſe: hoc judiclũ certiſsimũ eſſe judico: teverteris ad magiſtros: elocutioné retines: recté, quia propria: actionem rejicis, non recté, quia non impropria eſt: inventionem, diſpoſitionem, memoriá rejicis: recté, quie propriæ nõ ſunt: retines tamen eaſdem uelut communes, nõ recté, quia dialecticæ propriæ, non cum rhetorica cõmunes ſunt. Atq; in hac tota diſtinctione cúm verum & rectum judicaris, & megiſtrorum temen opiniones non defendas putaris, ſplendidas judicii tui veluti ſtellas locis aliquot impreſsiſti: tam multas aũt tenebras, tá multos errores,

tam multa nugarum & ineptiarum genera, quã multa demonſtravi, patere, mi Cicero, ne tui judicii falſó potius eſſe dicã, quám credã, Iſocratis & aliorũ (quos authores hic habes) rhetorum ſcholas eſſe: illudq́ue meum de te judicium ad extremum ex ſapientiſsimo numinis oraculo concludam. O te, M. Tulli, præſtantem omnino & admirabilem virum, ſi naturã potius ducem, quám multorum opinionem ſequare.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER IX. IN Quintiliani lib. 1.

EXpeditis in Ciceronis oratorem ſcholis rhetoricis, eadẽ nobis in Quintiliani oratorias inſtitutiones materies offertur. Itaq; qui Brutinas quæſtiones illas auſcultaverit, nihil hic admodum novum aut diſsimile reperiet, ſi quis tamen majus quippiam aut difficilius arbitretur, eo ſit attentior & erectior, ſingulaq; rerum momenta perpendat, ut certiore judicio ſententiaq; conſtantiore deliberet. Quamobrem dialectici omnes, id eſt, quicunq; de hac quæſtione veré & conſtanter iudicare poſsitis, adeſte, animadvertite, veſtram ſapientiam excitate, repellite procul á vobis (ſi qui forté ejuſmodi affectus animos veſtros occupare paraverint) repellite (inquam) amorem, odium, præjudicatam opinionem, levitatem, inconſtantiam, temeritatem, & quã tum firma ratio convincet, quantum concluſio certa conficiet, quantum denique veritas ipſa (quæ neque refelli, neque redargui poſsit) obtinebit, tantum animis æquis & libentib. accipite. Singulis veró Quintiliani libris noſtri etiã ſinguli reſpõdebũt, modó pleniores, modó breviores, ut materies erit. Ponatur igitur é 1. lib. primúm Quintiliani definitio, qua oratorẽ nobis ſuum explicavit, & ad hanc etiam diſputationem referantur omnia, quę ex omnibus inſtitutionum Fabianarum partibus referri conveniet. Oratorem (ait) inſtituimus illum perfectum, qui eſſe niſi vir bonus non poteſt: ideoq; non dicendi modó eximiam in eo facultatem, ſed omnes animi virtutes exigimus. Hunc oratorem Quintilianus nobis inſtituit, quem poſteá libro duodecimo virũ bonum bene dicendi peritum, ſimiliter definit, & illas animi virtutes exponit, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, prudentiam: item philoſophiam totam, legũ ſciẽtiam, & cognitionem hiſtoriarum, & alia pleraq; laudum ornamenta. Quid igitur contra iſtam oratoris finitionem dici poteſt? Ego veró talem oratoris definitionem vitioſam mihi videri confirmo: quamobrẽ? quia ſupervacanea cujuſvis artificis eſt definitio, quæ plus complectitur, quã eſt artis inſtitutis cõprehenſum. Artifex enim ex artis ratione definiẽdus, ut quantũ artis veris & propriis decretis incluſum ſit, tantũ tribuatur artifici, nihil præterea: definitio enim non ſolũ eſt explicatio rei brevis & aperta, ſed etiam rei quæ definitur ita propria, ut omni, ſoliq; perpetuó conſentiat. Grãmaticus definitur peritus recté loquendi: non definitur peritus loquendi, & cantandi. Quid ita? quia de poſtremo nihil eſt in Grammatica deſcriptum. Geometra non definitur peritus metiendi & medendi. Quid ita? quia nullum eſt in Geometria præceptũ, quod doceat mederi. Axioma igitur noſtrum teneamus, & hoc ſyllogiſmi fundamentũ ponatur: Artificis definitio vitioſa eſt, quę plus complectitur, quám eſt artis finibus incluſum. tum hoc poſito fundamento aſſumamus: At artificis oratorii definitio nobis á Quintiliano tradita plus amplectitur, quám eſt artis finibus incluſum. Rhetorica enim ars non eſt, quæ omnes animi virtutes explicet. De virtutibus moralibus, & de virtutib. intelligentiæ ac mentis proprié permulta & elegãter Ethici philoſophãtur: de arithmetica, geometria, mathematici: de reliquis totãtarumq́; rerũ ſcientiis, quæ ſunt etiam virtutes animi, docti & ſapientes homines ſuis ſeparatim ſtudiis, nõ rhetores cõmentantur. Cõcludo igitur, Quare Fabiana iſta oratoris definitio vitioſa eſt. Hic igitur Quintilianus primã illã artificioſæ materiæ legẽ non ſervat, non eſt iſtud *κατὰ παντὸς*, qa poſsit orator eſſe, uel rhetoricis Quintiliani artib. abũde inſtructus, qui tñ omnes virtutes non habeat. At dicet Quintilianus, Philoſophia moralis et illa ipſa virtutũ doctrina rhetorum ꝓpria eſt, non philoſophorũ: & nunc perfectus orator informatur, qui non poteſt exiſtere, niſi omnes animi virtutes aſſecutus.

Quid

Quid ſi autem hoc utrunque alienum eſt & falſum? nónne ſummam complexionis & ſyllogiſmi tenebimus? Agite igitur, quæramus quamobrē virtutum diſciplina rhetoricæ pars æſtimari poſsit. An quia & civitatē & cives orator regere debeat, idcirco diſciplina moralis rhetoricæ propria quædam pars erit? Sic ſané Quintiliano videtur, cúm ait, Neq; enim hoc conceſſerim, rationē rectē honeſteq; vitæ (ut quidam putaverunt) ad philoſophos relegandā, cū vir ille civilis & publicarum privatarumq; rerum adminiſtrationi accommodatus, qui regere cōſiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis poſsit, non alius ſit profectó quám orator. Quare tametſi me fateor uſurum quibuſdam (quæ philoſophorum libris continentur) tamen ea veré jureq; contēderim eſſe operis noſtri, proprieq; ad artem oratoriam pertinere. Sic Quintilianus loqtur, & ita cogitat, ut oratoris nomine deum quendam mortalem omni virtute ſcientiaq; perfectum & abſolutū in republica principē appellet, nō unius artis hominem cogitet. At hoc tempore de una quadam arte & virtute, non de omnium artium & virtutum abſolutione præcipiendum Quintilianus ſibi propoſuit: & rhetoricam de liberalibus artibus unam quandam eſſe putat, nō veró communem eſſe artem rhetoricam, idemq; rhetoricam eſſe, quod artem, quod ſcientiam, quod virtutem exiſtimat. Nullam enim in his oratoriis libris civilis facultatis ſcientiam, nullam vitæ & officiorum diſciplinam, nullam deniq; iſtarum laudū (quas oratoriæ artis partes eſſe dicit) doctrinam in Rhetoricæ partibus deſcripſit. Quinque Rhetoricæ artis partes (de quibus poſtea dicam) Quintilianus eſſe judicat, inventionē, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, actionem: non plures, non pauciores eſſe putat. Attamen in earum partium nulla philoſophiam moralem (quam nunc rhetoricæ tribuit) collocat. Dialectica veró huic rhetori vehemēter videtur defuiſſe. á qua ſi didiciſſet in omni arte atq; ſciētia cauſſas rerum & veras, & proprias, & primas exquirēdas eſſe, longé aliter oratorē definiendum cē ſuiſſet: ſi logicas illas de materia artis leges ſibi propoſuiſſet: longé aliter de proprietate artiū ſibi philoſophandū cognoviſſet. Duę ſunt univerſæ & generales homini dotes á natura tributæ, Ratio & Oratio: illius doctrina dialectica eſt, hujus grammatica, & rhetorica. Dialectica igitur generales humanæ rationis vires in cogitādis & diſponēdis rebus perſequatur, grammatica orationis puritatē in etymologia & ſyntaxi, ad recté loquendum, vel ſcribendum interpretetur. Rhetorica orationis ornatum tum in tropis & figuris, tū in actionis dignitate demōſtret: ab his deinde generalibus & univerſis velut inſtrumentis aliæ artes ſunt effectæ: arithmetica in numeris, geometria in lineamentis, aliæq; in rebus aliis: quæ ſi diſtinctæ propriis finibus & concluſæ fuerint, ſi ad illam καθ' αὑτὸ legē, certé quod grāmatica ſuo jure docebit, rhetorica nō confundet, quod utrq; perſpicué deſcripſerit, dialectica non attinget, cognata enim hæc neq; homogenes, ſed aliena & heterogenea eſſent, uſus earum conjungetur, ut eadem ſit oratio, quæ & puré & ornaté & ſapienter & loquatur & dicat, & ſentiat: præcepta tamen puré loquendi, & ornaté dicendi, & ſapienter ſentiendi diſtinguentur, fines artium regentur, neq; confundentur. Quare Quintilianus ex hac rerum dialectica diſtinctione rhetoricam ſic definire debuit, ut ei doctrinę propoſitam proprié & ſubjectam materiam á cęteris artium materiis diſtinctam & ſeparatam primó comprehēderet univerſam, deinde per partes diductam declararet. Atq; ut iſtam rationē cōcludam, ſyllogiſmos duos repetam: Si philoſophia moralis pars eſſet Rhetoricæ, in aliqua ejus parte explicanda eſſet: At id nuſquā vel á Quintiliano fit, neq; fieri omnino debet: Non eſt igitur pars Rhetoricæ. Item, Partes materiæ (quæ Rhetoricæ arti ſubjecta eſt) duæ tantúm ſunt, elocutio & actio: Rhetoricæ autē artis partes, ſunt illius materię partes, eiſq; omnino reſpōdent: Rhetoricæ igitur partes duæ tātúm ſunt, elocutio & actio. At Quintilianus inſtabit, ut facit, in eodem propoſito, & acriús videlicet urgebit, quód Rhetorica ſit virtus (id enim eſt libri ſecundi capite ſecundo) quód orator eſſe niſi vir bonus nemo poſsit (quod eſt duodecimi libri capite primo) & idcirco, opinor, virtutis doctrinam Rhetoricæ partem eſſe concludet. Quod utrunq; tamen ad opiniōnē Quintiliani falſum videri neceſſe eſt, Rhetorica enim virtus eſt quidem; ſed

mentis & intelligentiæ, ut omnes honeſtæ & liberales artes, quas tamen qui habeant, poſsint improbiſsimi homines eſſe. Non eſt autem moralis virtus Rhetorica (ut putat Quintilianus) ut qui ea præditus ſit, non bonus eſſe non poſsit: quamvis id Quintiliano philoſophi quidam Stoici (ut libro ſecundo ſignificat) hiſce conſectariis acuté colligere videâtur. Conſonare ſibi in faciendis & non faciendis virtus eſt, nempe prudentia. Ergo conſonare ſibi in dicendis & non dicendis virtus erit. Item, Si virtus eſt, cujus initium á natura datum eſt, Rhetorica virtus erit: quia ejus initium eſt á natura. Verùm hæc utraque tam acuta concluſio contorta & fallax eſt. Nam neque prudentia moralis eſt virtus, ſed intelligentiæ & mentis eſt: nec ideo Rhetorica virtus moralis erit: & abſurdum eſt ea virtutes morales putare, quorũ initia á natura ſint, quaſi non magis ſint initia vitiorũ á natura, quàm virtutum. Quare Quintilianum philoſophi iſti decipiunt, & illi fraudulétum ſophiſma pro certo ſyllogiſmo contexunt. Pergit tamen Quintilianus, & á ſeipſo affert, Dialectica eſt virtus, ergo Rhetorica. Immuter totum contra Quintilianus, & rectius concludet. Dialectica non eſt moralis virtus, quæ virum bonũ poſsit efficere: quare neq; Rhetorica. Tum addit, Orator nihil poteſt in laudando, niſi honeſtorum ac turpiũ peritus, in judiciis, ſi juſtitiæ ſit ignarus, in turbulentis populi minis, ſi timidus. Quid tũ Quintiliane? An qui novit & honeſta & juſta, honeſtus & juſtus eſt? Quotuſquiſq; heluo eſt & ſicarius, qui quid honeſtũ juſtumq; ſit ignoret? Si timidus ſit orator in cauſſa Milonis, nõ bene dicet (ais.) Quid tum poſtea? An ideo Rhetorica erit fortitudo? Non poterit ſané grammaticus recté loqui, ſi timeat, quia lõgas pro brevibus, aut breves pro longis timore conturbatus enunciabit: & memoria conturbata barbariſmos & ſolœciſmos faciet. Ergo grammatica virtus moralis eſt? quæná fuerit iſta complexio? Aliud veró eſt alterum alteri eſſe neceſſarium, aliud ejus eſſe partẽ & membrum. Dixeris ſané virtutem moralem utilem, & ad omnium artium uſus accommodatam, non inficiabor: artem ullam virtutem eſſe moralem, nequaquã tamen concedam. Poſtremum etiã quiſquilias ineptiſsimas Quintilianus colligit, quód in beſtiis ſit virtus, & in latronibus fortitudo: nec mirum ideo, ſi ſit eloquentia moralis virtus. At Quintilianus jam non videtur Dialecticæ expers eſſe, ſed univerſæ omnino philoſophiæ, & ejus maximé philoſophiæ, quæ de virtute præcipit. De virtute morali loqueris Quintiliane, quæ bonos, & honeſtos, & laudabiles efficiat cultores ſui: neq; tamẽ conſideras quid loquare, cùm beſtiis eam & latronibus attribuas. Meliora verba quæſo impoſterum, uel meliora potiùs conſilia meditere. At enim non quieſcit Quintilianus: duodecimo libro ad iſtam quæſtionem relabitur, & ſimiles apinas aggregat. Mẽs mala Rhetoricæ vacare non poteſt (ait.) Item maxima pars Rhetoricæ eſt de bono & æquo, tum virtutis authoritas valet ad perſuadendum. Quorum duo prima perridicula & perabſurda ſunt: tertium illi ſimile eſt, Timidus orator non bene orabit. Veruntamẽ iſta prætereamus. Atque interea neque philoſophiam moralem Rhetoricæ partem, neque ipſam Rhetoricam omnino moralem virtutem eſſe teneamus, ut Quintilianus exiſtimavit. Veniamus ad illud potiùs (quod ait) á ſe nunc oratorem perfectum informari, qui non poſſit eſſe niſi omnibus animi virtutibus inſtructus & ornatus: & idcirco moralis philoſophia Rhetoricæ pars & in oratoris definitione virtus collocanda ſit: hoc enim reliquum eſt quo videatur error hic univerſus poſſe ſuſtineri. Enimvero ſi perfecti oratoris nomine iam oũe informatur politicus ille vir, qui publicas & privatas cauſas civium ſuorum tractare dicendo, qui virtutis authoritate, quique orationis ſuavitate poſsit animos audientium impellere quó velit, qualem ſignificat poëta, his verſibus:

Tum pietate gravem, ac meritis ſi forté virum quem
Conſpexere, ſilent arrectiſq; auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.

ſi, inquam, vir ille politicus omnibus artibus & virtutib. inſtructus á Quintiliano definitur: de tam multis artibus & virtutibus non una Rhetorica, ſed omnes artes & virtutes (quoniam ex his cõſtat politica illa facultas) exponẽdę deſcribendęq; eſſent Quintiliano, grammatica, rhetorica, dialectica, mathematicę artes, philoſophia tota. At Quintilianus id non fecit.

Quare Quintilianus perfectum illū oratorem (quem dicit) non informat, ſed (ut antè dixi) unam quandā de liberalibus diſciplinis diſciplinam cogitat: quam ut mirabiliorē faciat, hoc modo exaggerat, & ſeipſum hac ratiocinatione decipit, Non poteſt perfectus orator eſſe ſine philoſophia: Ergo philoſophia pars eſt rhetoricæ. Verùm Quintilianū hic ego dupliciter lapſum eſſe arguo, & quòd argumēto falſo, & quòd argumentatione captioſa tàm imprudenter utatur. Neq; enim verum eſt rhetoricam ſine philoſophia morali exerceri, & quantum liceat, perfici nō poſſe. Poteſt enim nondum percepta philoſophiæ moralis ſcientia omnis elocutionis doctrina & troporum & figurarū, item omnis actionis varietas & vocis & geſtus propoſitis primùm oratorū & poëtarum exemplis explicari, ut illæ dicendi laudes illic aperiantur & exponantur, & imitationis genere tū ſcribendo, tum dicendo exprimantur, atq; omnino tàdem quovis exercitationis modo tractētur & exerceantur. Duæ autem illæ partes, elocutio & actio, rhetoricæ artis partes ſolæ veræque ſunt, ut antea demōſtravi: atqui ſic eſt docēdarum artium ordo, ut prima cùm ſit grammatica, ſine reliquis intelligi & exerceri poſsit: ſecundā rhetoricā ſine grāmatica non poſsit, ſine cæteris omnibus poſsit, & ut grāmaticus perfectus, id eſt præſtans & excellens (perfectum enim omnino nihil eſt nec in natura, nec in arte, nec in uſu, quibus tamen artes verè perficiuntur) ſed tamē, inquam, ut grāmaticus perfectus dicendus eſt, qui omnes artis ſuæ perfectiones eſt cōſecutus: ſic orator planè perfectus habendus eſt, qui oratoriæ doctrinæ conſummatas, & perfectas laudes adeptus eſt: alioq ſi plures artes adjungas, fuerit ſanè hominis qui eas habeat, perfectio major, ſingularum ſanè artiū perfectio major non erit, ſed multarum perfectio artium conjuncta erit: perfectio & abſolutio arithmeticæ, non eſt geometriæ perfectio: artium enim perfectiones ex ipſis artibus æſtimandæ & metiendæ ſunt, non extrinſecus ex alienis rebus accerſendæ. Quamobrem qui puer in dicendo & tropis, & figuris variare orationem didicerit & ornare: item & voce & geſtu congruenti pronuntiare, is mihi perfectus orator erit, ſi quid perfectum in artibus exiſtimādum eſt; quia omnes artis oratoriæ perfectiones, id eſt, virtutes & laudes ſit amplexus. Quod ipſum Quintilianus lib. 2. (ſed quid agat imprudens) confirmat. Finem oratoris non eſſe perſuadere ait, quia id in eventu fortuito (quem ars præſtare ſua vi non poſsit) poſitum ſit, ſed bene dicere, ut qui bene dixerit, quanvis non vincat, tamen finem ſit aſſecutus, quoniam id quod arte cōtinetur, effecit. Nam (ait) & gubernator vult ſalva navē in portum pervenire: ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideò malus erit gubernator, dicetq; notum illud, dum clavum rectum teneam. Hic Quintilianus & verè & magnificé ſentit finem, id eſt, abſolutam perfectionē rhetoricæ non eſſe in rebus alienis & externis, ſed in propria artis ipſius poteſtate. Quare non pudeat Quintilianum, ſi non à nobis, à Quintiliano certé ipſo de tanto errore admoneri. Dicit initio rhetoricam perfectā ſine philoſophia non eſſe: dicit contrà poſtea rhetoricam totam in ſeſe verſari eſſe, & eius finē atque perfectionē non extrinſecus aliunde pēdere, ſed ipſa arte omnino penituſque contineri. Quare concludamus ſine philoſophia Rhetoricam perfici atq; abſolui poſſe. Attamen vide quantam licentiam juris noſtri æquitas fiduciaque nobis largiatur. Convici tot argumentis fallaciam argumenti, quo Quintilianus inductus eſt: concedo tamen ac permitto, ut id omne veriſsimum & certiſsimū judicetur, ſi quod vult Quintilianus, hinc effici poſsit. Eſto igitur, non poſsit ſine reliquis artibus ac virtutibus, nō poſsit ſine philoſophia rhetoricæ uſus perfectus & abſolutus eſſe: an tamē conſentaneū fuerit, Rhetoricæ partem ſtatuere quicquid ei utile cōmodūq; fuerit? Dicatur de Dialectico, de Arithmetico, quod de oratore Quintilianus dicit: non poteſt Dialecticus, nō poteſt Arithmeticus ſine rerū omniū ſcientia perfectus eſſe: quoniam omnium artium (quæ ad humanitatem pertinent) uſus cōmuni quodā vinculo contextus, & quaſi cognatione cōjunctus eſt: quis tamen credat Dialecticum & Arithmeticū rectè definiri, ſi dicatur vir bonus diſſerendi vel numerandi peritus, dicaturq; omni ſcientia & virtute perfectus? Aliud eſt aliquid eſſe neceſſariū, aliud eſt eſſe propriū, lex illa καθ' αὑτὸ huc appelletur: nō poteſt tectū domus ſine funda-

mento, ſine terræ ſolo, ſine deo denique eſſe: ergo definiendo tecto omnia iſta cōprehendā? Nimis abſurdus hic error fuerit. Quare Quintilianus & in argumēto, et in argumentatione labitur. At populus ſic oratorem appellavit (inquies) fateor, inquam, & hanc definiendi oratoris tam inſulſam inſcitiā ab imperitæ plebeculæ inſcitia profectā cōcedo. Vocabatur ut in Græcia ῥήτωρ primum, ſic deinde in Italia orator is, qui cauſſas civiū ageret, quales advocati ſunt, qui jam ætate Taciti cœperunt appellari, & á rhetorica rhetores, ut á grāmatica grāmatici dicti ſunt. Tùm veró rhetores diſciplinæ ſuæ quamvis adjungerent, quæ dialecticorum eſſent, inventionem, diſpoſitionē, memoriá, multa etiam alia confunderent, rhetoris nomen retētum eſt: tandem etiá ſub eodem nomine & leges, & philoſophia, & mathematicæ artes, & hiſtoria, & virtutes ſunt exaggeratæ, & orator is appellatus, qui hæc omnia cū eloquentia junxiſſet. Verùm in tradendis artibus non arbitror incertum vulgi errorē, ſed logicam illam veritatis legem ſequendā eſſe. Conſtet igitur vitioſam & redundantem eſſe definitionem, qua nobis oratorē Quintilianus informavit: conſtet philoſophiam moralem rhetoricæ partē non eſſe, cùm ad nullam rhetoricæ partē referatur: conſtet partem non eſſe, quia in nulla materiæ ſubjectæ parte cōtineatur: conſtet Stoicorū rationes falſas & captioſas eſſe: conſtet deniq; magnificá iſtá oratoris definitionē fuci plenam, veritatis inanem eſſe. Sed ſatis de oratoris definitione, quæ tametſi nec ſatis acuta eſſe, nec ſatis accuraté diſputata videatur, acutior fortaſſe ac prudentior partitio quæ ſequitur, erit. Summa igitur operis Quintiliano ad exornādū oratorem propoſiti partitio in duodecim libros includitur: Primus liber (ait) ea quæ ſunt ante officium rhetoris continebit. Secundo prima apud rhetorem elementa, & quæ de ipſa rhetoricæ ſubſtātia quæruntur, tractabimus. Quinque deinceps inventioni: nam & huic diſpoſitio ſubjungitur. Quatuor elocutioni (in cujus partem memoria ac pronuntiatio veniunt) dabūtur. Unus accedet in quo orator ipſe informandus eſt, ut qui mores ejus, quæ in ſuſcipiendis, diſcendis, agēdis cauſsis ratio, quod eloquētiç genus, quis agēdi debeat eſſe finis, quæ poſt finē ſtudia, quantū noſtra valebit infirmitas, diſſeramus. Hæc Quintiliani partitio eſt, in qua diligētiam Quintiliani magnā, ut in definitione quidem video. Omnia enim quæ Græci, quæ Latini de oratore tradiderunt, in unum locum collegit: judiciū autem & logicas leges illas requiro. Ejus autē partitionis (exceptis pauculis quæ in elocutionis & pronuntiationis doctrina traduntur) cætera partim falſa, partim inepta, omnia certé ſine dialectico lumine cōfuſa et aliena ſunt. Primus liber (ait) continet ea quæ ſunt ante officium rhetoris. Sunt igitur, inquam, iſta Rhetoricæ artis aliena, nec cùm de rhetorica ſcribitur, in præceptis ponenda. nihil enim iſtorum eſt καθ' αὑτὸ in rhetoricis. Atque in his rebus alienis quatuor ſcholæ formandi pueri, qui futurus ſit orator, á Quintiliano deſcribuntur. Prima ſchola tribus primis capitibus traditur, de prima pueri infantis educatione, quod ad nutrices, parentes, ſodales, pædagogos, literas Græcas & Latinas addiſcendi & tempus, & locum, & modum, & ad initia deniq; mox cognoſcēdarum artiū, de literarum ordine, de ſcribendo, legendo, de memoria, de pronuntiatione attinet. In quibus licet res veræ & notabiles ſint, & ad primá puerilis inſtitutiōis ſcholam neceſſariæ, cùm tamen tam multi & Latini, & Græci ſcriptores de hac prima puerorū educatione & ſchola, tam multa literis prodiderint, quis unquā Rhetoricę inſtitutionis hoc eſſe dixit? quis in Rhetoricas inſtitutiones ut propriū aliquid incluſit? An nō eſt iſta & Senatoris, & Imperatoris, & jureconſulti tam propria doctrina, quám oratoris? Artes nō ſolum veris, ſed etiam propriis inſtitutis informandæ ſunt, nec theorema in arte κατὰ παντὸς tātum, ſed καθ' αὑτὸ debet eſſe: atq; aliud eſt eſſe aliquid utile, & verum, & laudabile, aliud eſſe alicujus artis propriū. Hæc igitur ſchola Rhetoricæ artis nihil eſt, neq; hic cogitatio perceptioq; rerum, ſed æſtimatio Quintiliano, ſed ſyllogiſmus defuit: una enim concluſio iſta omnia inducere poterat, Quæ artiū præceptis includi debent, ſunt cognata & homogenea, illud enim eſt καθ' αὑτὸ. Hæc non ſunt Rhetoricæ propria: Ne igitur huc includantur. Neq; porró huc recurramus, Non poteſt orator ſine hac educatione puerili exiſtere: cauſa iſta remotior eſt, Nō poteſt for

taſſe

taſſe eſſe medicus perfectus ſine eadẽ diſciplina, non audiam tamen in medicina de iſto puerililudo præcipientem medicum. Novem proximis capitibus ſecundæ ſcholæ grammaticus ludus aperitur, de qua primum idem ſentiendum, quod de ſuperiore: ſint iſta præcepta vera, ſint utilia, ſint oratori futuro neceſſaria, quid tum? Hoc de tribus artificioſę materiæ ſignis, unũ erit κατὰ παντός. An idcirco in oratoriis inſtitutionibus admiſcẽda? Nónne philoſopho ſunt eadem Grammaticæ ſtudia neceſſaria? Quis philoſophum tamen ferret io philoſophia de Grammaticorum artibus balbutieotem? Hæc oratori quideio igooranda noo ſuot: nõ oego: verúm coguoſcantur á Grãmaticis, & cognita adferantur ad Rhetoricá. Syllogiſmus idẽ erroris hujus, qui prioris judex eſto. Non eſt iſta ſchola oratoris propria: ex oratoria igitur arte tollatur. Sed tamẽ in iſta ſchola vehemeotiús offendit Quintilianus, quám in prima. Nec enim res alienas & improprias hic eſſe tãtúm dico, ſed falſas & in arte & in artis exercitatione. In Grammatica enim par feré & idem Quiotiliaoi error eſt, atq; in tota Rhetorica. Grammaticę partes duas facit, methodicen & hiſtoricen: illi recté loquendi & ſcribeodi ſcientiam, huic eoarrationem poëtarum ſubjicit: in illa priore præcipit quædam, ſed confuſé, de acceotu literarũ & ſyllabarum, de etymologia partium orationis, de ſyntaxi, de orthographia. Grãmaticæ veró partes ſunt etymologia ſingulorum verborum, & ſyntaxis coojunctorũ: in qua utraq; & proſodia, & orthographia ſpectatur: etymologia enim dum literarum, ſyllabarum, dictionum ſooum, quaotitatem, accentũ, dum orationis cõmata, cola, periodos interpretatur, proſodiá docet, unaq; ex proſodiæ lege & orthographiam cõplectitur: partes inqoá, illæ duæ ſunt, quæque verum in præſtantibus latinitatis authoribus uſum perpetuó ſibi proponere debent, nec uoquã ab eo diſcedere: ut tum demúm Grámatica vera ſit, quando verũ latinitatis uſum docuerit: nec veré á Quintiliano, ſi accuratã artis rationẽ ſpectes, dictum eſt, aliud eſſe grammaticé loqui, aliud latiné: nec enim quod quis in ſchola grãmatica ſomniarit, grammatica eſt: ſed quod ex vero uſu deductum fuerit & obſeruatum. Sed hæc de methodicæ, ad hiſtorices neceſsitatẽ Quiotilianus ſubjicit grãmatico ad poëtas explicandum, hiſtorias, muſicẽ, aſtrologiam, philoſophiam, rhetoricam ipſam denique, cujus tamen famulam quádam grammaticam eſſe velit. Qui error ex imperitæ plebeculæ (ut de oratore dictum eſt) errore profectus eſt. Dicebãtur enim quoodam grammatici vulgó, qui in literis pueros inſtituebant, & eis poëtas enarrabant, cujuſmodi ſcholas Romæ viginti fuiſſe Suetooius io claris grammaticis author eſt, quo in munere adhibenda eſſet artium præter grammaticam variarum cognitio. Nec tamen vulgus iotelligebat doctorem illum, qui in poëtis explicaodis varias artes doceret, eſſe quoque & hiſtoricum, & muſicum, & aſtrologum, & philoſophum, & rhetoricæ peritum, non autem grammaticum tantúm. Verúm Quintilianus in explicandis doctrinæ præceptis acutiús, quám vulgus diſcernere iſta debuit, & logicas illas ioformandæ artis leges propoſitas habere, & intelligere hiſtoricen (qoam dicit) nullam eſſe grammaticę partem. Nam ſi magiſter iſte in declarando poëta non exerceat ſolúm artes & etymologiæ, & ſyntaxis, ad puré & proprié loqueodum & ſcribendum, ſed ethicam ſcientiam adjũgat ad mores exponendum, aſtrologiam ad ortus & occaſus ſyderum declarandum, & cæteras artes ad res illis ſubjectas artibus exprimendum, certé id faciet noo grammaticæ, ſed illarum diſciplinarum facultate. Quod idem Quintilianus lib. 2. cap. 1. feré ait, ſed per imprudeotiam ejuſmodi multa loquitur. Quamobrem, ut de pleriſque aliis in his ſex capitibus taceam, partitio iſta grammaticæ in methodicen & hiſtoriceo falſa eſt, ooo modó iſta tot capitum ſchola á rhetoricis inſtitutionibus eſt aliena, neque tamen hic altera lex καθ᾽ αὑτό, ſed prima illa κατὰ παντός violata eſt. Ab hac tam eleganti, tamque dialectica deſcriptione grammaticæ artis traoſit Quintiliaous ad ejus exercitatiooem de authoribus grammatico explicandis, de doctoris officio, de ſcripóone pueri. Solos autem jubet poëtas Homerum imprimis & Virgiliũ pueris prælegendos eſſe: in quo vehementer ab eo diſſentio. Nam ut poëtas ad excitandum variis affectibus tenerum adhuc ingeniũ, ad proſodiæ (cúm verſuũ legibus ſyllabarũ quantitas intelligatur) rationẽ legendos

dos in parvis tamen duntaxat & exiguis rebus exiſtimo, ſic ad oratoriam verborũ copiam ac forenſem & civilem elocutionis uſum, ad proprietatem & elegantiam dictionis comparandum epiſtolas Ciceronis, quám elegias Ouidii, & fabulas Terentii, quæ ſermonis feré quotidiani ſimiles ſunt, quám eclogas Virgilii malim. Alia ſiquidem eſt carminis, alia orationis elocutio. Atq; hac occaſione tam alienæ inſtitutionis factum fortaſſe eſt, ut Quintiliani á Cicerone tam longé abeſſet oratio, quoniam non Imitandam Ciceronis & oratorum Ciceronis ſimilium, ſed poëtarum dictionẽ ſibi propoſuerit. Labitur igitur hic primúm Quintilianus, quód poëtas ſolos pueris proponat. Jubet deinde, ot in docendo et explicando poëta, grammaticus præſtet illa quidem minora methodices munera de pedum proprietate, de ſignificatione verborum: ſed maiore cura, inquit, tropos, figuras verborum & ſententiarum doceat: præcipué veró illa inſigat, quę in œconomia virtus, quæ in decoro rerum, quid perſonæ cuique conoeniat, quid in ſenſibus laudandum, quid in verbia, ubi copia probabilis, ubi modus. Hæc Quintilianus de grãmatici officio, vbi videmus de duabus grãmaticæ partibus (quas fecit) methodicen (quæ ſola propria ejus artis tãtum erat) pené contemni: hiſtoricen, quæ grãmaticæ nihil eſſet, unicé commendari. Verúm enimvero ó Quintiliane, differat hic magiſter aliena iſta quanvis excellentiora & rhetoricorum ac philoſophicorum ſtudiorum (quorum propria ſunt) temporibus reſervet: illa autem diſciplinæ ſuæ proprié ſubjectá omni cura diligentiaque tractet & exerceat: hic cõmoretur, hic habitet, hoc munus ſuum omnibus modis exornet: lex illa κατ᾽ αὐτὸ id imperat: explicet in dictionib. ſingulis primã & nativam ſignificationem, tum phraſis & locutionis rationẽ exemplis illuſtret, ſit aſsiduus in exigendis literarum ſonis, in accentus obſervatione, in orthographia: denique hoc ad ſe pertinere & totũ & ſolum arbitretur, ut puerum ſibi in diſciplinam traditum recté & loqui & ſcribere doceat: de majoribus autem illis & altioribus quæ tam vehementer hic commendas, tantum dũtaxat adhibeat, quãtum ſatis erit ad hoc methodices, quod aſpernaris, munus tuendũ. Ubi veró puer grammaticæ partes omnes & loquendo & ſcribendo diligenter exercuerit, tum rhetoricas meditationes in tropis & figuris, philoſophicas in reliquis laudibus adhibebit. Quod idem Quintilianus ipſe poſtea ait, ſed imprudens, ut aliás tam ſæpe ſeipſum conturbat: ſic enim ait hujus libri capite ſeptimo, Hæ feré ſunt emendaté loquendi ſcribendiq; partes, duas reliquas ſignificanter & ornaté dicendi non quidem grammaticis aufero, ſed cúm mihi officia rhetoris ſuperſint, majori operi reſeruo. Et poſtea cap. 1. lib. 2. quæritur á grammaticis occupata eſſe rhetorum officia. Grammatica doctrina eſt bene loquendi & ſcribendi, ait Quintilianus: attamen idem Quintilianus jubet ut grammaticus doceat potiús & ornaté ex tropis & figuris, & ſapiẽter ac decoré ex conſilio, judicio, prudentiaq; rerum, quám bene loqui & ſcribere. At iſta grammaticæ ſola ſunt, illa ſunt rhetoricę ac philoſophiæ. Quare Quintilianus grãmatici doctoris propria officia iſto modo non deſcribit, ſed aliena & impropria, & quidẽ valde imprudenter cõfundit: in ſuperioris illius erroris laqueos rurſus incidit. Poſtremũ eſt in exercitatione grãmaticę artis, ut puer, ait Quintilianus, poëtarum ſibi propoſitorũ verſus ſolvat, mox mutatis verbis interpretetur, tũ paraphraſi audacius vertat, breviet quædam & exornet, ſententias propoſitas ſubjectis rationibus explicet. Verúm pueri iſte Romanus doctori grammatico cõmiſſos quomodo Homerum mutatis verbis explicabit, qui Homeri verba niſi prius á magiſtro ſibi expoſita intellecturus nõ fuerit? Neque enim Græco grammatico Romanus puer inſtituendus traditur, ut parta orationis facultate ad res alias utatur: unde enim parta illi infanti eſſet? ſed ut ſermonis facultatẽ audiendo, legendo, imitando conſequatur. Et hic tertius exercitationis error par eſt ſecũdo. Ut enim grãmatico præceptori in docendo, ſic nunc ejuſdem artis auditori in diſcendo, non grammaticæ, ſed rhetoricæ, ſed confirmatæ jam plané & artis, & exercitationis munus impoſuit. Quamobrem Quintilianus in hac ſecunda ſchola longé gravius errat, quám in prima. Illic enim res alienas tradebat, hic etiam falſas propoſuit: & in arte grammatica, cujus partẽ hiſtoricen facit, & in artis exercitatione, tũ

quód

quód ſolos poëtas legendos præcipiat, tum quód magiſtrum & diſcipulum iſto modo inſtruat. Atq; hic non dico in conquirendis & inveniẽdis rebus Quintiliano curá defuiſſe, ſed logicas leges, ſed judicij prudentiam, ſed ſyllogiſmi rationẽ vehementer in eo deſidero Reliqois primi libri tribus capitibus duæ quædã novæ ſcholæ Fabiano oratori deſcribuntur: in quarum altera mathematicas artes cognoſcat, in altera ad vocis & actionis dignitatem comœdos, tragœdos, & palæſtritas magiſtros adhibeat. De mathematicis autem magis, quám de grãmaticis mirum eſt in rhetoricis artibus ita præcipi, quæ quam nihil admodum Quintilianus præcipit: ſed tamen finge mathematicas artes ſingulariter á Quintiliano inſtrui, quis erudiendæ juventutis hic ordo fuerit? Rhetorica in elocutionis & actionis ratione, dialectica in præceptis & inventionis & diſpoſitionis omnibus mathematicis artibus generalior & cõmunior eſt, & ab illis univerſis ſcientiarũ fontibus ſingulares hi mathematici tanquã rivi defluxere. Cognitionis igitur ordine & rhetorica & dialectica præcẽdont: mathemata omnia ſeqoontur. Hic logicam de artiũ forma legẽ rogo & poſtulo, nec contrá pro Quintiliano dici poteſt, olim ſic artes ipſas pueris traditas eſſe. Nã mathematicæ artes primæ & dio artes ſolæ fuerunt, nec aliæ poterant prius explicari, quæ nullæ eſſent. Quãdiu enim lingua fui integra, grãmatica nulla feré fuit, & de rhetorica nihil admodũ ante Iſocratẽ á Corace & Tiſia fuerat inſtitutũ. Verùm cùm res non doceri ſolúm & percipi, ſed facilé & doceri & percipi repertis ad id artibus poſsint, non jam quid ſolitũ ſit aliquando fieri, ſed quid tandem oporteat fieri, quærendum eſſe arbitror. Præcipiũt una quaſi voce omnes omniũ magiſtrorum ſcholæ, progreſsiones et inſtitutiões artium ab univerſis ad ſingularia tẽdere: legemq; illam dialecticam, Natura prius priore loco eſto, obſeruandã ſibi proponit. Quare grãmaticam, rhetoricam, dialecticã præcedere: mathematicas artes ſequi neceſſe eſt. Hoc logicũ fundamentũ, non cõſuetudinis abuſom ſequor. Ad comœdos, tragœdos, & palæſtritas á mathematicis nos mittit Quintilianus, utiliter fortaſſe, ſi Quintiliani tẽpore viveremus: quia tum illi homines in propria & vocis & corporis formatione ſtudioſé elaborarunt, verùm artis ſcriptori non conueniẽter. Artes enim rerum conſtantiũ et perpetuarum & immutabilium eſſe debent, & eas ideas tantùm ſpectare, quas Plato gigni negat, & ait ſemper eſſe: deniq; κατὰ παντὸς illud ſequi. Tempus autẽ nullum fuit, locus nullus fuit, nec erit, quo nõ poſſit ornaté dici, quo moderatio & vocis & geſtus nõ poſsit adhiberi. Tempora & loca multa fuerunt, erũtq; ubi comœdi, tragœdi, palæſtritæ nulli fuerunt, nec erunt: Nõ igitur recté facit Quintilianus qui artem perpetuam & immutabilem tam incertis magiſtris ſubjiciat. Atq; in his omnibus ſcholis adhuc videmus, quám non abſint rerum varietas & copia, ſed quám ſyllogiſmi & judicii ratio deſit. Quicquid Quintilianus credidit oratori cõmodum fore, huc conjecit, non conſideravit an eſſet proprium hujus inſtitutionis. Ad dialecticam omnes iſtas ſcholas referamus, ejus iudicio permittamus: prima infantię ſchola rhetoricæ nihil eſt, ſecunda ſchola grãmaticę eſt, & multis partibus falſa, nõ ſolúm rhetoricæ aliena eſt: tertia & quarta omnioo item alienæ & varia ratione cõfuſæ. Quam igitur dialecticæ ſententiã expectemus, niſi ut á rhetoricis inſtitutionibus ſcholas omnes iſtas non ſolúm improprias, ſed falſas, et inepté confuſas expelli atq; exterminari jubeat?

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER X. IN Quintiliani librum ſecundum.

ATque hæc de primo libro, ſecundo prima apod rhetorem elementa, & quæ de ipſa rhetoricæ ſubſtantia quæruntur, tractantur, ait Quintilianus. At tria primùm magna & ampla capita ſunt de tẽpore pueri ad rhetorem deducẽdi, de moribos & officiis præceptoris, an optimo præceptore protinus ſit uteodum, anteqoam de primis rhetoricæ exercitationibus dicatur. Quæ ipſa fac eſſe certa, vera laudabilia, utilia: propria tameo hujus artis & doctrinæ ad logicam illam καθ' αὑτὸ legẽ deſcripta quomodo faciemus? Quæreret Donat⁹ in explicatiõe ſuę artis ſimilia,

lia, quando pueré domeſtica diſciplina ad grámaticũ deducendus, quales grámatici mores eſſe debeant, an protinus optimo grámatico ſit vtendũ: illa tam vtiliter in grammatica & omni diſciplina quęrerentur, quám quæruntur hîc in rhetorica. Sed nõ omnia quæ veré, quę utiliter quęri poſſunt, poſſunt etiam proprié & inſtituto convenienter quæri. Optimus præceptor viam facilem & brevem & catholicis illis logicæ legibus congruentem in docendo ſequi debet: cur igitur tot diverticulis, tot mæandria, tam ſpinoſa, tá tortuoſa via initur? Hic diligentiam & curá maximam in accumulandis rebus agnoſco, dialecticam in diſcernendis & æſtimandis nullam prorſus agnoſco. Quatuor deinde capitibus de rhetorica exercitatione admodum confuſé agitur, primó ut In narratione & fabulæ & argumẽti & hiſtoriæ confirmandi, refellendi, laudandi & vituperandi opere, pueri exercoantur. Hoc Quintiliani præceptum nõ totum, ſed ex parte reprehendo, quia nec loco, nec ordine poſitum ſit. Ars primúm deſcribatur, tum demonſtretur exercendę artis ratio in ſcribendo primúm, tum etiam in dicendo. Sed tamen totam exercitationis diſciplinam hoc loco traditam videamus. Quintilianus dederat antea grámaticis exercitationibus poëtá ſolúm: nunc hiſtoricum primó, oratorem deinde rhetoricis meditationibus attribuit: ut primó poëtæ, deinde hiſtorici, tandẽ oratores pueris prælegantur. De poëtis antea jam dixi, & valde miror Quintiliano id in mentem veniſſe, ut formando oratori putaret aptiores poëtas & hiſtoricos, quám oratores eſſe, cúm poëtarũ & hiſtoricorum non dico res permultas licentius & mollius expreſſas, ſed virtutes etiã pleraſque vitandas oratori vel in his inſtitutionib. Quintilianus moneat. An formabit oratoré melius Livius aut Salluſtius, quám Cicero? Ego veró ut poëtę formãdo malim Virgilium atq; Homerum, cæteroſque poëtas egregios & inſignes, quám oratorem ullum: ſic inſtituendo oratori Ciceronem longé hiſtoricis ac poëtis omnibus prætulerim. An veró major eſt oratoris in hiſtoricis, quám in oratoribus ſimilitudo? Quapropter non ſolúm alienum hoc totum caput, ſed totius capitis cõſilium falſum judico. Capita duo proxima ſunt de diviſione materiarum, de dicendo: utilia, eſto etiam vera. At nec loco, nec ordine ſicut ſuperiora duo poſita. Dixit antea Quintilianus de Grammatica arte prius, de artis exercitatione poſtea: & in eo recté. Priua enim deſcripta cognitaq; ſit ars, quám de artis exercitatione dicatur. Ars autem rhetorica deſcripta á Quintiliano nondum eſt: de ejus igitur exercitatiõe importuné iſto loco pręcipitur: & judicium hic ut antea, ſyllogiſmumq; á Quintiliano requiro. Capita ſeptem proxima quæſtiones habent de ediſcendo, de officio diſcipuli, de modo docendi diſcipuli, de vtilitate declamandi, an cognitio artis ſit neceſſaria: quare ineruditi videãtur vulgó ingenioſiores, quis modus ſit in arte. Omnia ſané ad inſtitutam artis Rhetoricæ deſcriptionem magis aliena, quám illa de quibus adhuc diſſeruimus. Poſtremũ de modo artis valde videtur verum, quód Rhetoricæ præcepta catholica non ſint, ſed ad temporis, loci, perſonæ, cauſæ varietatem cómutabilia. At ſi ars rhetorica ſuis partibus elocutiõe & actione comprehenſa ſit, falſiſſimum fuerit. Tam enim cõſtans feré ars erit Rhetorica, quám arithmetica, vel geometria, & ejus præcepta de elocutione & actiõe tá ſtabilis, quám theoremata Euclidis de lineis & lineamentis: vereq; docet Galenus in lib. de optima ſecta, artes τεχνικάς, conjecturales dici, nõ propter ἀκρίβειαν sed πρᾶξιν. Imó ait omnium artium præcepta ὁμοίως βέβαια ἐστὶ καὶ ἀσφαλῆ, ſimiliter firma ſunt atque conſtantia. Sed Quintilianus ſuas inſtitutiones, id eſt, ad forenſium & ciuilium cauſſarum Romanas formulas, & variarum artium confuſionem, Rhetoricam artem vocat: nec mirum eſt de tali arte dici, præceptis ejus nõ eſſe confidendum, cúm tam fallacia, falſaque ſint, non ſolúm omnibus locis, tẽporibus, perſonis nõ convenientia. Atq; hæc libro primo, & libri ſecũdi capitibus tredecim Quintilianus extra rhetoricæ ſubſtantiam tradit eſſe. Reliqua capita octo libri ſecundi in partitione procemio comprehenſa dicit de ſubſtantia Rhetoricæ eſſe: & ſané decimoquarto capite ſubſtantia Rhetoricæ quædam tractatur: ubi quod etymõ ſit Rhetoricæ, Quintilianus videtur explicare velle, nõ ſatis explicat tamen: nõ enim Rhetorices etymologiá omnino óſtendit: qui dicit latine Rhetoricam vel oratoriam vel oratricem transferri,

ferri, ſed qui exponit quæ ſit origo verbi, & unde deducta ſignificatio. Partitur totam doctrinã ſequẽtem tres in partes, ut dicatur de arte, artifice, opere, partitione admodũ ridicula et inepta. Definita enim prima parte, pars ſecunda tertiaq; cõprehenduntur. Non definitur in grammatica grammaticus, non grammatici opus: Non definitur in arithmetica, in geometria, arithmeticus, geometra, vel arithmetici, vel geometræ opus, quia ars demonſtrat qualis artifex, quale ipſum artis opus eſſe debeat. Dialecticas igitur partiendi leges hic á Quintiliano requiro. Cætera autem omnia tam perplexa, tam prolixa de variis & cõtroverſis Rhetoricæ definitionibus, quód Rhetorica utilis ſit, quid ſit ars, & cujuſmodi, quod ars plus quám natura conferat, an Rhetorica ſit virtus, quæ ſit ejus materia, plané ſunt ejus doctoris, qui rudes & incipientes hujus artis diſcipulos velit aut deterrere, aut frangere, aut fallere: quem doctorem tamen vehementer Quintilianus octavi libri initio, et veré reprehẽdit: nõ ejus qui via ſimplici & brevi cupiat ad vſum artis perducere, quẽ eodem loco cõmendavit. Quid autem attinet omnium hominũ errores de rhetoricæ definitione, utilitate, arte veluti cumulare, falſa etiá permiſcere, quód conſummatis oratorib. plus ars, quám natura cõferat? Diſtinguatur enim, ut decet, in hac perfecti oratoris quæſtione, natura, ars, exercitatio, ſané primas (ut oratorio ſecundo Cicero recté ſentit) naturæ, ſecũdas exercitationi, tertias & minimas arti tribuemus: & hoc Quintiliani ſophiſma falſum eſſe demonſtrabimus: qui cúm ait, cõſummatis plus adferre doctrinam, quám naturá: uno artis nomine & naturá, & artem, et exercitationem cõprehendat, cúm tamen comparet in hac quæſtione naturam cum arte: hic dialectici ſalis ne mica quidẽ ulla eſt. Poſtremo capite valde occupatus eſt Quintilianus In inveſtiganda Rhetoricæ materia: & varia diſsidentium hac de re opinionũ ſententia, tandem concludit materiam Rhetorices eſſe, res omnes quę ei ad dicendũ ſubiectæ ſunt. Quod ſané parum perſpicué & plané dictũ eſt. Primúm quód alia ſit artis, artificis veró alia materia. Ars rhetorica ſibi proponit naturalis uſus in bene dicentium exemplis obſervationem, quam præceptis explicet: artifex, Id eſt, orator arte rhetorica inſtructus proponit ſibi res omnes quæ dicendo poſſunt exornari. Sic materia grãmatici, res omnes quæ ſunt ei ſubjectæ ad recté loquẽdum aut ſcribendũ: materia dialectici, omnes res ei ſubjectæ ad recté diſſerendum: materia arithmetici, omnes res ei ſubjectæ ad recté numerandũ: materia geometræ, omnes res ei ſubjectæ ad recté meriendũ. Sed tamen nõ repugno, quin τροπικῶς aliquando dicatur materies artis, pro artificis materia. Hanc igitur materiæ licet nõ ſatis explicatæ definitionem, tamen probo, licet hac de re nil potius in rhetoricis, quám in grãmaticis præceptis ſtatuendũ exiſtimem. Duobus enim primis oratoriarum inſtitutionum libris ex tã multis ſcholis domeſtica, grãmatica, mathematica, comœdorũ, tragœdorũ, palæſtritarum, rhetorum tandem, hæc duo ſola ſunt, quæ in vera Rhetorica laudari & probari poſſunt. Rhetorica eſt bene dicẽdi ſciẽtia: materia oratoris eſt res quævis ad dicendum ei ſubjecta: tametſi hoc ſecundũ etiam cõmodiús traceri potuit. Cætera veró tam multa tametſi locis aliquot vera vtiliaq;, tamẽ omnia in rhetoricæ artis accurata deſcriptiõe aut aliena omnino, aut certé præpoſtera ſunt.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XI. IN Quintiliani librum tertium.

DE duobus primis Quintiliani libris adhuc eſt diſputatũ, ubi grãmatica imprimis confuſa eſt. Quinq; proximis de Dialectica agitur, de inventione quippe & diſpoſitione. Sed inventionis præcipuũ eſt chaos, & pręcipua confuſio: toties iteratur, toties permiſcetur, in generibus cauſſarum primo: deinde in partibus orationis, ut Oceanus quidam in terras effuſus eſſe videatur. Ergo de ſingulis tantæ confuſionis partibus, de capitibus etiam ſingulis eſt differendũ. Primo itaq; capite libri tertii accumulat Quintilianus unum in locum omnium hujus artis magiſtrorũ & Græcorum, & Latinorum inventa, & magiſtros ipſos nominatim recenſet, curioſa plané, ſed ad iſtam artis accuratiõẽ

inutili diligentia. Nihil enim catalogus iſte tot nominum doctrinæ Rhetoricæ oſtendit κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, καθ᾽ ὅλου πρῶτον non magis quám in grammatica, ſi iſto ſtudio omnes grámaticę ſcriptores nominatim perſequare: nihil inquá catalogus iſte doctrinæ oſtẽdit. Tale caput proximũ eſt, quo tamen loco nõ ſatis acuté Quintilianus Rhetoricæ cauſſas & principia diſtinguit, naturá, utilitatem, arté, exercitationé. Quid enim? an Plato & Cicero errarunt? an Quintilianus ipſe libri hujus capite quinto erravit, cúm docet trib. rebus Rhetoricam perfici atq; abſolui, natura, arte, exercitatione? quid utilitas habet á trib. illis cauſsis & principiis diverſum? nihil enim eſt fruſtrá & ſine utilitate aliqua vel á natura propoſitũ, vel ab arte deſcriptum, vel ab exercitatione tractatũ. Hæc dialectica partiendi elegantia eſt, quod tribus membris debeas explicare, uno conficto quatuor amplificare. Tertio capite dividitur rhetorica in quinq; partes, inventionem, diſpoſitioné, elocutionem, memoriá, & actionem. Ratio veró Quintiliani quare quinq; ſint iſtæ rhetoricæ partes, ex uno & eodem erroris fonte defluxit, unde ſuperioris confuſionis cauſſæ fluxerunt. Non poteſt orator (ait Quintilianus) perfectus eſſe ſine virtute, ſine grammatica, ſine mathematicis artibus, ſine palæſtritarum & hiſtrionũ artibus, ſine philoſophia. Oratoris igitur natura eſt ex omnib. his rebus definienda: Non poteſt (ait idem) grámaticus abſolutus eſſe ſine muſica, aſtrologia, philoſophia, rhetorica, hiſtoria. Grámaticæ igitur partes duæ ſunt, methodice & hiſtorice: ita núc demũ Quintilianus ratiocinatur: Nõ poteſt rhetorica conſtare, niſi res primó inveniatur, deinde diſponatur, tũ exornetur, poſtremó memoriæ mádetur, & pronuntietur. Quinq; ſunt igitur hæ partes rhetoricę. Cauſſa iſta ſine qua (ut quidá nominant) Quintilianũ ſæpe fefellit & induxit. At ego lõgé aliter de proprietate & veris artium partibus diſputandũ (ut jam dixi) & ratiocinandũ duco. Artiũ materias diſtinguendas & ſeparádas eſſe judico, lex eſt illa dialectica, In arte nihil eſto, niſi καθ᾽ αὑτό. Dialectica mentis & rationis tota eſt, rhetorica & grámatica ſermonis & orationis: Dialectica igitur invẽtionis, diſpoſitionis, memoriæ (quia mentis omnino ſunt, & intus ſine ullo linguæ aut orationis cõmercio exerceri poſſunt, ut in pleriſq; mutis, ut in multis populis, qui ſine ſermone ullo vivunt) artes proprias habebit. Grámaticę tribuetur ad bene loquendũ atq; ſcribendũ, in interpretatione etymologia, in conjunctione ſyntaxis. Rhetoricæ igitur ex ſermonis & orationis cultu partes duæ ſolæ propriæ relinquentur, elocutio & actio: proprium præterea ac ſuũ rhetorica nihil habebit. Nec Ariſtoteles tertio ad Theodecten rhetorico longé hinc abeſt, qui inventionem & diſpoſitionem ad docendũ ſeipſis contentas eſſe ait: ut in Geometria quæ veriſſimé doceri videatur, inventio & diſpoſitio ſola eſt, elocutio & actio nulla: quin affirmat elocutioné & actionem neſcio quid φορτικόν, id eſt importunum eſſe, καὶ διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν, & ob auditoris perverſitatem, repertum. Qua ratione Ariſtoteles apertiſsimé docet, inventionis & diſpoſitionis artes ateipſa ab elocutiõe & actiõe ſeparari poſſe. Neq; veró hic Quintiliani modo diſputo ex ea cauſſa, ſine qua res eſſe non poteſt: ex cauſa propria & legitima diſputo, Tot partes in unaquaq; arte ſunt inſtituendæ non plures, quot ſunt in propria ejus & naturali materia: In materia artis dialecticæ, id eſt naturali rationis uſu, vis eſt inveniẽdi, diſponendi, et recordãdi: Tot igitur partes ſunt in ea explicandæ. Item, In materia rhetoricæ ſubjecta vis eloquendi et pronuntiãdi ſola continetur: Tot igitur partes in ea ſunt explicádæ. Item, Partes alterius artis non ſunt in arte rhetorica permiſcẽdę: Inventio, diſpoſitio, memoria alterius diſciplinæ partes ſunt, nempe dialecticæ: Non ſunt igitur in rhetorica permiſcẽdæ. Partes autem illas eſſe dialecticæ Quintilianus ſuo nobis etiam teſtimonio locis aliis demonſtrat: libri enim quinti capite poſtremo de dialecticis ſic ait, Namq; illi homines docti & inter doctos verũ quærentes minutius ac ſcrupuloſius ſcrutantur omnia, & ad liquidum confeſſumque perducunt, ut qui ſibi inveniendi & judicandi vendicent partes, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Hic Quintilianus dicit á dialecticis & invẽtionem & judicium (quod totam diſpoſitionis artem in argumentorum enuntiationibus, in enuntiationũ ſyllogiſmis, in enuntiationum & ſyllogiſmorum methodo continet) vendicari. Et de memoria ait tandé

libri

libri undecimi capire ſecundo, ſi quid artis habear, id totum diſpoſitionis & ordinis eſſe. Dicar igitur á dialecticis iſtá quoque partem poſſe meritó vendicari: quia in dialectica veré deſcripra ordinis & diſpoſitionis ex enũciarionis, ſyllogiſmi & methodi pręceptis doctrina veriſsima doceatur. Refellit hoc capite Quintilianus varias opiniones de numero harũ qninq; partium, ſed ira plerunque, ur ipſe multó graviũs labatur, quám hi quorum lapſus reprehẽdit. Quidam adijciebanr judiciũ tanquam ab inventione & diſpoſitione diverſum. Hos teprehendit Quintilianus recté: verũm argumenro non tecto, ſed veri judicii valde alieno. Judicium Quintilianus inventioni, diſpoſitioni, elocutioni, pronuntiarioni ſic commiſtum arbitratur, ur ab his ſeparari doctrina & præceptis non poſsit: nec omnino intelligit ullam eſſe judicii doctrinam, ſed (ut poſtea in extremo volumine ſexto eſt) exiſtimar non magis arte tradi poſſe, quám guſtũ vel odorem. Ita ſe Quintilianus in dialecticis valde rudẽ profitetur, qui de judicandi parte, de rot enunriationum generibus, de tã mulris ſyllogiſmorũ & ſimpliciũ & cõjunctorũ modis, de methodo, neque quidquam vel audietit, vel egérit, qui non meminerit á Cicerone de Stoicis ita dici, quód in altera dialecticæ parte duntaxat elaborarint, Inveniendi artes non attigerint, judicandi vias dlligenter perſecuti ſint. Neq; vetó audiendũ quod exiſtimari forſan poſsit, aliud eſſe rhetoricum, aliud dialecticum judicium. Unũ enim eſt hominis judiciũ ad quidvis æſtimandum, utrũm verum an falſum quod enũtiatione, quod ſyllogiſmo, quod methodo præſtatur. Hic quid dicam judicii doctrinã, & diſciplinam Quintiliano defuiſſe, cúm ipſe neget ullam omnino eſſe poſſe? Quid pluribus argumentis jam cõtendam in dialecticis rudem Quiutilianũ eſſe? Non enim ſolúm confiretur quod arguo, ſed profitetur. A dialecticis ait duas artes vendicari, alteram inveniendi, alteram judicandi: ait quidem, ſed non attẽdit, quia affirmat judicii artem nullam eſſe. Pergamus igitur, & conrra rhetorem hunc, judicii arte & doctrina carentem, imó veró judicii artes tollentem, judicii tamen arte uramur. Sententiam ejus reliquis de rebus ad dialectici judlcii normam referamus. Deinde veró mirabiliter confuſa eſt inſtitutio: quarto, quinro, ſexro, decimo, undecimo capitibũs agitur de orarotis matetia, & ejus diviſione. Hanc igitur primúm de quæſtione contentionem expediamus. Tria cauſſarum geneta á Quinriliano primúm conſtituũtur, demonſtratio, deliberatio, judicium: ejuſque partitiõis Ariſtoteles authot adhiberur, is ſcilicet, collector er aſſertor, qui dialecticam invẽtionem in rhetorica arte conſtituit, qui quæſtiones tam inepté, tamque ridiculé (quám in Ariſtotelicis animadverſionibus docuimus arque hic reperemus) diſtribuit. At partitioné hanc primúm eſſe falſam dico: quia ſint quæſtiones innumetabiles, quæ nulla horum generũ parte contineantur, quod Quintilianus vidir, cúm ait, Verúm & rum leviter eſt tenratum, cúm apud Græcos quoſdam, tum apud Ciceronem in libris de oratore, et nunc maximo noſtrorum temporum aurhore, propé impulſum, ut non modó pluta hæc genera, ſed etiam pené innumerabilia videantur. Nam ſi laudandi ac vituperandi officium in parte tertia ponimus, in quo genere verſari videbimur, cúm querimur, conſolamur, mitigamus, concitamus, terremus, confirmamus, præcipimus, obſcuré dicta interpretamur, narramus, deprecamur, gratias agimus, gratulamur, objurgamus, maledicimus, deſcribimus, mandamus, renuntiamus, optamus, opinamur, & plurima, ut mihi in illa veteri perſuaſione permanenti velut petenda ſit venia, quætenamque quo moti priores rem tam laté fuſam, tam breviter aſtrinxerint. Hæc ille recitat ad pompam quandam, ut rem difficilem ſolviſſe videatur: neque videtur argumenti vim (quo contra ſe utitur) intellexiſſe, ſed captioſa et fallaci ſolurione contentus ſeipſum cepit & fefellit. Sic autem Quintilianus ſibi videtur huic occurrere objectioni: Mihi cuncta rimanti (ait) talis quædam ratio ſuccurrit, quód omne oratoris officiũ aut in judiciis eſt, aut extra judicia. Eſto: quid tum? Eorum de quibus judicio quæritur (ait) manifeſtum genus eſt. Concedo: quid deinde? Ea quæ ad judicem non veniunr (air) aut pręteritum habent tempus, aut futurum: quamobrem, inquam? an nulla, quæ ad judicem forenſem non veniat, de re præſenti quæſtio, nulla diſputatio, nulla dicendi occãſio poteſt exiſtere? Cúm de hac

ſyntaxi, da hoc quadrato, de hac ſtalla, de hoc vulnere, da hac rhetorica, de reb. hujoſmodi innumerabilibus quæritur, de præterita re aut futura quæritur potiús, quám de præſenti? falſum igitur hoc eſt. Sed tamen perge. Præterita (inquit) laudamus aut vituperamus, de futuris deliberamos. Ao nõ etiam de præteritis & futuris & quærendi, & conſolandi, & mitigandi, & concitandi, & terrẽdi, & alia innumerabilia agendi offerri poteſt occaſio? Nihil hic igitur Quintilianus coocludit, nihil ſolvit, ſed ſeipſum fallit. At evidẽs approbatio altera ſuperiori additur. Omnia de quibus diceodum eſt (ait) aut certa ſint neceſſe eſt, aut dobia. Quid tũ, Quintiliane? quid hac diviſione efficies? Certa ut cuiq; eſt, animus laudat (ait), aut culpat. Atqui multa & iocerta laudamus & vitoperamus, ut Cicero & Cæſar in Catone: & multa certa tractamus, neque laudando, oeque vituperando, ut rerum artibus & liberalibus, & illiberalibus comprehenſarũ incomprehenſibilia penè genera. Pars igitur hujus partitionis eſt falſa. Ex dubiis (ait) partim deliberatur, partim lite contenditur. Ego veró hic idem requiro, quod io membro proximo, Dubiæ ſiot ignoranti, res iofinitæ artibus cõprehenſæ: an de iis hic ignarus ex rhetoricis Quintiliani præceptis ſenatus, aut populi deliberationem aut forenſe judicium informare, non doctum & peritum hominem adhibere & interrogare debebit? O levem & inertem cõfirmationem. Hac ſcilicet ſubtilitate Quiotilianus argumẽta ſibi objecta refutavit? hoc modo ſuorum temporum authori maximo reſtitit? Atqui non eſt hoc falſa argumenta veris argumentis refellere, ſed falſis ſophiſmatis vera potius confirmare. Addit Quintilianus ad extremũ velut ſolutionem qoandã aliam. Cæteras illas ſpecies in hæc tria genera recidere: ſed inſolẽter admodũ & artis ſcriptori indecenter. Authoritate ſiquidem ſua nobis imperare vult, quod nulla ratiooe vera probare queat. Dialecticã partiẽdi prudentiã hic requiro: nõ jam dico Quintilianum tantũ ſioe arte judicii labi, ſed ſine ulla cõſtanti & ſolida ioventioois intelligeotia vagari: partitiones quæſtionum ſimilis, ac longé majoris vanitatis ſequuntur totis capitibus, quinto, ſexto, undecimo, contra quas non ſtatui majorem rationẽ cõſumere, ut doceam & ineptas & falſas eſſe, ſed potius uoiverſa quadam toi ioeptiarũ confũtatiooe utendũ mihi eſſe duxi. Statuo igitur in àrte rhetorica non ſolùm veré & proprié ex elocutionis & actionis partibus compreheoſa, ſed in hac Quintiliani confuſione ex inventionis, diſpoſitionis, elocutionis, memoriæ, actionis partibus conturbata, totam quæſtionum iſtarum partitionem & diviſionem plané inutilem eſſe. Quamobrem veró ita ſentiamus, hanc argumentatiooem ex Ariſtotelicis animadverſionibus repetamus. Communis rerum ſibi ſubjectarũ doctrina nullam earum partitionem requirit. Id enim lex καθ' ὅλου πρῶτον imperat, ut generale generaliter doceatur. Ut in grammatica oon fit diviſio rerum grammaticę ſubjectarum, quia grammatica cõmunis eſt ars de omnibus rebus ſcribendi & loqueodi. Rhetorica vel quinq; partibus á Quintiliano confuſa, tota communia eſt rerum ſibi ſubjectarũ. Una enim communis eſt ars memoriæ, prooun, riationis, elocutionis. nec earũ varié partes ad varias quæſtiones accommodatæ, niſi quód neſcio quid de qualitate elocutionis, & genere io demonſtratione, deliberatione, & judicio præcipitur, ars tamen alia non eſt troporum & figurarum, ſed uſus alius: de ioventione & jodicio idem ſuo loco probabo & demonſtrabo. Interea Quintiliani judicio acquieſcam, á quo rhetorica defioita eſt nõ de hac aut illa re, ſed de omnibus rebus bene dicendi ſcientia. Rhetorica igitur nullam quæſtionum partitionem requirit. Hic nõ captioſé aut obſcuré argumentor, ſed cauſſam ſummam & primam partiendæ quæſtionis é logica illa artificioſę materiæ lege interpretor. Si quæſtio dividenda eſſet in rhetorica, id fieret quia ad certas quæſtiones, artes quędam certæ accõmodatentur: omnes in univerſum illarũ partes omnibus quæſtionibus non convenirent. At id falſum eſſe contendo, primùm in tribus partibus, elocutione, memoria, actione id planũ & confeſſum obtineo: in duabus reliquis partibus, inveotione & diſpoſitiõe, idẽ rebus neceſſariis addicendũ ſuſcipio. Summa veró totius cõfuſionis in una invẽtione eſt: oõ eſt iterata ſæpius, oõ pluribus modis cõfuſa eſt memorię aut pronũtiationis doctrina: ſamel exponitur, & uno tãtùm loco: nõ eſt

repetitia

repetitis iiſdem genetib. & confuſis con turbata elocutionis in tropis & figuris di ſciplioa: quamvis eoim multis rebus nō neceſſaria á Quintiliano pars iſta onerata ſit, tamen una & uno octaui & ooni libri loco propoſita eſt: de diſciplina diſpoſitionis & argumentornm, & quæſtionū, & partium orationis multa Quiotilianus variis locis loquitur: præceptūm nullum vniverſale intetpretatur. Summa inquā confuſionis rhetoricæ in inventione tota verſatur: cujus cauſſam poſſumus ex ratione & progreſsione temporum percipere. Video enim artis hujus doctores & magiſtros in cumulaodis veterum decretis, & in novis excogitádis majus ſtudiū, quám in diſtinguédis et alienis et ſuis invētis judicium adhibuiſſe. De quinq; partibus eloquentiæ tributis, primo tempore, inventionis, doctrina, ſecuodo diſpoſitionis, tertio elocutionis, quarto actionis deſcripta eſt, ut é rhetoricis Ariſtotelis intelligi poteſt: poſtremó acceſsit memoria. Sed in inventione, præcipua confuſio fuit: primi eoim rhetores, foreoſium controverſiarum caoſſa loculos quoſdam primum de ambiguo ſcripto & ſententia, cōtrarijs legibus, tum definitiooibus & cōjecturis, tandem conſilii in ſuadendo & diſſoadendo, demonſtratioois in laudando & vituperádo repererunt: primos rhetoras ſecuti locos omninm generum cōmunes, in partibus orationis etiam notaverūt. Ariſtoteles poſtea cupidé & curioſé io unom ea omnia accūmulavit, & cū primis illis artibus univerſos dialecticæ inventionis & communes locos aggregavit: de pronuntiatione nonnulla etiá excogitavit: memoria poſtea rhetoricæ addita eſt. Tot igitur modis inventionis artes involvit, quot modis involutas habemus, cúm tamen una tātúm generalis doctrina in decem locos cauſſarum, effectorum, ſubjectorum, adjunctorum, diſſentaneorum, collatorum, nominum, diſtributionum, finitiooum, teſtimoniorū diſtiocta ad omnes qnæſtiones, ad omnes orationis partes, ad res omnes denique facil limé & apertiſsimé declarandum accommodari poſſet. At dicet aliquis, illæ minores inveotioois artes in generibus cauſſarū, in partibus orationis novitiis & rudibus deſcribuntur, majores autem & cōmuniores quæ ſunt in locis univerſis, iis ſulicet qui jam aliquem progreſſum in illis ſtudiis fecerint. Audio inquam, & hoc oratorio ſecundo apud Ciceronem dici ſcio, ſic enim illic Antonius de his ioventionis locis loquitur: Ego autem ſi quem plaoé rudem inſtitui ad dicēdum velim, iis potius aſsiduis uno opere eandem incudé diem noctemque tundeonbus, qui omnes tenuiſsimas particulas, atque omnia minima manſa, ut ajunt nutrices, infantibus pueiia in os inſerunt. Sin ſit & doctrina liberaliter inſtitutus, & aliqoo jam imbutus uſu, & ſatis acri ingenio eſſe videatur, illoc eum rapiam, ubi non ſecluſa aliqua aquula teneatur, ſed unde vniverſum flumen erumpat, & illi ſedes tanquam domicilia omnium argumentorū cōmonſtret, & ea brevitet illuſtret & verbis defioiat. Hæc illic Antonii voce Cicero. At de Ciceronis hoc io univerſum reſpōſum eſſe volo, In rhetoricis præceptis nihil feté Ciceroniani vel judicii, vel ingenii eſſe, ſed magiſtrorum & rhetorū quos andietat, vel legerat, Ariſtotelis maximé, artes propoſitas eſſe. Totum (inquam) id cōtra eſt: facilius enim eſt puero decem cōmunes locos & intelligere & memoria tenere, quám infinitam loculorum cōfuſioné. Deinde facilius eſt io qnalibet re ꝑpoſita pauca genera exercere, quám infinita quæſtionum, in quibus doctrina invētionis exerceatur: facilitas major eſſe poteſt In qoibuſdam, fateor, & ita doctrinam primum in populari & expedita materia exercédam cenſeo. Sed doctrina tamen una ſemper & eadem eſt. Deniq;, Cicerooem his artibus eloquentem factum non eſſe, nec ex his ita perturbatis artibus eloquentiam Ciceronis, ſed ex ar tibns noſtris (quas ex ejus uſu obſeivamus & ad ejus uſom accommodamus) mirabilem facilé poſſe perſpici. Attamen ſit contra facilitatem doctrinæ contra uſum & otilitatem Ciceronis authoritas, an ſuperiorem volumus in artis diſputatione hominis cujuſquam authoritatem, qoám cauſſæ veritatem eſſe? Pone ſimile aliquod io alia artis inſtirutiooe documétum. Definiat grammaticus nomé & omnes adjnnctas nomioi circuoſtantias, & accidentias exponat in univerſum. Hoc quia cōmune eſt, quia geoerale eſt, ad omnia nomina ſufficere arbitramut: minutiores artes nullas reqoirimus', nec ulla ſpecialis facilior explicari poſſet, quám eſt illa generalis. At in inventionis doctri-

na idé plané eſt. Qui magiſter docet omnia quæ de re aliqua dici poſſunt, eſſe vel cauſſas, vel effecta, vel ſubjecta, vel adjuncta, vel diſſenranea, vel cõparationes, vel nomina, vel tributiones, vel finitiões, vel teſtimonia, & ea diligenrer explicar, ſané omnium rationum, omniumq; argumentorum doctrinam explicat: nec ulla minutius ſecta inſtiturio cõmodior eſſe poteſt, nec tot ſubductionibus (quibus Quintilianus in quæſtionibus, in orationis partibus vtirur) ulla melior aut facilior via docetur ad cogitandum & inveniẽdum, quod de re propoſira dicatut. Quamobrem tantæ perturbationis excuſatio probari nullo modo poteſt. arque etiam licet in omnem quæſtionem omnia argumenta nõ cadant, attamen cui quæſtioni qui loci conveniant, melius & facilius cõmuninm locorum cum quæſtione collario declatabir, quám iſta tot artium confuſio. propoſira quavis & quacunque de re quæſtione, cúm decem communes locos perluſtraveris, videbis quæ ſuppeditent, & quæ non ſuppeditenr argumenta. Sed ad ipſas inventionis artes, qnæ docentur á Quinriliano, in generibus cauſſarum, in partib. orationis, in locis cõmunibus veniamus: nihil niſi decem noſtros locos in his confundi doceamus: melius nihil oſtendi, quo juventus inſtrui atque adjuvari poſsit oſtendemns. Cõfirmo enim et recipio hoſce decem locos ſolos eſſe, & prærer hos in tot inventionibns Quintiliani, nihil quod ad veræ doctrinæ rationem referri poſsit, inſtitui. Caput ſeptimum eſt de demonſtratione: quos igitur laudis locos á noſtris diverſos Quintilianns hic exponic? Nullos, ſed de noſtris quatuor inſtitnit, neque tamen integros aſſumit, canſſas, effecta, adjuncta, teſtimonia. Demonſtrationem enim petendam eſſe docet á parẽtibus & majoribus, quæ procreantes cauſſæ ſunt in noſtris locis. Item ex inventis, actis, dictis, factis, quæ effecta ſunt: item ex animi, & corporis, & fortunæ cõmodis, quæ adjuncta ſunt: iré ex teſtimoniis divinis: præ:erea nullũ argumenti genus attingit. Nihil igitur hic Quintilianus oſtendir inventionis, quod ſit non modó decem locis magis utile atque accõmodarum, ſed ne diſtinctũ quidem atque ſeparatum. De diſpoſitione pauca admiſcer, ut vel temporũ gradus, vel generum diſtributionem ſequamur. Quotum ſecundum in omni diſputatione, quæ via & ordine doctrinæ procedit, ſequi debemus. In primo autem ſecundum adhibete & poſſumus, & niſi nõ plané inrelligi volumus, debemus: quod Florus in laude populi Romani prȩſtitit, ubi & gradus temporum ſequitur, & tamen totam ſummam in quatuor partes dividir. Idem Livius in plena hiſtoria fecerat. Quare nihil hic demonſtrationis propriũ Quintilianus oſtendit, & conjungi optimé poſſunt, quæ disjuncta eſſe exiſtimat. Quæ enim eſt ars univerſæ inventionis, eadem eſt etiam demonſtrationi accommodata. In deliberationis capite nullus inventionis locus á Quintiliano traditur, nulla diſpoſitiõis via declaratur, tota tes meris nugis amplificatur. De judiciali autem genere ſeparatim Quintilianus nihil inſtitnit, ad ejus doctrinam retulit libro quarto & quinto, quæ ab aliis thetoribus commnniter præcipiuntur de partibus orationis, irem quæ de locis communib. invenrionis & generalibus. Quare concludamus primum in generib. cauſſarum á Quintiliano nullas inventionis artes proprias deſcribi, quamobré quæſtionum & cauſſarum geneta ita dividi oportuerir. Deinde hoc item concludamus, nullas inventionis artes ad laudem, nullas ad conſilium nõ dico demonſtrari, ſed attingi præter cauſſarum ſpeciem unam, effecta, adjuncta, teſtimonia divina: quæ omnia diligentiſsimé decem locis explicantur. Nam ſi de laude & conſilio quæratur; aperientur ſané noſtris inſtitutionibus omnes illi dialecticæ ſapientiæ fonres in cauſſarum generibus, in effectis, in ſubjectornm & adjunctorum, diſſentaneorũ tot partibus & modis, in teliquotum argumentotum ram copioſis & abundantibus locis, ut delectus rerum ac modus pené difficilis tibi ſir, tanta copia præſtabitur. Qualem igitur dialecticũ hic agnoſcemus, qui jndicii ullam doctrinã neget eſſe, qui cúm triplicem inventionis artem ſtatnat, primam hanc in generibus cauſſarum ram aridam, tam inopẽ proponat inventionis artem? Secunda inventionis ars ſequirur in parribus orationis á Quintiliano collocara. Itaque prius de partium ipſarum numero diſputat, & nobis ideo nonnihil de his eſt dicendum. Capite iraque nono officia judicialis cauſſæ duo Quintilianus facit,

inten-

intentionem & depulſionẽ: partes quinque, procœmium, narrationem, probationem, refutationem, perorationem: quaſi non ſit de facti conjectura contentio in demonſtratione & deliberatione, ut aliquid illic intendatur & depellatur: quaſi nequeant etiam illæ orationis quinque partes in aliis quæſtionibus diſtingui: & hęc omnia ſeu officia, ſeu membra ſint judicialis quæſtionis propria, nō omnium quæſtionum communia. Hac enim partitione excepta veræ & artificioſæ diſpoſitionis ſcintilla in totis Quintiliani rhetoricis nulla eſt. Methodus dialectica (ut in noſtra dialectica dictum eſt) hoc præcipit, ut in magna rerum diſputatione (quā via & ordine ꝓſequi volumus) ſumma quædam primo loco ponatur, deinde tribuatur in partes & ſpecies: eaſq; ſingulas & earum particulas ad extremum ita confirmando & explicādo perſequamur, ut univerſa præcedant, ſingularia ſequātur: ſecundum quem methodi & diſpoſitionis ordinem rhetores quidam viderunt, ad orandum duas eſſe neceſſarias partes (etiam ſi quæſtio ſimplex eſſet, nec cauſſa haberet plures quæſtiones) propoſitionē & confirmationem, duas nō neceſſarias aliquando tamen aſſumi, ut proœmium & perorationem: cujus ſententiæ Ariſtoteles author eſt. Alii quatuor fecerant, ut exordium, narrationem, confirmationē, perorationem: quam ſententiam Cicero in Partitionibus ſequutus eſt: alii quinque, ut hic Quintilianus: alii plures, qui tamen omnes ordinis illius artificioſi rationem quandam habuerunt, ut univerſum quoddam præcederet, cujus partes deinde tractarentur. Exordio enim ſumma quædam rerum poni ſolet, quæ plerunque ſequentibus partibus diviſæ tractantur. Sed tamen hoc ita præceptis confuderunt, ut in hac ordinis deſcriptione locos inventionis & elocutionis modos repeterent. Neq; mirum: cúm enim dialecticæ & rhetoricæ diſtinctas nullas artes haberent, cúm mille tenebris iteratas & confuſas eaſdem res haberēt, quid mirum fuit tam varias & tam diſſidentes his de rebus opiniones extitiſſe?

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XII. IN Quintiliani librum quartum.

Quamobrem dialecticas tertii libri laudes in partiēdis quæſtionibus, in explicandis demonſtrationis & deliberationis inventionibus omittamus: quātus hic dialecticus, quā acer & diligens in exquirendis rerū cauſſis, in uſu doctrinę demōſtrādo fuerit Quintilianus, intelleximus. Videamus qualis & quantus in partium orationis inventione declarāda philoſophus fuerit, quæ genera argumentorū in exordio, in narratione nova deſcripſerit: ad alias enim reliquas orationis partes locos generales & docendi, & movendi, & delectandi reſervavit, nullos proprios explicavit. Vereor ne pleriq; parum conſiderent attentè, quod de ſecunda iſta inventionis arte cōtra Quintilianum diſputo. Facit Quintilianus quinq; partes eloquentiæ, inventionem, diſpoſitionē, elocutionem, memoriam, actionem. Omnia igitur (dico) eloquentiæ præcepta Quintilianus ad aliqua harū partiū referat, neceſſe eſt: nihil de memoria & pronuntiatione in exordio & narratiōe præcipitur: ꝑpauca ſunt de elocutione & diſpoſitione. Doctrina igitur reliqua inventionis eſt, in qua dico nō modò nihil eſſe, quod ad veram inventionis artē referri poſſit, ſed totum ſophiſticū, ſcholaſticū, & planè puerile eſſe. Primùm cauſſam requiramus, quamobrem ad duas orationis partes, exordium & narrationē, inventiones peculiares deſcribantur: tū enim verè diſputabimus, cū ꝓprias & veras cauſſas ſequemur: triplicē verò exordii cauſā fuiſſe video, ut benevolus, attētus, docilis auditor efficiatur. At id exordii propriū nō eſt, quod attribuitur exordio propriū, & periculoſius ſanè fuerit auditorē in media oratiōe, cū res ſeriò agitur, nō eſſe benevolū, attentū, docilē, quā in exordio. Quare peccatur hic cōtra tertiā materiæ artificioſę legē, dū cōmunis & generalis affectio non ponitur generaliter, ſed ſpecialiter in una tātū oratiōis parte. Deinde exordiū iſtarū rerū cauſſa duntaxat eſſe cōparatū falſum eſt, & uſui contrarium: nul

lum enim Ciceronis exordium eſt in tot ejus orationib. ad iſtas dũtaxat ineptias comparatum, ſed in omnibus orationib. quæ quidem extant, exordium ſtatim auditorem ipſum de cauſſa & aperté, & breviter, & probabiliter inſtituit: non aũt ſolũm benevolum, & attẽtum, & docilem facit. Age veró, ſit ſané aliqua benevolentiæ, docilitatis, attẽtionis in exordio præcipué habenda ratio. Videamus an id melius Quintiliani confuſis peculiaribus locis, quám noſtris decẽ cõmunibus efficiatur. Benevolentia ducitur á perſonis, aut á cauſſis, & utriuſq; adjunctis (air Quintilianus) quaſi veró rei qui accuſatur, perſona ipſa non ſit pars cauſſæ: cauſſa enim hæc dicitur quæſtio judici propoſita: ut, an Clodius ſir inſidiatus Miloni? quaſi inquam, perſona nõ ſit pars cauſſæ: & tã multa quæ ſapiens iſte rhetor collegit de perſonarum & cauſſarum locis, perſonarum adjuncta non ſint, ac nõ omnia hæc perſpicué doceantur á nobis in adjunctorum loco, quæ hic á Quintiliano confundũtur. Rhetorica (ita me Deus amer) brevius integra & tota tradi poterat, quá eſt exordiorũ tã magnifica doctrina á Quintiliano tradita: nulla inventionis ſolida doctrina hic eſt, qualis in decẽ noſtris locis explicatur. Sed locos narratiõis videamus, & requiramus hic itẽ cauſſam ſummá, quamobrẽ ars narrationis ꝓpria deſcribatur. Tria dicit eſſe Quintilianus, ad quæ proprii loci narrationis deſcribendi ſint: q̃ narratio debeat eſſe brevis, aperta, probabilis. At primum Ariſtoteles meritó deriſit, & reliqua etiã duo magis in confirmatiõe neceſſaria ſunt, quá in narratione. In narrando enim, ſi quid parum probabile eſt, confirmando tandẽ & tractando credibile efficitur. Tũ veró valde ridiculũ eſt cúm tota dialectica & inventio & diſpoſitio, totaq; rhetorica & elocutio & actio huc referatur, ut aperté & ꝓbabiliter dicamus, has virtutes omniũ orationũ communes, uni orationis parti veluti proprias attribuere. Itaq; & hic ſophiſma eſt proximo ſimile, & contra τὸ καθόλου πρῶτον: deinde perſpicuitatis & ꝓbabilitatis artes etiã hic excogitare, quaſi totæ artes illæ ſuis præceptis aliud demonſtrent atq; efficiant. Sed tamen qui ſunt ꝓprii invẽtionis loci, quos hic Quintilianus tradit? Attingit quidem ex cauſſis inſtrumenta, ex adjunctis locũ & tempus, præterea nullũ omnino. Quare nulla cauſſa Quintiliano fuit invẽtionis hic commiſcendæ, nec ulla eſt, ſed mathæotechnia ꝓ vera arte. In his tñ ineptiis unũ eſt ſingulare & dialectici artificii maximé ꝓpriũ, q̃d Quintilianus ꝑcipit in narratione argumẽta adhibẽda eſſe, non aũt argumẽtãdũ. Itaq; dialecticos oẽs irrideamus, dialecticã cõtẽnamus, unde didicim⁹ quãdocũq; alia enuntiatio ex alia declaratur, argumẽtationẽ eſſe: itaq; orationem feré eſſe nullá, quæ nihil argumẽtetur: quinimó nulla Cicerõis narratio eſt, ubi non & argumenta rerum & rationes ponantur, ubi nõ etiã ſyllogiſmi & argumentationes adhibeantur. Ita Quintilianus commenta inepta nobis tradit, non præcepta ex vero uſu obſervata. Cætera quæ ſunt in hoc capite tã multa, ſi perſequar, vereor ne ipſe ineptus ſim. Quid veró de egreſſione dicã? Quintilianus eam inter figuras, quamvis addubitans tamẽ collocat, & hic cauſſæ partẽ eſſe negat, & tñ totũ caput tertiũ in egreſſione conſumit: ne ullas apinas rhetorũ tricaſve omiſiſſe videatur, tam nulla ſe dialecticę arte inſtructũ oſtendit, elocutionis figuras in partibus orationis numerãdo. Talis adhuc eſt quarto & quinto capitib. de propoſitione & partitione, cũ propoſitio vel quæſtio ſit ipſa, quæ proponitur, vel ſyllogiſmi & argumẽtationis fundamentũ, & partitio ſit inventionis locus, cujus tã doctrinam hic nullã Quintilianus explicat, quot ejus genera, quotve modi ſint. Sic iſta ſecũda invẽtionis doctrina in partib. orationis videlicet explicatur, ut confundatur aliqoid ex cauſis, adjunctis, partitione: nihil omnino ad generalẽ & communẽ uſum dicendi referatur. Atqui (inquam) cauſſarũ, adjunctorum partitionis doctrina tota eſt generalis: generaliter itaq; docenda fuit, nõ ſpecialiter ad exordiorom vel narrationum uſus aſtringenda. Id καθόλου πρῶτον nõ eſt. Sed per Deum immortalẽ caliginem partitiõis hujus in quatuor aut quinq;, aut etiam plures partes oratiõis accuratius excutiamus, quę ramos cauſſas, ἀπόδειξιν adhibeamus, videamus quænã operis arte conſtructi legitima partitio eſſe debeat. Dico enim partitionem hanc orationis in partes vel quatuor, vel quinq;, vel etiã plures logicam non eſſe, ideoq; explodendã eſſe. Si quis ſermonis puri (quod grãmaticæ ar-

tis

tis opus eſt) leudes & virtures partiri velit, ſané redeet ed univerſas ertis ceuſſas neceſſe eſt, non ed uuem ejus partem eli quá: neq; dicat oretiõis dues eſſe partes, nomé & verbũ, quie in ordine & ſyntaxi partes illæ ſpectẽtur: nec ideo nobis grãmeticé quandẽ ad illes duas partes contrehat: imó veró (ſi volet omnes ſermonis laudes intueri) conſideret ſané & etymologiã in partibus ſingulis, & ſyntaxin in eerũ cõjunctione. Deniq; operis grammatici pertes ex ertis grãmeticæ partib. exquiret neceſſe eſt. Si quis eriam diſputationis quæ dialecticę artis opus eſt, partes expendere cupiet, referet ſeſe ad communes dialecticæ ertis partes, inventioné & diſpoſitioné, non ed particulẽ ejus aliquá: neq; ſtatuet diſputationis tres eſſe partes, propoſitioné, eſſumptioné, cõplexioné: neq; nobis invẽriones ꝓpries & propoſitionis & aſſumptionis & complexionis, vel earũ ordines, quando præcedant, quando ſequantur, quendo inter medio loco cõprehendentur, neq; nobis hic dielecticæ neſcio quá coufuſioné cõminiſcetur. Quid ita? quie propoſitio, eſſumptio, cõplexio ed ſyllogiſmi diſpoſitioné, nou ad toté dialecticá pertineant. quomodo igitur diſputetio dialectice cõmodé divideturꝰ Equidẽ rectam & ebſolutá diviſioné dialectici operis fore arbitror, ſi quie ad inventionis & diſpoſitionis (quæ partes dialecticæ artis verę & ſolæ ſunt) pertes ejus referat: ut dicat diſputarioné duabue ex rebus cõſtare, argumẽtis, quod ab inventionis arte ꝓſtetur: itẽ enũtiatione vel ſyllogiſmo vel aliquẽdo eriá methodo, quod dialectici ordinis diſpoſitione continetur. Sic inquẽ, veri operis laudes & partes retexemus, ſi ad artis legirimas & veras partes referamus. Nec elirer ars eb opere quidquam differt, quá á ceuſsis effectus: ars enim feculras eſt efficiendi, opus artis eſt effectus. Sic Ariſtoteles docet enalyſin dialectici operis eb effectione (quem geneſin nominet) differre. Ponetur igitur imprimis illud, Operis arte cõſtructi pertitio nou ex parte aliqua, ſed ex arte tote ſumi debet. ec deinceps eſſumatur, Oretio eſt opus aliqḋ arte conſtructũ: nẽpe (ut Quintilieno placet) erte & iuventionis, & diſpoſitionis, & elocutionis, & memoriæ, & ectionis. tendẽ cõcludamus, Orationis igitur pertitio, nõ ex una parte aliqua, ut ex diſpoſitione & ordiné in exordiũ, narrationem, cõfirmetionem, refuretioné, perorationé, ſed ex erte tote ſumi debet iu invẽtionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, actionem, quoniẽ has pertes arti rhetoricæ Quintiliauus ettribuit. Quẽobrem tollatur iſta partitio, & tẽta in his præceptiunculis & exordiorum & narrationum confuſio.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XIII. IN Quintiliani librum quintum.

VEnio nunc ed tertiam Quintilieni inventionem: de cauſſerum iuvẽtione dictum eſt: de exordiorum & narrationum iuvetione diſputatũ eſt: ſupereſt inventio une cõmunis & cauſſerum & partium otatiõis, & omniũ omnino rerum: quem videtur tamen Quintilianus in tertie parte orationis, id eſt, confirmatione poſuiſſe: quia putaret argumẽtis in exordio & narratione locũ non eſſe, ſed in cõfirmatione ſole. Nam ſi ſecus exiſtimavit, cur attribuit uni perti, quod cõmune puret omniũꝰ Age igitur, huc veniamus. Statuo eutẽ tem elegentẽ atq; ſolertem eſſe hujus univerſæ inventionis doctrinem, quám ſpecialis illius antee in ceuſsis, in partib. orerionis fuit. Dividit Quintilianus Ariſtotelem ſecutus, probetiones bifariẽ, ut eliæ ſint inartificieles, aliæ artificiales. Inertificiales vocet, quę extre ertẽ ſunt, & quæ extrinſecus eccipiũtur á litigatore: ut ſunt ꝑjudicia, rumores, tormẽta, tabulæ, jusjurandum, teſtes. In quo cũ Ariſtotele lebitur Quintilianus, primúm cúm ſint his de rebus & artibus innumerabiles quæſtiones, quæ uon veniẽt in forum, in quibus tñ teſtimonia doctorũ & ſepientum edhibeantur, quomodo inartificiales iſto modo dicentur? quomodo inartificiale deniq; dici poteſt, qḋ præceptis artis ſit inſtitutũꝰ at pręcepta & artes de his ergumentis tredũtur. Malim veró (ut res eſt) inartificiales dicere hás rationes, qe nihil admodũ ertis hebeant, & ex omnibus argumentis minimẽ veræ probetionis perticulá hebeent, nec omnino teſtimoniis credatur, ſed teſtimoniorum potiꝰ cauſsis fides edhibeatur. Ergo falſa ratio-

ratione ſeductus eſt Quintilianus. Diſtribuit deinde artificiales probationes admodum leviter & inepte, ut ſint in re vel perſona, item ex antecedentibus, conſequentibus, pugnantibus, item ex præterito, præſenti & futuro tempore, itẽ ex majori, pari, minori, item ut aliæ ſint neceſſariæ, aliæ credibiles, aliæ non repugnantes, item vel quia aliquid eſt, aliud nõ ſit: vel quia aliquid eſt, aliud ſit: vel quia aliquid non eſt, aliud ſit: vel q̃a aliquid non eſt, nec aliud ſit. Quo toto partitionũ genere q̃d poteſt ineptius eſſe? Licet enim tales ſectiones omnium rerum infinitas ex circunſtantiis leviſsimis fingere, ſed quidnã utilitatis eſt uel ad cognoſcendã naturam argumentorum, uel ad uſum tractandum? Deniq; hic nullũ eſt ἐπιχείρημα καθολικόν. Omnis igitur probatio (ait Quintilianus) artificialis conſtat, aut ſignis, aut argumẽtis, aut exẽplis: quaſi & exẽpla & ſigna argumenta nõ ſint. O dialecticũ & acutum diviſorem! differẽtias ſignorũ & argumentorum videamus, quas Quintilianus proponit, ut hanc egregiam exemplorum & ſignorum ab argumentis differentiam videamus. Signa, ait, non inveniuntur ab oratore, ſed ad eum cum cauſſa deferũtur. At hoc falſum eſt: ſigna enim quæ vocat, effecta vel adjuncta feré quędam ſunt ſub oculos cadentia, quæ quęri & inveniri ab oratore quærendo in omnibus quęſtionibus poſſunt. Verũ eſto, non inveniantur ab oratore, ſed ad eum deferãtur, ſunt igitur inquã inartificialia: nec itaq; partes artificialium, ut tu Quintiliane efficis: atq; ita in judicii & ſyllogiſmi vitio graviore fueris. Aliã differẽtiam argumenti & ſigni Quintilianus facit, & mirifico quodam dilemmate cõprehendit. Signa, ait, ſive indubitata ſint, nõ ſunt argumenta, quia ubi ea ſunt, quæſtio nõ eſt: ſive dubia, non ſunt argumenta, quia ipſa argumẽtis egent. At ſigna (inquam) indubitata ſunt aut dubia: argumenta igitur (ut pro te concludam) non ſunt. Imó veró Quintiliane, quanto clariora ſunt argumenta, quanto magis quæſtionem tollunt, quanto magis quæſtionem arguũt, tanto magis argumenta ſunt. Ac tu ipſe argumẽtum pauló póſt ita definis, ut indubitatum ſit: pars igitur tui dilemmatis antecedens eſt falſa. Hic veró locus unus declarare poteſt quám acri judicio Quintilianus fuerit, qui tam aniliter argumentetur, qui tam leviter & inconſtanter concludat, tam contra dialecticam omnẽm rationem ratiocinetur. Hoc enim bello dilemmate concludes nullum argumentum eſſe argumentum, ſic nempe: Si argumentum indubitatum eſt, non eſt argumentum, quia ibi quæſtio non eſt: ſi dubium, non eſt argumentum, quia eget argumentis: Atqui argumentum eſt indubitatum, aut dubium: Nullum igitur argumentum eſt argumentum. Hæc dialectica eſt Quintiliani. Sed argumenti definitionem videamus, forſitan hæc manifeſtiorem differentiam præbebit. Argumentum (ait Quintilianus) eſt ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt confirmat. Atqui hæc argumenti definitio & ſigno & exemplo convenit, totaque iſta partitio probationis artificialis in ſignum, exemplum, argumentum, (ubi duæ ſpecies cũ ſuo genere tanquam ab eo diverſa genera ponuntur) fallax & captioſa plané eſt: qualis feré tota probationum doctrina 5. libro á Quintiliano deſcripta. In generali autem argumentorum doctrina (quę tota locis decem noſtris traditur cauſsis, effectis, ſubjectis, adjunctis, diſſentaneis, nominibus comparatis, tributione, finitione, teſtimoniis) confundit & miſcet Quintilianus locos velut generales, illis tamen generalibus non comprehenſos ſolúm, ſed partibus diſtinctos, confundit inquam á perſona, ut ſunt genus, natio, patria, ſexus, ætas, educatio, habitus, fortuna, conditio, natura, animi virtus, ſtudia anté acta dictaq; & nomen. Hos enim locos tam multos inſtitutiones noſtræ comprehendunt, & diſtinguunt duobus effectorũ & adjunctorum locis. Major deinde inertia eſt Quintiliani de effectis. Hæc enim in locis perſonarũ nominatim erãt ꝓpoſita, & hic iterũ velut ab illis diverſa repetũtur. Itẽ de tẽpore, loco, caſu, quæ ipſa adjunctorũ ſunt, & tñ iterũ poſtea ponũtur adjuncta, velut ab his diſsidentia. Itẽ de facultatib. & inſtrumẽtis & modis tanquã hæc cauſſæ vel adjũcta non ſint. Itẽ de finitione, genere, ſpecie, proprio, differente, quaſi proprium quidquam ſit ab adjunctis diverſum, aut differẽtiæ nõ ſit diſsimilitudo: de qua tamen Quintilianus poſtea. Itẽ de diviſione tanquã genus & ſpecies, de quibus ra

men

men pauló anté, quidquam ſit á diviſionis loco ſeparatum. Item de remotione, ubi Quintilianus valde pueriliter hallucinatur, qui putat ipſam partium remotionem á diviſione genus argumenri diverſum eſſe. Item de initio, incremento, ſumma, quæ tria nullum vniverſum argumenti genus oſtendũt, ſed cũ aliis omnibus cõmiſcentur. Item de ſimilibus, diſsimilibus, contrariis, pugnantibus, adjunctis, relatis: ubi adjũcta relatis Quintilianus valde inſciẽter ſubjicit. Item de cauſſis & eventis, quæ tamen antea nominatim poſita ſunt. Item de conjugatis, quæ Quintilianus irridet, quia, inquit, non eget probarione, quod cõpaſcuũ eſt, cõpaſcere licere. Hoc dialecticum Quiotiliani eſt judicium ei ſimile, quo ſigna antea ab argumẽtis diſtinguebãtur: quod animal rationale eſt, hominẽ eſſe, probatione nõ eget: ergo definitio tuo iſto judicio non eſt argumentum Quintiliane: quo quid á dialectica alienius? quid illius philoſophiæ inanius? Item de majoribus, minoribus. Tandem veró locos tam multos, & tam varié confuſos in unam ſummã confuſionis contrahit: ut ſint omnes á perſonis, cauſsis, locis, tẽpore, facultatib. modo, finitione, genere, ſpecie, differẽtibus, propriis, remotione, diviſione, initio, incremẽtis, ſumma, ſimilibus diſsimilibus, pugnantibus, conſequentibus, efficientibus, effectis, eventis, cõjugatis, comparatione. Addit his fictionẽ & κατ᾽ ὑπόθεσιν vocat, quę ex omnibus argumẽtis peti poſſit, quia totidẽ ſpecies fictæ ſunt, quot veræ. Hic Quintilianus negligens dici non poteſt, qui tam multa undiq; cõquirat: at certé de dialectica valde ſecuri animi, q non videat hanc ὑπόθεσιν, propoſitionem eſſe ſyllogiſmi cõnexi, cui niſi aſſumptio aut expreſſa, aut intellecta conjũgatur, at gui inde & probari, & concludi nihil poſſit: qui (inquam) non intelligat aliud invẽtionem eſſe, quæ argumenta ſuppeditet: aliud diſpoſitionem, quæ argumenta collocet. At ὑπόθεσις illa pars eſt ſyllogiſmi connexi: quæ argumẽtum diſponit cum quæſtione, & quæ omne genus argumẽti capere poteſt, qđ ſyllogiſmus poteſt. Syllogiſmus tñ non eſt argumentũ, neq; ſané ꝓpoſitio ſyllogiſmi argumentũ eſt. Atq; hæc cõmiſta cũ tã ſine judicio Quintilianus generalib. & univerſis locis commiſceat, attñ affirmat multó etiã plures inventionis locos tradi poſſe: in quo fallitur: extra enim decẽ locos, cauſſas, effecta ſubiecta adjũcta, diſsẽtanea, cõparata, nomina, tributiões, finitiões, teſtimonia, argumenti genus nullũ eſt. Omnia hic cõprehenſa & eorũ generib. ac partibus clariſsimé in noſtra dialectica diſtinguuntur. De exẽplis cõfuſio ſimilis eſt. Omnia ait Quintilianus, neceſſe aut ſimilia, aut diſſimilia, aut cõtraria eſſe: paulò póſt tamẽ ſeipſum ſcilicet retexens, etiã majora, & minora, & authoritates adjungit: & quæ contraria exẽpla putat eſſe (ut Marcellus ornamẽta hoſtibus Syracuſanis reſtituit: Verres eadem ſociis abſtulit) hæc diſsimilia ſunt, non cõtraria. De uſu argumentorũ pleraq; dicit partim falſa, partim vera. Admiſcet etiã quędã de diſpoſitione, quę diſpoſitionis tamẽ artificioſæ cujuſmodi eſt, in ſyllogiſmo & methodo nihil habẽt. Jubet aũt Quintilianus ne á potentiſſimis, ad leviſsima decreſcat oratio: & tñ poſtea libri ſeptimi cap. 1. dicet cõtrá, ubi docebit reo firmiſsimũ quodq; primũ refellendũ, & ad infirmiſsima deinceps veniendũ. In capite de refutatione ſimiles nogæ ſunt, ſine ullo tñ inventionis præcepto. Ad extremũ multa de enthymemate & epicheremate colligit Quintilian⁹, quibus ꝓbat ſe eundẽ eſſe, quẽ tot antea locis probavit, in dialectica nempe valde plumbeũ: & quæ de ſyllogiſmo dicit, magis ea ſe vel audits, vel ex aliquo authore lecta deſcribere. Ariſtotelẽ ſui erroris authorem Quiotilianus hic habet. Dialecticos ab oratoribus, nõ vero rerum uſu, ſed captioſis commentis diſtinguit: ut illi ſyllogiſmis utantur, hi fuſa liberius oratione. Non intelligit hic homo ut grammaticæ, ſic dialecticæ ex omnibus inventionis & diſpoſitionis partibus uſum in omni oratione fuſum eſſe: dialogos, ſermones, cõtentiones, poëmata, orationes deniq; (cujuſcunque generis ſint) omnes magis dialecticas, quám oratorias eſſe. Nulla eſt oratio ſine ratione & argumento, ſine rationis & argumenti collocatione, quod dialecticæ eſt. At Quintilianus Ariſtotelis ſomnia ſecutus (qui dialecticos ſcholaſticis altercationibus, rhetoras forenſibus & civilibus contentionibus diſtinxit) putat ſyllogiſmo oratores, quám dialecticos rarius uti. Quaſi veró non ſit ſimilis & dialecticæ & rhetoricæ ratio in dialogis Platonis, & in forẽſibus

Cicero-

Ciceronis actionibus, non tam frequentes animadvertantur ſyllogiſmi, quám vel in Platonis & Ariſtotelis philoſophia. Si Quintilianus diſtinctas inventionis & diſpoſitionis artes cognoviſſet, & ad earum normam Ciceronis orationes expendiſſet, reperiſſet in Ciceronis orationibus ſyllogiſmos frequentiores, quá poſſent in ullis philoſophorum ſcriptis notari. Hic Ariſtotelis error Quintilianū fefellit, qui ſimpliciter Ariſtotelis illud commentum ſequutus eſt, nunquam attēdit, an hoc veré diceretur. Nam ſi obſervaſſet, errorē illum manifeſtiſsimé deprehendiſſet, cúm videret dialecticam tam eſſe in poetarum & oratorum, quám in philoſophorum libris uſurpatam & tractatam.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XIIII. IN Quintiliani librum ſextum.

ATque hæc de argumentorum invētione tertio, quarto, quinto libris. Totus ſextus liber qui ſequitur, in movēdi & delectandi artibus cōſumitur: ubi nihil dialecticæ, nihil rhetoricæ proprium eſt. Generales ut ſunt, ita generaliter exponantur: rhetorica in elocutione & actiōe, dialectica in invētione & diſpoſitione: multi ex his univerſis rerum fontibus rivuli oriuntur, qui tamen non ſunt harum artium præceptis permiſcendi. Artes inventionis tres docentur á Cicerone & Quintiliano: ad docendum loci deſcribuntur in generibus cauſſarum, in partibus orationis, & tandem communes omnium quæſtionum. Secundó ad movendum quædam etiam præcepta ponuntur: poſtremó ad ridendum. At in inventione loci ad docendum ſoli ſunt explicandi, motus & delectatio proprias artes nullas habent: petuntur autem communiter ex locis illis inventionis: item ex elocutione & actione: maximé veró ex morali diſciplina, ubi agnoſcas quid virtus, quid vitium, quibus rebus boni viri gaudeant, quibus improbi exultent, quibus utriq; item offendantur: quod Cicero ſæpe teſtatur, qui in oratoriis affirmat ex omnibus philoſophiæ partibus illam partem eſſe idcirco oratori maximé neceſſariam: & Ariſtoteles, qui tantam dialecticæ & rhetoricæ confuſionem præcipué confirmavit, affirmat rhetoricam ratione motuum & affectionum partem quádam eſſe moralis philoſophiæ: & ad illam philoſophiam moralem, movendi totam artem refert: & Quintilianus ipſe ideo philoſophiam moralem primo libro rhetoricæ partem dixit eſſe. In extremo ſexto libro de differētia conſilii & judicii diſſerit Quintilianus, & judicium putat, ut dixi antea, non magis arte tradi poſſe, quá guſtum, quám odorem. Hic in cumulando diligentiam Quintiliani non requiro, in judicando prudentiam deſidero. Dixit antea duas eſſe dialecticæ partes, invētionem & judicium: nunc quaſi dialectica ars nulla ſit, & quód de judicio in enūtiatis, ſyllogiſmis, methodis pręcipiat, inartificioſum ſit, ait judicium arte tradi nō poſſe. Atqui tamen hæc judicii doctrina tāta eſt, tam mirabilis, tam divina, ut qui vel cæteras artes norit, hanc ex pręceptis vel obſervatione aliqua non norit, nihil veré percepiſſe, nihil firmé cognoviſſe videatur. Ut minimé mirandum ſit, Quintilianum judicādi arte tam inopem tamq; deſtitutum, talem rhetoricæ magiſtrum adhuc fuiſſe.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XV. IN Quintiliani librum ſeptimum.

ATq; hęc de invētione á Quintiliano confuſa ſunt. Diſpoſitionis doctrinam libro proximo ſeptimo videtur Quintilianus explicare velle: quod ſi feciſſet, enuntiationis ſpecies, ſyllogiſmi modos, & methodi vias docuiſſet, quemadmodum in noſtra dialectica eſt explicatum. At in principio Quintilianus indicat nullam diſpoſitionis artem in omnes materias certam tradi poſſe: in quo vehementer errat. Nam pronuntiati, ſyllogiſmi & methodi artificioſæ certa doctrina eſt, & omnium rerum, quę via & ratione tractādæ ſunt, cōmunis. Quare quid plura iam contra hunc hominem de arte diſpoſitionis di-

nis dicenda ſunt, qoi eam nō ſolúm ignorat, ſed arbitratur nullā eſſe poſſe? Quæ veró Quintilianus uomine diſpoſitionis tam multa toto hoc libro ſcribit, ea ſunt de formulis cauſſarum civilium, & de cōſuetudine qoadam litigandi in Romano foro, quæ fuit illo ſeculo. Attamē omnia ejuſmodi, ut nullum ominlno ſolidum ac perpetuum, vel ad illas ipſas Romani forī formulas præceptum præbeant. Revocat autem huc tota illa ſophiſmata tertii libri de generibus ſtatuum & quæſtionū conjectura, finitione, qualitate, actione, ſcripto, & voluntate, coutrariis legibus, ſyllogiſmo, amphibologia: in quibus ſingulis nullum diſpoſitionis præceptō generale eſt. Cōfunduotur etiam quædam inventionis præcepta in conjectura & finitione, de cauſsis, factis, conſiliis, ut veriſsimé confirmari poſsit, quiuque libris tertio, qoarto, quinto, ſexto, ſeptimo, á Quintiliano non informari inventionis & diſpoſitionis artem: ſed otriuſq; partis doctriuam multis rebus falſis, alienis, inutilibus obrui. Quamobrē jam licet iſtā & inventionis & diſpoſitioois conteutionem totam cōcludamus, & noſtras inſtitutioues cum Quintiliani inſtitutionib. uſum noſtrum cum uſo Quintiliani conjungamus, ut iotelligi poſsit uberius ad extremū quid hac de re ſtatui poſsit. Nos artes invéōonis & diſpoſitionis dialecticæ arti, cujus partes propriæ ſunt, veré attriboimus: Quintilianus dialecticæ doctrinam, rhetoricæ falſó ſubjicit. Nos inventionem definimus, geuera partimur, generum ſpecies ſingulas & partes exponimus, & inſignibos exéplis illuſtramus: Quintilianus nec inventionem, oec iuvétionis genera, nec generum ſpecies, nec omnino partes ollo veræ definitiōis aut partitionis lumine exornavit, ſed pro una illuſtri & commuui rerū omnium inventione, tres iuauiſsimas & turbatiſsimas artes aggregavit, primam iu generibus cauſſarum, ſecūdam io partibus orationis, tertiam in generalibus & omniū tum cauſſarum, tum partium orationis locis commonibus. Nos enuotiati ſyllogiſmi & methodi, id eſt, uoiverſæ diſpoſitionis laudes omnes perſecuti ſumus: Quintiliaous nullum omnino certum & perpetuum, id eſt catholicum præceptū hic intellexit. Nos clariſsimo ordine & ad intelligédū aptiſsimo generales præceptiones primó, ſpeciales deinde collocavimus: Quintilianus autem qua via, quo ordine, qua dialecticæ methodi ratiooe totam confuſionem tot artium cōpoſuit? Comparat orationem via & ratione diſtinctá Plato perfectæ animalis excellentis figuræ, cujus caput ſurſum erigatur, pedes deorſum deprimantur, pectus, venter, ac reliqui artus intermediis locis ordine collocentur: ita orationem dialecticé collocatā judicat ſummo ac primo locó res univerſas, infimo ſingulares, intermedio tum univerſis inferiores, tū ſingularibus ſoperiores amplecti: ut á capite diſputatio per partes ad extremas particulas deducatur. Verū enimvero quoddā eſſe animalis monſtrū putaremus, cujus pedes eſsét ſurſum erecti, deorſum caput affligeretur, ipſumq; caput uná cum ventre in pedis unius, tanquā vortice aliquo abſorberetur? Talis ſané triplicis apud Qointilianum inventionis eſt collocatio: pedes enim ſuut ſingulares cauſſarū artes, quæ primo & ſummo loco ſunt: venter partes orationis, quæ ſunt magis communes, quám artes demōſtrativæ: & deliberativæ cauſſæ; minus communes, quám loci generales: caput communes omniū quæſtionū loci: quæ tamē & orationis, & communium locorū doctrina in uno judicialis cauſſæ genere, id eſt, in uno pede cōfunditur. Itaq; tota artis explicatione non modó in rebus ipſis permulta abſurdé peccavit Quintilianus cōtra logicas illas artificioſæ materiæ leges, κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, καθ᾽ ὅλου πρῶτον, ſed in ordine & diſpoſitione videmus, quá confuſus ſit & perturbatus. Quid veró futurū putamus, ſi tá inertis, tamq; inauis cōfuſionis vſum requiramus? Exercéda eſt & inventionis & diſpoſitionis doctrina modis duobus, primó ut per eam io alienis exemplis cognoſcamus, & conſilium ex argumento, & judiciom é prooūtiato & concluſionis modo, & totam omnino prudentiam ex collocationis & ordiois methodo: ſecuudó ut per eandem artem ſimilia ipſi & dicendo & ſcribédo exempla confingamos. Enimvero ponatur aliqua Ciceronis oratio, inventio & diſpoſitio ex artib. Qulntiliani diſquiratur, qd primó ad hanc exercitationis rationé tota illa tam accurata de ſtatibus doctrina, an rationalis quæſtio ſit, an legalis, utrū quæratur an eſt, quid eſt, quale eſt, an ſta-

tus ſit ambigui, an ſyllogiſmi, ao legũ cõtrariarũ, an ſcripti & ſententiæ, an tráslationis: quid, inquam, iſta mihi proderũt? ad rationẽ invẽtionis? nihil. ad rationem diſpoſitionis? nihil. Iam veró quas artee Quintiliani ad explicandũ, quid hic Cicero voluerit, quo genere argumẽti, quá ſolido uſus ſit, quas, inquam, invẽtioois artes hic adhibebo? An genera cauſſarũ repetam, & partium orationis tot inſtitutiones excutiam, & locorũ communiũ rationẽ totam huc referá? Curná, Deus bone, confuſio tanta, & quamobrẽ miſcẽda eſt, cũ res tota clariſsima & facillima ſit? Noſſe vis, & expendere conſiliũ in Ciceronis oratione tibi propoſita? conſidera quid rei ꝓpoſitæ ſit quod ab eo ducitur, cauſſane an effectus, ſubjectũ ao adjũctũ, oppoſitũ, cõparatio, oominis ratio, tributio, definitio, teſtimoniũ, tũ hoc aſſequere cõpendiaria & facili via, quod Quiotiliani tá moleſtia ſalebris aſſequi vix, ac ne vix quidẽ poſsis. Poſtremó faciamus idõ in Quintiliani de diſpoſitiooe artibus periculũ, quomodo judicium Ciceroois, in enuntiato, ſyllogiſmo, methodo cognoſcam? At tantũ abeſt ut Quintilianus ullá judicii doctriná doceat, ut affirmet omnino nullá tradi poſſe: tá novitius in omni diſpoſitioois arte, ut ꝓfiteatur in omnes materias cõmunem tradi nullá poſſe. Ariſtotelis & Quintiliani error par feré eſt: ille negat in Topicis cõmunem inventionem tradi poſſe, quam tñ tot teoebris involvit, quám multas in ejus libris demõſtravimus. Hic veró judiciũ dialecticę partem eſſe dicit, & tñ idem neſcio quo modo ſomnians ait judicii doctrinam oullá eſſe, nullam artificioſę diſpoſitionis communẽ eſſe doctriná. Quare quid já requiram hoc loco, quumodo poſsit ſecuoda exercitatioois ratio ex hiſce Quintiliani artib. tractari? Non poteſt ex his conſiliũ, non poteſt judiciũ, nõ poteſt methodus in ꝓpoſitis authoribus intelligi: quomodo igitur his artibus eaſdem virtutes aſſequi ſcribẽdo & dicẽdo poterimus? Quámobrem cũ ſit ars inventionis & diſpoſitionis á Quintiliano tam contra logicas bene docendi leges, negligeoter expoſita, cúm nihil perfecté vel definitum, vel partitum, vel æſtimatum, vel collocatum ſit, cũ verus earũ partiũ uſus illinc elici nullo modo poſsit, ſtatuite dialectici, quos initio conteotiunis meæ judices appellavi, ſtatuite, inquam, qualem dialecticum rhetorem hunc á vobis deceat æſtimari.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XVI. IN Quiotiliani lib. 8.

SEd de dialectica et inventiõis & diſpoſitiõis doctrina cõtra Quintilianũ adhuc dialecticé quidẽ egimus: ſequitur de elocutione inſtitutio Quintiliani tá ꝓlixa ferẽ, tamq; cõfuſa, quá quinq; proximis libris fuit de inventione atq; diſpoſitione. Summas rerũ, ut adhuc feci, duntaxat attingá, inſtitutũ perſequar: dialecticá prudentiá hic itẽ ab hoc magiſtro requiram, quomodo definierit, quomodo diviſerit, quomodo declaraverit, qđ doctoris cõſiliũ, quæ ratio, quod judiciũ, quæ ſapiẽtia fuerit, qualẽ deniq; ſe dialecticũ præbuerit, logicas illas de artiũ informatiooe leges tenuerit. Elocutio rhetorica præceptis his definiẽda & explicáda fuerat, q̃bus grámaticũ nihil, nihil dialecticũ admiſceretur: ut cũ puritas orationis grámaticis decretis, rationis ſubtilitas & prudẽtia dialecticis informata eſſet, tũ quid ad ornádum ex tropis & figuris, ex vocis & actionis gratia & dignitate reliquũ pertineret, hic definitionibus, partitiõibus & exemplis expooeretur. Id enim jubẽt catholicę leges illę κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον. At Quintilianus ſui ſimilis eſt, miſcet & cõturbat in rhetoricæ elocutionis ꝓceptis & grámatica & dialectica. Elocutio (ait primo capit: octavi libri) ſpectatur io ſingulis & cõjũctis verbis: quid rũ? In ſingulis intuẽdũ ut ſint latina, perſpicua, ornata, apta: in conjũctis, ut emendata, ut collocata, ut figurata. Hæc partitio Quintiliani eſt, in qua conſideremus quænã dialectica teneatur. Primũ enim latini & emendati ſermonis elegátia rhetoricæ nihil eſt, grammaticæ tota eſt: ut enim nullus barbariſmus, nullus ſolœciſmus inſit, grámaticæ virtus eſt. Itaq; hæc tá multa in hac partitione redundant, & dialecticá nullá hic eſſe demonſtrát: quia cũ de rhetorica elocutiune diſputes, non erit profectó verum grámaticas res admiſcere. Quod Quintilianus neſcio quo modo confitetur cũ ait, Sed ea quæ de ratione latiné atq; emendaté loquendi fue-

rinę dicenda, in lib. 1. cũ de grãmatica loqueremur, executi ſumus. Verũ hic Quintilianus idẽ eſt qui adhuc fuit, ſine dialectico cõſilio, ſine ſyllogiſmo, ſine judicio. Verùm (ait) illic tantùm ne vitioſa eſſent præcepimus, hic non alienũ eſt admonere, ut ſint quã minimè peregrina & externa. At Quintiliane, non eadẽ ſolùm lib. 1. tradidiſti, cũ de grãmmatica diceres, quæ hoc libro repetis, ſed etiã lõgè quàm hic plura: & te valde tñ in tãta cumulandi diligentia demõſtras oblivioſum & immemorẽ, atque, qđ arguo, dialecticæ expertẽ. De perſpicuitate rerũ & decoro idem ſentiendum eſt: Rhetoricæ enim (quæ in verborũ elocutione & actione tota poſita eſt) ferè nihil habent. Secundo capite perſpicuitas informatur ex verbis propriis: proprietas aũt admodũ ridiculè dividitur in modos octo. Omnis ſignificatio verbi propria eſt, quę mutata aliquo genere tropi per metonymiam, ironiã, metaphorã, ſynecdochen, ut poſtea declarabo. Itaq; ſi verè ſtatuere volumus, unica proprietatis in verbo eſt ratio, unicus eſt modus. At Quintilianus ait primò dici propria, quorũ prima hæc intelligentia & ſignificatio fuerit quod eſt verum. Secũdo modo dicitur proprium, ait, inter plura quę ſint ejuſdem nominis, id unde cætera ducta ſint. At Quintiliane, hic ſecundus modus à primo diverſus non eſt. Omnis dictio propriè aliquid ſignificat: ſignificatio tñ hæc ſæpe ad aliã rem ſignificãdum aliquo tropo mutatur. Id verò unde cætera ducta ſunt, propriũ ſolũ eſt, cætera τροπικῶς uſurpata. Ergo dialectica luce adhibita vides ſecũdũ iſtũ proprietatis modũ à primo non differre. Tertius eſt modus, cùm res cõmunis pluribus in uno aliquo habet nomen eximiũ. At Quintiliane, ſynecdoche eſt hic modus proprietatis: quoties enim ex genere ſpecies ſignificatur, ſynecdoche poſtea à te definitur. Cur igitur tropus iſto loco turbatur, ac non potiùs in troporũ doctrina docetur modificatas ſignificationes, ſi id opus eſſet, etiã proprias eſſe? Quartus modus eſt, cũ quod cõmune eſt aliis nomẽ, alicui rei peculiariter tribuitur. Hic error nõ ſimilis eſt proximo, ſed idem cũ eo planè. Quintus modus eſt, quo nihil eſt ſignificantius. At id aliquãdo propriũ nomen eſt, ut à primo modo nihil differat: aliquando modificatũ, & hic nihil docet. Sextus modus proprietatis in his quæ bene tranſlata ſunt. At cur hic de metaphora potiùs iſta conturbantur, quàm docentur proprio & legitimo troporum loco? Septimus modus eſt in his quæ ſunt in quoq; præcipua: at id interim propriũ verbum eſt, ut hic modus cũ primo conſentiat, interim modificatũ eſt. Octavus modus, cùm verba plus ſignificãt quàm eloquũtur: emphaſin tamen avult Quintilianus appellare. Atq; hæc genera proprietatis facta ſunt octo, quę in rhetorica bene tradita nulla omnino eſſent. In qua tantùm ſpectatur elocutio troporum & figurarum, actio vocis & geſtus. Quintilianus aũt ex duobus ſignificationum generibus, propriarũ & modificatarũ, fecit genera propriarum octo, tam ſubtiliter & acutè, ut ſecundũ genus nihil differat à primo, octavum à Quintiliano ipſo rejiciatur, tertiũ, quartũ, ſextũ, ſint tropi ſynecdoche & metaphora, quintum & ſeptimũ primo genere, aut tropo aliquo contineantur. Et hic curã & ſolicitudinẽ in congerendis rebus video, dialecticũ judicium, dialecticum ſyllogiſmum de logicis illis methodicę materiæ legibus ſtudium nullum video. Prætermitto permulta falſa, permulta inepta, quia ſit infinitum ſingula perſequi. Opponit Quintilianus obſcuritatẽ perſpicuitati, & ejus modos alios in ſingulis, alios in conjunctis verbis exponit. At Quintiliane, quã oblivioſus es, quàm valde es immemor tui? Partitus es elocutionem ex verbis ſingulis & cõjũctis in ſingulis perſpicua collocaſti. At nunc etiam in conjunctis eorũ doctrinã permiſces, & teipſum valde in definiendis artibus & diſtinguendis perturbatum eſſe demonſtras. Similis eſt inconſtantia & cõfuſio tertio capite de ornatu, ubi procemium eſt ſua longitudine ineptiſſimum. Ornatus doctrina tãdem ſequitur in ſingulis & conjunctis verbis, cùm tñ in prima partitione in ſingulis tãtùm verbis ornatus à Quintiliano poſitus ſit: & iſtam cõſtantiam dialecticã primùm deprehendo: Ornatus, ait antea, totus in ſingulis verbis. Deinde, ornatus duo genera, alterũ in ſingulis, alterũ in cõjunctis. Singula trifariam partitur ut propria ſint, aut ficta, aut tranſlata. At Quintilianus antea ſubjecit verborũ proprietati tranſlationem, nunc eandẽ tanquã diſtinctam à proprietate ſeparat: de novitate verborum repetit quædam lib. 1. con-

fuſa: de tranſlatis hic nullum verbũ facit. Ita Quintiliani doctrina de verborũ ſingulorum ornatu concluditur, ut magnifica nobis promittantur, promiſſa ipſa nulla fiant: conjunctorũ verborum ornatus pari, vel multó etiam majore confuſione explicatur. Dividitur primúm bifariam, quã concipiamus elocutionem, quã eſſe ramus. Illic conſiderandũ eſſe dicit, quid augere, quid minuere velimus, ubi tota dialectica rhetoricaq; cõprehenditur, ne nihil agere doctoré tantũ judicemus: hic veró quibus tropis, figuris, ſententiis, numeris utamur: ubi tota dialectica rurſum in ſententiis, & elocutio ex tropis & figuris & numeris miſcetur: iã egregié Quintilianus partitur hanc doctrinam, ut quicquid illi venerit in buccam, id effuderit, dialectici ſalis ne micam quidẽ adhibuerit. Atq; quod multó abſurdius eſt, neutram propoſitarũ partiũ exequitur, ſed vitiorũ neſcio quas ſordes á grãmaticis undiq; corradit, & in cultu (quem á duabus illis partibus diverſum facit) reliquã tanti capitis loquacitatem conſumit, ubi ſtatuit illuſtrationem: quã tñ figuram nono libro facit, nec intelligit hanc illuſtrationẽ ſeparati præcepti nihil habere, ſed ex omnibus & inventionis & diſpoſitionis & elocutiõis partib. fieri poſſe: & omnia illuſtrationis exempla, quæ hic adhibet Quintilianus, ſunt ex effectis, adjunctis, comparatis, in quibus tã cæcus eſt, tam á dialecticis inops & deſtitutus, ut artẽ exẽplorũ, quibus utitur, nõ intelligat, quinetiã aliud genus pro alio proponat, ut pro Archia, ubi collatio minorum eſt, ſimilitudinem eſſe putat hoc loco, Saxa & ſolitudines voci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur atq; conſiſtunt, nos inſtituti rebus optimis non poetarũ voce moveamur? Subjicit illuſtratiõi βραχυλογίαν, cujus hoc exẽplum quod ponit (Mithridates corpore ingenti perinde armatus) non intelligit ſimilitudinem eſſe, quã tñ illuſtrationi proximo modo ſubjecerat. Subjicit illuſtratiõi rurſus Emphaſin, cujus partem admodum ridiculé figuram, reticẽtiam facit. Poſtremó quicquid poteſt huc undiq; aggregat, ἀφέλειαν, δείνωσιν, φαντασίαν, ἐξεργασίαν, ἐπεξεργασίαν, ἐνέργειαν, non modó ſine arte, ſed omnino ſine ulla artis ſpecie: cujuſmodi capita duo proxima ſunt de amplificatione & de ſententiarum generibus, quorum capitum artem nullam omnino Quintilianus intelligit. Præcipit hoc libro de elocutione, at iſta genera amplificationũ & ſententiarum non elocutiõe verborum, ſed rerum inventione ſunt: & amplificationũ genera, quæ diverſa Quintilianus putat, eadem feré ſunt. Primũ enim & ſecũdum ex uno loco comparationis oriuntur. Incrementum ſiquidem, cùm ex minoribus aſcendis ad majora, comparatio eſt, cujus tñ artem Quintilianus ab incrementi arte diverſam putat. Ratiocinatio & congeries artis certæ nihil habẽt: poſſunt ex omnibus argumentorum generibus accipi. Sententiarum autem genera, quæ Quintilianus recenſet, ſunt ex cõtrariis, comparatis, aut figura aliqua, at ſine arte ulla, imó veró cõtra omnem artis rationem confuſa. O philoſophi, ó dialectici, & veri rerum judices, conſiderate quæ ſunt, & cujuſmodi quæ dico, quæ propono: pudet enim me, pudet tam putidam, tam inſulſam ματαιοτεχνίαν, qualis eſt, talẽ dicere ac demonſtrare, admonere ſatis eſſe exiſtimo. Boni judicis eſt ex legum & juris ſcientia noſſe quibus meritis unaquæq; res digna ſit: factum propono, de qualitate vos ſtatuite. Atque de tribus totius octavi libri partib. duæ integræ quinque capitibus adhuc conturbatæ ſunt ex grãmaticis, dialecticis, & rhetoricis quibuſdam, ita tamen ut vel grammaticę, vel rhetoricæ, vel dialecticæ artis forma nulla ſit. De rhetorica elocutione pollicetur Quintilianus præcepta ſe traditurum, at de troporum & figurarũ (quibus tota ars elocutionis bene deſcripta cõtinetur) arte nihil eſt inſtitutũ. Reliquo libro octavo troporum doctrinam nobis Quintilianus pollicetur. Nanq; tropum definit initio & partitur & dialecticæ methodi viã ſcilicet aliquãdo ſequitur. Verùm ſi recté judicare volumus, nihil accuraté definit, nihil acuté partitur, nihil via & ordine diſponit. Tropus (ait) eſt mutatio verbi vel ſermonis á propria ſignificatione in aliã cum virtute. At tropus in ſingulis verbis totus eſt, cum ſermone conjũctum nihil habet. Nam cùm formę orationis mutantur, figurę ſunt, non tropi: & quas ſermonis mutationes Quintilianus putat tropos eſſe, docebo ſuo loco tropos non eſſe. Quare falſa eſt primùm iſta definitio. Quintilianus troporũ genera duodecim facit, metaphorã, ſynecdochen, metonymiam,

miam, antonomaſiam, onomatopœiam, catachreſin, metalepſin, epitheton, allegoriam, periphraſin, hyperhaton, hyperbolen. At ut generum ſpecies complectare, quatuor tantúm ſunt, metonymia, ironia, metaphora, ſynecdoche: ut planũ faciam cúm de generibus ſingulis dixero. Falſa item eſt Quintiliani hac in parte doctrina, tam excellentem in definiendo, in partiendo dialecticum videmus. Differit primo loco Quintilianus de metaphora, quá non definit, & nomen ipſum poteſt omnibus tropis eſſe commune, ſicut & Ariſtoteles fecit: ſed definitioñe poteſt fieri proprium. Partitur aũt ſic, ut præſtiterit non partiri. Itaq; inanes ejus & ridiculas partitiones omittamus, quod aut neceſsitatis, aut ſignificationis, aut decoria gratia adhibetur: quaſi nõ hęc inter ſe miſceantur, & aliqua ſit metaphora, neceſsitatis cauſſa adhibita, non etiã ſignificationis, aut omnino tropus ſit ullus nõ ſignificationis elegãtioris gratia. Eſt enim hæc tropi definitio. Addit tñ tribus generibus quartum modum ad vitandam obſcœnitaté, ait: quaſi & hic modus decoris gratia non fiat. Omittamus & aliam inertiæ ſimilis partitionem, quód metaphora ſit ab animali ad animal, ab inanimo ad inanimũ, ab animalibus ad inanima, ab inanimia ad animalia: liceat enim partitionea innumerabilea tales confingere, quæ artia ntilitatem nullam prorſus habeant: & cúm metaphora ſimilitudinis pars ſit (metaphora enim tropus eſt ex ſimili ſimile ſignificans) cum inquam ſimilitudinis pars ſit, quæ nõ ex hoc vel illo rerum genere, ſed ex tota rerũ natura ſumi poſſit, etiã Cicero tertio oratorio meminit. tam vanũ & inutile eſt inertes ſpecies hic velle cõſectari, quám ſiquis docere conaretur unde genus, unde ſpecies, unde relata vel adverſa, unde denique primi illi dialectici rerum fontes orirentur. Hinépe ſunt primi rerum fontes, nec aliunde orti. Hoc primũ tropi genus retineo: tot nugas & ineptias, quot hoc loco Quintilianus collegit, rejicio. Secundum genus Quintilianus Synecdochen facit, & ejus multa genera recéſet, cúm numerus pro numero, totum pro parte, genus pro ſpecie, antecedentia pro conſequentibus, & contrá ſumuntur: quorum ultimum elocutionis nihil eſt, ut hic,

Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci:

argumentum aſt ex adjunctis, unde meridies & nox appropinquare intelligitur, & Quintilianus hæc intelligit, & ſciés turbat: reliqua nõ intelligit Quintilianus uno diviſionia genere cõtineri, ut recté Synecdoche definiatur, cũ ex parte totũ cõtráve ſignificatur. Nam & ſpecies pars eſt generis, & genus totũ ſpeciei, & pluralia numerus ſingulari cõparatua totum aliquid eſt parti collatũ. Tertiũ tropi genus eſt Quintiliano, metonymia, & definitur nominis pro nomine poſitio, ſed admodũ vitioſé. In omni enim tropo eſt nominis alieni pro nomine proprio poſitio: & id eſt generale ſpecialiter dicere: cujꝰvis eſt (ait Quintilianus) ꝑ eo quod dicitur, cauſſam propter quã dicitur ponere: at id perpetuũ nõ eſt: & id eſt ſpeciale generaliter dicere, ſæpe enim tropus hic etiã ex effectis cauſſas, nõ ſolũ ex cauſsis effecta, itẽ ex ſubjectis adjuncta, contráve ſignificat. Atq; ut intelligi poſsit quã ſit iſta iners & confuſa troporũ ars, exempla Quintiliani, imó veró permiſta exemplis præcepta, ad hos quatuor locos referam. Ex cauſsis effecta ſignificantur, cũ dicitur, Ceres & Bacchus pro frugibus & vino. nam dii illi earũ rerum invẽtores & authores finguntur, & hanc primã ſpeciem Quintilianus notavit. Contrá ex effectis cauſſæ ſignificantur, ut pallida mors, triſtis ſenectus: ideo enim & pallida & triſtis, nõ qa ſit, ſed quia faciat, & hunc etiam modum Quintilianus nominatim expreſsit, cum ait: Illud quoque poetis & oratoribus eſt frequens, quo eum qui efficit ex eo quod efficitur, oſtendimus: ex ſubjectis adjuncta, ut bene moratas urbes, pro civibus: & homines devorari, cúm eorũ patrimoniũ conſumitur: deniq; quoties continẽs pro contẽto, poſſeſſor pro re poſſeſſa, dominos pro ſubditis dicimus. Hæc enim Quintiliani verba ſunt. Contrá veró ex adjunctis ſubjecta, ut ſacrilegiũ pro ſacrilego, audaciã pro audaci. Hanc quartam ſpeciem videtur Quintilianus dãnare, cũ ait, Id quod contra eſt raró quis audeat, niſi poeta, & tamen modus eſt longé frequentiſsimus, & Quintilianus imprudẽs ſpeciei hujus habet exempla, cum ſacrilegium comprehenſum, non ſacrilegũ deprehenſum dicit. Quare omnis hujus tropi cõfoſio tollitur una iſta vera definitione. Metonymia, eſt tropus ex cauſsis effecta, ſubjectis adjuncta, contráve ſignifi-

cans. Quærit autem Quiotilianus ſimilitudinem quandam inter ſynecdochen & metonymiam, ſed fallitur. Itaqoe io hoc genere veram doctrinam retineo, & artificioſé compono, tenebras tollo. Quartū genus tropi Quintilianus aotonomaſiā facit & definit, quæ aliquid pro nomine pooit, definitiōe, tropi proximi definitioni ſimillima. Cōvenit enim tropis omnibus pro nomine proprio aliquid ponere. Hę Quintiliani definitiones ſuot ejuſmodi, ut nihil definiāt: ſed fallitur etiam gravius Qointilianus. Antonomaſia enim (quam fingit) aut ſynecdoche eſt, ut Pelides, Tytides, pro Achille & Diomede. Generalia enim nomina ſunt pro ſpecialibos: aut argumentum qooddam, ut definitio Joois in hoc exemplo,

—— divum pater atque hominum rex.

Item definitio Scipionis in hoc exemplo, Everſor Carthaginis & Numantiæ. Itaque tollatur é tropis hoc genus, quod á cæteris nihil habet diverſum, aut tropus omoino nō eſt. Onomatopœia quintum tropi genus eſt Quintiliano, ut mugire, ſibilare, & ſimilia. At mutatio ſignificationis hic nulla eſt: nihil enim aliud ſignificarunt unquam hæc nomina, & hęc prima eſt eorum ſignificatio: non eſt igitur illic tropus. Catachreſin ſextum tropi genus facit Quintilianus, & definit, quæ non habentibus nomen ſuum accōmodat quod in proximo eſt. Verúm hæc definitio tropis omnibus cōvenit, & Catachreſis inter tropos ponitur errore eodem quo Antonomaſia. Hic tropus incidit in alios, aut omnino tropus non eſt,

—— Equum divina Palladis arte
Aedificant,

metaphora eſt ex ſimili ſimile ſignificās: dura Quiotiliano, ſuavis tamē Ciceroni, qui ædificare navem, muros, rempobl. dixit. Vnde Quintilianō deprehēdo in Ciceronianæ orationis obſervatione non ſatis diligētem fuiſſe: nec catachreſis eſt in illa tāti equi machina, ædificare, ſed tam propriū aut etiam magis proprium quá in navibus. Leo pariet, tropus ſatis durus eſt, qualis eſt parens pro patre, quia parete fœminæ eſt, tamen hoc poſterius valde uſitatum eſt: parricida pro interfectore, pyxis pro pyxide cujuſvis materiæ, ſynecdoche eſt: ſpecies quippe pro genere: dicatur etiam ſi lubet hæc ſynecdoche καταχρηστικά. Conatur tamē Quintilianus metaphoram á Catachreſi ſeparare, quód abuſio ſit ubi nomen defuit, translatio ubi aliud fuit. At utrumque falſum eſt. Metaphora enim neceſsitatis cauſſa aliquādo adhibetur, ut ipſe Quintilianus antea dixit, gemmare vites, ſitire ſegetes, & Catachreſis eſt aliquando, ubi nomē fuit, ut parricida pro interfectore, pareos pro patre. Tollatur igitur geous hoc, & dicatur catacreſis duritia cujuſcunque tropi. Atque etiam ſi veré loqui volumus, omnis tropus Catachreſis eſt: non enim ſua ſignificatione & propria rem exprimit, ſed aliena abutitur. Septimum genus eſt tropi metalepſis, & definitur quæ ex alio in aliud viam præſtat: quæ definitio omnis argumenti communis eſt, non propria hujus tropi: vitioſa igitur. Atque hic tropi nullum omnino genus eſt, & Quintilianus nullum ejos uſum admodum eſſe putat. Imó ait eſſe maximé improprium. Atque hic ſuem pro Verre, doctum pro Lælio, qood dicit ſyoecdoche eſt. Eſt autem ænigmatis an ſomnii, vel potius ænigmatici ſomnii ſimile, quod Quintiliauus metalepſin ait eſſe medium gradum, per quem tranſitus fiat ad ultimum, ut in cano, ita canto, dico in cano: itē eſt medium illud cano. Hæc Quiotiliani verba ſunt, quæ ſiquis intelligat, explicati ænigmatis Apollo magnus eſto. Tollatur igitur metalepſis é doctrina troporum, primúm quia nulla ſignificationis mutatio eſt, nec ideo tropus: deinde quia uſum nullum habet. Octavum tropi genus eſt epitheton, majore errore huc obtruſum, quám ſuperiora. Quid enim eſt tam frequens in epithetis, quám propria ſignificatio? calidus ignis, bruta terra, lucidus aër, humida aqua. Aliquando autem mutatur ſignificatio, & metaphora eſt, ut cupiditas effrænata, neque ideo tamen novæ doctrinæ hic quidquam deſideratur: neque quia epitheton eſt, ideo tropus eſt, ſed quia metaphora, ſynecdoche, metonymia, aut ironia eſt. Tollatur igitur ex hac doctrina epitheton. Nonum tropi genus allegoria eſt Quintiliaoo, ac definitur inverſio aliud verbis, aliud ſenſu oſtendens, ac etiam interim contrarium: prior pars definitionis hujus omnibus tropis convenit: ſecunda ironiæ propria eſt. Allegoria autem ſi fiat ex continuis metaphoris, nō eſt novum tropi genus,

nis, non magis quàm ſi frequens metonymia aut ſynecdoche continuaretur. Neque enim hic diverſa troporum genera dicerentur, ſed multæ metonymiæ, multæ ſynecdochæ: ita illic multæ metaphoræ ſunto, diverſum genus ne eſto. Si tamē lubet allegoriam dicere, cōtinuatis in oratione metaphoris, vel potius quibuslibet tropis, non recuſo: ſed ne imperité in arte deſcribenda pro genere ponatur qđ genus non ſit,

O navis referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis fortiter occupa
Portum.

Hic metaphoræ multæ ſunt: navis pro republica, fluctus maris ꝑ bellis civilibus, portus pro pace. Atq; omnes iſtas metaphoras allegoriā nominemus, genere á metaphora nō ſeparemus. Hoc aliquādo obſcurú eſt, ænigma dicitur: nomine quidē recté. Ænigma aūt Quintilianus allegoriæ ſpeciem eſſe putat, & falſó putat: cū omnis allegoria ex tropis ſit, ænigmata multa ſint ſine tropis, ut hæc, quæ falſó inter tropos recenſet Quintilianus,

Dic quib. in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cæli ſpatium non amplius ulnas.

Nam ſpatium tres parens ulnas proprié explicatur. Omnia enim propriis verbis excepto uno Apollinis nomine in hoc ænigmate explicantur. Et ex omnibus artibus licet ignaris, & imperitis attiū tales obſcuras ſentētias proponere, ubi tropi nihil omnino ſit. Allegoriā credit etiā Quintilianus aliquādo ſine tropis eſſe, ut apud Virgilium,

Certé equidem aud. erā. quá ſe ſubducere colles
Incipiunt, molliq; jugum demittere clivo,
Vſq; ad aquā, & veteris jā fractæ cacumina fagi,
Omnia carminibus veſtrū ſervaſſe Menalcam.

Quod ſi verū eſſet, certé tropus nullus eſſet, quia nō eſſet mutatio verbi á propria ſignificatione. At metaphora eſt in verbo (Menalcas) quo pro paſtore ſignificatur Virgilius: allegoria aūt nulla hic eſt, ſed hiſtoria vera verbis ſimplicibus narratur. Subjicit Quintilianus allegorię ironiam, in quo labitur. Ironia enim ipſa tropi genus eſt ſeparatū. In omni allegoria quam Quintilianus cogitat ſignificatur ex ſimili ſimile: in ironia ſignificatur ex cōtrario contrariū. Subjicit errore multó majore, σαρκασμὸν, ἀστεισμὸν, ἀντίφρασιν, παροιμίαν, μυκτηρισμόν. Neq; enim tropi hic quidquā eſt, cúm verbis propriis hæc omnia dici poſſint, & ironia jocari poteſt amare, urbané, nec in hoc eſt ulla differentia tropi. Decimū tropi genus periphraſin Quintilianus facit. At periphraſis omnib. propriis verbis effici poteſt nec idcirco tropus ullus eſt omnino, ſed argumenti genus ex dialectico definitiōis loco. Vndecimū genus hyperbatō facit Quintilianus, in quo cúm ſignificationis nulla mutatio ſit, nullus etiam tropus erit: & ſiquid in rhetorica elocutione de hyperbato dici poteſt, in compoſitione cōmodiſſimé dicetur, cujus gratia verba alia differenda, alia præponenda ſunt. Fit (ait Quintilianus) frequentiſſimé aſpera & dura & diſſoluta & hians oratio, ſi ad neceſſitatem ordinis ſui verba redigantur. Hæc igitur hyperbati conſideratio ad compoſitionē & numerum orationis attinet. Duodecimum genus & poſtremum hyperbolen facit Quintilianus, quę ſi in verbo eſt, metaphora quidem feré eſt, ſignificans ex ſimili ſimile: & ſic Ariſtoteles in cap. 3. Rhetorici hyperbolen metaphoræ ſubjecit: ſæpe etiam metonymia: ſed in quo etiā majus incluſum eſt, ſi res amplificatur, ut volitate gloriæ cupiditate, ut ſcelus pro ſceletato: aut minus ſi extenuatur, ut veri ac fortis tribuni plebis ſtridorem perferre non poſſit. Poteſt etiam ironia hyperbolica eſſe, quales illæ ſunt apud Juvenalem, nanum cujuſdam Atlanta vocamus, Æthiopem cygnum. Hyperbole aūt ſi in verbo non eſt, ex omnib. argumentis accipi poteſt, & ideo tropus nō eſt. Quāobrem ex duodecim generibus á Quintiliano in hac doctrina cōfuſis, antonomaſia, onomatopœia, metalepſis, epitheton, allegoriæ tot ſpecies (ironia excepta) periphraſis, hyperbaton, & extra ſingula verba hyperbolæ tropi non ſunt. Neque hic Quintiliani diligentiā deſidero, qui pro paucis generibus troporum, tot nugarū genera cumularit, ſed judicium & prudētiam deſidero: qui ſi hunc unum ſyllogiſmum conficere potuiſſet, nunquam tam multa confudiſſet: Tropus omnis eſt mutatio ſignificationis: Antonomaſia, onomatopœia, metalepſis, epitheton, tot allegoriæ præter ironiā, ſpecies, periphraſis, hyperbaton, hyperbole extra ſingula verba, ſignificatiōis mutatio nulla eſt: Quare tropus nō eſt. Si inquam, Quintilianus ex definitione ſua concluſionem hanc efficere potuiſſet, nunquā in iſtam

ignaviam atq; inertiam incidiſſet. At dialectica (qusm ſuis ſcripris tantopere confudit) vehementet illi defuit. Atque etiã ut intelligi certius poſsit, quatuot eſſe tantúm troporum genera, metonymiam, ironiam, metaphotam, ſynecdochen, cauſſam planius & apertius ex locis dialecticæ inventionis explicabo. Omnis mutatio propriæ ſignificationis ex cauſsis ad effecta, ſubjectis ad adjuncta, oppoſitis ad oppoſita, comparatis ad comparata, toto ad partem, contrave, eſt metonymia, ironia, metaphora, ſynecdoche. Metonymia enim eſt mutario ſignificationis ex cauſsis ad effecta, ex ſubjectis ad adjũcta, contráve: ironia ex oppoſiris ad oppoſita: metaphora ex comparatis ad comparata: ſynecdoche ex toto ad partem, contráve. Omnis sutem tropus eſt mutatio propriæ ſignificationis in verbo ex cauſsis sd effecta, ſubjectis ad adjuncta, oppoſitis ad oppoſita, comparatis ad cõparata, toto ad partem, contráve. Nam reliqua rerũ (quæ videntur ſignificari poſſe dictione ſimplici) genera nihil habent ab illis diſtinctum. Nam conjogsta & notatio circunſtantiæ ſunt nominis, non rei ſignificatæ. Definitio & teſtimonium ſimplici dictione non ſignificantur: Omnis itaq; tropus eſt metonymia, ironia, metaphora, ſynecdoche.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XVII. IN Quintiliani librum nonum.

VEruntamen fallor fortaſſe, & inconſyderato inveſtigandæ veritatis ſtudio inductus longius progredior, quám fines dialectici ſyncerique judicii poſtulent. Troporum genera Quintilianus duodecim fecit: ego duntaxat quatuor inſtituo: at Quintilianus tropum diſtinguit initio noni libri á figura, idque tam ſapienter, ut omnes troporum propoſitæ ſpecies retineantur. Tropus eſt dictio ab eo loco in quo propria eſt, translata in eum in quo propria non eſt, ait: figura eſt conformatio quædam orationis remota á cõmuni, & primúm ſe offerẽte ratione. Hæc tropi & figuræ differentia eſt á Quintiliano poſita: vera, certa, neceſſaria, fateor. Ornatus enim elocutiõis, eſt mutatio dicẽdi á ꝓprio & vulgari modo ad elegãtiorẽ quẽdam & præſtantiorẽ: iſque duplex eſt, in uno verbo tropus, in oratione figura dicitur: hoc veriſsimum diſcrimen eſt. Verúm Quintilianus in hac tam vera ſententia conſtanter permanere nõ poterit. Iſtum diſcriminis ſyllogiſmum, iſtud tam firmum judiciũ captione neſcio qua mox inducit. Syllogiſmus enim diſcriminis ita eſt, Tropus eſt mutatio dictionis: Figura nõ eſt mutatio dictionis, quia eſt orationis mutatio: Figura igitut non eſt tropus. Verius, inquã, hoc ſyllogiſmo & cõſtantius nihil eſſe poterat. Quid igitur Quintilianus? Hunc ſyllogiſmũ captioſé pauló ſecus repetit, et plurali numero ſophiſma inſtituit. Definit pauló anté tropũ, dictionem translatam á proprio loco. Vidit igitur antonomaſiam, allegoriam, hyperbolen plerunq;, periphraſim in dictione ſingulari nõ eſſe. Aliter igitur loqui inſtituit, & ita ratiocinatur, In tropis ponũtur verba alia pro aliis: In figuris non ponuntur verba alia pro aliis: nã propriis verbis figura fieri poteſt: Figuræ igitur tropi non ſunt. Propoſitionem inductione conficit: In tropis ponũtur verba alia ꝓ aliis: ut in metaphora, metonymia, antonomaſia. At Quintiliane quid agis? hæc antonomaſia nõ eſt dictio trãslata á proprio loco, ut eloquẽtiæ Romanæ parẽs pro Cicerone.

-- divum pater atq; hominum rex,

pro Iove: oratio enim non eſt dictio: Tropus igitur nõ eſt. Tũ veró Quintiliani captioſo iſto & poſteriore ſyllogiſmo Quintilianum convincã: aſſumit enim in figuris non poni verba alia pro aliis, quia omnia propria poſsint eſſe. At in illa Quintiliani antonomaſia (everſor Carthaginis atq; Numantiæ) omnia propriis verbis expoſita ſunt. Quare utroq; Quintiliani ſyllogiſmo antonomaſiam é troporũ genere ſecernam. Sed reliquam iſtam inductionem videamos, quemadmodum in tropis ponãtur verba alia pro aliis. Metalepſis ſi verbum pro verbo ponat, metonymis, ironia, metaphora, aut ſynecdoche eſt. De catachreſi & allegoria ſatis diximus, quomodo tropis ſubjicereutur. Onomatopœia pro alio ponitur (ait Quintilianus) quo uſuri fueramus, ſi illud non fingeremus. At quibus verbis, ô Quintiliane, uteremur in affectionib. a-

nimalium propriis exponendis, ſi iſta nō fingeremus, ridere, ululare, boare? Cujuſmodi igitur iſta eſt ratio, & quám á dialectico judicio inops & aliena? Periphraſis utitur pluribus pro uno (ait Quintilianus) ergo tropus eſt. Quid eſt? quomodo hic Quintiliane judicas? quám longé á definitione tua diſcrepas? At longé aliter concludo & judico, longé alium ſyllogiſmū conficio: Tropus eſt dictio á ſignificatiōe mutata: Periphraſis nō eſt dictio á ſignificatione mutata: Non eſt igitur tropus. Cōſidera Quintiliane, quám illa tua fallax, quám ſit iſta cōſtans & firma cōcluſio. Epithetō (ais) cōjunctiōe Antonomaſiæ fit tropus. At nec Antonomaſia, nec Epitheton tropus eſt: utere tuo adverſus te judicio, utere tuo ſyllogiſmo: Tropus eſt dictio mutata á ſignificatione: Epitheton ſæpe proprium eſt, nec mutatam habet ſignificatiōnē: Epitheton igitur tropus non eſt. Atque hoc ſyllogiſmo omnes falſas troporū ſpecies á Quintiliano in hac doctrina confuſas tollo & abjicio. Laborat tamen Quintilianus in hoc primo noni libri capite vehementer: quæſtiones ſibi objicit, quas diſſolvere non poteſt: vult rhetorum Græcorum & Latinorum opiniones retinere: videt tamen definitionibus exempla non congruere: tandem Gordium hunc nodum, quem ſolvere non poteſt, quaſi frangit. Figuræ, inquit, & tropi nomine ſæpe eadē ſunt, & habent valde ſcrupuloſam diſputationem, ſed ea nihil pertinent ad præſens inſtitutum. Imó veró ó Quintiliane, nomine & definitione, & genere omnino diſtinguuntur tropus & figura: & ſi verum ſequi potuiſſes, nunquam tam ambitioſé diligens videri voluiſſes: non eſſet iſta ſcrupuloſa tua diſputatio. Significationes figuræ, & definitiones varias Quintilianus colligit: at unica vera & propria & perſpicua definitio pro tot nugis ſatis eſſet. Figurarum genera duo facit: reprehendit eos qui pauciora, & qui plura genera facerent. Utinam ſcholaſtica iſta acumina tibi pauló remiſsiús Quintiliane placuiſſent. Artes conſtare debent utilium & conſtantium inſtitutionum traditione, ut nihil doceant niſi κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον, non omnes hominum errores & vitia colligere. Quæris deinde qui numerus cuique ſubjiciatur? Duos ad verbum Ciceronis magnos locos recitas inter ſe etiam diſsidentes. Oratorio enim tertio quadraginta tres verborum figuræ á Cicerone efficiuntur. In oratore tamen tantúm ab eodem ſeptendecim ponuntur. Figuræ ſententiarū illic quadraginta octo, hic quadraginta quinque. Verúm quid citatus hic Cicero doctrinæ nobis adfert, inconſtans præſertim & á ſeipſo diſſentiens? Excuſandus credo tibi Cicero fuit, quia tu ab eo diſſenſurus eſſes. At Quintiliane, quomodo ſeipſum Cicero in Oratore excuſavit, cū á ſe Oratorio tertio diſſentiret? Imó veró in topicis poſtea ſcriptis quid ait? Nónne planè genera figurarum arte certa deſcribi poſſe deſperavit? ait enim rem infinitiorem eſſe, nec eſſe vitioſum, ſi quid in earū partitione prætermittatur. Quám veró non decet in arte deſcribenda errorem cujuſquam & falſam opinionem defendere, ut veritatem interim deſeras & prodas? ut diſcipulos (quos inſtituendos ſuſcipis) fallas & decipias? Reprehendis rhetoras quoſdam, qui figuras affectus eſſe dicerent: hoc item dicit Cicero, cúm figuras facit, iracundiam, execrationem, conciliationem. Cicero tamen tibi peccaſſe nihil videtur: vetat enim tanti hominis, opinor, authoritas id liberé profiteri. O' judicem verecundum & humanum. At mallem dialecticum, mallem conſtantem, mallem verum, mallem noſtris illis æternis legibus & logicis aſtrictum. Affectus non eſt figura, figura tamen ſine affectu non eſt. At figuræ verborum (quarum natura id eſt) melius eſſent præpoſitæ. Secundo capite ſententiarum figuræ tractantur á Quintiliano: figura tamē ſententiæ quid ſit, non definitur. Eſt autem in abſoluta ſententia totius orationis cōformatio, & ideo mutatis verbis etiā manet: ejus genera & communiones quædā ipſarum inter ſe figurarū notari poſſunt in logiſmo & dialogiſmo: logiſmo primū contentionis in exclamatione & revocatione, deinde perſonæ in apoſtrophe & proſopopœia: dialogiſmo, primum interrogationis: in deliberatione, addubitationis, & communicationis: item in occupatione: deinde reſponſionis in permiſſione & conceſsione. Ita ſpecies artis adumbrata quædam in hac doctrina diceretur. At Quintilianus non definit figurā ſententiæ, non partitur: ſed ſuo more, ut ſuperiora, ita ſequentia hæc permiſcet.

Numerat

Numerat in figuris interrogationẽ & reſponſionem, & affectibus diſtinguit: cùm tamẽ nec interrogatio, nec reſponſio, nec affectus ipſe figura ex ſeſe ſit, quávis figura ſententię nulla ſit ſine affectu. Poſſunt enim hæc omnia eſſe ἀσχήματα, id eſt recta & ſine figura. Subjectionẽ Quintilianus vocat, cúm nobisipſis reſpondemus, á qua putat prolepſim genere diverſam eſſe: at fallitur, quia in omni prolepſi eſt interrogatio quædam & interrogationis reſponſio, quæ ſubjectio eſt. Nõ perſequar fictos á Quintiliano propleps modos, qualea licet innumerabiles in omnibus figuris fingere, ſed ſine doctrina, ſine uſu. Miſcet hic etiá correctionẽ: ut, Quanquá illa nõ pœna, ſed prohibitio ſceleris fuit. At correctionis alia ratio eſt, & á prolepſi diſtincta: correctio enim logiſmi, prolepſis dialogiſmi. Similis eſt error in addubitatione, cõmunicatione, permiſsione, conceſaione. Addubitando enim & communicando quærimus utiq; aliquid; & rogamus: in permiſaione & conceſsione quaſi quęſitum aliquid ſit et rogatum, ita reſpõdendo permittimus & cõcedimus. Suſtentatio ſiquid habeat figurę, ſubjiciatur cõmunicationi, ut licentia exclamationi. Quintilianua huc aggregat ſine nomine figuras augendis affectibus accommodatas. At nec affectus, nec ſimulatio figura eſt: Ironia enim tropus eſt, non figura. Eſt enim mutatio ſignificationis ab oppoſito ad oppoſitum, vel in his exemplis quæ recenſet Quintilianus, A quo repudiatus, ad ſodalem tuum virum optimũ M. Marcellum demigraſti. Ironia eſt in ſolo verbo (optimum.) & deinceps in prima Ciceronis oratione adverſus Catilinam, unde hoc exemplum ſumptum eſt, Ironiæ alię continuantur: Quem tu videlicet & ad cuſtodiendum te diligentiſsimum, & ad vindicandum, fortiſsimũ fore putaſti. Quin etiá in aliis exemplis idẽ eſt: ut pro Sylla, Niſi paucoa fuiſſe arbitramini, qui conari aut ſperare poſſent ſe tátum imperium poſſe delere. Ironia enim eſt in verbo (paucos.) poſſunt autem ironiæ multæ conjungi: ut in Clodium, Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit: & tamen tropi multi ſunt, ut in allegoria, non figura una. Illuſtrationem figuram putat, initio tamé capitis hujus in Cicerone figuram non putaverat, cùm Ciceroniana illa lumina numeraret, quæ ipſe figuras non cenſeret. Figura veró non eſt, ſed poteſt ex omnibua & argumentis & figuris fieri. Conceſsionem, confeſsionem, conſenſionem tres figuraa Quintilianus genere diſtinctas arbitratur: ego genua unũ, duo ſummum puto, & conceſsioni valde finitimam eſſe confeſsionem video. Contrá εἰδωλοποιΐαν ſeparat á proſopopœiá Quintilianus. At ſeparari nullo modo poteſt. Corollariũ veró tanti capitis (quo de figuris ſententiarum dicitur) in Emphaſi oratione longiſsima conſumptũ eſt, quæ eſt cũ ex aliquo dicto latens aliquid eruitur. At hoc Quintiliane ratiocinationis cujuſdam & concluſionis eſt, figurę nihil. neq; enim eſt nova orationia forma, ſed vis quædam cogitationis ſolers & acuta. Atq; hoc genus, ut ex Quintiliani verbis conſtat, in ſcholis rhetorum tum maximé ferebatur. Tandem veró ne negligẽa videretur Quintilianus fuiſſe, aut nõ omnes ineptias hominum in haa inſtitutionea contuliſſe, præter figuras probatas, & præter Ciceronis figuraa jam memoratas, colligit tres & quadraginta novas figuras. Verumtamen figuræ verborũ reliquæ ſunt, & magis etiam confuſæ, quám ſententiarum figuræ fuerunt: ad eas igitur accedamus. In his veró tantam confuſionem nõ apud Quintilianum ſolùm, ſed omnea rhetoras video, ut major nulla adhuc fuerit. Nihil eſt arte tractatũ, non definita in univerſum verborum figura, non generum diſtributio facta, multæ pro figuris non figuræ ſunt admiſtæ: exemplis ſpecies eædem, tanquam tamẽ diverſæ ſunt diſtinctæ: denique, quod caput confuſionia eſt non modicum, figurę nominibua inter ſe apud artis hujus authores tam confuſæ ſunt, ut aliæ aliarum nominibua plerunq; ſint appellatæ. Sed nunc de Quintiliano, qui tertii capitia initio dicit figuras ſæpe mutari, quod verũ eſto de pleriſq; commentia. Nam veræ figuræ perpetuæ ſunt: tum veró quale eſt, quod Quintilianus ait ad hác probationẽ, Veteres, & præcipué Cicero, dicebant invidere hanc rẽ non huic rei. At Quintiliane, nõ ſolùm iſto modo Cicero non loquitur, ſed malé etiá Latiné ab Actio carmẽ illud cõverſum profitetur in Tuſculanis,

Florem liberum quiſnam invidit meum?

Atque hic locus admonere nos poteſt, quám negligenter in Ciceronis lectione

ſit

ſit rhetor iſte verſatus, qui non modó Ciceronis dictionem & phraſim imitádam ſibi nullam propoſuit, ſed nec obſervavit quidé, aut animadvertit qualis eſſet. Duo genera figurarum in verbis Quintilianns deinde facit, grammaticum & rhetoricũ: nec uſquá meminit ejns quæſtionis, quá explicandam ſoſcepit. Rhetoricas inſtitutiones ſuas appellat: at debuit appellare grámadialectoricas, quia in his grammatica, dialectica, rhetorica confunduntur. Doceat enim grammaticus grámaticas, rhetor rhetoricas figuras: non miſceátur in rhetoricis grammaticæ: & aliquando tollatur bella iſta defenſio, Neceſſarius eſt uſus harum figurarũ oratori, propterea hic tradnntur: poteſt enim orator etiá his uti, cúm á grammaticis didicerit: ſed tamen quæ ſunt hæ grámaticorum figuræ, quas hic ſibi deſcribendas Quintilianus exiſtimavit? In his enim tam malum grammaticum Quintilianum fuiſſe convincam, quám malum rhetorem eſſe adhuc docui. Metaplaſmi feré vocantur á grammaticis, quando in oratione genus generi, numerus numero non reſpondet: partes aliæ pro aliis ponútur. In quo denuó Quintilianus indicat non modó Ciceronis, ſed nullius laudati authoris phraſin ſibi proproſitam fuiſſe. Facere contumeliam á Cicerone reprehendi notũ eſt (ait) affici enim contumelia dicebant. Verúm Quintiliane, Plautus & Terentius facere contumeliam ante Ciceronem dixerunt: Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur, (ait ille.) Hic autem, Tu novo modo ei faceres contumelias. Quare latiné dicebatur, contumeliam facere: & in reprehèdendo Antonio cupiditas paulò longius Ciceronem provexit. Atque etiam in excuſando Cicerone Quintilianus fortaſſe labitur: Ciceronis enim oratio frequentiſsima eſt, contumeliam alicui imponere, & intorquere, in aliqué jacere, aliquem contumelia vexare. Plauti etiam & Livii oratio eſt contumeliam dicere. At illud Quintiliani, Afficere contumelia, ſi quis, obſervaverit, adnorato. Ergo Quintilianus in elocutionis & phraſis genere rurſum labitur. Similes deinde Quintiliani lapſus ſunt: ut vetuſtatis obſoletæ exempla notat in Virgilio,

Vel cùm ſe pavidum contra mea jurgia jactat.
Progeniem ſed enim Trojano á ſanguine duci.

Quaſi veró non ſimiliter etiam utroq; Cicero, venuſté ſcilicet & uſitaté ſit uſus. Vel quod eſt in eodem decreto ſcriptum (ait pro Flacco) Sed enim non ſolúm ingenii, ſed etiam naturæ atq; virtutis (ait pro Archia.) Immiſcet deinde Quintilianus inter figuras grámaticas de figuris ſententiarũ Apoſtrophen, quæ tamen antea tradita ſuo loco inter figuras ſententiarum fuerat. Atq; totus hic de grámaticis figuris tam confuſus locus, Quintiliani dialecticam valde demonſtrat. Redit deinde á figuris grámaticis ad rhetoricas figuras. quarũ genera ſunt numero paris generibus figurarum in verbo. Eſt enim figura verbi in repetitione ſimilium aut leviter diſsimilium: ſimiliũ continua epizeuxis, anadiploſis, climax: disjuncta in eodé loco, ut anaphora, epiſtrophe, ſimploce: in diverſo, ut epanodos, epanalepſis: diſsimilium, ut paronomaſia & polyptoton. ſed Quintilianus primum earum genus facit per adjectionem, & figuras enumerat repetitionis feré ſine nominibus, *ἐπίζευξιν, ἐπανάληψιν, ἀναδίπλωσιν, ἐπάνοδον, ἀναφοράν, ἐπιστροφήν, συμπλοκήν*, climacem: ſic enim quidam nominant: confundit inter eas *πολύπτωτον*, quód tamen cõmutationẽ habet, nõ adjectionem: & aſyndeton, quę detractionem habet, non adjectionem: cum tamen & aſyntheton & ei contrariũ polyſynthetón grámaticæ ſint figuræ, nõ rhetoricæ. Cõturbat etiam multa de congerie, quam *μεταβολήν* vocat, & de diſsipatione, de ſynonymia verborum & ſententiarum: quæ figuræ ſpeciem per ſe nullá obtinent. Secundum deinde genus ſequitur, quod detractione fieri Quintilianus dicit: in quo ſpecies quinq; enumerat, *ἔλλειψιν*, quæ metaplaſmus eſt in poëtis magis aliquando permiſſus, quám unquam ulla in oratione laudatus, tãtum abeſt ut figura ſit. Aſyndeton, & *συνεζευγμένον* grammaticæ magis, quám rhetoricę figuræ adduntur. Tum *συνοικείωσις*, & *παραδιαστολή*, quarum illa res contrarias conjungit, hęc ſimiles diſcernit: quod elocutionis nihil eſt omnino, nec ideo figuræ quicquá. Tertium genus triplex additur ex ſimilibus, paribus, contrariis. In primo ſimilium genere, *προσονομασίαν* figurá facit ex eo ſchemate quod antea *πολύπτωτον* appellavit: ut mulier rerũ omniũ imperita, in omnib. rebus inſelix. Hęc enim caſuũ varietas *πολύπτωτον* eſt. *παρονομασίαν* p correctiõe ité hic cõfundit: ut quę lex privatis hominib. lex eſſe

eſſe nõ videatur. Miſcet etiã *ἀντανάκλασιν*, at filius ad patrẽ, Non expecto pater mortem tuam. Et pater contrá filio, Imó rogo expectes: vbi figura nulla eſt, ſed ſarcaſmus ex ambigua verbi ſignificatione. Illic enim expectare ſignificat deſiderare, hic veró præſtolari. Atq; his duobus nominibus *τῆς προσονομασίας καὶ παρονομασίας*, cũ nihil ſignificetur, niſi figura ea in qua verbum paululum immutatum atq; deflexum varia ſignificatione uſurpetur: ut, Non emiſſus, ſed immiſſus: nõ orator, ſed arator: quæ breviter & perſpicué poſſet explicari, cúm, inquam, nihil aliud ſignificetur, hic tamen longiſsima oratio & ineptiſsima ducitur, ut nihil tamẽ novi doceatur. Quatuor deinde ſimilium genera á Quintiliano proponũtur, *πάρισον, ὁμοιοτέλευτον, ὁμοιόπτωτον, ἰσόκωλον*, cúm primum & quartum idem ſit, & utrunq; fiat é paribus mẽbris, nec quicquam differát. *ὁμοιοτέλευτον* etiã falſó putat Quintilianus eſſe in his exemplis, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, niſi forté in duobus poſtremis membris, & homoioteleuton omnes verborum figuras complectitur. Hoc enim ſolo placent, quod ſimiliter verba reſonent. Poſtremá é figuris verborum facit *ἀντίθετον*, in eoq; fallitur: argumentum enim figura nõ eſt, *ἀντίθετον* autem é diſſentaneis vel é diſsimilibus argumentum eſt: non igitur figura. Colligit Quintilianus ad extremũ omnes rhetorũ ineptias & nugas, ne credo parte aliqua inſtitutionis rhetoricę diligentiam Quintiliani potiús, quám prudentiam requireremus. Separat tandem Quintilianus á figuris compoſitionẽ, ſed ineleganter admodum & inconſiderate. Quid enim eſt figura Quintiliane? Conformatio (ais) elocutionis remota á vulgari conſuetudine. At inquam, compoſitio & numerus eſt elocutionis conformatio remota á vulgari conſuetudine. Mirabile veró rhetoris hujus ingeniũ eſt: præcepturus enim de compoſitione Quintilianus non definit initió, deinde non dividit, ſed longiſsimo exordio utitur & verboſiſsimo, ubi ratio doctrinæ nulla eſt, quemadmodum antea fecit in capite de ornatu. Exordio tandem concluſo ſequitur cõpoſitionis doctrina, in qua tres primúm diviſiones ineptiſsimæ collocantur: prima eſt orationis in vinctam & ſolutam. Quid enim Quintilianus? Recipit ſe de virtutibus elocutionis præcepta poſiturum, & hic tamen ex compoſitione virtutis & vitii elocutionem diſtribuit, ut alia compoſita ſit, quod eſt laudis & virtutis: alia incõpoſita, quod eſt vituperii atque vitii. Corrigit tamen ſe; & ait in ſermone & epiſtola numeros laxiores potiús eſſe, quám nullos, ut oratio cujuſcũque generis ſit, compoſita eſſe debeat: quod ſané tam verum eſt, quám de reliquo orationis ornatu. Tropi quidẽ ſunt & figuræ in omni oratione, ſed pro rerũ quæ tractantur, & perſonarum quæ docẽtur, ratiõe ornatus augetur, aut minuitur. Secunda diviſio eſt in *κόμματα, κῶλα, περίοδον*: quę diviſio compoſitionis non eſt. Poteſt enim oratio his omnibus partibus eſſe diſtincta, & tamen ineptiſsimé compoſita. Atque tota illa conſideratio grammaticæ eſt, cúm in ſyntaxi grãmatica docendum ſit, quomodo puer orationem interpunctis dividere, et quibus modis diſtinguere debeat. Tertia partitio omniũ ſtultiſsima eſt, qua tribuitur compoſitionis ratio trifariam, in ordinem, juncturã, numerum. Primúm cõpoſitio ipſa & numerus idem plané eſt: ſiquidẽ oratio numeroſa & compoſita eadem eſt, nec ulla eſt compoſita, non numeroſa, ſive cõtrá: et ſi quicquam de reliquis partibus ad cõpoſitionem neceſſariũ dicitur, id ipſum commodiſsimé in numero diceretur. Ordo veró de quo præcipitur hic á Quintiliano, falſus eſt: neq; creſcere debet perpetuó oratio (ut ait Quintilianus) ſed cúm minuendi gradus pares ſint amplificãdi gradibus, quoties extenuanda res erit, toties decreſcat oportet oratio. Eſt & alius naturalis ordo (ait Quintilianus) ut viros & fœminas diem & noctem, ortum & occaſum dicas potiús quám retrorſum. Veruntamen ſiquid ordinis iſta dignitas, ut plerunque obſervanda eſt, certé de rebus ipſis, non de verborum ordine obſervanda eſt. At plerunque tempus quod ſequimur contra eſt. Fratres gemini dicendum (ait Quintilianus) non gemini fratres. At Livius (cujus lacteum candorem tantopere hic ipſe magiſter admiratur) primo libro ait, Geminos fratres, & tergeminos fratres. Dies & noctes dicendũ, ait Quintilianus: at in Bruto Cicero dicit, At veró hoc tempore omni noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione verſabar. Tam prolixa veró de ordine partium

orationis

orationis altercatio valde ridicula & inepta eſt, qualis eſt in jūctura de hiatu vocalium, & aſperitate conſonantium: ubi valde mirāda eſt Quintiliani negligentiáne an ignorātia neſcio. De vitiis diſſerit, quæ de vocalibus & conſonantibus in cōpoſitione poſſunt accidere de virtutibus, quæ ſunt huic neceſſarió exprimendæ, verbū nullum facit. Ex literarum enim naturali bonitate magis, quám ex temporum in ſyllabis dimenſione omnis ſingulerū dictionum & gravitas, & jucunditas, & ſplēdor, & obſcuritas, & magnificētia, & ſubtilitas, atq; omnino omnis numeri virtus oritur. Nec ſatis eſt monere, qui pedes numerum ſuaviter inſtituant, qui cōcludāt. Multum enim intereſt quæ ſint in pedib. longæ aut breves vocales. Longæ fuerint prima, & tertia vocales, an nihil intereſſe inter utriuſq; ſonos arbitramur? an nihil acceſsionis fieri ad vocalium ſonos ex cōſonantium cōjunctione judicamus? Imó veró poteſt numerus alius alio vel gratior, vel ingratior eſſe, nec iſta per ſyllabas diſtinctio temporum, ſed vocalitas, ſed *εὐφωνία* numerum efficiet. De tertio tandē cōpoſitionis membro, quod tradit Quintilianus, quomodo rhythmum dividit? Rhythmus (ait) par eſt, ut dactylus: aut ſexcuplex, ut pæan: aut duplex, ut iambus. Primúm qd utilitatis habet iſta partitio, etiam ſi vera ſit? quæ pars deinde compoſitionis, quæ ratio doctrinæ refertur ad iſtam parium, ſexquiplicium, duplicium comparationē? nulla omnino. Deinde veró quám eſt ridiculum & inſipidū ſic partitionem informari, ut plures partes relinquas, quám complectare? At majorum rerum cum minoribus collatio quinq; differētias habet: *πολλαπλάσιον*, unde duplex eſt ratio: *ἐπιμόριον*, unde ſexquiplex:, *ἐπιμερῆ*, *πολλαπλασιεπιμόριον*, *πολλαπλασιεπιμερῆ*: de quibus tribus poſtremis generibus nihil hic attingit Quintilianus, et primi generis unam tantúm attingit, cúm ſit ejuſdem generis amphibrachys é brevi, longa, brevi: habet enim rationem multiplicem triplam, & dochimus, cujus poſtea Quintilianus meminit é brevi, duabus longis, brevi, longa, ſi medio ſpatio dividatur, rationem efficiet *ἐπιμερῆ*. Quare tota iſta partitio explodēda plané eſt, & ad Ariſtotelis (á quo videtur Ciceroni & Quintiliano reperta) ſophiſticas argutias referenda. Verúm perge: ſingulares ſunt deinde metri & rhythmi differētiæ, quas Quintilianus inſtituit. Metrum, inquit, conſtat ordine, rhythmus ſpatio temporum: ideoque hic qualitatis eſt, illud quantitatis: quaſi veró nullus ſit ordo in proſa oratione, & non interſit plurimúm longæ'ne, an breves ſequantur. Secunda differentia primæ ſapientia par eſt. In rhythmo indifferens eſt (ait Quintilianus) dactylus ne ille priores habeat breves, an ſequentes: in verſu pro dactylo poni non poterit anapæſtus aut ſpondæus. Quid ergo Quintiliane? ſi nullus eſt in oratione ordo ſyllabarum longarum & brevium, nec refert an tres ſyllabę (quarum una longa ſit, duæ breves ſint) faciant anapæſtum, an dactylum, quid eſt quod poſtea tam multa de ordine longarum & brevium in pedum coniunctionibus commentaris? quorſum tot obſeruationes tuæ, ſi nihil intereſt, præcedant breves an longæ? Aliæ duabus his differentiis ſequūtur ſimiles differentię, quód metrum ſit in verbis, rhythmus in corporis motu: quaſi veró verſus ille,

Sic fatur lachrymans, claßiq; immittit habenas,

potiús in ſingulis verbis, quám in univerſo ſex pedum numero concludatur. O doctorem doctrinæ, quam profiteris, experté. Verúm tot ineptias omittamus, & cætera conſideremus. Vitaveris in ſoluta oratione carmen perfectum, & initio orationis initium carminis, & in fine, finem: ex omnibus & omnium generum ſyllabis, ſed variatis & moderatis orationem componere licebit. At Quintilianus Ariſtotelem & Ciceronem ſequutus, vaniſsimas artes nobis explicavit. Pedes diſſyllabi ſunt quatuor, triſyllabi ſunt octo. Quid tum? Ex his ſpecies numerorum quadraginta Quintilianus efficit, verúm quám ridiculé atque inepté? Nam in hac obſeruatione non ſolúm eundem numerum modis pluribus inutiliter obſervavit, ſed ſibiipſi plerunque repugnauit. Nā ſi per quatuor extremas ſyllabas, quod Quintilianus etiam hic interdum facit, numerum diſtinxeris, & ultimam pro indifferenti (quod eidem etiam placuit) ſumpſeris, certé omnes Quintiliani obſeruationes tam variæ ad octo redibunt, atque aliis aliæ repugnabunt. Affirmat Quintilianus numerum ex pęane primo & ſpondæo vitioſum eſſe in clauſula, ut, Brute dubitavi. At eūdem mutata obſer-

vationis ſpecie laudat. Aecipiet (ait) ante ſe choreus & pyrrhichiū, ut, Omnea propé cives virtute, gloria, dignitate ſuperabat. Sex enim poſtemæ ſyllabæ in utroque exemplo parem numerum babent, cúm ſit ultima Quintiliano indifferens. Duo ſpondæi (ait Quintilianus) non feré conjungi patiuntur, quod tamen Cicero in Craſſo probavit, & Quintilianua ipſe in tribus aliis obſervationibus laudavit, moloſſus & palimbacchius optimé claudūt. At ultima indifferenti trea ſpondæi hic conjunguntur, ut patet etiā Quintiliani exēplo, Et ſpinis reſperſum. Optimé claudit (ait idem) bacchiua & palimbacchius, ſpondæus & choreus. At ultima indifferenti poſita, ſpondæi item duo poſtremi ſunt. Tanta caligo rhetoris hujus menti offuſa eſt, ut non modó nugatorié ſæpiua idem repetat inutiliter, iteretq;, ſed ſibiipſi contraria repugnantiaq; dicat: ita ſine dialectico ſyllogiſmo, ſine judicio his in rebua verſatur. Longiſsima reliquo capite oratio conſumitur, quia modus cōpoſitionis ſit, quomodo ejua judiciū pené naturale totū ſit, quod verum eſt: tū de inciſorum, membrorum, periodorum, hiſtoriæ, exordii, narrationis, confirmationis, epilogi compoſitione, quod eſt ſané perridiculū, primū formę iſtæ & interpunctionea orationis ſunt grammaticæ: & noa eo redegimua. Definitur á Quintiliano inciſum, ſenſus non expleto numero concluſus, quaſi veró inciſi ratio pēdeat ex numero, ot ſi numerus expleatur, aut non expleatur, idcirco inciſum eſſe, aut non eſſe neceſſe ſit, & in inciſis nō poſsit non plenus eſſe numerus, nec tamen inciſa eſſe deſinant. Citat Quintilianus á Cicerone exempla, & cū eo errat, Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. Verúm ego hic mēbra quatuor video, non inciſa quatuor. Simili errore in membrorum & periodorum doctrina vagatur Quintilianus, nec ex ejus oratione ſciri poteſt, quid horum quicquam ſit. Atque in his orationis formis, ſicut in compoſitionis partibua tam multa quæ fabulatur Quintilianus, nullā doctrinæ rhetoricæ partem babent, totū id eſt, ut jam dixi, grammaticum. Quamobrem videmus in capitis hujus tā prolixa confuſione quám multa Quintilianus peccaverit: exordium libri inſtar ſine arte, definitio hujus artificii nulla, partitiones ridiculæ & vitioſæ: numeri poëtici & oratorii, ineptæ differentiæ, numerorum obſervationes confuſiſsimæ & incertiſsimæ ſine certa argumēti ullius ſcientia, ſine ulla ſyllogiſmi prudentia meræ feré ac perpetuæ nugæ.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XVIII. IN Quintiliani librum decimum.

DEcimus liber deſcriptæ artis éxercitationem quādam demonſtrat. Primo autem capite longiſsimo illo quidem, eloquentię babitum, id eſt ἕξιν parari legēdo, ſcribendo, dicendo præcipit Quintilianus. De legendo itaque totum primū caput eſt, de ſcribendo quatuor proxima, de dicendo reliqua duo. Atque primo illo capite diſputat Quintilianus, tametſi orator veras cauſſas agendo eloquentiæ candidatum excitare multum poteſt, ſcriptæ tamen orationia lectionem certioris eſſe judicii & majoris fructus. Quemadmodom Cicero cúm decē annos perpetuos (ut ex ſcriptis ejus obſervavi) quotidie in foro, in curia, in roſtris oratores audivit, legit etiam interim ſcriptas oratorū varias orationes. Quintilianus igitur exiſtimat lectionē ejuſmodi, qoám auditionē, utiliorem eſſe. At vebemēter hic ab eo diſſentio. Rhetoricæ enim ſicut & dialecticæ & cujuſvis exercendæ artis ratio duplex omnino eſt, ἀνάλυσις & γένεσις. Primū enim eſt, ut artis uſum in propoſitis exēplis cernamus, deinde ſimilia his effingamus. Ut igitur præcepta artis melius cognoſcuntur audiendo diligente & erudito doctore, quám ejus legendo libro: ſic uſus præceptorū primúm melius audiendo, quám legendo exercetur. Recens eſt et infirma artia cognitio, quę facilius multó alio ducente, & viam indicante ſequitur, quám per ſe progreditur: multa & tropoum & figurarū & omnia elocutionis exempla rudis & novitius diſcipulus dicente Cicerone perſpiciam ſubitó & admirabor, quæ in ſcriptis ejus orationibua vix multa obſervatione tandem deprehenderem. Neque tamen in veris cauſſis

duntaxat

duntaxat oratores ad hanc exercitationem audiri jubeo, ſed magiſtros orantes in ſchola ſuis exemplis hic præire volo, ut non ſolùm diſcipulis bene dicendi artem ex pictis præceptis oſtendant, ſed multó magis uſum vivis exemplis aperiant: quod idem feré pauló póſt in imitatione Quintilianus docet, Da mihi rhetorem non ſolúm docendi, ſed etiam dicendi peritum; Da Ciceronem qui Cælio, qui Dolabellæ, qui Hircio, qui Panſę, qui Craſſo, qui multis aliis fuit, an non rudé eloquentiæ diſcipulum melius audientem docebit, quám ejus orationes docerent? Hæc igitur ſcholaſtica auditio prima ſit, deinde omnibus locis oratores omnes audiantur. At in lectione firmius judicium eſt (ait Quintilianus) Credo ſcilicet diſcipuli judicium firmius eſſe ſolúm, quám ſi judicio præceptoris confirmatum fuerit. Pudet diſſentire (ait Quintilianus.) Quaſi veró diſcipulus iſte noſter in eloquentiæ ſtudiis exercendus ad oratorem audiendum judex rhetoricæ ignarus non peritus obſervator acceſſerit, & Colotes Teius cúm Thimantis tabulam ſpectaret (qua pictor hic viderat cum immolanda Iphigenia, triſtis Calchas eſſet, mœſtior Ulyſſes, mœreret Menelaus, obvolvẽdum caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctũ penicillo non poſſet imitari) tum, inquã, in hac tam miſerabili & lamentabili pictura Colotes lachrymis oculos complerit, non in omnes artificii rationes animũ potiús intenderit. Alia docti contemplatoris & ſapiẽtis obſervatoris perſona eſt, alia improvidi, nec artem animadvertentis auditoris. Quamobrem primúm fuerit eloquentiæ diſcipulus, auditor & diſertorum magiſtrorum & eloquentium oratorum: deinde lector: & ut in audiendo, ſic in legendo obſervabit omnes artis ſuæ laudes in tropis & figuris. Hoc Quintilianus non monet. In commemorandis autem rhetoribus quos eloquentiæ diſcipulo legendos putat, relabitur ad errorem primi & ſecundi libri, poëtas primúm, deinde hiſtoricos, oratores tãdem proponit, atque ita nobis analyſin deſcribit. Deinceps accedit ad geneſin, ſecundam exercitationis partem, ut imitando vel per nos ipſos aliquid conando ſcribamus & dicamus. Secundo igitur capite laudat Quintilianus imitationem, nec tamen ſatis eſſe putat: ſed conandum aliquid ſupra eos, quos imitamur: in quo libenter aſſentior, niſi quód non imitabilem inventionem exiſtimat, in hoc enim graviter errat. Ex omnibus enim dialecticæ & rhetoricæ partibus nullam facilius eſt imitari, quám inventionem, quia nullum eſt argumenti genus non notatum & deſcriptum: nullius forma eſt argumẽti, cujus ſimile nullum poſſit in alia cauſa reperiri. Duo (ait) imitationi eſſe propoſita, quos imitemur, quid imitemur: hoc etiam concedo. Multa miſcet hic de decoro inepté: de hoc enim nihil adhuc præcepit, nec in rhetoricis elocutionis vel actionis præceptis quicquam eſt tradendum. Hoc enim ſi cujuſquam artis eſt, dialecticæ prudentiæ eſt magno uſu rerum confirmatæ, non rhetoricæ. Plures imitandos, non unum Quintilianus exiſtimat: id etiam libenter accipio, ut potiús multorũ virtutes, quám vel unius etiam vitia conſectemur, modó tamen in optimis quibuſq; confirmatus prius fueris. Tertio capite præcipit Quintilianus quám diligẽtiſsimé, & quamplurimum ſcribendum eſſe, ut bene potiús quám citó ſcribatur, tandem veró celeritas uſu & conſuetudine comparetur. Quod ex parte quidem, non totum verum eſt. Volo enim ut Cicero, ut Quintilianus etiam libri ſecundi capite quarto vult, ſe efferat in adoleſcente fœcũditas, ut ſit quod amputari poſsit. Non enim poteſt in eo ſuccus eſſe diuturnus, quod nimis celeriter maturitatem eſt aſſecutum. Quanquam reprehendit Quintilianus ipſe deinde in ſcribendo nimiam & diligentiam & negligentiam. Reliquum caput de loco, de cæris, ubi ſcribatur, ſicuti caput proximũ de emendatione nihil admodum præcepto ullo dignum habet. Quinto capite tractatur feré idem argumentum, quòd ſcriptio convertendis in ſermonem Latinum Græcis commodé adhibeatur. Quę ſané exercitatio rudi & novitio eloquentiæ Latinæ diſcipulo non convenit, qui verborum copiam nondum pararit, ut ea Græcam eloquentiam Latiné reddat. Probat etiam Quintilianus eandem ex Latinis converſionem, præſertim de carminibus, quia res una dici pluribus modis poſsit. In quo etſi meritó á Cicerone diſſentit Quintilianus (Cicero enim hãc exercitationem in primo de Oratore, ar-

gumento leviſsimo tollit) attamen hæc exercitatio non niſi confirmato já & corrobotato & copia elocutionis inſtructo ſtylo prodeſſe poterit, & in eodem vitio cum ſuperiore fuerit. Reliqua de theſi & declamationib. ſimilia ſunt, qualia ſunt toto capite ſeptimo, quód extemporalis dicēdi facultas paretur arte, exercitatione, nihil habent novi præcepti, ſed iuané ſoquacitatem. Quamobrem de exercitatione libro decimo ita præcipitur, ut de artis ipſius partibus eſt præceptum, nihil perſpicué definitum, nihil acuté partitū, nihil ad verum uſum congruenter expoſitum eſt, nullum deniq; dialecticum vel conſilium vel judicium eſt adhibitum.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XIX. IN Quintiliani librum undecimnm.

VNdecimo libro de decoto, memoria, pronūtiatione præcipitur, & in ſingulis rebue capitá ſingula cōſumuntur. Primo itaque capite longiſsimus ſermo de apté diceudo conſumitur, ſed hoc totum decori tàm prolixum præceptum valde in rhetoricis præceptis eſt indecorum. Videre enim quid deceát omnino omnib. In rebus, ſi qua poſsit ars proprié explicare, dialectica certé fuerit, quæ leges omnium rerum communes, & maximé generales oſtendit in argumento, euuutiato, ſyllogiſmo, methodo, quid conveniat in omni re atq; cauſſa, quid veré deceat, quid non deceat. Attamen quamvis id generatim in dialectica præcipitur, id etiam privatim & ſingulatim ex aliis artibus ſingulis intelligitur. Decorum in ſermonis puritate & elegantia ex grammatica, in elocutione & actioue ex rhetorica, in numerorum ſupputatioue & magnitudinum diviſione, ex arithmetica & geometria, in ſtirpibus & plantis atque auimalibus ex phyſica: in virturibus & moribus ex ethica philoſophia: in ædificiis, in agris ex architectura & agricultura: in omnibus & dictis & factis, in omnibus rerum quotidiauarum & uulla arte comprehenſarum conſiliis ex humana earum terum prudentia: denique in omnibus rebus quid decorum ſit, cognitio ipſa atq; ſcientia & uſus declarabit. Nec tamen ſeparatum de decoro & diſtinctum ullum præceptum erit, quia decorum ipſum conveniens ea perfectio eſt, quam artes ſuis præceptis, quam ipſa humanitatis ratio & ſapientria demonſtrat. In rebus veró nulla arte ſingulari comprehenſis, communes ingenii & naturæ dotes, quas dialectica interpretatur, excirandæ & adhibendæ erunt: uſus item, mores, exempla admouebunt. Quare quod tam laté pateat, ridiculum ſané eſt rhetoricæ veluti proprium ſubjicete. Secūdo capite Quintilianus accumulat omnes ineptias de locis & imaginibus ad memoriam conformaudum: quas ipſas meritó deridet, & ſuas uugas Carneadem, Metrodorum, Simonidem earum inventores habere jubet, ſimpliciora & meliora putat eſſe diviſionem & compoſitionem cum labore & exercitatione cōjunctam: quod ſané maximé in Quintiliano láudo & probo: ac ſi diviſionis artem & ordinis proponeret, multó magis etiam laudarem & probarem: tum enim memoriæ artem nobis explicaret. Ars memoriæ (ait) tota poſita eſt in diviſione & compoſitione. Quæramus igitur quæ ſit ars ordinis, quæ ſit ars, quæ res dividat & componat, tum memoriæ artem inveniemus. Eſt autem in dialecticis, enuntiarionis, ſyllogiſmi, & methodi præceptis tota hæc ordinis doctrina diligenter in noſtræ dialecticæ præceptis expoſita. Vera igitur illic memoriæ ars & dialecticæ propria omnino eſt. Itaque Quintilianus in iſto capite res alienas quidem, & plerumque etiam ridiculas tradit, ſed tamen vero propiores, quám adhuc permultas tradidit. Cujuſmodi caput de pronunriarione multis quidem præcepris utilibus refertum, ſed totidem nugis onetatum, ut ineptiæ facilé neceſſarias iuſtitutiones ſuperent. Vana ſiquidem curioſitas eſt in tam multis & vocis & geſtus ſectionibus, in voce qualem habeas, quomodo utare. Hęc partitio enim artium eſt communis, in natura ſpectatur (ait) & quantitas & qualiras. Id item eſt commune: nullius enim rei natura eſt, ubi non poſsit utrumque conſiderari: in uſu autem longé alieniora colliguntur, de impedimentis vocis: ſed ſingularia partitio vocis eadem quæ elocutionis,

ut emen-

ut emendata, dilucida, ornata apta: in tertio eſt aliquid proprium, cætera aliena. In vitiis vocis multus eſt & odioſius Quintilianus, quibus oppoſitæ virtutes tantum in arte fuerant exponendæ.

P. RAMI SCHOLARUM RHETORICARUM LIBER XX. IN Quintiliani librum duodecimum.

PAuca nobis de ſuperiore libro dicta ſunt, hic etiam pauciora dicenda ſunt. Nam de duodecimo libro prima illa initio á nobis diſputata ſunt, quód orator ſit vir bonus, & quòd philoſophus, iureconſultus, hiſtoricus: proxima autem quæ primúm ſint agendæ cauſſæ, & quid in his & ſuſcipiendis, & diſcendis, & agendis ſit obſervandum: itemque poſtquam á foro diſceſſeris, quibus rebus otium ſit oblectandum, non unius artis rhetoricæ decreta, ſed ejus advocati (quẽ nunc vulgo dicimus) ſtudia quædam demonſtrant. Et longiſsimum caput de generibus dicendi, rhetoricæ elocutionis proprium nil habet. Nec enim diſtinctio gravitatis, humilitatis, mediocritatis in oratione ſumitur ex verbis tantúm, ſed ex rebus ipſis; ut hæc partitio ſit communis inventionis cum elocutione. Quamobrem ſi lubet quinque poſtremorum librorum ſubductis rebus omnibus conſiderare, quæ deſcriptio doctrinæ fuerit, ut non liceat idem dicere, quod de ſuperioribus inventionis & diſpoſitionis libris anté dictum eſt, certé veré confirmari poterit multis & inanibus præceptis artem rhetoricam in elocutione & actione obſcurari, & longé majorem inanis oſtentationis & pompæ ſpeciem, quám veræ & ſolidæ doctrinæ fructum demonſtrari.

FINIS.

P. RAMI PRIMVS LIBER SCHOLARUM DIALECTICARUM, DE LOGICAE AVTHORIBVS.

CAP. I. DE LOGICA *primorum patrum.*

DE Dialecticæ artis veritate ac utilitate, in Dialectica dictũ eſt: de Dialecticorũ invẽtis, & decretis dicamus & doceamus quẽadmodũ oẽs eorũ catholicaa artis hujus regulas cõprehẽdimus, Ariſtoteleaq; methodo collocavimus: cauſſam deniq; rã multorũ á nobis omiſſorum, ſuis locis afferamus. Quæ diſputario tam mulras nobis turbas excitavit, ut non immerito numen hic invocandum ſit. Ergo ut recté atq; ex ordine progrediamur, Deum Opt. Max. ducẽ aurhoremq; propitium conſiliia noſtris precemur: divina ſiquidem ope, multó magis rea honeſtæ atque laudabilea, quám ratione conſilioq; hominum gerunrur. Abs te igitur

——O qui res hominumq; Deumq;,
Aeternis regis imperiis, & fulmine terres,

pacem ac veniam peto, precorq; ut nos in hac contentione á vero rectoq; aberrare non ſinas, ſed hujus tantæ diſciplinæ propriũ ac naturale lumẽ, ad decua & laudem immenſæ bonitatia ac magnitudinis tuæ (qui ut optimus & maximua es, ſic merito appellaris) dedltis tibi mentibus atq; animis oſtẽdas. Nunc quoniam debita inſtituto noſtro vota ſecimus, ad rem veniamus. Viginti libris iſtam quæſtiouem complectemur, quorũ primus, logicorum philoſophorum hiſtoriam habebit: ſecundus, primorum logicæ principiorum aſſertionẽ: reliqui deincepa ſingulis Organi libris octodecim reſpoudebũt. De logicis itaq; philoſophis primúm dicemus, unde uariarum partium varios invẽtores agnoſcemus: ut ſi magna quædam & ampla nobia hæreditas cernenda ſit, parentum á quibus relicta ſit, nomina libenter audiamus, tabulas cupidé legamus, dignitatemq; hæreditatis ac præſtãtiam avidé percipiamus. Ergo cúm logicæ artis hęreditaa tanra tamque copioſa nobis adeunda ſit, eorum parentũ, á quibus deſcripta poſteris eſt, nominá, ſtudia, inſtrumenta, monimenra, antiquirstem denique et nobilitatem cognoſcamus, & exploremus verum ſit, nécne, quod Ariſtotelea de ſe nobia perſuadere voluit, cúm ſe primum logicæ inventorem prædicauit: ait enim in peroratione Organi logici, anre ſe Rhetorica multa documẽta extitiſſe: huius operia non hoc quidẽ fuiſſe, illud autem nõ fuiſſe, ſed omnino nihil fuiſſe. Ergo de logicia philoſophis dicamus ea, quæ é Platonia & Ariſtotelia libris, eq; philoſophorum ipſorum apud Laërtium vitis, & é Galeni libris comperimus. Philoſophi quidem omnes logici fuerũt, nec enim ſine logica hominea, eſſent: ſed logica illa naturalis eſſe tantúm poruit, de artificioſis logicis dicere inſtituimus, quiq; de hac arte aliquid prę ceperint. Scholas igitur logicas omnea perluſtremua, quæ numero quatuor inſignes oſtendentur, divina, mathematica, phyſica, politica. Prima eſt Hebræorum á Prometheo. Omniũ certé antiquiſsimus Logicus Prometheus, artificioſæ methodi author et invẽtor in Philebo Platonis traditur, cúm Socrates docet omnes homiues natura logicos eſſe, ſed naturalem hunc humanæ rationis ardorem temerarium eſſe, niſi conſilio regatur. Nulla veró (ait Socrates) via pulchrior eſt, nec eſſe poteſt, ea, cujus amator ſemper ſui: at frequenter effugiens, me ſolum & ſolicitum deſtituit. Pro. Quæ'nam eſt? exponatur modó. So. Quam declarare quidẽ facillimum eſt, adhibere autẽ & uſurpare, difficillimum. Omnia enim quæcunque artibus cõprehẽſa unquam reperta ſunt, per hanc viam plana facta ſunr. Conſidera autem quam dico. Pro. Dic tantúm. So. Donum profectó deorum, ut mihi quidã videtur, ad homines alicunde ex diis, per Prometheum, uná cũ quodam igne clariſsimo delapſum. Ac priſci quidẽ no-

bis excelſiores, & ad deos propius accedentes, hoc nobis oraculum tradiderũt. Hæc de Prometheo Socrates, & multó pluribus verbis, quibus Prometheum logicæ methodi inventorẽ facit. Prometheus veró poſt diluviũ, anno cõditi mundi circiter 1600. hominem igne illo cœleſti formavit, ut Poëtæ tradunt, eumq́;

Pinxit in effigiem moderantum cuncta deorum:

ut logica methodus iá primis illis temporibus inventa ſit, indeq́; ſit ejus antiquitas nota Nec alienum ſit credere, de logicis artib.us, á primis illis parentibus aliquid præceptum eſſe, quos apud Ioſephũ legimus, de mathematicis diſciplinis accuraté philoſophatos eſſe. Neq; præſtantiſſimas artes, & inveniri & judicio certe ordinari potuiſſe, ſine certa aliqua et invẽtionis & judicii regula. Ergo ſi primi logicæ artis magiſtri requirantur, deos ſcholæ huius magiſtros & principes fuiſſe Plato reſpondebit, eorumq́; internunciũ & interpretem fuiſſe Prometheum, id eſt in ſacris literis Noeum. Hic enim poſt diluviũ generis humani inſtaurator eſt: ut Hebræorũ gloria hæc logica teſtimonio Platonis eſſe videatur. Et ſané Exod 28. cap. quid aliud profitetur illud pectorale in ſacerdotis pectore, non ſolum auro & gemmis, ſed duabus illuſtrib. notis Vrim & Thumim diſtinctum & ornatum? Vrim nempe ſignificat ſplendorem mentis lucemque ad cogitandum & perſpiciendum: Thumim ordinis accurationem & perfectionem ad integré incorrupteq́; judicandum: unde & pectorale ipſum á Moſe, judicii λογεῖον appellatur, tanquã nullis hominum ſophiſmatis inquinata, ſed perfecta & omnibus numeris abſoluta conſiderandi judicandique logica λογεῖον illud eſſet. Itaq; per Vrim & Thumim, veluti perfectas abſolutæ ſapientiæ vias, petita oracula in ſacris literis memorantur. Hanc logicæ tam ſingularẽ laudem Iacobus Scheccius Tubingẽſis academię clariſſimus philoſophus in Moſe nobis indicavit. Veruntamen licet iſta τοῦ λογείου tam magnifica deſcriptio in ſacris literis nulla eſſet, attamen cum mathemata Deo ipſo pené docente Hebræis tradita legeres in Ioſepho, utrũ dubitares facultatem logicam animali ipſi quod Deus logicum feciſſet, divinitus eſſe inſpiratam? Ergo logica in tanto honore apud Hebræos fuit. Itaq; logicæ exercitatio apud Hebræorũ liberos ſingularis fuit, non in ſophiſticis & ſcholaſticis de arte ipſa contentionibus: ſed (ut Euſebius author eſt) in explicatione hiſtoriarum, in canticorũ & poematum compoſitione, in ænigmatum enodatione.

CAP. II. DE LOGICA *Mathematicorum.*

SEd de prima divinaque logica ſcholæ ſatis. Secunda eſt Mathematica, & imprimis Pythagoreorũ. Pythagoras circa ſexageſimã Olympiadem, Italicæ philoſophiæ princeps, mathematicas, phyſicas, medicas artes docuiſſe quidem dicitur, logicas (quod legiſſe meminerim) docuiſſe nõ dicitur: magnumq́; ejuſce rei indicium eſt, de logicis artib. ab eo nil eſſe inſtitutum, quód quinquennij ſilentium diſcipulis ſuis imperarit, & ex omnib. logicæ argumentis, unicum illud expers artis tantũ apud ejus diſcipulos valuerit, *αὐτὸς ἔφα*, ipſe dixit: Ipſe veró, Pythagoras erat. Teſtimonij tamen & authoritatis argumentũ, in Pythagorea ſchola tantopere celebratum inde meminerimus. Atq; hujus ſectæ philoſophi logicas artes per leviter attigerunt. Xenophanes á Parmeniſco et Oreſtade Pythagoreis videtur informatus eſſe. Hujus logicũ nil invenias niſi forté illud putes, quód dixerit acatalepta, incomprehẽſibilia eſſe omnia: unde fortaſsis Pyrrhoneorũ & novorũ Academicorũ error emanarit. Heraclitus, Xenophanis auditor, quamvis ſibi juveni nil cognitum, ſeni nil ignotum fuiſſe diceret, tamen videtur eandem acatalepſiam cõprobaſſe, cũm diceret, Opinio, ſacer eſt morbus, & aſpectus fallitur. Ejus tamen dictũ logicum illud eſt celebre: Multiplex notitia mentem non docet: ſignificans (opinor) non librorũ præceptis & regulis, ſed multó magis uſu & exercitatione ſapientiam in quaq; arte comparari. Quod veriſſimũ eſt, & á Socrate valde comprobatũ. Ejuſdem familiæ fuit Empedocles, Pythagoræ nempe diſcipulus, qui Rhetoricã invenit, ut Ariſtoteles ait in Sophiſtis. Atqui Rhetorica & invẽtio & diſpoſitio, quid aliud eſt quám Logica? Hic etiã philoſophus Gorgiam Rhetorem, multorũ poſtea & philoſophorum & oratorũ doctorem formavit. Quare nomine Rhetoricæ, logica ars ab his tractata eſt. Epicharmus, Pythagoræ auditor, commentaria

reliquit.

reliquit, in quibus non ſolúm res phyſicas et medicas attingit, ſed etiam γραμμολογῶ. ubi fortaſsis logicum aliquid fuit. Parmenides, Xenophanis ac Diochetæ Pythagorei auditor, logicum judicium tum veritatis, tum etiam opinionis, carmine ſuo pereleganter expoſuit,

Oportet veró te omnia cognoſcere.
Partim quidem veritatis ſuaſu facilis accuratam ſententiam,
Partim mortaliũ opiniões: quarũ nõ jã fides vera.

Deinde judicium opinione fieri prohibet, ex accurata veritate fieri admonet:

Ne te Deus ancipitem viam juxta hanc cogat,
Ut judices incõſiderato oculo, et reſonãte auditu,
Et lingua, ſed ratione perpendas ambiguum argumentum.

Atque hunc poëtam, logicæ etiam philoſophiæ magiſtrum fuiſſe, argumẽto eſt Platonis logicus dialogus, nomine Parmenidis inſcriptus, cujus tota diſputatio ad logicam artem attinet. Quinetiam de Pythagoreis, Archytas exiſtimatur á nonnullis Categoriarũ author fuiſſe, quæ hodie ad Ariſtotelem authorem referuntur: & certé Ariſtoteles de Archytea philoſophia cõmentarium conſcripſit. Atq; hæc logica Pythagoreorum fuit, de quibus Ariſtoteles decimo tertio primæ Philoſophiæ ſic ait: Pythagorei priús de paucis quibuſdam quorum definitiones ad numeros accommodabant: ut, quid eſt occaſio, aut juſtitia, aut nuptiæ. Quo loco ſignificat Ariſtoteles Pythagoream logicam, aut nullam omnino, aut perexiguã fuiſſe. Fuit tamen Pythagoreorum logica mathematicis artibus, quas tractabãt, imprimis accurata: illic enim, αὐτὸς ἔφα nunquam auditur, nulla hominis excellentis authoritas pro argumento affertur: nullum fallax commentum, imó nihil opinabile aut veriſimile proponitur: omnia nũquam fallentibus & neceſſarijs rebus addicũtur. Quinetiã Ariſtotelis Aſtronomicę hypotheſes logica Pythagoreorum poſtea ſunt emendatæ: acerrimi denique dialecticæ artis amatores Pythagorei ſemper fuere, locis tamen pleriſq; á methodica via digreſsi, amore illo Socratico, de quo aliás, deſtituti.

CAP. III. DE LOGICA *Phyſicorum.*

SEd de mathematica logica mathematicæ ſcholæ loquẽtur, tertia deinceps ſchola dialecticę Ionica eſt in varios magiſtros ad Socratẽ uſq; diviſa, in quibus phyſici præcipué celebrantur: Zeno Eleates, Parmenidis auditor (opinor qa vel ad veterum artes tantúm adjecit, aut eas diſperſas in unum corpus redegit) logicę artis apud Laërtium octavo & nono libris, teſte Ariſtotele, inventor efficitur. Ac quamvis Zenonis monumẽta omnia perierint, tamen ejus veritatis licet á Platone quiddam agnoſcere, apud quẽ Parmenides ſignificat Socratem in dialectica á Zenone fuiſſe inſtitutũ. Sic veró Parmenides cum Socrate loquitur: Præclara veró ac divina, mihi crede, cupiditas viſa eſt, quæ te ſic ad diſſerendũ & ratiocinandum raperet. Collige veró teipſum, ac diligentiús, dum juvenis es, exerce in hac facultate, quæ videtur inutilis eſſe, & á pleriſq; loquacitas futilis & garrulitas appellatur: alioqui veritatem nõ aſſequere. So. Quis igitur eſt exercitationis hujus modus, ó Parmenides? Par. Quem tu de Zenone audiviſti. Hæc Parmenides: quibus intelligimus in logicis Zenonem Socratis magiſtrum fuiſſe. Zenonis veró logica, Platonis dialogis multa continẽtur: ut in Parmenide, rei qua de agitur, ortum, motum, accidentia, interitum: id eſt, cauſſas, quibus res generatur, et effecta, & adjunctas accidentias, & oppoſita, quibus res corrumpitur & interit. Item comparatorum genera, ſimile, diſsimile, majus, minus, par: item de genere & ſpecie atque ideis plurima ibidem diſputatio eſt: ut in Sophiſta & Politico, de genere rurſus & ſpecie, toto item & parte, itemq; de dividendi & definiendi ratione & lege: his enim duobus dialogis Socrates á Zenone logicis dividendi & definiendi legibus informatur. Ergo Platonis tres dialogi demonſtrant, Socrati Zenonẽ logicæ philoſophiæ doctorem fuiſſe: neq; tamẽ omnia, quamvis diſcipulo, decreta ſua probaviſſe: Socrates enim Zenonis ſententiam de ideis minimé probavit, ut ex eodẽ Parmenide deprehendi poteſt: quod Galenus de placitis Hippocratis & Platonis annotavit: Plato, inquit, inutilem philoſophiæ contemplationem Socrati non attribuit, ſed aliis, ut phyſicam contemplationem Timæo, quemadmodum etiam extra fines egredientem Dialecticam ad Parmenidem, & ſocium ejus Zenonem. Ergo Zeno logicas artes ita docuit; nec

Zenoni, tot annis ante Ariſtotelē philoſopho perſuadeat Ariſtoteles, Ariſtotelē primū artis logicæ inventorem & doctorem fuiſſe. Quin ambitionem ſuam in iſto philoſopho Ariſtoteles mirabiliter arguit. Zeno (ait in Sophiſta) primus logicas artes reperit. Ego (ait in Organo) primus reperi, nec ante me, hujus artis quicquam fuit. Hanc igitur ἀντίφασιν conſideratio. Democritus anno major, quàm Socrates fuit, é cujus libris tametſi nihil ad logicam Laërtius referat, tamen qui videantur ad logicam referri poſſe, quidam ſunt, ſi tituli tamen non fallunt: De logicia regula, 1. 2. 3. Cauſſæ, De dictionibus vel vocibus, ut etiam ſcholæ jam noſtræ loquuntur, onomaſticum: item de verbis, qualia in Porphyrio & Ariſtotelis Categoriis, & Interpretatione, materia tractari videtur. De figuris ſic Ariſtoteles in Philoſophiæ primo & octavo libris ait rerum omnium efficientes cauſſas, á Democrito factas eſſe, figuram, ordinem, ſitum: Ad judicium ſpectantia quædā: ubi potuit eſſe de propoſitionis, ſyllogiſmi, methodi regula quippiam. De imagine ſeu prænotione. Rerū cauſſæ planæ. Qualis doctrina quędā eſt in poſterioribus Analyticis Ariſtotelis. Ariſtoteles autem primo de partib. Animalium ſcribit (cúm agit de cauſis rerum naturalium, materia & forma, atque ex iis definitione conſtituta) veteres talem in rebus phyſicis definitionem neſciſſe. Cauſſa veró fuit (ait) quamobrem veteres ad hunc modū non pervenerint, quia quid eſt, & definitionis eſſentiā explicare non poterant. Ac Democritus primus attigit non veluti rem phyſicæ contemplationi neceſſariam, ſed tanquā ab ipſa re traheretur. Idem feré rurſus in Philoſophia lib. 13. ca. 4. ab Ariſtotele de Democrito dicitur: E Phyſicis paululū Democritus attigit, ac definivit calidum & frigidum. Sic ab Ariſtotele Democriti logica extenuatur, ut Democritus Ariſtoteli diſſerere quidem, ſed ſine arte videatur. Democriti diſcipulus Protagoras, qui σοφία dictus eſt, Rhetoricā (quæ nihil aliud feré quám logica tum fuit) ſumma nominis gloria exercuit: & elenchricam doctrinam præcipué exercuit, ſententiam omittens diſſeruit ad nomen & præſens contentionum genus, quod ſpecie quadam probetur, inſtituit. Primus ad theſes argumenta demonſtravit, & quod contradici nō poſſet diſputavit, & ſcripſit artē Elenchorum & Contradictionum, duobus libris. Ergo Protagoras eam logicæ partē, quæ ab Ariſtotele traditur in Elenchis, aperuit. Logicæ artis nomine magnum Protagoram fuiſſe declarat in Philoſophia Ariſtoteles, qui contra eum tam multa diſſeruit: imó veró Platonis etiam dialogus Protagoras inſcriptus, ejus Elenchos valde nobis oſtendit. Quapropter neque protagoræ videbitur Ariſtoteles primus & ſolus logicæ artis author fuiſſe. Hippocrates medicus horū ætate paulό inferior, & inventionis, & diſpoſitionis partes propoſuit: ſimilitudinē & diſſimilitudinem commendavit: vitia diviſionis in veteribus (ut Galenus ait) ſtudioſé reprehendit: imó veró effectorum, adjunctorum, unà cum methodica & artificioſa diſpoſitionis forma, locum comprehēdit. Quæ cúm á Socrate in Phædro, medici & oratoris inducta collatio eſſet, producuntur. Itaqua (inquit Socrates) quid tandem præcipiat Hippocrates, & vera ratio, cōſidera. An veró de quavis natura ita conſiderandum eſt? Primúm quidem ſimplex'ne an multiplex ſit illud, de quo cupies artem vel diſcere, vel alios docere: deinde ſi ſimplex fuerit, vis ipſius eſt inſpicienda, & quid in quaque re per eum facere, aut quid illi contrá accidere ſoleat. Si veró multas ſpecies habeat, his partibus enumeratis, quod in una notū ſit, hoc idem in ſingulis notandū eſt: quid ipſa faciat, quid illi aliūde rurſus accidat. Phæ. Videtur ô Socrates. Socr. Abſque his autem, diſputatio cæci videatur eſſe progreſsio: nec tamen cęco vel ſurdo, qui arte in re quavis progreditur, comparandus eſt. Ergo hæc de Hippocratis logica Socrates: methodus veró rurſus eadē ab Hippocrate non minús perſpicué ponitur, cúm jubet Hippocrates ex ſimili ſimile dignoſci: utrúm ſimilia an diſsimilia ſint ab initio, á maximis & facillimis, ab uſquequaq; omnino notis, quę videre et audire liceat: quæ etiam naſu & naribus & lingua & mente noſſe liceat, quibus cognoſcimus, omnibusq; cognoſcere liceat. Hæc Hippocratis oratio pulcherrimā logicę diſpoſitionis partē iterū proponit: Ad caput de methodo in dialectica copioſius diſſeruimus: quantum veró logicæ ſtudium in Hippocratis & Hippocraticorum ſchola fuerit, declarāt ſectæ inde

factę,

factę de logica arte aut impenſius per generales pręceptiones expoſita, ut methodicorũ: aut ſimplicius inductionibus, exẽplis, experimentis, comparationibus, ut Empiricorũ. Nec Hippocrati facilé perſuadeat Ariſtoteles, ipſum logicæ artis ignarum fuiſſe; ſeque primũ hic aliquid intellexiſſe. Videmus adhuc quæ ſint á veteribus obſervata logicæ documenta, de inventione, judicio propoſitionis in veritate & opinione: de ſyllogiſmi etiam fortaſſe judicio, ut ἐμπειρικὰ Democriti fuere: de methodo certé & elenchis, ut iam ſine pudore & rubore jactari non poſsit, ante Ariſtotelẽ de logicis artibus omnino nil animadverſum, nil cognitũ fuiſſe.

CAP. IIII. DE LOGICA *Socratis, Pyrrhonis & Epicretici.*

POſtrema ſchola Dialecticę á Socrate & Socraticis πολυτεχνοτέρα fuit. Socrates enim vniverſos unus nõ tantúm ethica, ſed hac logica philoſophia longiſsimé ſuperavit: qui tametſi magiſter in ſchola nũquã fuit, nũquã artis cujuſquã ꝓfeſſor ac doctor videri voluit, imó literã nullam ſcriptam reliquit: é diſcipulorum tamen, atq; imprimis Platonis ſermonibus, ſatis cõſtat omnium philoſophorũ ſuperiorũ non ſolúm natura, ſed arte & uſu λογικώτατον fuiſſe: Galenus initio hiſtoriæ philoſophicæ, Socratem facete videtur non ſolúm ethicæ inventorem, ſed etiam logicę perfectorem, cúm ait: Dialecticam facultatem, qua ducuntur homines, perfecté animadvertit. Etenim Zenonię logicæ documenta omnia non ſolúm tenuit, ſed inutilia ab utilibus diſcrevit, vanamque de ideis altercationem, ut Parmenides Platonis author eſt, iam tum juvenis refutavit: A ſe ipſo autem quám multa logicæ artis adjumenta deprompſerit, é Platonis dialogis potes intelligere. Etenim Dialectica definitur in his, facultas diſſerẽdi: treſque ejus cauſſæ, ſicut omniũ artium, ponuntur, natura, ars, exercitatio: artisq; partes, naturæ & exercitationis communes, inventio diſpoſitioq; dividuntur. Inventionis partium nulla feré non attingitur, de cauſsis, effectis, ſubjectis, adjunctis, diſſentaneis, comparatis, nomine, diviſiõe, definitione, teſtimoniis: diſpoſitionis autem vel judicii in enuntiatione, tum ſciẽtia, tum opinio, quám ſæpe ab eo proponitur? methodus quám ſæpe, quám magnificé ab eo tractatur? Ergo hæc artis: uſum veró logicæ artis quis unquam majorem habuit? quis diſputationis inſtitutæ vel geneſim, vel analyſim pleniús adhibuit? quis logicæ tum virtutes, tum vitia in propoſitis exemplis acutiús deprehendit? Quám mirabiliter veró logicæ uſum non ſolúm in ſingularibus rebus, & in artium omnium non ſolum conſtitutione, ſed ad authorem Deum recognoſcendum, cõverſione docuit. Quinetiam Ariſtoteles alioqui laudis alienæ parciſsimus, attamen Philoſophiæ libro decimo tertio, Socrati logicas laudes duas maximas attribuit, definiendi & dividendi. Iis enim locis duobus, ſi ſpectes uſum, cæteri feré loci continentur. Atque hoc loco Ariſtoteles ambitionem ſuam valde prodit: nihil omnino de logica dictum ante ſe gloriatur: & tamen alibi confitetur á Socrate logicam doctrinam & inductionis & definitionis eſſe traditam. Ergo Socrati, ergo Platoni magiſtris, á quibus hác ipſe artem didicit, nunquam Ariſtoteles perſuaſerit ſe primum logicæ artis inventorem fuiſſe, quod toties repetere & concludere durius putarem, niſi hac falſa Ariſtotelis gloriatione deceptos animadverterem de logicis Ariſtotelis erroribus nõ credere, quia ut Philoponus ait in Poſterioribus veriſimile nõ ſit Ariſtotelem primum logicæ inventorem in logica erraviſſe. Itaq; cũ vel doctiſsimos interpretes ad hunc ſcopulum illiſos videã, de tanto periculo ſolicité monendum. Deinceps ſectæ variæ exortæ ſunt, Socratemq; philoſophi præcipué quinq;, logicis artibus celebres ſunt cõſecuti, Anaxarchus, Ariſtippus, Euclides, Antiſthenes, Plato. Anaxarcho ſatis cõſtat logicam Socraticæ inſciẽtiæ ſcientiam non placuiſſe, cúm diceret, ne ſe id ipſum ſcire, quód nil ſciret. Socrates una exceptiõe ſe nihil ſcire profitebatur; Anaxarchus etiam hác exceptionem ſuſtulit, ſeque in rebus agendis, probabilitatis ſpecie duci, non certa ſcientia moveri dixit. Anaxarchum Pyrrho Elienſis audivit, & hanc ſectam acatalepſiæ & retentionis amplificavit, unde nõ curantia & indifferentia rerum omnium ſequebatur: ejuſq; ſectatores, aporetici, ſceptici, ephectici, zetetici quód dubitarent, conſiderarent, inhiberent, inquirerent, dicti ſunt: quorum proprium, nil affirmando

docere, ſed inficiãdo aut cõparãdo. Atq; ut mirabilis eſt hominũ narura, cùm logicas artes cõvellere velle videantur, ad cõfirmandum tamen inſtitutũ ſuum, id eſt ad omnẽ ſenſus & intellectus certã perceptionem ſcientiamq́;: ad judicium, demõſtrationẽ, diſciplinã tollendũ, ad omniũ, quæ ſentirentur, quæq́; intelligerẽtur, inconprehenſibilitatem confirmandũ, logicis & rarionũ, & teſtimoniorũ probationibus utebantur. Colligebãt enim varias cauſſas, atq; ex contrariis demonſtrare cõnabanrur perſuadentibus æquales probabilirates, æqualiraremq́; & contradictionem rationũ confirmare rationib. ferè decem: primò, quòd ex iiſdem rebus phantaſiæ differenres, proprer animaliũ differentias, inciderent, ut cicutã coturnici alimentũ eſſe, homini venenũ: ſecundò ex diverſis naturis hominũ, ut Demophõ in umbra calefiebat, in ſole rigebat, alius contrà: tertiò ex differentiis ſenſilium, ut malum, aſpectui pallidũ, guſtatui dulce, nec eadem forma pro ſpeculorũ varietate, eadem cernitur: quartò ex cõmuni affectiõe & viciſsitudine, ut ſanitate, morbo, ſomno, vigilia, pueritia, ſenectute: in quibus de re eadem ſit aliud atq; aliud judiciũ: quintò ex legibus & inſtitutis, & ex muſicis perſuaſionibus, & artificioſis decretis, & opinionib. dogmaticis, quibus idẽ aliis bonũ, aliis malum videtur: ſextò de permiſtionibus, & communicarionibus, vt purpuræ color in ſole, luna, lucerna, varius eſt: ſeptimò ex qualitate poſitionũ, ut magna eadem & parva, ſi ſpatio mutentur, apparebunt quadrata, rotũda, plana, tumida, ſic columbę collum variatur: octavò ex qnantitate, ut vinũ modicũ juvat, multum nocet: nono ex inſuetis, ut Sol, quia cernitur quotidie, mirabilis nõ eſt, admiramur autem minùs excellẽtia, ſi nunquã viſa fuerinr: decimò ex relatorum contentione, ut dextrũ, ſiniſtrum, ut parer, filius, ignota verò quæ ad aliquid. Alij modos alios addidere: inexperiẽtiæ, qua res deducitur in infinitum: ſuppoſitionis, qua principia ſtultè ſupponuntur, cùm poſsint contraria ſupponi. Atq; hæc Pyrrhonia logicæ ad evertendam logicam ferè momenra ſunt, ad quam multorum excellentium virorum authoritates aggregantur, Homeri primùm, quoniam de rebus iiſdem aliter aliàs ſentit, nec quicquam definitè docet affirmando: deinde ſeptem Sapientum, quorum illa ſceptica ſunt,

Ne quid nimis. Sponde, propè autem jactura.

Tum Archilochi,

Hominibus mens, Glauce Leptine fili,
Eſt mortalibus, qualem Iuppiter in diem mittit.

Item Euripidis:

Quid verò hos miſeros ſapere
Mortales ajunt? nec enim ſcimus:
Faciamus ea certè quæ quis velit.

Item Xenophanis:

Atqui igitur planè nullus vir novit, neque ullus
unquam ſciet.

Zenonis etiam tollẽntis motũ, & Democriti dicenris: Cauſsã verò nil novimus, in profundo enim veritas eſt. Et Platonis, verum diis & deorum filiis concedentis, probabilitatem tantum perquirẽtis. Et Euripidis:

Quis verò novit, an hoc vivere, ſit mori?
Emori autem, vivere cenſetur mortalibus.

Et empedoclis affirmantis eſſe quædam, quæ neque viſu, neque auditu, neque intellectu percipi poſſent. Poſtremò Heracliti & Hippocratis ſententiæ huc aggregãtur. Hæc Pyrrhoniæ logicæ ſumma fuit, qua ſectatores ejus, probabilitatis judicium ſibi reſervabant, ſcientiæ tollebant, & nnicè commendabanr inhibitionem, quam velut umbra ſeqnebatur tranquillitas: qnalia ferè de nova Academia dicuntur à Cicerone: Arceſilas enim author Academiæ novæ, Pyrrhone imitatus eſſe à Laërtio dicitur. Socraticus igitur logicę magiſter nil aliud quã logicam diſcipulos ſuos dedocuit, talis ingenij perverſitas antea Xenophanem, & nunc Anaxarchum tanquam lycanthropos aliquis invaſerat. Ariſtippus, omneſque Ariſtippi ſectatores Cyrenaici & Epicurei logica narurali contenti, Logicam artificioſam videntur contempſiſſe, tametſi Ariſtippus duodecim de arte logica libros, ut è titulis conjectura eſt, conſcripſit: de exercitatione libros 6: de diſciplina, 1: interrogans, 2. de chriis, 3. Hi ſiquidem tituli logicæ artis videntur eſſe: & fortaſsis etiã plures de hac arte ſcripſerat, quàm tituli ſignificẽt. Et de Cyrenaicis locus eſt apud Laërtium, quod logicam, propter ejus uſum ſummũ attingebant. Et Epicurus ſeptẽ annis natus poſt Platonis obitũ, licet verbo logicã artẽ, ut

inanem

inanem affirmaret, attamen teipſa quandam retinebat. Dialecticam aut Logicá non appellabat, cæterorum philoſophorum more, Canonicam dicebat: & libros argumenti logici multos ſcripſit: horum namq; tituli ſunt, de ſectis, de judicio aut principio, aut canon, aut (tanquam diceres) elementarium: de imaginibus, de viſo. Itaq; veri judiciū referebat ad ſenſus & anticipationes & affectiones. Epicurei præterea adjecere phantaſticas mẽtis cõceptiones. Itaq; etiam menti judicia tribuebant Epicurei, ſed quę á ſenſus obſervationibus & judiciis eſſent orta, ſecundum & incidentiam & proportionem & ſimilitudinem & cõpoſitionem, aliquid etiam ratiocinatione coferente. Atq; anticipationem dicebant veluti comprehẽſionem, aut opinionem rectam, aut cogitationem, aut univerſalem intelligẽtiam inſitam, id eſt memoriam ejus, quod frequenter fieret: & ſic docent ex antecedẽte plepſi res cognoſci, ut Ariſtoteles docet ex antecedente prænotione. Quæſtionum quoq; alias eſſe de rebus, alias circa ſimplicem dictionem verſari: quomodo partitur Ariſtoteles Elenchos. Quare videmus ab his magiſtris, quos tamen cęteri philoſophi tanquá mutas & logicæ rationis expertea pecudes inſectantur, quáto ſtudio, & quám multis voluminibus logica philoſophia tractata ſit. Quapropter Ariſtippo, Ariſtippiq; ſucceſſoribus Ariſtoteles nequaquá perſuaſerit, ſe logicæ artis inventoré & authoré ſolū fuiſſe.

CAP. VII. DE LOGICA
Antiſtheniorum & Stoicorum.

EVclidis veró, Antiſthenis, Platonis ſcholas cū ingreſsi fuerimus, in his miranda philoſophiæ logicæ ſtudia comperiemus, ejuſq; celebritatem, magis ac magis admirabimur. Euclides veró Megaricus, totaq; ejus ſucceſsio & ſecta, logicam imprimis arripuit, ſed Parmenideá illam Zenoniam, nonnihil ſophiſticam, quá idcirco Socrates non probabat, ut de ideis jam dictū eſt: ideoq; ſectatores Euclidis, contentioſi primó ſunt appellati, qui poſtea Dialectici, qui diſputationes interrogatione & reſpóſione conficerẽt: Demonſtrationibus autem inſiſtebat Euclides, non ſecundum ſumptiones, ſed ſecundú illationes: ſimilitudinisq; probationem tollebat, cúm diceret, aut ex ſimilibus, aut ex diſsimilibus cõſtitui: ac ſi cõſtaret ex ſimilibus, potiús res ipſas, quám rerum ſimilia ſpectãda eſſe. Sin autem ex diſsimilibus, inanem eſſe collationẽ. Sic Euclides ſophiſtico enthymemate rationem, quávis illuſtriſsimá & magiſtro Socrati ſimiliariſsimam, reptehẽdebat: Atque ob hanc ſophiſticam Dialecticá, notatus eſt á Timone, velut ſophiſta, quód Megarenſibus rabiem contentionis invexiſſet. Ejus diſcipulus Eubulides, cõ ſimiles Dialecticę modos reperit, mentientẽ, latentem, electram, occultum, ſoritẽ, cornutum, caluum: & conſimili cum doctore nota, procax & petulás appellatus eſt. Fuit enim diſputator acet, & Demoſthenem oratorem ſormavit: ſed diſſenſit ab Ariſtotele, ejusque multa decreta labefactavit. Atq; iſti vix Ariſtoteles perſuaſiſſet logicæ artis Ariſtotelem perfectorem eſſe. Eubulides, Alexinum diſcipulum contentioſiſsimum, ſucceſſorem reliquit. In eadem ſecta fuit Diodorus Cronus, primuſque occultum & cornutum diſputationis genus inveniſſe exiſtimatur. Hic apud Ptolemæum Soterem cúm dialecticam quæſtionem á Stilpone objectá diſſolvere non poſſet, appellatus eſt κρόνος, fatuus: detractis κ & ρ. Quo ſcommate offenſus, de ea quæſtione librum conſcripſit, & eo mœrore mortem objit. Ex eadem ſchola ſuit Clinomachus Thurius, qui primus de axiomatis & categorematis ſcripſit. Stilpo Megarenſis, Zenonia Stoicorum principis magiſter, philoſophus ejuſdem familiæ, quin Euclidia ipſius auditor fuit: tantumq; rationis inventione cæteris præſtitit, ut tota pené Græcia Megaram ad eum audiendum confluxerit: gravis in contentionibus: tollebat ſpecies. Menedemus Platonis atque etiam Stilponis auditor, ejus ſcholæ poſtremus, tollebat axiomata negantia, affirmantia autem conſtituebat: atque ex iis ſimplicia amplectebatur, compoſita tollebat. Heraclides tamen ſcribit Dialecticam contempſiſſe: in diſputationibus autem ita pugnax erat & fortis, ut livor in oculis exprimeretur. Atque hujuſmodi logica Euclidea, de categorematis, axiomatis, ſophiſmatis degeneravit á Socratis logica jam paululúm, ut apparet, & ad ſophiſticam nonnihil inclinavit; fortis tamen ac robuſta fuit, mul-

toque magis logicam, ut apparet, quàm ſophiſticam tenuit. Quaptoptet videmus Euclidem & Euclidis æmulos, Dialecticæ artis inventionem & abſolutionē Ariſtoteli conceſſuros? cúm eos non ſolúm hujus artis ſtudio, ſed etiam nomine ita delectatos videamus, ut Dialectici non ſolúm eſſe, ſed appellari voluerint? Tertia Antiſthenis ſchola ſequitur, in cujus doctrina & ſucceſsione longé majora hujus artis ſtudia viguerunt. Hæc certé ſchola licet durior, ut primó Cynica, deinde Stoica fuerit, logiciſq; & phyſicis artibus ſpretis ſolam ethicā excoluiſſe á nōnullis dicatur: attamen Antiſthenes ipſe, utriuſque ſectæ primus author, Dialecticam valdé celebravit, ad eamque ex ejus libris teferri (ſi quid é titulorum conjectura poſſumus aſſequi) videatur veritas de diſſerendo: item de diſputatione: quibus libris videtur logica tota comprehenſa eſſe. Ad inventionem veró referri videntur, de fide ſeu probatione: item (quaſi diceres) contradictorius: item de contradicendo, 1, 2, 3: item de interrogando: rurſus de interrogatione & teſponſione. Ad judicium enuntiationum potiús attineāt, de dictione & characteribus: de diſciplina aut nominibus, 1, 2, 3, 4, 5: de opinione & ſcientia, 1, 2, 3, 4: de ediſcendo problemata: de expoſitoribus. Ad elenchos magis attineāt, de Sophiſtis aut phyſiognomonicus: de nominum uſu, aut contentioſus: opiniones aut contentioſus. An igitur Ariſtoteli logicas artes ſibi vendicāti, tot artium logicatum magiſter & doctor Antiſthenes, & tot annis ſuperior cō ceſſerit? Diogenes ejus ſucceſſor, licet nullus ejus de logica liber á Laërtio nominetur, attamen quám ſtudioſus ejus fuerit, cōtentiones illæ cúm Platone declarant. Platone ſiquidem de ideis diſſerente, & nominante menſalitatem (ut ita dicam) & cyathitatem: Equidem (inquit) ó Plato, menſam & cyathum video: menſalitatem veró & cyathitatem nequaquā video. Recté (inquit Plato) oculos enim, quibus menſa cyathuſq; conſpicitur, habes: mentem veró, qua menſalitas & cyathitas videtur, non habes. Sic Diogenes Platonis ideas cavillatus eſt, ſed pauló acerbiorem cavillū á Platone retulit. Platone rurſus definiente, Homo, eſt animal bipes, implume: cū placeret ea defenitio, nudatum & deplumem gallum in ejus ſcholam injecit, & ait, Hic Platonis eſt homo. Atque hæc de Cynicis tantula comperimus, Stoici veró é Cynicis orti logicas artes accuratiús excoluerunt, primuſque ſectæ hujus inventor Zeno diligenter cum Philone Dialectico ſeſe exercebat: ac cúm aliquando Dialecticus ei ſeptem de ratione dividendi, dialecticas ſpecies demonſtraſſet, interrogaſſe dicitur, quanti cuperet eas vendere: centum reſpondenti, ducenta dedit. Ac de libris ejus ad logicam videntur ſpectare, de diſciplina Græcanica, de ſignis, univerſalia, de toto, de dictionibus: nominum enim & verbotum doctrinam etiam in logicā veteres incluſerunt, ut apparet ex Ariſtotelis interpretatione: artificioſæ ſolutionis & reprehenſionis, libri duo. Cleanthes, Zenonis diſcipulus logicos libros plures conſcripſit, quám magiſter. Libri ſiquidem minimúm ſexdecim feruntur. E libris ejus namque videtur ii logicum argumentum tractaſſe, de Dialectica, de Categorematis, de ratione, tres: de judicando, de modis, id eſt ſyllogiſmorum figuris, ſic enim Stoici loquebantur: de inſtitutione, de opinione, de ſciētia, de propriis, de ambiguis, de arte, quomodo philoſophi philoſophari debeant, de chriis, de exercitationibus, duo. Sphæreus, Cleanthis auditor fuit, ex cujus libris ad logicam teferri videntur, de arte dialectica libr. 2: de Categorematis, de ratione, de fortuna: hæc enim in cauſsis etiam numeratur: de affectionibus, ſic enim interdū ab Ariſtotele vocantur accidentia: de iis, quibus contradicitur, 3: de ſimilibus, de difinitionibus, de opinione, de exercitationibus, de Heracliti quinque exercitationibus, de ambiguitatibus, de Erethriacis philoſophis, id eſt Pyrrhoniis. Sed omnium non modó Stoicorum, verumetiam logicorum omnino magiſtrorum πολυγραφώτατος Chryſippus Cleanthis ſucceſſor fuit. Libros enim 371 logicos, ut Laërtius affirmat, ac prætetea multos cō ſcripſit: tantumq; ob hanc artem in Græcia nomen habuit, ut pletique dicerent, deos, ſi dialectica uti vellent, non alia, quám Chryſippea uſuros eſſe. Sed tam multiplici ſcriptutæ, valde & judicium & memoria defuit: temeré enim quicquid incidit, accumulauit, totaque volumina plerumque teſtimoniis complevit: vt ſiquis aliena detraxiſſet, vacuos Chry-

ſippi

ſippi libros reliquiſſet? & memoria tam fluxa fuit, ut eadem de re, oblitus quid antea ſcripſiſſet, ſæpiús idem ſcriberet. Tituli veró logicorum Chryſippi voluminum, alii totam logicá comprehendunt, alii partes. Ad totam pertinent logica & philoſophi conſiderationum 1 de Dialectica, 4: ars Dialectica, 1: de his quę in Dialectica ſunt, nominibus, 1: de Rhetorica, 4: prima ars rationum & modorum, 5: ad rationes & modos, conſtructiones, 1. Ad inventionem potiús ſpectant, quę ſequűtur. De continuis problematis, 1: de numeratis quæſtionibus, 39: logici loci theſes: logici loci de rationibus, 3: de ratione, 2: logici loci qui circa res: de elementis rationis, 1: de elementis rationis, & eorű quę dicűtur, 5: de categorematis, 10: de categorematis, 4: de iis quę dicűtur: falſó inſcriptæ ratiőes incidétes ad medietaté, 3: de incidentibus rationibus, 1: ad id, qđ de conſequentibus eſt, 1: de eo, quod ad alia dicitur, 1: de contrariis, 2: de contrariis, 1: de iis quæ ſecundum privationem dicuntur, 2: adverſus exiſtimãtes & falſa & vera eſſe, 1: de ſimilitudinibus, 2: de ſimilibus, 3: diviſiones, 1: de diviſionibus, 1: de ſpeciebus & generibus, 2: probabilia adverſus diviſiones & genera & ſpecies: adverſus eos qui non dividunt, 2: adverſus contradicta iis, quæ de ſectione infinitorum, 3: demonſtratio, quód non oporteat dividere infinita, 1: de definitionibus, 7: etymologicorum, 5: logici loci circa dictiones & eandem rationé conſtructio prima: de etymologicis, 7: definitionum dialecticarum, 6: definitionum mediatarum, 2: probabilia ad definitiones, 2: de his, quæ non recté definitionibus eő tradicűtur, 7. Ad propoſitionis judicium videntur hæc ſpectare: de rogitationibus, 2: de conſtructione eorum quæ dicűtur, 4: de conſtructione & elementis eorum quæ dicuntur, 3: de eo, quomodo ſingula dicimus & cogitamus, 1: falſó inſcripta de expoſitionibus, 1: de axiomatis, 1: de expoſitionibus, 1: de dictionibus, 5: dictio, 1: ad id, quod eſt de ſignificatiőibus, 1: de rectis & obliquis, 1: de caſibus, 1: de copulis, 1: de appellativis, 2: de negante, 2: de enuntiatis, 3: de gentilibus enuntiatis, 6: de conjuncto, 1, 2: de non compoſitis propoſitionibus, 1: logica connexa: connexorum probabilium, 4: de reciprocis orationibus & conjunctis, 1: comparatio modificatarum propoſitionum, 1: de enuntiatis definitis ſecundum ſubjectum, 1: de orationibus ex infinito & finito, 2: rationes hypotheticæ in leges, 1: rationes hypotheticæ præceptorum, 2: de hypotheſibus, 3: rationes hypotheticę ad rudimentum, 2: de vero diſtincto, 4: de perfectis axiomatis, 2: de reſponſione, 4: Epitome de reſponſionibus, 1: interrogationis, 2: de interrogatione & reſponſione epitome, 1: de interrogationibus, 2: de reſponſione, 4: de præceptis, 2: de comprehenſione, & ſcientia & inſcientia, 4: de primis & indemonſtrabilibus ſyllogiſmis. Quód approbent veteres Dialecticam cum demonſtrationibus, 2: de arte & non arte, 4: de communibus rationibus ſecűdum conſtitutas ex hoc artes & virtutes: de opinatione, 3: demonſtratio, quód non ſit opinaturus ſapiens, 1: probabiles ſumptiones, 3: de poſsibilibus, 4: ad ea, quibus contradicitur, quód eadem ratio & ſyllogiſtico & non ſyllogiſtico diſponatur modo, 2: de eo, quòd ordinetur eadem ratio in pluribus modis, 1: de eo, quod eſt propter tria é converſo, 1: de eo, quód ſyllogiſtica partim cujuſdá cum alio, partim cum aliis, 1: de concludentibus rationibus, 1: modificatæ quæſtiones, 1: adverſus id, quod ſcripſit Philo de modis, 1: adverſus ea, quæ de rationibus & modis, 1: de modorum conſtitutione, 2: eorum quæ ad rudimentum modorum, 3: de cőcluſionibus, 1: de ſyllogiſmorum elementis, 1. Ad elenchos & exercitationem iſta referéda ſunt. De uſu rationis: de ſimulatione, 2: de ſophiſmatis, 2: de fallacibus argumětis, 2: de ratione ad parvum, 2: de iis, quæ dialecticis objiciuntur, 3: adverſus Arceſilæ parvam artem, 1: ſolutio ſecundum veteres, 1: de conſuetudine, 7: orationes præter cőſuetudinem, 1: contra conſuetudinem, 6: de eo, quód quædam ſunt falſa, 1: de falſi ſolutione, 3: de rudimento ad mentientem: de mentiente, 6: rationes mentientes ad rudimẽtum, 1: adverſus eos, qui partitione diſſolvunt falſam rationem, 2: adverſus affirmantes, ſumptiones habere falſam mentientem rationem, 1: de utidis ratione, 1: de utide, 8: de occulto, 1: de combuſto, 2: de ſolœciſmum facientibus rationibus, 1: de præceptis ad ſolœciſmos, 1: rationes negantes ad exercitationem, 1: ſolutio hypotheticorum: ſolutio hypothetico-

thericorum, 3: ſolutio hypotheticorum, 2: falſò inſcripta adverſus Amenii disjunctivas rationes, 1: de tropicis ambiguitatibus, 1: de inæqualitate dictionum, 4: de connexa tropica ambiguitate iſagogica, 5: epirome ambiguitatum, 1: de ambiguitatibus, 4: connexa ad inſtitutionem ambiguitatum, 2: de controverſia dialecticis rationibus, 5: de ſoritarum rationibus ad voces, 5: rationes ſyllogiſticæ ſecundũ ſolutionem in indemõſtrabilibus, 1: de iis, quæ circa falſas figuras ſyllogiſmorum, 5: ad ea, quæ objiciuntur ſyllogiſmorũ ſolutionibus, 3: de ſolutione ſyllogiſmorum, 1: unde ſatis conſtat logicæ utramq; partem, Topicã & Analyticam, á Stoicis tractatam, fuiſſe, nec eſſe verum quod ait Cicero, Stoicos judicandi partem diligenter eſſe perſecutos, de invẽtione veró, ne ſuſpicatos quidem eſſe. Quare cúm videamus in Antiſthenis ſchola, atq; ejus ſucceſsione, tam multa volumina cõſcripta fuiſſe, an etiã prædicare audebimus, & primum & unicum logicæ artis authorem Ariſtotelem fuiſſe?

CAP. VI. DE LOGICA *Academicorum.*

SVpereſt é propoſitis Socratis auditoribus, Plato, Platoniaq; ſchola atque ſucceſsio: qualis autem, quantusq; logicus Plato fuerit, cũ de Socrate diximus, uná dictum eſt: neq; logica Platonis tantúm 4 dialogis, Politico, Cratylo, Parmenide, Sophiſta cõtinetur, ut videtur Laërtius dicere, ſed omnibus feré aſpergitur. E Platonis ſchola ſectæ duæ factæ ſunt, Academicorum & Peripateticorum. In Academia, Speuſippus Platonis nepos, annos octo docuit, deque libris ejus, qui potuerint logicas artes habuiſſe, ſunt, De philoſophia, 1: philoſophus, 1: dialogi circa negotium ſimiliũ, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10: diviſiones & ad ſimilia argumenta: de generum & ſpecierum exemplis: diſpoſitiones commentationum: artium examen, 1: artificiale, 11. Speuſippi libros Ariſtoteles emit duobus talentis, ut Phavorinus author eſt. Speuſippo igitur nunquã perſuaſiſſet Ariſtoteles, Ariſtotelem primum logicæ artis doctorem fuiſſe, cúm hac in arte Speuſippi diſcipulus Ariſtoteles potius fuiſſet, & ex ejus emptis libris ſuos libros contexuiſſet. Condiſcipulo Speuſippo Xenocrates in Academia ſucceſsit, annosq; viginti quinq; præfuit, & de libris ejus, qui logici videãtur fuiſſe, nongenti, ſi tamen numeri mendoſi non ſint atque etiã plures ita numerantur, De philoſophia, 1: de ſapientia, 6: negotii, quod ad diſſerẽdum attinet, libri 15, 30, 20, 700, 30: poſtea libri 15, & poſtea alii libri 16: Quæſtionum libri 20, 30, 3: de accidentib. 1: de contrario, 1, 2: contrariorum, 1: diviſiones, 8: de generibus & ſpeciebus, 1: de ſpeciebus, 1: de ideis, 1: de uno, 1: de fato, 1: de infinito, 1: de ſcientia, 1: de ſcientia, 1: de arte, 1: de diſcipulis, 1, 2: de iis quæ ſunt circa mentem 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8: eorum quæ circa mentem, alii libri 2: de falſo, 1: de diſciplinis logicis, quæ ſunt circa dictionem, lib. 9: ſolutiones 1, 2: ſolutio eorum, quæ circa rationes, 1, 10. In quibus, quod ſuſpicari poſſumus é titulis, de locis inventionis, de methodo faciendarum artium, de ſophiſmatis actum eſt. Neq; Xenocrati cõdiſcipulo perſuaſiſſet Ariſtoteles, Ariſtotelem logicæ artis inventorem fuiſſe, deq; arte logica omnino nihil ante Ariſtotelẽ ſcriptum fuiſſe, cúm hic philoſophus omnes philoſophos, ſi voluminum multitudinẽ ſpectes, logicis artibus longiſsimé ſuperarit: cumq; Ariſtotelea huic philoſopho ſuperſtes fuerit, deq; ejus philoſophia librum conſcripſerit. Polemo in Academia Xenocratis ſucceſſor, artem logicam videtur aſpernatus eſſe, cúm diceret, nos in rebus potiús exerceri oportere, quám in dialecticis præceptia velut harmonicũ artificiolum ebibere ac meditari; ne, dũ altercatione famam quærimus, affectione nobis ipſis repugnemus. Crates & Crantor logicæ artis nullum monimentum, quod Laërtius notet, reliquerunt. Arceſilas mediam Academiam inſtituit, primuſque in utramque partem diſſeruit, Platonicumque diſſerendi, interrogando, reſpondendoque, modum contentioſiús exercuit: ingenioſus & copioſus, ut Theophraſtus ajebat. Nullum librum ſcripſit, Platonem maximé, deinde Pyrrhonem imitatus eſt: tum Diodorum ſibi propoſuit. Erat autem in reperiendis argumẽtis & enuntiatis & probationib. acutiſsimus. Bion Boryſthenitea ſecutus eſt, verſutus & Sophiſta varius. Ejus logicũ ſcriptũ nullũ memoratur. Lacydes Arceſilæ, Academiæq; novæ ſucceſsit. Lacydiumq; ei ab Attalo ædificatũ, Telecli &

Euandro

Euandro ſcholam tradidit: quibus ſucceſſit Hegeſinus, á quo Carneades, qui Stoicorum libros ſtudioſé lectitavit, eiſq; modeſté contradixit, diceretq; conſuevit. Niſi Chryſippus eſſet, non eſſem ego. Athenienſes oratores ad eum audiendú conveniebant: vehementer erat terribilis, & in quæſtionibus pugnax. Nihil unquam oppugnavit, ait Cicero, quod non expugnatit. Atque hic tantus logicus, logicæ artis gratiam non Ariſtoteli, ſed Chryſippo retulit: nihil tamen ſcripſit, ſed Clitomachus diſcipulus philoſophiam ejus literis mandavit. Clitomahi diſcipulus Philo, magiſter Ciceronis fuit.

CAP. VII. DE LOGICA *Peripateticorum.*

Atque hæc de logicis Academicis. Secta Platonicæ ſcholæ altera eſt in Peripateticis, in quibus artes logicæ mirificé excultę & celebratæ ſunt: atque imprimis in Ariſtotele, hujus ſectæ principe, defunctiſq; Speuſippo & Xenocrati paululum ſuperſtite, ut é libris Ariſtotelis apparet, in quib. Speuſippus & Xenocrates appellantur & citantur. Primum autem Ariſtoteles Alexandri magni beneficio libros innumerabiles undique cógregavit: unde Ariſtotelis philoſophiá tanquam omnium philoſophorú bibliothecá quádá eſſe ſtatuo, in qua, quod é titulis divinare utcumque liceat, libri logici videntur fuiſſe centum & quinquaginta minimúm, partim totam artem nomine Rhetoricę & Dialecticę, partim etiam partes complexi: artis Theodecticæ, 5: rudimenta, 1: de conſultatione, 1: artis Rhetoricæ, 1, 2: de Rhetorica, Gryllus, 1. de philoſophia, 1, 2, 3: epicherematum, 1, 2: quæſtiones epicherematicæ quinq; & viginti: de problematis, 1: definitiones antecedentium Topica, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7: Topicum ad definitiones, 1, 2: quæ ſunt ante locos, 1: enthymematum diviſiones, 1: enthymemata rhetorica: commentaria epicherematici, 3: Categoriarum, 1: de optabili & accidente, 1: de meliore, 1: accidentia, 1: de eo, quod cui accidit aut acciderit, 1: de propriis, 1: de contrariis, 1: diviſiones ſeptendecim: diviſibile, 1: diviſibilium, 1: de Idea, 1: de ſpeciebus & generibus, 1: parabolæ, 1: definitiones tredecim: de Interpretatione, 1: de dictione, 1, 2: propoſitiones, 1: interrogationis & reſponſionis, 1, 2: de ſcientia, 1: doctrinæ, 1: de ſcientiis, 1: de elementis, 1, 2, 3: de principio, 1: ars, 1: alia ars, 1, 2: artium collectio, 1, 2: de diſciplina, 1: methodicum, 1: methodica, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8: collectionis, 1, 2, 3: ſyllogiſmi, 1: ſyllogiſticon & definitiones, 1: ſyllogiſmorum 1, 2: priorum Analyticorum, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9: Analyticorum poſteriorum magnorum, 1, 2: Sophiſta, 1: diviſiones ſophiſticæ, 4: ſolutiones contentioſæ, 4: de contentioſis, 1, 2: propoſitiones contentioſæ, 4: inſtantia, 1: de iis quæ quot modis dicuntur, aut ſecundum propoſitum, 1. Tot Ariſtotelis volumina de logicis artib. fuerunt, ſi tamen é titulis conjectura noſtra vera eſt: vel etiam fortaſſe multó plures fuerunt, quám de titulis ſuſpicamur. Pleriq; logicæ artis loci per totam Ariſtotelis philoſophiam diſperſi ſunt. Tota metaphyſica quæ dicitur in quatuordecim libris nil habet feré niſi logicum: octo primi libri phyſicæ in quatuor primis locis inventionis logicæ confunduntur, ut pręterea ſexcentos locos præteream. Atque hic philoſophus in his ſcriptis, laudabili quidem & omnium præſtantium philoſophorum communi libertate adverſus veterum ſententias & opiniones liberrimé diſputat: imó veró magnificentia quadam audaci prorſus & admirabili velut indignatur, alios ſibi tam nobilis philoſophiæ authores & doctores anteceſſiſſe. Atque hac indignatione motus, veteres appellat Dialecticæ ignaros, ut in primo philoſophiæ, cap. 6. & pugilibus inexercitatis & artis expertibus comparat ibidem, cap. 4. tum veró balbutientibus infantibus ſimiles eſſe prædicat ibidem, capit. 7. denique affirmat in peroratione logici Organi ante ſe de logica non hoc vel illud, ſed omnino nihil fuiſſe traditú: quę tamen ambitio tam multis anté productis teſtimoniis tot librorú de logica anté natum Ariſtotelem conſcriptorum, maniſeſté cóvincitur. Sed hunc immenſum logicæ gloriæ in Ariſtotele ardorem non tam extenuandi philoſophi quám Dialecticæ laudis amplificandæ gratia propoſitú eſſe cupio. Ariſtoteles in totis phyſicis atque ethicis & phyſicos & ethicos permultos appellavit, neque ſibi philoſophiæ uel phyſicæ uel ethicæ inventionem uel perfectionem attribuit. At in logico Organo neminem logicę doctorem citavit,

citavit, imó nominatim ſeſe artis univerſæ & inventæ & perfectæ authorem prædicavit: ut ſi jam Ariſtoteles interrogetur quánã philoſophiæ parte imprimis laudari atq; ornari velit, logicam iſtam palmam ſine dubio nominet. Et quidem tãtum ingenii fructum non verbis inanib. affectavit, ſed magno ſtudio & opere ſibi vindicavit. Nam logicas artes, propoſita in utramque partem diſcipulis de rebus omnibus diſſerendi ratione, vehementer exercuit, indeq; aurei fluminis laudem, ut credibile eſt, Cicerone judice meruit. Ariſtotelis diſcipulus, & in Lyceo ſucceſſor Theophraſtus, multa quoque de logica perſcripſit, & librorum multitudine magiſtrũ ſuperavit: tantum abfuit, ut perfectam ab Ariſtotele logicam crediderit. Sũt enim logici libri ab eo ſcripti, qui ſequuntur. De artibus rhetoricis ſpecies duæ, 17: de arte rhetorica, 1: de judiciariis rationib. 1: de deliberatione, 1: de ſapientibus, 1: de ſimplicibus quæſtionibus, 1: quęſtiones, 21: quæ ſunt ante locos, 1: Topicorum, 1, 2: reductorum locorum, 1, 2: de enthymematis: argumentorum, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18: de inventionibus, 1, 2: de differentiis, 1: de accidentibus, 1: de ſignis, 1: de majore & minore: de ſimilitudinibus, 1: diviſiones, 1, 2: de ſpeciebus, 1, 2: de exemplo, 1: ad definitiones, 1: definitionum, 1, 2, 3: de inartificialibus probationibus, 1: de jurejurando, 1: de dictione, 1: de affirmatione & negatione, 1: de propoſitione & expoſitione, 1: de ſententia, 1: propoſitionũ primarum, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18: de manifeſtis, 1: de propriis rationibus, 1: de imaginibus, 1: de hiſtoria, 1: de experiẽtia, 1: Qui modi ſciendi, 1: de puerorũ inſtitutione, 1: alter diverſus, 1: Analyticorũ epitome, 1: Analyticorum priorum, 1, 2, 3: de judicio ſyllogiſmorum, 1: quæſtionum collectionis, 1: Problematũ collectionis, 1, 2, 3, 4, 5: Rationũ collectio, 1: definitiva de dictiõe ſyllogiſmorũ, 1: Analyticorũ poſteriorũ, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7: de ſophiſmatis, 1, 2: de calumnia, 1: de 1 calumnia contentioſorum: cõtemplationis, quæ circa litigioſas rationes: Inſtantiarum, 1, 2, 3: de falſo & vero, 1: de mentiẽte, 1, 2, 3: de ſolœciſmis, 1: ſolutiones, 1: de reſolutione ſyllogiſmorum, 1: ſyllogiſmorum ſolutionis, 1. Atque hic diſcipulus magiſtrum multis in locis tã liberé reprehendit, quám Ariſtoteles antẽ ſuperiores omnes, imprimisq; Platonem magiſtrum reprehenderat. Reprehẽſionum indices ſunt Ariſtotelis interpretes. Nec veró artem logicam ſolúm copioſiús expoſuit, ſed ſtudioſiús etiam, quám magiſter, exercuit: & quam diligẽtia doctoris auream didicerat, divinam ipſe meditationum & exercitationũ ſuarũ ſtudiis effecit. Strato, Theophraſti diſcipulus & ſucceſſor, quamvis phyſicam præcipué excoluit, attamen eloquentiſſimus fuit, & logica quędam conſcripſit, ſi tamen, ut ſæpe teſtificor, tituli nos non fallũt. De cauſsis locorum, ſimilitudines: de accidẽte: de eo quod magis & minús: de priore & poſteriore: de definitione: de principio, 3 aut 25: inventionum elenchi, 2: ſolutio ambiguorum. Stratoni Lycon ſucceſsit: qui quód in dicendo ſuaviſsimus eſſet, idcirco γ nomini ejus pręponebatur, & γλύκων dicebatur. Eloquẽtiam videlicet ſuorum majorum hic eſt æmulatus. Phalereus, Theophraſti auditor, diſputator ſubtilis, orator parum vehemens, ſed dulcis tamen, ait Cicero: ſcripſit de fide librum unum: de chriis, 1: de Rhetorica, 1, 2. Euclides Platonis auditor primũ, deinde Speuſippi, vir doctus ſcripſit de principio, de nominibus, de imaginibus, contemplativum de conjecturis, de præſcientia, ſolutionum contentioſarum, 1, 2: de ſpeciebus: ſolutiones, 1: Rhetorica præcepta. Laërtius affirmat ſuo tempore monimẽta ejus nominatim de Dialectica lecta eſſe. Adhuc igitur Peripatetica logica in Ariſtotele aurea, in Theophraſto divina, in Stratone eloquentiſſima, in Lycone & Phalereo dulciſsima fuit. Unaque hæc ſchola logicis laudibus facilé reliquas ſcholas omnes ſuperavit. De Peripateticis philoſophis jam é Laërtio nihil habemus, imó de tam multis logicæ artis Peripateticis monimentis nil habemus, præter Porphyrium, & ſeptendecim libros Ariſtotelis, ſi tamen ſunt Ariſtotelis. Nec enim fluminis illius aurei in tot libris ulla gutta cernitur: nec vetus ille ſingulorum librorum & titulus & numerus á Laërtio propoſitus, præſenti titulo numeroque convenit, ut é comparatione poteſt intelligi. Et é Strabone & Plutarcho planum eſt eos, ſicuti reliquos ejuſdem philoſophi libros, valdé corruptos & depravatos eſſe. Ariſtoteles (ait Strabo) bibliothecam ſuam Theophraſto de-

ſto de-

ſto dedit;ut etiam ſcholam reliquit. Primus eorum, quos ſcimus, libros congregavit, Aegyptiq; Rege[illegible]inem bibliothecæ docuit. Theophraſtus autẽ Neleo dedit:Neleus Scepſim cúm tuliſſet, poſteris ſuis, hominibus idiotis dedit, qui libros incluſos & negligenter abjectos tenuerunt. Cúm veró ſenſiſſent Attalicorũ Regum (ſub quibus civitas erat) ſtudiũ, libros inquirentium ad bibliothecá Pergami inſtruendam: in foſſa quadam ſub terra occultaverũt. Tandẽ veró poſteri tineia & ſitu corruptos Ariſtotelis & Theophraſti libros Apelliconi Teio, magno pretio vendiderunt. Erat autẽ Apellicon magis librorum cupidus, quám ſapiẽtiæ ſtudioſus. Itaq; cúm vellet corroſos & exeſos emendare, ſcriptúra non expleta, exẽplaria nova deſcripſit, libroſq; vitiis & mendis refertos edidit. Accedit veró, ut Peripatetici veteres illi Theophraſtũ ſecuti, cúm libros præter admodum paucos, & imprimis exotericos, omnino nõ haberent, cõmodé philóſophari nõ poſſent, ſed theſes elucubrarent. At poſteris poſteaquã hi libri ꝓdiẽre, licuit uberius philoſophari, & Ariſtotelem imitari: neceſſe tamen fuit, propter errorum & mẽdorum multitudinem, multa iis conſentanea dicere. Multa etiã ad id Róma addidit. Nam ſtatim poſt Apelliconis obitum, Sylla, qui ceperat Athenas, Apelliconis bibliothecam cepit. Huc veró delatam tum Tyrannio Grammaticus Ariſtotelis ſtudioſus cúm ſibi bibliothecæ præfectum conciliaſſet, corrupit:rum bibliopolæ quidã, librariis & ſcriptoribus malis uſi, nec exemplaria cõferentes, quod etiã in aliis libris, qui venditionis cauſsà tranſcribuntur, & hic, & Alexandriæ accidit. Hæc Strabo libro 13: unde cauſſas corruptorum librorum Ariſtotelis multas vidimus. Eadem feré Plutarchus in Sylla, ſed breviùs. Sumpſit ſibi (ait de Sylla) Apelliconis Teii bibliothecá, in qua, plurima Ariſtotelis & Theophraſti inerãt volumina, tum pleriſq; nondum plané cognita. Dicitur veró Tyrannio Grammaticus, cúm ea Romam delata eſſet, pervertiſſe: à quo Rhodius Andronicus exẽplaria cúm facilé nactus eſſet, publicavit: & quæ nunc feruntur, tabulas conſcripſit. Superiores veró Peripatetici, per ſe quidem excellentes etiã philologi videntur fuiſſe. In Ariſtotelis tñ & Theophraſti libris, neq; multis, neque accuraté verſati: q ꝓpter Nelei Scepſii hæredẽ, cui Theophraſtus libros ſuos reliquerat, ad rudes & imperitos pervenerunt. Hæc Plutarchus: quibus intelligimus Theophra[illegible] & Nelei hæredes, primos Ariſt[illegible] bliothecæ corrupt[illegible] Tyr[illegible] cæteros. [illegible] Plutarchi de Ty[illegible] terpretibus nec intellectus, nec explicatus eſt: ideoq; ipſi convertimus.

CAP. VIII. DE LOGICA *Ariſtoteleorum interpretum, & præcipué Galeni.*

Ergo logica Ariſtotelis philoſophia non ab Ariſtotele primum reperta (ut patuit) ſed potiùs é veterũ inventis collecta, ab Ariſtotelis obitu, id eſt annó tertio Olympiadis 114: vel anno vrbis Romæ 431, uſq; ad victorem Græciæ Syllam, annum quippe vrbis ſexcenteſimum ſeptoageſimum, latuit annos ducẽtos quadraginta. Ac cúm ſic mutilata in lucem venit, mediti, qui diligentia & uſu acceptas plagas curarent, nulli adfuére. Epicurei Canonicam ſuam habebant, aliorum philoſophorum logicam aſpernabantur: Stoici Chryſippeis logicis inſtructi Peripateticam logicam non requirebant. Academici ſuam tam lauté á Xenocrate præſertim inſtructam ſequebantur. Peripatetici, ut tum Cratippus fuit, quid egerint, incertum eſt: Adraſtus, Aſpaſius, Alexander primi de Peripateticis (quod compererim) Ariſtotelis logicam in publicas ſcholas induxerũt, & juventuti propoſuerũt. Horum interpretum Galenus meminit, qui ducẽtis circiter annis poſt publicatam Ariſtotelis philoſophiá floruit. Alexandri Aphrodiſei (quod viderim) non meminit, ut videatur Galenus pauló ſuperior fuiſſe: tametſi librorum quorundam meminit ad Seuerũ ſcriptorum, ad quem Aphrodiſeus ſcripſit. Alexandri magiſter Soſigenes fuit. Galenus veró ingenio naturaque felix, ſed inſtitutione non minus felix fuit, ſi quid ipſi de ſe ſcribenti creditur. Anno ſiquidem ætatis decimoquinto liberales artes jam perceperat, & decimoſeptimo ad Medicinam ſe contulit, cum eaq; philoſophiá conjuncté ad triceſimum quartum æta-

tis annũ tractavit, & publicé docuit. Cũ igitur ſe logicis philoſophorum decretie cognoſceudis dediſſet, aoimadvertit nõ modó ſectarum cum ſectis aliis in logica theoria diſcordiam, ſed ſingularum inter ... m diſſenſionem eſſe: in Peripa- ... onullam, io Academicis ... hul ... que Aca- ... us, neq; Stoi- ... que Epicureus eſſe voluit, ſed (tao qoam diceres) electivus tantúm, ut é ſingulis eligeret, quæ placerent. Quamobrẽ cũ logicas ſectas omnes cognoviſſet, ſcripſit de ſuo judicio, non ex Ariſtotelis arbitrio, de demõſtratione tractatum libris quindecim, aliaq; permulta, quæ ait vel in Pacis incendio, vel amicis donata, vel furto ſublata periiſſe. Sed ad illum quindecim librorum apodicticum tractatum illuſtrandum, 56 libros ſcripſerat, ac fortaſsis longé plures: nam librorum numerus ſæpe debuitus non eſt, & pro unico numeratur á nobis, qui fortaſsis multiplex fuerat. Sic veró ab eo recenſentur, De neceſſariis ad demonſtrationes, 1: de omiſsione propoſitionum in dictione, 1: de propoſirionibus æqoivaleotibus, 1: de demonſtrationibus propter quid: de ſyllogiſmorum numeto, 1: de exemplo, 2: de inductione, 1: de imagine, 1: de ſimilitudine, 3: de principiis ex hypotheſi, 1: de geoeris & ſpeciei & ab eorum derivatorum ſignificatis, ſecũdum ſpontaoeam vocem, 1: de poſsibili, 1: de multipliciter dictis & ambiguis, 3: de propriis & communibus artium, 1: de rationibus ſeipſas everteatibus, 1: de contingentibus propoſiuonib. 1: de ſyllogiſmis ex miſtis propoſitionib. 1: quomodo diſcernenda ſit quæſtio rei á nominis & ſignificationis quæſtione, 1: de Clitomacho & demooſtrationis ejus ſolutione: de communi ratione, 2: de optima diſciplina: de Epicteto, 1: de uſu ſyllogiſmorum: de uſu ad ſyllogiſmos: theoremata, 1 & 2: de optima ſecta, 1: de nominũ rectitudine, 3: Quód entiũ unumquodq; & unom eſt & multa: quód ad oppoſita unum & idem ex neceſsitate conſequi ſit impoſsibile, 1: de ſecta apodictica, 1: de logica ſecunda & contemplatiooe, 1: Dialogi ad philoſophum, proprié ejus quod eſt circa cõmunes notitias: adverſus eos qui malitioſé nomina accipiunt, 1: de propriis & communibus in artibus: de artiũ coſtitutione, 3: de ſignificatis ex voce (ſpecies & genus) & de iis, quæ adjuncta ſunt ipſis: epitomæ apodicticæ theoriæ, 1: de judicio differentium in dogmatis: quód á prima eſſentia inſeparabilis ſit quantitas, 1: de priore: de per impoſsibile demõſtratiõe, 1: de iis quæ fiunt gratia ipſius, 1: de iis quę multipliciter dicũtur, 2: de nomiois & ſignificatorum qoæſtione. Hos libros Galeous nominatim recenſet ſibi conſcriptos eſſe ad illuſtrationem quindecim librorum de demonſtratione, id eſt de logica: illo ſiquidem nomine totá logicam, ut é librorum titulie apparet, cõpreheoderat. Sed iſtá Galeni apodicticá ad caput de methodo in logica diſſeruimus. Atq; huc etiá referri poſſunt libri cẽtum & undecim, qoos inter morales libros ſuos retulit. De fine philoſophiæ, 1: de conſuetudine auditoree oſtentaotiũ, 1: de prælegentibus clanculúm, 1: de exercitatione in aula Meoarchi adverſue Lachidem & Cyrum, 1: de dialogorum conſuetudine, 1: contra forenſes Rhetores, 1: de publicé dictis, 1: adverſus adulatores, 2: de publicé dictis ſub Pertinace, 1: E pertinẽtibus ad Platonis philoſophiam, De ſecta Platonis, 1: de propriis placidis, 3: de logica theoria ſecundum Platonem: de Platonis & Hippocratis dogmatis. De pertinẽtibus ad Ariſtotelis philoſophiá: in decem Categorias cúm primó Adraſti & Aſpaſii commentariis conteotus fuiſſet, poſtea quatuor libri ſcripti ſuot: in librum de Interpretarione, 3: in priorem de ſyllogiſmo, 4: in poſteriorẽ, 4: in priorem de demonſtratione, 6: in poſteriorẽ, 5: de ſophiſmatis in dictione, 1: itẽ in lib. Theophraſti de affirmatiõe & negatiõe, 6: in lib. quod modis, 3: in lib. de dictione Eudemi, 3: de demõſtratiooib. ppter qd, 1: de contingentibus propoſitionibus & ſyllogiſmis, 1: de ſyllogiſmis ex miſtis propoſitionibus, 1. Scripti ſunt etiam in Stoicam philoſophiam libri logici: de logica theoria ſecundum Chryſippũ, 3: Chryſippi ſyllogiſticæ primæ lib. 3: ſecundæ, 1: de logica facultate & theoria, 7: de uſu theorematum in ſyllogiſmos, 1: Quód Geometrica analytice ſit præſtárior, quá Stoicorum, 1: de uſu in ſyllogiſmis, 2. Scripti ſunt etiam in Epicuream ſectam, An philologia ſit utilis ad philoſophiam moralem, 1: de iis qui cum Sophiſtis verſantur, 1: adverſus eos, qui increpant ſolœciſmus

ciſmū faciantes in voce,6:In quo diſſerebat nullā eruditionis culpā, neminemq; reprehendendū ob barbariſmos & ſolœciſmos:tātū aberat,ut Atticiſmum aſſereret. De pſpicuitate & obſcuritate. Et quoniā ad logicā, Galenus ipſe diſputationē de ſectis retulit, ad eandē referendi ſunt libri, qui ſequuntur. De libris Serapionis contra ſectas,2:informationes empiricæ: de empiricorū controverſiis,3:cōtra objecta ad cōtroverſias empiricorū:ad Theodæ capita cōmentarii,3:in libros Heraclidis de empirica ſecta,libri 7:de pertinētibus ad methodicos: methodicæ ſectæ,6. Quamobrē ſcripti ſunt á Galeno de logica arte libri centū octoginta duo, ut pro uno tantū ſit, cúm numerus definitus nō eſt, præter incenſos etiā & donatos & ſurreptos. Ergo cū tā multos de logica ſcripſerit libros, nō credidit ab Ariſtotele logicā perfectā eſſe. Atq; de logicis philoſophis, qui quidem philoſophi nomen mereantur, ultimus judicio meo, Galenus fuit. Et quemadmodū (ut inquit ille) *Ultima de ſuperis terras Aſtræa reliquit:* ſic Galenus ultimus é philoſophis logicas ſcholas reliquit. Servi deinceps, nō philoſophi fuere:& φιλαργυροτεχνία, nō philoſophia: & quidem φιλαργυροτεχνία, Ariſtotelicæ philoſophię diſſimillima. Ariſtoteles liberrimus in philoſophia fuerat, contra omnē vetuſtatē, atq; adeó doctorē Platonē veri gratia liberrimé ſeſerat, logicamq; artem nō ſolū conciſis contentionū modis, ſed diſputationib. perpetuis, & in utramq; partem tractatis exercuerat: verū ab interpretibus libertas veri quærendi & tuēdi abjecta eſt, exercitatio vera nulla adhibita: tota res ad aniles & inertes, de pręceptis creditis, non intellectis, non uſu ullo meditatis & expertis, altercatiōes traducta eſt. Sic enim verſati ſunt in Ariſtotelis logicis Alexander Aphrodiſeus Soſigenis diſcipulus, Themiſtius, Porphyrius, Plotinus, Iāblichus, Ammonius, Simplicius, Grāmaticus, Herminus, Maximus, Boëthus, Sidonius, Dexippus, Alexander, Aegeus, Cornutus, Athenodorus, Syrianus, Euſtratius, Ariſton, Achaicus, Eudoxus, Pſellus, ut ab Ariſtotele logicā & inventā & perfectam crederēt, de ejus ulla parte quærere aut dubitare, nefas putarent, uſum artis prorſus ignorarent. Et ſi quorū conatus liberior fuit, ut Lucii & Nicoſtrati, á reliqis veluti ſcelus eſſet melius optare, oppreſſus eſt: deinde veró ad noſtrum uſq; ſeculum, poſteaquā Gottica barbaries Gręcas & Latinas literas toto terrarū orbe propé extinxiſſet, miſerabilis ſophiſtica nomine & ſpecie logicę exercitationis in omnes ſcholas inducta eſt: ut logica percōmodé exerceri videretur, ſi diſcipuli ejus artis de logicis præceptis acerrimé inter ſe clamarēt, nec præterea uſum ullū intelligerēt, ſed iſta legitimæ exercitationis omiſſę noſtra culpa eſt, de qua ſępius dicendū nobis erit. Iam tempus eſt de ſcriptoribus & authorib. logicis perorandi. Quamobrē cū per logicas omniū gentium ætatumq; ſcholas, quarum memoria ad nos uſq; pervenerit, ita peregrinati fuerimus, ſingularem quandā dialecticæ artis præſtantiā animo cōprehēdere debemus, cum meminerimus, quæ in prima ſanctorū patrum ſchola, jam tū logicæ myſteria aperiebantur: qua majeſtate in Moſaicis ceremoniis ornabātur: ut ſecunda apud Pythagoreos & mathematicos ſchola captionis & falſitatis, imó opinionis nihil admitteret, tota in unico ſempiternæ veritatis examine judicioq; verſaretur, ut in tertia phyſicorū ſchola, quā acris logicę ęmulatio fuerit, unde etiā é differentibus logicæ exercitationib. & ſtudiis ſectæ apud medicos methodicorū & empiricorū ortæ ſint. Deniq; ut á Socrate & ejus ſucceſſoribus logicæ exercitationes in cœtus hominum & ſocietates adductæ, logicū uſum imprimis illuſtrarunt. Horum igitur logicorum exemplo & cohortatione excitati, tantū generis humani patrimoniū adeamus, omnique diligentia excolamus.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER II.

CAP. I. DE LOGICAE *definitione.*

PRimo libro Scholarum logicarum, logicæ artis parentes expoſiti ſunt, eorumq; logica ſtudia & volumina deſcripta, unde logicę artis honor ampliſsimé cognit' eſt: & Ariſtotelis ambitio ad interpretes dè fatua credulitate admonendū ampliſsimé convicta eſt: imó veró inn-

numerabiles libri illi demonſtrati, unde Ariſtoteles collegiſſet. Hic enim fructus adverſus errores hominum cæcà opinione judicantium præcipuus erit. Secúdus liber ſequitur, quo de primis logicæ initiis eſt agendū. Quid logica ſit, quæ principes partes, in quibus præcipuum certamē nobis erit pro Ariſtotele adverſus Ariſtotelis interpretes, ſicut erit tandem de methodi doctrina. Quare ut Ariſtotelis judicium in his principiis demōſtremus logicis Ariſtotelis legibus, de materia artis, de forma artis erit agendum, ut logica catholicé & methodicé pcepta, locis omnibus requiramus, contraria tollamus. Leges hę ſunt in poſteriorib. analyticis propoſitæ, & á nobis ſecundo Dialecticæ libro repetitæ. Materiæ artis trib. notis ab Ariſtotele notata eſt: prima κατὰ παντός, de omni: ut ſint quælibet artium decreta nec falſa nec opinabilia, nec ex parte vera, ex parte falſa, ſed omnino neceſſarioque vera. Hæc lex eſt veritatis. Secūda eſt καθ' αὑτό, per ſe, ut omnia quæ arte cōprehenduntur, ſint homogenea & tanquam corporis unius mēbra. Arithmeticum in geometria eſt ἀγεωμέτρητον, geometricū in arithmetica ἀνάριθμον. Itaque arithmetica arithmericé, geometrica geometricé deducenda ſunt. Hæc lex eſt juſtitiæ ſuum cuiq; tribuens. Tertia eſt καθόλου πρῶτον, univerſalis primū, ut ꝓpoſitū quodlibet ſit partibus reciprocū. Itaq; generalia generaliter proponenda eſſe. Trianguli cōmunis eſt affectio & generaliter exponēda, tres angulos duobus rectis parea habere. Itaq; (ait Ariſtoteles) ſi quis doceat per ſpecies æquilaterum, æquicrurū, variū, ſophiſticé docebit, quia tres artes & tres demōſtrationes ꝑ una faciet, & tautologia putidæ ſophiſticæ erit (ait Ariſtoteles) niſi generalia generalitèr doceantur: & qui generale ſpecialitèr norit, nōdum tñ veré norit, priuſquam norit univerſaliter primū. Hæc lex igitur ſapientię meritó nuncupabitur. Concluſionis ἀλήθεια ſi quid opus eſt, ſyllogiſticum judiciū ſuccurret, atque hæc & νοητικά in ſingulis enuntiatis per ſe claris, & ſyllogiſtica in concluſis & διανοητικῶς judicatis materia eſt artis & diſciplinæ. Forma artis & methodus á ſummo genere per media ad ima deſcendere, naturaq; prius priore loco ſtatuere. Hæc á Prometheo vel Moſe lex divina eſt ſolis inſtar & lucis immenſæ. Hęc igitur Ariſtoteles ſunt de materia artis, deq; forma artis principia, hæ ſunt leges ſanctæ: quas ſi qui ab Ariſtotele ad ſyllogiſmum doctrinarum demonſtrativum accommodatas eſſe exiſtiment, nō repugnabo: intereaq; quamvis ſyllogiſmum in ſyllogiſticis tantúm judiciis retineam, illius autem Ariſtoteleæ demonſtrationis admirabile commētum ſuis locis doceam, attamē leges διδασκαλικῶν enuntiatorū quibus talem ſyllogiſmū cōtextū Ariſtoteles putavit, retinebo. Neo eximiam de faciendis artibus logicā magna philoſophi contumelia præteritam, hominibus iſtis aſſentiar. Nec enim é topica veriſimilitudine aut ſophiſticis mēdaciis arté faciendę artis repeterent. Quare apodicticas leges illas & artiū velut architectonicas eſſe fatebuntur: ac ſi nulla hic Ariſtotelis authoritas intercederet, eſſent nihilominus leges eędē ꝓbandæ, ut ꝑceptū artis quodlibet eſſet omnino neceſſarioq; verū, & homogeneū, & primo catholicū, natura prius prępoſitum, quas qui in arte informanda ſequatur, nó poſſit nō magnopere cōmendari. Sed Ariſtoteli præſtantiſſimam laudem á ſuis præſetrim interpretibus per invidiam noſtri nominis eripi nó ſinam, & ampliua in apodicticis ipſis vindicabo. Ergo docibus hiſce principiis, authoribus hiſce legibus, hoc denique ſummo extremæ volūtatis extremiq; judicii teſtamento Dialecticam Ariſtotelis & Logicā bibliothecam expendamus. Quid igitur primū hic eſſe debuit? Definitio generalis. Dialectica eſt ars bené diſſerendi: id eſt diſputandi, diſceptādi, ratiocinādi. Quoties enim ratione utimur, toties Dialectico munere fungimur, & tam laté patet Dialectica, quávis humanæ rationis, ſenſibus ſingulis non omnia, ſed ſingulari quædam & propria ſubjecta ſentiuntur: oculis colores, auribus ſoni, naribus odores: mente autem omnia etiā, quæ ſenſibus nequeant, concipiuntur & intelliguntur. Lumē hoc univerſum, generale, totum, nullis ſinibus terminatur. Omnia quę poſſunt ab hominibus cognoſci & intelligi luminis hujus auxilio cognoſcuntur & intelligūtur. Hoc logicum & dialecticum lumen & homini cognatū & naturale. Hoc eſt λογικῶν ſummi & ſacri philoſophi: & cū de logica naturali moneo, de hominis naturali cognatoque lumine moneo: hominemq;

nemq; animal logicū, id eſt rationale: & hominis differentiam, logicū ex organo authore ſignifico. Hæc(inquā)logica naturalis eſt facultas omnia diſputandi, intelligendi, ut viſus & auditus facultas eſt naturalis videndi, audiendi. Atqui hāc naturalē logicā, Ariſtotele imprimis teſte, authore, judice probandā & vindicandā ſuſcipio, ne ab imperitis Ariſtotelis interpretibus impoſterū tragicis theatris et cōtomeliis traducatur. Etenim generaliter in Ethicis ab Ariſtotele dictū eſt, omniū virtutū non ſolū moralium, ſed cognitione & ſcientia cōprehenſarum dotes á natura oobis ingeneratas eſſe, eaſq; appellat naturales virtutes, Ethici ſexti ad Nichomachū cap. 13. & Topico 8. promptū & paratū in diſputatione ingeniū requiritur: & hoc eſt ſecundū veritatem, bonom ingenium poſſe rectè ſequi verū, & fugere falſum. Quod qui bene nati ſunt, poſſunt expeditè facere. Et primi elenchorū cap. 11. nominatim proponitur, quod hic de naturali logica præcipio. cum docetur Dialecticam nullius eſſe definiti generis. Itaq; (ait Ariſtoteles) etiam omnes idiotæ quodāmodo utūtur Dialecticai & ibidē, Inartificioſé enim participes ejus ſuot, cujus artificioſa Dialectica eſt. Qui locus apertiſsimé Dialecticā hominibus eſſe naturalem & inſitam demonſtrat, & ſine literis id inartificioſé facere, quod ars Dialectica præceptis ſuis inſtituit, & quod arte ſyllogiſtica inſtructi faciunt. Logica igitur, Ariſtotele authore & judice, homini naturalis eſt, vereq; ἄλογα ζῶα judicantur hiſtriones illi, qui logicam naturalem ſcenicis ſuis probris dignam cenſuerunt. Logicam igitur artem ex hoc naturæ fonte hauriendā eſſe, Ariſtoteles author eſt: atque adeó doctor eſt ea ipſa via obſervandam eſſe, quæ antea propoſita eſt á Socrate: Quód omnis diſciplinæ principia ſint experientia, obſervatio, & inductio. Denique ſummum illud theorema proponet Ariſtoteles á ſenſibus & ſingularum inductione terum omoes ſcientias ortas & profectas eſſe. Quamobtem logica naturalis Ariſtotelis authoritate abundé cōfirmatur, & artificioſæ logicæ magiſtra cōſtituitur. Atque ut Grammatica circa puritatem ſermonis, Rhetorica circa ornatum orationis verſatur, ſic Dialectica cōmunis omnibus reb. ratione tractandis, prudētia quædam eſt, prudentia (inquā) communis omnibus artificibus, qui cū differunt, nō ſua quadam & propria, ſed communi dialecticorum facultate differunt. Dialectica enim generales ratiocinandi leges tradit, quibus reliquæ artes communiter utuntur, ut non potius Grāmaticus & Rhetor & Arithmeticus & reliquarum artium & facultatom homines ratiocinentur, quā dialecticus grammaticus, dialecticus rhetor, dialecticus arithmeticus, dialecticus geometra. Et quamquam reliquarum artiū præcepta á Dialecticæ præceptis ſeparētur, uſus tamē aliarū artium Dialecticæ uſu carere non poteſt. Hic imperii ampliſsimi atq; univerſum terrarum orbem commmunibus legibus adminiſtrantis ſimile quiddam mihi videre videor: tametſi enim multæ provinciæ, variæ regiones, diſsimiles præfecturæ in illo ſint imperio: omnes tamen iiſdem legibus gubernātur, alius in Aſia præfectus, alius in Africa, In Europa ſit alius, & variis inſignibus tituliſq; nomioētur, Aſiaticus, Africanus, Europæus, generales tamen leges omnibus æqualiter propoſitæ ſunt, quibus reſpublicas ſibi commiſſas & traditas moderētur. Ita cum ſit una rationis virtus & natura, qua res oēs explicātur, licet ſubjecta materies in qua verſatur & exercetur, varias in partes diverſaſq; ſecta ſit, pars alia mathematicis, alia naturis terum, alia morib. hominū, alia aliis circumcluſa: omnes tamen communibus Dialecticæ præceptis continentur & tractantur. Et licet in diſtinctis diſsimiliom generum finibus moderandis & conſtituendis varia hominū ingenia occupentur, variiſq; idcirco nominibus appellentur Grammatici, Rhetores, Poetæ, Hiſtorici, Arithmetici, Geometræ, Muſici, Aſtrologi, Phyſici, Ethici, lex tamē una ratioq; Dialectica propoſita eſt, qua res ſibi ſubjectas interpretētur. Denique ut in mūdo Sol eſt unicus & ſingularis, cujus luce colluſtrantur quæ uſquam ſint omnia, ſic una ratio hominis eſt generalis & cōmunis, qua res omnino omnes explicantur & diſceptantur. Imó veró lux rationis luce Solis longé clarior & illuſtrior. Lux ſolis mundum duntaxat iſtum corporeum illuſtrat: lux rationis etiā ſupra mundum per illas ſupra mūdanæ infinitatis regiones pervagatur, neq; mortalia tantū corpora, ſed mentes æternas & divinas intuetur. Lux ſolis diurno tantū tempore no-

bis perſpicua eſſet lux rationis etiam in tenebris nocturnis pellucet. Quare authore judiceq; Ariſtotele, imó rei ipſius veritate naturalem hanc universæ rationis per omnia reſplendentis lucē ars Dialectica ſuis præceptis proponere & explicate debebit: poſitaq; generalis & cõmunis definitio, Dialectica eſt ars bene diſſerendi, Ariſtotelis authoritate judicioque legitima erit & catholica.

CAP. II. DE VOCABUlis Dialectice & Logicæ.

Vocabula autem Dialecticę & Logicæ generalia & communia ſunt, totamq; hanc quomodocumq; diſſerendi ratioě cõplectuntur. Plato (ait Laertius in ejus vita) primus in philoſophia nominavit Dialecticam. Ergo inter vocabula á Platone in philoſophicis reb. innovata, Dialecticę vocabulum á Laërtio numeratur: Dialecticæ autem & dialectici & διαλέγεσθαι vocabula Platoni plané generalia ſunt: ſic Dialectice in Sophiſta, in Phædro, & in 7. de Republ. uſurpatur: ſic Dialecticus in Cratylo, in Phædro, & in illo de Repub. loco: ſic διαλεκτικώτερον in Menone: ſic deniq; διαλέγεσθαι καὶ τῷ λόγῳ χρῆσθαι ταὐτό, & ratione uti idē eſſe nominatim dicitur. Quamobrē Dialectica dialecticorū διαλέγεσθαι vocabula Platoni communia ſunt, & omnem diſſerendi facultatem cõplexa. Logica & logicus in Platone pro hac arte non animadverti. Ariſtoteles veró etiá Dialecticæ & dialectici & διαλέγεσθαι vocabulis generaliter cū Platone locis variis uſus eſt, ut in philoſophia lib. 1. cap. 4. οἱ γὰρ πρότεροι διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον. Veteres Dialecticæ participes nõ erant. Sic ibidem lib. 13. cap. 4. διαλεκτικὴ γὰρ ἰσχὺς. Dialectica enim facultas nõdum erat. Sic Ariſtoteles non partem aliquem facultatis hujus veteribus philoſophis, ſed totam artem detrahit, & nomine Dialecticæ totam diſſerendi artem cõplectitur. Sic appellat in rhetoricis lib. 1. ca. 2. καθάπερ καὶ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς τὸ μὲν ἐπαγωγή ἐστι τὸ δὲ συλλογισμός: Quēadmodū etiá in Dialecticis aliud qdē eſt inductio, aliud autem ſyllogiſmus. Sic omnino philoſophus idem loquitur poſtea lib. 2. capit. 22. & 24. ὥσπερ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς. Quare Ariſtoteli Dialectica dialecticorum etiam totam diſſerendi artem ſignificant: quinetiam verbū ipſum διαλέγεσθαι eandem ſignificationem generalem Ariſtoteli, 2. cap. 1. lib. τῶν ἐλέγχων ſignificat eo ipſo in loco ubi διαλεκτικοὺς ſpecialiter accipitur, ἔστι δὲ τῶν ἐν τῷ διαλέγεσθαι λόγων γένη τέσσαρα, διδασκαλικοὶ, διαλεκτικοὶ, πειραστικοὶ, ἐριστικοί: In ipſo diſſerendo rationum genera ſunt quatuor tanquam diceres doctrinales, dialectici, tentativi, cõtentioſi. Quare hoc etiam διαλέγεσθαι verbum Ariſtoteli omnis rationis uſum interpretatur. Logicæ autem verbum pro eadem re Vallæ videtur in Dialecticis lib. 3. cap. 44. ab Ariſtotele primo factum eſſe, ut videtur Laërtio Dialecticę vocabulum á Platone factum. In Organo autem pro differentia hominis λογικὸν & ἄλογον generalia ſunt, & λογίζεσθαι tam laté patet, quám τῷ λόγῳ χρῆσθαι, ut Porphyrius ipſe interpretatur, in communione generis & differentiæ. In ſenſum autem illum Dialecticæ communis Ariſtoteles uſurpat in philoſophia libr. 4. capit. 3. cum de principio contradictionis philoſophatur, non poſſe fieri ut idem inſit & non inſit eidem & ſecundum, idem & cætera alia quę definivimus (ait) παρὰ τὰς λογικὰς δυσχερείας, contra logicas argutias. Ac ſi quæras in quo logici Organi loco hæ λογικαὶ δυσχέρειαι tractentur, Alexander eo loco reſpondebit, in libris περὶ ἑρμηνείας & in elenchis, ſicuti videtur topici primi capite duodecimo, uſurpari cum πρότασις λογικὴ diſtinguitur á phyſice & ethica. Sic item loquitur Ariſtoteles tertio capite tertio phyſici, cū ἀπορίαν λογικὴν vocat, quod actio & paſsio ſit idē motus. Quare & Plato & Ariſtoteles Dialecticę & logicæ vocabulis generaliter uſi ſunt ad omnem diſſerendi vim ſignificandum. Latini etiam mirificé hác generalem rationis communionē, & re & verbis confirmarunt. Dialectice & veri & falſi diſceptatrix & judex (ait Tullius 4. Academico) item oratorio primo acumen dialecticorum: item primo de finib. Iam in altera parte quæ eſt quærendi ac diſſerendi quæ λογικὴ dicitur. Item quarto Tuſculana. Quæ Stoici logica appellant, quia diſſeruntur ſubtilius: ſic Quintilianus Dialecticam inventionis & judicii artem & dialecticos totiuſque artis artifices appellet. Quapropter dialecticę & logicę vocabula generaliter uſurpātur á Latinis ꝑ toto ratiõis fõte nõ ꝑ aliquo problematis rivulo. Quãobrē cū rationis ars tota ſit generalis, tū vocabula ipſius

Dialecti-

Dialectica et logica generalia quoq; ſunt Concludamus ex Ariſtotelis mentis atq; lege definiendam eſſe Dialecticam generalem, & generalib. vocabulis generaliter appellandá, & definitioné hanc (quia natura prima eſſet) primo artis loco diſponendá. Hoc igitur ita pro Ariſtotelia laude ſit adbuc actum & vindicatum.

CAP. III. CONTRA TRES *interpretum ſpeciales logicas.*

AT cõtrá nobis occurrerut ab interpretib. Alexandro, Porphyrio, Ammonio, ab Ariſtotele collecta qualiacúq;, velut ab Apolline edita oracula ſecutis, neq; arté rationis generalem, neq; vocabulorũ Dialecticæ & logicæ ſignificationé eſſe generalem, & ab Ariſtotele 5. cap. 1. Topici doceri. Artem generalem & cõmuné inveniri non poſſe, & ſi inventa ſit, difficilé & moleſtá fore, & revera tres tractatus hic ſpeciales ab Ariſtotele inſtitui, apodicticam, dialecticá, ſophiſticá. Itaq; neq; unam generalem rationis arté quærendá eſſe, neq; definiendam initio. Agedú interpretes hi mirabili ſyllogiſmo judicium ſuum concludunt. Quidquid Ariſtoteles ſcripſit, eſt verum: id ſcripſit, ergo verum. At propoſitio non modo falſa, ſed impia eſt. Ut enim Ariſtotelis nomen pro maximis in genus hominum beneficiis ſanctum (ſi interpretes volent) ſacrumq; eſſe debeat, certé uſq; ad aras ſanctum & ſacrum: & aras quidé philoſophiæ veritatisq;, ad aras legum ab Ariſtotele ipſo ſanctarum eſſe debuerit. Quid igitur múdi æternitas, animorũ mortalitas á philoſopho illo conſtituta, ſublata divina providentia, quomodo propoſitioné illam admittét? neq; veró Ariſtoteles talé ignaviam interpretum admitteret, qui philoſophorũ proprium ait eſſe, nõ aliena tantum, ſed ſua reprehendere. At longé aliter judicamus & illud judicii fundamétum nobis ſtatuimus, qđ nemo conſideratus negare audeat, leges leges (inquá) Ariſtotelis ſanctas & ſacras ſequimur, ad eas igitur controverſiam iſtá referamus, atq; inde mentem Ariſtotelis & judicium expédamus, et in Ariſtotelea logicorum librorú Bibliotheca faciamus, quod Ariſtoteles fecit in Platonis & Socratis veterúq; omnium Bibliotheca, quodq; nobis ſucceſſoribus ſuis faciendum præcepit, generalia generaliter interpretemur, ſecus ſi generalia ſpecialiter doceamus, ſophiſticé docebimus (ait Ariſtoteles) quia in tautologiam ſophiſticam incurremus et multas doctrinas pro una faciemus. Præceptorem igitur Ariſtotelem diſcipuli, imó tanquam patrem filii in teſtamentis illis tam ſanctis, tam ſacris audiamus, & conſideremus utrú omnis illa in libris Ariſtotelis doctrina quæ trifariam diſſecatur, in Apodicticam, Dialecticam, Sophiſticá, ſit revera generalis, ut generaliter tantúm et ſemel explicanda ſit. Atqui (inquam) tota res eſt cõmunis, tota eſt generalis. Primú tota categoremata Porphyrii, ut húc etiam authorem cum Ariſtotele connumeremus: totæ categoriæ, tota ἑρμηνεία, tota analytica priora, communia & generalia etiam ab interpretibus exiſtimantur. Hactenus igitur ars unica & ſingularis cõmuni & generali ratione comprehenditur, et definitio una generalis totam hanc generalem doctrinam complecti debuit, ita vel cõfeſsione interpretum & ſine ulla controverſia obtineo primos libros organi logici generales & communes eſſe, in quibus & communis ac generalis inventio categorematis categoriis: item primo analytico nominatim medii inventione continetur. Hic enim de principe cauſſarum in differentia, de effectis in actione, de ſubjectis & adjũctis in proprio, accidente, ubi, quando, de totis oppoſitis ampliſsimé, ut de comparatis in quantitate & qualitate, item de diſtributione & definitione: item in iiſdem antecedentibus libris communis & generalis judicii doctrina in ἑρμηνείᾳ enuntiati, in cõpoſitione ſyllogiſmi continentur: in his (inquam) libris omnia communia ſunt & generalia, & propterea generali definitione comprehendenda. Relinquuntur adhuc analytica poſteriora & topica, Elenchi, quibus ſpecialis doctrina triplex illa apodictica de neceſſariis, hæc Dialectica de probabilibus, iſta ſophiſtica de captioſis comprehendi dicitur. At (inquam) communia tantum & generalis doctrina traditur, aut prorſus eadé iteratur, nihil inſtituitur uſquam ſpeciale. Etenim in poſteriorib. analyticis præcipitur de apodixi, id eſt de ſyllogiſmo, qui propriá affectionem de ſubjecto per cauſſam propriá concludat. At talis cauſſa nulla uſquam adhuc obſervata eſt, imó per naturam nulla eſſe poteſt, itaq; Ariſtotelis ad eam

rē exempla falſa ſunt omnia, id eſt nihil propoſitæ apodixeos continentia: ut ſit horribile prorſus auditu artem á philoſopho cõfingi, cujus exemplũ eſſe nullũ poſſit. Ergo apodictica Ariſtotelis logica ad eũ finem eſt nihili mathæotechnia, & tamen in apodicticis quidquid extra finẽ illũ catholicé præcipitur, præcipitur de cõmunib. & generalib. locis feré omnibus, ſed præcipué de cauſsis, factis, ſubjectis, adjũctis, indeq; diſtributiõe & definitiõe, de materia artis in trib. notis κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον, etiã paululum de methodo artis, quę eſt non artiũ tantum, ſed rerũ omnino omniũ, quæ perſpicué docendæ ſunt cõmunis, nullum pręterea in poſteriorib. analyticis documentũ eſt logicũ, tametſi multa cõtra leges Ariſtotelis accumulantur, ut tũ copioſiſsimé declarabo. Quare ſpecialem doctrinã apodixis artiũ & peculiaré in Ariſtotelis libris nullam habet. Topicis porro octo libris cõmunes & generales loci inventionis de cauſsis, factis, ſubjectis, adjunctis, diſſentaneis, comparatis, nominibus, diſtributionibus, definitionibus, teſtimonijs propé infinita atque incredibili tautologia iterãtur ac repetuntur, loci (inquam) illi cõmunes & generales nõ dividantur in novas aliquas ſpecies, ſed illi ipſi prorſus iidem totis octo libris iterãtur ac repetãtur, neq; ſophiſtica illa tautologia ad cujus fœdiſsimũ in docendo vitiũ effugiendũ Ariſtoteles præcepit ut generalia generaliter & ſemel docerentur, uſquã major fuit. Quare nulla ſpecies logicę in topicis inſtituitur, ſed generalis, & eadẽ ſæpius iteratur. Quapropter triũ artiũ ratiõis ſpecialium quæ dicuntur, jã duæ apodictica & Dialectica ſpeciale nihil habent, ſed generalem inventionĩs doctrinam tradunt, aut eadem prorſus tautologia Ariſtotelis legib. improbatiſsima iterãt ſæpius ac repetunt. Sophiſtica aũt quæ duobus Elenchorum libris cõprehenſa eſt pars artis logicæ ad Ariſtotelis leges & principia eſſe nullomodo poteſt, quia virtutes in arte per ſeſe ſunt homogeneæ, vitia virtutib. heterogenea, quæ in ipſa & virtutum doctrina percipiuntur, nec magis in logicis ſophiſmatũ, quã in grãmaticis barbariſmorũ doctrina tradenda eſt. Itaq; logica legitimas & homogeneas argumenti, enuntiati, ſyllogiſmi methodi regulas habebit, regulas vitiorum cõtrariorũ legitimo illo ſecũdæ notæ καθ' αὑτὸ jure ac pręſcripto habere nõ poteſt. Quarę nulla juſta cauſſa fuit tertiæ huius logicæ cõminiſcendæ. Et tamen hæc ipſa ſophiſticæ tertia logica duas illas ſpeciales apodicticæ & Dialecticæ artes valde refellit & coarguit. Nã ſi virtutis duplex ars eſſe debuit, oppoſiti quoq; vitii ſi qua eſſet neceſſaria doctrina, duplex eſſe debuit: ut ſicuti verę ratiõis ars fieret alia apodictica, alia Dialectica, ſic captioſæ fraudis ars fieret alia apodicticæ, alia Dialecticæ cõtraria. At id á nemine quod quidem conſtet, unquam tentatũ eſt. Hoc igitur imprimis animadverti ab interpretib. oportuit. Sophiſtica doctrina tota eſt generalis, Dialectica igitur doctrina multo juſtiore de cauſſa generalis erit: & tamẽ ſophiſtica in rationis arte partẽ habere ſpecialem nullã poteſt, & duas illas quæ dicuntur, unicã & ſingularem eſſe cõvincit. Quare logica ſpecialis triplex nõ eſt, ſed una & generalis nominib. Apodicticæ & Topicæ eſt ſæpius iterata. Sophiſtica aũt nec artis quidem partem facit, & tamen quod habet, generale totũ eſt, neq; quicquã ſpeciale. Quare pro Ariſtotelis lege, principio, mente, teſtamento concludamus logicã in organo Ariſtotelis non tripliciter ſpecialem, ſed totã ſimpliciter generalẽ eſſe, ideoq; generaliter eſſe definiendã: unamq; tautologiam totius logicæ cõfuſionis & obſcuritatis cauſſam eſſe: ſed tamen tota iſta logicis Ariſtotelis legibus & principiis tã contraria tautologia in unam hujus artis partem, inventionem quippe redundavit: neq; enim doctrina vel enuntiati vel ſyllogiſmi vel methodi, quę diſpoſitionis & judicii eſt, inſulté libris compluribus iterata & repetita eſt, in locis inventionis infinita eſt iſta tautologia. E libris organi logici octodecim, é quatuor rhetoricis, é phyſicis octo primis auſcultationis phyſicæ, é philoſophiæ primæ quatuordecim, id eſt, é quatuor & quadraginta libris ſi ſuſtuleris perexiguã doctrinam enuntiati, ſyllogiſmi, methodi, item elocutionis & mathematica ac phyſica, quædã reliqua illa immenſa é locis inventionis infinité repertis tautologia redundabit. Sed tautologia librorum ſingulorũ ſuis locis explicabitur. Quamobrem inſtitutũ ſyllogiſmũ ex Ariſtotelis lege, principio voluntate, teſtamento cõcludamus: generalia generaliter & ſemel explicãda ſunt.

Omnia

Omnia vel Dialecticæ vell logicæ artis documenta de argumento, enuntiato, ſyllogiſmo, methodo generalia ſunt, generaliter igitur & ſemel explicanda, & Dialecticam ſeu logicam putemus eſſe legitimam, quæ tam multis libris accumulatā materiam ad leges illas de materia formaq; artis conformarit. Nec aliam Ariſtotelis voluntatem inquiramus, quam quę nobis ſanctis illis ſacriſq; legibus ſancta eſt & ſacrata. Ariſtoteles amator fuit Dialecticæ & logicæ, ſed amator Socraticus, & ſi paulo diutius vixiſſet, ſcriptaq; recognoſcere ad illas ſuas leges potuiſſet, nō dubitó quin perfecturus fuerit, quod nos tantopere contendimus, & plané conſecuturum, quod tandiu conſectamur.

CAP. IIII. DE VOCABULIS

Logicæ & Dialecticæ, modó generaliter, modó ſpecialiter acceptis.

SEd tamen Ariſtoteleam philoſophiá, Ariſtoteleum veritatis amoré exemplo Ariſtotelis, teſtamento Ariſtotelis excitati perſequamur. Spinas ex agro multas ſuſtulit, reliquas pro virib. tollamus. Doctrinam rationis totam generalem eſſe contra interpretes contra authoris neſcio cujus in topicis appellati captioné, é reipſa demōſtravimus. De vocabulis ſpecialibus, quod ab interpretibus opponitur etiam reſpōdeamus. Aiunt enim Dialecticæ vocabulum ſpeciſle eſſe, logicæ generale. Appellatit philoſophus aliquis, cujus libri in Bibliothecam iſtam translati ſunt, Dialecticam artem, quæ veriſimilium tantúm eſſet. Itaque Ariſtoteles verba ſecutus eſt eorum, quorum etiá doctrinam ſequebatur. Sic in organo logico interrogatio dialectica, propoſitio dialectica, ſyllogiſmus dialecticus appellatur pro ſpecie quadam probabili & veriſimili, ſic primo analytico πραγματεία λογικὴ pro Topicis appellatur. Sed tamen Ariſtoteles idem quod interpretes nō ſatis animadverterunt, etiam logicæ verbū aliquando in eadem veriſimilitudine uſurpavit. Sic dicitur quinti topici capite primo logicum problema. Sic in poſterioribus 18. & 20. cap. 1. lib. λογικὰ καὶ λογικὸς συλλογισμός. 8. cap. 2. lib. λογικὸς λόγος: item in Elenchis 5. cap. 1. lib. ſic demonſtratio 10. cap. 2. lib. de ortu animaliū: ſic 5. cap. 3. Phyſ. λογικῶς καὶ φυσικῶς: ſic 8. ca. 8. Phyſ. λόγος οἰκεῖος καὶ λογικὸς opponuntur: ſic 4. ca. 6. Metaphyſ. λογικῶς: itē 11. ca. 11. Metaphyſ. λόγος λογικώτερος καὶ ἀκριβέστερος opponuntur. Atque aliás perſæpe ſimiliter in tota Ariſtotelis philoſophia λογικῶς λογικώτερον deprehendi, ut rationes communes, & nulla præcipua arte comprehēſas logicas, ſeu dialacticas videam Ariſtoteli nominatas eſſe. Quare interpretes quidam qui crediderunt logicæ verbum in Ariſtotele magis eſſe generale quā Dialecticæ, Ariſtotelem nō ſatis accuraté obſervarunt. Sed tamécum in Philoſophia Ariſtotelis videamus vocabula Dialecticæ & logicę modó generaliter, modó ſpecialiter uſurpari, Ariſtotelem cōſulamus in re generali appellanda & nominanda, utro genere ſit utendum, generali an ſpeciali: nónne nos ad auream legem illam ſuam remittet, dicetque generalia generali explicanda? Quapropter ars bene diſſerendi generaliter appelletur & Dialectica & logica, & tamen ad Ariſtotelis philoſophiam intelligédum, meminerimus apud Ariſtotelem συνεκδοχὴν generis pro ſpecie ſic interdum eſſe, & vocabulis communibus veriſimilem diſputationis ſpeciem aliquando appellari. Sic ex utroque genere ſignificationis fructus aliquis nobis conſtabit, cum generali rem generalem, ſpeciali ſpecialem intelligemus, neque quicquam præterea confundemus. Quamobrem Dialectica ſeu logica eſt ars bene diſſerendi, & re & vocabulis ut generalis eſt, ſic generaliter intelligatur, & quidem definitio imprimis & principe artis loco, neceſſaria, neceſſarióque collocāda. Etenim ſi quid eſt in arte tota κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, hæc una definitio eſt anima corporis univerſi per omnes nervos atque artus vitali ſpiritu diffuſa, finem denique & utilitatem doctrinæ univerſæ complexa. Quá definitionem qui neſcit, neſcit quid Dialectica ſit.

CAP. V. QUOD DEMON-

ſtratio non ſit finis Dialecticæ.

SIc igitur Ariſtotelis legitimá philoſophiam ex Ariſtotelis lege atq; mente tuemur & defendimus. Laudemq; philoſophi á calumnia vindicamus. Enimveró definitionis hujus generalis & totá organi facultatem cóplexæ ignoratio multo majus

maius detrimentũ ſtudioſis attulit, quã vulgo videatur, ſcholæ mathematicæ li. 3. declarabũt quãtũ obſcuritatis geometricis reb. attulerit omiſſum æqualiũ angulorũ axioma, ſed omiſſa logicæ artis definitio detrimentũ tãto majus attulit, quãto Dialectica geometricis reb. major et excelſior eſt. Definitio iſta finẽ totius artis oſtendit eſſe bene diſſerere, diſputare, ratiocinari, ratione uti. Deniq; quò præcepta ſtudiaq; logica omnia referantur, ſcopũ hunc proponit, & quò logicæ partes, genera, ſpecies, exercitationes oẽs dirigãtur. Hoc igitur totius navigatiõis ignorato portu, qualem navigantib. curſum putamus futurũ? Nullus eſt organi logici liber, in quo nõ diſſideant interpretes de ſcopo & fine rerũ, ea tãta diſſenſio nõ ob aliã ullam rẽ accidit, quã quod finis univerſę artis nõ eſſet initio propoſitus. Operæpretiũ ſit ſpectare, quæ inde opinionũ cõmenta nata ſint, de ſcopo & fine nõ ſolum ſingulorũ librorũ, ſed univerſorũ. Categoremata dicũtur voces ſimplices eſſe, Categoriæ ad res ſimplices ſimplicib. verbis ſignificandũ pertinere, unde nomina verbaq; ad cõficiẽdas enuntiatiões & ſyllogiſmorũ cujuſcunq; generis cõcluſiões aſſumantur, omniũ finem eſſe demõſtrationẽ. Hæc ferẽ Græcorũ & Latinorũ omniũ interpretũ (quorũ ſcripta extent) ſententia una eſt. De cæteris ſuo loco, nũc de magnifico iſto logicæ fine dicendũ nobis eſt, qui primo inconſtantiã ſuorũ authorũ oſtendit, qui cũ ſpeciales logicas feciſſent, ſpeciales etiã fines ꝓponere debuerant. Ergo hoc ulcus primũ eſt, ſed tamen cauſſa exponenda eſt, quæ hos interpretes in hanc ſententiã induxerit. Deinde Ariſtotelis ſententia vera demoſtrãda eſt. Quid igitur interpretes cõmovit, ut demonſtrationẽ finem eſſe logicę dicerent? Quis organi locus? quæ'nã Ariſtotelis authoritas? Initiũ prioris analyſeos ab iis ad rem citatur. Primũ dicendũ circa quod, & de quo conſideratio eſt, quoniã circa demonſtrationẽ, et de demõſtrativa ſcientia hic locus (inquã) hos interpretes cõmovit, ut interpretarentur ab Ariſtotele dici, finem logicæ artis eſſe demonſtrationẽ. At (inquã) id Ariſtoteles nõ dicit, nec omnino ſentit, ſed ꝓponit ſe dicturũ de demonſtrativa ſcientia, an ideo logicẽ hinc cõcludes ab Ariſtotele dici, demõſtrationem logicæ artis eſſe finẽ? At paulò pòſt eandẽ propoſitionẽ repetit. Definitis aũt his, de quo, per quæ, & quãdo, & quomodo fiat omnis ſyllogiſmus, poſtea dicendũ eſt de demonſtratione, quia ſyllogiſmus magis univerſalis eſt. Demõſtratio enim ſyllogiſmus eſt quidam, ſyllogiſmus aũt nõ omnis eſt demõſtratio. Hic (inquã) repetit eãdem propoſitionẽ, imò clarius etiã proponit ſe de ſyllogiſmo et demõſtratione dicturũ, prius etiã de ſyllogiſmo, q̃ magis univerſalis eſt, an idcirco hinc verẽ & certò cõcludes logicæ finem eſſe ſyllogiſmũ & demonſtrationem? Proponit Porphyrius ſe dicturũ de genere, ſpecie, differentia, proprio, accidente, an idcirco cõcludes logicæ finẽ illic à Porphyrio eſſe definitũ? Proponit Categoriarũ author quarto libri ſui capite decẽ genera, ſubſtãtiã, quãtitatẽ, ad aliquid, qualitatẽ, actionem, paſſionẽ, ubi, quãdo, ſitũ & habitũ: an ideo cõcludes ab eo in decem illis generibus, logicę finem eſſe collocatũ? Proponitur in libro de interpretatione, itẽ in Topicis qua de re futura doctrina ſit. An ideo cõcludes logicæ finem in propoſitionib. illis nobis eſſe præmonſtratũ? Nõ opinor. Ergo interpretes hi valde aliena ratione in ſententiã illã adducti ſunt. Sed enim ne ſit nobis ſatis id argumentũ, quo inducti ſunt, refellere, opinionem potius quã opinionis argumentum refellamus. Ajunt interpretes logicæ finẽ eſſe demonſtrationem, & demõſtrationem ita definiunt, ut ſyllogiſmus ſit propriã affectionem de ſubjecto per ipſius propriã cauſſam cõcludens. Hãc finis interpretationẽ falſam eſſe dico. Age igitur interpretes hi, hoc logicę fine logicã nobis finiãt, et ſine rubore dicãt, logicã eſſe artẽ bene demõſtrandi. Sic enim decet artes ſuo fine definiri. Grãmaticæ finis eſt rectẽ loqui: ergo grãmatica eſt ars rectẽ loquendi. Finis eſt rhetoricæ, bene dicere: ergo rhetorica eſt ars bene dicendi. Finis logicæ eſt demonſtrare: ergo logica eſt ars bene demõſtrandi. Hoc argumentũ intelligi & perpendi cupio, & quid ſit finis, vel in Ariſtotelea philoſophia definiri & explicari mihi poſtulo. Domus finis, navis finis, pecudis finis, cujuſvis deniq; rei finis eſt ad quem non pars aliqua domus, navis, pecudis, hominis, ſed tota & univerſa natura eſſentiaque refertur, nec ullius rei finis dici poteſt, ad quem non omnes ejus partes ſpectent, tendant, aſpirent: alio-

quin

quin finis omnium non eſſet, ſi alia pars alió tenderet. At totius organicæ logicæ quota pars ad organicam demonſtrationem proprié refertur? Doctrina categorematum, categoriarum, interpretationis, analytiκῶν priorum, communis efficitur. Apodicticæ & topicæ, ad demonſtrationem proprié nihil totum refertur. In Elenchis nihil demonſtrationi vindicatur. unicum argumenti genus eſt in poſterioribus analyticis ex cauſsis demonſtrationi ab Ariſtotele ſingulariter attributum, nec tamen totum, ſed quod ſempiternã, primam, neceſſariam cauſſam affectionis de proprio ſubjecto concludẽdæ habeat. At cauſæ ſunt innumerabiles, & finis, & forma, & generis omnis efficiens, & materia, quæ tales non ſunt: & in poſterioribus analyticis multa ſunt communia definitionis & partitionis cum demonſtratione, multa etiam propria definitionis & partitionis, per quas ſine demõſtratione rerum omnium eſſentia docetur ac diſcitur, cum Ariſtotelis demõſtratio ſit tãtum affectionum & per ſe accidentium, vt illic præcipitur. Ergo de tota logica & inventione & diſpoſitione nil niſi argumenti unius non totus locus, ſed ſpecies, nec ea tota ad demonſtrationẽ præcipuẽ refertur. Et quidẽ quod antea jam propoſui, quodq; valde admirandũ ſit hujus ſyllogiſticæ demonſtrationis exemplum nullum omnino eſt in totis liberalibus & ingenuis artibus, (quarum tamen gratia confingitur) ad organicam legem cõcluſum, ubi argumentum talis cauſſa ſit affectionis propriæ de ſuo ſubjecto, & cõcluſum in primo primę figurę modo: nec omnino eſſe poteſt, ut ſuo loco copioſius diſputabo. Quare ſophiſma prorſus admirabile & incredibile ſomniatũ eſt, ut finis logicæ id eſt nobiliſsimę diſciplinæ in eo collocaretur, quod neq; fuiſſet, neq; omnino per naturã eſſe poſſet. Tum veró cõſiderandum nobis illud eſt, quod veriſsimé dicitur, nullius artis finem ad fortuitũ eventum alligari, ſed qui artis poteſtati ſubjiciatur, actu cõcludi. Sic nauticæ finis non deducere navim ad portum, quia id ſemper nõ eſt in poteſtate artis ſitum, ſed rectũ clavum tenere & prudenter gubernare: quomodo igitur poterit demonſtratio logicæ finis inſtitui? Nam quæſtiones innumerabiles erunt, quę demonſtrationẽ organicã non capient, & logicus, dialecticusq; circa eas efficiet, qdquid artis viribus poteſt effici, id eſt, finẽ dialecticæ cõſequetur, & tamen non demõſtrabit. Demoſthenes, Cicero, Homerus, Maro, Plato, Theophraſtus, Ariſtoteles, Euclides tã multa diſputavere, in eorũ tñ libris ejuſmodi demonſtratio nulla eſt, an idcirco dialecticæ aut logicæ finẽ nõ ſunt aſſecuti? an idcirco dialecticis, & logicis facultatib. bene nuſquã ſunt uſi? an ad horũ interpretũ opinionem Ariſtoteles logicus nunquã fuit? Logicæ finem nunquã attigit? cum demonſtrationẽ ejuſmodi ſyllogiſticã nullã fecerit? Quare nõ eſt logicæ aut dialecticæ finis demonſtratio. An demonſtrationẽ ideo logicę finẽ faciunt interpretes, quia cæteris diſputationib. longé antecellit? At demonſtratio (ut dixi) talis nulla unquã fuit, nulla etiã eſſe poteſt, nec ideo antecellit, ac ſi eſſet, & antecelleret, nõ erit certé conſequens, quod hinc efficitur neq; conſentaneũ. Etenim nõ ſimilib. veſtigiis cõcludere licebit Demoſtheni & Ciceroni, ſi pronuntiationẽ primã eloquentiæ partẽ & principem judicent, eloquentiæ finem eſſe, bene pronuntiare, quod unius partis eſt, non aũt bene dicere, quod eſt univerſæ artis. Quamobrem nõ recté interpretes logicæ finem in demonſtratione ſtatuunt, nec eorũ interpretatio vera eſt.

CAP. VI. QVOD DIALEcticæ finis ſit bene diſſerere.

SEd de duobus hoc alterum eſt de falſo fine, ſecundum eſt quod Ariſtoteli per calumniam ſit impoſitus. Etenim ut Ariſtotelem ab hac inertia defendamus, nullus ne locus eſt in Organo, qui ſi non nominatim & aperté, ſaltem utrumq; finem logicæ exprimat? imó veró duplex eſt conſideranti, & diligenter attendenti non valde occultus. Prior, prioris eſt analyſeos primo libro, ubi tres logicæ facultatis univerſæ partes fiunt, inventio medii, compoſitio & collocatio ſyllogiſmi, poſtremo analyſis utriuſq;, in quibus, finis logicæ ab Ariſtotele collocatur. Nam ſi compoſitionem ſyllogiſmorum conſideremus (ait) & inveniendi habeamus facultatem, tum veró compoſitos ſyllogiſmos retexamus in expoſitas figuras, finẽ habuerit hypotheſis ab initio propoſita. Inveneris igitur argumenta, quibus quęſtionem velis probare, ſyllogiſmo cõcluſeris

ſeris & analyſi judicaveris, propoſitæ artis finem adeptus eris, ait hic Ariſtotelis: tres ſunt hi ſpeciales fines, invenire argumentum, inventum diſponere, inventionis diſpoſitionisq́; examē facere: imò generali comprehendas, id erit bene diſſerere, bene ratiocinari. Ergo Ariſtoteles ſua oratione, ſententia, authoritate, verū logicæ artis finem nobis oſtēdit, & interpretes artis, quam interpretantur non ſatis peritos eſſe coarguit. Atq; hic prior locus fortaſſe non ſatis idoneus eſſe videbitur, quia Methodi logicam nō exprimit, ſed alter potius ſecundo capite primi Topici de fine locus fuerat animadvertendus. Habebimus autē τελέως finaliter (ut ſic dicam) id eſt perfectè & abſolutè diſciplinam quando ſimiliter habebimus, ac in Rhetorica & Medicina, & ejuſmodi facultatibus: id autem eſt quo ad ejus fieri poterit, quæ ſtatuimus efficere, nec enim in omni cauſſa orator perſuadebit, nec medicus ſanabit: ſed ſi nihil omiſerit eorum, quæ fieri potuerint, præclarè ſciētia inſtructū fuiſſe dicemus: hic locus de fine artium manifeſtiſſimus eſt. Non ſemper orator perſuadebit (inquit) nec medicus ſanabit: orator tamen ac medicus fuerit, artisq́; ſuę finem adeptus ſit, ſi in orando, ſi in medendo, nihil rhetoricæ artis, nihil medicæ artis omiſerit. Sic logicus, qui inventionis & diſpoſitionis artibus orator ille eſt (quem nominat Ariſtoteles) propoſitū problema non cuivis ſemper probabit, ſi tamen nullum genus argumenti, nullam vim enuntiationis, argumentationis aut methodi, ſi nihil quod tes tulerit, artis omiſerit, finem logicæ cōſequutus erit. Ergo hæc Ariſtoteles de fine artis. Quintilianus lib.2.cap.17. eadem ferè quæ hic Ariſtoteles, ſic Interpretatur. Aiunt etiam omnes artes habere finē aliquem propoſitū, ad quem tendant: hunc modò nullum eſſe in rhetorica, modò nō præſtari eum, qui promittatur, mentiuntur. Nos enim finem eſſe jam oſtēdimus, & quis eſſet diximus: præſtabit hunc ſemper orator, ſemp enim bene dicet: firmū autē hoc, quod opponitur, adverſus eos fortaſſe ſit, qui perſuadere finem putarūt. Noſter orator atsq; à nobis finita nō ſunt poſita in eventu, tendit quidem ad victoriam, qui dicit, ſed cum bene dixit, etiam ſi non vincat, id quod arte continetur, effecit. Nam & gubernator vult ſalvam navē in portum pervenire, ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetq́; notum illud, dum clavum rectum teneam. Et medicus ſanitatem ægri petit, ſi tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliòve quo caſu ſumma non cōtingit, dum ipſe omnia ſecundum rationem fecerit, medicinæ fine non excidit. Ita oratori bene dixiſſe finis eſt. hæc ille. Ergo finis eſt logicæ bene diſſerere, quod etiam logicus præſtare poſſit, quamvis quæſtionem non ſemper obtineat. Quare in Organo logico duos locos interpretes intueri, & ex iis ſententiam Ariſtotelis Interpretari, vel potius Ariſtotelem Ariſtotelis interpretē ſequi debuerant. Finis eſt, cujus gratia fiunt, & quo referuntur omnia: ſic in Ariſtotelis philoſophia finis definitur ad bene diſſerendum, omnia logicæ præcepta referuntur, & ejus gratia invēta deſcriptaq́; ſunt omnia. Finis igitur ille verus eſt. Ariſtoteles hoc admonet, hoc philoſophatur, id igitur fuerat interpretibus cōſiderandū, hoc ſyllogiſmo de fine erat æſtimandum & judicandum, reliquæ artes comparandæ. Sic Grammaticæ, Rhetoricæ, Medicinæ, Arithmeticæ fines ſunt, bene loqui, bene dicere, bene curare, bene numerarē, quia ad eos fines, omnia diſciplinarū earum præcepta & dogmata referuntur. Quamobrem Ariſtotelem bene ſentientem, verum philoſophiæ ſuæ interpretē audiamus, & logicæ & dialecticæ finē dicamus eſſe, bene diſſerere, ut definitio noſtra ſit actu, & nomine, ſic fine generalis & univerſalis.

CAP. VII. DE SVBIECTO
Dialecticæ & quæſtionum inutili in logicis diſtributione.

SEd de fine ſatis, huic conjuncta quæſtio magna eſt de ſubjecto Dialecticę, quid ſit, quod diſſerendo tractari poſsit. Omnia dico, nihil excipio, atq; id Ariſtotele authore confirmo. Atq; illud mirum eſt, primo quarti philoſophiæ, ens quatenus ens, ab Ariſtotele, dialectico ſubjectum, imò verò non ens, omninoq́; quidlibet ſeu verum ſeu falſum, quod tractari ac ratione diſputari & explicari poſſit. Nam quamvis Ariſtoteles triplicem faciat hujus univerſæ facultatis uſum, philoſophicum, dialecticum, ſophiſticū, attamen

men ens cõmuniter ſingulis propoſitum eſſe dicit ſecundo quarti philoſophię. Nã circa genus idem ait, Sophiſtica & Dialectica, cũ philoſophia verſantur: ſed ab hac quidẽ facultatis modo differt, ab illa autem vitæ propoſito. Ea ſiquidem Dialectica tentat & experitur, quæ philoſophia cognoſcit, ſophiſtica veró apparet: at non eſt. Ergo de omni ente diſſerere huic facultati ſubjectum eſt, imó veró etiam de non ente. Nam quamvis in philoſophia primo capite ſexti, & ſeptimo undecimi proprié Ariſtoteles cũ Platone ait, ſophiſtis ſubjectum eſſe non ens, attamen idẽ ait in interpretatione, ſecundo capite ſecundi, & quarto capite quarti Topici, & quarto capite primi elenchi, non ens eſſe opinabile, quod Dialectico proprié ſubjicit, & philoſophus ſæpe verſatur in non entis refutatione. Quare etiam non ens philoſopho & dialectico, non ſophiſtæ ſolum ſubjicitur, univerſæque logicæ cõmune ſubjectum, erit etiam non ens. De re autem arti ſubjecta, quid utilius in logica præcipi poſsit, quám in Grammatica, omnino non video. Ergo hac de re organi doctrinam ab Ariſtotele ex variis ſcriptoribus collectam ſpectemus, in qua duæ artes appellantur ſpeciales, apodictica in poſterioribus analyticis, Dialectica in topicis, & in utraque arte genera quæſtionũ proponuntur, de quibus ſpeciatim ſit diſſerendum. At (inquam) dialectica tota communis eſt, univerſalis eſt, nec habet ullum præceptum hujus quæſtionis proprium, illius alienum, ſed omnis entis, imó etiam non entis cõmune. Ad tribunal igitur Ariſtotelis judiciumq; redeamus, γενικὰ γενικῶς explicanda, ſed tamen cauſſa diſceptetur accuratius. Zeno, Xenocrates aut veterũ aliquis in Dialectica ſpecies quæſtionum fecerat. Has conſideremus. In poſterioribus igitur analyticis, quæſtionum genera quatuor dividuntur, an eſt? quid eſt? quia eſt? propter quid eſt. Quamobrem (inquam) quatuor illa quæſtionum genera dividuntur? quia finis eſt quæſtionis? Inventio medii (reſpondet Ariſtoteles) ſecundo capite ſecundi poſteriorum: tametſi nõ ſola medii inventio, ſed multó magis judicium, ſed tamen eſto inventio medii, finis eſt quæſtionis. At (inquam) ad inventionem medii diſtributio quæſtionum & conſideratio nihil adjuvat, una cõmunis eſt inventio medii, vel ab Ariſtotele ipſo in illis ipſis poſterioribus tradita, ut antea declaravi. Ariſtoteles non fecit aliam primæ, aliam ſecũdæ, aliam tertię, aliam quartæ quæſtionis inventionem. Inutilis igitur eſt iſta partitio, quia nihil ad finem confert, quia deniq; ad logicũ uſum non eſt neceſſaria. Grãmaticus Grãmatica res omnes loquitur, quo genere quæſtionis quæſitas, nihil laborat. Sic & logicus rem omnem diſputat, qua ſpecie quæſtionis res quæſita ſit, non attendit, nec ullum habet ad eam ſelectum vel invẽtionis vel diſpoſitionis catholicũ præceptum, non diſputo partitionem vitioſam eſſe, quia præterea multa quærãtur, ut ubi, quando, qualis, quantus. Non diſputo Dialecticæ artis uſum eſſe frequentiſsimum, ubi nihil quæritur, ut in principiis & omnibus enuntiatis per ſe manifeſtis, ut in eorum diſputatione & methodo. At demonſtro partitionem ſine cauſſa, imó fallaci cauſſa confictam eſſe, quia invẽtio medii qui finis efficitur quæſtionis, nulla eſt ſpecialis, ne in libris quidẽ, ubi hæc finguntur. Partitus erat Eubulides, Antiſthenes, aut veterum neſcio quis quæſtionem dialecticam in ſpecies quatuor, de accidente, genere, proprio, definitione. Id in Ariſtotelis Bibliothecam aſſumptũ eſt. Ad Ariſtotelem igitur provocemus, legem eandem γενικὰ γενικῶς uſurpemus. Deniq; juſtum non eſt (ait Ariſtoteles) quod commune quod generale ſit proprié & generaliter docere. Ergo hæc Dialecticæ quæſtionis diſtributio tollatur. Spinæ hæ ex agro logico tollantur. Non diſputo partitionem hanc vitioſam eſſe, quia Dialectica quævis quæſtio ſit & entis & non entis, ut pauló antẽ propoſui. Ideoque etiam non dico partitionem hanc propoſitæ Ariſtotelis doctrinæ adverſariam eſſe et contrariam. Illic enim Dialectica de omni & ente & nõ ente: hic veró tantum de accidente, genere, proprio, definitione, diſputare dicitur, tãtam repugnantiam non ſolum reprehendo, ſed confirmo totam hanc partitionẽ inutilem, minimeq; catholicam eſſe, & adverſus eundem morbum, remedium idẽ profero, ad finẽ quæſtionis, ad medii inventionẽ, nihil hæc diſtributio prodeſt. omnium problematum cõmunis una eſt invẽtio, cauſſarum, factorũ, ſubjectorum, adjunctorum, & reliquorum. Quare tam

aſperi ſentes & hamati quibus ingenuæ artis ſtudia tam vehementer & tam diu impediuntur, amputandi ſunt, vel potius radicitus evellendi, ne unquam fruticentur. Quid igitur contra eſt? Ariſtotelis (inquã) authoritas illa 5. cap. 1. topici, quod una in omnibus quæſtionibus logica nõ ſit quærenda, quia nec ſit facilis inventu, & ſi inventa ſit, omnino tamẽ obſcura ſit. Ob hanc igitur rationem quæſtionum genera diſtribuũtur, & ad ſingulas quæſtiones certæ inventiones adſcribi videntur. Et certé ſi partienda quæſtio fuit, ea ratio partiendi fuit. Concedo, finis enim quæſtionis, eſt inventio medii, ut Ariſtoteli placet, & ſi diverſarũ quæſtionum diverſæ ſunt inventiones certé diſtribuenda quæſtio fuit. Eandem rhetores ſpeciem facilitatis & cauſſam ſibi propoſuere, ut ſpeciales invẽtionis artes tam multas deſcriberent. Sed logicis primum reſpondeamus. Non poteſt inſtitui (ait in topicis neſcio quis ille author) una communis inventio omnium quæſtionum. At (inquam) jam antea in definitionis principio demonſtravimus totam vel in organo Ariſtotelis logicam omnino generalem eſſe: nunc etiam totam inventionem vel in eodem organo generalem inſtitui, imó etiam inſtitutã laudari preſsius evincamus. Etenim generalis hæc invẽtio inſtituitur cap. 31. primi priorum, & ita concluditur: Via igitur & ratio de omnibus eadem. At dices illam quidem inventionem, quæ primo priorum traditur, eſſe apodicticę & Dialecticæ communem. Verum (inquam) id eſt, & hoc ipſum diſputo, unam dico artem inventionis communem omnium quæſtionum tradi poſſe, & jam traditam ab eo ipſo, qui id negat, doceo. Quare fallax hic etiam cauſſa prętexitur. Quid veró ſi in topicis, ubi hoc negatur, generalis inventionis doctrina & cõmunis omnium Dialecticarum quæſtionum docetur, quid argumentis noſtris opus eſt ad eum refellendum? At in topicis nulla inventio docetur Dialectica, præter generales & omnium quęſtionum cõmunes locos (ut antea dixi) neque ſpeciales ulli ſunt, ſed iidem generales in ſingulis libris admirabili tautologia illa iterati. Quare in vẽra & tradita eſt in topicis illa ipſa inventionis communis doctrina, quæ negatur inveniri poſſe. Age veró quid ſi etiam conſtiterit generalem illam & communem inventionis artem vel in topicis ipſis eſſe probatam nominatim, et laudatam? An diceretur ab Ariſtotele omnino difficilis & moleſta, cum ab Ariſtotele ipſo laudetur & probetur? At primo, tertio, ſeptimo topicis libris communes loci unicé commendantur: primiq; topici capite duodecimo ita ſcribitur: Sumendæ veró quám maximé univerſales loci, ſic enim ſumpti ad plura commodiores fuerint. Sed id etiam rurſum multo manifeſtius topici ſeptimi capite ſecundo ſcribitur, ubi communes cõparatorum & conjugatorum loci nominatim collaudantur. Cõmodiſsimi namque ſunt (ait Ariſtoteles) ad res plurimas, atq; é cæteris qui maximé ſunt communes. Quapropter his tribus trium topicorum librorum locis nominatim communis illa inventio commendatur & collaudatur. Quamobrem cum quæſtionũ diſtributio ad quæſtionum ipſarum finem nihil conferat, cum diſtribundæ quæſtionis cauſſa vel in iis ipſis libris (in quibus cõſtringitur) falſa reperiatur, diviſio quæſtionum é Dialecticis tollatur. Eadem iſta facilitatis ſpecies in hac excuſatione valeat, quæ ſané pares tenebras in rhetoricis, ut hic ad extremum rhetoribus etiam reſpondeam, peperit, ſimilitudine etiam magnifica á Cicerone defenſas. Ego aũt, ait oratorio ſecundo, ſiquidem plané rudem inſtitui ad dicendum velim, his potius tradam aſsiduis uno opere eandem. Diem noctemq; tundentibus, qui omnes tenuiſsimas particulas, atq; omnia minima manſa (ut ajunt) nutrices infantibus pueris in os inſerant. Sin ſit is, qui & doctrina mihi liberaliter inſtitutus, & aliquo jam imbutus uſu, & ſatis acri ingenio eſſe videatur, illuc eum rapiam, ubi non ſeclusa aliqua aqnula teneatur, ſed unde univerſum flumen erumpat: ut illi ſedes & tanquam domicilia omnium argumẽtorum commonſtret, et ea breviter illuſtret, verbisq; definiat. hæc ille magnificé ut ſolet omnia, ſed parum logicé. Etenim illa omnia minima ſpecialium artium manſa, & tenuiſsimæ, quæ dicuntur, particulæ, falſa ſimilitudine dicũtur: ubiq; enim, vel in illis ipſis ſpecialibus artibus, buccæ cauſſarum, factorum, & reliquorum argumentorum ſunt eædem. Unus eſt Luteriæ Sequana, ut aliâs expoſui, ad multos tamen uſus & varios accõmodatus,

lavan-

lavandum, squandum, vehendum, irrigandum, coquendum, ſic una eſt logica varii & multiplicis uſus, in propoſitione neceſſaria, probabili, captioſa, ars tamē una. Si Grammaticas tres aliquis ineptus nobis inſtituat, unam civilem, alteram agreſtem, tertiam de vitiis ambarum, meritó rideatur á Grammaticis omnibus, qui unam Grammaticam norunt omniū ejuſdem linguæ hominum communem. Rivuli hic nulli ſunt, flumen eſt univerſum, quod rudi & puero facilé tamē notatur. Grammatica iſta ſimilitudo hic apertiſsima eſt & facillima eſt, & á nobis ideo ꝓpoſita: aquulæ ſecluſæ hic nullæ ſunt, nec eſſe quidem omnino poſſunt: cauſſarum, factorum, & reliquorum argumētorum: item enuntiati, ſyllogiſmi, methodi conſideratio & diſtributio cōmunis, alias minutiores ſectiones nullas capit. Grammatica, Etymologia alia civilis, alia agreſtis fingi nō poteſt. Deniq; ſi fieret, catholicū id non eſſet, ſophiſticum eſſet (ait) lex Ariſtotelis. Sed hac de re in ſcholis rhetoricis Ciceroni & Quintiliano reſpōdimus. Quamobrem conſtet ex Ariſtotelis judicio & teſtamento, de ſubjecto, de quæſtionū diſtributione nullum in legitima logica legitimū locū eſſe, Ariſtotelemq; hactenus á nobis adverſus interpretes & confictas eorum calumnias optimo jure defenſum eſſe.

CAP. VIII. DE LEGITIMA *partitione Dialecticæ in inventionem & judicium.*

VEruntamen de logicæ artis definitione hactenus pauló accuratius, quia principium bene conſtitutū & fundamentū lucem univerſæ artis continet, depravatum & corruptum contrá genuit totam artis confuſionem. Partitio ſequitur in invētionem & judicium, cujus pro Ariſtotele defenſio non minore alacritate ſuſcipienda nobis eſt. Dico igitur primūm logicæ partitionem in inventioné, & judicium eſſentialem eſſe Dialecticæ arti, deductamq; eſſe ex illo fonte naturalis ratiōis atq; uſus, quia naturaliter cogitamus primū quæ diſſerenda ſunt, deinde iis diſpoſitis judicamus: tertium in hoc uſu rationis nihil eſt, his duabus partibus aliena conſilia judiciaq; perpendimus, noſtraq; exequimur: ſic in poetis, oratoribus, philoſophis, logicas laudes intelligimus, ſic intellectas imitamur, ſic logicá exercemus ſic totá logicæ artis eſſentiá cōplectimur. Hæ deniq; geminæ Moſaici λογικῆ notæ ſunt Urim & Thumim. Sed enim diſtributionis hujus veritatem Ariſtoteleam etiam eſſe doceamus. Quid igitur Ariſtoteles de hac partitione? Si libros organi conſideres univerſos, comperies in iis logicæ nihil præter has partes inſtitui, totāq; organi eſſentiá doctrināq; iis comprehendi, Categoremata categoriæ, abundātis propoſitionū, apodictica in cauſsis, factis, ſubjectis, adjunctis, affectionib. in diſtributione, in genere, ſpecie, in definitione: itē topica tota ſunt ut toti itē feré Elenchi ſunt inventionis ἑρμηνείας enuntiati, analyſis prior ſyllogiſmi, analyſis poſterior methodi tota eſt judicii. Itaque omnia organo cōprehenſa duab. his partib. non cōprehendūtur ſolum, ſed diſtinguuntur & ordinātur. Atq; interdum etiá in organo comperies iſtas partes nominatim appellari & ꝓponi. Primo analytico tres logicæ univerſæ partes ab Ariſtotele proponuntur, ut jam citavi, inventio, cōpoſitio, reſolutio, ubi invētio & cōpoſitio nominatim Dialecticæ artis partes & ſiunt & appellantur. Cōpoſitio aūt & judiciū hic idē eſt, ut in Dialectica noſtra intellectū eſt, & poſtea in analyticis intelligetur. Cōpoſitionis etiam nomine methodus cōprehenditur. Ergo partitio inventionis & judicii iſto loco proponitur, additur ἀνάλυσις reſolutio cōmunis utriuſq;, unde partitio facta eſt obſcurior. Talis enim analyſis eſt examinatio in ꝓpoſitis exemplis noſtris vel alienis, quorū & inventio & cōpoſitio explorāda ſit. Ut ſi Varro partiretur Grāmaticā in Etymologiā ſingularum vocū, & ſyntaxim ipſarū inter ſe, et in analyſim, partis utriuſque dichotomiam revera cōplecteretur, ſed obſcuraret: addita parte tertia, quæ Grammaticā novam & á duabus primis diverſam nullam traderet. Sic enim analyſis in logica eſt examen argumenti, enuntiati, ſyllogiſmi, methodi, id eſt logicæ artis univerſæ: ut primo analytico percipitur. Quare primus hic Ariſtotelis locus revera ac veritate partitur totam logicam artē in inventioné & judicium, in eamq; partitioné non accidens partis alicujus attingit, ſed totius logicæ naturá, ſed totū organicæ doctrinę corpus diſtribuit. Secundus locus eſt, 1. cap. 8. topici, cum jam tota

inventionis doctrina ſuperiorib. topicis eſſet expoſita. Poſtea veró (ait Ariſtoteles) de diſpoſitione et quomodo ſit interrogandũ præcipiatur. Neceſſe veró eſt imprimis eum, qui ſit interrogaturus, locum invenire unde diſſerendum ſit. Secundo autẽ interrogare & diſponere ſingula apud ſeipſum, reliquũ aç tertiũ, hæc apud alterum dicere. Hic non ſolum inventio, ſed etiã diſpoſitio nominatim proponitur. Itaq; rurſus revera ac veritate partitio inventionis & judicij ab Ariſtotele cõprobatur, & inventio melius quã antea judicio pponitur: ſed tertia prçterea pars additur dictio, quæ Grãmaticæ vel Rhetoricæ fuerit. Itaq; tertia hac parte inventioni & diſpoſitioni addita, rurſus ut antea, partitio legitima nonnihil turbatur, & tamen utroq; loco perſpicimus partitionẽ Dialecticæ in inventionem & judiciũ, ſeu diſpoſitionem nominatim ab Ariſtotele inſtitui & confirmari, & qui partitur logicã in inventionem ac judiciũ, authore Ariſtotele legitimé partitur. In rhetoricis aũt, ubi naturalis & humanus uſus magis, quám in ſcholaſticis logicorũ placitis elucebat, eadem quæ in Topicis tripartita partitio propius exprimitur ab Ariſtotele primo capite tertii libri. Tria ſunt in oratione cõſideranda (ait Ariſtoteles) unũ quidẽ, unde probationes ducuntur: ſecundũ verſatur in elocutione: tertiũ quomodo partes oratiõis oportet diſponere. Hic igitur fides ex eventu nominatur, quæ prius inventio dicta eſt. Diſpoſitionis verbũ idẽ manet, ut dictionis, actio etiã additur, ſed tamẽ unũ illic veré & recté ait Ariſtoteles, elocutioné & actioné, propter auditoris improbitatem repertas eſſe, ſolas partes, fidem & ordinem id eſt inventioné & diſpoſitionem ad veré docendũ pertinere: dictioné & actionem nõ attinere. Idq; magno & nobili Geometriç exemplo cõfirmat. Quæ cũ veriſsimé doceat, probatione rñ ſola & collocatione utitur, elocutione rhetorũ, & actiõe nil utitur. Nullus enim ſic Geometriam docet (ait Ariſtoteles.) Qui locus diligenter animadverſus & cõſiderátus totã de logicæ artis partitiõe cõtroverſiã evidentiſsimé dirimet. Interroga igitur Ariſtotelé utrũ inventio argumentorũ et eorũ collocatio ſint bene docédi, diſſerédi, probãdi eſſentiales partes, reſpõdebit nõ ſolũ eſſentiales partes eſſe, ſed ſolas eſſe partes: quáobrẽ quia dicet, Geometria (quæ omniũ artiũ perfectiſsimé docet, diſſerit, pbat) his ſolis partib. utitur. Quapropter Ariſtoteles tertio clariſsimæ veritatis & clariſsimo teſtimonio teſtificatur Dialecticç legitimas partes & eſſentiales eſſe inventionẽ & judiciũ, imó eas ſolas eſſe neceſſarias teſtificatur. Sed (inquies) in rhetoricis eaſdẽ inventiõis & diſpoſitiõis artes etiã docuit, verũ (inquã) Rhetoricã modó Dialecticæ dicit antiſtrophõ, velut ex altera parte ei reſpõdeat, vel potius tãquã cũ ea cõvectatur: id enim eſt in philoſophia Ariſtotelis ἀντιστρέφειν: modó propaginẽ et ſimilitudinẽ Dialecticæ dicit. Cõtroverſia igitur hæc ad Iudiciũ Ariſtotelis referatur, utrũ duarũ artiũ duo tota & integra prçſertim mẽbra eſſe poſsint. Ariſtoteles é ſecũda lege de materia artis reſpõdebit, qđ homogeneũ ſit ĩ arte una, ĩ altera heterogeneũ eſſe, arithmeticũ in geometria eſſe ἀσύμμετρον, geometricũ in arithmetica eſſe ἀνάριθμον. ſic rhetoricũ in logica ἄῤῥητον, et logicũ in rhetorica ἄλογον. Itaq; bella iſta ſeu converſio ſeu propago tollatur. Artiũ fines, Ariſtotelea iſta tã regia lege, tamq; juſta regantur. Cõmunis & generalis dictiõis ornatus, rhetoricç propriũ ſubjectũ eſt. Doceat igitur Dialectica partes rationis invẽtioné & diſpoſitioné. Neq; rhetorica quicquã hic uſurpet. Doceat igitur rhetorica partes ornãdæ dictiõis, elocutioné & actionem. Dialectica nihil hic ſibi aſſumat: Dialecticus vel topicus dictionem Grãmatico & rhetori reſtituat: rhetor inventioné & diſpoſitioné logico cõcedat, uſus artiũ prçceptis diſtinctarũ ubicunq; res poſtulabit & quomodocunq; miſceatur: uſus (inquã) cõjungatur, præcepta ſeparẽtur: hoc Ariſtotelis lex illa ſingularis jubet & imperat, qua ſpreta & cõtempta, duas artes primas rhetoricã & Dialecticã turbatiſsimas habebimus. Hic Ariſtotelis antiſtrophon, propaginé, ſimilitudiné nõ cõfundes, duas artes diverſas duob. diverſis diverſorũ præceptorũ generib. ſeparabis & diſtingues, invẽtioné et judiciũ, ſeu diſpoſitioné Dialecticç, elocutioné & actioné rhetoricæ tribues. Quáobrẽ partitionẽ tã præſtãré ex Ariſtotelis Bibliotheca trib. teſtimoniis, imó legib. & judiciis deducimus, tota logica eſt in invẽtiõe, & diſpoſitiõe, ait ĩ analyticis Ariſtoteles, tota logica eſt in invẽtiõe & diſpoſitiõe, ait in Topicis Ariſtoteles. Tota bene docẽdi

doctrina

doctrina eſt in invẽtione & diſpoſitione, neq; in ullis partibus aliis, ait in rhetoricis Ariſtoteles. Quamobrem qui partitur logicam in inventionem & diſpoſitioné, Ariſtotele authore partitur. Quid veró logici illi politici, qui hanc artẽ in uſum popularem deduxerunt, quid de hac partitione ſentiunt? Enimveró ſummo cõſenſu complectũtur, & Dialecticæ tribuunt. Hoc enim Tullius ait in topicis: Cú omnis diligens differendi ratio duas habeat partes, uná inveniendi, alterá judicandi, utriuſq; princeps, ut mihi quidẽ videtur, Ariſtoteles fuit. Ergo Tullius hanc Dialecticę partitioné ſuſcipit, imó veró ejus laudem Ariſtoteli tribuit, ut mirum ſit Ariſtoteli ab Ariſtotelis nonnullis interpretibus tantá laudem eripi. Sed & poſt Ciceronem Quintilianus eandẽ diſtributionem tanquá inter Dialecticos indubitatá ſtatuit, cum de Dialecticis circa finé libri quinti loquitur. Sibi & inveniẽdi & & judicandi vendicant partes, quarũ alteram τοπικὴν, alterá κριτικὴν vocant. Ergo alter hic rhetor eandem partitioné conſenſu Dialecticorũ receptam & approbatam profitetur. Ariſtoteles igitur tot tamq; inſignib. teſtimoniis, poſtq; Ariſtotelẽ Tullius & Quintilianus logicæ partitioné in inventioné & judicium approbarunt. At interpretes ais perantiqui & pereruditi cõtra ſunt. Ecquid (inquá) ſi interpretes iſtis interpretib. antiqores atq; eruditiores iſtá cum Ariſtotele partitioné approbarint, atq; ad iſtas partes Ariſtotelis organú accõmodarint? quid erit deniq; cõtroverſiæ reliquũ? Age dum quæſtionem hãc á ſcholaſticis Ariſtotelis interpretib. repetamus, nulline é primis illis peripateticia Ariſtoteleæ philoſophiæ doctores hanc inventionis judiciiq; diſtributioné viderint atq; approbarint? & hoc Ariſtotelis judiciũ eſſe contenderint? Enimveró Adraſtus (ut apud Simplicium eſt) peripateticorũ clariſsimus, qui ante Alexandrũ Ariſtoteleá philoſophiá profeſſus eſt, hãc partitioné probavit, & ad organũ Ariſtotelis accõmodavit. Idq; Ariſtotele non ſolum é productis illis antea locis authore, ſed tanquá digito præmonſtrante feciſſe potuit: animadvertere ſiquidem licuit analytico primo ab Ariſtotele mediorũ & argumentorũ inventioné ſummatim repeti, plenioris autem abundantiæ gratia auditoré ad topica prius inſtituta remitti. Summatim igitur (ait illic Ariſtoteles) quẽ admodũ propoſitiões eſſent inveniẽdæ, feré dictum eſt, δι᾽ ἀκριβείας δὲ διειλήφαμεν ἐν τῇ πραγματείᾳ περὶ τὴν διαλεκτικήν: accuraté veró diſſeruimus in tractatu de Dialecticis, id eſt, ut Græci interpretes interpretantur, in topicis. Hunc igitur locũ Adraſtus in Ariſtotele rei ipſi ac veritati tam cõgruentem notavérit: quo teſtatur Ariſtoteles ſibi inventionis logicá ante deſcriptá eſſe, quám de enuntiati & ſyllogiſmi, id eſt, judicii logica prӕciperet. Itaq; Adraſtus ex Ariſtotelis non ſolúm judicio, ſed præſcripto & mandato totum logicũ organũ ita diſponebat, ut categoriæ primæ eſſent, topica ſequerentur, & categoriis ideo τὰ προτοπικῶν appellabat: hæc erat logicæ inventio. Secũdo poſt inventioné loco collocabat judicii diſpoſitionem ἑρμηνείαν in enuntiato, ἀνάλυσιν priorem in ſyllogiſmo, poſterioré in doctrinarũ methodo. Hæc erat γένεσις ſimul & ἀνάλυσις: totumq; ideo logicæ artis corpus. tota eſſentia naturaq;, tum ad utriuſq; partis vitia duos cõmunes Elenchorũ libros adjũgebat, in eoq; doctoris Ariſtotelis methodum ab univerſalibus ad ſpecialia ſtudioſé ſequebatur, neq; quicquam hic μὴ φιλονεικότερον, id eſt Ariſtotelis ſummæ gloriæ cõſentaneũ magis eſſe potuit, & poſt Adraſtũ Philoponus é recentioribus interpretibus longé doctiſsimus. Itaque quód logicam in duas partes inventioné & judiciũ ita diſtribuimus, Ariſtoteleorũ primariorũ & antiquiſsimorũ judicio & authoritate diſtribuimus, et quod tãquá novum nobis objicitur, id antiquiſsimũ eſſe demonſtro. Quapropter logicæ partitio in inventionem et judicium, partitio eſt naturalis logicæ, á Moſe tam auguſtẽ demonſtrata, ab Ariſtotele toties affirmata, á Cicerone & Quintiliano celebrata, ab antiquiſsimis & doctiſsimis interpretibus in ſcholas inducta.

CAP. IX. DE VITIOSA PARtitione logicæ ab interpretibus conficta.

QVid igitur? quis legitimá inventionis & judicii partitioné repudiavit? quis artem confudit? Homines certé logici uſus imperiti: Ariſtotelearum legũ ignari aut ſaltem de iis nimium ſecuri. Alexander Themiſtius, Porphyrius, Ammonius, Simplicius. Deinde infiniti interpretes & Græci pariter & Latini &

Arabes,& omniū toto terrarū orbe, ſcholarum magiſtri, quorum ſentētia nō una eſt, cōtrahā é rebus ipſis ſummá. Viderūt igitur interpretes aliam partitionem, nō illam toti logicæ eſſentialem aut vniverſo organo cōmunem, ut erat illa invētionis & judicij Adraſtea partitio, ſed tamē in organo, qua enuntiatū & ratione enuntiati deinde ſyllogiſmus ſimiliter diſtribuitur in apodicticum, dialecticū, ſophiſticū. Itaq; é differētia illa enuntiati (quæ logicæ artis particula eſt) falſò ratiocinati ſunt de totius organi differentia, ut logicā facerent partim apodicticam, partim dialecticā, partim ſophiſticā, triumq; partium cōmunia principia facerent, categoremata, categorias, ἑρμηνείαν ſyllogiſticā. Hæc ſummaria eſt recentiū interpretū diſtributio, non tamen omniū. Philoponus enim præponit topica apodicticis: ſed tamē interpretū diſtributio, quæ ut é reipſa ſi nō ex eorū verbis patet, primó biſariam organū frangit, in principia logicæ, et orta de principiis. Principia eſſe categoremata, categorias, ἑρμηνείαν ſyllogiſticá. Orta de principiis eſſe tria illa genera, apodicticū, dialecticū, ſophiſticum. Atq; ob hanc triplicē enūtiati differentiam in diſponendo organo ἑρμηνείαν & tota analytica topicis antepoſuerunt, totamq; logicam ita confuderunt, ut inventio primó quædam præcederet in categorematis & categoriis, deinde judicium enuntiati, ſyllogiſmi, methodi ſequeretur, tum rurſus inventio in apodicticis, in topicis, in Elenchis etiam iteraretur. At (inquam) multo major Adraſto fuerat Ariſtotelis authoritas ad topica analyticia præponēdum: cū Ariſtoteles nominatim profiteatur topica á ſe analyticis eſſe præpoſita. Idq; & res ipſa logica veritasq; flagitet. Enuntiatum, eſt apodicticum, dialecticū, ſophiſticum, indeq; ſyllogiſmus apodicticus, dialecticus, ſophiſticus, ait alibi Ariſtoteles: quid tum (inquam.) Ergo, ajunt interpretes, ex Ariſtotelis authoritate partiendum eſt organum non in inventionē & judiciū, ſed ad hanc triplicem differentiam diſtribuendum. Id veró in iſtis interpretib. non conſtantis judicii ſyllogiſmū, ſed captioſi elenchi paralogiſmū Adraſtus eſſe confirmaret. Etenim differentia illa triplicis enuntiati retineri in ἑρμηνείᾳ potuit, ut á nobis retinetur, ſalva tamen Adraſtea invētionis & judicii partitione, neque repugnantia ulla bene judicanti hic fuerat, non ſané magis quám ſi diceres enuntiatum eſt affirmatum aut negatum, indeque ſyllogiſmus affirmatus aut negatus. Ergo logica non eſt diſtribuenda in inventionem & judicium, ſed in affirmatam & negatam. Nam affirmatio & negatio tam ſunt affectiones enuntiati, quám verum & falſum, verum neceſſarium aut probabile. Quare differentia illa Alexandrum & ab eo interpretes reliquos meritó movere non potuit ad Adraſteam partitionem repudiādum. Sed tamen ſunt Ariſtotelis interpretes de partiendo Ariſtotelis organo controverſi, an igitur controverſiæ hujus Ariſtoteles ipſe ſuis legibus judex eſſe non potuit? An de duabus partitionibus utra logicæ artis veritati, & utilitati congruentior eſſet é principio Ariſtotelis & teſtamento judicari non potuit? Quamobrem ſedeat judex in controverſia de organi ſui diſtributione, leges de materia formaque artis huc appellentur. Adraſtus ſine dubio cauſſam obtinebit, ſtultitiamque Alexandri, Ammonii & recentium reliquorum refutabit. Etenim primò diſſeret organi totam eſſentiam naturamque eſſe in illa inventionis & judicii partitione, ad inventionem categoremata, categorias, abundantiam propoſitionum, repetitaque in apodicticis, topicis, Elenchis categoremata inventionis eſſe, reliqua de enuntiato, ſyllogiſmo, methodo, judicii eſſe. At neceſſitatis, veriſimilitudinis, falſitatis differentia ex una tantum logicæ particula in enuntiato eſſe: imò ne ex una quidem particula eſſe. Neque enim ἑρμηνεία, id eſt enuntiati logica eſt partim neceſſaria, partim veriſimilis, partim captioſa, ſed tota eſt neceſſaria: ſecus ars non eſſet, ſed opus ἑρμηνείας, id eſt enuntiatum eſt neceſſarium, veriſimile, captioſum.

Quare differentia illa triplex non pertinet ad particulam logicæ artis, ſed ad effectum atque exemplum particulæ.

Quare ſi quis affirmet enuntiati logicam eſſe partim neceſſariam, partim probabilem, partim ſophiſticam, de arte veritatis magiſtra falſum affirmabit. Hoc igitur primum erit Adraſti fundamentum, in partitione inventionis & judicii totam organi eſſentiam, naturamque comprehendi: in partitione autem

tem

tem triplicis differentiæ nil eſſe niſi accidens é paniculæ unius exemplo & opere. Veré igitur affirmatur totam logicam eſle partim inventionis, partim judicii: falſó autem affirmatur totam logicam eſſe partim neceſſariam, partim veriſimilem, partim captioſam. Atque ita partitione recentium interpretum prima lex Ariſtotelis κατὰ παντὸς violatur. Ecquid veró ſi partiatur Adraſtus corpus in crura, in ventrem, in veſtem, quos cachinnos Alexander ſuſtulerit? at bella hæc partitio logicæ in apodicticam, dialecticam, ſophiſticam, paris eſt ſapientiæ. At veſtis (inquies) nulla pars eſt corporis: verum inquam, & ſophiſtica nulla pars eſt logicæ artis. Logica eſt ars virtutis, ſophiſtica eſt vitii, vitia virtutibus (ut prædixi) heterogenea ſunt, neque magis in logica neceſſe eſt elenchos ſeparatis præceptis inſtitui, quám barbariſmos aut ſolœciſmos in Grammatica. E virtutis doctrina oppoſita vitia percipiuntur, ſecus doctrina ipſa, ut patebit in poſterioribus analyticis, legitimé tradita non eſſet, niſi per eam contraria vitia perciperentur. Hoc igitur erit ſecundum Adraſti adverſus tripartitam logicæ diſtributionem firmamentum, quód ea partem minimé neceſſariam complectitur. Atque ita lex Ariſtotelis altera καθ' αὑτὸ violatur, quæ jubet artium decreta eſſe per ſe homogenea & tanquam conſanguinea. Sed hoc utroque & falſi & alieni elencho argumentum tertium erit Adraſto multo majus graviuſque etiam detracta ſophiſtica. Quid enim ſi partiatur Adraſtus corpus hominis in caput pileo nunc albo nunc nigro tectum? quid Alexander? nónne partitionis inſaniam mirabitur? At partitio lógicæ detracta ſophiſtica, in apodicticam & dialecticam, talis omnino fuerit, ex una nempe parte artis & eadem quæ colore quæſtionis tantum variata bis proponatur: logica enim inventio quæ eſt in apodicticis de cauſsis, factis, ſubjectis, adjunctis, genere, ſpecie, diſtributione, definitione, in topicis iteratur (ut antea dixi) & in ipſis apodicticis topicisque evidentiſsimé demonſtrabo. Color quæſtionis an eſt, quid eſt, qua eſt, quamobrē eſt, utrum accidens, genus, propriū, definitio, tantum variatur, & color ut docui in logicis artibus ineptus & inutilis. Quare partitio iſta in apodicticam & Dialecticam, rem generalem & eandem ſæpius iterando, nugatoria eſt & contra tertiam Ariſtotelis legem καθόλου πρῶτον inſtituta. At (inquies) Adraſtus nihil ad priorem illam interpretum & antiquiorem partitionem reſpondet, de principiis logicæ artis deque iis quæ ex illis principiis oriuntur. Sané quoniam in organo nominatim iſta partitio non habetur, & interpretibus ſecundaria veluti diſtributio facta eſt ad iſtam triplicem fulciendum. Enimvero ſi interpretes priorem iſtam & antiquiorem partitionem ſibi proponerent, viderentur Adraſteam partitionem præcipué probare & amplecti, communibus & vagis iſtis principiorum & é principiis ortorum ſymbolis: cauſſa enim, genus, ſpecies, definitio, & cætera categoremata ſunt logicæ artis principia, elementa, ſimplicia, quomodo & ab Ariſtotele & á nobis in logica appellantur. Ex iis autem orta & compoſita ſunt (ut dixi) κριτικά, ut enuntiati, ut ſyllogiſmi, ut methodi. Atque ita verbis Alexander Adraſti diſcipulus & ſectator fieri videretur: at re ipſa in ſordes ſophiſmatum illorum (quæ prius Adraſtus explicavit) relabitur. Etenim Alexander in iſta priore partitione facit iudiciarias illas enuntiati & ſyllogiſmi artes, principia categorematum & argumentorum, quæ in apódicticis & topicis elenchis reperuntur, & é compoſitis iſtis partium ſuarum principia, id eſt incredibili ænigmate liberos parentum ſuorum patres efficit. Et quidem res ipſa demonſtrat interpretes iſtos, licet alioqui diligentes & eruditos, tamen in organo partiendo fatuæ credulitatis ſtupore neſcio quo valde ſopitos fuiſſe. Ariſtoteles in ipſo organo tam claré tamque aperté facit categoremata & argumenta principia enunciati & ſyllogiſmi, in eaque enuntiatum & ſyllogiſmum reſolvit, id eſt, inventionem judicii principium facit. At interpretes hi, ut illam triplicis differentiæ partitionem ſemel creditam retineant, pervertunt omnia, & enūtiatū ſyllogiſmumq; categorematū & argumentorū, id eſt judiciū inventionis principiū ſtatuunt. Neq; veró hyſterologia iſta tam putida ſola eſt, elenchi enim priores illi ab Adraſto convicti,

hic etiam accumulátur & falſitatis & improprietatis, & nugatoriæ repetitionis, quoniam Organum idem & ſimiliter cõfuſum eſt ut prius. Quare ſi inter Adraſtũ & Alexandrũ Ariſtoteles de Organi ſui ordine & diſtributione judex ſuis ipſe legibus ſedeat: Adraſtum complectetur, Alexandrum rejiciet: illum peripateticæ civitatis germaniſsimum civem, hunc inquilinum & peregrinum dicet: illum civilium legum intelligentem & amãtem, hunc rudem & deſpicientẽ judicabit. Partitionis Adraſteæ tam naturalis tã eſſentialis, tam corpus Organi univerſum perfecté, perſpicué diſtinguentis veritatem, homogeniam, proprietatem, ordinem, præcipué commendabit; Alexandream autem confuſionem reprehendet, neceſſitatis, probabilitatis, fraudis differentiã nihil ad logicæ artis eſſentiam naturamque attinere ſtatuet: hæc enim ſyllogiſmi conſtantia, methodi ordo, nihil omnino attinẽt, ſed operis ex artis particula facti differentiam eſſe judicabit, quæ tamen ipſa differentia in Adraſti partitionem ſine ulla cõfuſione ſuccedat & ſubeat. Atque hæc prima Ariſtotelei judicii cauſſa erit, quod Adraſti partitio ſit ex eſſentia artis naturaque tota. Alexandri ſit ex accidente eoq́; non artis univerſæ, ſed unius tantum particulæ. Sed cauſſæ deinceps illæ multó graviſsimæ erunt, quód Adraſti partitio plena ſit indubitatæ veritatis, legitimæ veluti conſanguinitatis, ſummæ proprietatis, accuratiſsimi ordinis. Alexandri autem diſtributio plena ſit falſitatis, miſturæ alienæ, nugatoriæ repetitionis, confuſionis immenſæ. Quãobrem partitionem logicæ tam neceſſariam, tam homogeneam, tam catholicã, tam methodicam, Ariſtotele judice teneamus. Ergo finem illum prima definitione prẹmonſtratum: ergo vias ad finem conſequendum compendiarias partitionibus directis meminerimus: horum ſiquidem principiorum ignoratio, magni erroris Ariſtotelis philoſophiam ſequentibus cauſſa fuit. Itaque ſublatis velut agri logici terminis & partibus vagantur & errant: quidquid illis occurrit, tãquam logicum arripitur. Inſana proximis ante ſeculis ſophiſmata ſuppoſitionum, ampliationum, & conſimilium nugarum nata ſunt, non magis quidem inutilium quám Organum Ariſtotelis ita cõfuſum, & iis ſcholaſticis clamoribus quibus hodie exercetur, tractatum. Ergo omnes Organi logici magiſtros de tanta re moneamus: cum Homerum, Virgiliumq́ue, Platonem, Ariſtotelem denique ipſum interpretari cogitatis, ſi inventionem & argumẽta ejus omnia excuſſeritis: ſi diſpoſitionem enuntiationis, concluſionis, methodi, perpenderitis, conſilium ejus & judicium videbitis: cum ſenſa veſtra ſcribendo dicendóve exprimitis in duas illas partes etiam artis ignari, tamen natura duce inciditis. Denique quoties logica, id eſt ratione quiſquam utitur, toties inventione, judicioque utitur. Attende igitur per Deum immortalem, quiſquis hæc legis, an de Organo logico ita confuſo, ut eſt in Porphyrio, categoriis, interpretatione, analyticis, topicis, elenchis poſsis eũdem fructum capere? cum Homerum interpretari tibi vel alteri cupies: an conſiderabis Homeri categoremata, categorias, interpretationem, analytica, topica, elenchos? An interpretandis Ariſtotelis ipſius libris, iis ipſis logicis adhibebis eoſdem. Illud veró illud eſt unum, quod te de ſtudii tui jactura monere poſsit. Equidem non dubito quin iſta Dialecticæ ſeu logicæ in invẽtionem & judicium partitio profeſſoribus Ariſtoteleæ philoſophiæ ſcholaſtica conſuetudine imbutis & tanti philoſophi perſuaſione occupatis valde ſit inſolens & nová, cum verba ipſa & inventionis & judicii ſint ipſorum pleriſque prorſus inaudita. Legi permultos libros doctorum & eruditorum philoſophorũ, qui nobis per annos feré triginta in iſta quæſtione adverſati ſunt, cum philoſophis variarum gentium interea multo pluribus aut ſermone aut literis communicavi, neminẽ tamen admodum cõperi etiam ſi modeſtus & pacatus eſſet, etiam ſi vitam in Ariſtotele conſumpſiſſet: attamen qui ſciret quid eſſet inventio, quid judicium, qui Ariſtotelis libri ad hanc vel illam partem attinerent. Sed iſta dubitatio pręcipua fuit in judicandi parte ubi'nam judiciaria logica, & quibus libris ab Ariſtotele deſcriberetur: adeó ut plerique judicium ipſum nullis præceptis ab Ariſtotele inſtitutum arbitrarentur: quod equidem in illis nihilo mirabilius exiſtimavi, quám in Quintiliano exiſtimaveram, qui judicium non magis arte tradi poſſe cenſuit,

cenſuit, quàm guſtatum: de Cicerone & Ariſtotele hominibus & natura & uſu differendi præſtantibus pudor eſt iſtam artis indiligentiam è rhetoricis ſcholis repetere, ut partitionem inventionis & judicii ex alienis libris magis devoraſſe, quá penitus concoxiſſe videantur. Quare ſimplicibus & modeſtis ingeniis hic facilé ignoſco, & tamen ut ſeipſos colligant & exuſcitent moneo. Imó veró potius academiarum rectores excito, homines opinione doctrinæ authoritaté in civitatibus adeptos, & ſcholarum moderationi idcirco præpoſitos. His enim primariis liberalium ſtudiorum magiſtris ſi non omnibus, certé pleriſque cum noſtratia hæc philoſophemata narrantur, ſubtilitatem diſputationis neſcio quam & tanquam declamatoriam Febris aut Buſyridis laudationé repenté ſomniant. Itaque ſi quando in hos philoſophos incidi, ſępe autem incidi, alii rogant, utrum ſerió hæc in Ariſtotelem dicam. Ioculatorias enim exercitationes iſtas ſibi videri. Alii ſpecie modeſtiæ & vultu, id eſt, hypocriſi & faſtu tectiores, tacent aut ajunt Ariſtotelē multis ſæculis & populis approbatum ſeró tandem in quæſtionem revocari, neque ſibi tantum ſumere, ut de tanto viro quicquam aliter ſtatuant. At iis utriſque reſpondeo, permirum mihi videri, quód tanti viri tantaque ſapientia inſtructi & ornati, ita de philoſophia loquātur. Iudices (inquam) á veſtra republ. conſtituti eſtis, de commodiſsima juventutis & optima diſciplina. An in veſtro tribunali ſedentes, animi de officio profeſsionis fideque tam ſecuri eſtis, ut propoſitam vobis & certiſsimis argumentis convictam juvenilis educationis perniciem derideatis aut contemnatis? Perſona authoritaſque veſtra non eſt irriſoris, non eſt contemptoris, ſed cognitoris, ſed judicis. Cognoſcite igitur cauſſam ad vos adductā, delatamque, & ſecundum philoſophicæ civitatis ac reipublicæ leges judicaté. At cavillando & deſpiciendo veſtræ provinciæ fidem ac religionem fœdé proditis, & cauſſam cujus judicium per iſtam modeſtiæ ſpeciem recuſatis, interea nequiter & injuſté condemnatis. Atque hic etiam nonnulli ut elegantiores videantur, logicam in Organo perverſé inſtitui confitentur, nihil tamen temeré innovandum cenſent eſſe. Ecquid (inquam) boni cives incendium in civitate excitatum conſpicitis, neque tamen accurritis ad extinguendum? Hoccine eſt laborantis ſcholæ patronum ac vindicem, an conflagrantis Romæ ſpectatorem Neronem eſſe? Eaſdem in religionis reſtitutione judiciorum remoras ætas noſtra experta eſt, & tamen quod maximé omnium admiratus ſum, pleriſque noſtrorum adverſariorum contra ſanctos Chriſtianę religionis doctores quarūlibet ætatum gentiumve, contra denique ipſum in terris quem aliquando crediderant Deum, judicandi libertas ſumma fuit, quibus religio ſumma eſt contra manifeſta athei philoſophi ſophiſmata cogitare. Quapropter per Deum optimum maximum logicæ artis profeſſores exhortor, ut philoſophiæ veritatem pluris quám philoſophi ullius authoritatem faciant, neque naturæ ſuæ infirmitatem potius accuſent, quod tam alta reconditaque ut arbitrantur, myſteria intelligere nequeant, quam fallacem fallacis opinionis perſuaſionem quam judicii ſui voluntariam ſervitutem deteſtentur, cogitentque adeó ſingulare rationis lumen animis ſuis ingeneratum & accenſum, neque ideo mendacis impoſturæ tenebris extingui patiantur, cōſiderentq; ne dum in philoſophum modeſti videri velint, non jam dico in patriam ingrati, vel in profeſsionem perfidioſi, ſed in Deum impii deprehendantur. Tales denique ſint in Ariſtotele cognoſcendo & interpretando, qualis Ariſtoteles in Platone fuit. Unum enim id illis exopto, ut Ariſtoteles ipſi ſibi ſint vel Ariſtotele etiam præſtantiores magiſtri, ſicut Ariſtpteles nimirum Plato alter eſſe, aut etiam Platone præſtantior eſſe voluit.

CAP. X. DE ARISTOtelis *obſcuritate.*

VErùm enimvero cum tam diligenter & accuraté duo prima logicæ artis principia, definitionem & partitionem, pro Ariſtotelis gloria defendero, novi iſti interpretes magnæ apud omnes ſcholas authoritatis & famæ diligentiam & accurationem noſtram deridebunt, dicent magnificæ definitionis

nis & partitionis principia ab Ariſtotele conſultó prætermiſſa eſſe, philoſophũq; de indoſtria eſſe obſcurum. Et veró unũ hoc á doctis hominibus qui contra nos in hac quæſtione diſſeruerunt, vehementer & perpetuó objectũ eſt, quód Ariſtoteles de induſtria ſit obſcurus, nec á nobis intelligatur. Certé Ariſtotelem obſcurum eſſe non nego: de induſtria obſcurũ eſſe pernego. Noluit hoc, voluit illud Ariſtoteles (ais.) Eſto (inquã) noluerit, voluerit, id non mihi cooſiderandum tantummodo propono, ſed quamobrem noluerit aut voluerit, inquiro & animadverto: tametſi tu volũtatem Ariſtotelis metiris, valde infirmo dormitantis vel defatigati potius animi argumẽto chartulæ neſcio cujus & neſcio unde collectæ leviſsimo teſtimonio, ego meriot cõſtãtiſsima graviſsimaq; lege, id eſt Ariſtotelis præſtantiſsima parte, id eſt indubitata mente, id eſt ſummo teſtamento. Itaq; ſi principiũ Ariſtotelis, ſi lex, ſi teſtamentũ á philoſopho tam illuſtri manu cooſignatum obſcuritatem laudet & probet, obſcuritatẽ ſi qua in Ariſtotelis libris inveniatur, Ariſtoteleam eſſe dicam: ſin vituperet & improbet, dicam potius Eubulidis, Zenonis, Xenocratis, aut antiqui logici cujuſdam, uode Organum logicó collectũ ſit. Ergo de obſcuritate Organi quæramus. Quid hic ajunt novi interpretes? Ariſtoteles (ait Simplicius) neq; fabulis oeq; parabolis, ænigmatis more veterum quorũdam uſus eſt, *ἀλλὰ ἀντὶ παντὸς ἄλλου παραπετάσματος τὴν ἀσάφειαν προετίμησε*, ſed pro omni velamẽto obſcuritatem affectavit: ut rudes & ignaros á philoſophia rejiceret, navos contrá & induſtrios excitaret; neq; tamẽ ait ubiq; obſcurum eſſe, cũ fateator in meteoris, topicis, epiſtolis, dialogis facilem eſſe. Hæc doctus ille vir & diligens ait, & tamen (inquã) Ariſtoteles in Categoriis non eſt obſcurior quám in Topicis: neq; cauſſa fuit omnino ulla cur *ἑρμήνεια* & analyſis utraq;, id eſt judicandi doctrina potius obſcuraretor, quã in categoriis & topicis invẽtionis doctrioa, quã vitiorũ & inventionis & judicii & elenchi doctrina. Sed Eubulidis vel Antiſthenis, á quib. Ariſtoteles accepit, ſtigoſior & ſpinoſior ſchola judicandi artes illas exaſperaverat & obſcuraverat: hinc pars illa obſcurior eſt, ſed cauſſam conſideremus, cur obſcurus eſſe Ariſtoteles de induſtria dicatur, & cauſſam obſcuritatis hujus effectricem conſideremus, reperiemus interpretes graviſsimé falli. Etenim obſcurus (ais) eſſe voluit Ariſtoteles, ut ignaros & rudes á logico ſtodio rejiceret: at Plato Xenocratem & Ariſtotelem, tardum illum & hebetem, hunc promptum & alacrem diſcipulos habuit, neque Xenocratem tamen ejecit é ſchola, ut Ariſtotelem ſolúm retineret, ſed illi calçaria, huic frenos adhibẽdo ſummum utrumque perfecit: imó veró academiæ Xenocrates non Ariſtoteles ſucceſsit, Sed tamen Ariſtoteles mane philoſophiã ſubtiliorem certis & exploratis ingeniis tradebat, ut phyſicam & Dialecticam: veſperi omnibus & ſine delectu rhetoricam facultatem argutiarum civiliumque rerum communicabat: matutinæ & veſpertinæ doctrinæ differentia oſtendit doctoris judicium io deligendis diſcipulis ad hanc vel illam doctrinam magis aut minus idoneis, ſtudium obſcuritatis non oſtendit. Quare finis obſcuritatis propoſitus neque juſtus eſt, neque ab Ariſtotele teſtatus. Neque veró jam expecto ut dicatur, ſi tam faciles eſſeot artes, neglectum & contemptum iri, ideoque á Platone in quadam epiſtola præcipi ad explorandos philoſophiæ ſtudioſos animos, labores ipſis, qui ſubeundi ſunt, proponendos eſſe. Enimveró ſi faciles artes eſſent, in honore eſſent, diſcerentur, vigerent, amarentur, florereot, colereotur: quæ obſcuritatis impedimentis & moleſtiis odioſæ in libris & bibliothecis deliteſcunt. Nec iſte labor eſt obſcuratæ artis, quem Plato diſcipulis proponendum ſtatuit: nec iter ad ſapientiam artis cujuſquam humanæ, & ad formandam vitam neceſſariæ invium & cæcum & obſcurum eſſe voluit, ſed quale eſt, arduum & difficile prædicandum eſſe monuit, ut vires ingenii probarentur. Etenim fuerit facillima clariſsimaque artis inſtitutio, maximi tamen labores relinquuntur: oec enim logicus eſt, qui logica præcepta didicit: illa enim eſt ſcientia univerſalis: ſed logicus eſt, qui logicã artem in explicandis & retexendis poetarum, oratorũ, philoſophorũ, argumẽto, enuntiato, ſyllogiſmo, methodo adhibuit: q logicas eorũ virtutes multa & aſſidua meditatiõe, ſcriptione, dictiõe obſervavit, excoluit: qui ſeipſum omnibus

laborum

laborũ & ſtudiorũ generibus diu multũque in his exercuit. Illa enim eſt ſcientia in agendo, quæ ſcientia abſoluté Ariſtoteli dicitur in analyticis, illa Socratici amoris difficultas, ille ſudor eſt, quem immortales dii virtuti præpoſuerunt, illa eſt aſpera, difficilis, ardua via, ad cujus ſummum cum perveneris, faciles tibi res ſuccedant. Quatuor ſæpe etiam plures annos in exercitatione Grammaticæ collocamus, nec grammaticum puerum ſolis grammaticæ præceptis futurũ putamus, ſed exemplis poetarum, oratorũ, omniũ deniq; hominum puré & latiné loquentium, cognoſcendis, imitandis, ut ea conſuetudine tandem puré proprieq; loquẽdi, & ſcribendi ſcientiam, non ſolúm univerſalẽ, ſed multó magis actuoſam & abſolutam conſequatur. Quot igitur annos tantæ tamq; nobilis artis uſui, exercitationi, abſolutioni & perfectioni tribuendos arbitrabimur? Ariſtoteles annos viginti Platonem audivit: quid aliud interea, quám logicã, id eſt, inventionis acumen & ſubtilitatem, quã judicii in enuntiatione, ſyllogiſmo, methodo cõſtantiã & gravitatem exercuit? Deniq; tota philoſophi hominis vita, quid aliud eſt, quã hujus unius facultatis (qua cæteræ mentis humanæ facultates continentur) meditatio, exercitatio, perfectio? Ergo ſi quiſquã eſt à logicæ ſcientię cognitione rejiciendus, ut Ariſtotelis interpretes putãt ignavos eſſe rejiciendos, certé exercitationis laborib. & ſudorib. rejicietur, & aſperitates non deerunt. Deſcriptum iter Lutetia Romam habeas, oppidis, vicis, lapidibus etiam ſingulis diſtinctũ, ars eſt Romã Lutetia perveniendi: at progrediendi labores, aſcendendi, deſcendendi, pluvias, imbres, tempeſtates, famã fortaſſe interea ſitimq;, reliquaſque tanti itineris neceſsitates ac moleſtias perferendi, ea partitio & deſcriptio tollere non poteſt: ſola artis exercitatio poteſt. Quare nihil metuant Ariſtotelei, ne facilis logicæ artis deſcriptio ſit, nullus labor reliquus ſit: major enim relinquetur, quam ipſi unquam pertulerint, imó quã cogitarint unquam: quippe qui logicæ artis uſum nullum unquam, vel in analyſi præſtantium exemplorum, vel in geneſi conſimilium operum exercuerint. Sed tamẽ Platonis conſilium illud minimé fuit, ut omnibus diſcipulis labor ille ante oculos poneretur, ſed potius iis, de quorum jactantia & vanitate diffideremus: qualis videlicet Dionyſius tyrannus fuit, de quo loquitur in ea epiſtola. Quin potius meliuſque ut Horatius ait:

Ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Ars igitur quã facillima eſſe debuit, ut exercitationis labor, hoc dulcedinis invitamẽto alacrius obiretur. Hic finis Ariſtoteleis conſiderãdus & ſpectãdus fuit. At Ariſtoteles profitetur de induſtria ſe obſcurũ fuiſſe, teſtiſq; eſt epiſtola ad Alexandrum. Verũ quis non videt adoleſcentis regis ambitioni & cupiditati epiſtolã illã conceſſam eſſe, non veritati? Regẽ ſubiratum de acroamaticis libris editis philoſophus cõſolatur iſto obſcuritatis argumento, quia nemini cognobiles futuri ſint niſi qui Ariſtotelem ipſum audierint: & tamen illas epiſtolas & regis & philoſophi ſuſpitio quædã eſt apud doctos & eruditos homines commentitias eſſe, & ſcholæ phyſicæ Alexandrum conſolatione alia conſolabuntur. Quapropter finis obſcuritatis affectatæ, qui fingitur, fœdus eſt: cauſſa effectrix conſideretur, ea longé fœdior apparebit. Organũ obſcurum eſt verbis inuſitatis, homonymis, importuné modificatis, toto orationis genere vel ambiguis vel perverſis: his ſordib. Ariſtotelem de induſtria ſordidatum eſſe, non eſt porro credibile. Rerũ obſcuritas quanto eſt ſordidior? Si leges Ariſtotelis in Organo logico ſervatæ eſſent, ſi nihil eſſet niſi κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον, niſi natura prius priore loco poſitum, nihil eſſet eo clarius & illuſtrius. At bone Deus, quã noſter hic amor eſt Socraticus? quã ſæpe deſtituimur? Omnia quæ ſunt in tota Ariſtotelia philoſophia, interpretes hi oculati κατὰ παντὸς eſſe credunt, ars differendi eſt generalis & re & nomine, & fine, & ſubjecto, & partitiõe, ars differendi nullo horũ modorũ eſt generalis, & ſexcentæ ejuſmodi cõtradictiones utraq; parte ſunt iis interpretibus veræ tantũ, quia in bibliotheca Ariſtotelis reperiuntur, & diſtinctione aliqua defendũtur. Omnia credũtur eſſe καθ' αὑτὸ, nihil intelligitur heterogeneum. Itaque categorematũ & categoriarũ cõmuniones & differentiæ, enuntiatorũ modificationes, & cõverſiones, ſyllogiſmorũ reductiões, & poteſtates, & tam multa ſimilia nihil

ad diſſe-

ad diſſerendi naturam atque eſſentiam ſpectantia pro cognatis & homogeneis habentur. Omnia creduntur eſſe καθόλου πρῶτον, at tanta inventionis taotologia (qualem jam antea demonſtravi) contra legem hác admiſſa eſt, ut Ariſtoteles, qui orationis brevitate obſcurus exiſtimatur, redundantia iſta rerum pluſquam aſiatica, obſcuriſsimus appareat. Omnia creduntur ſingulari methodo eſſe collocata. At inventio tum præcedit in categorematis & categoriis, tum ſequitur in inventione medii, in poſterioribus analyticis, in totis topicis. Quantam igitur obſcuritatem Organi, quantam caliginem arbitramur his interpretibus eſſe, qui falſa pro veris, heterogenea pro homogeneis, impropria pro catholicis, confuſa pro methodicis habeant? Ergo fateor in Organo Ariſtotelem quidem obſcurum eſſe: de induſtria autem tanta tot ſophiſmatum fuligine obſcurum eſſe, equidem plané diffiteor, longé quæ libentius profiteor tantæ obſcuritatis authores eos eſſe, á quibus omnia illa translata ſunt, quę ſi Ariſtoteles unquam recognoviſſet, jam nihil adverſus Simpliciũ patrocinio noſtro Ariſtoteli opus eſſet, patefacta, expurgata, illuſtrata eſſent omnia. Ariſtotelis legibus conformatum eſſet organum, definitio Dialecticę generalis eſſet primo loco, partitio Dialecticæ generalis eſſet ſecundo, ad Inventionis partem relata primo eſſent omnia, quæ uſquam partis illius propria fuiſſent: eadẽ in reliqua parte judicii diligentia fuiſſet, nihil eſſet in arte tota niſi κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, niſi legitimo methodi ordine collocatum. Veruntamen velamentum Simplicii multorum ſimpliciorũ deinde inertiam & ignorantiam velavit: neq; adhuc ex omnibus qui oobia tot annos adverſati ſunt, ullum obſcuritatis hujus præconem majorem reperi, quá qui eſſet, ſi nõ imperitus eximié & ineruditus certé egregié ignarus & piger. Locus aliquis in Ariſtotele lubricus incidit? obſcuritas prętexitur, ut creduli diſcipuli putent nõ fieri ignorantia doctoris, ſed obſcuritate philoſophi ſi declaretur res minus aperté. In poetis, oratoribus, philoſophis, uſus inventionis judiciique poſtulatur, ut tot annos importunis pene flagitiis per nos efflagitatur? ꝓfeſſores eximii reſpõdent una ſe Ariſtotelis obſcuritate ſatis ſuperq; impediri: clamant in ſcholis de Organo, & altercantur: hæc ipſis eſt logicæ exercitatio, ecquam cauſſam aliam arbitramur eſſe legitimi uſus neglecti, quá quod facile ſit de nugis totos dies altercari: ſit autem laborioſum Platonis, Ariſtotelis, Demoſthenis, Ciceronis logicas inventionis judiciiq; laudes retexere & imitari, & iis ſimiles commentari? Age igitur philoſophus videri cupio, juvenilis inſtitutionis cupidus & ſtudioſus: logicę artis veritatem & utilitatem diſcipuli á me requirunt: hic ſi dicam Ariſtotelem obſcurum eſſe, & tãquam pater familias eſurientibus liberis reſpondeam panem domi prædurum eſſe, ut ipſi dividi non poſsit, quid tu non meritó iratus dices, pater iners & ignave ad forum accedito, panemq; molliorem coemito: alii enim ſunt piſtores, alius eſt panis parabilior & alimento melior: equidem hanc tam fatuæ credulitatis ignaviam excuſabilem non exiſtimo. Si tam obſcurus eſt Ariſtoteles, obſcuritaté interpretatiõe tua tollito, artem ipſam tantis impedimentis ſolutam liberamque proponito, neq; prudens ſcienſque miſeros diſcipulos excruciato: laborem tam difficilis intelligẽtiæ in fructu imitationis & commentationis collocato, obſcurus eſt tibi de induſtria Ariſtoteles, quia ſtulté id credis, at ſi cauſſas illas & in verbis & in ſententiis (ut aperui) penitus inſpexeris, lõgé aliud de iſta obſcuritate judicium facies. Neq; veró in viginti dialecticarũ ſcholarum libris tanta mihi cum adverſariis meis contentio fuit, quid Ariſtoteles diceret, quá quomodo & quamobrem, id eſt, quá cõgruenter Ariſtoteleis principiis ac legib. quá apté ad excellentium logicorum logicam retexendum & æmulandum, quá accommodaté ad totum uſum tantæ artis exercendum. Quapropter inertia noſtra atque ignavia magna ſit, ſi quod Ariſtoteles maxima ſua laude: maximaque generis humani utilitate inchoarit, quod principio & lege, & tanquam teſtamento pater filiis commendarit, id inchoatũ & imperfectum relinquere, imó veró ad inertiam & ignaviam noſtram tuendum, ſtudiorum noſtrorum authori & parenti teterrimam calumniam imponere, & fingere ab eo de induſtria obſcuratam eſſe artem, quam ipſe omnium artium clariſſimam, imó claritatis & lucis omnis magiſtram

gistram

giſtram eſſe judicarit. Enimveró longé alia menre Dialecticam mibi inrerpreranдam ſuſcipio, ut & Ariſtoreli ſempirernas gratiaa agam, quód uberrimam artis mareriam undiq; cóquiſierit, quód moltis partibus egregié conſtiruerit, quód ad reliqua conſtitueodum & perficiendum clatiſsima illa principiorum lumina nobis accenderir, quę niſi ſequar, quibus niſi reliquas obſcurirarea longé lareque diſcutiam, rum veró me ignavum & inerté & Ariſtoteleæ philoſophię ignarum fuiſſe exiſtimem. Quare valear παρεντασματα Simplicii, nec eo bello tectorio indigniſsima ſopbiſmara diutius regantur. Dialecticam inventionis judiciiq; partitionem veracem, homogeneam, primo carholicam, roras organi logici, & eſſenriales partes complexam adoleſcenres hujua doctrinæ ſtudioſi peoitus intueantur ac perſpiciant. Recordentur eam nou ſolúm á Quinriliano & Cicerone celebraram, ſed ab Ariſtorele firmiſsimis illis & quavia exceprione majoribus reſtimoniis affirmará: imó veró Moſaica illa manu cælitus excepram, divinumq; λογεῖον duabus notis Urim & Tbumim rutilum ſplendidumq; non ad pectus potius appendant quám in pectore penitus recondanr, ad naroralis uſus imaginem referát ad Ariſtorelis experientiam, obſervarionem, ſenſum, inductionem, perpendant: naruralis uſus nos buc ducir: imó veró trahir & admonet omoes artis Dialecticæ præceptionea, ad earum alreram referendas eſſe, quicquid neutrius erir, dialecticæ non eſſe: ſi quis alirer docear, eum ſacroſanctia illis & divinis legibus repugnare: propterea partes iſtæ diligenrer animadverraotur: id eoim propoſitú ſemper eſſe volo.

—— Præq; emnibus unum
Prædicam & repetens iterumq; iterumq; monebo.

Vereor ut quod dico; perinde legendo intelligi poſsit, atq; ipſe cogitans ſentio. Luceant clara oocte ſingulares ſtellę roro cælo, nox tamen eſt, & renebræ oculorum aciem longius extendi non ſinúr, quia non tota lux, ſed pars ejus luceat. Ita cernantur in Porphyrio, caregoriis, interpretarióe, analyticis, ropicis, eléchis, appoſiris diſpurarionis noſtræ ranquam ſtellis, errores multi & varii, mulra falſa, mulra aliena, mulra impropria, mulra præpoſtera: tenebræ tñ adhuc univerſæ io oculis menris noſtræ reſidebunt, quia non torum doctrinæ lumen, ſed radius quidam diſperſis & diſtinctis locis dunraxar illucear. Sol porró clarus oriarur, exremplό noctes obſcnritas & caligo rota pellitur: qnoniam lumé univerſum renebris univerſis opponitur. Iraq; ad organi partes rotas & nniverſas ęſtimandum, generali arq; univerſo lumine anre oculos poſiro nobis opus eſt. Ergo logicam lucé univerſam generalibua inventionis judiciiq: partibua collucétem ſequamur.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER III. in Porphyrium.

CAP. I. DE CATEGOREMATE.

HActenus duob. primis libris, logicorum philoſophorú hiſtoria, principiſque definirionis & diſtriburionis collatio & diſquiſirio recta fuir, unde logicæ artia autbores cognoſcerétur, & quid deſir in organo logico, facilé pſpicererur. Deinceps veró organi rractatio minús fortiaſſe perciperetur, ſi uerú illum cóſtantis & certæ doctrinę ordiné ſequeremur: rea variis modis eſſer diſcerpenda, proprerea qđ in eodé libro varia ſæpe confuſa pcepta ſunt. Ergo táquá deſertos ſaltus peraguturi ſimus, arq; inibi ſpineris obrutas frugea inveſtigaturi, ſic faciamus: facé illá ardenré, ac ſplendidé in toro corpore animoq; logico collucenté, facé, inquá, Ariſtoreleorú principiorum, de præceptis catholicis & methodicé diſpoſitis, de fine, de partibus artis, invétione & diſpoſirione, præ nobis ipſis feramus. Er quó faciliús á ſcholis noſtris curſus organi logici, qoalis eſt, iorelligarur, de ſingulia ejus partib. ordine diſputemus, quo ſunt adhuc vulgó lectæ & rractarę. Qusmobrem qa primo organi logici loco liber hic legiror, Porphyrium primó conſideremus, quomodo rem ſibi propoſitam definiat, partiatur & illuſtret. Quid igitur Porphyrius ſibi proponir? Theſim primó nullá cómnné ſibi propooit, ſpecialirer proponit, de genere, ſpecie, differétia, proprio, accidente ſe dicturú: in quibus tamen tra

ctandis utitur verbo κατηγορουμένου καὶ λεγομένου, ejus quod attribuitur & dicitur de aliquo. Vulgus, in ſcbolis prædicabile nominat, & dicibile. Hoc idem Ariſtoteles categorema vocat & in organo & in philoſopbia: quo licet jam utamur, ſicut categoriæ nomine utimur, quia latina forma commodiús flecti poteſt, quám κατηγορούμενον. Secundo itaq; capite categoremata Porpbyrius diſtribuit in duas partes, quód alia de uno, ut individuum: alia de multis, ut genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens dicantur. Voluit hîc igitur Porphyrius doctrinam categorematũ cõplecti. Quæramus itaq; primúm quomodo definiat categorema? Non definit: Hoc primum eſt Porpbyrianæ inſtitutionis vitium, quód rem ſibi propoſitam generaliter primúm non definiat: id enim præponere debuit, quia in hac inſtitutione neceſſarium homogeneum catholicú: quia metbodus ita poſtulabat, quia denique leges illæ Ariſtoteleæ id impetãt. Ac quia non ſolúm in ſcholis, ejus verbi notio & barbaré & confuſé modó prædicabile, modó prædicatum nominatur, ſed etiam quia ex bujus verbi ſcholaſtica ſignificatione, maxima in organo logico confuſio eſt, explicabo & definiam, quẽadmodum in organi logici libris nomen hoc ſit uſurpatum. Dupliciter autẽ uſurpatur, generaliter primũ, deinde ſpecialiter. Generaliter igitur κατηγορεῖσθαι, eſt indicari, dici, demõſtrari, argui, attribui, cõvenire, ptinere, ſpectare: & categorema, eſt id omne, quod dicitur & indicatur vel affirmatum, vel negatũ, ſive ſimplex ſit, ſive compoſitum. Sic in categoriis categoremata, κατηγορούμενα (nam λέγεσθαι καὶ κατηγορεῖσθαι in Porpbyrio & organo toto idem eſt, ut deinde patebit) dividuntur in ſimplicia & compoſita: compoſita ipſa tandem enuntiationem faciũt affirmatam vel negatam. Sic categoriæ dividuntur Analytici primi capite triceſimoſeptimo, in ſimplices & cõpoſitas. Hic igitur locus facit categorema, quicquid quolibet modo dicitur, ut omne argumẽtum, omniſq; argumenti expoſitio & propoſitio. Specialiter autẽ ſumitur categorema pro eo qđ alteri poſsit attribui: ſed dupliciter rurſum: primó cõmuniter, ſive ſit affirmatũ, ſive negatum, ut in interpretatione: ubi omnis enũtiationis extrema duo definiũtur, cõſequens, appellatur categorema, ut antecedẽs, ſubjectũ. Atq; etiã id amplius primo Analytico in Analyſeos doctrina docetur, categorema non ſemper vel recto caſu efferri, vel uno verbo, ſed aliquando obliquo caſu, aliquãdo verbis plurib. & oratione perlõga: & ſyllogiſmi partes ſentẽtiis rerũ, nõ numero verborũ metiẽdas eſſe. Qua categorematis ſignificatione, omnia argumentorũ genera cõprehenduntur. Sic organũ nobis in abundantia propoſitionũ, in invẽtione medii, quæ antecedãt, quæ ſequãtur, quæ repugnent: id eſt, omnia argumenta ſuppeditat hoc nomine. Et certé cúm Ariſtotelis interpretes putent categoremata & categorias, fundamenta propoſitionum eſſe, unde ſyllogiſmi fiant, neceſſe eſt putent iis fundamentis inventionem medii totam inſtitui. Nam de tribus ſyllogiſmi terminis, unde propoſitiones fiãt, duo quæſtionis (quæ ſyllogiſmi concluſio ſit futura) termini extrinſecus aſſumuntur, medius ſolus arte quæritur, & ab iis fundamentis petitur. Quare categorema ſic acceptum, id omne ſignificat, quod de re poſita dici poteſt, ſive affirmando, ſive negando. Quod populatib. verbis in rhetoricis ab Ariſtotele dicitur, ratio, fides, probatio, argumẽtum: & in toto organo ſæpe eſſe, ineſſe, cõvenire, uſitatis verbis dicitur, quod ſcholaſtico verbo κατηγορεῖσθαι. Secunda veró ſpecialis categorematis ſignificatio eſt, qua categorema affirmatum & ſimplex duntaxat intelligitur: quomodo á Porpbyrio dividitur in individuum, genus, ſpeciem, differentiã, propriũ, accidens: quomodo dividitur in decem categorias, ſubſtantiam, quantitatẽ, relationẽ, qualitatẽ, agere, pati, ubi, quando, ſitũ eſſe, habere: quomodo dividitur in Analytico primo in generaliſsimum, ſubalternũ, individuum. Nec veró in hoc ſpecialis ſignificationis ſecũdo modo ullus eſt organi locus, q categorematis nomine ſimplicia rerum vocabula definiat, ſed perpetuó res ſimplices, id eſt, ut in categoriis exponitur, enuntiationẽ non efficiẽtes, ſive uno verbo, ſive pluribus exprimatur. Nec enim Porpbyrius in tota Iſagoge, dictionis ſimplicis mentionẽ fecit. Imó, quod totũ cõtrá eſt, exempla plerũq; categorematũ ſtatuit ex verbis pluribus cõpoſita, ut generis & ſpeciei. Corpus animatũ, ait ſpecies eſt corporis, genus animalis. Animalis veró ſpecies, animal

mal rationale, genus veró hominis. Similiter ad exempla differentiæ & proprii citantur, Cicatrix, quę ex vulnere occaluit: item, Logica qualitas: item, Diſciplinæ & mētis capax eſſe: item, Natum eſſe ad navigandum: item, In ſenectute caneſcere. Hęc inquam, Porphyrii exempla ſunt, cùm tamen ſimplicium vocabulorum aliis exemplis abundaret, ſi quid id intereſſe judicaſſet: ſed res ſimplices, quę non enūtiatio, ſed enuntiationis partes ſunt, ut dixi, ſibi propoſuit, quæ ſæpe unó, interdum etiam pluribus verbis efferūtur. Quod in Topicis apertiús oſtenditur, ubi definitio, ubi etiam propriū, id eſt, quædam rei deſcriptio, inter categorematis genera ſtatuitur. Ergo categorema in organo ita ſpecialiter intellectum eſt, atq; ex ea ſignificatione inconſtantiſsimé diviſum modó in ſex partes, individuum, genus, ſpeciem, &c. modó in decem, ſubſtantiam, quantitatem, &c. modó in tres, ut primo Analytico generaliſsimum, ſubalternum, individuū: modó in quatuor, ut topico primo accidēs, genus, propriū, definitionem: tanquam ſi diceres, Prędicabilia, ut ſcholæ loquuntur, ſunt ſex: pręd icabilia ſunt decem; prædicabilia ſunt tria: prædicabilia ſunt quatuor. Laus partionis ſumma eſt in διχοτομίᾳ adverſorū: ut docuimus in ipſo partiēdi loco: á qua longiſsimé abeſt iſta categoremarū diſſectio omnibus omnino Ariſtoteleis legibus illis contraria. Sed de hac partitionū inconſtantia ſuis locis copioſiùs dicetur: & in organica ſpecialis categorematis partitione non ſolū eſt illa novìſsima inconſtantia, ſed contra veritatem logicæ, major quædam & abſurdior eſt repugnātia. Nam cùm totum logici ſit opus, medium invenire & diſponere, ad inveniendum & diſponendum medium, totū hoc ſpecialis categorematis commentū prorſus alienum eſt: nec enim medium in ſyllogiſmo ſimplici, de quo ſolo organum loquitur, ſemper ſimpliciter & affirmatè κατηγορεῖται, ſed partim ſubjicitur, ut in prima figura: partim ſemel tantúm κατηγορεῖται, ut in ſecunda: partim duntaxat ſubjicitur, nunquam κατηγορεῖται, ut in tertia. Nec omnino ad ſyllogiſmi & veritatem & utilitatem iſta categoriæ & categorematis ratio requirenda eſt: nec intereſt, quo genere ſermonis, modó verum dicatur. Quare tota hæc categorematis Porphyriani aliena, & contra uſum ſyllogiſmi compoſita eſt inſtitutio. In hoc autem libello Porphyrius, licet aliud fortaſsis agens & cogitans, attamen in logicam inventionem incidit, & propoſitione ac diviſione categorematum, id videtur amplecti. Atque ut ſi quis Grammaticæ partem neſciret eſſe etymologiam, ſcriberet autem de nomine & verbo, imprudens in etymologiam incideret: ſic Porphyrius, quamvis inventionem, logicæ partem eſſe non attenderet, nec ad eam pertinere generis, ſpeciei, differentiæ, proprii, accidentis cognitionem: cogitaret tamen de his præcipiens, huc delabitur. Quare ſi quod erit in tota inſtitutione catholicum logicæ inventionis documentum, diſtinguemus ac retinebimus. Ad procemium veniamus.

CAP. II. DE PROOEmio Iſagoges.

IN procemio ſumma inſtitutionis proponitur: ubi tria notabis, utilitatem rerum, compendium inſtitutionis, authores quos imitatur Porphyrius, utilitas generis, ſpeciei, differentiæ, proprii, accidentis, quadruplex deſcribitur. Prima ad categorias Ariſtotelis, quas ſingulas Porphyrius putavit claſſes eſſe rerum per genera, ſpecies, differentias, ut paulò póſt ipſe declarabit: quod cujuſmodi ſit, poſtea videbitur. Accidentia autem & propria & communia, in alia categoria eſſent. Secunda ad definitiones: quę ſi propriæ ſunt, conſtant genere & differentia: ſi deſcriptiones quædam, é propriis etiā & accidentibus. Tertia ad diviſiones, quæ præcipuæ ſunt generis in ſpecies & differentias: item in proprietates & accidentias. Quarta ad demonſtrationes, quæ ſunt ad Ariſtotelis legem propriæ affectionis, ex cauſſa prima & ſumma, qualis differentia eſt. Utilitates hæ magnæ quidem ſunt: at non omnes, nec catholicè propoſitæ. Grammatica valet ad rectè loquendum. Itaque huc etymologia & ſyntaxis referendæ. Si doceas partes orationis valere ad epiſtolas familiares, ad colloqua, & ad ejuſmodi utilitates alias, præceptum facies ridiculum: quia quod catholicum eſt & generale, per partes ſpecialiter inſtituis. At generalia generaliter, ait Ariſtoteles, & ſpecialia ſpecialiter

docenda. Duobus rectis tres pares angulos habere, veré per ſpecies doceretur: at ſophiſticé, reclamat Ariſtoteles. Porphyrius igitur, ut in qua logicæ parte verſaretur, ignoravit, ſic rerum, quas tradidit, uſum ſummum neſcivit. Valent porró genera, ſpecies, differentiæ, propria, accidētia ad bene differendum, ſive definiēdo, ſive partiendo, ſive demooſtrādo, ſive ponendo, ſive argumentando: ſive probabiliter, ſive neceſſarió fiat. Nec audiā hîc voluntatem Porphyrii, tanquam legem aliquam, qoód ita docere voluerit, nec ideo reptehendendus ſit. Nam ſi prudens offendit, graviús offendit. Secús inquam, velle debuit, ut recté doceret. Nec pro libidine, quicquid voles, docere tibi licebit. Sunt enim leges bene docendi: quas lo docendo, qui deſpicit, arguendus & corrigendos eſt. Secundo procemii loco compeodium inſtitutionia á Porphyrio proponitur, ideoque arduas quæſtiones ſit omiſſurus de genere & ſpecie: utrum ſubſtantiæ ſint, an animo tantúm cogitétur. Et ſi ſubſtantiæ, utrum corporeæ, an iucorporeæ: item otrum ſejunctæ, an in ſeoſilibus, ac circa ea poſitæ. Graviſsima in ſcholis idearum diſputatio fuit (quæ modó geueris & ſpeciei nomine, ſicut apud Platonem & Ariſtotelem ſignificantor) utrū ſubſtantiæ quædā eſſent in Dei, rerū opificis, mente (Qoæ opinio reſellitur in Parmenide Platonis: & qoarto libri hujus capite refelletur argumentis Ariſtotelis) an cogitentur tantúm. Rerum quidem notiones animo cōtinentur: res autem ipſæ extrá ſunt. De univerſo animantium genere cúm cogitamus, communis ommium animanrium uotio in animis noſtris ineſt: animantes autem ipſi in terra, aqua, aëre: cœlo etiam, ſi Platoni & Ariſtoteli creditur, ſtellas animatas facieutibus. Et hæc öpinio logica eſt, & ideo permultis apud Platonem locis idea nil aliod eſt, quám genus logicum: qua de re etiam poſtea capite ſecundo iterum dicam. Ergo genera & ſpecies, ſunt quædam corporea, ut metallum, arbor, animal: quædam incórporea, ot animus, angelus: quædam ſejuncta á materia, ut animus, angelus: quædam in ſenſilibos, & circa ea, ut genera & ſpecies quátitatis, qualitatis: linea, ſuperficies, corpus, color, calor, frigus, humor. Idea etiā interdom ſpecies ſeu forma dicitur. Idea boni ſexto de Republ. dicitur á Platone, Deus: de qua ſignificatione modó Porphyrius non qoærit. Has igitur quæſtiones Porphyrius proponit, & ait arduas eſſe ac difficiles. In eoque dupliciter peccat: Proponere id primúm non debuit, quia nō eſt neceſſarium, homogeneum, primó catholicum ad differendi uſum: nec hîc ideo ſcientificum. Deiode cúm propoſuiſſet, debuit diſſolvere. Fixit enim crucem, ubi ſectatores ejus cruciarētur, ut cruciatos hîc Ammonium & Boetium videmus. At præterit, inquies: Concedo inquam, ſed rhetorica præteritione valde incongrua: quia quæſtio difficillima, diſcipolo proponitur, cujus tamē ſolutio neſciatur. Tertio procemii loco profitetur Porphyrius ſe veterum philoſophorum doctrinam hîc ſecuturum, præcipué autem Peripateticorum. Notabis igitur hîc non omnia, quæ præcipiuntur á Porphyrio, eſſe Ariſtotelea: imó, ſicuti locis ſuis docebo, feré nihil: & imperité factum ab iis, qui Porphyrium in organū Ariſtotelicæ logicæ incluſerint. Primúm, quód ſint etiam hîc plurima nou Ariſtotelea: deinde ſi quod hîc catholicum logicæ documentum ſit, in organo tam cōmodé explicatum eſt: nec in arte Ariſtotelis, tautologia ab Ariſtotele vehementer damnata, adhibenda fuit. Ariſtotelis enim lex jubet generalia geueraliter & ſemel tantum doceri. Denique minimé organi interpretationem decebat, etiam ſi commoda eſſet, organi tamen partem cōnumerari: & Ariſtotelis authoritatem, cū interpretis, ab aliis interpretibos frequēter improbati, nomiue communicari.

CAP. III. DE GENERE.

GEnus á Porphyrio definitur hoc capite, & diſtinguitur á ſpecie, differentia, proprio, accidente. Sed antequam definiatur, ſignificationes ejus tres recenſentur: una, qua genus dicitur quorundā tum ad unum quippiam, tum ad ipſorū inter ſe modo quodam affectorum multitudo. Sic Herculeorum genus dicimus collatiooe unius Herculis, & ſui ipſorū inter ſe coguatione. Quæ ſignificatio, logica eſt, & inſtituti propria, qua genus dicitur quod multis commune eſt, eſſentia nempe, & ipſa communicantium multitudo. Sic animal, genus pecudis & ho-

minis

minis dicitur, quia ejus eſſentia communis eſt pecudi & homini. Sic animalium genus dicitur, quia multorum communem eſſentiam habentium collatio: & ſic Herculeus, genus eſt Herculeorum, ut animal animalium ſingulorum: & eodem modo genus Herculeorum dicitur, ut animalium. Peccat tamen hic Porphyrius, quód Herculeorum genus collatione unius Herculis putat dici. Quomodo etiā Latiné dixit Ouidius ſecundo Metamorphoſeos, *Iam cognoſce genus* ——, id eſt, patrem. Et tamen cum genus pro genitore dicitur, tropus eſt, & poëticus tropus potius quàm oratorius. Ergo in hac ſignificatione Porphyrius Ariſtotelē non imitatur, ſed doctrinam Ariſtotelis doctrinæ contrariā docet. Hic etiam peccat Porphyrius, quód locum, genus incolarum dicit. Nec enim Athenas, genus Athenienſium dicimus: ſed Atheniēſes, ſic genus eſt Atheniēſium, ut animal animalium. Veré tamen ait hoc ſecundum generis ſignificatum vulgare, & prius eſſe eo, quod primū fecit. Tertia ſignificatione genus dicitur, cui ſubjicitur ſpecies. Hic Porphyrius hallucinatur: & hæc ſignificatio tertia in primam recidit, & ubi multorum tum ad unum, tum ad ſeſe collatio eſſentialis eſt & affectio, ibi multa illa ſingula ſpecies ſunt. Porphyrius intellexit duo ſignificata eſſe generis, unū vulgare & primum, quo genus pro genitore dicitur: alterū ſimilitudine & metaphora mutatum, quo multorum tum ad unum commune, tum inter ſe collatio comprehenditur. At explicare intelligentiam ſuā non potuit, ex una ſignificatione duas fecit. Attamen nondum genus talium partium ſubjectarum communione definitum eſt, niſi talis communio ſit non ſecū dum accidens, ſed ſecundum eſſentiam. E tertia generis ſignificatione Porphyrius aliam generis definitionem deducit. Genus eſt, quod de multis & differentibus ſpecie in quæſtione quid eſt, affirmatur. In qua definitione communis eſſentia partium comprehenditur magis quám explicatur: imó ſecus quàm doceat, comprehenditur. De generis autem definitione duas opiniones diverſas in ſcholis video fuiſſe, & ab Ariſtotele traditas: illam priorem ſimplicem, qua genus dicitur totum partibus eſſentiale, & hāc Porphyrianā, qua genus definitur, quod de multis & ſpecie differentibus in quæſtione quid eſt, affirmatur. De qua utraq; commodiús diſſeretur, cùm erit de ſpecie, quod Porphyrius tradit, conſideratū: Diviſio categorematum ſequitur, quód dicantur alia de uno, ut individuum: alia de pluribus, ut genus, ſpecies, differētia; proprium, accidens. Tum commune categorema dividitur in genus, ſpeciē, differentiam, proprium & accidens. Cur veró ſpecies, differentia, proprium, & accidēs unius non erunt, ut multorum? Sed enim rebus omiſsis partitio longé magis eſt vitioſa, multoq; minús catholica. Nam de cauſsis, forma, & de comparatis, diſsimile, differentiæ nomine comprehenditur: finis, efficiens, materia, omittitur: effecta & adjuncta & comparata reliqua nomine proprii, accidentis confunduntur, de ſubjecto tacetur: partiū, totius, definitionis, teſtimonii ratio nulla hic habetur. Quæ tamen omnia logica categoremata ſunt, eaq; ſimplicia & affirmata, ut interim de diſſentaneorum generibus taceā. Hæc inquam, omnia partitione iſta excluſa ſunt. Et quamvis idem fortaſſe poſſit eſſe & efficiēs & forma & ſimile & accidens, & é cæteris eodem modo, at tamē non ideo rationes ſingulorum non ſunt diſtinguendæ. Idem genus eſt & ſpecies, rationes tamen generis & ſpeciei diſtinctæ ſunt: ſic finis, formæ, efficientis, materiæ, & cæterorum rationes diſtinguendę & definiendæ fuerunt. Neq; pro ſcholaſtica categorematis conſuetudine jam dicatur, argumenta illa non κατηγορήματα: id enim jam antea refutavi ex Porphyrii & Ariſtotelis doctrina & authoritate, quib. categorema ſimplex eſt, quod enūtiationem non facit. Sic, ut jam poſui, In ſenectute caneſcere: Cicatrix ex vulnere obducta, Porphyrio categoremata ſimplicia ſunt. Sic Ariſtoteli in topicis deſcriptio quævis & definitio, categoremata ſunt: Imó veró ſpecies relatione generis, categorema non erit, quia tantum hac ratione ſubjicitur: & tamen ſpecies eſt veré illo modo: & á Porphyrio poſtea etiam relatione generis definietur. Quamobrem é numero ſimplicium & affirmatorū categorematū, quę ſibi tractanda Porphyrius propoſuit, tot & tā multa rejicienda non fuerūt. Hoc partitionis hujus Porphyrianæ ſophiſma magnū eſt: deinde cur proprium & accidens cōmunis categoremata

tis duę ſpecies efficiuntur, cùm accidens ſit proprii genus, & proprium ſpecies, & omne Porphyrianum propriũ ſit accidẽs inſeparabile? tum cur differẽtia, propriũ & accidens, potiùs efficiuntur ſpecies cõmunis categorematis, quàm de uno affirmati? an nulla eſt differentia? an nullũ eſt proprium individuorũ? quomodo igitur erunt? quomodo definientur? an nullum eſt accidens ſingulare? Cur igitur Porphyrius in hoc capite dicit accidentia cõmuniter, ſed non ꝓpriè alicui? quod ter deinde repetitur de accidente cõmuni. Poſtremò languida iſta & tot plagis cõfecta partitio, cõtra methodum hic eſt collocata. Etenim Ariſtoteleam methodũ adhibeamus, jubentem ut natura priora præcedant, poſteriora ſequantur: quo tandem loco categorematis partitio eſſe debuerit? nónne antecedere ſpeciales ſingulorum categorematum definitiones debebit? At hic primo categoremate definito ſequitur. Ergo partitio Porphyrii, non ſolũ ex Ariſtotelis philoſophia deducta nõ eſt, ſed eſt tot modis contraria principiis Ariſtotelearum legum. Poſtremò videamus, quamobrem hîc adhibeatur. Categoremata ſunt ſex, genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens, individuum. Genus definitum eſt, ad illud á cęteris categorematis diſtinguendum, & docendum planius cæteris nondum definita, id eſt ad cognitũ incognita adhibentur. Ariſtoteles hoc appellat petitionẽ ejus q̃d in principio eſt, & inter ſophiſticas ſordes reponit. Tum verò ridiculũ eſt, iſta rerum differentias exquirere, ſi definitio recta adhibita ſit. Definitio enim vera explicãdo quid res ſit, eam ipſam ab omnibus rebus aliis diſtinguit: & ſicut magiſter ipſe Porphyrius docet, definitio non ſolùm genus, ſed differẽtiam rei maximé propriam comprehendit. Itaque quã nobis generis differentiam exquirit, ſi generis definitione, generis á cęteris rebus differentiam concluſit? Nec Porphyrii volũtas hîc nobis allegetur. Voluit inquies, rudem iſto modo diſcipulum docere. Voluit igitur contra leges bene & facilé docendi: cõtra leges Ariſtotelis, cujus interpres videri voluit. Genus definiendum ſibi propoſuerat, poterat é philoſophia Ariſtotelis, illam veram definitionem ſeligere: de toto deniq; partibus eſſentiali & exemplis inſignib. illuſtrare. Quiſquilias & nugas collegit, generis verã naturã obſcuravit. Sed in hac diſtinctione categorematum unum eſt valde ineptum, quód accidens dicitur attribui in quale quid: quod etiam poſtea repetitur in differentiis generis & accidentis. Sic enim Porphyrio differentia & accidens idẽ fuerint. Neq; jam expecto, ut nobis objiciatur, genus iſto modo definitum, categorema non futurum. Etenim cur non fuerit? An ſi κατηγορεῖσθαι verbo in definiẽdo nõ utar, categorema non facio? Porphyrius ipſe in definiendo proprio & accidente, κατηγορεῖσθαι verbo non utitur, ſed accidere, ſed eſſe, abeſſe, ineſſe dicit. Et tamẽ inter categoremata, proprium & accidens collocat. Non igitur, quia τῷ κατηγορεῖσθαι verbo in definiendo genere non utor, idem genus categorema non facio. In topicis Ariſtoteles, ut genus, ſic proprium, definitionem, accidens, categoremata appellat: nec in his definiendis κατηγορεῖσθαι verbo utitur. Tollatur igitur tam ſcholaſtica, tamque puerilis ineptia: neque nobis objiciatur, artium propria vocabula eſſe. Propria etenim ſunto: quia negat? ſed ex communi uſu artificum deprompta, non ab inertibus magiſtris ſomniata. Artifices porró rationis, ſunt homines: ex eorum igitur uſu deducantur artis vocabula. Quare de tanto capite nil eſt quod ad veram logicam referri poſſit præter unam generis definitionem hic confuſam, Genus eſt totum partibus eſſentiale.

CAP. IIII. DE SPECIE.

SPecies hoc capite definitur, & dividitur in ſubalternam & ſpecialiſſimam. Eademque occaſione definitur genus generaliſſimum & ſubalternum. Vocabula hæc ſua conjugatione ἐνέργειαν quandam continent: & cùm generale & ſpeciale dicamus, non video cur non generaliſſimum & ſpecialiſſimum, ſi non latiné, ac certé logicé dici poſſit. Itaque etiam hæc teneamus: ne ſi melius quæramus, deterius inveniamus. Res tota magis hîc turbatur, quàm capite ſuperiore turbata eſt. Speciei ſignificationes duæ ſunt, altera propria, qua ſpecies dicitur forma cujuſque: altera modificata, qua dicitur pars generis. Secunda ſignificatio logica eſt, & hîc tenenda:

néda: ſed Porphyrius, ut iam monui, declarat ſe neſcire definitionis uſum. Definit ſpeciem, parté generi ſubjectam: nec intelligit hac definitione ſpeciei logicæ, differentiá á cæteris ſignificationibos contineri. Eſt veró hic admirabilis Porphyrius in re eadem ſæpius iterãds, id eſt in lege καθ' ὅλου πρῶτον violanda. Definitiones ſpeciei decé cumulantur, tres ſpeciei in vniverſum. Species, eſt quod ſubeſt aſsignato generi: item, quod generi ſubijcitur: ité, de qua genus in quæſtione quid eſt, affirmatur. Deinde ſpecialiſsimę ſpeciei definitiões ſex: prima, quod multis & differétib. numero in quæſtione quid eſt, attribuitur: ſecũda, quæ tantómodó ſpecies, non etiã genus: tertia, qua ſpecies inferior alia nulla eſt: quarta, quod ante iodividua proximé dicitur: quinta, quæ cúm ſit ſpecies, nõ poteſt eſſe genus: ſexta, quæ ſpecies cúm ſit, in ſpecies dividi nequeat. Deinde ſubalternæ ſpeciei definitio, quę & genus & ſpecies eſſe poteſt. Permiſcetur hic etiã generis definitio una, generaliſsimi duę, & ex iis quædam etiã ſæpius reperuntur. At mirifice Porphyri, quid ad illam Ariſtotelis magiſtri legem reſpondebis, nugas & repetitioné damnantis, & inter ſophiſtarũ fines adnumerãtis? Si quis tres angulos duobus rectis pares in unaquaq; triãguli ſpecie doceat, ſophiſticé docet & demõſtrat. Tu quid hic agis? Polliceris nobis initio compédiariam inſtitutionem: quid igitur præſtas? Si definire ſpeciem volebas, una definitio ad καθ' ὅλου πρῶτον, id præſtare debuerat: at tres cumulas. Si cú genus ſpeciéq; definiſſes, definire velles ſubalternũ, generaliſsimõ, ſpecialiſsimũ: definitiões requirebãtur, quot res erãt definiendæ, nõ plures, alioqui fuerint nugæ. Hæc prima capitis hujus eſt logica, hoc judiciũ de nugis, quæ certé ex Ariſtotelis logica, quæ nunc eſt, deductæ nõ ſunt. Et magna Ariſtoteli injuria ab interpretibus facta, cúm ad ipſius organum ſophiſmata hęc aggregata ſunt. Genus deinde & ſpecies Porphyrio ſunt ad aliquid: & tamen quanquam id non crederet, quod á diſcipulo ſuo tamen credi vellet, ex altero alterum definiendũ tantúm non putavit. Sed ſpecié definit, quę dicitur de pluribus numero differétibus in quæſtione quid eſt. At iſta relatorum natura eſt, ſicut Ariſtoteles docet, ut natura ſimul ſint, nec alterius abſq; altero natura poſsit intelligi: imó id ipſe Porphyrius hic ait. Ergo dum Porphyrius abſq; relatione hac ſpeciem definit, ſeipſa negat & inficiatur, quod verbo docet. Tertio loco, Ariſtotelis categoria permiſcetur intempeſtivé, ſi categorema Porphyrij & categoria Ariſtotelis ſint doctrinæ diverſæ, ut Porphyrius ipſe putat: ἑτερογένεια ſiquidem eſt Ariſtoteli dãnata, lege καθ' αὑτό. Categoricæ ſubſtantiæ exemplũ Porphyrianõ Valla reprehendit: imó Ariſtoteles ipſe cõdemnat Porphyrius hic corpus animatum, facit animalis genus. At Ariſtoteles quinto capite quarti Topici contrá ſic ait: Non attendunt autem plerunq; ij, qui totum in parte conſtituũt, ut qui animal, corpus animatũ ajunt. Nequaquam veró pars de toto dicitur, itaque nõ fuerit corpus animatum genus animalis, quoniam pars eſt. Nec veró τὸ ζῶον animal, Ariſtoteles corporeæ ſubſtantiæ ſpeciem facit, cum Deum definiat in philoſophia ζῶον ἀΐδιον ἄριστον, animal æternũ optimum. Et nominatim dicat eſſe ἄνευ τῆς ὕλης, ſine materia. Atque Ariſtoteles ipſe in categoria ſubſtãtię nulla genera, nullas ſpecies, nullas differentias alias numeravit quá primæ & ſecũdæ ſubſtantiæ. Porphyrianæ arboris (quæ hic appellatur) nihil habet. Atq; hinc natus error eſt, corpus phyſicum ſine mathematico poſſe conſiſtere. Ut corpus eſſet, quod conſtaret materia & forma, at ut forma ſic materia quædam eſt intelligibilis quædã ſenſilis: & hoc modo ſyllogiſmus ſola mente cõceptus eſſet corpus phyſicum. Sed de hoc errore rurſus in categoriis. Ergo Porphyriana ſubſtantiæ categoria, ex Ariſtotelis doctrina deducta non eſt, ſed ex aliquo eorum philoſophorum, quos in proœmio præter Peripateticos ſeſe dixit imitaturum. Et valde ſimplices eos meritó jam dixi, qui Ariſtotelei Organi partẽ hanc, Ariſtoteli præſertim contrariam cacotechniam feciſſent. Quartó facit Porphyrius collationem ſubalterni duplicem: altera enim genus eſt, altera ſpecies: facit generaliſsimi unicam, quia tantúm genus eſt. Ut igitur ſibi conſtaret, & analogiæ redditioné expleret, ſpecialiſsimi debuit etiam unicam facere collationem, qua tantúm ſpecies eſſet. At duas fecit, & hominem non ſolúm animalis, ſed Socratis & Platonis ſpeciẽ dixit, quod cujuſmodi ſit, mox videbo. Quinto ſcholaſtica quæſtio movetur, An ens, commune genus ſit omnium entium: de qua apud Ariſtotelem cõtrarias opiniones duas video: altera negatur, quod hic Porphyrius negat, altera contrariũ affirmatur: ut in philoſophia 1. capite undecimi libri, ubi τὸ ὄν, ens, genus ſtatuitur: & quarto undecimi, ubi entis differentiæ primæ ſtatuuntur unũ

& multa:cętera omnia, ſpecies.Quę opinio ſecunda verior eſt, nec homonymia verbi eſt: quæ ratio eſt primæ opinionis. Omnia enim entia,definitioné entis habent cõmunem, licet entium ſint aliis alia præſtantiora : ſicut ex animalibus homo longé pecudi præſtat: habet tamen cõmunem definitionem generis cum pecude.Et pejor opinio á Porphyrio delectat: ſed tamen utraq; inutilis & vana, cúm logicus etiam ente quovis altiús caput erigat, & de non ente etiam diſſerat, ut ex Ariſtotele já docui ſecũdo libro. Sexto loco, Platonis methodus ad amplificãdũ tantúm nugas,nõ ad ejus uſum, á Porphyrio cõfunditur. Plato in Philebo docet omnia æterna uno & multis cõſtare,terminumq; & infinitatẽ habere,cõmunemq; intermediá ideá dividendá eſſe, donec ad infinitaté perventũ ſit, quæ ipſa omittẽda ſit. Hæc illic Plato,quæ Porphyrius hîc ſuis,nõ Platonis verbis interpretatur,á generaliſsimo p ſubalterna ad ſpecialiſsimas ſpecies deſcendendum, ut individua ſecludantur. Quæ regula ab Ariſtotele tá probata eſt, ut omnib.Philoſophiæ partibus, nõ in logica ſolúm ab eo celebrata ſit. Diſputationé eá totá, in capite de methodo copioſé diſſeruimus.At Porphyrius quid hîc miſceret, ignoravit.Huius regulæ ſingularem & admirabilé uſum nunquá,ut ex ejus ſcriptis apparet, cogitavit. Ná ſi ad regulam illam ſuam inſtitutioné direxiſſet, nunquá in has nugas incidiſſet,definitionibus, partitionibus, exẽplis perſpicuis & ſuccinctis ré uná , una doctrina, & uno tantúm loco docuiſſet, nõ iteraſſet ſępius, res alienas nõ miſcuiſſet.Neq; veró locus erat hic de methodo illa Platonica præcipiendi,ſed in diſpoſitione,poſt enũtiationis et ſyllogiſmi declaratam doctriná. Ergo Platonia regula ad inané pompá hîc inſcienter & inepté producitur. Septimo prolixa & nugatoria oratione dilatatur generis proprietas, quód de ſpecie dicatur, nõ contrá:& ſuperiora deniq; de inferioribus, non contrá.Octavo et extremo loco individua nominantur,ex eo quód proprietatib. unũquodq; cõſtet:quarũ collectio nunquá in aliud quicquá cõveniat: & multis totius inſtitutiõis Porphyrianæ partib.differre numero individua dicuntur, nõ ſpecie, quod etiá nõ raró in Ariſtotelis philoſophia pręcipitur,ſed & contrariũ præcipitur. Hac de re já dicamus pauló pleniús & uberiús,& generis definitioné huc rejectá accuratiús cõſideremus:et illa nobis opinio cõſtituatur,de genere & ſpecie, quá probamus & ſeqmur.

CAP. V. QUOD GENUS *ſit totum partibus eſſentiale.*

GEnus eſt totũ partibus eſſentiale. Species,pars generis:ſic animaliũ,ſic hominũ genus, quia totũ partibus eſſentiale: ſic animal,genus animaliũ ſingulorũ: ſic homo genus ſingulorũ hominũ,quia totũ partibus eſſentiale:ſic homo, ſpecies animalis, ſic Socrates ſpecies hominis. Nihil auté refert ad ſpeciei naturam,utrũ generis pars cõmunis ſit multorum , ut homo & beſtia, an unius propria,ut Socrates et Plato.Hæc opinio probãda nobis & demonſtranda eſt. Ac ne qua nominia homonymia fallamur, tollamus generis et ſpeciei ſignificatiões alienas,logicas tantúm definitionib. expoſitas teneamus. Genus, ſignificat aliquando genitoré , aliquando etiá ſpecié: de hoc genere modó non loquimur: ſpecies , ſignificat aliquãdo formá, aliquãdo cauſam formalé, ut in phyſicis: aliquando ideam,aliquando ſubſtantiá, ut Alexãder annotat in Philoſophis ſexto capite libri tertij : aliquãdo etiá ſignificat genus,ut quinto capite primi Poſteriorũ Græci interpretes adnotant:de hac ſpecie nõ loquimur,de logico genere,de logica generis ſpecie loquimur. Dico igitur (ut iterũ ſtatuá) quicquid totũ eſt partib. eſſentiale , illud eſt genus , & partes ſpecies ejus ſunt,et ſic hominé,genus eſſe ſingulorũ hominum,et ſingulos homines ſpecies eſſe hominis dico. Unde igitur hujus rei veritas exquiri poteſt ? ab illo népe veritatis fonte, unde omnis noſtra diſputatio manavit, ab Ariſtotelis principiis, obſervatiõe,experiẽtia,inductione.Hic de artis inſtitutis diſputamus.Nauticę dogmata, é nautarũ uſu facta ſunt:militiæ præcepta , é militũ cõſuetudine ſumpta ſunt,ſic logicę decreta,é cõmuni logicorũ,id eſt hominũ uſu,ſumẽda ſunt. Ergó quéadmodũ Iudices plerunq;, ſic nos in ré præſentem veniamus . Dicis Sequaná Lutetiæ exaruiſſe : Id nego: ut igitur cõtroverſiam tollamus,huc ipſi veniamus, ut corá oculis & ſenſu fidem nobis faciamus. Dico genus eſſe totũ partibus eſſentiale, & ſic hominem , genus eſſe Platonis & Socratis, Platonemq; & Socraté,ſpecies hominis. In rem igitur præſentem veniamus,nihil ſomniemus,nihil cõmẽtemur. Finge illa ipſa tẽpora,quibus logicũ Organum ab Ariſtotelé nõ dũ collectũ erat,Dialecticæ vis fuit,& homines,genera quædá & quaſdá ſpecies dixerũt, atq; intellexerũt. Hic naturalis uſus, hæc humanitatis regula.Hęc Ariſtotelis experiẽtia & inductio & finis & principiũ eſt.

unde

Unde non dico temere arripi, ſed prudenter obſervati Dialecticæ præcepta omnia deceat. Cōſideretur igitur quid ea res eſt, & cujuſmodi, quam homines ſignificant his vocabulis, genus, generalis, generaliter, generatim: ſpecies, ſpecialis, ſpecialiter, ſpeciatim. Hoc obſervato, hoc poſito, quod inficiari oemo, niſi malitioſé, poſsit, genos id omne dicemus, quod ſpecies habet: ſpeciē, partem gensri ita ſubjectam, ut ejus non ſolúm nomen, ſed definitionem et naturam uſurpet i cómonis multorū, an unius propria ſit, nihil intereſſe. Sic Plautus ait,

Iuppiter, qui genus colis, aliſq; hominum.

Et Cicero: Dum genus hominū extabit, ait 2. Philip. Et idem cúm de ſe poſt reditum loquitur: Meſſenius legem ſpeciatim de mea ſalote promulgavit. Sic ab eodem etiā definitur genus primo de Inventione: Genus, eſt quod plures partes amplectitnr, nt animal: Pars eſt, quæ ſubeſt geoeri, ot equos. Sic generalis et ſpecialis quæſtio dicitur á Quintiliano: ſic generaliter aliqoid & ſpecialiter ſæpe dicitur. Sic Seneca hominē, animalis ſpeciem dixit: genos autem Catonis, Ciceronis, Lucretij. Itaq;, ait de homioe, quia cōtinet multa, in genus cadit: quia ſub alio eſt, in ſpeciē. Sic Iurecooſulti loquuntur, cúm homioē, genus: Stychum & Pamphilum, ſpeciee appellāt. Qua de re lex eſt de Stipulationibns, in quibus aliás ſpecies, aliás genera deducūtur. Sic iidē loquuntur, cúm ajunt in mutuo recipi non eandem ſpeciē, ſed idem genus: ubi Iureconſulti eleganter appellant eandem ſpeciem & ide genus, quod vulgus in ſcholia, idem numero, & idem ſpecie dicit. Socratem enim & Platonem ſcholæ dicunt numero differre, non ſpecie, & eſſe duo individua, ſpeciē unam. Meliús Iureconſulti, qoi duas quidem ſpecies, genus autem unom vocant. At malim veri & propriū ſermonis uſum á Iureconſultis, id eſt, Reipublicæ principibus, quám á ſcholis inertium philoſophaſtrorum petere. Quód ſi dixeris Plautum, Ciceronem, Senecam, Ioreconſultos parum acuté diſſerere, attamē hoc mihi concedas, eos homines humano & naturali hominū more loqui, cúm hominē genus dicunt Catonis, Catonem ſpeciē hominis. Quod ad quæſtionem meā cōcludendū ſatis eſt. Doceo enim ex uſu populari & naturali, id eſt noico Dialecticæ artis authore & magiſtro ſingulari probari hanc orationē, Homo eſt genue Catonis, Cato eſt ſpecies hominis. Et iſta eſt Ariſtotelis experientia, iſta eſt obſervatio, hoc deniq; Ariſtoteleum omnis doctrinæ principiū. Attamen ne quiſquam qoeratur, parū certis naturalis uſus exemplis tantam quæſtionē concludi: proferā authorem eū philoſophū, quem philoſophorum omniū principē & Homerum cōſtat fuiſſe: Platonem dico. Quid igitur Plato? An ait hominē, Socratis eſſe ſpeciē, ut Porphyrius ait? Imó veró & plané & claré & frequenter dicit hominó genus, vt dicit genus animalium. Et in Regno, cúm de ſpeciei & partis differentia præcipit, axioma ejoſmodi confirmat, quo neceſſe ſit omnes has Porphyrij ineptias everti. Quicquid ſpecies eſt, & partem neceſſe eſt ipſam eſſe ejus rei, cujus ſpecies dicatur. Quid eſt igitur? An cúm ſpeciem, ut fingit Porphyrius, quæ partes individuas habeat, Platonis jodicio ſpecies erit earum rerum, quarū totum eſt? at contrá hic affirmar, etſi qoo alio loco hominem, Socratis ſpeciem, id eſt ἰδέαν diceret, certé typū ipſum diceret, unde individua, quæ vocantur in Organo, velut ectypa formarentur. Quomodo ſæpe & generales & ſpeciales rerūm notitias, ideas, ut mox dicam rurſum, appellat. Imó pro eodem genus, ſpecies, idea ſæpe apnd eundem ponitur, ut in Parmenide, quomodo in poſterioribus Analyticis Ariſtoteles etiam loquitur aliquot locis. Quo pacto etiám nominare poſsis animal, ſpeciem hominis, & qnodvis genus, ſpeciem ſubjectarū ſibi partiom, quia ex eo, velut ex ore aliquo, quaſi imago & ſimilitudo ducatur & exprimatur. Verúm aliud eſt ſpecies, cui opponitur effigies & imago: quomodo loquitur in Oratore Cicero: Perfectæ eloquentiæ ſpeciem animo videmus, effigiē auribos quærimns: aliud ſpecies, quæ generi ſubjecta dicitur, & tanquam pars in toto comprehenſa. Agité veró, miſſos & poëtas & oratores & Iureconſultos, quin Platonem ipſum miſſum faciamus, Ariſtotelem potiús audiamus, & præceptis & exēplis idipſum qnod ajo, confirmātē. Etenim nō in dubio opere aliquo, ſed in prima & ſumma Philoſophia libri 10. cap. 3. genus ita definit. Dicitur veró genus, qno ambo differētia, unū ſecundū eſſētiā, dicūtur. Genus nimirū definitur hic

totum

totũ partibus eſſentiale, nec in partibus, ſpeciei differentia, ſed eſſentialis cõmunio proponitur. Et ibidẽ capite ſeptimo: Id enim genus voco, quo ambo unũ idẽ dicuntur, habens differentiam, nõ ſecundum accidens, ſive ſit ut materia, ſive ſit ut aliter. Hic cõmuniter genus definitur totum, cujus partes in ipſo ſunt, unũ, non ſecundum accidens, ſed ut dictũ eſt priús, ſecundum eſſentiam: & hic rurſus totum partib. eſſentiale proponitur. Ergo videmus ex iis Ariſtotelis locis genus eſſe eſſentiam multorũ ſimilem, ut nihil interſit ad generis rationem: partes cõmunes ſint multorum, an unius propriæ. Atque hanc ſuam doctrinam Ariſtoteles uſu & exemplis ſuis etiam confirmat, & hunc naturalẽ uſum accõmodat. Sic primo & tertio & quarto capitibus libri tertii Philoſophiæ, vocantur ultima genera in individuis, ut homo. Et in eadem philoſophia primo capite libri primi dicitur, Hominũ genus arte & ratione vivit. Item in Longitudine vitæ, Diuturnioris vitæ eſt hominum genus, quám equorum. Hominum genus, equorum genus, præceptis docet eſſe, & uſu ſuo confirmat.

CAP. VI. DE VITIOSA *generis definitione.*

SIc capite tertio ſecundi phyſici opponit *εἰς τὸ καθ' ἕκαστον καὶ εἰς τὸ γένος*, ut ſingulare aut ut gẽnus. Quamobrem poſitá generis definitionem, demonſtratam & confirmatam ſatis habemus: Secundam opinionem jam cõſideremus, qua genus á Porphyrio definitur, quod de multis & ſpecie differentib. in quæſtione quid eſt, affirmatur. Quæ definitio id tantum veri complectitur. Genus eſt, quod de multis eſſentialiter affirmatur. Cui reſpondet illud noſtrum totũ partibus eſſentiale. Partes igitur definitionis videamus. Prima pars illa, de multis affirmari, noſtræ definitioni cõvenit: de hac igitur diſputari nihil eſt neceſſe. Secunda pars, differentib. ſpecie, videtur omnino non congruere, quia ſinguli homines, de quibus homo dicitur, ſpecie differre Porphyrio non dicuntur. Quamobrem inquam? quid enim eſt hoc ipſum ſpecie differre? Id veró nobis ab Ariſtotele in Philoſophia libri decimi capite octavo proponitur. Quæcunque ſiquidem in ratione ſunt contrarietates, faciunt ſpecie differentiá. Quæ veró in toto materiæ complexu, nõ faciũt. Vbi multis verbis docetur differre ſpecie, quæ forma eſſentiali differũt, nõ quæ accidentibus. Et ratio illic pro forma ſumitur, ut ſæpe apud Ariſtotelem. Sic 2. cap. 1. phyſici *ἓν τὸ γὰρ εἶδος λέγω καὶ λόγῳ ταὐτόν*, unũ enim ſpecie dico & ratione idem. Ad quam definitionẽ duobus modis reſponderi poteſt: primó ſi vera ſit, tamen ſingulos homines ſpecie differre: deinde captioſam & fallacẽ eſſe. Ergo priús illud agatur. Etenim inquis, homo & leo, forma cõmuni differunt. Et Cato inquá, & Cicero, forma quoq; propria differunt: nec numeri differentia, quám inducis, aliud eſt, quám propriæ & individuæ formæ differentia, ſpecieiq́; & formæ, ut cõmunis & dividuæ, ſic propriæ & individuæ differẽtia ſua eſt. Etenim longé aliud videtur eſſe de fœmina & mare, aliud de Socrate & Platone: mutatis enim accidentibus, ſervata eſſentiali forma, poteſt numero unus & idẽ eſſe fœmina & mas, ut Ariſtoteles ait, & á poëtis de Tireſia proditũ eſt: & á Platone duodecimo legũ de Cæneo, quomodo ex fœmina, vir factus eſt: & revera eſt: ut Hermaphroditus & Androgynus, ut copioſé Plinius quarto capite libri ſeptimi. Verúm duæ ſubſtátiæ, ut ſunt Socrates & Plato, detractis cogitatione omnib. accidentibus, eſſentiali forma ſervata, ne cogitari quidem poſſe videtur, ut eadem numero & una fiat eſſentia: aut ſi dicatur, ſingularũ ſubſtantiarum formas ex accidentiũ cõcurſu fieri, indeq́; numeri differentiam gigni, abſurdiús videbitur offendi, quia ſubſtantiarum forma, id eſt ſubſtantiæ primaria cauſſa, fiat accidens. Deinde quia ſingularia ſola ſubſiſtant, quidvis erit accidens, ſubſtantia prorſus erit nulla: aut certé ſolæ rerum cõmunes & ſeparatæ á ſingulis rebus ideæ, ſubſtantiæ erunt, quod Ariſtoteles tam vehemẽter improbavit: deniq; eſſentialis homo nullus erit, niſi cõmunis, & ut ita dicam, idealis. Ita ſubſtantia nulla erit, neq; Deus, neq; dæmon, neq; homo quiſquam. Quod ſophiſma nõ ſolum valde ſtupidũ eſt, ſed impietatis incredibilis plenum. Nec ſequitur, ſi formam Socratis & Platonis aliter, quám accidentibus explicare non poſsis, ideo formas eſſentiales diverſas nõ eſſe. Etenim philoſophiam oẽs vix ac ne vix quidẽ unam hominis formã norunt: attamẽ illa generali cauſſæ ratione

ne, norunt omnium terum aliquam eſſe eſſentialem formã, qua tes ſunt id quod ſunt, quamvis ſpecialiter quid unaquaq; ſit ſorma, neſcianr. Quare vel ad hanc ſpecificæ differentiæ definitionẽ, ſinguli homines ſecundum formam, nnmero unus homo non erit: numeroque differre nihil aliud erit, quám propria forma differre. Quæ propriæ formæ differentia non eſt minor, quám formæ communis differentia. Et quanto major in ſingulis ſimilitudo communis ſormæ, tanto major eſt etiam differentia propriæ formę, ſicuti cõtrariorum ſub eadem generis ſorma cõmunicantium albi & nigri major, quám non communicantium albi & calidi. At (ſicut in proverbio eſt apud Ariſtotelem ſeptimo Politico) Gravia bella ſrattum. Sed Ariſtotelem potiús interpretationis hujus authorẽ adhibeamus, ut á quo veram generis definitionem accepimus, ab eodem cõtrariæ refutationem ſumamus: ſingulosq; homines ſpecie differre doceamus. Quicquid enim differt, differt aut genere aut ſpecie: genere qdẽ differũt, quorum non eſt communis materia, neq; generatio mutua: ut quorum eſt alia figura attributionis: ſpecie veró, qnorum eſt idẽ genus. Hęc Ariſtoteles, decimi libri Philo ſophiæ capite tertio: unde aſſumo, At inquá, homo nõ differt ab homine genere, quia cõmunis eſt ſingulorũ hominũ materia, et homo generatur ex homine. Ergo homo differt ab homine ſpecie, ſinguliq; homines ſunt ſpecies, & homo, genus eorum. Quare ex Ariſtotelis doctrina, imó veritate ipſa convincimus, etiamſi differre ſpecie, eſſet differre forma eſſentiali, tamen ſingulos homines et individuos, ſpecie differre. At ut de ſecundo jam diſſeramus, ea definitio captioſa eſt, & homonymia ſignificatiõis fallit. Etenim de ſpecie logica diſſeritur hoc tempore, non de cauſſa formali, non de pulchritudine & cæteris, quæ ſpecies etiam ſignificat. Definis ſpeciem logicam relatione generis & cognatiõe. Ex hac igitur definitione dicã differre ſpecie, quæ ſpeciẽ habent diverſam: differre genere, quæ genus habent diverſum: nec enim patre differunt, niſi filij: nec filio, niſi patres, & ſic relatio generis & ſpeciei tenebitur. At idem rogatus, reſpondes ex alia ſignificatione, quam definieris: & ais differre ſpecie, quæ forma eſſentiali differunt, quaſi ſpecies pro eſſentiali forma nobis eſſet definita. De ſpecie logica loquimur, ejuſque definitionem quærimus. At Porphyri (quod te jam ſæpius moneo) definitio rei, continet etiam rei differentiam, ſi definitio vera eſt. Tu veró definitionem ſpeciei logicam é genere nobis inſtituis: differẽtiam autem é forma neſcio quam facis: Perinde ac ſi generę definito interrogatus, quę genere differrent, dicerem, quæ differunt patre & genitore, quia etiam generis eſt illa ſignificatio. Quapropter ridiculũ eſt aliunde ſpeciei definitionem, aliunde differentiam petere: totũmq; id ſcholaſticũ commentum rejiciendum, & concludendum, in ſecũda generis definitione, nihil eſſe, quod primam definitionem generis impediat. Pars una ſupereſt, quód noſtra definitio non doceat genus in quæſtione quid eſt, affirmati: concedo, neque id omnino in generis definitione neceſſarium eſſe contendo. nam ſi maximé verum eſſet, extrinſecus tamen id accideret generi: naturale penitús & inſitum, id eſt eſſentiale nõ eſſet. Etenim definitio proprié & veré reſpondetur ad quæſtionẽ quid eſt: & tamen ex eo nequaquã definitio definitur, Accidẽs enim definitiõis eſt, quod ad quæſtionem quid eſt, adhibeatur: natura definitionis & eſſentia non eſt: Ita ſi genus ad quæſtionem quid eſt, reſponderetur, attamen id accidens ejus eſſet, cúm genera rerũ omnium cogitari & eſſe poſſunt, etiamſi nil interrogetur. Veruntamẽ id in genere omnino falſum eſt: nec enim genus ad quęſtionẽ quid eſt, reſpõdetur, ſed definitio, ut Ariſtoteles ait in Poſterioribus, ubi certiſsimas inſtituendarũ artiũ ac diſciplinarũ vias inſtituit. Illic enim genera quæſtionũ (An eſt, quid eſt, quia eſt, quamobrem eſt) dividit, & quæſtionem quid eſt, definitione, non genere ſolo ſolvẽdam & exprimendam præcipit. Et certé cum rei genus quæritur, non quæritur quid eſt, ſed cujus generis, vel é quo genere. Experientia, obſervatio, inductio Ariſtotelis adhibita, quæſtionẽ hãc diſſolvet. Categorematici ſermonis ineptię hic etiã fortaſsis objiciẽtur, ſed ſatis jã refutavi. Hæc igitur Ariſtotelis indubitata principia ſequamur. Sunt alij, & cõtrariæ authoritatis loci apud Ariſtotelem: cõcedo. Sed Ariſtotelis philoſophiã, omniũ veterũ philoſophorum collectã philoſophiã eſſe meminerimus: in qua variæ ſunt, &

ſæpe

ſæpe diſcrepantes & cõtrariæ opiniones: ſed in eadem philoſophia ſunt Ariſtotelis etiam principia, per quæ licet é contrariis opinionibus congruentem Ariſtotelis judicio ſequi. Sed deniq; Ariſtotelẽ ipſum ſuis legibus judicem licet audire. Id modó facimus: Porphyrij imperitiam hîc arguimus, qui propoſitis definitionibus ejuſdem rei repugnantibns, deteriorem ſelegit. Tu ſi Porphyrium tueri velis, arripe cõtra nos Ariſtotelis principia, experientiam, obſervationem, inductionẽ: & doce inſignibus & naturalibus Homeri, Platonis, Demoſthenis, Ariſtotelis etiã, ſed extra nugas iſtas ſcholaſticas: deniq; cujuſvis probati & ſpectati authoris exẽplis, hominem, dici ſpeciem Socratis & Plaronis: Socratemq; & Platonem, hominis individna dici: tum Ariſtotelenm te et Ariſtotelis principia ſecutum laudabo & libẽter audiã: ſecus confiteare te de præceptis cõtendere, quorum nſum neſcias, quorum principia neſcias. Et cave ne dicas hominem, genus quidem Socratis appellari in uſu populari & naturali: at in ſchola & doctrina nequaquã: artes enim omnea ſi veræ ſunt, ex uſu naturali & ſingularibus exemplis profectæ ſunt, ait Ariſtoteles: nec in omnibus artium & generalibus præceptis, aliud docendum eſt, quám in ſingularib. exemplis agitur. Diſcimus in ſchola Logicam, ut ad humanę rationis uſum maturiús accedamus: mea definitione accedemus citó: tua nunquã. At dicet aliqnis, ſumma fuerit categorematum confuſio, ſi genus iſto modo definiatur. Idem enim erit & genus & differẽtia & definitio. Nam ſic dicetur animal rationale, genus ſingulotum animalium rationalium: ſic dicetur, & rationale genus ſingnlorũ rationalium. Quę nam inquã, iſta confuſio fuerit? aut quám non ab Ariſtotele comprobsta? Ariſtoteles primo Topico categoremata quatuor efficit, accidens, genus, proprium, definitionẽ. Genus illic definit, quod de multis & ſpecie differentibus in quæſtione quid eſt, affirmatur. Quid inquam definitio animalis, nónne de multis & ſpecie differentibus in quæſtione quid eſt, affirmatur? nónne iccirco genus eſt? an dices categorema non eſſe, quia dictio nõ una ſit? At Ariſtoteles ipſe partitione ſua, categorema facit, & præcipuum categorema: & jam de dictione ſimplici docui falſum, nec Porphyrio, nec Ariſtoteli id eſſe viſum. Quid differentia? nónne ibidem ab Ariſtotele nominatim in generis locum admittitur, ſi communis & generalis fuerit? Etenim, ait, differentia cúm generalis ſit, loco generis eſt habenda. Quomodo igitur inquies, categoremata diſtinguentur, cúm ſit idem & genus & definitio & differentia? Quomodo inqnam, genus & ſpecies, cauſſa & effectus, forma & differẽtia, para & totum diſtinguentur, cúm idem poſſit eſſe genus & ſpecies & cæterorum unumqnodq;? Ratione opinor, & definitione dices diſtingni. Sic igitur animal rationale, definitio erit, quia explicat proprié & ſuccinctè quid res ſit: & genus, qa eſt totum partibus eſſentiale.

CAP. VII. DE IDEA, *quód res logica ſit.*

QVamobrem concludamns genns eſſe totum partibus eſſentiale. Et illa nimirum eſt idea Platonis, de qua diſputationẽ huc rejeceram: ut genere cognito, Platonis idea faciliús cognoſceretur. Etenim Platonis idea nil eſt aliud, quám genus hactenus á nobis definitum. Idque ne dubius author nobis proponatur, Ariſtotele doctore & interprete cõfirmo: licet multis locis Platonem hac de re cavillari videatur. In poſteriorib. igitur Analyticis, capite octavo libri primi, unum quippiam extra multa videtur Ariſtoteles non probare, cúm nnũ & idem in pluribus probat. At decimooctavo capite ſecundi, probat unum quippiam extra multa: quod in omnibns illis quidem unum & idem inſit, omnino comprobat, & ſic univerſale ſuum definit. Verũenimveró loci ſunt in Philoſophia permulti, quibus copioſé et amplé diſputatio iſta tractatur, qua præclaré vindicat Ariſtoteles, Platonis ideam nõ eſſe exemplar neſcio quod ſeparatum, ſed genus eſſe logicum. Argumentorum Ariſtotelis capira variis é locis in unum conferam, quó faciliús quæſtio tota percipiatur. Si non eſt idea, ait in Philoſophia lib. 3. capite ſexto, principiorum genera numero definita non erunt: ſed tot, quot res ſingulæ. At hoc abſurdũ. Unde concluditur apertiús (eſt enim ſententia hæc Ariſtotelici argumenti, ibi valdé confuſi) Ideas neceſſariũ eſt ob id eſſe. Etanim tametſi nõ bene, nec intelligenter

ter exprimunt, id tamen eſt, quod volunt, qui dicunt ideas: & hæc illis dicere neceſſe eſt, quòd idearum quædam eſſentia ad ſingulas res attinet: nec quit quam eſt per accidens. Atque in eadem Philoſophia quarto capite decimi tertij dicit: Socrates quidem univerſalia, ſeparata non faciebat. Rurſuſque ibidem nono capite de ideis. Id uerò, quemadmodum in ſuperioribus diximus, movit Socrates propter definitiones, non tamen à ſingularibus ſeparavit: Id rectè intellexit non ſeparans. Ergo Ariſtotelis judicio, Platonis ideæ nō ſunt exemplaria ſegregata, ſed logica genera. Aliquando etiam Ariſtoteles appellat formam, figuram ideæ, ut in Philoſophia tertio capite ſeptimi. Hæc vera & logica eſt ideæ Platonicæ interpretatio & intelligenua: Contraria opinio refellitur in eadem Philoſophia ſeptimo capite primi, & quarto, quinto, decimo decimitertij. Sempiterna ſiquidē exemplaria ſingularum rerum, velut imaginum, & ab iis ſeparata (per quæ tanquam formas, imagines ipſæ rēſque ſingulares & ſint & cognoſcantur) ideas ſingere, dicerēque eas eſſe tantùm ſubſtantiarum naturalium, eaſdémque eſſe numeros, eſt nugari, & poëticas metaphoras loqui: Nec enim res eſſe poſſunt per id, quod ab iis ſeparatū ſit, nec omnino generari aut cōſervari: Nec quiſquā hoc exemplar in agēdo reſpicit, nec ad cognoſcēdum genera rerum, quæ ſola tractantur in artibus, ideæ tales quicquam conferunt: ſunt enim genera ipſa commentitio tāūm numero multiplicata: nec conſtantibus argumentis ideæ tales à ſuis authoribus confirmantur: nec enim ſequitur, ſi ſcientiæ non ſint ſingularium, ſed eorū quæ ſunt in multis, & quæ intelliguntur, ut ſint iccirco ſeparatarum idearum: ſunt enim univerſalium & generalium: Et hac ratione idea fieret artificialium rerum, quarum ſcientia eſt: & negationis, quia de multis dicitur: & ſingularium corruptibilium & relatorum, non ſolùm ſubſtantiarum naturalium, ut ſeparatarum idearū authoribus placet: omnium denique rerū, quia omnes intelliguntur: Tum etiam tertius exiſteret homo: ſingularis nempe, cùm communis & ſingularis, & idealis, ut ita dicam, prius eſſet. Denique ſi exemplaris & imaginis eſt aliquid commune, ideæ fuerit idea: ſi nihil, homonymia tantùm fuerit. Poſtremò cùm ſiant ideæ numeri, quo pacto ſubſtantiarū cauſſæ erunt? quo pacto non ex multis ideis, una fiet idea, ſicut ex multis numeris, unus efficitur numerus? Quapropter exemplaria illa ſejuncta ſic Ariſtoteles refellit: & de iis ait decimo octavo capite primi Poſteriorum, Species valeant: inanes ſiquidem uelut proluſionum ac prætentionū pompæ ſunt. Sed de genere & ſpecie ſatis: cōcludamus, genus eſſe totum partibus eſſentiale, ſpeciem, partem eſſe generis, idqúe & ab Ariſtotele probari, & à Platone ideam appellari, & humanæ rationis uſu confirmari.

CAP. VIII. DE DIFFERENTIA.

Caput octavū de differentiæ diviſionibus tribus, & definitiōibus quinque ſuccedit, nugatoriâ & præpoſterâ doctrinâ valde ineptū, nec ulla ferè parte ariſtotelicum. Res proſequar deinceps, ut à Porphyrio collectæ ſunt. E diviſionibus differentiæ prima eſt in communē, propriam, & maximè propriam: vitioſa, quia primæ duæ partes differētiæ, quæ de cōmunibus quinque categorematis unū eſt à cæteris diſtinctum, nón conveniunt id non eſt κατὰ παντός. Differentia communis, eſt accidens commune: differentia propria, accidens propriū eſt: poteſt etiā eſſe commune, ſi Porphyrius platonicam illam, imò ariſtoteleam methodum, quā paulò antè inſciens attigit, ſequeretur, ut ſequi debuit: ſi rectè atque ex ordine docere vellet, & rem primò definiret, iſtam partitionem nugatoriam eſſe perſpiceret. Nec verò partitio ariſtotelea eſt, nec è logico Organo ſumpta, ut tot jam locis convincatur contumelia illa ab interpretibus ſuis Ariſtoteli facta: maximé propria differētia aliud efficit, eique vis à Porphyrio duplex attribuitur: prima definiendi, quia ſpeciē quaſi faciat, ideóq; ſpecifica dicitur: altera dividēdi, & ſeparādi, quia ſpecies generis dividat & ſeparet alias ab aliis. Hæc definiēdi & partiēdi utilitas ariſtotelea, eſt è primo Topico deducta: Neque tamen tautologia hîc opus fuit, καθ᾽ ὅλου κυρίων tautologiam improbat. Secūda diviſione, dif-

ferentia alia ſeparabilis efficitur, alia inſeparabilis: Tertia diviſione, inſeparabilis alia per ſe, alia per accidens: At utraque partitio, in primæ elenchum relabitur: differentia enim ſeparabilis, & differentia per accidens, quæ dicitur, nō ſunt tertium commune categorema: catholicum igitur id non eſt, ideóque legibus Ariſtotelis damnatum. At inquies, ambiguum prius diſtinguendū, quàm definiendum. At inquam, id ridiculé admodùm dicitur, tanquam definiendo non diſtinguamus, & definitio, tantùm ſit expoſitio rei, non etiam differentia & diſtinctio á cæteris. Definitio, Porphyri, conſtat differentia, ut tute ipſe hîc doces: Ergo ut veram differentiæ ſignificationem diſtingueres á cæteris, ea tantùm definiēda fuit, tum veriſsimé, tum maximé proprié, ut loqueris, diſtingueres. Verùm pergamus: In differentia per ſe reperitur vis definiendi jam propoſita, quód ſit in eſſentiæ ratione: redi ad καθ' ὅλα πρῶτον, tautologia nugatoria eſt: Item quód neque magis, neque minùs, ſed æqualiter ſubjectis ſuis attribuitur: quod é Categoriis Ariſtotelis deductū eſt: tametſi Ariſtoteles ipſe aliquādo id dubium faciat, ut octavo capite ſecundi Phyſici. Repetit Porphyrius inani repetitione, tres has præclaras diviſiones, & ex illa vi definiendi, differentiam appellat completivam & conſtitutivam ſpeciei: Intereáque religionis ſuæ deum neſcio quem nobis fingit corporeum, contra tamen Ariſtotelis doctrinam, ut jam dixi. Hæc prima capitis hujus pars eſt in diviſionibus, in qua videmus quàm catholica ſit Porphyrii doctrina: Secunda ſequitur [illegible], de definitionibus: Differentia eſt, qua ſpecies ſuperior eſt genere, quia ſpeciei definitio differētias una plures habet, quàm generis: At differentiæ accidens eſt, unde minimé definienda fuit: nec enim accidēs, ut hîc Porphyrius docet, per ſe differentia eſt: & tamen etiam proprio ſpecies ſuperat genus: nec ideo ſoli differentiæ definitio iſta cōvenit, & alia cauſſa vitioſa eſt. Hîc etiam Porphyrius arguitur, differentias in genere eſſe poteſtate, non autem actu: quia uidelicet eſſentia multorum communis cogitari poſsit, ſine ulla ſpecie. Ergo hæc prima definitio differentiæ vana eſt: nec certê ex Ariſtotelis Logica: Chryſippi aut neſcio cujus nugatoris iſta doctrina eſt, & contumeliæ nota illa Ariſtoteli toties inuritur. Secunda definitio ſequitur, Differētia eſt, quæ de pluribus & differentibus ſpecie in quæſtione quale quid eſt, affirmatur: Quæ non omnem differentiam ſpecificam & veram cōplectitur, nec ideo definiti propria eſt. At voluit, dices, generalem tantùm differentiam definire. Stulté inquam, & imperité, & contra logicas veté docendi leges voluit. Sophiſticé docet, ait Ariſtoteles, qui generale & commune ſpecialiter & præcipué inſtituit: Vera autem differentia & maximé propria eſt, non ſolùm generis, ſed etiā ſpeciei: imó veró hinc ſpecifica Porphyrio dicitur, non (quaſi diceres) genifica. Sophiſticé igitur Porphyrius hîc definit: Neque certé definitio hæc in Ariſtotelis Logica eſt. Eubulidis & ſtultioris ſophiſtæ cujuſdam ſophiſma eſt ad Ariſtotelis doctrinam aggregatum. Hîc Porphyrius definitionem ex genere & differentia comparat, rei materia formáque compoſitæ: ſed nec veré, nec Ariſtotelicé: Genus enim, ut animal eſt, hominis non ſolùm materiam, ut ſubſtantiam corpoream, ſed formæ partem continet, ut vitæ & ſenſus facultatem. Et Ariſtoteles in Poſterioribus longé veriùs docet, generalibus contineri cauſſas communes ſpecierum, non materiā ſolùm: contumelioſum id eſt Ariſtoteli: Tertia definitio deinde eſt, Differētia eſt, quod natū eſt ea dividere, quæ ſub eodē genere ſunt: Et hæc definitio vitioſa, nec ariſtotelea: nā proprium & accidēs, poſſunt etiā dividere ſpecies: Itaque debuit Porphyrius explicare ſua definitione, quomodo differentia divideret ſpecies: Quarta definitio ſequitur: Differentia eſt, qua differunt á ſe ſingula: At differunt etiam proprio: Quare & hæc definitio ſimiliter eſt vitioſa, nec ex Ariſtotelis Logica ſumpta eſt. Eubulides tāquam Ariſtoteles hîc nobis offertur. Quinta definitio poſtrema eſt: Differentia eſt, quod ad eſſe conducit, & quod quid erat, eſſe, & rei pars eſt: At genus ad eſſentiam rei conducit, & ejus pars eſt: Vitioſa igitur & iſta definitio eſt. Hæc tamen ſola definitio fuit, quæ logica poſſet videri: Cauſſam ſiquidem formalem complecti voluit, ſed explicare

non

non potuit: Forma ſiquidem, eſt cauſſa, qua unumquodque eſt id quod eſt, & ideo qua à cæteris diſtinguitur tebus: & nomine differentiæ, in ſcholis etiã Ariſtotelis appellatur, quia hac una maximé res differunt: At prior ejus virtus erat definire rem & formare: unde ſequebatur differẽna & diſsimilitudo rerum. Et illa nimirum Porphyrii ſunt in hoc capite, ſpecificum, completivum, conſtitutivum ſpeciei: ſed Porphyrii aliena commenta colligentis, quorum uſum ne cogitaſſet quidem unquam. Quin differentiæ nomen totum comparationis eſt: nec ſimpliciter & ſine comparatione dicitur differentia hujus, ſed differentia hujus ab illo: Et proprié Ariſtoteles primo Topico, ſimilitudini oppoſuit: quomodo enam in Topicis Cicero: quomodo etiam in comparandis poſtea categorematis Porphyrius, cúm quærat, quid commune, & quid differens habeant. Ergo forma, cauſſæ nomen eſt: differentia, comparationis. Neque tedeamus ad illas ſcholaſtici ſermonis ineptias, quód forma non ſit categorema. Cur enim non erit? nonne convenit ſuo formato? An ſi hoc modo dicere non liceat, Homo, eſt anima rationalis: illo modo non licebit, Homo, eſt præditus anima rationali? At nimiúm de categoricis nugis, & nimis ſæpe teſpondeo. Videmus igitur totum caput, quàm tot definitionibus & diviſionibus nugatorium: quàm etiam amethodum & præpoſterum: quàm denique nil verum, imó ne Ariſtotelicum quidẽ doceat. Vani tantúm nugatoris, & quidem fortaſsis eorum cujuſpiam, contra quos Ariſtoteles diſputavit, commenta hîc à Porphyrio collecta ſunt: ut contumelia illa de qua tam ſæpe teſtamur, valde ſtolida appareat.

CAP. IX. DE PROPRIO.

PRoprium, modis quatuor hîc deſcribitur: Quod ſoli ſpeciei, non omni accidit, ut homini, medicum eſſe: Quod omni, non ſoli, ut homini, bipedem eſſe: Et ſoli & omni & aliquando, ut homini, in ſenectute caneſcere: Quod ſoli, omni, ſemper, ut homini, natum eſſe ad riſum: Hîc morbus idem, qui priús: & ideo eadem medicina eſto.

Si de proprio quicquam præcipiẽdum eſſet in Logica, primò definiendum eſſet proprium, differentiâ maximé propriâ: tum unica definitio eſſet, qua cæteræ ſignificationes alienæ eſſent diſtinctæ. Sophiſticum eſt, ait Ariſtotelis καθ᾽ ὅλου πρῶτον, plures doctrinas pro unica facere. Deinde hæ quatuor definitiones, ex Ariſtotelis Logica non ſunt acceptæ, ſed é chryſippea vel eubulidea aliqua: Ariſtoteles enim quatto capite primi Topici longé ſeciis iſtud docet: definit enim proprium, quod nõ indicat quid eſt, eſſe: ſoli autem convenit, & cum re convertitur. Præterea negat eſſe quicquam veré proprium, ſed aliquando, vel ad aliquid, ita novis argumẽtis contumelia illa cumulatur. Tum veró qualis eſt quatta Porphyrii definitio? Etenim Ariſtoteles, ut proprium à definitione diſtingueret, addidit illud (quod non indicat, quid eſt, eſſe.) At id Porphyrius omiſit: An dices, id verbo (accidit) à Porphyrio comprehendi? quod proprium accidat, ideóque non indicet, quid eſt? Ergo inquam, illud eſt, quod capite ſecundo monui, accidens, genus eſſe Porphyrio: ſpeciéſque duas accidentis ab eo deſcribi, accidens propriũ & commune: Et imperité ſpecies generi præponitur: & genus imperité pro una ſpecie poſtponitur. Aliud etiam eſt hîc ſophiſma quód proprium, ſpeciei accidere dicitur: Nec enim ſpecies cum proprio, ſed cum genere cõfertur: Tum veró cur ſpeciei ponis, quám generi, quám etiam individuo accidere dicitur? an individui, an generis proprium nihil eſt? Subjecti verbo hîc Porphyrius uti debuit, ut pauló póſt in definiendo accidente. Sic Ariſtoteles docet quarto capite primi Poſteriorum, ſubjectum proprio eſſentiale eſſe: & in ratiõe quid eſt, dicente: indéque propoſitiones per ſe fieri. Et in Topico primo, rei, non ſpeciei nomen adhibuit. Quamobrem Antiſthenem vel Eubulidem aliquem hic Porphyrius, non Ariſtotelem imitatus eſt: Et ſi Porphyrius Ariſtotelis doctrinam colligere vellet, verum proprium primo loco definire, & ex ſubjecto, non ex ſpecie definire debuit: Si inquam, de proprio in Logica præcipué præcipiendum eſſet, ita præcipiendum eſſet. At quinam locus in Logica proprio pro-

prius erit? Ariſtoteles in Topicis facit é proprio quandam deſcriptionem, & definitionis ideo ſpeciem: ut hominis proprium, Grammaticæ capacem eſſe. Id ſi ſequimur, proprii doctrina, cum definitionis doctrina conjungetur. At ſimplicia quædam adjuncta, non definitiones tantùm, aut deſcriptiones ſuo etiam ſubjecto, omni, ſoli, ſemper accidunt: Quin forma & differentia, formæ propria vel à Porphyrio dicitur, cùm ait differentiam communem, propriam, maximè propriam Quid igitur? Certe commune quid ſit, Logico eſt intelligendum non minùs, quàm quid proprium: de illo tamen nullum in Logica præceptum ponitur, quid commune, & quot modis dicatur: Idem eſt de proprio: communes cauſſæ, propriæ cauſſæ, communia facta, propria facta: Communia item ſimiliter aut propria cætera argumenta ſunt, proprium nullum eſt argumenti genus, ut genus, ſpecies, forma, de quibus jam diximus. Nec magis decet accidentis ſpeciem é proprio facere, quàm é communi: nec accidentis poniis, quàm cujuslibet argumenti. Res tamen quæ modò à Porphyrio proprii nomine videtur ſignificari, ad adjunctorum locum attinet: Ita proprium hominis, natum eſſe ad riſum: & ſic (ut dixi) Ariſtoteles propriam affectionem ſubjecto tribuit.

CAP. X. DE ACCIDENTE.

Accidens definitur quod adeſt & abeſt abſque ſubjecti interitu: & hoc adeſſe & abeſſe, Porphyrius interpretatur reipſa aut cogitatiōe: Itaque efficitur accidens aliud à ſubjecto ſeparabile, aliud inſeparabile, nempe actu. Hîc Porphyrius ſapientior eſt in definiendo accidente, quàm fuerat in proprio, accidentis ſpecie: definit enim accidens ex ſubjecto, non ex ſpecie: Et tamen hoc valdé abſurdum eſt, quód genus pro una ſpecie modó numeretur, tanquam accidens eſſet ſpecies categoremans oppoſita proprio, proprii genus non eſſet. Definitur rurſum accidēs duabus aliis definitionibus: Quod accidit eidem ineſſe aut non ineſſe. At iſta definitio cum ſuperiore congruit: nugatoria tautologia tantùm eſt, contra καθ᾽ ὅλου πρῶτον. Tertia deinde ſequitur definitio: Accidens, quod neque genus, neque differentia, neque proprium, in ſubjecto veró ſemper conſiſtit. At hæc definitio per negationem facta, ab Ariſtotele primi Topici capite quarto, ſuperiori poſtponitur: & ſi Porphyrius vellet Ariſtotelis doctrinam iā breviter colligere, quàm initio profitetur, é duabus definitionibus, melior & Ariſtoteli probatior colligenda fuit: Verùm ex Ariſtotelis una duas, primā & ſecundam facit: & quam Ariſtoteles poſtpoſuerat, adjungit: Quaſi Porphyrius ſine judicio, ſine delectu propoſuiſſet omnia undique accumulare, quæ quiſquam Eubulides iis de rebus dixiſſet. At illa non eſt compendiaria inſtitutio nobis initio promiſſa. Ergo Porphyrii doctrina non minùs eſt hîc vitioſa, quàm priùs fuerat: Imò veró & res quæ docetur, hîc magis confuſa: Accidentis enim nomine, facta, adjuncta, etiam rerum inter ſe cōparationes comprehenduntur, ut Ariſtoteles quarto capite primi Topici ſignificat: Attamen cùm dicimus, Cato ſibi manus attulit: Cæſar Galliam ſubegit: Cato eſt ſapiēs: Cæſar eſt fortis: Sibi manus afferre, Galliam ſubigere, ſapientem, fortem eſſe, non ſatis propriè accidentia Catonis & Cæſaris dicimus, ſed propriè facta & adjuncta. Neque certè in Græco ſermone minor eſt hujus ſermonis improprietas: Etenim ut Ariſtoteles ipſe nos in Philoſophia docuit triceſimo capite quinti, & ſecundó ſexti, & ſeptimo undecimi, accidens, propriè ſignificat fortuitum, infinitum, inordinatum: quod neque ex neceſsitate, neque frequenter eveniat: ut ſi quis plantæ gratiā ſcrobem fodiens theſaurum invenerit: Denique Ariſtotelis judicio accidens eſt fortuna ſeu caſus: & cauſſa per accidēs, ſic ab Ariſtotele ſæpe dicitur. Ergo tantam confuſionem tollamus, res propriis nominibus diſtinguamus, & diſtinctas doceamus: facta, adjuncta, comparata ſeparemus: ambiguitatem tollamus: Amphibolia magnum doctrinæ vitium eſt, & ab Ariſtotele inter ſophiſticas captiones numeratū: Quamobrem ſi Porphyrius, ut polliceri videtur, vellet ariſtoteleæ Logicæ cōpendiariam inſtitutionem de accidēte tradere, debuit

debuit accidentis ambiguitatem talem tollère, & factorum, adjunctorum, comparatorũ locos, ab Ariſtotele ipſo præſertim in Topicis diſtinctos, diſtinctè tradere. Atqui Porphyrii doctrina eſt de genere, ſpecie, differentia, proprio, accidente, ejuſmodi. Genus & ſpecies ad logicæ inventionis locum de toto & partibus attinent: Genus à Porphyrio definitum verè & propriè nõ eſt: Speciei vera definitio cum falſis confuſa: Differentia neque nomine ſuo & proprio, id eſt forma dicitur, nec uſquam verè definitur: Proprium, logicæ artis præcipuum nihil eſt: Accidens, fortunæ & caſus nomẽ eſt: quo ideo vitioſè factorum, adjunctorum, comparatorum loci confundũtur. Atque in tota quinque categorematũ porphyrianorũ doctrina, quàm pauca ſint ariſtotelea, perſpeximus, ut Eubulidis aut etiam deterioris ſophiſtæ nugas à Porphyrio collectas perabſurdũ & Ariſtoteli contumelioſum ſit pro ariſtotelea doctrina connumerari.

CAP. XI. DE COMMUNIONIbus et differentiis categorematum.

SEd tamẽ pars operis ferè media ſupereſt, ariſtotelea nequaquam, ſed Porphyrii tota propria, in admirando nugarum genere cõſumpta: Nugas Ariſtoteles tot locis & tam ſæpe condemnat, ut tam ſæpe ipſe coactus repeto: caput deniq; Hydræ ſophiſticæ conſtituit: Qui dicit duplum dimidii, nugatur, ait Ariſtoteles, quia duplum ipſum per ſe dimidii intelligitur: Qui trianguli proprietatem per ſpecies docet, nugatur, quia tres doctrinas pro una facit, ait Ariſtoteles. Quid verò Porphyrius deinceps agit in communionibus & differentiis categorematum? quas nugas nugatur? Comparationes facit unam & ſexaginta: communiones unam & viginti: differentias ipſe dicit eſſe decem, ut ſingulæ ſemel numerentur: generis quatuor, differentiæ tres, ſpeciei duas, proprii unam: At quadraginta re ipſa facit: Generis, viginti: cum differentia, ſex: cum ſpecie, quinque: cum proprio, quinque: cum accidente, quatuor: Differentiæ facit undecim: cum ſpecie, quatuor: cum proprio, duas: cum accidente, tres: Speciei facit octò: cum proprio, quatuor: cum accidente, quatuor: Proprii facit tres, nempe cum accidente. Et in tot tantisq; nugis, definitionum antecedentium partes repetuntur, non ſemel & ſexagies tantùm, quot hîc ſunt comparationes ſimilitudinum & diſſimilitudinum, ſed etiam ex iis quædam ſunt ſæpiùs iteratæ & repetitæ: Et duobus locis præterea Porphyrius prædicat in collatione generis & differentiæ; & tandem poſt abſolutum opus, ſe multò plures collationes habuiſſe, ſed has ſufficere. En ſophiſma ex uno & ſexaginta ſophiſmatis compoſitum, dignum videlicet interpretũ judicio, quod ad Ariſtotelis logicã aggregaretur. Falſa, quæ refutata jam ſunt, aut è refutationibus noſtris intelligi potuerunt, prætereo. Quædam hîc etiam ſingularia ſunt: ut illud, Sublatis differentiis rationali & irrationali, genus animal non tolli, quia ſine illis poteſt animal cogitari: At ô beate Porphyri, cogitari poteſt eſſentia animata, ſentiens, ſine vel rationali vel irrationali, concedo: Ergo ſublans rationali & irrationali non tollitur animal: quænam iſta conſecutio eſt? Cogitari poteſt, ergo eſſe poteſt. Cogitatur, ergo non tollitur? ergo manet in rerum natura? At id, opinor, Ariſtoteles nunquam docuit, eſſet enim idea illa ſeparata: Hoc porphyrianæ doctrinæ palmarium eſt, ariſtoteleæ philoſophiæ contrarium. Alterum eſt non abſimile: Generi & proprio commune eſſe Porphyrius ait attribui non magis, non minùs. At Porphyri, te ex tua doctrina cõvinco, & de proprio quod ais, falſum eſſe doceo. Inſeparabilium differentiarum genera duo facis, alias per ſe, quas ais adhiberi in eſſentiæ ratione, nec augeri, nec minui: alias per accidens, quas ais eſſentiales nõ eſſe, ſed augeri & minui. At, inquã, proprium tuum, eſt inſeparabilis differentia: non per ſe, quia nõ indicat quid eſt? ergo per accidens: augetur, igitur & minuitur: Alias etiam fortaſſe graviores offenſiones prætereo: Concludo totum hoc collationum genus, ineptum & ſophiſticum, & Ariſtotelis ſummis & catholicis legibus damnatum. Nónne verum, inquies? Sanè multis locis jam falſum eſſe docui: Sed tamen verum eſto: quid tum? Nónne etiam, inquam, verũ dicit, qui dicit duplũ dimidii? At nuga-

tur, inquit Ariſtoteles, & ſophiſma facit: Nonne qui docet æquilaterum, æquicrurum, varium, tres angulos duobus rectis pares habere, verum docet? at nugatur, ait Ariſtoteles, & ſophiſma facit. Quamobrem ſimplices juventutis animos his tricis & apinis ne diutiùs impediri & retardari patiamur. In Organo leges catholicas & indubitatas, & ab omnibus philoſophis conceſſas, de materia artis, de forma artis audiamus & ſequamur: iis cætera judicemus & æſtimemus: quæ convenient illis, probemus: quæ repugnabunt, tollamus. Repetitiones hę principiis Ariſtotelis ſunt contrariæ, nec quicquam niſi Porphyrii negligentiam poſſunt oſtendere: Definivit Porphyrius categoremata, ergo genera & differentias, id eſt communiones & differentias categorematum propoſuit. Si quærat igitur Porphyrius, quas communiones, & quas differentias habeant, nónne quærit, quæ genera & quas differentias habeant?

CAP. XII. DE CATEGOREmatum uſu.

SEd tamen eſto, nil offenderit Porphyrius: Categoremata ſua, individuum, genus, ſpeciem, differentiam, proprium, accidens rectè definierit, nil nugatoriè repetiverit: attamē inſtitutionis porphyrianæ paupertas & inopia ſumma fuerit. Omnis enuntiationis, ideóque omnis ex enuntiationibus facti ſyllogiſmi materies, omne fundamentum his categorematis contineri vulgo creditur: In capite primo refutavi, ſed è reipſa, ex fine & uſu ad extremum refutemus: Nec enim ſolùm deſcriptionem artis: ſed multò magis uſum ſpectemus: Quandiu enim de præceptis artis diſputatur, nullum tam verum, támque conſtans argumentum reperietur unquam ad hunc errorem confutandum, cui captione & ſophiſmate obſiſti non poſsit: uſui autem naturali & vero ſic illudi non poteſt. Quis igitur uſus, quis fructus de Porphyrii doctrina petitur? quomodo juvĕtus hîc exercetur? Exercitatio porrò duplex eſt, altera in analyſi dialecticorum exemplorū, altera in geneſi & effectione ſimiliū, vel etiam præſtantiorum. Quinam igitur oratores, qui poëtæ, qui philoſophi, cujus doctrinæ doctores: quomodo denique Porphyrius ipſe, Porphyrii præceptis explicatur? quæ thetica in ſcholis ſcribendo, declamando, colloquendo diſputantur? Hîc familiariter agam & ad porphyrianorū categorematū uſum cognoſcendum, Porphyriū ipſum proponam. At inquiet hîc magiſter aliquis, quemadmodū faber fabricatur arma, quorum uſum neſcit, ſic philoſophus logicus, artem logicā docet, cujus uſum tradere non debet. Quid igitur, inquā, nónne eſt ars aliqua arma fabricandi, cujus uſus eſt arma fabricari? quæ cùm faber fabricatur, uſum ſuæ artis exercet & exprimit? At tu magiſter, nihil fabricaris, nil etiam diſcipuli tui fabricari ex tua doctrina diſcunt: Saltem eos doceres in Porphyrio ipſo, ſi in aliis authoribus non potes, quis ſit uſus porphyrianæ Logicæ. Agè verò: nónne ut Grammatica Donati grammaticè, ſic Logica Porphyrii logicè deſcripta eſt? Donatus docet omnem dictionē, qua in loquendo ſcribendóve utimur, eſſe nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium, conjunctionem, præpoſitionē, interjectionem: & hujus ipſius doctrinæ exemplū oſtendit, & uſum interea exercet: Nulla enim dictione utitur, quæ nō aliquo eorum octo generum contineatur: ut puer Grammaticæ diſcipulus jā poſsit & nominum & pronominum & reliquorum uſum & exemplum in eo ipſo Donati libello cognoſcere: ac ſi in primo illo verſu, (Dominus, quæ pars orationis?) Donatum rogaveris, ut ſingulas dictiones ad artem referat, Donatus ſine mora dicet, Dominus, eſt nomen: quæ, pronomen: pars, nomen: eſt, verbum: orationis, nomen. Simile de Porphyrio nūquid eſt? Porphyrius docet, omnia quæ de re aliqua verè poſſunt dici, ejus ipſius rei eſſe individuū, genus, ſpeciem, differētiam, proprium, accidens: Si verè docet, ſuæ jam doctrinæ exemplum & uſum in hac his de rebus doctrina oſtendit & exercet, & tam multas toto libro de genere, ſpecie, differentia, proprio, accidente, individuo: definitionum, partitionum, proprietatum, communitatum, differentiarum, explicationum denique omnium rationes neceſſe eſt eſſe ſubjecti, de quo dicuntur,

cuntur, individuum, genus, ſpeciem, differentiam, proprium, accidens. Sic igitur, quiſquis Porphyrium interpretaris, uſum artis porphyrianæ nobis oſtende, & fructum categorematum, in ipſa categorematum doctrina experiri incipe: conſidera ſingulas definitiones, quænam ſui definiti, ſuique ſubjecti, de quo dicuntur, categoremata ſint: an individua, genera, ſpecies, differentiæ, propria, accidentia ſint, perſpice: ut in oratione, nulla dictio ſit, quā Grammaticus non referat ad aliquam octo partium: ſic vide, an omnis enunciationis abs te adhibitæ categorema, ſit ſubjecti individuum, genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens: an ratio explicatióque nulla ſit in toto Porphyrii libro, quæ non ſit aliquod porphyrianū ſubjecti ſui categorema: Denique quoniam ſingulæ rationes, genera, ſpecies, cauſſæ, cætera argumenta, in logicis ſunt, quod in grammaticis dictiones ſingulæ, explica nobis in Porphyrii prælectione ſingulas rationes, quibus tota Iſagoge contexitur, & ad porphyrianas categorematum ſpecies revoca, ut Grammaticus ille ſingula orationis vocabula ad octo partes orationis revocaret: ut enim Grammaticum, qui hoc neſciat, ſic Logicum, qui illud nequeat, eſſe neminem putaremus. Hæc prima & facillima exercendorum categorematum via eſt, quę nos admonebit, qualis ſit Porphyrii doctrina, quód non omnia categoremata, ad omnes enunciationes & explicationes & ratiocinationes neceſſaria tradiderit, cúm tam multis utatur, de quibus tamen nil præcipiat: In omnibus enim pronuntiatis negantibus, quæ tam multa in Porphyrio ſunt, nullum eſt Porphyrii categorema: in omnibus pronuntiatis, definitionem de ſuo definito indicantibus, quæ tam multa ſunt in Porphyrio, nullum eſt Porphyrii categorema. Hic naturalis uſus, qui vel in ipſo Porphyrio eſt: hic inquam uſus, Porphyrium ſine mea diſputatione ulla convincet & confutabit, & demonſtrabit non omnium enuntiationum fundamenta nobis á Porphyrio inſtitui. Atque id cúm fecerimus, categorematum analyſim ad alios authores transferamus, eáque diligentia diſquiramus de ſingulis rationibus, ad quod categorema referantur: Geneſim adhibeamus, conemur quicquid de poſita quæſtione dici poſsit, é fundamentis & inſtrumentis porphyrianis exprimere: imperfectionem categorematum deprehendemus, infirmitatem logicorum fundamentorum ſentiemus. Hanc diſquiſitionem & probationem doctrinæ ſuſcipiamus: neque nobis perſuadeamus hac animadverſione & diſputatione, veterum libros tolli, præcepta veræ artis negligi & deſpici. Grammaticæ principes ſunt Varro, Diomedes, Priſcianus, Feſtus, qui tamen pueris in ſchola non explicantur, ſed Grammatica ex his collecta prælegitur. Doctores Grammaticæ in ſuis privatis bibliothecis eos Grammaticos habent: & ubi opus eſt, legunt & citant & adhibent. Ita Porphyrius, ſi lubet, ſi commodum eſt, inter Logicæ ſcriptores & authores numeretur. Plato de genere & ſpecie ſcripſit, ſcripſit Ariſtoteles, ſcripſerūt tā multi philoſophi: quàm multos libro primo propoſui: Philoſophiæ itaq; magiſter hos habeat in bibliotheca philoſophos, & legat & cognoſcat, ſed ex omnibus, quod catholicis Ariſtotelis legibus cōgruū eſt, quod optimū eſt, diſcipulo tantùm tradat, ut quàm facillimé & celerrimé ad uſum deducat: tam diverſis opinionū commentis, quod Porphyrius in colligēdis categorematū definitionibus fecit, ne obruat: Denique ſi Porphyrium lubet in ſcholis legi, cum judicio legatur, principiis & ſummis legibus æſtimetur. Platonica Pariſienſis Academiæ lex illa ſervetur, non de verbo ad verbum (ut ipſa loquitur) authores explicētur, ne ſæpiús idem repetatur, ne multa falſa, aliena, inutilia miſceantur, ſed de puncto in punctū, ut vera, propria, utilia ſemel expoſita ſint, philoſophorum libri doceantur. Ergo ad abſolutā Logicæ doctrinam, é Porphyrii Iſagoge, veram, propriam, naturalē generis, ſpeciei, formæ definitionē excerpamus: factorum, adjunctorum, comparatorum locum é nominibus accidentis & proprii exprimamus, eorúmque locorumq; vera & utilia præcepta exquiſité

doceamus: diligenter, vel ad verbum, ediſcamus: Hoc quidem vehementer & laudo & probo: Verúm uſus eorũ quæratur, exerceantur in his negotiis explicandis & expediendis, quorum gratiâ fuerunt inventa: Puer cognoſcat Grammaticam, fructũ Grammaticæ ne quærat in clamore de grãmaticis præceptis & altercatione: Diſcat Arithmeticam, Geometriam, diſciplinas liberales & ingenuas: exerceat porrò in rebus ſeriis, in exemplis utilibus, nec ullam artem ad clamandum de ſeipſa repertam & inventam exiſtimet: ut magiſter tandem fiat artis, qui de præceptis clamare didicerit, etiamſi uſum nunquam audierit: imò ne cogitarit quidem. Opificiis & artificiis multis hæc ampliſsima civitas utitur, quibus etiam artium ſuarum magiſteria ſunt: pudeat verò architectos, piſtores, pharmacopolas, fartores, lanios, cæteroſq; opifices, talia ſuarum artiũ examina judiciáque fieri: Artes brevibus monimẽtis ex uſu & quotidiana rerum experientia depromptis & probatis, comprehenſas certo tempore in exemplis perpetuis, primúm á magiſtro cognoſcũt, deinde per ſeipſi meditantur & exercent: completóque tyrocinii tempore, ut magiſterium artis aſſequantur, non ſolúm de præceptis interrogantur, ſed difficillimo genere exemplorum & explicandorum & formãdorum, quid in arte valeant, tentantur & probantur: nec artificis nomine digni judicantur, niſi difficillimum quodque & graviſsimum artis, non dico præceptum memoriter recitare, ſed opus in promptu facere atque exhibere valeãt. Nunquámne igitur intelligemus, nos falſò philoſophos appellari, qui philoſophiæ neſcio quas regulas tantúm didicerimus, uſum earum ne ſuſpicari quidem unquam fuerimus? Si quis ſe coquum, piſtorem, aut ullo alio genere opificem profiteretur, qui cibos curare, qui panes pinſere, qui denique opificii ſui opus facere non poſſet, non ſolúm nequitiæ & inertiæ hominem damnaremus, ſed conſtringẽdum, & piſtrino dignum clamaremus. Quænam igitur æquitas iſta noſtra eſt, quod in aliis ſupplicio plectendum judicamus, id in nobis nõ ſolúm venia, ſed laude & prœmio dignum judicare? Ergo Logicam ad clamandum de logicis præceptis inventã non putemus. Non exercuit Ariſtoteles vivus Dialecticã in clamoribus de Dialectica, ſed in analyſi & explicatione Homeri, quem Alexandro Regi expoſuit: ſed in præſtantium authorum lectione, explicatione, cognitione, refutatione, confirmatione: Deinde in theſi, de civilibus & honeſtis, & humanis exemplis, de artium ſtudiis. Hic Ariſtotelis vivi mos fuit exercendæ in philoſophia juventutis: Conjungebat eloquentiam cũ philoſophia: Philoſophiam mané docebat, á prandio eloquentiam: & diſcipulos ſic exercebat, ut diſerté dicerent, & acuté diſputarent. Hoc in Ariſtotele tantum & tam ſingulare exemplum ſpectemus, amplectamur, excolamus: Res philoſophicis animis facilis eſt, & in medio poſita: inertibus & ignavis bone deus? quam gravis? quam moleſta? Equidẽ adverſariam noſtris conſiliis & conatibus hanc graviſsimam adhuc expertus ſum. Sed inertes valeant, neq; enim & liberales artes ignavis pecudibus, ſed ingenuis & liberalibus animis comparantur.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER IIII. in Categorias.

CAP. I. QUID CATEGORIA, *& quis uſus.*

Quartus ſcholarum dialecticarum liber, in Categorias nobis erit: ad quas animadvertendas & cõſiderandas, Ariſtotelis principia de materia, deq; forma artis, teneamus. Quicquid in Categoriis illi fundamento congruet, ab Ariſtotele judicatum eſſe: quicquid repugnabit, ex Antiſthene vel Eubulide aliquo in bibliothecam Ariſtotelis collectum tantum, nõ etiam judicatum. Deinde, quod ſecũdo libro diſputatum nobis & concluſum eſt, meminerimus duas eſſe partes Logicæ, invẽtionem & judiciũ: & quicquid Dialecticæ ſeu Logicæ fuerit, alterutrius eſſe: quod

neutrius

neutrius ſit, dialecticæ & logicę artis nihil eſſe. Quibus poſitis, requiramus ex methodi ratione ad categoriarum intelligentiam & diſputationem, quid categoria ſit, quæ ſint ejus genera, & quæ ſpecies. Neque græcis interpretibus, Ammonio, Simplicio, cæteriſque credamus obſcurum Ariſtotelē de induſtria eſſe, ab eóque de induſtria logicas leges, á ſe præſertim latas violari: Id enim ſecundo libro ſatis ſupérque refutatum eſt. Ariſtoteles ſexto Topico ait definitionem obſcuram eſſe, ſi neſciatur cujus ſit definitio: ſed quemadmodum veterum pictorum imagines, niſi quis præſcripſiſſet, neſciretur quorum figuræ eſſent. Ariſtotelis veró mihi videtur jam hoc opus in illorum veterum pictorum numero ponendum eſſe: non ſolùm quia quid definiat aut doceat, ex eo ipſo neſcitur, ſed ne titulus quidem operi præpoſitus intelligitur. In hoc enim libro nec categoria in univerſum, nec in partibus ſigillatim quid ſit, explícatur aut definitur, ſicuti patebit: imó aliter uſurpatur quàm neceſſe ſit ad libri titulum intelligendum. In capite de Subſtantia, categoriæ nomen bis uſurpatur: Omnes autem ab his categoriæ, id eſt attributiones aut individuis attribuuntur, aut ſpeciebus: á prima autem ſubſtantia, nulla categoría, uel attributio eſt. Duobus autem locis in capite de qualitate, ín ſententiam libri titulo congruētem legitur. Id autem manifeſtum ſigillatim ſubducenti alias categorias: ut ſi eſt juſtitia injuſtitiæ contraria: qualitas veró juſtitia, qualitas utique etiam injuſtitia: nulla enim aliarum categoriarum, injuſtitiæ congruit. Nullo præterea loco nomē categoriæ in hoc libro legitur: Definitionem igitur categoriæ hîc requiro, nec in toto libro animadverto: Hoc primum vitium eſt in hoc libro. Omnis ſcientia definitione comparatur, ait Ariſtoteles 17. cap. 2. Poſteriorum: Definitione igitur categoriæ prætermiſſa, ejus ignoratio ſequitur. Methodus & artificioſa doctrinæ diſpoſitio, primo loco definitionem expetebat: nulla eſt. Veruntamen ſicut in categorematis Porphyrii fecimus, ſic in Ariſtotelis categoriis faciamus: Nō definivit Porphyrius, ipſi tamen definivimus: non definit Ariſtoteles, ipſi quoque ex Organi ſubductione & quinque locorum aliorum comparatione, definiamus. Video autem categoriam eſſe categorematum homogeneorum ordinationem & deſcriptionem per generaliſſimū ſubalterna, ſpecialiſſima: Loci hac de re in Organo ſunt quinque: Primus locus eſt in Porphyrio jam declaratus, ubi definitionē categoriæ Porphyrius in hunc modum deſcribit: & exempla ſubſtantiæ, per genera & ſpecies diviſæ demonſtrat: ut ſubſtantia, ſummū ſit genus, á qua per intermedia & ſubalterna genera, ad ſpecialiſſima deſcēditur: Secundus locus eſt ex ipſo categoriarū libro, unde conſtat categoremata in categorias diſtribui: Ergo tertio capite ad illam categorematū ordinationē, duæ regulæ ſunt: Quando alterū de altero dicitur, ut de ſubjecto: quæcunque dicūtur de dicto, totidē etiam de ſubjecto dicentur. Heterogeneorū & non ſubalternatim poſitorū, diverſæ ſpecie eoā differentiæ ſunt: Itē capite quarto: Eorū quæ ſecundum nullā complexionē dicuntur, unumquodque ſignificat ſubſtantiā, &c. Hîc categoremata dividūtur in decem categorias: Et eodem capite docetur, nil eorū quæ categoriæ capiant, enuntiationē eſſe, ſed eorum conjunctione affirmationē & negationē fieri: tanquā categoriæ non ſuppeditent propoſitiones, ſed ſuppeditēt terminos & materiā propoſitionū: Quo capite eadē res dividitur in decē genera, quæ diviſa priùs á Porphyrio in individuū, genus, ſpeciē, differentiā, propriū, accidēs. Prima diviſione rationes rerū cōmunes diviſæ: ſecunda, rerū, in quibus rationes illæ verſarentur, genera diviſa ſunt, ut categoriæ, categoremata homogenea diſtincta & partita cōplectantur. Tertius locus eſt primi Analytici capite viceſimo octavo, ubi à copia propoſitionū deſcribenda, Ariſtoteles ad categoriæ deſcriptionē recurrit, & ſummo genere imiſque & individuis omiſſis, admonet media ſumenda eſſe: Quartus eſt locus, primi Poſteriorū capitibus quinque, decimo quinto, decimo ſexto, decimo ſeptimo, decimo octavo, decimo nono: quibus magna illa quæſtio ex categoriæ deſcriptione diſceptatur: An individuis ſummóque genere poſitis & finitis, media ſint infinita. Quintus & poſtremus locus eſt pri-

mi

mi Topici capite ſeptimo, cúm quatuor genera categorematum, accidens, genus, proprium, definitio, in quatuor problematis expoſita & definita eſſent: Poſtea definienda ſunt categoriarum genera, in quibus ſunt expoſitæ quatuor differentiæ. Et deinde Ariſtoteles cúm decem categoriarum genera recenſuiſſet, addidit, Semper enim accidens & genus & propriũ & definitio, in una categoriarum harum erit. Omnes enim ab his enuntiationes, aut quid eſt, aut quale, aut quantum, aut aliam quandã categoriam ſignificant. Hic locus etiam loquitur, categorias, comprehenſiones eſſe categorematum, nec rei cujuſquam categorema eſſe, quod in aliqua categoria non comprehẽdatur. Quamobrem licet, ut methodus requirit, categoria definita non ſit initio diſputationis & inſtitutionis de categoriis ſuſceptæ, attamẽ ex his Organi logici locis, ſententia & intelligentia jam hoc verbo comprehenſa percipitur. Atque hæc de rei definitione: nomen non minùs eſt incertum. Cúm Ariſtotelis libri authore Sylla, ſicuti primo libro diximus, publicari eſſent, liber hic uidetur ſine titulo & nomine fuiſſe, ut pictorũ illorum aliqua vetus figura vel imago: Itaque Adraſtus, vetus interpres, τὰ πρὸ τοπικῶν, nominabat: alij aliter. Et certé συστοιχείας καὶ συγγενείας nomine, id in Organo nõnunquam ſignificatur: At in Philoſophia prima, varium eſt hoc nomen: primo capite decimi, categoriæ entis dicuntur: primo & quarto ſeptimi uocantur κατηγορούμενα: item κατηγορήματα primo ſeptimi: ut capite primo tertii phyſici: ſæpiſsimè veró σχήματα κατηγοριῶν, formæ categoriarum, ut ſexto & ſeptimo quinti, ſecundo ſexti, primo ſeptimi, decimo noni, tertio decimi: Sed tamen res intelligatur, ſitq́; Categoria, homogeneorum deſcriptio per generaliſſimum, ſubalterna, infima. Quæ categoriæ definitio, nil aliud eſt, quám artis & ſcientiæ vera methodo diſpoſitæ definitio: Ars enim, eſt rerum homogenearum per generaliſsimum, ſubalterna, ſpecialiſsima, comprehenſio & ordinatio: Sic Arithmetica numeros, Geometria magnitudines methodicé traditæ complectentur: At Logica & inveniendæ & diſponendæ artis, imò rei cujuſlibet legem generalem & communem tradit: artes & res ipſas ſingulas in logicis præceptis non ponit. Id enim catholicum non eſſet, nec Ariſtotelis principiis conſentaneum: generalia enim generaliter docenda ſunt, ait lex Ariſtotelis: ſecús ſophiſma eſto. Sed in partibus id accuratiús diſceptabitur, tãtúm hîc intelligatur. unde verô tantus error ortus ſit, ſi quis requirat, hinc fortaſſe reperiet. Quemadmodum á Rhetoribus, ſic á philoſophis, inventionis artem inſtitutam eſſe: illi primo loculos proprios conjecturæ, ambigui ſcripti, & ſententiæ contrariarum legum aperuêre: deinde judicii, deliberationis, demonſtrationis pauló communiores, tum ad partes orationis, tandem ad omnium quæſtionum, cauſſarum, partiúmque orationis inventionem pertinentes locos, ex cauſſis, factis, ſubjectis, adjunctis, diſſentaneis comparatis nomine, partibus, finitionibus, teſtimoniis: Sic in ſcholis ſuis philoſophi res inibi diſputari ſolitas contemplati, quoſdam locos diſtinxere, ſubſtantiam, quantitatẽ, & reliquas categorias: quia tractabantur in ſcholis eorum phyſicæ artes, de ſubſtatitia: mathematica, de quantitatibus: Deinde cúm eſſet ab iis animadverſum, hæc genera re diſtincta eſſe, nec omnium quæſtionum eſſe communia, alnús pervcntum ab his eſt, & loci illi reperti, cauſſarum, factorum, & reliquorum, qui eſſent omnium omnino rerum communes. Has varias Logicorum inventiones, Ariſtoteles collegit, ut etiam Rhetorum collegerat: Et primus liber ſcholarum dialecticarum, harum tot inventionum magiſtros & authores oſtendit. Hæc inquam, ſuperiorum inventa Ariſtoteles collegit, legibus autẽ & principiis ſuis quám congruenter, tandem percipietur. Quamobrem ejuſmodi cauſſa Ariſtoteles in hanc Categoriarum commentationem mihi videtur inductus eſſe: Simillimé fortaſſe atque Porphyrius in argumentorum inventionem, minimé ſcilicet id agens aut cogitans: ſed eum dico vel imprudentem atque aliud agentem huc incidiſſe: nec alió, ſi uſum ſpectemus, categorias referri poſſe confirmo: Et quidem quó minús id novum ſit aut mirum, Ariſtoteles ipſe, licet aliis verbis, tamẽ eôdem refert, cúm

categorias

categorias dicit fundamēta eſſe enūtiationum, quia hinc omniū enunciationū (unde ſyllogiſmus fiat) materies & facultas & abundantia depromatur. At cùm ſyllogiſmi terminos tres tātùm faciat, majorē & minorē quæſtiōis eſſe doceat, ideóque extrinſecùs Logico proponi, ſolus medius ſupereſt, qui in categoriis ad enunciationes cōficiendas requiratur: & mediū hoc, argumētū eſt. Quare vel Ariſtotelis teſtimonio, categoriæ ad illū invētionis fructū referēdæ ſunt: quamvis non ſatis aptè ſint relatæ. Socratis amor hic nimirū permagnus apparebit, multóque melius voluiſſe quàm præſtitiſſe, quiſquis hæc ſcripſerit, certè videatur. Hic ineptiſsimā & ſtulniſsimā quæſtionē ab interpretibus & Græcis & Latinis agitatā nō moveo, Rerumne an nominum categoriæ ſint, quæ in Academia Pariſienſi anno Chriſti paſsi milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio ſub duobus Rectoribus, Ioanne Fanutio Pariſienſi, Realium authore & defenſore, & Dionyſio Salcurayo Carnutenſi, Nominaliū duce & patrono, ut publicis Rectorū tabulis & monimētis teſtatū eſt, motus admirabiles excitavit: Dico enim hoc libro neque nominū, neque rerum logicā ullam doctrinā præcipuè cōtineri: ſed exquirēdis partibus id poſtea ſuo loco tractabitur & explicabitur.

CAP. II. DE SYNONYMIS, *homonymis, paronymis.*

HActenus de titulo libri, de libri partibus jā diſſeramus. Primū caput tres definitiones habet: Homonyma dicuntur, quorū nomen ſolū cōmune & ſecundū nomen, ratio eſſentiæ diverſa, ut homo, & homo pictus. Synonyma dicuntur, quorum nomē commune, & ſecundū nomen, ratio eſſentiæ eadem: ut homo & bos, & nomen & eſſentiam animalis communicāt inter ſe. Ariſtoteles tertio capite primi Elenchorum homonymiam ad uerbum retulit: vt μανθάνειν, ſignificat diſcere, quod eſt diſcipuli: & intelligere, quod magiſtri poſsit eſſe. Si quis eſſet proprius in Logica locus ſynonymorum, ſatis eſſet ſynonyma definiri, homonyma definiri non oportuit: Nam in arte cùm ſit virtutis definitio neceſſaria & homogenea, contrarii vitii definitio neque neceſſaria eſt neque homogenea. Satis igitur erat ſynonyma definire, ſi proprius eis eſſet in Logica locus. At utrunque alienū eſt & heterogeneum: Grammaticum enim eſt, & ſermonis, non rationis: nec ideo logicum: Et Ariſtoteles in Elenchis ait ex homonymia natam captionē fieri propter dictionem: At Logica non eſt dictionis, ſed rationis tantùm. Verèque Ariſtoteles ait octavo capite primi poſteriorum: Non ad externum & prolatum ſermonem demonſtratio eſt, ſed ad interiorem animi rationem: quin neque ſyllogiſmus. Ariſtoteles omnem ſuam logicā aliquo ſyllogiſmi genere concluſit: & tamen ſyllogiſmum, negat eſſe ſermonis externi, ſed rationis & mentis. uſurpemus igitur ariſtoteleam ſcientificæ materiæ legem: Artium præcepta homogenea ſunto: Arithmeticum in Geometria eſt ἀγεωμέτρητον. Geometricum in Arithmetica eſt ἀνάριθμον. ergo & logicum in Grammatica eſt ἀγράμματον. & grammaticū in Logica eſt ἄλογον. Grammatica igitur grammaticè, logica logicè doceantur. Nec verò Grammaticus etymologiam dictionum interpretari poteſt, niſi ſignificationes earum intelligat: & iſta ſynonymia, vel homonymia videtur etiam extra Grammaticam eſſe: nec enim Grammatica, dictionū ſignificationem & intelligentiam tradit, ſed artē intellectis dictionibus bene utēdi: Synonyma denique & homonyma nil ſunt inventionis, nil judicii: nil igitur logicæ ſunt artis. Paronyma, quæcunque ab aliquo differentia caſu ſecundū nomen habent appellationem. ut à grammatica grammaticus, à fortitudine fortis, conjugata ſunt: quæ caſus, quo nomine hîc Ariſtoteles utitur, in Topicis etiā nominantur: Sed tamē non omnis iſta paronymia, conjugatio eſt: ſi fortitudinis paronymum ſit fortis, non contrà fortitudo. Quare cognito in logica inventione, conjugatorum loco, paronyma inutilia fuerint: & nugatio tātùm erit, ab Ariſtotele tamen tantopere damnata: quia generaliter dictū in conjugatis, ſpecialiter in paronymis repetetur.

CAP. III. DE PARTITIONE *categorematū in ſimplicia & cōpoſita.*

SEcundum caput ſequitur, ubi categoremata dividūtur in compoſita

(ut

(ut homo vincit) & ſimplicia (ut homo & vincit:) id eſt in enunciationē, & partem enuntiationis: & ſimplicia tantúm catcgoremata retinētur. Sed enim quædam eorum (ut ſcholaſticis verbis utar, ſicuti poſtea ſæpius cogemur) eſſentialiter attribuuntur, quædam accidentaliter: illud, de ſubjecto dici: hoc, in ſubjecto eſſe Ariſtoteles appellat: unde entium quadripartitam diviſionem inſtituit, quód alia de ſubjecto tantúm dicantur, ut communes ſubſtantiæ: alia in ſubjecto tātúm ſint, ut individua accidentia: alia partim de ſubjecto dicantur, partim ſint in ſubjecto, ut cōmunia accidentia: alia nec dicātur de ſubjecto, nec ſint in ſubjecto, ut individuæ ſubſtantiæ. Partitio nō ad inventionē, non ad judicium neceſſaria, neq; ideo catholica: imó genere ſermonis plané cōmentitio facta: nam (eſſe in) ad accidens hîc refertur. Porphyrius in capite de ſpecie, ait ſpeciem, totum eſſe, non alterius, ſed in aliis: in partibus enim tota eſt. & Ariſtoteles contrá in capite de ſubſtātia dicit individua eſſe in ſpeciebus: capite de oppoſitis dicuntur contrariæ ſpecies in eodem eſſe genere: & in Analytico primo, cujuſcūque generis categorema ſit, ſic tamē dicitur medium in majore, minore: aut maius minúſve in eo eſſe, vel nō eſſe: & Poſteriorū primi capite quarto (eſſe in) modó eſt attributi, modó ſubjecti: ut par dicitur eſſe in numero, & numerus ineſſe pari: imó ibidē accidēs appellatur, quod de ſubjecto alio dicitur. Quare tota partitio hæc, imó partitionis etiam ſermo alienus á vera Logica eſt: Sic Eubulides videlicet aliquis inter ſophiſtas veteres locutus erat, unde hæc Ariſtoteles accepit. Quare ſi Ariſtoteles ex ſuis legibus commenta hæc expenderet, tolleret é logica.

CAP. IIII. DE HOMOGENIA *& heterogenia.*

TErtio capite duæ regulæ ſequūtur, de quibus jam dixi: Quando alterum de altero dicitur, ut de ſubjecto, quæcūque dicuntur de dicto, totidē etiam de ſubjecto dicentur. Hæc regula é loco generis ſumpta eſt, quales vulgo Maximæ locorum ſingulorum innumerabiles fingi poſſunt: Intellecta tamē generis natura in præceptis artis, hæc regula eſt inutilis & nugatoria: nam ex generis definitiōe, patet genus de ſuis partibus, & partium particulis etiā dici: ut animal de homine, Socrate & Platone dicitur. Secunda regula eſt: Heterogeneorum nec invicem ſibi ſubjectorum differentes ſpecie ſunt, nam differentiæ ſunt: ut animal & ſcientia, ſunt res heterogeneæ, ideóque differentias etiam ſpecie diverſas habēt. Hæc regula ex ſuperioris contrario ducta eſt, & in eodē numero etiā ponenda. Nugas Ariſtoteles improbat, & inter ſophiſticas captiones numerat, etiamſi res vera, etiāſi cōmoda ſit. Trianguli communem affectionem, qui per tres ſpecies docet, rem quidem veram & commodam docet, attamen ſophiſticē docet, ait Ariſtoteles quinto capite primi Poſteriorum: nugatur, & tres doctrinas pro una facit. Quapropter Ariſtotelis lege, harum regularum nugæ é logicis artibus tollantur.

CAP. V. DE CATEGOREmatum diviſione in genera decem.

QUarto inde capite diviſio Categorematum repetitur, in ſimplicia, quæ partes ſunt enuntiationis, & compoſita, quæ ſunt enuntiationes affirmantes vel negantes, veræ aut falſæ. Tum ſimplicia dividuntur in decē genera, ut appellat Ariſtoteles in fine noni capitis, ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, ad aliquid, ubi, quando, ſitū eſſe, habere, agere, pati: At ex omnibus categorematum partitionibus iſta eſt imperfectiſſima, neq; dico quā longé abſit á dichotomia legitimæ diſtributionis. Rem tantum ſpecto. In Iſagoge Porphyrij, in capite viceſimo octavo primi Analytici, in Poſterioribus, in Topici primi capite tertio, categoremata nō accuraté quidem, neque legibus Ariſtotelis apté dividuntur: At logica tamen res quædā nominibus generis, ſpeciei, differentiæ, proprij, accidentis, ſummi, medij, infimi, definitionis comprehēditur. At hîc neque res, quæ docetur, neq; doctrina ipſa logica eſt: Dividit Archytas vel quicunque alius primus hæc attulit, in logicis artibus entia, peccat: multóque veriùs docetur in Philoſophia, Dialecticam eſſe non ſolúm entis,

ſed

ſed etiam non entis: Præceptáque ideo logica quovis & ente & non ente communiora & generaliora erūt: Deinde ſequitur entium ſimplicium decē eſſe genera, ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, agere, pati, ſitum, habitum, tempus, locum: quorū inter ſe conjunctione, enuntiatio omnis affirmans, negans, vera, falſa conſtituatur: peccat, multóque vero propiùs affirmat cauſſas, oppoſita, cæteráque logicorum argumentorum genera, primas entis differentias & primas ſpecies eſſe: quæ tamen & ſubſtātia, & qualitate lōgè communiora ſunt & generaliora: Nec tamē id ſatis eſt, etiā non entis & cauſſæ & oppoſita & cætera poſsint exquiri: & tot modis, imó etiā pluribus falſæ enuntiationes fieri, quàm veræ. Ergo partitionis hujus enuntiatio (omne categorema eſt ſubſtātia, aut quantitas, aut qualitas, aut ad aliquid, aut actio, aut paſſio, aut ubi, aut quando, aut ſitum eſſe, aut habere) falſa eſt, quia categorematis multó plures & altiores ſunt differētiæ: eædem nempe quę argumenti, quoniam categorematis nomen in Logicā pro fide & argumento irrepſit, ut initio tertii libri copioſiùs expoſui: nec ſimplicia categoremata, id eſt compoſiti categorematis ſeu enuntiationis partes his decem categoriis catholicè docentur, Enuntiationū inquam & ex nunciationibus factorum ſyllogiſmorū hæc principia, hæc fundamenta, hæc categoremata decem inepta ſunt: Vera autem decē categorematum genera verę Categorię decem ſunt, cauſæ, facta, ſubjecta, adjuncta, diſſentanea, comparata, nominum ratio, diviſio, definitio, teſtimonium: Veræ, inquā, ſunt hæ decem categoriæ, quas præcipuè ex Ariſtotelis Organo, tum ſecundum Ariſtotelis leges & principia collegimus: Veræ, inquā, ſunt hæ decem categoriæ, quæ omnes omnis enuntiatiōis affirmatæ, negatæ, veræ, falſæ partes, omnem materiam continent.

CAP. VI. DE SUBSTANTIA.

Quid eſt ſubſtātia? Categoria nō definitur: hoc autem iam monui: Dico ſimiliter ducētis & triginta verſibus, qui conſumūtur in hoc capite, ſubſtantiam non definiri. At dicet aliquis, ſummum genus eſt, nec poteſt definiri: At, inquam, definiuntur genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens, individuum, tota ſubſtantiæ categoria ſuperiora, generaliora, id eſt naturâ priora, á quibus conſequentia non convertitur: nihil enim eſt in categoria ſubſtantiæ, quod nō ſit eorum aliquid: nec tamen genera, ſpecies, differentia, proprium, accidens, individuum quarumcumque rerum, ſunt in categoria ſubſtantiæ. Deinde quid de relatione & qualitate reſpondebis, quā tamen vult Ariſtoteles initio definire? Paribus in cauſsis cur jus tam diſpar erit, ut illic initio definiantur duo ſumma genera, hîc dicatur, quia ſummum ſit, definiri non poſſe? Saltem fuiſſet initio (ut methodus & artis vera collocatio requirit) ſi non accurata definitio, at certè quædā deſcriptio: At ea nec primo, nec medio, nec extremo loco eſt: nulla uſquam eſt: nec quid ſubſtantia ſit, omnino poteſt hîc intelligi. In toto capite, quatuor omnino ſunt, quæ ad generalē & omnis ſubſtāntiæ cōmunem differentiā videantur ſpectare: Cōmune ſubſtantiæ, Nō eſſe in ſubjecto, συνωνύμως dici, Nil habere contrarium, Non ſuſcipere magis & minus. At ſecundū, cōmune eſt omniū cujuſcunque categoriæ categorematū: nā homonymum, nullius eſt certi generis: nullius categoriæ proprium: Reliqua veró, primū, tertium & quartū, negationes tātùm ſunt per quas nil deſignatur aut deſcribitur: in arte vetāt Ariſtotelis leges eſſe quicquā niſi κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, quorū hîc nihil eſt: Et in primo quod Ariſtoteles ait, quę in ſubjecto ſint, nomine tantùm dici, non etiā ratione: albúmque dici de corpore, albi definitionē & rationem nō dici: falſum eſt: ut enim corpus eſt albū, ſic viſum diſgregat. ut Cicero dicitur Orator, ſic benè dicēdi peritus verè dicitur: nec cujuſquā accidētis nomē veriùs de ſuo ſubjecto dicetur, quàm accidentis definitio: Quæſtio autē quæ hîc adhibetur de partibus ſubſtāntiæ, quæ ſubſtāntiæ etiā ſint, Analytici primi capite triceſimo tertio diſſeritur. Tertiū quomodo verū ſit, animadvertatur: etenim rationale, & irrationale, cōtraria ſunt, & ſub eodem genere plurimùm differunt: Quæ definitio contrariorū objecta in categoriæ quan-

titate, non refellitur: Et quód dico ſpecies ſub eodem genere contrarias eſſe, eius rei teſtimonium ab Organo capio: Etenim Porphyrius in capite de ſpecie, vocat non ſolùm oppoſitas differentias ſub eodem genere, ſed oppoſitas ſpecies, cũ quærit velut impoſsibile quoddam, quomodo genus ſub ſe contrarias differentias habeat: & reſpondet poteſtate, non actu habere, ne oppoſita in eodem eſſe videantur. Imó veró Porphyrius idem cúm tria genera differentiarum facit, maximam pugnam & differentiam definit ex ſpecifica differentia. At talibus differentiis homo & beſtia ſub eodem genere differũt: & idem author ait differentias contrarias nunquam miſceri, contraria accidentia interdum miſceri. Ubi non ſolùm formas ſubſtantiarum cõtrarias efficit, ſed multó magis contrarias, quám inter ſe accidentia cõtraria ſunt. Sed decimus liber metaphyſicæ hac de re rectius docebit, teſtimonio Ariſtotelis amplisſimo & clariſsimo differentias cõtrarias eſſe & differẽtias contrariorũ eſſe. Hoc igitur dogma falſum eſt: & ſi maximè verũ ſit, tamẽ cõmune tãtùm ſit accidens, & cũ quantitate poſtea fit commune: nec eo poteſt ſubſtantia deſcribi. Quartum ſi verum ſit, tamen poſtea cum quantitate fit item commune, neque ſubſtantiã propriè quicquam deſcribit, ſed accidens commune eſt. Quare quæ referri poſsint toto iſto capite ad generalem ſubſtantiæ definitionem aut deſcriptionem, non ſolùm nil propriè definiunt aut deſcribunt, ſed falſa etiam proponunt. Supereſt ut cõſideremus quæ ſpecialiter ad ſpecies ſubſtantiæ definiendas ſunt accommodata: Duæ proponuntur, prima ſubſtantia & ſecunda. Quæ partitio ſi de nominibus intelligatur, valdè ſit abſurda: nec aliud erit prima & ſecunda ſubſtantia, quám nomẽ ſubſtantiam ſignificans propriæ & appellativæ qualitatis, ut Grammatici loquuntur: & ſic prima ſubſtantia appellatur Analytici primi capite triceſimo octavo, propria ſubſtantia. Si de rebus, multó abſurdior: nec enim genus animalium aliud eſt reipſa, quám ſingula animalia collecta: nec ſubſtantiæ ſpecies alia eſt in ſecundis ſubſtãtiis, quám eſt in primis. Et licet in cæteris categoriis eodem modo partiri, ut prima dicatur & ſecunda quantitas, & reliquæ categoriæ ſimiliter. Sed tamen videamus quæ pertinent ad primam ſubſtantiam in hoc capite: primæ ſubſtantiæ neq; de ſubjecto dicũtur, neq; in ſubjecto ſunt, neque magis, neque minùs ſubſtantiæ ſunt. Negationes ſunt, quæ nil nobis propriè deſcribunt: nulla categoremata affirmata, nullas categorias affirmatas ſignificant. De prima ſubſtantia omnia alia dicũtur, vel in ea ſunt, & ideo maximæ ſubſtãtiæ: Itaque primis ſublatis ſubſtantiis, impoſsibile eſt aliorum quicquam eſſe. Hic poſtremus locus, eſt valdè lubricus. Subſtãtiæ primæ, quanvis nulla ſit hîc earũ definitio, tamẽ res materiatæ & corporeæ & ſenſiles, & in quibus accidentia omnia ſint, & quæ ſecundum ſui mutationẽ contraria ſuſcipiant, ut pauló pòſt dicetur, ſignificantur ab Ariſtotele: præter eas, negatur quicquam eſſe: & ſic Porphyrius in libello & categoriis decem per bogavium converſo ait ſubſtantiis nomine idem quod corpus accipi: & ſic Ariſtoteles modo loquitur ſublatiæ ſingularibus ſubſtantiis ſeu corporibus nihil remanere: & tamen corpus hoc eſſentiale poſtea in categoria quantitatis fiet accidẽs eſsẽtiæ: Tãta in his dialecticorũ placitis ab Ariſtotele collectis eſt incõſtantia, ſive Archytas primus author, ſive quivis aliús fuerit. Plato ſæpe docet Deũ, Deiq; æternã ſapiẽtiã, ideas, genera, ſpeciesq; rerũ complexam verè eſſe: Omnia iſta ſenſibilia, quæ hîc primæ ſubſtantiæ nominantur, cúm oriantur & intereant, in dies, uel horas potiús mutẽtur, verè nõ eſſe. Hîc igitur á quocunque Ariſtoteles hanc doctrinam collegerit, platonicæ philoſophiæ cõtrarius, ait ſubſtantias, in quibus quantitas, qualitas & reliqua ſenſilia ſint, quæ contraria ſecũdum ſui mutationẽ ſuſcipiant, ſolas verè eſſe, ſolas principaliſsimè, primó, maximè eſſe, & iis ſublatis, nil aliorum remanere. Quare neque Deum, neq; angelos, neque hominum animos ſubſtantias eſſe, imó nil prorſus eſſe Atheus ex hac ariſtotelica doctrina concludet. Nam cúm omne ens Ariſtoteli dividatur in Categorias decem, Deus & angeli, é novem categoriis accidẽtium nil ſint, & his poſtremis conditionibus etiam de genere

ſubſtantiæ collâtur: Ariſtotelis ſanè iſta doctrina nihil erunt. Hæc doctrina impia eſt, à quocunque philoſopho ſit hic ab Ariſtotele collecta: Longéque verior eſt illa in Interpretatione, libri ſecundi capite tertio ſententia, ab eodem Ariſtotele collecta: Quædã, ſunt actus ſine potentia, ut primæ ſubſtantiæ: Ariſtoteles igitur illo interpretationis loco ſtatuit quaſdã ſubſtantias, quę non ſecundum ſui mutationẽ cõtraria ſuſcipiunt: quod hîc negatur. Longé etiam verior eſt illa ſententia nono capite primi de Cœlo, quæ divina ſupra mundum & cœlũ entia, immutabilia & impatibilia collocat: optimámque & beatiſsimam vitam ſempiterno æuo degentia: unde cæteris rebus præſtetur, aliis quidem uberiùs, aliis parciùs, & eſſentia & vita: quod idẽ repetitur in Philoſophia, & magnificentiùs etiam aſſeritur. Ergo categorica iſta ſententia, impia eſt, & meliore apud Ariſtotelem ſententia corrigitur & emendatur. Sed cætera videamus: Primarum ſubſtantiarum categoremata: ſunt etiã cæterarum categoremata, Commune accidens eſt: Idem de aliis categoriis dici poteſt: Primarum quantitatum categoremata, ſunt etiam ſecundarũ: hoc propriè nil deſcribit. Prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid: id eſt, ut jam dixi, eſt proprię qualitatis: & id categorema, accidens eſt cum cæteris categoriis commune. Unum ſupereſt, quo videatur prima ſubſtantia, poſſe deſcribi, quód ſecundum ſui mutationẽ contraria ſuſcipit. At hæc linea ſic contraria ſuſcipiet, & ſecundum ſui mutationem modó recta, modó curva erit: modó longa, modô brevis: ſic color idem modó ſimilis eidem, modô paululúm mutatus diſſimilis: Hoc denique categorema, accidens eſt commune, & valdé tamen conſiderandum: Impietatem enim illam imprimis ſuſtinet, quôd primam ſubſtantiam nullam dicat eſſe, quæ cõtraria ſecundum ſui mutationem non ſuſcipiat: quod Deo & illis ſupramundanis Ariſtotelis entibus nõ poſsit convenire. Ergo ſubſtãtia prima quid ſit, ex his præclarorum categorematũ dogmatis percipi nõ poteſt. Secunda ſubſtantia multó obſcuriús explicatur: quôd ſpecies ſit, aut genus primæ. At prima ſecundáque quantitas qualitáſque, ut dixi, poteſt iſto modo dici: & ſecunda quãtitas, quæ ſpecies ſit primæ, & hoc accidens commune eſt. Secundarũ ſubſtantiarũ magis ſubſtantia ſpecies, quám genus. Hoc ex illa pietate eſt, quia prima ſubſtantia, quæ oritur, quæ interit, principaliſsimé, primó, maximé dicitur: Ideo ſpecies, quæ propiús ad eã accedit, magis ſubſtantia, quám genus. Sed quod ſubſtantia prima hic efficitur ſubjectũ magnitudinis, falſum eſſe prædiximus: nam ad talem corpoream ſubſtantiam procreandũ magnitudine phyſicus nihil offendet antiquius. Sed de hoc rurſus poſtea. Secunda ſubſtantia ſignificat quale quid, & magis genus quám ſpecies. At Porphyrius genere & ſpecie, quid: differentia, quale quid ſignificari docet, & idẽ in Topicis affirmatur: nec ex iis ineptiis cognoſces omnino quid ſit ſecunda ſubſtãtia: Hæc enim categoremata, cõmunia duntaxat accidentia ſunt. Quamobrẽ tam longa tot verſuũ oratione, ſubſtantia neque generaliter, neque ſpecialiter explicatur: Imò neque ſatis propriè nominatur: οὐσία enim, quo verbo hîc utitur Ariſtoteles, eſſentiam ſignificat, & cõmune nomen eſt, & cauſſas complectitur, & ſic in philoſophia 8 cap. 5. lib. ſolidius Ariſtoteles philoſophatur, cum hanc categoriam interpretatur de cauſsis præcipue materia & forma, neq; cõmunitatum quiſquilias in eſſentia repetit, & materiam tamen generaliter intelligit, ſeu ſenſilis ſeu intelligibilis & expers corporis ea ſit. Itaque & quantitatis & qualitatis eſſentia dici poteſt: ſic in definiendis ſynonymis & homonymis ratio eſſentię accipitur. Sic Ariſtoteles ipſe appellat formã, cujuſq; rei eſſentiam: Sic ſæpe etiam totã rei naturam: Id quod modó dicere voluit, explicare autẽ non potuit: magis propriè ὑπόστασις, ſubſtantia diceretur: quo etiam verbo Porphyrius utitur. Ergo etiam nomine communi & omnium ſive quantitatũ, ſive qualitatum, ſive rerum cæterarum naturam complexo, Categoria hæc etiã cõprehenditur: ut neq; etiã ex tã longæ orationis, ſi lubet, definitione, neq; nomine percipiatur: Imô veró quod multó majus, una doctrina percipi nequaquã poteſt: cùm iſta ſubſtantiæ categoria complectatur Theologiam de Deo & angelis: Phyſicã de ſub-

ſtantiis corporeis & ſimplicibus, aëre, aqua, terra: & cōpoſitis ut inanimis, ut aſtra ſunt vicino i cœlo, meteora in aëre: ut in aqua, maria, flumina, fontes: ut in terra, lapides, metalla: tū vivis, ut ſunt ſtirpes, pecudes, homines: Et ſi comprehendi poſſet, attamē ejuſmodi rerū per genera & ſpecies deſcriptio, id eſt Categoria, non eſſet Dialecticæ ſeu Logicæ propria, ſed Theologiæ, ſed Phyſicæ. Idq; ideo ariſtotelea illa homogeniæ lege rejicio. Præcepta artium, ait Ariſtoteles, homogenea ſunto: Arithmeticū in Geometria eſt ἀνάριθμον, geometricū in Arithmetica eſt ἀγεωμέτρητον. Ergo, inquā, quód Theologię, quod Phyſicę homogeneū ſit, in Logica eſſe heterogeneū: ideóque tollendū: Logica alitor eſt, ut ait Ariſtoteles, totaq; & entis & nō entis communis. Diſtinctiones hic expecto, quód ſubſtātiæ aliter tractentur á Logicis, aliter á Theologis phyſicis: quia Logici quatenus enuntiationes ex his faciunt, ſubſtantias cōſiderent. Hoc nempe catholicū medicamentū eſt, quo tā multa vulnera, cōtra catholicas Ariſtotelis leges huic arti impoſita curētur. At iſta bella ratione, omnes artes Logicæ artis partes erūt, quia nihil in his eſt, ex quo enuntiatio fieri nō poſsit. Captiones igitur omittamus: Ariſtotelis ſumma illa & indubitata principia ſectemur, & iis judiciis noſtra judicia conformemus. Collegerit hæc Ariſtoteles, ut collegiſſe exiſtimatur: At certé ad illius catholicæ libræ lancē non examinavit: qua tamen omnes artes, omneſq; ſcientias examinandas eſſe judicavit. Nónne, inquies, quæri ſolet in rebus omnibus primúm quæ ſit eſſentia rei, qua de agitur? Certê, ſed eſſentia quæ ſic in omnibus rebus quæritur, ſignificat non unicā ſpeciē entis, ut hîc Ariſtoteli ſignificat: ſed entis, imó etiā nō entis cujuſvis cauſſas, propter quas revera eſt aut fingitur: ſignificat denique naturā, & illud, quod quid eſt, ſæpe in Organo dicitur: non ſignificat iſtā corpoream eſſentiā á cæteris novem categoriis diſtinctā. Illam igitur eſſentiam in primo logicæ inventionis loco, cauſſarum nomine doceamus, & ut neceſſariam, homogeneam, propriam, id eſt catholicam teneamus. Iſtam inutilem, heterogeneam, impropriam rejiciamus.

CAP. VII. DE QUANTITATE.

SVbſtantiæ categoria cōſiderata, ad reliquas veniamus, quę accidentis nomine vulgo appellantur nō recté: accidens ſeu συμβεβηκὸς & nomen caſus, fortunæ, temeritatis, quo non rectê dicitur, quicquid non eſt οὐσία: effecta enim ſubjecta, adjuncta præter illud accidens innumerabilia ſunt: etſi nomine eſſentiæ intelligatur, ut herba, arbor, animans, tali eſſentiæ non omnis quātitas, non omnis qualitas adventitia poſsit eſſe, omni enim quantitate & qualitate detracta quænam vel herba, vel arbor, vel animans non dico eſſe, ſed cogitari omnino poſsit? fatua igitur eſt iſta categoriarum diſtributio. Sed de quantitate rurſus poſtea, quomodo non ſit accidens talis eſſentiæ. Secundā igitur categoriā perſequamur. Qualis igitur quantitatū categoria eſt? Idē videlicet prorſus in ſecunda categoria reperiemus, quod in prima comperimus: ducētis ac neſcio quot ſenariis verſibus, neq; quātitatem in univerſum, neque quantitatis ullas ſpecies definiri, aut omnino proprié deſcribi, & toto capite nihilominnino dialecticum inſtitui. Tria ſunt toto capite, quæ videntur ad quantitatem deſcribendā accommodari, Nil habere contrarium: Non magis & minûs ſuſcipere: Secundum quātitatem æquale vel inæquale dici. Primum falſum eſt, quia multum, paucum, magnum, parvum, contraria ſunt & adverſa, non relata: Quippe quorum alterum ſine relatione alterius poſsit intelligi. Nec ſequitur, ſi diverſi ſubjecti reſpectu, idem magnū ſit & parvum, ideo contraria non eſſe: Hac enim ratione, relata ipſa, oppoſita nō eſſent, quia idem pater & filius. Tum verô quid de loco ſurſum & deorſum dices, cùm videas in hoc ipſo capite, cōtraria & dici & probari, neque probatione refelli? Ergo primum hoc dogma falſum eſt, Quantitati nihil eſſe contrariū vel adverſum: Sic enim (ut in ſcholis dicitur) cōtrariū modó ſumatur: & ſi maximè verū ſit, tamē cōmune cū ſubſtantia, ex Ariſtotelis ſententia fuerit, qui docet ſubſtātiæ nil eſſe cōtrariū. Hîc igitur quātitatis explicatio propria nulla eſt, negatio eſt rei aut falſa, aut certé cōmunis. Secundū dogma ſimile eſt, falſum primó: quia ut in qualitate albor & nigror,

gror, licet non ſuſcipiant & magis & minús, tamẽ candidũ & nigrum ſuſcipiũt: ſic in quãtitate, quãvis longitudo, altitudo, multitudo non ſuſcipiant magis & minus, attamẽ longiús, latiús, altiús, plus dicimus: & longiſsimũ, latiſsimũ, altiſsimum, plurimũ: Ergo ſecundũ dogma falſum eſt: & ſi maximé verũ ſit, tamen ex Ariſtotelis ſententia, cũ ſubſtantia cõmune fuerit, quæ item nec magis, nec minús capiat. Hoc igitur etiã dogma nullã nobis quantitatis explicationẽ propriã affert. Tertiũ dogma, æquale vel inæquale dici, omni quãntitati convenit: At nõ ſoli. Etenim primũ loco, tẽpori, orationi convenit, ut categoriarũ author hîc affirmat: At horũ trium mox demõſtrabo quantitatẽ per ſe nihil eſſe. Deinde cúm duos calorés, triũ vel quatuor graduũ comparamus, quomodo dicemus an ſimiles? At ſimilitudinẽ hîc non cõſideramus: Poſſunt enim ſimiles eſſe alter triũ, alter quatuor graduũ, & aliquã qualitatẽ eandẽ habere, à qua ſimiles dicãtur: Aequales hîc igitur appellabimus: Ergo tertium hoc dogma non huic ſolúm quãtitati, quã Ariſtoteles ſeparare vult à cęteris categoriis, cõvenit, ſed accidens commune eſt, & naturalis uſus aliis categoriis id attribuit. Ac quidã eſt quantitatis cõmunior & generalior in uſu naturalis & humanæ rationis, ſenſus, quám arithmeticis & geometricis artibus cõprehendatur: quique neq; diſcreta, neque cõtinua quãtitate contineatur. Sic unus dialecticæ inventionis cõmunis & generalis de cõparatione locus, duas facit quaſvis res (ſeu ſubſtantiæ, ſeu quantitates diſcretæ cõtinuæve, ſeu qualitates ſeu actiones, paſsionesq; fuerint) majores, minores, æquales: imó veró cauſſas, facta, ſubjecta, adjuncta, diſſentanea, categoriis omnibus altiora & generaliora ſic plerũque cõparamus: & quantitatis mẽtio, quæ poſsit in dialecticis tractari, ea ſola eſt: & in Topicis Ariſtoteles de cõparatione, ita loquitur. Sic in omnibus categoriis de intentione & remiſsione quęrit, Quãtitas, actio, paſsio, magis & minús dicuntur: Subſtantia, quãtitas, magis & minús nõ dicuntur: nec iis vocabulis (magis & minús) ſolas numerorũ, linearũ, planorũ, corporum dimẽſiones intelligit, ſed logicã illã & univerſalẽ quãtitatis notionẽ ſequitur. In Philoſophia libri quarti capite ſecundo, & undecimi libri capite tertio veriſsimé docetur æqualitatem & inæqualitatẽ, primas entis eſſe differẽtias: ut omne ens ſit æquale vel inæquale: non aũt ſola hæc categorica quantitas. Quare tã multis Ariſtotelis teſtimoniis hoc dogma refellitur: neque categoricæ quantitatis propriũ eſt, æquale vel inæquale dici. Jã veró Ariſtoteles 14. cap. 5. phil. cũ qualitatis categoriã profitetur, has cõmunitatũ ineptias omiſit. Cõcludamus igitur quãntitatem tribus his dogmatis, Nõ habere contrariũ: Nõ ſuſcipere magis & minús: Aequale vel inæquale dici, à cæteris categoriis diſtinctũ, neq; abſoluté definiri, neq; propria deſcriptione ulla cõprehendi. Atq; hæc de genere, ſpecies videamus. Dividitur varié, Quãti aliud quidẽ eſt diſcretũ, aliud cõtinuũ: Atq; aliud quidẽ expoſitionẽ inter ſe habẽtibus invicẽ ipſis partibus cõſtat: aliud ex nõ habẽtibus poſitionẽ. Secũda diviſio inutilis eſt, & ſi quid utilitatis hábet, id eſt in prima. Diſcretæ quantitatis partes hîc fiunt numerus & oratio: continuæ, linea, ſuperficies, corpus, locus, tẽpus. Harum partium nulla prorſus definitur: non eſt ſatis: falſæ ſpecies pro veris ſupponũtur, locus, tẽpus, oratio. Etenim quæramus quid de loco in phyſicis Ariſtoteles ſentiat, nónne docet locum, ſuperficiem eſſe corporis phyſici, corpus aliud continentis? Ex hac igitur Ariſtotelis doctrina videãt interpretes quid concludamus:

Omnis continua quantitas phyſico materiatoq; corpore & motu ſoluta liberaq; conſideratur: ſic enim à geometris conſideratur.

At locus à phyſico materiatoq; corpore abſtractus nõ poteſt cõſiderari: Si quidẽ loci eſſentia cũ phyſico corpore conjuncta ſit: nec omnino revera geometræ, cúm tã multa de continuis quantitatibus præcipiant, de loco quicquam tanquam quantitatis ſpecie præcipiunt.

Locus igitur, nõ eſt quãtitas continua. Poſtremô videamus cùm in eadẽ diviſione genus eſſe debeat & ſpecies, ut in Topicis Ariſtoteles ait primo capite quarti, quî fieri poſsit, ut loci interrogatio, id eſt (ubi) ad aliã categoriã pertineat, reſpõſio de loci generibus & differentiis ad aliã: & quales his nodis ſolutiones adhibeantur, animadvertamus. Categoria, ge-

neraliſsimũ, ſubalterna, ſpecialiſsima, homogenea complectitur: generaliſsimũ in una categoria conſtituimus: ſubalterna & ſpecialiſsima reponimus in alia. Sed de Ariſtotelis errore in definiendo loco Phyſicæ ſcholæ loquẽtur: Locus enim logica res eſt, & locus vel in Ariſtotelis philoſophia eſt puncti, eſt dei, non ſolum corporis phyſici. Hæc igitur ſpecies falſò quantitati continuæ ſubjicitur, neq; cõtinua quantitas eſt locus. De tempore manifeſtiùs etiã concludó: Tempus, nõ eſt continua quãtitas: quid ita? Profer nobis è Phyſicis ariſtotelicã definitionẽ tẽporis: ut ſicut antea de loco, ita nũc de tẽpore ratiocinemur. Tempus, eſt numerus motus ſecundũ prius & poſterius: Sic ergo cõcludamus: Nullus motus eſt cõtinua quantitas: nec enim generatio, corruptio, accretio, diminutio, alteratio, ad locũ latio. Quòd etiã Ariſtoteles in Phyſicis nominatim docet, cùm quarto libro tẽpus ait eſſe continuum, ratione motus, & motũ ratione magnitudinis: Verba ejus ſunt quarto libro: Quia magnitudo continua eſt, ideo & motus continuus: & quia motus cõtinuus eſt, ideo & tẽpus etiã cõtinuũ: Quantus enim eſt motus, tantum eſt & tẽpus. Quod prorſus idẽ dicitur in Philoſophia libri 5. capite decimotertio. Statuo igitur ex Ariſtotelis doctrina, ſyllogiſmi propoſitionem:

Nullus motus, eſt per ſe continua quantitas.

Tum aſſumo:

Tempus eſt motus, numeratus nempe. Deinde concludo:

Tempus igitur per ſe, non eſt quantitas. Addo etiam ad definitionem, theorema illud & decretum mathematicum:

Continua quantitas ab omni motu materiáq; abſtracta conſideratur:

Tempus non poteſt ſic conſiderari: imó natura ejus, eſt motus:

Tempus igitur non eſt per ſe quãtitas: Deinde rogemus geometras, ſi tẽpus ſit ſpecies quãntitans continuæ. cur in Geometria & continuarũ quantitatũ doctrina, nullum de tẽpore præceptũ poſuerint: Poſtremó etiã quæramus, cur (quãdo) quæ temporis quęſtio eſt, aliã categoriã faciat, aliã tempus & temporis ſpecies, quæ huic quæſtioni reſpondeantur: ejuſdemq; corporis caput alibi, alibi diſcerpta à corpore mẽbra jaceant. Quapropter tempus quantitatẽ per ſe nõ eſſe concludo, & falſò ſpeciem hãc quantitati ſubjectã: Sed tamẽ ut locus, ſic tẽpus logicè poteſt intelligi pro duratione rerũ, quod omni magnitudine multo eſt prius atq; antiquius: utq; locus in ſubjectis ſic tempus in adjunctis cõprehẽditur: quod totũ in explicatione Dialecticæ plenius eſt expoſitũ. Supereſt oratio, quæ quia ratione ſyllabarũ longarum, breuium, quãtitas appellatur: longa ſeu naturá, ſeu poſitione definiatur, quæ duo habet tempore: brevis, quæ unũ habet: & cùm definitio, definiri cauſſa ſit: tempus autẽ in definitione longæ vel brevis naturá ſyllabæ ſtatuatur, tempus, hujus quantitatis eſſe cauſſam, diſputandum pluribus minimé fuerit, orationem, temporis ratione quãtitatem eſſe non poſſe, cùm tempus ipſum, quãtitas per ſe minimé ſit. Quare & hæc ſpecies falſò quantitati ſubjecta: Unde jam quæſtionem primã repeto, & concludo, quid ſit quãtitas, ex his præceptis diſtingui, definiri, deſcribi nullo modo poſſe. Deinde totã categoriam prorſus inutilem & alienã eſſe ad extremum moneo: Etenim interpretes Organi, qui hæc interpretãtur, convertãt ſeſe ad earum rerum, quæ huic categoriæ ſubjiciuntur, doctrinã: Arithmetica & Geometria eſt: Videant ad totum Euclidem, ad totum Archimedem, ad totos denique Arithmeticos & Geometras intelligendum, quid proderit ſcire, quãntatem nihil habere contrarium: non ſuſcipere magis & minùs: locum, tempus, orationẽ, quãtitates continuas eſſe: Hæc, inquam, perpendant & æſtiment, quem uſum, quẽ fructum, in vera quantitatum doctrina habeant: nullum horum categorematũ in totis mathematicis comperient. Quę cùm ſecum reputaverint, ignoſcent, ut ſpero, ſedulitati meæ: & ſi æquiores eſſe volent, gratias habebunt, quòd de tantis rebus tam ſtudioſè admoneam. Ac fortaſſe, ut de categoria ſubſtãtiæ, ſic de categoria quantitatis aliquis requirat: ſi perfecta ſit, qualis ea tandem ſit futura. Ego veró mirabilem quãdam & divinam numerorum & lineamentorum, & ſingulari methodo deſcriptionem factã agnoſcerem, quæ id nobis repræſentaret, quod adhuc homo nemo repræſentare potuit. At hæc categoria nequaquã

eſſet

eſſet in logicis artibus inſtituenda. Catholicam Ariſtotelis legem huc appello: Fines artium regantur, ait: Quod eſt Geometriæ proprium, in Arithmetica eſt ἀνάριθμον· quod Arithmeticæ proprium eſt, in Geometria eſt ἀγεωμέτρητον· Denique quod artis cujuſque proprium eſt, in alia arte eſt alienum: At numerus, Arithmeticæ: linea, ſuperficies, corpus, Geometriæ propria materies eſt: In logicis igitur artibus eſt aliena: nec quantitatis hujus categoricæ conſideratio, in logicis eſt catholica: Tollatur igitur è logicis libris, quoniam ariſtotelea lex ita præcipit. Diſtinctiones hîc futuras intelligo, quales antea fuêre: Quātitas, quatenus ex ea fiunt enuntiationes, ad Logicam pertinet. At Ariſtoteles nunquā diceret geometrica eſſe Arithmeticæ, quia numerari poſſent: Sic enim legem illam cognationis violaret, quam tantopere celebravit. At hi fines Dialecticæ valdè ridiculi eſſent: nihil eſt, ex quo nō poſsit enuntiatio fieri, ergo nihil eſt, cujus præceptio ad Logicam non pertineat: Quænam iſta complexio eſt? Nónne, dices, in omni re quantitas quæri poteſt? ut ſit etiam generalis & communis: ideóque Logica quantitatis ſit conſideratio? Certè quantitas in omnibus rebus quæri poteſt. At non hæc numeri, lineæ, ſuperficiei, corporis: ſed illa quæ comparatione parium, majorum, minorum diſputatur: Aequalitatem & inæqualitatem Ariſtoteles ad omnes entis differentias retulit: Et ſic quantitas eſſentiæ vel corporeæ accidens fortaſſe dici poſsit, quod ei accidat ut æqualis alteri vel inæqualis dicatur. & talem quantitatis categoriā in dialectica retinemus: cōparationēq; facimus pariū, majorū, minorū. & ſic in Organo, æqualitatis & inæqualitatis logicus ſenſus frequenter adhibetur, cū Ariſtoteles ait primas ſubſtantias, itē ſecundas ſubſtantias, ejuſdē generis ſpecies, æqualiter ſubſtātias eſſe individuum, ſpeciem, genus inæqualiter: ſpeciem magis quàm genus: individuum maximè omnium. Item cùm Porphyrius ait, genus, ſpeciem, differentiam, proprium etiam dici æqualiter, accidens inæqualiter modó magis, modó minùs: his comparationis vocabulis, neque numerus, neque magnitudo ſignificatur: Senſus hic quātitatis logicus. Et iſta nimirùm quātitas eſt logica, quā in logico cōparationis loco tradi & inſtitui ex Ariſtotelis catholica lege volumus. Enimvero ex omnibus categoriæ hujus ſophiſmatis mirabile fuerit, illud corpus in ſubſtantiæ categoria fieri genus alterū eſſentiæ, & tamē corpus in categoria quantitatis fieri accidēs eſſentiæ: utrū phyſicū corpus illud eſſentiæ eſt quod cōſtat materia prima et forma, taleq́; corpus ſine quantitate ulla vel lineæ vel ſuperficiei vel corporis cogitatur? Id enim vulgus in ſcholis ſic accipit. At, inquā, materies illa prima eſt merū in phyſicis inſomnium, ut Phyſicæ ſcholæ docuerunt, & Ariſtoteles in libris de cælo multo accuratior philoſophus eſt, ubi docet geometrici & phyſici corporis differentiam eſſe in eo, quod geometricū ſit ἐξ ἀφαιρέσεως, phyſicū ἐκ προσθέσεως, vereq́; geometria de magnitudine generalis eſt ad opticā, aſtrologiā, phyſicā reliquā, magnitudoq́; opticis, ſyderalibus, phyſicis qualitatib⁹ antiquior, utq́; natura prius animal quā hominē, ſic corp.⁹ priusquā phyſicū corp⁹ effecit.

CAP. VIII. DE IIS QUAE *ſunt ad aliquid.*

DUas adhuc categorias animadvertimus categorematum, quæ pollicebātur inanes, nec ullū logicæ artis catholicum præceptum continentes: tertia ſpeciē oppoſitorū, id eſt relata, ducētis ac neſcio quot verſibus nobis promittit, & definitur initio, contrà quàm in duabus categoriis factum eſt, quāvis ſummum genus interpretibus videatur: Sed ita tamē definitur, ut hac definitione nil ab aliis categoriis ſubſtantiæ, qualitatis, poſitionis, diſcretum & diſtinctum habeamus: optabiliúſque fuiſſet relationem omnino non definiri. Relatorum vera à cæteris differentia fuerat, hoc ipſum quod ſunt, aliorum dici: vt pater filii pater: filius, patris filius. Quid igitur? quomodo hîc relata definiuntur? Quæcunque hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur: vel quomodolibet aliter ad aliud: Et hac definitione, ſubſtantiæ, ut caput, manus: item quantitates, ut magnum, parvum, multum, paucum: qualitates etiam, ut ſcientia, virtus, habitus: & ferē omnes aliæ categoriæ comprehendun-

tur. De ſubſtantiis, quia res alienior eſſe videhatur, dubitatio tandẽ quędã facta eſt: res tamẽ ſuſpenſa, nõ definita eſt: ut poſtea in capite de qualitate, quæſtio eadem ſic incerta relinquitur: quaſi poſsit eadẽ res diverſis categoriis ſubjici. Ergo hæc definitio, quia relationẽ nil diſtinguit ab aliis categoriis, quia propriũ ejus nil oſtẽdit, nil enĩ definit: definire enim, nõ eſt ſolùm rẽ explicare, ſed etiam certis & ſuis & propriis finibus terminare: unde definitio dicta eſt. At inquies, multa diſputãtur in hoc capite, quibus definitio illa cõfuſa reſtitui poſsit. Minimè inquam, imò quæ veræ definitionis propria erãt, confundũtur, & falſis relatis attribuũtur, vel improbãtur. Quatuor ea dogmata ſunt: Primũ, Relationi eſſe aliquid contrariũ: ut virtuti, vitiũ: Secundũ, Relationi magis & minùs ineſſe, ut ſimili æquali. at ab Ariſtotele in Ethicis definitur virtus abſque ulla vitii relatione: ſic vitiũ definiri poteſt: & tamen habere contrariũ, cõmune eſſet cũ qualitate, ut habere magis & minùs. Duo reliqua veræ relatiõis propria erãt: tertiũ, ad cõvertẽtia dici: ut pater, filii pater: & filius, patris filius: Quartum, Simul eſſe naturâ: ut ſi pater eſt, filii pater eſt: & ſi filius, patris filius: Et hujus rationis in utroq; cauſſa mutua ſit: Hæc duo inquã, in hoc capite cũ falſa ſubſtantiarũ & aliarum categoriarũ relatione cõmunicata ſunt: Imò quartũ, Simul eſſe naturâ, negatur relatorũ eſſe propriũ, quia ſcibile & ſcientia nõ ſimul ſint naturâ: At in cõjugatione nominũ ſcibilis & ſcientia, fallacia eſt, nec in eadẽ ſignificationis ratione ſumuntur: Scibile enim, potentiã: ſcientia, actũ ſignificat: ſicut in hoc conſectario, Bona facit, ergo bonus eſt, captio eſt, quia conjugata diſsimiliter ſumũtur: habitus & ſubjecti fallacia eſt: de qua primi Analytici capite triceſimo ſexto. Propior relationis ſpecies eſſet in (ſcitũ & ſcientia) quia utrũque, actũ ſignificat: vel fingẽdum nomẽ, ut Ariſtoteles etiã in hoc capite admonet, quo ſignificaretur utrũque relatũ ſimiliter. Ut circulus ſciri poteſt: ergo poteſt ejus eſſe ſcientia, & contrà. Adde etiã quòd ſcientia ſine vlla relatione ſcibilis, vel ab Ariſtotele definitur in poſterioribus Analyticis, cognitio rei per cauſſam, propter quã res eſt: & cognitio per demõſtrationem. Quare relationis definitio, tã verboſa tamq; prolixa oratione, in hoc capite non explicatur, ſed conturbatur, & falſa denique traditur. Duabus primis categoriis nulla neque generalis, neque ſpecialis ſubſtantiæ vel quãtitatis definitio tradita eſt: In tertia plus eſt factũ: Vera enim definitio relatorum, quæ fuerat (hoc ipſum quod ſint, aliorum dici) falſa adjectione cõturbata eſt. Nulla de relatis doctrina præterea eſt in hoc capite: Sed tamen unũ eſt vehementer admirandum: Subſtantia quantitàſque categorias non habent: nomẽ tamen habẽt categoriæ, & poteſt in ſubſtãtiis & quantitatibus per generaliſsimũ, ſubalterna, ſpecialiſsima, categorica deſcriptio fieri. At relatione nomen quidẽ categoriæ ſuſtinet, nedum categoriã habet: nec hîc omnino ſomniari poteſt, quid per generaliſsimum, ſubalterna, ſpecialiſsima categoricè ordinari poſsit. cum de relatis dixeris, id ipſum quod ſint, aliorum eſſe: & ad id exponendum, dixeris converti, & ſimul eſſe naturâ, nil pręterea quod dici poſsit, habebis: nulla ſunt ſubalterna, nulla ſpecialiſsima. Hoc interpretes conſiderare & animadvertere valdè vehementérque cupio: atque etiã hoc alterũ, quòd dicturus ſum, accuratiùs perſpicere. Diſſerui antea, ſi ſubſtantiæ & quantitatis categoria perficeretur, quales eſſent hæ categoriæ. Huic quæſtioni locus hoc tempore nullus eſt: relatio, categoria nõ eſt: relatio, categoria eſſe nullo modo poteſt. Quid ita? categoremata illa decẽ, cauſſa, factum, ſubjectũ, adjunctum, &c. categoriis ſingulis generaliora ſunt: in unaquaq; categoria, ut inferiori videlicet ſubjecto, ſunt cauſſæ & effecta, genera, ſpecies, differentiæ, non contrà. Ergo cùm mihi ſpecialẽ in ſubjectis rebus, categorematum partitionem polliceare, nõnne ridiculũ fuerit, ſi cauſſam, dicas eſſe categoriam: ſi ſpeciem, dicas eſſe categoriam: ſi oppoſitum, dicas eſſe categoriã? At relatum, generale categorema eſt: imò particula categorematis: eſt enim ſpecies oppoſiti cõtrarii. Sic Ariſtoteles nõ ſolùm in Topicis, ſed in hoc categoriarũ libello, oppoſitorũ genera quatuor efficit, relata, contraria, privãtia, cõtradicentia. Quãobrem animadvertite, interpretes, quid ſibi velit hæc categoria, & relationẽ ad locũ logicæ

cæ invẽtionis remittite, quia ſpecies eſt oppoſitiõis, quã Ariſtoteles in Topicis ad inventionem verè & logicè retulit.

CAP. IX. DE QUALI SEU *qualitate.*

QVid qualitas? quomodo definitur? quã per generaliſsimũ, ſubalterna, ſpecialiſsima, categoriã interpretatur? Definitio qualitatis vitioſa, partitio vitioſior. Quid eſt qualitas? Interpretes qui negabãt ſubſtantiam & quãtitatẽ, quia ſumma genera eſſent, definiri poſſe, credunt, hoc ſummũ, quod putãt, genus definire, & qualitatẽ dicere, ſecundũ quã quales dicimur. At hæc definitio, omniũ categoriarũ cõmunis eſt: in ſingulis enim categoriis, ſuæ differentiæ ſunt, ſecundũ quas, quales eſſe dicimur. Sic Rhetores in quæſtionũ diviſione (An eſt, quid eſt, quale eſt) qualitati quantitatẽ numeri & magnitudinis ſubjiciunt: & de magnitudine ac numero, quantus ſol, an & unus mundus, ait Quintilianus de quæſtione qualitatis. At fortaſſe multa toto capite ſunt, unde qualitas hæc propriè definiri, & à cæteris categoriis diſtingui poſsit. Minimè: tria enim ſola ſunt, quæ videantur huc ſpectare: primũ, habere contrariũ: ſecundũ, ſuſcipere magis & minùs: tertiũ, ſimile vel diſsimile dici. At duo prima non omni qualitati cõvenire Ariſtoteles ipſe docet: Rubro nil eſſe contrariũ: Figurã magis & minùs nõ dici: Quinetiã addubitat, an qualitas omnino magis & minùs dicatur, ut juſtitia & Grammatica: quãvis juſtior & γραμματικώτερος dicatur: quomodo jã docuimus quãtitatem magis & minùs dici: Quãvis enim longitudo nec magis, nec minùs dicatur: lõgius tamẽ aliud alio dicitur, & cõtrarium in ſubſtantia & quantitate eſſe docuimus. Ergo hæc duo cõmunia tãtùm accidentia ſunt, Differẽtia itẽ porrò, ut diximus, eſt in eadẽ cũ genere, categoria: Ideoq́ qualitas, à qua ſimiles aut diſsimiles dicamur: proptereaq́ nõ eſt propriũ qualitatis hujus à cæteris categoriis diſtinctæ, ſecundũ eã ſimile vel diſsimile dici. Et Ariſtoteles multò veriùs loquitur in Topicis, cũ ſimile, diſsimile, facit cõmunẽ rationẽ omnis quæſtiõis: Itẽq́ in Philoſophia, libri quarti capite ſecundo, & undecimi capite tertio: ubi ait ſimilitudinẽ & diſsimilitudinẽ, primas eſſe differẽtias entis: imò ibidẽ decimo quarto capite quinti, ubi ait qualitatẽ eſſe, qua cujuſq́ eſſentiæ differẽtiæ & affectiones nominantur. Sed hæc ſatis: categorema hoc, cõmune accidẽs eſſe cognoſcimus: Cõcludamus igitur à cæteris categoriis diſtinctã qualitatẽ, neq́ primo loco definiri, neque toto capite deſcribi. Partes qualitatis videamus: Quatuor ſpecies nominibus octo proponũtur, habitus & diſpoſitio, potentia naturalis & impotentia, qualitas patibilis & paſsio, figura & forma: quæ tamẽ cõfunduntur: nullã enim definitionẽ habẽt: Habitus diſtinguitur à diſpoſitione, quòd ille diuturnior ſit, hæc mutabilior. At quid habitus, quid diſpoſitio ſit, definitio nulla eſt. imò diſpoſitio tandẽ genus habitus efficitur, & diſtinctio poſita tollitur, & habitus poſitus pro categoria ſumitur, & habitus poſtea privatiõi opponitur: & habitus, Analytici primi capite triceſimo ſexto rurſus aliter dicitur, ut habitus & ſuſceptivũ opponãtur, ut ſanitas, habitus: ſanus, ſit ſuſceptivũ, ut homo: nullo tamẽ loco definitur. Secũdo loco potentia naturalis & impotẽtia aliquot exemplis ſine ulla definitione ſequitur, ut ſanus, morbidus: Tertio loco de qualitate patibili & paſsione, multa diſputantur, quòd qualitates elementorũ, calidũ, frigidũ: itẽ animorũ, ut iracundia, amẽtia, hac ſpecie cõprehendãtur: Definitio uno loco nulla certa ponitur: imò paſsio, quæ cùm ea pro una tãtùm ſpecie initio proponebatur, tandẽ è qualitatis genere tollitur: Quarto figura & forma ſine definitione diſſerũtur, & dicitur ſecundũ formã unũquodque quale eſſe. Quæ forma videtur ea eſſe, de qua cõtra Porphyriũ diſputavi, quòd ille differentiã nõ rectè vocaret. Diſtinctio hîc interpretibus non deerit, quòd ad corpus hæc forma pertineat: quaſi ſubſtantiis corporeis nõ ſint etiã formæ: Sed cogitabũt interea nil eſſe tam perverſè, tã præpoſterè dictũ, quod diſtinctionibus ejuſmodi defendi nõ poſsit. Adhuc genera qualitatis quatuor, octo nominibus propoſita vidimus, nullũ definitũ vidimus: Quinetiam huic bellæ partitioni nova genera ſubjecta ſunt, rectitudo, curvitas: & an alia genera qualitatis ſint, Ariſtoteles addubitat: ſed fortaſſe

alius

alius quicunque modus apparuerit qualitatis, ait. Quamobrem cùm qualitatis categoricæ definitio vitioſa, tũ partitio etiam vitioſior ſit, utilitatẽ ſpectemus: quàm logicè Logica iſta facta ſit, expẽdamus: animadvertamus in mathematicis, in phyſicis, ethicis, ubi figura & forma, paſsio & patibilis qualitas, potentia & impotentia, habitus & diſpoſitio verſari videantur: qualis trium dogmatum, ſeu res, ſeu nomina ſpectentur, ſit utilitas: Habere cõtrarium magis & minùs, Simile vel diſsimile dici: Nullã in totis artium illarum doctoribus, harũ nugarum mentionem reperiemus. At fortaſsis, ut antea, requires ſi perfecta categoria ſit, quid ſit ea futurum. Ego verò, quod jam de quantitate & ſubſtantia reſpondi, de qualitate reſpõdere nullo modo poſſum: Subſtantia & quantitas quamvis categoriæ veritatem non habeant, categoriæ tamen nomen ſuſtinent, & ea quæ pollicentur, complecti poſſunt: qualitas non poteſt: Ideòque categoriæ nomen non ſuſtinet, nedum veritatẽ. Etenim dubiis rebus iſta quæſtio nõ agitur, definitione categoriæ diſceptatur: categoria, eſt homogeneorũ per generaliſsimum, ſubalterna, ſpecialiſsima, deſcriptio & ordinatio. Qualitas, per habitum, diſpoſitionem, potentiam, impotentiam, paſsionẽ & patibilem qualitatẽ, figuram & formã, & alias ejuſmodi ſpecies collecta, talis deſcriptio non eſt: Hæ ſiquidẽ ſpecies homogeneæ nõ ſunt, nec unius generis proximi, cùm ſit in unaquaque categoria ex differentiis ſua qualitas, ſicut initio dixi: qualitáſque alia ſubſtãtiæ, alia quantitatis, relatiõis, actionis, paſsiõis. Quare qualitates omnes non ſunt homogeneæ, nec in iis unum proximum generaliſsimum, unde ſubalterna & ſpecialiſsima deducantur. Quare qualitas hæc à categoriis ſubſtantiæ, quantitatis, & reliquis diſtincta categoria eſſe nõ poteſt: neque veritatem, neque nomen categoriæ ſuſtinet, ſed vanã, & ex variis artibus confuſam cõmentationem. Nec verò jã pluribus admonendos interpretes exiſtimo, ut intelligant totius hujus capitis doctrinam, à Logica alienã eſſe, quia logicum lumen omniũ rerum illuſtrandarum & illuminandarũ: id eſt entis & non entis, ut ex Ariſtotele ſæpe jã repeto, commune hîc nullum eſt: Aliud eſt ſolis lumen, aliud eſt res illuſtrata ſolis lumine: cauſsis, factis, ſubjectis, adjunctis, &c. id eſt tota invẽtione, enũtiatione, ſyllogiſmo & methodo: id eſt toto judicio, habitus & diſpoſitio & cæteræ hîc adhibitę ſpecies ſunt inferiores & ſubjectæ, & à ſuperioribus illis illuminãtur, explicãtur, declarantur: Logicũ itaque lumen non ſunt: logicæ lucis nulli radii ſunt: Logicæ partes omnes & ſeipſas, & cætera illuſtrant omnia. Quare ex Ariſtotelis lege concludo:

Præcepta veræ Logicæ debent eſſe catholica:

Hæc categoria nõ eſt catholica: quia eſt inferior & ſpecialior omni Logica:

Non eſt igitur veræ Logicæ præceptũ. Nec illa ridicula diſtinctio nobis opponatur, quòd enuntiationes hinc effici poſsint, cùm poſsint ex omnibus artibus, omnibus omnino rebus, etiã nulla arte comprehenſis, enuntiationes fieri, nec tamẽ omniũ artiũ, omniumque rerũ præcepta, ſunt logicæ artis propria. Verùm agè, priuſquã hinc abeamus, nullúmne fructũ ad Logicã hinc referemus? imò verò de qualitatis capite referemus, vel potiùs invitis ac repugnãtibus præceptis his auferemus: Adjunctorum locus frequenter incurrit in conſiderationẽ huſce categoriæ, qualitatis: nempe ut in ſubjectã rem: ut qualitas perſonæ ex virtutibus, vitiis, ſcientia, juſtitia, moderatione, iracũdia, prudẽtia, amẽtia, naturali corporis firmitate vel infirmitate: forma denique & figura. Itaque ad illuſtrandum in logica inventione generalẽ illũ adjunctorum locum, ſpecialia quædam exempla hinc depromi poterunt, ſicuti ex omnibus artibus. Unde tamẽ minimè cõcludemus, his de rebus præcepta logicæ artis eſſe. Secundũ etiam fructũ ex hoc capite capiemus: Nulla res eſt, quæ rei alteri cõparata, non ſit ei ſimilis aut diſsimilis, ut jam dixi. Quamobrẽ ad Logicã, duplicem fructum ex hoc capite exprimemus: Primũ ad illuſtrationem adjunctorum: ſecundum ad comparationem ſimilium & diſsimilium.

CAP. X. DE AGENDI ET PAtiendi & reliquorum generum categoriis.

DE reliquis ſex categoriis, vix viginti ſunt ſenarii verſus: Agere & pati, dicitur habere cõtrarium: item

item magis & minùs ſuſcipere categoremata hæc cum qualitate cõmunia jam facta ſunt, nihil propriè hîc explicant: Situm eſſe, ad relationis categoriam remittitor, & tamẽ hic categoria efficitur: Sic Quãdo & ubi, categoriæ temporis & loci, in quantitatis categoria poſitæ ſunt: Sic Habere, categoria nunc fit: tamen habitus, fit ſpecies qualitatis: tamen habitus privationi opponitur: De categoria habendi, ſicut de categoria temporis & loci, Ariſtoteles, propterea quòd manifeſta ſit, ait nihil eſſe præcipiendum. At ultimo capite hujus libri, octo habendi modi deſcribuntur. Hîc author categoriarum quiſquis is fuit, quod neſciebat, quod ſcire nullo modo poterat, ignorare videri noluit, ſed tanquã facile & manifeſtũ præterire: Eadẽ categorię definitio ad paſsionem & reliquas quinque factas hîc categorias adhibeatur, categorias eſſe nõ poſſe cõcedemus: & nos hîc abſurdè deluſos intelligemus, quòd hæc tanquã facilia & manifeſta ſe præterire prædicet, quæ tamen ſunt impoſsibilia: Pergamus, & quod poſtremũ eſt, exquiramus: Quid ad Logicam hinc auferemus? Actio, ſi tamen hoc nomine lubet effecta quævis ſignificare, logicæ inventionis decimã quandam partẽ obtinet: effectorũ locus eſto: Paſsionis nomine quid intelligat Ariſtoteles, nõ definitur, & videtur actionis tantùm contrariũ intelligi: attamen τὸ πάσχειν ϗ πεπονθέναι nomine, Gręci ſæpe utuntur, pro accidere: & τὸ πέπονθα, id mihi accidit, Græci dicũt: atqui Ariſtoteles ipſe in Analyticis ita loquitur, cùm ait demonſtrari πάθημα ϗ πάθος, paſsionem de genere ſubjecto: Paſsionẽ dicit, quod ibidem, accidens. Quod ſi ſequamur, paſsio nobis idem erit, quod Porphyrii accidens, & totũ adjunctorum locum quodãmodo cõplectetur, licet non explicet. Ergo ſi lubet, hîc etiã adjunctorũ locus notetur. Quod antea de quantitate & qualitate dixi, idem poteſt de quatuor poſtremis generibus dici: In earũ conſiderationem nonnunquã adjunctorũ locum incurrere, & quomodo ſitũ ſit, & ubi, & quando factũ & habitũ, inquiri: ſed tamen logicũ lumen & univerſale nullum admodum hîc eſſe: Nã de iis ſi quæſtio ſit, ſitus ad ſitum explicandum, habitus ad habitum nil valebit: lumine verò & inventionis & diſpoſitionis logico nõ modò cætera omnia, ſed ipſamet etiam Logica illuſtratur. Quãobrẽ de categoriis quod initio ſtatui cõcludere, meritiſsimo jure poſſum: Tantùm abeſſe, ut per decem categorias, ſubſtantiæ, quantitatis, relationis, qualitatis, actionis, paſsionis, ſitus, ubi, quando, habitus, omnia categoremata cognoſcamos: omnem omnium enuntiationum materiam, facultatem, copiã habeamus: ut quid ſit ſobſtantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, paſsio, ſitus, ubi, quando, habitus, prorſus per eaſdem ignoremus: neque categorias hîc eſſe, quales ipſum categoriæ nomẽ pollicetor: ſed categoriarum nomina, imò ne categoriarom quidem nomina: nam ut quantitatis nomen, Arithmeticæ & Geometriæ categoriam: ſubſtãtiæ nomen, phyſicarum rerum categoriam ſpecie indicet: certè qualitas, quæ omnium artium aliquid miſceat, categoriam unam indicare non poteſt: Cætera ſuis nominibus non categorias, ſed categoremata vix indicant: Cùmque de categoriis decem, relationem ad locum oppoſitorum, actionem, paſsionem, ad locum effectorum & adjunctorum retulerimus, cætera logicæ facultatis omnino nil erunt: nullum dialecticum generale præceptũ habebunt. Ac ſi quis roget ad ſecundariã inventionẽ initio poſitã, quænam veræ categoriæ ſint, categoriæ definitionem ſibi proponat, categorias eſſe categorematum homogeneorum per generaliſsimum, ſubalterna, ſpecialiſsima, deſcriptiones & ordines: deinde attendat Grammaticam, Rhetoricã, Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, Aſtrologiam, Phyſicam, Ethicam doctrinam, omnêſque artes bene traditas, tales deſcriptiones eſſe: tum concludat artes bene traditas, categorias eſſe. Sed de categoriis rorſus alia quædam, ſi tamen priùs paucula, quæ reſtant in hoc libello, conſideraverimus.

CAP. XI. DE CONTRARIIS.

CApue eſt decimum de oppoſitis vel cõtrariis, ut Cicero loquitur: cujus ſpecies quatuor hîc ponuntur, quæ ſunt ad aliquid: item quæ ſcholæ noſtræ contraria nominant: nos cum

Cicerone

Cicerone adverſa dicimus: Habitus & privatio, ut affirmatio & negatio. Totus hic locus eſt inventionis logicæ proprius, utilis, verus, catholicus denique: concedo, laudo, retineo: Et Ariſtoteles in Topicis inter argumentorũ genera collocat: Id quoque vehementer approbo, & in Dialectica totum hunc locum doceo & illuſtro: Verùm ut rem ipſam probo, ſic rei doctrinam & explicationẽ hîc non probo: Quamobrem? quia neque genus, neque ſpecies ipſas definit: imò verò quid ea ſint, obſcurat: Primùm relata videamus. Antea capite ſeptimo relatio, facta erat Categoria, imperitè, ut docui: Hîc verò nõ categorema, ſed ſpecies categorematis, id eſt oppoſitionis: Antea vera relationis definitio conturbata eſt: hîc rurſus eadem conturbatur, nec melior explicatur: Repetuntur tautologia inani & legibus Ariſtotelis dãnata ſuperiora illa, Quòd relata ad convertentia dicuntur: additur, quòd non neceſſe ſit relatorum alterũ ſemper ineſſe: quod ad deſcribendam relationem aut propriè definiendam accommodatum nihil eſt: Præterea de relatis nil dicitur: de contrariis adverſis diſputatio magna eſt: quòd ad convertentia nõ dicantur: quòd poſito altero, non neceſſe ſit alterum poſitum eſſe: quòd de quolibet non neceſſe ſit alterum verum, alterum falſum eſſe. Tres negationes ſunt, propterea quid adverſa ſint, nihil hinc propriè deſcriptum aut definitum habemus. Sequũtur deinde alia, quòd adverſa ſint circa idem ſpecie, ut morbus & ſanitas in animali: aut genere, ut albor & nigror in corpore. Hoc accidens, eſt cum cæteris oppoſitis commune, nil propriè deſcribit, & tamẽ ex ſubjecti loco categorema attingit: item quòd adverſa ſint in eodem genere, vel in cõtrariis generibus, vel ipſa cõtraria genera, ſub nullo genere poſita: ut bonũ & malum, quę in genere nõ ſunt, ſed ipſa ſunt genera. Hoc dogmate, contrariorũ definitio poſita in quantitatis capite, ſubvertitur: Cõtraria ſunt, quæ ſub eodem genere poſita plurimùm differunt: cùm contraria quædam in nullo eſſe genere, hoc dogmate confirmetur: Et ſub eodẽ genere conſtitui, cum relatis eſt commune: quæ utraque uno genere continentur. Nec ad contrariorum definitionem, generis mentio quicquã facit, imò præpoſtera eſt. Genus enim, derivatum è cauſsis argumentũ eſt, nec ordine poteſt, niſi poſt prima, cognoſci: Poſtremũ eſt ad contrariorum adverſorum deſcriptionem: quòd adverſorum niſi alterũ inſit à natura, alterna mutatio fieri poſſit, ſi ſubjectum ſit: ut qui volet ſubſtantias contrarias dicere, ut hominem & beſtiam, ignem & aquam (quomodo in phyſicis Ariſtoteles loquitur) hoc loco dicet contrariorum genera duo notari, quòd quædam in ſubjecto ſint, ut calor, frigus: quædam ſubjecta ſint in nullo alio ſubjecto, ut ignis & aqua. Hæc toto capite ſunt, unde collecta falſò putatur iſta definitio adverſorum (quæ ſub eodem genere poſita, plurimùm differũt: & mutuò ſe expellunt, niſi alterum inſit à natura.) Hæc ſcholarum noſtrarũ definitio eſt: primùm enim hîc dicitur, quædam eſſe contraria in nullo genere: Deinde cæteras in hoc capite definitionis illius particulas non ſic affirmatas hîc invenies. Atque hæc de adverſorum definitione: Diviſio duplex hîc oſtẽditur, quòd quædam ſint ſine medio, quorũ alterum neceſſe eſt ineſſe ſubjecto: quædam contrà: Item quædam ſimplicia, ut ſanus, æger: quædam compoſita, ut Socrates eſt ſanus, Socrates eſt æger. At hîc compoſita contraria non magis ſunt æger & ſanus, quàm priùs: nec contrariis aliter, quàm in enuntiatione, attributis uti poſſumus. Ergo ſecũda ſpecies cõtrariorum non accuratiùs hîc exponitur, quàm prima, ſed veritas utriuſque obſcuratur. Tertia ſpecies eſt privantium: Privatio ſanè hîc apertè declaratur, ut privatio accidat, ubi natus eſt eſſe habitus: & privari, ſit eo carere, quod habere natus ſis: Itẽ ut habitus mutetur in privationẽ, non contrà. Quæ ego laudo & probo, & Logicæ catholicũ dogma hîc agnoſco: At tã multę præterea de his nugę (quòd privari, nõ ſit privatio: habere habitũ, nõ ſit habitus: privari & habere habitũ opponantur, ut privatio & habitus: quòd privatio & habitus nõ ſunt relata, nõ adverſa, nõ ſit neceſſe eorũ alterũ ſemper ineſſe) tã multæ nugæ negantes, nil docentes, nullum dogma catholicum oſtendentes, probari nullo modo poſſunt. Poſtrema ſpecies eſt oppoſitorum, ut affirmatio & negatio: ſicut ſedet,

ſedet, non ſedet: ubi neq; affirmationẽ, neq; negationẽ, neq; verũ, neq; falſum eſſe Ariſtoteles diſputat. At Ariſtoteles in hoc ipſo capite, ſuo & teſtimonio & exẽplo commentũ hoc refellit, cùm ait in affirmatione & negatione alterũ verum, alterũ falſum eſſe: & negatio (non) ſive nomen, ſive verbum afficiat, negat: ut non honeſtum, non ſanatur: Et verũ ac falſum tranſcendentia nomina ſunt, & de quolibet alterum eorum dicitur, attamen ſi lubet enuntiato tribuatur veritatis & falſitatis cohærentia. Atq; hæc poſtremæ ſpeciei definitio ad ſuperiorũ definitionum diligentiam aggregetur, & concludatur hoc capite, neque cõtrarium, neque cõtrarii ſpecies, excepta privatione, definiri: Nec ideo tãtum caput catholicum eſſe.

CAP. XII. DE MODIS PRIORIS, *ſimul, motus, habitus.*

CApite undecimo, quinque prioris ſignificationes tractãtur, cùm partitione tamẽ tãtùm quatuor proponãtur, octavi Phyſici capite ſeptimo tres tantùm proponũtur, cõſequentia, tempore, ſubſtãtia: Hoc in partitione vitioſum eſt: ſed eſt in rebus non minus vitiũ: Et capite duodecimo Ariſtoteles iſtam quinque membrorum partitionem refellit: Simul & prius opponuntur: ſed (ſimul) ſignificationes duæ tantùm hîc expoſitæ ſunt tempore, naturâ: Ergo hæc oppoſiti tractatio demõſtrat aut ſe imperfectam eſſe, aut oppoſiti ſui, id eſt prioris tractationem ſupervacaneã: Tot enim modis ſimul aliquid eſt, quot & prius. Ex his duobus capitibus ſi logici ſalis mica ulla poſsit erui, erit, quod prius cauſſa dicatur. Decimo tertio capite motus ſpecies dividuntur: at motus iſte, motuſque ſpecies quæ appellantur, rem valde magnam cõplecti videntur, cum tamen motus ſit revera idem quod actio, & ſpecies illæ quæ dicuntur ſpecies, omnino multæ ſunt, ſed motus vnius ſit, generatio & effectio rei cujuſpiam, & cujuſdam item corruptio, ſicuti in ſcholis Phyſicis plenius explicabitur. Quare tautologiã actionis & paſſionis hîc tantum agnoſco: Nec diſtinctio vana illa repetatur, quòd hinc enũtiationes fieri poſsint: Tales enim diſtinctiões à veritate & proprietate artis dialecticæ, catholica lex Ariſtotelis diſtinguit. Poſtremum caput eſt omnium ineptiſsimum, de modis habẽdi: Lexicon de vocabulorum ſignificationibus varium & multiplex, & à multis Grammaticis Græcis & Latinis collectum habemus: nullus tamen adhuc tam ineptus extitit, qui tales ſignificationũ quiſquilias aſſumeret. Pudet catholicam legem Ariſtotelis hîc adhibere: Res tam gravi refutatione indigna eſt.

CAP. XVI. DE USU CA*tegoriarum.*

HActenus partibus omnibus categorici libelli conſideratis & animadverſis, ad categorias decem redeamus. At ne ullam noſtram negligentiã in hac quæſtione homines quidam reprehẽdant, omnes latebras excutiamus: quicquid contrà dici poſsit pro defenſione categoriarum, id ipſum ſubducamus. Nõ ſint igitur categoriæ ſubſtantiarum, quantitatum, relationum, & cæterorum categorematum per generaliſsimũ, ſubalterna, ſpecialiſsima, deſcriptionem complexæ, dicat aliquis: At decẽ ſumma genera ſunt, unde omniũ enuntiationum materia, omnia media, omnia ſyllogiſmorum & cõcluſionum inſtrumenta depromuntur: nec ſecũdaria, ſed primaria dicatur in categoriis invẽtio: & jam ſit idem categoria, quod categorema: & ad eandẽ categoriæ definitionem, authoritatem categorici doctoris adhibeat: qui capite nono, cùm de categoriis perotaret, ait, De propoſitis igitur generibus ſatis dictum ſit. Adjungatur etiam illa Porphyrii authoritas: categoriæ prima genera, ſunt velut elementa decem. Ergo talium borũ categorematũ artem primùm, deinde uſum ſpectemus. Quid igitur in generũ (unde omnium enuntiationum & mediorum materia, facultas, abundantia oriatur) deſcriptione & ordinatione generaliſsimũ: Definitio eſt categoriæ, qua intelligamus hoc nomine ſummũ genus nobis proponi. Definitio iſta primo loco non eſt, ut categoricus ordo poſtulat. Quæ deinde ſubalterna & ſpecialiſsima: Cauſſæ, facta, ſubjecta, adjuncta, diſſentanea, comparata nomina, tributiones,

nes, definitiones, teſtimonia, & eorum ſingulorũ genera & ſpecies, quæ in Dialectica noſtra perſecuti ſumus. Quid de his categoricus author? horum omniũ nihil, excepta (quæ oppoſitorũ particula eſt) relatione: Itẽ effectis & adjunctis: quæ actione fortaſsis & paſsione cõprehendãtur. Horũ, inquã, omniũ, nihil nõ dico definitione, ſed ne ulla qualicunque ſignificatione notavit aut indicavit. Quid poſtremò categoricus author facere debuit, ut categorias κατηγορικῶς καὶ λογικῶς, perſpicuè videlicet & ſplendidè explicaret? Singulares cujuſque generis ſpecies & partes definire: exemplis, quàm maximè fieri poſſit, inſignibus illuſtrare debuit, ut doceret & unde præcepta hæc ſumerentur, & quò referrẽtur. Omnis ſiquidem obſervationis ſtudio, ſcriptori hujus artis contendendum fuit, ut à primo naturalis & humani uſus fonte præcepta ſua deduceret: quemadmodum tricesimo primo ſecũdi Priorum, & decimo quarto, item decimo octavo ſecundi Poſteriorum, veriſsimè docetur, omnes artes & ſcientias experientia, obſervatione, inductione exemplorum ſingulariũ fieri. Sunt Homeri, Platones, Demoſthenes: ſunt in quavis lingua innumerabiles omnis generis præſtantes homines, id eſt Logici & Dialectici authores: varietas denique & copia exemplorum & ſuavitas deeſſe diligentibus obſervatoribus nulla poteſt. Hac de re nihil in categoriis categoricus author cogitavit: Nõ igitur categorias verè deſcribit: nõ verè docet, nec omnium mediorum, argumentorum, enuntiationum fundamenta vera conſtituit. Verumenimuerò iſta medicina tam inveteratum morbum nũquam curabimus: quamdiu de præceptis diſputabitur, fucus, fallacia, captio denique aliqua reperietur. Uſu, uſu inquam, nobis opus eſt, qui captionibus & diſtinctionibus eludi non poteſt. Quid? inquies, nònne Logicæ uſus tractatur, cùm quotidie de præceptis & regulis diſputatur? An artis præcepta omnino rejicis, nec ulla juventuti proponi vis? Ego præcepta volo, & eorum gratiâ tam multa diſputo, ut vera, cõſentanea, propria, juventuti tradãtur, & ad verbũ ediſcantur, non ſolùm diſputentur: ſed cognitionem artis in hoc eſſe dico, uſum artis in hoc eſſe nego. Grãmaticam puer miſeris adhuc temporibus, & Dialecticam ferè eodẽ modo doctus ſum, diſputando de præceptis & altercando. At Grammatica, non eſt doctrina de grammaticis præceptis diſputandi: Finis & uſus artis non eſt in eo: Logica, non eſt doctrina de logicis præceptis altercandi: Finis in eo & uſus non eſt. Grammatica eſt doctrina rectè loquendi: Ergo in rectè loquendo exerceatur. Logica item eſt doctrina bene diſſerẽdi, ſeu ſcripto, ſeu voce id fiat: Ergo bene & voce & ſcripto diſſerendo exerceatur: Socraticùmque illud teneamus, philoſophiam non ſolùm eſſe ſcientiam, ſed multò magis actionem ſcientiâ mõſtratam. Ergo logicæ exercitationis analyſim adhibere, grave & moleſtũ quanvis ſit, tamen ne putemus. Præcipit & affirmat categoricus author omnia categoremata ſignificare ſubſtantiam, quantitatem, relationem, qualitatem, actionem, paſsionem, ubi, quando, ſitùm eſſe, habere. Repetatur huc à Grammaticis ſimile illud adverſus Porphyrium, nobis adhibitum. Donatus docet octò partes orationis eſſe: intereàque arte ſua utitur, nec ulla dictione, non ex earum partium aliqua, utitur. Quòd ſi duas diceret eſſe partes orationis, adverbium, & conjunctionem: & Grammaticæ diſcipulus aliquis ipſum Donatum admoneret, multas eſſe partes orationis in ejus ipſius Donati libro, quæ, neque adverbium, neque cõjunctio eſſent, ut nomina & verba: an Donatus hîc non erubeſceret? errorẽ doctrinæ ſuæ nõ agnoſceret? At categoricus hic author, Donatus eſt: profitetur omnia categoremata ſignificare ſubſtantiam, quantitatem, aut aliquam ſuarum categoriarum: pollicetur ſe mihi partes orationis traditurum, unde omnem propoſitionẽ componam: id eſt omnem materiam, facultatem, copiam promittit, unde quaſvis enuntiationes conficiam: dividit in partes decem: Atqui in ejus ipſius libro reperies multas enuntiationes neque ex hac materia fabricatas, neque ex his partibus conſtructas & compoſitas. An nõ igitur errorem doctrinæ ſuæ cognoſcet, ſed obſtinatè vitioſam doctrinam defendet, & pro vera & utili vẽdicabit? Hoc ſcholis noſtris analyſeos familiare

exemplum

exemplum propono, ut intelligât, quêadmodū categorici doctoris præcepta, ipſiuſmet uſu & teſtimonio veriſsimo refellātur: artificium, artificii uſu ineptū eſſe demonſtretur. Hunc tantum, tamq; gravem errorem facillimé veriſsimeq; perſpicient interpretes, ſi ad uſum ſeſe contulerint: ſi periculum doctrinæ ſuæ in propoſitis exemplis, non tantùm librorum ſuorum, ſed quorumlibet hominum, poëtarum, oratorum, philoſophorum fecerint: ſi Ariſtotelis phyſicā & ethicam philoſophiā, iſta libra perpenderint: ſi omnis ariſtotelicæ philoſophiæ categoremata, media, argumenta, enūtiationes, ratiocinationes, ad iſta categorica principia revocarint: ſi etiā non analyſim tantùm, ſed etiam geneſim, & operis alicujus ſyntaxim ſuſceperint. Multa diſputant in ſcholis quotidie: aliquid ex his unum facillimum ſibi proponant, in eòque diſceptando, categorias ſuas adhibeant & exerceāt. De homine permulta diſputantur in ſcholis: Thema igitur eſto de homine, de quo quicquid é categoriis ſuis poſsint, eruant & dicant: quinetiam magiſtrum ſuum, ſi lubet, interrogent. Quid veró dicant, ô categorice magiſter (quoniam nos doces, omnia categoremata ſignificare ſubſtantiam, quantitatem, relationem, qualitatem, actionem, paſsionem, ubi, quando, ſitum eſſe, habere) dicta nobis ex iſta categoriarum doctrina, genera categorematum, mediorum, argumentorum, unde enuntiationibus abundemus, & copioſam aliquam diſputationem, & philoſopho dignam habeamus. Artes veró traditæ, conſilia ſunt: conſilia igitur doctrinæ, petentibus diſcipulis ne nega. Quid hic magiſter reſpondebit? eadem, opinor, ſi ſibi conſtare volet, quæ in libro docuit. Itaque videte, inquiet, hominis ſubſtantiam, primàne ſit an ſecunda: & quantitatem in numero, oratione, tempore, loco, linea, ſuperficie, corpore: & relationē: & qualitatem in habitu, diſpoſitione, potentia naturali & impotentia, patibili qualitate & paſsione, figura, forma: item agere & pati, & ubi, & quando, & ſitum eſſe, & habere: Hæc enim admirabilia doctoris hujus ſunt conſilia: hæc categoriarum doctrina: hæc ſapientia dialectica eſt, quā ſequantur diſcipuli cùm de homine volent dicere. Amabò tamē, ariſtotelearum categoriarum magiſtri & interpretes, generalia verorum categorematum, verarum categoriarum, id eſt verorum & logicorum locorum conſilia é theſauris itē Ariſtotelis, & Ariſtotelis legibus ac principiis ſpectata & probata contrà comparent, & eorū vires in hac eadem quæſtione tentent & excutiant: cauſſarum locus cōſulet conſiderādas eſſe hominis cauſſas omnes, modis omnibus efficientem, quæ procreet, quæ conſervet: quæ per ſe efficiat, quæ adjuvet: quæ ex his per ſe, quæ per accidens neceſsitate vel fortuna efficiat: tum materiam, denique formā & finem, in quibus tot cauſsis, hominis natura non comprehenditur, ut in categorico ſubſtantiæ vocabulo, ubi jubet categoricus magiſter cōſiderare, primàne ſit an ſecunda, ſed etiam per partes declaratur: Subſtantia enim hominis & natura, cauſſarum hominis conjunctione cohæret & continetur: E' reliquis argumētorum locis, tum facta proponet, quæ ſunt in conſiliis, categoriarū actiones, vel omnino nihil: tum ſubjectum, de quo præceptum nullum eſt in categoriis: tum adjuncta: tum omnium generum circumſtantias, quarum notam quandam fortaſsis categoria paſsionis præbeat: illuſtrationem veró & exemplum quādoque categorica quantitas, qualitas, ſitum eſſe, ubi, quando, habere: tum ſtatuet é regione diſſentanea in diverſis & oppoſitis, diſparatis, contrariis: iiſque affirmatis, ut relatis & diverſis: negatis, ut contradicentibus & privantibus, quorum præter relationem in decem categoriis nihil eſt: Quid veró? nônne iſta reliqua generalis inventionis logica doctrina, categoriarum interpretes obruet multitudine rerum, de quibus nullum in categoriis ſuis cōſilium categoricus magiſter tradit? Promet enim é paribus, majoribus, minoribus, ſimilibus, diſsimilibus, conjugatis notatione, partibus, finitione, teſtimoniis divinis & humanis, & tantam conſilii copiam & ubertatē, ut permirum videatur. Itaque videant ii, in hac facili quæſtione, quàm multis neceſſariis fundamentis, categoriæ careant. Quid porró ſi quæſtio aliqua nō à ſchola categoriarum, ſed é ſchola humani-

tatis, & cõmuni hominis & vita & prudentia ponatur? Si de Grammatica, Rhetorica, Logica ipſa, mathematicis, phyſicis, ethicis thema põnatur, utrùm Organicus magiſter, categoriarum ſuarum mentionẽ facere, an hiſcere omnino audebit? Quid ſi igitur de bello, de pace, de Republica, aut ejuſmodi ambigua re quæſtio ponatur, an categoriæ ad hanc explicandam quæſtionem adhibebuntur? At enim conſiderat deliberantis animus, non ſubſtantiam belli, quæ nulla eſt ad categoriarum legem, nec belli lineas aut ſuperficies aut binarios, ſed cauſſas, ſed eventa, ſed ſubjecta, ſed adjuncta, ſed oppoſita conſiderat, ſed diſſentanea nomina conjugationem & rationem diſquirit, comparat res omnium generum: rei partes intuetur: rem definiendo comprehendit: hominum judicia & teſtimonia, deliberando perpendit. Quamobrem omnibus rationibus & viis, ſeu ſpectes artem, ſeu conſideres artis uſum, agnoſces categoriis ea ipſa, quæ putabis, enuntiationum, ſyllogiſmorum inſtrumenta minimè ſuppeditari. Experti ſumus ætate noſtra quantæ contentiones in ſcholis fuerint, ut Alexandrinæ Grammaticæ barbariſmi & ſolœciſmi hominibus imbutis ea oſtenderentur: rationibus certè & argumentis probati & perſuaſi nõ ſunt. At cùm Virgilius, Cicero, Terentius in ſcholas inducti eſſent, & eorum hominum lingua, Alexandrinæ Grammaticæ tam diſsimilis audiretur, placuit aliam Grammaticam inſtitui, quæ illum puritatis & elegantiæ uſum & fructum doceret: Ita cùm poëtis, oratoribus, philoſophis, Logica demonſtrabitur, ut in illis Grammatica, eorumq́ue Logicorum logicus uſus tam diſsimilis hujus logicæ categoriæ cognoſcetur; tũ demum placebit aliam Logicam juventuti proponi, quæ pueros præſtantium & excellentium virorum, ſenúmque hominum more deliberare, judicare, diſceptare, ratiocinari: virtutem denique, ſenilémque mentem, in puerili tamen ætate comparare doceat. Eſt homo mortuus: ergo eſt homo: ſophiſma eſt, ut in logico Organo docet Ariſtoteles. At, inquam, Logica in commentariis & regulis ac præceptis poſita, Logica mortua eſt. Quid ita? quia ejus vita & anima, eſt uſus, quo ſcriptæ regulæ carent, quãtumlibet magnis clamoribus per nos agitatæ. Ita quanvis omnes regulas edidiceris, omnes memoriæ mandaveris, ſi nunquam in exemplis poëtarum, oratorum, philoſophorum exercuiſti: nunquam ſcribendo dicendoq́ue, ad eorum imitationem diſſerere, oratione vel perpetua vel conciſa conſueviſti, nunquam denique uſum adhibuiſti, libris & commentariis tuis nihilo κγμώτερος es: & quas regulas memoria & mente complecteris, libri illi paginis & foliis ſuis complectuntur: At uſum præſtare regularum ſuarum libri non poſſunt: itaque mortui ſunt. Tu præſtare non potes: memento itaque cùm Logicum te appellabis, unius honore verbi titulum tuum augere, téque Logicũ mortuum nominare. Iſta nimirùm captio eſt ſecundum opinionem, de qua Ariſtoteles viceſimo primo capite ſecũdi Priorum, de qua etiam primo primi Poſteriorum: quòd generalibus cognitis, poſſunt tamen ignorari ſingularia. Quare quicunque philoſophiam iſtam docetis, his monitis excitati, cogitate jam de uſu ſcholaſtico & exercitatione juventutis vobis commiſſæ, quæ doctrinæ præmia, quæ prudentiæ inſignia ex his categoriis capiatis: quem Ciceronẽ, quem Virgilium, quem philoſophum, quem liberalem & ingenuum ſcriptorem, his præceptis explicetis: quas ut dicitis, poſitiones ad Rhetoricum Ariſtotelis morem in ſchola declametis: Ariſtoteles enim vivus, ut antè dixi, diſcipulos ſuos in theſi ſic exercuit, ut nõ jejunè & aridè, ſed copioſè & ornatè dicerent: An in categoriis exercendis eam conſuetudinem tanti principis imitamini? Dixi antea in Porphyrio de uſu, & vos hîc ſentitis, quid urgeam. Utinam me uno feliciores hîc eſſetis: Nunquam in ſchola, & quidẽ in tot dierũ, tot menſiũ, tot annorũ clamoribus, ullũ de uſu categoriarum, verbum audivi: Credidi (quia diſcipulum Ariſtoteles credulum eſſe jubet) de categoriis non acriter admodum inquirẽdum, quid aut quamobrem diſcerentur, ſed tantùm diſputandum & clamandum: diſputavi pertinaciter, & vehementer clamavi: Credidi ſi theſim de categoria in ſchola poſitam defenderem, non eſſe adverſario,

etiam

etiam veriſsima dicenti cedendum, ſed contrà diſtinctionis alicujus captione totum clamorem conturbandum eſſe: ſin contrà ipſe oppugnarem, hoc unicé & ſingulariter agendum & enitendum, ut adverſarium non docerem, ſed ratione quavis, verâ an falſa, nihil intereſſet, vincerem: Sic inſtitutus & informatus eram. Hæc categorica ſcilicet pila nobis juvenibus erat propoſita, qua luderemus: quam amiſſam clamando repeteremus: quam acceptam nullo clamore nobis eripi pateremur: Id mihi perſuaſum erat, Logicæ ſummam in eo eſſe poſitam, ut de ea fortiter & animoſé clamando diſputaretur. Quando igitur aut quomodo, dicetis, his meliora videre cœpiſti? Dicam & aperté & libenter, ut ſi vobis eadem medicina prodeſſe poſsit, quæ mihi tam miſerabiliter affectio profuit, vos liberaliter utamini. Non diſputabo iſto loco, ut vos convincam, ſed candidé & ſimpliciter explicabo, quomodo tantis tenebris liberatus ſim. Cúm tres annos ſexq; menſes in philoſophia ſcholaſtica, ex Academiæ noſtræ legibus, poſuiſſem, logicis Organi libris cognoſcendis, diſputandis, meditandis (ex omnibus enim ariſtotelicis libris, logici præcipué toto triennii tempore clamantur & reclamantur) cúm, inquam, tempus illud ita traduxiſſem, & jam ut abſolutus artium ſcilicet magiſter, philoſophica laurea donatus eſſem, ſubducta ætatis meæ ratione, in ſcholaſticis artibus conſumptæ, conſideravi quibus in rebus logicæ Organi artes, quas antea tot clamoribus & ſudoribus didiceram, impoſterúm exercerem: Non in hiſtoria & antiquitate rerum prudentiorem: non in dicendo diſertiorem: non in poëſi promptiorem: non denique ulla in re, talibus logicis me ſapientiorem factum deprehendi. Hei miſero mihi, ut obſtupui, ut altê ingemui, ut me naturámque meam deploravi, ut infelici quodam miſeroq; fato, ut ingenio á muſis prorſus abhorrenti me natum eſſe judicavi, qui nullũ fructum ejus ſapientiæ, quæ tanta in illis logicis prædicaretur, percipere aut cernere tantis laboribus potuiſſem! Ne igitur omnino nihil agerem, tedii ad intermiſſa quadriennio jam anté ſtudia eloquentiæ, atque in iis, erudienda juventute me ipſum exercui: ita tamen, ut ad incluſam illam de ariſtotelicis logicis opinionem & perſuaſionem perpetuó reſpicerem: In omni enim poëtarũ & oratorum lectione vigilavi, laboravi: modis omnibus contendi, an fieri poſſet, ut logicos Organi libros ad aliquem eruditionis uſum revocarem. Dialecticæ diſtributionem in Cicerone & Quintiliano, de inventione & judicio legi: ſed legi magis ex more temporum noſtrorum (quæ de his præceptis tantúm diſputarent, uſum in his nullum quærerent) quám penitús cognovi: Nec ex illis authoribus id admodum percipere potui, cúm uterque inventionis magis varias artes, quám diſtinctũ uſum: neuter autem judicii doctrinam explicaret, ſed diſpoſitionis nomine multa congregaret: ut mihi viderentur eam partitionem potiús auditam recitare, quám perceptam penitus & cognitam declarare. Aliquot póſt annis cúm inſitus ille juvenilis perſuaſionis amor huc me perpetuó revocaret, Organo totum me denuó dedidi: diligenter obſervavi: publicé, ut majoris diligentiæ neceſsitatem mihi ipſi imponerem, explicavi: falſis etiam laudibus, quas tum veras arbitrabar, exornavi: Et quamvis nihil adhuc ſolidæ utilitatis tota compoſitione Logicorum librorum cernerem, deprehendi tamen aliquid in partibus quibuſdam. Quare non deſperavi: Imó veró omnes omnium libros, qui de hac arte editi eſſent, curioſè perveſtigavi: reperi multós & latiné & græcé conſcriptos: unum etiam hebraicè, ex recentioribus Hebræis. In quibus omnibus nihil niſi organicę hujus Logicæ contractas quaſdam ſententias reperiebam: viam, quæ ad uſum duceret, commodiorem non reperiebam: Pauci quidam nõnihil in partibus quibuſdam reprehendebant: ſummam tamen univerſæ confuſionis ſequebantur: nullum uſum (quod caput tamen rei fuerat) aperiebant. Vnus Agricola inter tot ſcriptores uſum humanitatis illum perſpexit. eóque logicam referendam docuit, ſed artis partem tantum explicavit. Agricolam plerique ut excellentem logicum laudarunt, logicam Agricolæ exercitationem in tota arte imitatus eſt quod ſciam, nemo. Incidi tan-

dem in Galeni librum de Decretis Hippocratis & Platonis: decreta Dialectica admiratus ſum: tum illud per mihi mirum fuit, quód in illa Dialecticæ laudis contentione, Galenus Hippocrati, quē ut deum quendam coleret: non Ariſtotelem, quem artis hujus inventorem & perfectórem credideram, ſed Platonem, tanquam in hac arte, philoſophorum omnium principem compararet. Sed tamen hac Hippocratis & Platonis comparatione non tam ſum ſatiatus, quám excitatus ad omnes Platonis dialogos, qui de Dialectica aliquid præciperent, perlegendum. Hîc, ut verū fatear, optatiſsimus mihi & gratiſsimus ſalutis portus fuit: Ex Socratis enim ſermonibus generalem illam rationis humanæ facultatem, percepi idem eſſe diſſerere & ratione uti: partitionem inventionis & diſpoſitionis, logicā eſſe cognovi: Sed præterea, quod omnium maximum fuit, vidi regulā artificioſæ methodi: tum varia variis locis de argumentorum generibus ſeria & utilia præcepta didici: Id etiam in Platone valdé probavi, & amavi, quód Socrates in falſis opinionibus refellendis, id unum maximé ſibi proponeret, ut eos, quos contra diſputaret, á ſenſibus opinionum, & teſtimoniis hominum avocaret, traduceretque ad æquitatem animi & libertatem judicii: quia philoſophis ſtultum eſſe cenſeret, hominum ſententiis, quæ plerunque fallaces eſſent & mendaces, potiús temere commoveri, quám rei cognitæ, & ex omnibus cauſsis perceptæ cōſtanter aſſentiri. Quid plura? cœpi egomet mecū (cum alio enim id mihi religioſum fuiſſet) ſic cogitare: Hem? quid vetat paulispēr συζητεῖν, & omiſſa ariſtotelica authoritate, quærere, veráne ſit & propria Dialecticæ hæc doctrina? Fortaſſe enim philoſophus iſte ſua nos authoritate decepit: ut mirum eſſe mihi diutiús non debeat, ſi fructum, qui nullus ineſſet, in iis libris non invenerim. Quid ſi commentitia ſit iſta doctrina? nónne fruſtra me torqueo & crucio, ut é ſterili & arido ſolo fruges capiam? Sed tamen Galeno magnas, Platoni majores, ſed Ariſtoteli ipſi maximas gratias habui & egi, cúm ex analyticis poſterioribus logica illa velut oracula de materia artis deq; forma artis deprompſiſſem. Itaque tanquā viva præſentis Ariſtotelis voce admonitus, omnia omnium artium documēta ad eam libram ponderanda & examinanda eſſe, ad Organi univerſi lectionē redii, ut cōſiderarē quomodo tam multa in logicam collecta decreta principiis illis ac legibus cōvenirent: Quæſivi primúm ex illa platonica categoricæ methodi regula ſummum Logicæ facultatis & generaliſsimum finem: definitionem primam, qua mihi definiretur ars bene diſſerendi, tam generaliter & latè, quám pateat illud, (uti ratione.) In logico Organo definitionē, repetito opere univerſo, nō reperi: commemini tum Dialecticæ partitionis de inventione & judicio, ſeu diſpoſitione. Et cúm tantam lucem, támque mentis humanæ in inveniendo & judicando propriam, ſtudioſius eſſem contemplatus & admiratus, ad organicam Logicam converſus obſtupui: chaos quoddam mihi videre viſus ſum: ſic inventionis diſpoſitionisq; partes inter ſe ſine definitionibus, ſine partitionibus, ſine popularibus & perſpicuis exemplis confuſas animadverti: ac tum cognovi me falſa ſcholaſticæ opinionis perſuaſione deceptū, Socraticumq; amorem methodi in Ariſtotele per magnum fuiſſe, ſed pari faſtu atque in Socrate fuerat, qui amatorem deſereret. Ignoſcite mihi, quicūque iſta auditis, ſi veré & ſimpliciter vobiſcum loquor: Quo me tū gaudio exultaſſe, qua lætitia affectum eſſe, qua animi voluptate perculſum creditis? Magnum enim ſapientiæ fundamētum mihi jactum exiſtimavi, quód tam craſſæ ignorationis caligine ſolutus eſſem: & me, quód ſcholaſtica ſophiſmata didiceram, nihil ſapientiæ conſecutum intelligerem. Siquidem rectè Horatius:

Virtus, eſt vitium fugere: & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe.——

Antea mihi videbar onus Aetna gravius ſuſtinere: Sic falſa perſuaſiōe vexabar, quod organicam Logicam & perfectiſsimam eſſe, & perfectiſsimé doceri, atque exerceri crederem: Et cúm ea tota cognita, & ſcholaſticis clamoribus vehementer clamata nullam vim Logicæ, nullúmque uſum percepiſſem, ingenio ad miſeriam damnato me natum arbitrabar: Itaque pro tanto tam gratæ liberationis munere, Deo Opt. Max. gratias immor-

immortales, nomine Galeni, Platonis, Ariſtotelis habui, quód eos mihi naucleros præbuiſſet, per quos ex tam longinqua jactatione, tot fluctibus, tot tempeſtatibus ereptus, tandem incolumis aut portum attingerē, aut certè propinquam terram aſpicerem. Ex eo autē tempore multos jam aſsiduos annos Dialecticam diſquiſitionem illam docēdo, omneſque definitiones ac partitiones ad Ariſtotelis leges revocando, tum in omnibus egregiis authoribus, meditando, ſcribendo, id eſt uſum, veræ artis parentem, magiſtrum, effectorem, arbitrū, hac planiore & apertiore via perſequor: Ac quāvis magnis temporum calamitatibus afflictus, majoribus hominum calumniis etiam vexatus, graviſsimis interdictis, quicquam de hac re aut docere aut ſcribere prohiberer: animo tamē & ſtudio inſtitutū tam ſanctū, tam Reipublicæ ſalutare, ac cōmunibus ſtudiis tam vehementer profuturum nunquā intermiſi: Aliquid quotidie non ſolùm ſtudium, ſed ætas, ſed tēpus, ſed ipſa rerum natura, ſed uſus denique demonſtrat, quod fuerat nobis occultū: & ſpero Dei Opt. Max. gratiâ aliquando futurum, ut quod tātis laboribus ac ſtudiis affectum perſequimur, perfectum atq; abſolutum gaudeamus: Habetis igitur, qui iſta voluiſtis, quemadmodū á ſcholaſticis tenebris, ad hanc doctrinæ lucē pervenerim. Nihil hîc diſputo vobiſcū: Imò verô ut ignoſcatis, oro, ſi vobiſcū nimiùm familiariter ago: ſi vos amicè moneo: ſi ſcholaſtici morbi medicinā, qua curatus ipſe ſum, vobis nō ſolùm libenter, ſed etiā liberaliter offero. Nec tamen volo categoriarū librū é manibus hominum, é bibliothecis magiſtrorum ejici. Varro, Priſcianus, Diomedes, Feſtus, Grāmaticæ diſcipulis in ſchola nō prælegūtur, ſed altercationibus & contentionibus omiſsis, veriſsima ex his & utiliſsima, id eſt catholica præcepta ſeliguntur & exprimuntur: Nomen eorum tamen Grammaticorum permanet. Sic in Logica faciamus de Categoriis: logicæ, artis catholica ſeligamus, logicā plenam & accuratā ex omnibus omniū generū decretis & exemplis inſtituamus, leges denique Ariſtotelis & principia præcipue teneamus, præcipueque excolamus: ſalutem artis & dignitatem totā ab iis repetamus: Libros veterum cōſervemus, & ad eos, cùm fuerit opus, recurramus: philoſophiamq; ex eorū libris collectam, puram veramq; doceamus.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER V.

in primum librum

de Interpretatione.

CAP. I. QUID SIT ἑρμηνεία.

CAtegorias ſequuntur in Organo logico libri περὶ ἑρμηνείας, de Interpretatiōe: ad hos cōſiderādos Ariſtotelis principia de materia artis, déque forma artis, adhibeamus. Græcis liber unus hîc eſt: tametſi Alexander Aphrodiſeus quarto Philoſophiæ libro videtur citare duos Ariſtotelis in hoc argumēto libros, unum de affirmatione, alterum de enuntiatione: Et latini interpretes vulgó duos libros hîc diſtinguunt: Duo igitur (nihil enim iſta res affert momenti) ſunto. Videntur autem poſt Analytica, Topica, Elenchos cōſcripti: quia hi duo libri, libros illos tanquam priùs ſcriptos citant: Imô veró videntur ex illis libris à recentiore aliquo collecti: Nam quæ ferè hîc traduntur, eadem in Analyticis, Topicis, Elenchis exponuntur, ut ſuis locis dicetur: Et doctrinæ plenioris gratiâ, lector ad illos libros remittitur: Deniq; ut categoremātis Porphyrii, ſic hujus magiſtri interpretatione, logica carere potuit: ſive fuerit alius author, qui poſtea ex alio collegerit, ſive fuerit idem, qui bis idem tradere voluerit. Nec idem videtur interpretationis, qui categoriarum, author eſſe: In categoriis, ſubſtantiæ divini & ſine potentia actus, in ſubſtantiarum genere nullæ ponuntur: At hîc appellantur non ſolùm ſubſtantiæ, ſed etiam primæ ſubſtantiæ. Sed tamen quando, aut à quo ſcriptus ſit liber, nihil intereſt. Titulus eſt περὶ ἑρμηνείας. Quid igitur eſt ἑρμηνεία: Quanvis in Topicis & Rhetoricis hoc verbum aliquando uſurpetur, attamen in toto hoc libro nuſquam eſt, nec quicquam ab eo conjugatum:

jugatum: tantùm abeſt, ut definiatur: Et videtur ab aliquo Organi logici ſtudioſo, pro titulo nomē hoc præſcriptū. Neque novum eſt, in Organo logico propoſitas res non definiri. Porphyrius titulum & caput libri ſui τὸ κατηγορούμενον non definivit: categoricus author, titulum & caput libri ſui, categoriam nō definivit: Sic operis hujus author, titulum & caput libri ſui non definit. Hoc novum non eſt in Organo logico, ſed uſitatum & ferè perpetuum. ἑρμηνεία igitur, ſymbolum & ſignum pro arbitrio poſitum, quo ſenſa mentis explicamus: Sic enim nomen, verbum, oratio, enuntiatio, ſymbola & ſigna ſecundum placitum videntur nominari. In hoc libro, & ἑρμηνεία (ſi author eſſet uſus hoc verbo) etiam nominata eſſet, quia his ſignis & notis ſenſa mētis interpretamur: Interpretationem, notationem, ſermonem, explicationem (quæ nominibus fit & verbis & oratione) ſignificat: Et ſic ἑρμηνεὺς, interpres: & ἑρμηνεύειν, interpretari dicitur: Atque hæc certè res eſt, quæ initio, tanquam libri totius materia proponitur, dicendum eſſe quid nomen, verbum, oratio, enuntiatio, affirmatio, negatio: Tametſi affirmatio & negatio poſſunt eſſe non ſymbola, ſed ipſa mentis ſenſa, quæ mox dicentur. Hæc vero ὁ περὶ ἑρμηνείας doctrina, primordia Grammaticæ de ſimplicium dictionum etymologia, déque earum ſyntaxi & oratione, complectitur: Nec alienum ſit credere ex Ariſtotelis ſchola deductā eſſe, cujus tempore nulla dum ejuſmodi Grammaticæ præcepta tradita fuerant: Veteres enim, quorum fuerunt Ariſtoteles quoque atque Theodectes (ait Quintilianus) verba modò & nomina & convinctiones tradiderunt: videlicet, quod in verbis vim ſermonis, in nominibus materiam: (quia alterū eſt quod loquimur, alterum de quo loquimur.) In convinctionibus autem complexum eſſe judicaverunt: Hæc Quintilianus libro primo, qui idem ait etymologiā, Grammaticæ partem, à Cicerone notationem dici, quia nomen ejus invenitur apud Ariſtotelem, ſymbolum. Titulus igitur operis, materiam operi propoſitā oſtendit τὴν ἑρμηνείαν artē videlicet, qua poſſumus ſenſa mentis & cogitata ſignificare alteri & explicare.

CAP. II. DE SYMBOLIS.

Sed hæc de titulo ſatis: Singula jam capita videamus & animadvertamus. Primo capite docetur animi ſenſa vel intelligentias, rerum ſimilitudines eſſe: Quę verò ſunt in voce, notas & ſigna ſenſorū mētis eſſe: ut ea quæ ſcribuntur, eorū quæ ſunt in voce: Senſa illa apud omnes eadem eſſe, ſymbola & ſigna non eadē. Quæ ut verè dicta ſunt, ita ſtudioſè ſunt animadvertenda. Senſa mentis, id eſt (ut Cicero loquitur) intelligentiæ viſiones, ſeu viſa per ſenſus in animis, ut Ariſtoteli placuit, formantur: Et ideo ſunt rerum ſimilitudines: Et ut res ubique ſunt eædem, ſic mentis ſenſa ſunt ubique eadem: Homo, quercus, lapis apud omnes gentes ſunt eadē, & de iis animo notiones conceptæ, ſunt eædem: Quæ veró proferūtur & ſcribuntur, ſymbola & ſigna tantùm ſunt, non ſimilitudines: Itaque non apud omnes eadem: ἄνθρωπος, δρῦς, λίθος: homo, arbor, lapis: *homme, arbre, pierre*: Atq; in aliis & aliis gētibus, lingua & ſermōe diverſis, alia ſubinde atq; alia ſunt: ſimilitudines enim non ſunt, ſed ſymbola tantùm & ſigna, pro hominum arbitrio, hoc vel illud ſignificantia: Nec dictio (homo) ex quatuor literis & duabus ſyllabis, rei, cujus ſymbolum & ſignum nobis eſt, imaginem, ſpeciem, ſimilitudinem ullā habet. Hoc dogma ratum nobis eſto, quo Dialecticæ & Grammaticæ lata differentia continetur, cùm illa tota ſit animi, eadémque apud omnes gentes: hæc tota ſymbolica, in voce & ſcriptura. Senſorum mentis conſiderationem rejicit author ſymbolicus ad doctrinam de Anima, & ſymbola tantùm ſibi videtur proponere. Si ſenſorum tractatio intelligatur, quomodo per ſenſus in animis noſtris, rerum ſimilitudines & notitiæ imprimantur, in libro de Anima proprius ejus locus fuerit. Si verò putes ideo omnia mentis ſenſa à logicis artibus eſſe aliena, vehementer errabis: Nam tota Logica, eſt intelligentia mentis, imò verò intelligentia intelligentiarum: hac enim cætera omnia percipiuntur & cognoſcuntur, & tota ſine ſymbolis interpretationis poteſt in animo conſiſtere: Longéque fecit elegantiùs & Logicæ convenientiùs author Analyticus, qui interpretationis mentionem nul-

lam

Iam fecit, ſed ſyllogiſmi geneſim & analyſim tribus terminis & propoſitionibus concluſit & terminavit: ad iſta grammatica nominum, verborum, orationis, ſymbola non deſcendit. Poſtremus eſt in primo capite locus animadvertendus, qui docet ſenſa & ſymbola, ſimiliter modò ſimplicia eſſe, ſine vero falſóve, modò compoſita & vera eſſe aut falſa. Qualis partitio fuit in categoriis, categorematum, aliorum ſecundum complexionem, aliorum ſine complexione: quorum illa neque verum, neque falſum ſignificarent, hæc autem ſignificarent: Verùm de hac doctrina jam diximus in categoriis, verum & falſum tranſcendentia eſſe, ut vulgus loquitur: ut ſimplicia ſenſa, nomina vera aut falſa dici poſſunt, ſi veræ ſunt ſimilitudines & notæ: & categoricus author ſic loquitur, cùm ait, Homo non homo: & ſimiliter, oppoſitorum alterū de quolibet eſſe verum, alterum falſum. Quare partitionem hanc de vero & non vero diſtinguamus, ut antea verū & falſum, generalia eſſe, & hìc ſpecialiter accipi pro vero, quod enūtiatione declaretur: cum ſcilicet eſſe, aut nō eſſe ſignificetur.

CAP. III. DE NOMINE *& verbo.*

Secundo & tertio capite ſimplicia ſimplicium ſenſorum ſymbola definiuntur, nomen & verbum: iiſdēq; capitibus antiphaſis, id eſt cōtradictio, per finitum & infinitum nomen & verbum indicatur: Contradictionē hìc appello generaliter, pro omni genere oppoſitionis, quæ fit affirmatione & negatione ejuſdem rei, ſicut Analytico ſecundo plurimis locis appellatur, ſicuti in eo libro copioſiùs intelligetur: ſed hanc contradictionem etiā exemplo & authoritate ſymbolici hujus authoris facio, qui in his, Iuſtus, non juſtus: homo, non homo, (nō) appellat negationem: Sic enim ait in capite de pronūtiatis infinitis ad illam pronuntiationem, Omnis nō homo non valet: cùm docet (nō) infinitionis notā, quæ dicitur, addendā ad (homo) nō ad (omnis:) Nō enim dicendum eſt, Non omnis homo: ſed negatio (non) homini adjungenda eſt: Ergo nō homo, non juſtus, & ſimilia infinita, quæ dicuntur, negāt quod homo, juſtus, affirmāt: Et quòd differetur poſtea, negationes nō eſſe, cùm eò pervenerimus, id quale ſit, æſtimabitur: Neque veró ſolùm negationes appellātur eo loco, ſed in capite de modificatis enuntiatis, poſsibile, nō poſsibile: cōtingens, nō contingēs: quæ iſta nomina finita & infinita ſunt, appellantur oppoſitæ dictiones, id eſt, ſi utare uno verbo, cōtradictiones. Quinetiā antiphaſis generaliter definitur pro omni affirmationis & negationis oppoſitione. Atque ubi ſpecies oppoſitionis tantùm eſt, res & veritas nulla eſt: tamen antiphaſis dicitur, ut poſtea patebit: Atque antiphaſis omnino propriè negationis oppoſitionē ſignificat: Et in hoc authore (phaſis) duobus locis idem eſt, quod κατάφασις, id eſt affirmatio: & φάναι καὶ ἀποφάναι opponuntur, pro eo quod latinè dicimus affirmare & negare: Sic φὰς καὶ ἀποφὰς, pro, affirmans & negans: & ſæpe in tota Ariſtotelis Philoſophia id genus ſermonis uſurpatur, ut φάσις, affirmatio; ἀντίφασις, contra affirmationem, nempe negātio: Sic enim ἀντὶ ſignificat aliquando cōtra, ſi cum alio componatur: Et author ſymbolicus in hoc libello locis decem & octo, antiphaſeos nomen pro quavis affirmationis & negationis oppoſitione ſic uſurpat: Quare cùm vocabula ſymbola ſint, & antiphaſis ſeu cōtradictio oppoſitionem ſignificet omnem, quæ fit affirmatione & negatione: ſignificet, inquam, vel in hujus doctoris oratione tam multis locis: cùmque negetur non ſolùm oratio, ſed orationis pars, in his certè finitis & infinitis vocabulis, (homo, non homo) quæ dicuntur, contradictionis ſpecies nobis erit: quod etiam categoricus author inter genera oppoſitorum rectè verèque ſtatuit: tametſi neque verè, neque rectè in his eſſe affirmationem & negationem negavit: Et lex eadem hìc adhibetur finiti & infiniti, ſeu nominis ſeu verbi, quæ in categoriis in illo genere oppoſitionis adhibita eſt: Illic enim docetur (homo, non homo) alterum ſemper eſſe verum, alterum falſum: hìc dicitur infinitum ſeu nomen, ſeu verbum in quolibet eſſe, & quod eſt, & quod non eſt: quia quod homo non eſt, ſit vel non ſit, id certè eſt non homo:

mo: Quamobrem ſpecies contradictionis hîc eſt eadem ſcilicet, quæ in categoriis fuit. Eſt tamen irridendum, quod ſcholaſticorũ vulgus hinc arripuit, nomina hęc negata, vel (ut Ariſt. loquitur) infinita eſſe neutra, ut Leo eſt crudele, non homo: & merito à Grammaticis irriſum: nec ſanè minus ridiculùm & ineptum, quód caſus nominum & verborum neque nomina dicantur, necꝙ verba. Hinc enim orta eſt ſtultitia neſcio quæ, primo Analytico reprehẽſa & damnata, tanquam obliquis caſibus nominum, enuntiatio ſyllogiſtica nulla fieret: ſicut Porphyrius & categoricus doctor categoremata & categorias dicuntur in ſimplicibus dictionibus collocaſſe, tanquam nullus fieret ſyllogiſmus, niſi ex ſimplicibus terminis: qui error veriſsimé refutatur Analytici primi capite triceſimo ſeptimo. At nõ fit ex obliquo caſu cum verbo (eſt) enuntiatio: Quid tum? an in enũtiatione obliquus caſus iccirco eſſe non poterit? Non dixeris, Romę eſt: at, Cicero eſt Rômę, dicere poteris: Nec ſequitur ſi caſus obliqui, totum ſubjectum facere non poſsint, ùt in parte aliqua enuntiationis eſſe non poſſint: ineptiæ iſtæ totam Logicam confuderunt.

CAP. IIII. DE ENUNtiatione.

QUarto capite, compoſitorum intellectuum compoſita ſymbola differuntur: Compoſiti autem intellectus ſunt ſententia, compoſitio, diviſio: quibus in voce & ſcriptura reſpondet oratio, quæ enuntiat, affirmat, negat. Sententia veró, generale nomen eſt, & hac in re magis logicum, quám oratio, item propoſitio, quæ nominatur in Analyticis perpetuó. Ergo hæc ſymbola declarantur hoc capite, & enuntiationi verum falſumꝙ tribuitur. De vero & falſo, quod hîc indicãti vel enuntianti orationi tãquam proprium tribuitur, dixi jam id omnium & intellectuum & ſymbolorum, & ſimplicium & compoſitorum commune eſſe. Atꝙ omnia hæc interpretationis ſymbola, de nomine, verbo, & oratione, ut utilia & neceſſaria eſſe concedo, ſic logicæ artis propria eſſe non concedo. Omnis diſciplina & omnis ars homogeneis & ejuſdem generis rebus efficitur, ut in Analyticis poſterioribus veriſsimé docetur: nomen, verbũ, oratio, totaꝙ ſymbolorum interpretatio & inventio, argumentum & compoſitio, in uno genere non comprehẽduntur: Non ſunt igitur unius artis. Talis error in Rhetoribus fuit, qui nunc eſt in logicis: quia non videbatur elocutio ſine puritate ſermonis eſſe, græciſmus græcis, latinitas latinis Rhetoribus, elocutionis Rhetoricæ pars facta eſt, quod tamen grammáticæ ſyntaxeos eſt: Et definire quid ſit nomen, verbum, oratio indicativi vel optativi modi, ut Grammatici loquuntur, Grammaticæ opus eſſe dico, non Logicæ: & à Grammaticis ea cognita huc adferri volo: Authoris tamen (qui primus fortaſſe Græciæ temporibus illis, cúm Grammatica adhuc nulla eſſet, iſta Grammaticæ initia aperuerit) diligentiam excuſabo: At jam repertis artibus & tot Grammaticæ & Logicæ præceptis & libris editis, ſuum cuique tribuito, nec in grammaticis logica, nec in logicis grammatica confundito: Catholica lex Ariſtotelis id vetat. Neque veró jam catholicum illud pharmacum (de quo in categoriis ſæpiús) expecto, quód alio fine doceantur hæc à Grammaticis, à Logicis alio: Grammaticis congruum, Logicis verum proponi. Etenim unicus eſt & perpetuus Grammaticæ finis: congruum iſtud (quod dicitur) id eſt bene loqui: & Dialecticæ finis eſt unicus & perpetuus, bene ratiocinari: Aliquando non diſſerimus ſolúm, nec ſolúm rerum intelligentias ſpeculamur, ſed etiam & voce & ſcripto loquimur, & Grammaticam argumenti, ſyllogiſmi, methodi, id eſt Logicæ ſignum & ſymbolum & interpretationem adhibemus: idꝙ cúm facimus, duarum artium opera conjungimus: eademꝙ oratio, quôd ſine barbariſmis & ſolœciſmis, nomine & verbo de oratione utatur, Grammaticæ virtus eſt: quod acuté inveniat, perſpicué diſponat & judicet, Dialecticę virtus eſt: Nec certé in nominibus & verbis & oratione quicquã niſi purum ſermonẽ: nec in argumento, propoſitione, ſyllogiſmo, methodo, quicquam niſi puram rationem ſpectamus: & quo argumento diceres nomina & verba eſſe Dialecti

cæ,

cæ, quia Dialecticus in differẽdo his utitur, ea ratione dicerem, definitionem, partitionem, & Logicam totam Grammaticæ eſſe, quia in Grammatica explicanda logicis illis utimur. Verùm inſtitutiones artiũ diſtinguamus: ſuas cuiq; arti regulas proprias, ſicut Ariſtoteles veriſsimè jubet, reddamus: vinculum commune quod habent, retineamus, id eſt uſum conjungamus: Id enim vinculum artium commune, non eſt in confuſione regularum, ſed in uſus conjunctione. Uſum igitur artium conjungamus: Imò verò unam & eandem nominis & verbi doctrinã in Grammatico & in hoc authore ſymbolico perſpiciamus. Sint omnia nomina & verba uno in loco confuſa, Grammatica doctrina puer inſtructus, logica iſta non inſtructus, ſingula diſtinguet: puer alius ignarus grammaticæ doctrinæ, logicæ hujus peritus, eadem omnino dignoſcet & diſcernet. At Ariſtoteles (inquies) primus iſta docuit, ut potiùs Grammatici ſumpſerint hæc à Dialecticis, quàm hi ab illis. Ego verò levitatis culpam deprecatus antea ſum, & hîc rurſus deprecor, qui nugas iſtas perſequar: ſed objiciuntur, & quod pejus eſt, creduntur: Itaque refellendæ ſunt. Dico igitur unica ratione, præcepta arti Dialecticę verè & propriè tribui, ſi logici luminis & uniuerſalis radii ſint: ſi vel inventionis ſint vel diſpoſitionis: ſi denique de omni, per ſe & primò inſint: At nomen & verbum nihil utriuslibet partis quicquam ſunt: Logicæ omnino, per ſe, primò non inſunt. Et quôd Ariſtoteles primus de nomine & verbo præceperit, quid quæſo concluditur ad Dialecticos iſta pertinere? An ſi Ariſtoteles primus in Dialectica de moribus, de numeris, de lineamẽtis quædam præcepiſſet, hæc eſſent propria dialecticæ doctrinæ, non ethicæ, non arithmeticæ, non geometriæ? Neque enim verum eſt, quicquid ab Ariſtotele in hac arte conturbatum ſit, id dialecticæ artis eſſe proprium: Cõtortum ſophiſma eſt: Finis artium ſuâ naturâ, & rerum ſibi ſubjectarum comprehenſione, non hominum inventione vel opinione terminandi ſunt. Si Euclides primus pharmacorũ genera confudiſſet, non ſequeretur, ea Geometriæ eſſe propria: At ignoranda hæc nõ ſunt: Fateor, ſed nec nominum declinationes, & verborum conjugationes futuris Dialecticis ignorandæ: An ideo jure docebis in Dialectica & declinare nomina, & conjugare verba? Sed quid iſta curioſiùs doceo, cùm id ipſum Ariſtoteles apertè doceat: Univerſi generis unius unus eſt ſenſus & una ſcientia: ut Grammatica una cùm ſit, omnes voces conſiderat, ex Ariſtotelis lege concludes ſecundo quarti Philoſophiæ: Ergo nomina verbáque interpretari, Grammaticæ proprium eſt, ait Ariſtoteles. Nunquamne intelligemus, aliud eſſe in arte non ignorari oportere, aliud in ea præcipi & inſtitui? In categoriis ſimiles errores fuerunt, de complexis, incõplexis: de ſubſtantia propria, communi: de quantitate, quantitatis generibus, vocabulis priùs, ſimul, habere: In hac interpretatione, ſimilis error adhuc eſt: Una eſt infinitæ confuſionis in Organi logici libris occaſio, quia prima Dialecticæ & definitio & partitio non proponitur, quia leges Ariſtotelis, de materia artis, de forma artis, non ſervantur: Idcóque tam multa conturbantur. Aliud eſt ratio, quæ dialecticis præceptis explicari debet, aliud eſt ſermo, qui nominibus fit & verbis, ut jam ſæpe docui: quãvis plerunque in eadẽ oratione, Grammaticæ uſus cum Logicæ uſu cõjungatur: Et quamvis ratio exprimatur ſermone & nominibus ac verbis, tamen tota in ſeſe eſt converſa: & cogitari res poſſunt atque judicari, ſine ullo ſermonis auxilio: Denique tota Logica, eſt mentis intelligentia, quod Analytici tertii capite octavo, ut jam citavi, dicitur: Non enim ad externum ſermonem demonſtratio, ſed ad animi rationem: quin neque ſyllogiſmus, & lumen hoc, apud omnes gentes & homines idem: interpretatio nominis, verbi, orationis, eſt ſymbolũ & ſignum, pro arbitrio hominum poſitum, in ſingulis gentibus varium: nunquam ferè idem & unum: Quare ſymbola iſta logicæ artis non ſunt.

CAP. V. DE CONTRADICTIONE, *& homonymia.*

DEinceps extremo quarto capite, itemq; quinto, ſexto, ſeptimo, octavo integris, logica diſputa-

tio

no eſt de contradictione, valdè contra catholicas Ariſtotelis leges cōfuſa. Contraria, unum uni opponuntur: ideóque ſi medio careant, communi rei alterum generaliter, alterum ſpecialiter vel propriè, utrumque attributum verum & falſum dividunt, & disjunctionem verā faciūt: Omnis homo eſt ſanus, vel aliquis homo eſt æger: Socrates eſt ſanus, vel eſt æger. Omnis homo videt, vel aliquis homo cæcus eſt: Socrates videt, vel Socratès cæcus eſt. Omnis homo ſapit, vel aliquis homo nō ſapit: Socrates ſapit, uel Socrates non ſapit: Et ſi unum horum eſt, reliquum non poteſt ſimul eſſe: & tamen alterutrū eſſe neceſſe eſt: Ergo contrariorum medio carennum commune eſt, verum & falſum dividere, ſi communi rei alterum generaliter, alterum ſpecialiter, vel propriè utrumque attribuatur: Sin communi rei utrumque generaliter attribuatur, non eſt neceſſe: ut, Omnis homo eſt ſanus: omnis homo eſt æger Omnis homo videt: omnis homo cacus eſt. Omnis homo ſapit: nullus homo ſapit: Utraque pars poteſt eſſe falſa. Hanc doctrinam generalem, & contrariorum omnium medio carentiū communem ſymbolicus hic author in una ſpecie, id eſt in affirmationis & negationis oppoſitione conſtituit. At generalia generaliter, non ſpecialiter, ait catholica lex Ariſtotelis, docenda ſunt: ſeciùs ſophiſtica & nugatoria doctrina eſt, ait Ariſtoteles Ergo partis hujus talis doctrina in Interpretatione, ſophiſtica eſt. Atque hor in rebus eſt peccatum: In verbis autem etiam illud: propoſitiones generaliter contradicentes (ut, Omnis homo ſapit, nullus homo ſapit:) dicuntur *ἐναντίαι*, id eſt adverſæ: At nomen adverſorum jam oppoſitis aliis ut (ſanus, æger) eſt attributum: Et dum unum ſymbolū, rebus diverſis attribuimus, doctrina turbatur: Sed id eſt huic philoſopho quotidianū: Ergo cùm generaliter efferentur contraria, etiam medio carennia vel adverſa vel privantia vel contradicentia, ut, Omnis homo eſt ſanus, omnis homo eſt æger: Omnis homo videt, omnis homo cæcus eſt: Omnis homo ſapit, nullus homo ſapit: attributa quidem ipſa ſunt adverſa, privantia, cōtradicentia: & propoſitiones (ſi lubet ſic appellare) adverſæ privantes, contradicentes: nec tamen verum & falſum dividunt. Poſtremò iſta veri & falſi neceſſaria diviſio, ſpeciem enuntiationis propriè nobis inſinuat: de qua tamen ſymbolicus author nullam mētionem facit: Et in ea fuerat proprius locus de hac veri falſiq; diviſione præcipiendi, ut in dialectica noſtra fecimus: non autem cùm de contradictione ageretur, quæ inventionis, nō diſpoſitionis pars eſt. Neq; enim eò jam redeamus, quòd alia ſit rei, alia enuntiationis contradictio. Nam ut in propoſitionis attributò relatum, adverſum, privans, ſic contradicens cōſideratur: Simplex illa conſideratio eſt inventionis, ut dixi, non diſpoſitionis propria. Diviſio veri & falſi, cōfuſionis hujus occaſionem præbuit: Tollatur confuſio, doctrina vera diſtinguatur: de contradicentibus, ut de cæteris cōtrariis, in inventione præcipiatur: neceſſaria veri falſiq; diviſio, id eſt disjūctio in diſpoſitione & enuntiatione ſua doceatur. Notabis tamē interea, ſimplicis propoſitionis genera & uniuerſale & particulare, tum propriū: Infinitum autem, quod interponitur, ridiculū eſt: Nam cùm ſic infinitè proponitur aliquid, Homo eſt animal: ſenſus generalis aut ſpecialis accipitur: medius & infinitus, qui fingitur, nullus eſt intellectus: Atque hæc infinitio, quæ Ariſtoteli dicitur, homonymia fuerit: & ſenſus ambiguitas, quæ ab Ariſtotele meritò inter vitia numeratur. Quare virtutes à vitiis diſtinguamus. De contradictione cōpoſitæ enuntiationis, ut de ipſa cōpoſita enuntiatione, nominatim nil præcipitur in hoc opere: quod tamen pendet ex ſola cōtradictionis definitione, nempe ſi conjunctè negetur, quod conjunctè fuerat affirmatum, negatióque toti enuntiationi præponatur: ut,

Si homo eſt, animal eſt:
Non ſi homo eſt, animal eſt.
Aut dies eſt, aut nox eſt:
Non aut dies eſt, aut nox eſt.

Duo verò genera oppoſitionis præterea opinione neſcio qua irrepſerūt, ſubcontrariarum: ut,

Aliquis homo ambulat:
Aliquis homo non ambulat:

& ſubalternarum: ut,

Omnis homo ambulat:
Aliquis homo ambulat.

Nullus

Nullus homo ambulat:

Aliquis homo non ambulat.

De ſubcontrariis potuit ex hoc libro aliqua ratio concipi: quæ tametſi non exprimuntur nominatim, nec appellantur ſubcontrariæ, ut appellantur adverſæ & contradicentes, tamen tribus locis nomine contradictionis cōprehenduntur: bis in capite de legibus oppoſitionum, & iterū in capite de futuro contingenti: Et octavo capite ſecundi Analytici, alicui & non alicui ineſſe, appellatur adverſum: de Analytico poſtea dicam: Certé contradictionis nomen hîc per abuſionem ſumitur: nec definitio in hoc libro poſita poteſt convenire: Etenim definitio cōtradictionis repetatur, & intelligatur ejuſdem rei affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem: ejuſdem numero, & de eodem, numero, ut Ariſtoteles in Topicis loquitur: Nam res eadem genere & ſpecie negari & affirmari poteſt, ut tamen nulla ſit contradictio: ut,

Omnis bos eſt quadrupes:

Nullus equus eſt bipes:

Bos & equus, genere ſunt idem: quadrupes & bipes, genere ſunt idem: Item,

Hic homo, eſt Socrates:

Ille homo, non eſt Plato:

Specie affirmatur & negatur idem, & tamen contradictio non eſt, & in neutro exemplo eſt. Quapropter ut contradictio ſit, neceſſe eſt eandem rem numero, de eadem re numero negari & affirmari: Et genus ſibi generaliter oppoſitum, ideo contradictionem facit, quia res eadem numero, ſub eo comprehenſæ, affirmantur & negātur: & idem ſumptum ſpecialiter, ſibi generaliter ſumpto oppoſitum, ideo contradictionem facit, quia ex his quæ genere continentur, aliquid idem numero negatur, quod illic affirmatum erat, aut contrá. Diſceptemus igitur poſitam quæſtionem, hac definitione:

Omnis contradictio, idem numero affirmat & negat:

Subcontrarietas (ut ita dicam) non affirmat & negat idem numero:

Etenim veræ ſimul eſſe poſsūt, ut in hoc libro docetur, etiamſi infinitæ ſint: ut,

Homo eſt albus:

Homo non eſt albus:

Nec enim idem putatur ſignificari hoc enuntiationis genere, atque univerſalibus ſignificaretur:

Omnis homo eſt albus:

Nullus homo eſt albus:

ut etiam docetur in hoc libro, quamvis inepté: Quare hîc nulla eſt cōtradictio, & contradictionis verbum κατακρηστικῶς in his aſſumptum eſt, ut dixi. Atque illud omnino reprehendēdum eſt, quód dicitur infinitum non idem ſignificare, quod univerſale enuntiatum: Sic enim artes omnes loquuntur: ſic omnes homines communibus vocabulis utūtur: At ſi quando commune nomen ſpecialiter, vel de uno certo intelligatur, ſynecdoche, tropus rhetoricus id efficit. Nec veró fuerit audiendū, quod neſcio quis attulerit in his enuntiatis.

(Aliquis homo ambulat:

Aliquis homo non ambulat.)

eandem rem numero affirmari & negari: nempe de nomine (homo) verbum (ambulat) & affirmari & negari: Etenim valdé abſurda ſit iſta captio: Vocabula enim, ſymbola ſunt & ſigna tantúm, nec ex ſeſe faciunt contradictionem: ſed res ſymbolis ſignificatæ, & orationis qualitas pendet é rerum qualitate, ut primo capite dictū eſt, & rurſus deinceps octavo docebitur: Si autem pars utraque vera ſit, ut eſſe poteſt, nequaquam res eadem numero in utraque parte affirmatur & negatur: Quare nec contradictio erit. Et certé in hoc genere interpretationis, partitio rerum eſt, non oppoſitio: perinde ac ſi diceretur, Hominum alius ambulat, alius non ambulat. Et hoc eſt fortaſſe quod Interpretationis author dicere videtur, cúm diſputat uni affirmationi negationem unam opponi: ſecús enuntiationes tales non oppoſitas, ſed diverſas eſſe. Nec veró diutiús nobis eſt in hac diſceptatione commorandum, quaſi dubia vel incerta, cúm tribus poſtea locis author ipſe ſeipſum plané explicet, & poſita lege ſententiam ſuam de toto oppoſitionis & contradictionis genere manifeſté declaret: Veruntamen ait in modificatis, impoſſibile de eodem veras eſſe oppoſitas affirmationes & negationes. Et rurſus ibidem: Nunquam in eodem ſimul erunt veræ: opponuntur enim. Item ibidem, cúm diſputat hujus enuntiationis, Neceſſe nō eſſe, negationem non eſſe, Non

neceſſe eſt eſſe: ait, Cōtingit enim utrumque de eodem verum eſſe, Analytici primi capite duodecimo. hoc etiam ſecundo: De omni enim aut affirmatio aut negatio: Sed Analytici ſecundi capite decimo quintò, tota controverſia hæc dirimitur, ubi docetur hoc genere,

Aliquis ambulat:
Aliquis non ambulat:

non revera, ſed verbis duntaxat opponi: & ſic oppoſitio dicatur, quo modo homo pictus, homo diceretur. Quamobrem ſymbolicus author oppoſitas eſſe nō vult ſubcontrarias, quæ appellantur: & contra ejus opinionem atque ſententiā, in ſcholas hæc oppoſitionis ſpecies inducta eſt: nec authoris ſententia, ex perverſo aliquo & κατακεχρημένῳ arrepto ſymbolo comminiſcēda eſt potius, quàm ex tot & tam manifeſtis, tamque veris locis æſtimanda: ac denique in ambiguis rebus verior & utilior pars optāda ac probanda eſt. Stultè aut malitioſè facit, qui in authore explicando, ſi cùm verborum ambiguitas, duas ſententias oſtenderit, deteriorem ſequatur. Quamobrem tollantur è genere enuntiationū oppoſitarum ſubcontrariæ: ſubalternæ verò multò juſtiore ratione tollantur, quia ſunt ambæ affirmationes, vel ambæ negationes: & quidem ſpecialis generali conſequens & conſentanea: tantùm abeſt ut ſit oppoſita: ut,

Omnis homo albus eſt:
Aliquis igitur homo albus eſt.
Nullus homo albus eſt:
Igitur aliquis homo albus non eſt.

Septimo capite enunciatio una & multiplex, id eſt ambigua tractatur: Homonymiā jam monuimus in Categoriis, grāmaticum vitium eſſe, & ambiguæ dictionis vel vitioſæ, ſyntaxis occaſione accidere: nec præceptum idem ſæpiùs in artis explicatione repetendum & perturbandum: Homonymia verò in Categoriis, & pauló pòſt iterum in hoc libro, in Analyticis, In Topicis & Elēchis iteratur: tautologia iſta fugiēda eſt: una de re, ut lex Ariſtotelis jubet, una præceptio ponenda eſt. Sed tamen contradictio partim generaliter, partim ſpecialiter communi rei, vel utrinque propriæ attributa, veri falſique diviſio & diſjunctio neceſſaria eſt.

CAP. VI. DE MODO CONtradictionis in futuris contingentibus.

Quomodo vera falſaque contradictio dicatur, toto capite proximo diſſeritur: Docuimus in Dialectica noſtra conſtantis diſjunctionis è contradicentibus partem veram, partem falſam jam nobis eſſe, aut certè per naturam eſſe poſſe: ſic ut dici poſsit, illa vera eſt, illa eſt falſa: exceptis contingentibus futuris, quorum veritas falſitaſq; neq; ſit, neq; admodùm per naturam eſſe poſsit nobis manifeſta, quāvis omni tēpore Deo certa manifeſtaq; ſit: Ariſtotelis tamē in hoc capite litera pauló ſecùs loqui videtur, cōtradictionis in futuro cōtingenti partē neutrā jam verā aut falſam eſſe: quāvis vera aut falſa futura ſit, at nōdū tamē eſſe: nec ait hominibus nōdū verā, Deo jam verā, ſed omnino nōdū eſſe verā. Caput hoc totū difficillimū & obſcuriſsimū eſt: non doctrinæ ſed doctoris vitio, qui quā aliis pollicetur interpretationē, ipſe ſibi præſtare nō poteſt. Verba doctoris integra cōſtituā, ſicut in Græco ſunt, neq; de meo quicquā addā: nec elegātiorē latinè hūc magiſtrū faciā, quàm græcè eſſe voluit.

In his igitur quæ ſunt, et quæ facta ſunt, neceſſe affirmationē vel negationē verā, vel falſam eſſe. Atq; in univerſalibus quidē ſemper hanc quidem verā, illā verò falſam eſſe: et in ſingularibus quēadmodum dictū eſt: in univerſalibus autē nō univerſaliter dictis non neceſſe: Dictum verò eſt & de iis: in ſingularibus autē & futuris nō ſimiliter.

Hæc ꝓpoſitio diſputationis eſt obſcura valdè: Quid enim ſignificat univerſalib⁹ univerſaliter? An nō hæ (Omnis homo eſt juſtus, Null⁹ homo eſt juſtus) appellatæ ſunt antea univerſaliter univerſales? Dices ſpecialē cōtradictionē hîc intelligēdā eſſe: ut, Omnis homo eſt juſt⁹, Aliquis homo non eſt juſtus: Cupio, inquam, id intelligi, ſed aliud intelligam, quàm erit ſymbolis hujus doctoris mihi ſignificatum: Deinde cur in ſingularibus dicitur? nōne diſputatur etiā de illis univerſalibus univerſaliter? Nā id in ſequentibus nominatim erit: Poſtremò nonne futura quædā neceſſaria ſunt? Dices per ſingularia illa univerſaliter univerſalia ſimiliter ſignificari, & per futurū, ſignificari futurū cōtingens. Audio, inquā: At tua iſta interpretatio erit, tua hæc erunt ſymbola: doctoris hujus hæc inter-

interpretatio non erit, ſymbola hæc nō erunt: & iſta docendi licentia, nihil iam perverſe dici poterit, quod non poſsis recte dictum profiteri. Dixeris beſtiam, animal eſſe rationale: deinde redargutus dicas te nomine beſtiæ, hominem intelligere: At veró id non eſt ſymbolis & ſignis ſenſa mentis interpretari, ſed auditorem fallere, quem, aliud quàm verbis exprimis, velis intelligere. Ego ſi iſto interpretationis genere, ſi talibus ſymbolis uterer in hoc tractando authore, excuſarer credo, ac non ut fatuus & malitioſus accuſarer. Sed perge: diſsimilitudinem quandam cōtradictionis pro ratione temporū videtur hic magiſter proponere, ut neceſſe ſit præſentis & præteriti affirmationem vel negationem jam veram eſſe, vel falſam: futuri non item. Neceſsitatem hāc interpretor, ut poſteà doctor ipſe interpretatur, ex disjunctionis neceſsitate, quamvis partium nulla ſit neceſsitas. ut, Neceſſe eſt cras naumachiam fore vel non fore: Disjunctio hæc eſt neceſſaria, quamvis hæc enuntiatio, Naumachia cras erit, non eſt neceſſaria: Hæc item, Naumachia non erit cras, neceſſaria non eſt, ut doctor ipſe poſteà docebit. Denique quamvis nominatim nō exprimitur, tamen videtur hic magiſter significare, ut ex cōcluſione capitis conjicere licet, præteritæ, & præſentis rei contradictionē altera parte jā verā eſſe, alterā jā falſam: Divinandū enim eſt: tam diſertæ interpretatiōis interpres ſenſa ſua interpretatur: Ergo diſsimilitudinis propoſitione poſita, quòd præteriti & præſentis affirmatio jā vera ſit aut falſa, reddītio ſequitur, in futuro cōtingēti ſimile non eſſe, q̄a ſi vera jā eſſet affirmatio vel negatio futuri contingētis, etiā eſſet neceſſaria. Hic enim ſyllogiſmus texitur:

Si contingens futurum jam verum eſſet, eſſet quoq; neceſſarium:
Non eſt neceſſarium:
Non igitur jam verum. Verba ſunt Ariſtotelis:

Nam ſi omnis affirmatio vel negatio aut vera aut falſa, & omne neceſſe eſſe aut non eſſe: Si enim hic dixerit fore aliquid, ille veró nō dixerit idem hoc: manifeſtum quód neceſſe verum dicere alterum ipſorum, ſi omnis affirmatio vel negatio vera aut falſa: utraq; enim non erunt ſimul in talibus. Nam ſi verum dicere, quod album, aut quod non album: neceſſe eſſe album, vel non album: & ſi eſt album vel non album, verum erat affirmare vel negare: & ſi non eſt, falſum dicit: & ſi falſum dicit, non eſt: itaq; neceſſe ſemper affirmationem aut negationem veram eſſe aut falſam.

Propoſitio hujus ſyllogiſmi adhuc eſt ſimilitudine præſentis utrinque explicata, quód ex vero ſequatur neceſſarium, & enuntiationis reique veritas cum neceſsitate reciprocetur: ut ſi vera eſt enuntiatio (eſt album) neceſſe eſt id ipſum album eſſe: & ſi album eſt, vera eſt enuntiatio: Atque in ejuſmodi pronuntiatis neceſſe ſit ſemper affirmationem vel negationem veram eſſe vel falſam: ubi videmus neceſsitatem conditionalē non abſolutā accipi: Additur tamen illuſtratio propoſitionis é cōtrario neceſsitatis abſolutæ, non autē conditionalis: Si neceſſarium ſit, non erit fortuitū, nō utrumlibet, non contingens: Deniq; quod eſſe poſsit, & non eſſe. Verba ſunt doctoris:

Nihil igitur neq; eſt, neq; fit, neque á fortuna, neque utrumlibet, neq; erit vel non erit, ſed ex neceſsitate omnia & non utrumlibet: Aut enim affirmans, verum dicet aut negans: Similiter enim fieret vel non fieret: Quod enim utrumlibet, nihiló magis ſic vel non ſic ſe habet vel habebit.

Hîc notabis utrūlibet quod ſit, quod jam neq; verum, neq; falſum: imó non magis verum, quàm falſum: Analyticῶ primi capite duodecimo appellatur cōtingens incertum. Sed hæc propoſitionis eſt illuſtratio captioſa, & quæ nos homonymia verbi fallit: Propoſitum enim erat neceſſariū cōditionale, quod contingenti non neceſſe eſt repugnare: Socrates diſputat, propoſitio eſt contingens: & eadem ſi vera ponatur, cōditionali neceſsitate neceſſaria, quia quod eſt, quādo eſt, neceſſe eſt eſſe: Propoſitionis igitur illuſtratio hæc captioſa eſt. Sequitur ſorites quinq; graduum ad eandem propoſitionis confirmationem:

Tum veró ſi nunc eſt album, verum erat dicere priùs, quód erit album: Quare ſemper verum fuit dicere, quodlibet eorum quæ fiūt, quod eſt vel erit: Si autē ſemper verum fuit, quod eſt vel erit, non poteſt id non eſſe, neq; nō fore: Quod autem non poteſt nō fieri, impoßibile nō fieri: quod veró impoßibile non fieri, neceſſe fieri: Omnia igitur futura neceſſe fieri: nihil igitur utrumlibet, neq; á fortuna erit: Nam ſi á fortuna, non ex neceßitate.

Adhuc verba ſymbolici ſunt magiſtri, ubi ſorites eſt quinq; gradibus contextus: Veri, ſemper veri, non poſsibilis,

non, impoſsibilis nō, neceſſarij: ex quorum primo cōcluditur extremū. Si quis igitur, quia Socrates nūc eſt albus, ideo putaret hāc prædictionem, Socrates erit albus, jam tum, cúm prædicebatur, fuiſſe veram, adverſus hunc Ariſtoteles hoc ſorite concludit: Si verū fuit, ſemper verum fuit: Si ſemper verum, nō poteſt id non eſſe, neq; non fore: Quod autē non poteſt non fieri, neceſſe eſt fieri: Quapropter ut è primo ſequatur extremū, ſi verum fuit, fuit etiā neceſſarium. At in hoc ſorite ſecūdus gradus captioſus eſt: nec enim ſequitur, ſi ab æterno contingētis futuri pronuntiatio vera ſit, ut ſit immutabilis: non enim omne verū immutabile, ſed veritas alia immutabilis, alia contingens. Et hîc Ariſtoteles quinto gradu neceſſarium abſolutum ſumit, cúm propoſuiſſet cōditionale: Sorites igitur dupliciter eſt captioſus, & in conſequentia ſecūdi gradus & quinti, falſa aſſumptione. Deinceps prolepſis illa rejicitur, qua diceretur neutram partem fore, ut Anaxagoras jam dicere viſus eſt: Nā tametſi videatur hic author neutram partē contradictionis in futuro contingenti jam veram vel falſam confirmare, tamē non affirmat neutram fore: Verba ejus ſunt:

At veró neq; quód neutrum verum contingit dicere, ut quód neque erit, neque non erit: Primum enim cùm fuerit affirmatio falſa, negatio non vera eſſet: & cùm hæc falſa fuerit, contingeret affirmationem nō veram eſſe: Præterea ſi verum erat dicere, quód album ſimul et nigrū, oportet utrumque eſſe ſi veró erit cras, oportet fore cras: ſi autem neq; erit, neq; non erit, cras non fuerit utrumlibet, ut naumachiam: oportet enim neq; fieri naumachiam, neque non fieri.

Adhuc ſymbolicus author prolepſim de neutra parte vera veré rejicit ac refellit: Deinde revertitur ad illa neceſsitatis abſurda conſequentia, & ſic ait:

Contingentia igitur abſurda hæc & hujuſmodi alia, ſiquidem omnis affirmationis & negationis vel in univerſalibus univerſaliter, vel in ſingularibus neceſſe eſt oppoſitarum eſſe hanc quidē veram, illam autē falſam: Nihil autem utrumlibet eſſe in his, quæ fiunt, ſed omnia eſſe & fieri ex neceſsitate. Quare neque deliberare oportuerit, neque negotiari: Nam ſi hoc fecerimus, erit hoc: ſi veró non hoc, non erit hoc: Nihil enim prohibet & in annum decies milleſimum affirmare hunc fore, illum veró negare: Itaq; ex neceſsitate erit: Quare quodlibet eorum verum erat dicere tunc.

Abſurda conſequētia hæc ſunt, Si neceſſarium, nil fortuitum, nil utrumlibet: neque deliberare, neque negotiari oportebit: Vbi ſimilis eſt homonymia: Non enim ſequitur, Eſt neceſſarium conditionale, Non igitur fortuitum, nō igitur liberum: Ariſtoteles neceſsitatem conditionalem propoſuit: Interpretatur abſolutam, & auditorem fallit. Deinde objicitur: At contradictio nulla dicet: id enim poteſt objici, ne propterea futuri veritas impediatur: At nihil refert, ait Ariſtoteles, utrúm quis cōtradictionem dixerit: veritatem quippe rerum non facit oratio vera, ſed orationem veram, rerum veritas efficit. Verba ſunt doctoris:

Veruntamē nec hoc differt, ſi qui dixerint contradictionem vel non dixerint: Manifeſtum enim, quód ſic ſe res habent, etiamſi non hic quidem affirmaverit aliquid, ille veró negaverit: Neq; enim ob id ipſum, quod affirmaveris aut negaveris, erit aut non erit: nec in decies milleſimum annum magis, quám in quantolibet tempore.

Hæc refutatio vera eſt. Revertitur doctor ad neceſsitatis ex vero conſecutionem. Verba ejus ſunt:

Quare ſi in omni tempore ita res habebat, ut alterum verum diceretur, neceſſe erat hoc fieri: & unumquodque eorum, quæ fiunt, ſemper ita ſe habebat, ut ex neceſsitate fieret: Si enim veré quis dixit, quód erit, non poteſt non fieri: & quod factum eſt, verum erat dicere ſemper, quód erit.

Hactenus propoſitio & propoſitionis explanatio, qua doctor ſymbolicus omnibus rationibus ac modis connexum illud probare contendit: Si jam verum pronūtiatur aliquid futurum, id etiam neceſſarium fore. Deinde accedit ad aſſumptionem, conſequenſque removet, neceſſariumq; non eſſe diſputat ex illis neceſsitatis contrariis, quæ priús adhibita ſunt, quia multa partim ex humanis cōſiliis & actionibus, partim ex ipſa rerum varia & mutabili natura. Verba doctoris ſunt:

At certè hæc impoſsibilia ſunt: Videmus enim quód eſt principium futurorū á deliberatione & alicujus rei actione: et quód omnino eſt in iis, quæ non ſemper actu ſunt, poſsibile eſſe & nō eſſe ſimiliter: In quibus utrumq; contingit & eſſe & non eſſe: itaque etiam fieri, & non fieri: ac multa nobis manifeſta ſunt, quæ ſic ſe habeant: ut quód hanc veſtem poſsibile eſt diſcindi, et nō diſcindetur, ſed priús conteretur ipſa: Similiter autē, et non diſcindi poſsibile: Non enim liceret ipſam priús conteri,

niſi

niſi poßibile eſſet non diſcindi: Quare & in aliis rerum eventis, quæ ſecundum hujuſmodi potentiam dicitur. Manifeſtum igitur, quód non omnia ex neceßitate neque ſunt, neq; fiunt, ſed alia utrumlibet: & nihiló magis affirmatio vel negatio erat vera vel falſa: alia veró magis quidẽ, & frequentiùs alterum: Sed tamen contingit fieri & alterum, alterum veró minimè.

Hîc homonymia eadẽ, quæ priùs: propoſitum erat cõditionale neceſſarium, removetur abſolutum: aliud datum eſt, aliud repetitur: Fallacia eſt. Tertiá prolepſis interponitur, de contradictionis neceſsitate: quæ ſimilitudine declaratur, quomodo non abſoluta, ſed ex conditione quadam: quemadmodũ dicitur, Neceſſe eſt quod eſt, quãdo eſt eſſe, non tamen ut jam veram partem eſſe neceſſe ſit, partem jam falſam, ſic ut diviſis partibus dici poſsit, hæc verà eſt, illa falſa: Similitudo Ariſtotelis parum cõvenit. In Dialectica docuimus neceſsitatẽ diſjunctionis é partium nõ neceſsitate, ſed neceſſaria oppoſitione pendère: & diſjunctionem ſic inſtitutam, abſoluté neceſſariam eſſe, non autem ex conditione, ut hîc Ariſtoteles fingit. Verba tamẽ ſunt doctoris:

Igitur eſſe quod eſt, quando ſit, & nõ eſſe quod non eſt, quando non ſit, neceſſe: Non tamen omne quod eſt, neceſſe eſſe: neq; quod non eſt, neceſſe nõ eſſe: Non enim idem eſt, omne quod eſt, eſſe ex neceßitate, quando eſt & ſimpliciter eſſe ex neceßitate. Similiter autem & in eo quod nôn eſt, & in contradictione eadem ratio eſt: eſſe quidẽ vel non eſſe omne neceſſe eſt, & futurũ eſſe vel non: nõ tamen dividẽtem dicere alterum neceſſarium. Dico autẽ ut neceſſe quidem fore naumachiam cras, vel nõ fore: non tamẽ fore cras naumachiam neceſſe, neq; non fore: fore tamen aut non fore neceſſariũ.

Adhuc ſymbolicus author, quamvis argumento ſimilitudinis non ſatis accurato, diſjunctionis neceſsitatem nobis expoſuit, meminerimus tamẽ, ut in Dialectica docuimus, quomodo abſoluté vera diſjunctio, ſit etiam neceſſaria. Poſtremó ſyllogiſmus Ariſtotelis judiciũque cõcluditur, quód in futuris contingentibus, contradictionis nõ jam pars vera, pars falſa ſit: & veritas rerum cum orationis veritate rurſus comparatur. Verba ſunt:

Quare cùm ſimiliter orationes veræ ſunt, perinde atq; res, planum quód quæcunq; ſic ſe habent, ut utrumlibet ſint, contrariaque ſuſcipiant, neceſſe ſimiliter habere & cõtradictionem, quod contingit in his quæ non ſemper ſunt, vel non ſemper non ſunt: Nam ſemper in his neceſſe alteram contradictionis partem veram eſſe vel falſam: nõ tamen hanc vel illã, ſed utrumlibet: & magis quidem veram alteram: Non tamen jam veram vel falſam. Quare manifeſtum quód non neceſſe omnis affirmationis & negationis oppoſitarum, hãc quidem veram, illam autem falſam eſſe: Non enim quemadmodum in his quæ ſunt, ſic ſe res habet in iis quæ non ſunt: poſſunt tamen eſſe vel non eſſe, ſed quemadmodum dictum eſt.

Hic diſputationis univerſæ ſyllogiſmus eſt:

Si contingens futurum jam verum eſt, eſt etiam neceſſarium:
Non eſt autem neceſſarium:
Non igitur jam verum. Cujus propoſitio conſideranda diligenter eſt: eſt enim valdê præceps & lubrica. Categoriæ nobis nullum Deum relinquere videbantur. Interpretatio iſta ne nullam Deo rerum futurarum præſenſionem relinquat, eſt animadvertendum: Nam ſi quia verum eſt aliquid fore, ideo protinus eſt etiam neceſſarium, videbitur impius ille Ciceronis & Carneadis ſorites (contra quem nos in Fato Ciceronis) à D. Auguſtino damnatus, revocari & cõfirmari: Carneadiſque & ſymbolici magiſtri argumentum unum eſſe: Carneades neceſsitatem & futuri præſcitam veritatem, conſentaneas res inter ſe maximeque conjunctas judicabat: ut ſi præſcitæ res omnes ſint, & jam veritas futurorum præſciretur, fatum in actionibus humanis & in rebus univerſis neceſsitas eſſet: nec animis hominum quicquã liberum ſupereſſet. Itaq; cùm aut neceſſitatem ſubeundam, aut verã futuri præſenſionem tollendam judicaret, ut damnata neceſsitate animi, libertatem retineret, divinam præſenſionẽ damnavit: & ut animum ſibi liberum faceret, ſacrilegum fecit, ut verbis utar D. Auguſtini: Nec enim quia præſcivit Deus, iccirco futurum eſt: ſed quia futurũ eſt, præſcivit. Non quia video te, iccirco meis oculis objectus es: ſed quia objectus es, iccirco te video: Ita non quia Deus præſcivit aliquod ſcelus futurum, iccirco id fiet: ſed quia futurũ eſt, ideo præſcivit. Quare diligẽtiùs hoc ſymbolici doctoris dogma conſiderandum eſt, ne Carneadis, & hujus magiſtri ſit impietas eadẽ: Nec

enim quamvis hominibus, (quibus & præſens & præteritum, jam verum apparet, aut jam falſum) futurum jam verum non appareat, iccirco jam verum non eſt: nec quamvis ex cauſſa libera, quæ & utrumlibet & contraria poſsit agere, aliquid evẽturum ſit, ideo enuntiatio, quę futurum illud enuntiat, non eſt jam neque vera, neque falſa, alioqui enuntiatio non eſſet, ſi neque vera, neqꝫ falſa foret. Hæc enim definitio ejus eſt in hoc libro: nec veritas, neceſsitatis eſt cauſſa. Atqꝫ illud captioſé & falſó connectitur: Si jam verum eſt, eſt etiam neceſſarium: Quicquid enim fore verū eſt, Deo jam verum eſt, & verum ſemper fuit: nec iccirco tamen neceſſarium: Ex cauſsis neceſſariis, futurum neceſſarium eſt: ex liberis, liberū: ex phyſicis, phyſicum: Denique quales ſunt antecedentes cauſſæ, talis evẽtus veritas. Sed hac de re latiús eſt á nobis in Fato Ciceronis diſputatū.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER VI. IN *ſecundum librum* de Interpretatione.

CAP. I. DE CONSECUTIONE *finitorum & infinitorum.*

SVperior liber logicum aliquid habuit de cōtradictione: ſed tam catholicū, quám cognovimus: Sequitur alter Latinis liber qui Græcis pars eſt libri tertia: ubi de antiphaſi & contradictione non præcepta ulla logica, ſed quæſtiones diſputantur, quas otioſi pueri in ſchola ſine doctore & magiſtro temeré videri poſsint agitaſſe: Prima eſt de conſecutione finitorum & infinitorum enuntiatorum: Omnis enuntiatio cōſtat ex nomine & verbo, vel nomine infinito & verbo: Sine verbo nulla enuntiatio eſt: Verbum autem modó ſolùm attributum eſt, modó non ſolūm, modó ſubſtantiuū, modó adjectivum, ut Grammatici loquũtur: & enuntiationes modó infinitæ, modô univerſales. Hac igitur egregia & ſubtili ſubductione, triginta fiunt enuntiationes inter ſe oppoſitæ, quæ certo diagrammatis ordine collocatæ, ſe habebunt ſecundum conſecutionē, ut privationes, & ex affirmantibus negātes concludētur: Quod in logicis libris argutū ænigma non appello, ut Pſellus interpres, ſed perridiculum ſophiſma nomino, quia nihil invẽtionis, nihil diſpoſitionis, id eſt nil Dialecticæ doceat. Nec propterea in arte logica catholicum, nec principiis Ariſtotelis conſentaneum: Nullum catholicum argumenti documentum eſt: Eſt enim exemplum ſpeciale argumẽti é contradicentibus, ut *juſtus*, non juſtus: Nullum item catholicum judicii diſpoſitioniſve documentum: Generalem enim cōſecutionis regulam vera Logica inſtituit ſyllogiſmum, quo ſolo quid cuiqꝫ antecedenti conſentancū ſit, ei conſequens certó ſcimus, vereqꝫ judicamus. Homo eſt juſtus: Ergo homo non eſt nō juſtus: Enthymema eſt in hoc Ariſtotelis exẽplo, incerta judicii conſecutioniſque regula: cui propoſitione addita, ſyllogiſmus efficitur, hoc modo:

Nullum juſtum, eſt non juſtum:
Homo juſtus eſt:
Homo igitur non eſt non iuſtus. Argumentum, ut dixi, eſt è contradicentibus: judicium certum non hoc Enthymemate, ſed catholico ſyllogiſmi modo efficitur. Quamobrem & hujus & innumerabilium ejuſmodi exemplorum ſpecialia enthymemata regulis inſtituere, eſt plané logica Ariſtotelis principia & catholica ignorare. Sophiſma idē poſtea pluribus etiam diſceptatur, ultimo capite primi Analytici. Poſtremó illud alterum conſiderandum, quôd non homo, non juſtus, & ſimilia, negationes dicendæ non ſint, quia neqꝫ verū, neqꝫ falſum ſignificant: Dixi enim antea verū & falſum, tranſcendentia eſſe, deqꝫ rebus omnibus dici, non de enuntiatione ſolúm. Quare cúm præcepti hujus ratio falſa ſit, præceptum ex ea ratione verum videri non debet. Verumenimvero quid dixerimus, ſi magiſter hic, ſeipſum nempe refellens, infinitionem illam, negationē nominet? At vel in hoc ipſo capite (ut jā antea citavi) ſic appellat, cúm fingit enūtiationes oppoſitas ex finitis & infinitis & verbo: Sic enim ad illam enuntiationem (Omnis non homo nō valet) cúm docet illam ſuam infinitionem (non) addendam ad (homo) nō ad (omnis:) Nō enim dicendū, ait, Nō omnis homo, ſed

nega-

negatio (non) homini adjungenda. Hîc ſymbolicus author appellat (non) negationem: ex qua tamen infinitum nomē effici vult, nō negatum: & uſu ſuo, exemplo ſuo, teſtimonio ſuo, cōmenti ſui doctrinam refellit & convincit: Et iſta bella ratio fuit in Categoriis, quód non negatio, ſed velut negatio.

CAP. 2. DE CONSECUTIONE *diviſorum & conjunctorum.*

SEcūdo capite ſecūda quæſtio eſt de cōſecutione diviſorū & conjunctorū, quæ tota ad Elenchos pertinet, & in vitio diviſionis exponēda: & é mathematicorum compoſitione & diviſione deducta. Nec tamen in vera arte & catholica, locus eſt expoſitioni vitiorum. Præponūtur paucula de enuntiatione, una, de qua jã dictū eſt in hoc libro, quo modo iſta homonymię repetitio eſſet in logicis præceptis aliena: hîc incluſa eſt differētia illa cōmentitia, de qua ſecūdo libro dictū eſt, dialectici nominis, quód dialectica interrogatio, ſit reſponſionis petitio, vel propoſitiōis, vel alterius partis, aut contradictionis: propoſitio veró ſit pars cōtradictionis: id enim cōmentum in Organo logico ſcholaſticū eſſe docui, & uſu ac teſtimonio Organi ipſi⁹ refutavi. A' diviſis ad cōjuncta, captioſa cōſecutio in accidētibus eſt: ut, Eſt ſutor & bonus: ergo ſutor bonus: cōſecutio á cōjunctis ad diviſa, captioſa eſt, ſi cōtrarium includatur: ut, Eſt homo mortuus: Ergo eſt homo. Regulæ iſtæ veræ ſunt, at tamē catholicæ nō ſunt, nec ſacta cōcluſio per has regulas exiſtimari poteſt, ſed per regulā ſyllogiſmi: in cujus firma collocatione & antecedentiū partium veritate, judicii veritas conſtantiaque collocatur. Innumerabiles ejuſmodi regulæ ſunt toto Organo cōfuſæ. Enthymematum regulæ ſunt, quarū ſpeciale judiciū generali & catholico ſyllogiſmi judicio ſtabiliendum eſt.

CAP. 3. QUOD MODIFICATA *negentur ut abſoluta.*

TErtio capite nobilis illa quæſtio & theſis diſputat̃, de modificatis ſeu modalibus (ut vulgus appellat) enūtiatis: de quib⁹ ꝓpter huj⁹ quęſtionis obſcuritatē, vulgatū illud eſt, De modalib⁹ nō guſtabit Aſinus. Tenebras igitur adhibito lumine dialectico depellam⁹. Quid eſt modificata enūtiatio? nō definit̃ in hoc capite, qd tamē ſit, exēplis intelligi poteſt: quæ pleniora, quó faciliùs intelligi poſsint, licet ponamus: Hominē eſſe albū, eſt poſsibile: Hominē eſſe divitē, eſt cōtingens: Hominē eſſe animal, eſt neceſſariū: Hominē eſſe beſtiā, eſt impoſsibile: Hominē eſſe corporeū, eſt verū: Hominē eſſe marmoreū, eſt falſum. Hi ſex modi ſunt in hoc capite, poſsibile, cōtingens, neceſſariū, impoſsibile, verū, falſum: Innumerabiles tñ modi ſunt; ut, Parētes colere, ſanctū eſt: Suum cuiq; tribuere, juſtū eſt: Socrates diſputat ſapiēter: Zeno reſpōdet ſubtiliter: Alexander præliatur fortiter, & ſimilia: Deniq; ex omnib⁹ ferè & nominib⁹ & adverbiis modos ejuſmodi liceat enūtiationi addere, ad ſignificandū quomodo categorema in ſubjecto inſit: ut, agit bene, incedit obliqué, ſcribit docté, & ſimilia: neqd hîc magnæ rei vel novę diſputari videat̃. Definita igit̃ enūtiatione modificata, videam⁹ quę & quotuplex doctrina de ea ſuſcipiatur: Duo certé hujuſce quæſtiōis capita ſunt, alterū de antiphaſi, ac de negatione modificatorū enūtiatorū: alterū de conſecutione. Quid ergo modificatæ pronūtiationis antiphaſis? quid negatio? qualis eſt? Mirabilis certé ſymbolici doctoris hîc eſt interpretatio: Videt̃ dicere negationē modificati pronuntiari, ad ſolū modū pertinere. Ut hæc enūtiatio (hominē ambulare, eſt nō poſsibile) ſit negata: videtur, inquam, id velle dicere: nominatim tamē id nō dicit, neq; nobis ſymbolis ſuis intelligentiā ſuā definit. Interpretationē igitur doctoris intueamur, qui primó videtur nobis negationis diſsimilitudinē quandā proponere in abſolutis & modificatis enuntiatis. Ait igitur in abſolutis enūtiatis: Opponuntur contradictiones ſecundū eſſe & nō eſſe: ut hujus, (ſic enim philoſophi exēpla cōpleam⁹, ut res intelligi poſsit) Socrates eſt homo: negatio hæc eſt, Socrates nō eſt homo: nō aūt hęc, Socrates eſt non homo: Et hujus, Socrates eſt homo albus: negatio hæc eſt, Socrates non eſt homo albus: nō aūt hæc, Socrates eſt nō homo albus. Hæc adhuc vera ſunt, & omnino aliud eſt affirmatio infiniti attributi: ut, Socrates eſt nō juſtus: aliud negatio: ut, Socrates nō eſt juſt⁹. Hęc inquā vera ſunt in his & omnib⁹ aliis exēplis: Hoc igit̃ poſito, ſtatuit̃ non

ſimile eſſe in modificatis: Nam ſi hujus, Poſsibile eſſe, negatio eſſet hæc, Poſsibile non eſſe: non autem hæc, Non poſsibile eſſe: ſequeretur, quia idem poteſt eſſe & non eſſe, oppoſitas affirmationes & negationes de eodē veras eſſe: quod eſt impoſsibile: unde concludit hic doctor negationem hujus, Poſsibile eſſe, non hanc, Poſsibile non eſſe: ſed hanc, Non poſsibile eſſe: & in cæteris modificatis ſimiliter. Hæc autem ejus exempla ſunt: vel potiús exemplorum quædam obſcura veſtigia: nec enim enūtiata perfecta ſunt, quæ aliquid de aliquo denuntient, vel aliquid ab aliquo removeant, ſicuti enuntiatio definita priús eſt: pars eſt ſubjecti tantúm, pars attributi tantúm: ſubjectum integrum, attributum integrum nullum eſt: Nam hujus enuntiationis, Hominem eſſe eſt poſsibile: (Hominem eſſe) ſubjectum eſt: poſsibile eſt, attributum eſt: Sed reliqua videamus, & quid his enuntiationum truncis efficiat hic magiſter, conſideremus: Quemadmodum, ait, in abſolutis illis, Homo eſt, album non eſt: eſt, & non eſt, ſunt προσθέσεις, id eſt attributiones: ſubjectæ veró res, homo, album: ſic in modificatis, eſſe & nō eſſe, ſubjectum eſt: poſſe veró & cōtingere, attributiones: quæ quemadmodum in abſolutis, eſſe, & nō eſſe, ſic in modificatis veritatem & falſitatem definiunt: & omnino in modificatis, eſſe, & non eſſe, ponenda ſunt tanquam ſubjecta. Quæ veró affirmationē & negationem faciunt, illis ſubjectis attribuuntur, ſtatuunturque oppoſitæ dictiones, Poſsibile, non poſsibile: contingens, non contingens: impoſsibile, non impoſsibile: neceſſarium, non neceſſarium: verum, non verum. Hæc ſymbola ſunt, hæc interpretatio eſt hujus doctoris, qua verê docet & aperté eſſe, & non eſſe, in his enuntiatis, Hominem eſſe eſt poſsibile, Hominem non eſſe eſt poſsibile, pro ſubjectis habenda: Etenim affirmativam figuram, ut analyticus author tertio & duodecimo capite primi Analytici loquitur, habēt: illud, inquā, de ſubjectis veré docet: ſed quod ad categorema attinet, videtur ſignificare modificati pronuntiati negationem ad ſolum modum pertinere. Quod certé etiam captioſé diſputat, & falſó concludit. Quod rurſus videtur Analytici primi capite ſecundo confirmari, ubi πρόσρησις appellatur, quod hîc πρόσθεσις dicitur: Diſsimilitudinis enim inductæ captioſa redditio eſt, quód ſi quemadmodum in abſolutis, ſic in modificatis negatio referenda ſit ad verbum, oppoſitę ſimul veræ ſint: Nec enim quod in abſolutis verbum facit, eſt, ambulat, & ſimilia: idē in modificatis facit: In his enim pronuntiatis, Hominem eſſe eſt poſsibile, Hominem ambulare eſt poſsibile: eſſe & ambulare, verba non ſunt, ſed potiús nomina: Et quam vim enuntiationis in abſolutis illis, Homo eſt animal, Homo non eſt animal, habent eſt & nō eſt, eandem vim habent in his modificatis, Hominem eſſe eſt poſsibile, Hominem eſſe non eſt poſsibile: Non illa verba nominalia, ut ſic dicam, eſſe & non eſſe, ſed pronuntiationis hæ copulæ, eſt, non eſt. Quare diſsimilitudinis redditio captioſa eſt: Nec enim eó refertur reddítio comparationis, quó propoſitio referebatur: Ergo diſsimilitudini captioſæ veracem ſimilitudinem reponamus, & dicamus, quemadmodū hujus enuntiationis, Homo eſt iuſtus: negatio eſt hæc, Homo non eſt juſtus: non autem hæc, Homo eſt non juſtus: aliudque negatio, aliud infiniti attributi affirmatio: ſic hujus, Hominem eſſe eſt poſsibile, negatio eſt, Hominem eſſe non eſt poſsibile: non autem hæc, Hominem eſſe eſt non poſsibile. Atque omnino poſitæ affirmationis negatio, eſt ſecunda enuntiatio: Tertia, eſt attributi infiniti affirmatio: nec enuntiatio negata dici poteſt, cujus non totum attributum, ſed pars attributi tantúm negetur. Atqui (eſt poſsibile) totū eſt attributum: (poſsibile) pars eſt attributi: falſoque ex illa diſsimilitudine concluditur, non eandem eſſe rationem negandi & abſoluti & modificati enuntiati. Agé veró, philoſophum ſuo moneamus argumento, & ſuo conſilio: Quo igitur argumento, quo conſilio complexionem hāc efficere voluit? Quia inquit, oppoſitæ ſimul eſſent in eodem veræ: Quid ergo genere negationis hujus admiſſo, ſi oppoſitæ ſingulares ſint in eodē ſimul veræ? nonne perinde abſurdum fuerit? nonne deniq; genus ipſum talis negationis, quæ partem afficiat attributi, partem nō attingat, deridendum & explodendum erit?

erit? Opponam⁹ igitur hoc modo duas ſingulares, Socrates eſt leo neceſſarió, Socrates eſt leo nõ neceſſarió: Antiphaſis hîc fuerit, utraq; parte tamen manifeſté falſa: At antiphaſeos ſingularis neceſſe eſt alterã partem eſſe veram, ut antè jã magiſter hic docuit. Cùm veró per nomina loquimur, & dicimus neceſſarium, non neceſſariũ: poſsibile, nõ poſsibile, error ille accidere nõ poteſt, ut partes, quæ videntur contradictionẽ enunciationis habere, ſint ſimul falſæ: Neque tamen cõtradictionis propria cauſſa id accidit, ſed naturá communis oppoſitorum omnium medio carẽtiũ, quæ ſubjecto eidem attribuuntur: Quod facilé percipies in eo exemplo, in quo, quód ſubjicitur, duabus rebus adverſis revera ſubſiſtit, atq; in rerum natura eſt: ut ſi de homine, qui revera eſt, dixeris, Omnis homo ſanus eſt, Aliquis homo æger eſt: Omnis homo ſanus eſt, Aliquis homo eſt non ſanus: In his enim exemplis, quãvis attributi totius cõtradictio nulla ſit, accidere tamen non poteſt, ut pars utraque ſimul vera ſit: ſi modó, ut dixi, id quod ſubjicitur contrariis attributis, revera ſit: Nam ſi Chym erá, aut res aliqua fictina ſubjiceretur, tum pars utraque poſsit eſſe falſa. Atq; hęc falſitas omnino contingere nõ poſsit, ſi vera ut dixi, nõ fictitia ſubjecta ſint in quorumlibet contrariorum medio carẽtium affirmationibus, quarũ vel utraque propria ſit, vel altera generalis, altera ſpecialis: id ꝓ non propria cõtradictiónis cauſſá, ſed rerum cõtrariarum medio carentiũ communis eſt, ut dixi: Omnem hominẽ animal eſſe, eſt neceſſarium, Aliquẽ hominem animal eſſe, eſt nõ neceſſarium: Omnem hominẽ currere, eſt poſsibile, Aliquem hominem currere, eſt nõ poſsibile: Quamvis non accidit partẽ utrãq; ſimul eſſe falſam: non ſequitur tamẽ affirmatæ & negatæ enũtiationis iſtã vim, ſed rerũ attributarum, quæ cõtradictionem in parte attributa, non in toto attributo faciũt. Quamobrem falſum eſt illud decretum, modificatas enuntiationes negari, ſi tãtúm modus negetur: nec alia eſt negatio modificatarum enuntiationum, quàm reliquarũ: nec præceptũ hîc ullum eſt catholicum, ſed commentum, & catholicis Ariſtotelis principiis plané contrarium. Quamobrem ſi ſymbolicus author docere voluit, modificatas enuntiationes ſolo modo negari: ut, Hominem eſſe eſt poſsibile, Hominem eſſe eſt non poſsibile: falſam doctrinam docuit. Si non ſolum modum, ſed cum modo verbum negandum eſſe cenſuit, nõne iſta bella doctrina nos irriſit, qua videlicet nihil novi doceremur? Negationẽ enim antea definierat, quæ removeret aliquid ab aliquo, non quæ aliud opponeret. Nũc ita loquitur diſertus Interpretationis interpres: ut quid interpretari voluerit, neſcias: Nunquam nominatim affirmat ſolum modũ negandum: nũquam item negat, nec omnino tot exemplis, quibus plurimis hîc uſus eſt, hujuſce quicquam ſignificat: In his enim enuntiationis nõ exemplis, ſed ut dixi truncis, Poſsibile eſſe, non poſsibile eſſe, & cæteris, nũquam (eſt) exprimitur. Quód ſi plena oratione dixiſſet, Hominem eſſe eſt poſsibile, Hominẽ eſſe eſt non poſsibile: intelligeremus exemplis, quamvis non præciperetur, ſolum modum negari: Vel ſi diceret, Hominẽ eſſe eſt poſsibile, Hominẽ eſſe non eſt poſsibile: intelligeremus modum verbumq; ſimul negari. At nuſquã in oratiõe tam prolixa id expreſsit: & enũtiationis trũco neſcio quo, quàm legitimo & perfecto exẽplo uti malvit. Veruntamẽ quãvis ſymbola hominis & verba nõ poſſumus, certè ſenſum & intelligentiã cõvincere & cõſtringere poſſumus: Aut enim ſolũ modũ negare voluit, aut non: ſi primũ, fallitur, & pro vera doctrina falſam tradit: ſi ſecundum, nugatur & imperitis illudit: At é duob⁹ alterũ: Quare falſum aut vanum: utrumvis elige.

CAP. IIII. DE CONSECUTIONE *modificatorum.*

ATq; hæc de prima quæſtionis hujus parte: ſecũda eſt in cõſecutione modificatorũ, qua ratione diſpoſita ſecũdũ cõtradictionẽ, antecedãt cõſequãtve: quale antea ſophiſma in ænigmate de infinitis enũtiationib⁹ fuit. Prim⁹ ordo vari⁹ componit̃: qui iccircó quia nõ quadrat ad numerũ, rejicit̃: Secũdus, qui ex correctione primi fact⁹ eſt, nõ im̃probatur quidẽ, ſed ei terti⁹ anteponit̃. Atq; idipſum de modificatis ſophiſma nõ aliũde orit̃, quàm ex verbi (poſſibilis) homonymia, quæ in capite de cõtingenti futuro expoſita eſt, & in hoc capite re-

pite repetitur. Poſsibile enim triplex eſt: alia enim ſempiterna & immutabilia, actus tantùm ſunt, ſine poteſtate: alia cū potentia, quod actu eſſe poſſunt & ſuſcipere oppoſita, poſsintq; & eſſe & nō eſſe: hoc poſsibile, appellatū eſt priùs cōtingēs utrūlibet: & duodecimo capite primi Analytici appellatur cōtingēs incertū: alia potētia tātū ſine actu. Ergo poſsibile aliquando generaliter omnia iſta ſignificat, aliquādo ſpecialiter ſecūdum & tertium genus, quod eſſe poſsit & nō poſsit: Quia verbi homonymia reliquū de modificatis enuntiationibus ſophiſma factū eſt: Nā ſi uno modo poſsibile dicatur, facile ſit intelligere, quid cuiq; ſit antecedēs aut cōſequēs: & in hoc cōſectario, Neceſſe eſt ergo nō poſsibile eſt nō eſſe: & in cæteris hoc capite propoſitis, enthymema eſt, cujus conſequēs verè firmeq; concluditur, nō hujus regulæ ratione, ſed ſyllogiſmi concluſione: Atq; omnino omnes præter ſyllogiſmū, cōſequentiarū regulæ, quæ traduntur in logico Organo, inertes ſunt & vanę, ut antea dixi: & quicūq; eas tradidit, docuit ſe ſyllogiſmi uſum neſcire. Quamobrē tātæ quæſtionis ſapiētiā recolam⁹, & cōcludam⁹. Modificatū enūtiatū quid ſit, nō definitur: quæſtio altera captioſa vel nugatoria eſt, altera ſophiſmatis laude par & ꝓxima: Nec in tota omnino quæſtione quicquā logicum eſt, quod ad explicandū Platonē, Ariſtotelē, Demoſthenē, Ciceronē, aut aliū quēvis ſcriptorē: nil quod ad eos imitādum, nihil deniq; quod ad bene diſſerendū poſsit referri: Nec omnino quicquā Ariſtotelis catholicis principiis conſentaneum.

CAP. V. QUOD AFFIRMATIONI *negatio maximè opponatur.*

POſtremo capite quæſtio tractatur, & diſputatur, affirmationi negationē, nō affirmationē adverſi magis adverſam eſſe: ut, Omnis homo eſt juſtus, Null⁹ homo eſt juſt⁹: adverſæ ſunt, nō autē, Omnis homo eſt injuſtus. Itē, Callias eſt juſt⁹, Callias nō eſt juſtus: adverſæ ſunt, nō autē, Callias eſt injuſtus. Prima ratio, quia adverſorū affirmationes ſunt infinitę: ſecūda, quia ex affirmatione & negatione fallacia fiat, nō ex affirmationib⁹ adverſorū: tertia, quia veræ affirmatiōis negatio per ſe falſa: affirmatio adverſi, ratiōe negationis, ideoq; negatio magis falſa: quarta, ꝗa ubi adverſum nihil eſt, tñ negatio dicit̄ adverſa. Addit̄ etiā tādē ſimile: ex quib⁹ argumētis, cōcludit̄ affirmationi negationē, nō adverſi affirmationē adverſam eſſe: Verbis apertis ita ꝓponitur, & ſimpliciter ſine ulla cōparatione cōcludit̄. Uno aūt in loco cōparatè dicit̄, opinionē negationis ἐναντιωτέραν, magis adverſam: ſed id nūquā ꝓponitur, neq; concludit̄: Ergo (id quod dixi) nō cōparatè, ſed ſimpliciter & ꝓponitur & cōcluditur: & quidē falſo: nec enim verū eſt, adverſa infinita eſſe, qn potiùs unū uni adverſum, ut Ariſtoteles docet in Philoſophia quarto capite decimi. Et fallaciæ ex adverſis fiūt, ſicut ex affirmatione & negatione: & adverſum falſum, falſum per ſe non eſſe, quæſtio fuerit: & duo reliqua vera ſint, tamē nihil concludunt: quinetiam, quod magis mirere, bonum, malum, juſtum, injuſtū, in Categoriis & in hoc capite adverſa nominantur: eſſe, nō eſſe, & ſimilia, nō appellātur in Categoriis adverſa, ſed oppoſita, ut affirmatio & negatio: Itaq; enūtiationes ē rebus adverſis factæ, adverſæ quoq; dicēdę ſunt enūtiationes: ratione autē affirmationis & negationis, contradicentes enuntiationes nominandæ ſunt, ſicuti jam monui: Quinetiam in Categoriis enūtiationes hæ, Socrates valet, Socrates ægrotat, adverſa conjuncta nominantur: & ſymbolici authoris temeraria aſſertio, categorici doctoris vero teſtimonio, judicioque refellitur. Quid igitur jam plura diſputo? cur non jam cum authore categorico concludo, affirmationem adverſi, potiùs quàm negationem adverſam dicēdam eſſe? Veruntamen in hoc capite ſingularis ſymbolici doctoris interpretatio eſt: Quid enim putas eū nomine adverſæ enuntiationis dicere? quid ſymbolis & ſignis ſuis nobis ſignificare? an quod antea definivit, univerſalē nempe affirmationē univerſali negationi oppoſitā? Minimè: Nā primùm ꝓpriā contradictionē in exemplū adhibet: ut, Callias eſt juſt⁹, Callias nō eſt juſt⁹: Callias eſt juſtus, Callias eſt injuſtus: Deinde generis nomen pro eodē bis adhibet: ex oppoſitis autē generationis: id enim primum erat argumentum. Et rurſus: Falſa eſt verè oppoſita, & iam per adverſas enūtiationes, quolibet genere oppoſitas, nobis ſigni-

bis ſignificat ſymbolis orationis ſuæ & ſignis, ſe dicere. Poſtremó etiā antiphaſeos nomen hîc pro eodem bis adhibetur: Aut enim ubiq; eſt contradictionis enuntiatio, aut nuſquā. Et rurſus mox eodem verbo idem dicitur: Si igitur hæ negationes adverſæ, etiā aliæ, quæ ſunt cōtradictiones. Ergo per adverſas enuntiationes ſymbolicus author nobis exponit tum contradicentes ſingulares, tū quomodolibet oppoſitas, tū rurſus contradicentes quaslibet: Sic videlicet ad iē proprié explicādum uſurpat genus pro ſpecie, imó ſpeciē adverſam pro adverſa ſpecie: tāquam ſi cùm unum aliquod animal, leonem videlicet, proprié deſignare velles, omnē vocabulorum confuſionem aggreges, appellesq; animal, hominē, beſtiā: Attamē cùm hęc ita ſint, in finē capitis contradicentes enuntiationes videtur ab adverſus diſtinguere.

CAP. VI. DE USU LOGICAE.

Quamobrē quoniā libri univerſi ſummā perſpeximus, meliorē aliquādo & ſaniorē philoſophiam á vero & naturali uſu requiramus: Hic Ariſtotelis magiſter fuit. Ariſtoteles multa didicerat á Platone: Platonis tamē doctrina contentus non fuit: ſed quæ in eo vera & utilia probaverat, aſſumpſit: cætera rejecit: alia per ſe ipſum, quæ putavit meliora, perveſtigavit. Theophraſtus ab Ariſtotele multa cognoverat: ejus tamē doctrina contentus nō fuit: liberé multis in locis á magiſtro diſſenſit: excellentiora per ſeipſum indagavit. Deniq; ſi philoſophiæ memoriā uſq; repetas ultimam, nunquam nauus & induſtrius diſcipulus, magiſtri ſui doctrina contentus fuit. Hæc virtus in omnibus magnis ingeniis inſita fuit, ut quod majores laude gloriaq; præſtātes feciſſent, id poſteri ſtuderēt efficere: ut quoniam in humanis ſtudiis nihil eſſet abſolutū, corrigere vitioſa, & imperfecta perficere conarentur. Quapropter hanc Ariſtotelis diligentiam imitemur: quod fecit de Platonis libris Ariſtoteles, id de Ariſtotelis (ſi tamen ſunt Ariſtotelis) libris faciamus. Philoſophiam Platonis diſperſam multis & variis dialogis, in tria genera, logicū, phyſicum, ethicum diſtraxit: de ſuo multa addidit: Ita nos é logico Organo logica præcepta, quæ confuſius illic cumulata ſunt, diſtinctiùs exprimamus: ſingula ſemel exponamus: illuſtria exēpla de nobis adjungamus: diſtincta & illuſtrata in uſum deducamus: Deniq; ariſtotelea illa principia, de materia, deq; forma veræ artis ac ſcientiæ, ſequamur: Nec artem tantùm teneamus, ſed multó magis illum ipſum artis parentē uſum tractemus & uſurpemus, Nec logicæ artis doctrinā, & Heliogabali cœnam ſimilē faciamus: Hic enim Romanus Imperator, inter multa alia ſtultitiæ & nequitiæ ſuæ exempla, paraſitis ſuis cœnā exhibebat ſæpe cereā, ſæpe ligneam, ſæpe eburneā, aliquando fictilē, nonnunquā marmoream etiam ac lapideam: ita ut illis omnia picta fictaq; apponerentur, quæ ipſe vera cœnabat: & tanquā ſaturi manus tandē lavabāt. At nos ſapientes Logicæ magiſtri, ſi præcepta tantùm, licet vera, utilia, propria, catholica deniq;, ſed tātùm præcepta proponamus, uſum in excellentibus authoribus nullū deguſtādum apponamus, nullū ſcribendo dicendoq; carpendum permittamus, quid aliud diſcipulis noſtris, quàm Heliogabali fictā pictamq; cœnā inſtruimus? Ars enim, ars inquā, vel rectiſsima & veriſsima, vel mille clamoribus intelligentiæ ac memoriæ impreſſa & infixa, tantùm pictura eſt naturæ & uſus: Clamor de præceptis logicis, non eſt uſus Logicæ: Quid ita? quia, ut ſæpe jam dixi, Logica, eſt ars bene diſſerendi de omnibus rebus, nō tantùm de ſuis præceptis clamādi. Ergo nos ſi præcepta ſola proponamus, Heliogabali fuerimus, diſcipulique noſtri, nobis paraſiti fuerint, qui opiparo logicæ cœnæ non olfactu, non guſtatu, ſed viſu tanquam ſaniati, manus videlicet lavent: & inde ubi ſurrexerint, ſe præclaré cœnatos eſſe prædicent, ſeſe philoſophos appellēt: Atq; ita, quod in aliis nequitię genus irridemus, in nobis, mutata videlicet perſona, plauſu & clamore cōprobemus. Quæ cùm ita ſint, ne tamen hunc librum, ſicuti de Porphyrio jam & Categoriis admonui, de bibliothecis omnibus tollamus. Alexander Caracalla Romanus Imperator, quód audiſſet Alexādrum veneno, Ariſtotelis fraude permiſto periiſſe, vetuit Ariſtotelis philoſophiam doceri, iuſſitque ariſtoteleos jam tum pleroſque ex Aphrodiſei ſchola laté propagatos, Romano imperio

expel-

expelli: Hoc edictum tam ſeverum ne ſequamur, ſed potiús Academiæ noſtræ legem complectamur: Philoſophicos libros non de verbo, ut loquitur, ad verbum pueris prælegamus, ne multa aliena, inutilia, falſa permiſceamus: ſed de puncto in punctum tradamus, ut tantúm catholica doceamus: libros Organici doctoris in Logica, tanquam Priſciani vel Diomedis in Grammatica, retineamus, philoſophiamque é philoſophorum libris catholice collectam, juventuti perdiſcẽdam proponamus: Denique, quod tam multis locis jam monui, imó perpetuó monendum mihi ſtatui, Logicam logicis Ariſtotelis principiis conformatam doceamus: Ariſtotelis vivi uſum & exercitationẽ teneamus.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER VI. IN *primum Analyticum,* de Syllogiſmo.

CAP. I. QUID SIT ANAlyſis *&, quæ obſcuritatis cauſſæ.*

ANalytici quatuor libri ſummam quãdam univerſæ Logicæ continent, & inventionis copiam & abundãtiam quandam proponũt, & judicium tum enuntiationis, tum ſyllogiſmi, tum methodi feré complectuntur. Inſcriptionis cauſſa quæ fuerit, etſi multa interpretes adferunt, quód ἀναλύειν, ſit ἀποδημούντων, καὶ ἀναστρεφόντων ἐς τὰ οἰκεῖα, peregrinantium, & domum reverſorum, nil tamen admodúm conferunt: é ſubjecta re, verbi ſignificationem potiús depromamus. Eſt veró Analyſis, omnium artium communis, non unius artis propria: eſtque pars exercitationis in omni arte, & prima & extrema. Grammaticus magiſter ad exercitationẽ Grãmaticæ proponit primúm rudi diſcipulo Virgilii aut Ciceronis exempla, quæ ἀναλύει, retexit, & ad artis legem reſoluit & expendit:

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.

Retexit hujus verſus etymologiam, & quæ pars ſit orationis unaquæq; dictio, oſtẽdit, & ſingularum partium proprietates exquirit. O, Admirationis interjectio. Melibœe, nomen ſecundæ declinationis, vocativi caſus, ſingularis numeri: & cætera ejuſmodi: Retexit etiam interea proſodiam, cúm puerũ interrogat, an Melibœe, otia, recté pronuntietur, illud acutum in penultima, hoc antepenultima: Retexit poſtremó orthographiam, cúm requirit ubi ſimplex litera, ubi diphthongus ſit neceſſaria: ubi deniq; hæc vel illa litera: tandem etymologia ſingularis vocum retexta retexit ſyntexim. O melibœe, latina oratio eſt, quia ó convenit vocativo: Deus fecit, oratio latina eſt, quia ſuppoſitũ & appoſitum conveniunt in numero & perſona. Atq; ita cúm puer exemplum receptum ſibi & expoſitum imitatus ſit, ejus imitationem rurſus ad eaſdem Grammaticæ leges retexit & explorat. Deniq; in laudatiſsima pariſienſis Academiæ conſuetudine & diſciplina, totus Grammaticæ labor in audiendo puero, in ejus themate corrigendo, emendãdo, analyſis eſt grãmatica: Hæc, inquam, analyſis grammatica eſt, quę conſtructum jam & compoſitum orationis exemplum, imó etiã noſtrum ad ejus imitationem factum, omnibus modis retexit, & ad legẽ artis expendit. Analyſis rhetorica eſt, cúm Rhetor propoſitum ornatæ orationis exemplum tropis & figuris eadem diligentia retexit, cúm pronuntiando, voce geſtuque elocutionem exprimẽndo, diſcipulum ad artis leges revocat, & utrúm cũ præcepto artis & decreto, hic geſtus, vox illa cõgruit, interrogat: illiuſq; examen, analyſis eſt rhetorica. In omnibus igitur artibus nõ ſolúm liberalibus, ſed illiberalibus & ſordidis, cúm facti operis exemplum ad leges artis examinatur & probatur, analyſis eſt, examen ſcilicet & probatio. Ergo logica analyſis eſt, cúm propoſitum factæ & conſtructæ diſputationis exemplum ad leges artis examinatur, quęſtio ſubducitur, tum inventio ſpectatur: argumentum ex quo loco deductum ſit, exquiritur: Hæc analyſis eſt inventionis: Deinde enuntiationis ſpecies conſideratur in ſingularium, & per ſe manifeſtarum enuntiationum judicio: utrúm ſimplex enuntiatio, communis an propria: compóſita, utrum copulata an relata, an connexa an diſjuncta: Deniq; qua veritate vel ſcientiæ vel opinionis manifeſta. Item in ſyllogiſmo & methodo: In ſyllogiſmo, quomodo cum

do cum partibus quæſtionis collocatũ, qua forma, quo formæ modo concluſum: Hæc analyſis eſt ſyllogiſmi: In methodo, quo pacto tota & univerſa, ſi longior diſputatio ſit, diſponatur: Utrùm definitiones, partitiones, & exemplorũ illuſtrationes à generalioribus, & naturá prioribus deducentur: Hæc methodi analyſis eſt: hæc, inquã, analyſis eſt logica, logicæ exercitationis prima pars, quæ arti logicæ primos ſpiritus atq; animos inſpirat: primã ſummamq; vitam, animamq; donat. Ac comparatis jam rebus nõ dubitabo dicere, Logicæ ſecundam partẽ, quæ dicta eſt à recentioribus Grecis κριτική, modó ἀναλυτικὴν nominari: & κρίνειν, nunc ἀναλύειν dici: Unde totũ hoc opus quatuor librorum ἀναλυτικῶν, tanquã κριτικῶν inſcribi: ab excellentiore videlicet exercitationis parte, quæ in his libris inſtruitur: quæq; nõ ſolùm diſputationis alienæ, ſed etiã noſtræ conſtantiam vel inconſtantiã examinat & explorat. Didiceris tota artis præcepta: triennium totũ cum dimidio, quod miſerè tot annos in Academia noſtra fieri conquerimur & lamentamur, clamaveris: per artis Logicæ præcepta, poëtas, oratores, philoſophos, Logicam deniq; ipſam ἀναλύειν nõ didiceris, nihilo plus in Logica profeceris, quàm in Grammatica, ſi omnia Grammaticæ præcepta didiceris, totum triennium cum dimidio clamaveris, oblatum autem Virgilii verſum, grammaticè ἀναλύειν nõ didiceris. ἀναλυτικὰ λογικὰ profitentur innumerabiles doctores & magiſtri, nemo tamẽ ἀναλυτικὰ λογικῶς ἀναλύει. Verbo ſequuntur omnes Ariſtotelis doctrinam (ſi tamen eſt Ariſtoteles, hujus doctrinæ author) reipſa aſpernantur ac deſpiciunt: Ariſtoteles docet analyſim, primam præcipuámque Logicæ partem eſſe: ab ea logicum hoc opus, Analyticum nominat: Atqui nunc ſe Ariſtotelis æmulos eſſe gloriantur, non modó nullum vel poëtæ, vel oratoris, vel philoſophi exemplũ logicis his præceptis non ἀναλύουσι, retexunt, ſed ſcelus clamant, & facinus indignum, ſi quis ad analyſim omnia Logicæ artis præcepta referat: nec logicũ dogma recipiat ullum niſi analyſi, niſi uſui & exercitationi accommodatum; Exempla autem juventuti proponat ex poëtis, oratoribus, philoſophis: nec Logicum quenquam putet eſſe, qui nõ ſit analyticus: Hæc enim tot annorum contentio noſtra eſt. Grammatica ars, ſua analyſi non ſolùm utiliter, ſed laudabiliter in tot Academiæ pariſienſis gymnaſiis exercetur: Logica ars, quæ cęteras artes conſtituit, quæ reperit, quæ diſponit, quæ ſingulis analyſim proponit, ſola ex omnibus artibus non ſolùm inutiliter, ſed miſerabiliter analyſi nulla exercetur. Quamobrem hîc imprimis Ariſtotelicum profiteor eſſe me, qui logicam totam artem ad analyſim refero, qui nullum in logica arte præceptũ eſſe volo, quod non valeat ad poëtas, oratores, philoſophos, omniſq; generis ſcriptores, omnes denique omnium hominum ſententias vel ſcriptas vel dictas retexendum, explicandum, interpretandum, judicandum: Id eſt quod non ſit analyticum: Et ut ſuperiores Organi logici libros logicè retexuimus, ſic reliquos retexemus, & quid verũ, quid utile, perpendemus. Sed hæc ſatis de inſcriptione, quam his in libris ab Ariſtotele factam eſſe teſtis eſt idem Ariſtoteles, qui citat in reliquis libris Analyticos libros: Diviſionem veró factam in priora & poſteriora Analytica, Ariſtotelis nõ eſſe, Ariſtoteles ipſe indicio eſt, qui priores libros de ſyllogiſmo, poſteriores de demonſtratione, tanquam ſibi ſic inſcriptos, appellat. Ut demonſtratum eſt in libris de ſyllogiſmo, ait tertio capite primi Poſteriorum: Item demonſtratum eſt in libris de ſyllogiſmo, ait ibidem octavo capite: Secunda autem analyſis, de demonſtratione inſcripta fuerat: Inſcriptionis hujus proprietatem ante omnes Ariſtotelis interpretes, qui nũc extent, Galenus, jam olim perſpexit, & in opere de ſuis libris annotavit: cujus jam tempore, prima & ſecunda Analytica, item priora & poſteriora vulgô inſcribebantur: Sed hæc leviora. Continetur in Analyticis ſumma logicæ artis quædam doctrina, ut dixi, ſed obſcuriſsima & confuſiſsima: Obſcuritatem interpretes viderunt, & Ariſtoteli placuiſſe crediderunt: in eóque, ſicuti jã docui, falſi ſunt, ac decepti, ut ſecundo libro docui: Atque imprimis ſumma illa Ariſtotelis principia de materia, deq; forma artis, adhibeamus, ut omnibus jam locis adhibuimus: Hos igitur libros

bros retexamus, & analyſim in explicãdis Analyticis adhibeamus: & quicquid Ariſtotelis principiis conſentaneum erit dicamus, ariſtoteleũ dicamus: quicquid diſſentaneum erit, ab Ariſtotele collectum, non probatum, non judicatum, requiramus ariſtotelicam veræ doctrinæ materiam, Ariſtotelicam veræ doctrinæ formæ. Memini mihi quondam puero in altiſsimis Aruernorum montibus rem mirabilem viſam eſſe: Solis & diei ſerenitas ſumma erat: è ſupero illo & ſublimi loco infernè patentes campos, arbores virentes, interfluentes rivos, ſumma animi voluptate conſpiciebam: repentè nubes in medio monte coorta, camporum, arborum, rivorum conſpectum illum obſcuritate ſuſtulit, cùm ſupernè tamen ſol clariſsimus illuceſceret: Miratus verò ſum mõtis altitudinem, cujus vertex, nubes & aëris tẽpeſtates ſuperaret: & ſpectaculo illo valdè delectatus ſum. Simile quippiam jam noſtris animis concipi cupio, ut ſint nobis omnes argumentorum, enuntiationum, ſyllogiſmorum, methodorum modi, veluti in campo, ſic in opere propoſito ſole definitionum, partitionum, exemplorum aſpectabiles & clari: quod in Dialectica noſtra ex ariſtotelicæ philoſophiæ & materia & forma efficere contendimus: tum ſi interveniat obſcuritatis nubes aliqua, attamen intelligemus iſtam obſcuritatem, Dialecticæ non eſſe, ſicuti neque illic camporum & arborum, ſed interpoſitarum nubium: quibus ſublatis cùm priſtina lux ſolis, quæ adempta fuerat, redierit, clari & illuſtres aſpiciantur. Etenim tota Logica, quæ Analyticis continetur, per ſe facillima eſt & clariſsima, ſed nubibus variis difficilis & obſcura redditur. Solem igitur inducamus & perpetuò comparemus: in illo ſummo claritatis vertice conſiſtamus: Definitiones, partitiones, exempla, id eſt univerſa, eadêmque clariſsima doctrinæ lumina, principiis ariſtoteleis conformata præferamus. Quid igitur? quæ prima perſpicuitatis cauſſa eſſe potuit in deſcriptione Logicæ? Id, inquam, quod in ea eſt omnium clariſsimum: Sic enim methodus in Poſterioribus tantopere celebrata, monet à prioribus, antiquioribus, clarioribus cauſsis perpetuò eſſe procedendum. Quid eſt igitur clariſsimum? Definitio Logicæ, de qua tam multa dicta ſunt, quòd ars ſit bene diſſerendi. Hæc itaque definitio ſi prapoſita primo loco eſſet, facilior & clarior eſſet analytica Logica: quia detracta eſt, difficilior eſt & obſcurior: Hæc prima eſt obſcuritatis cauſſa. Quid deinde? poſt definitionem, quæ cauſſa perſpicuitatis? Partitio artis in inventionẽ & diſpoſitionem: quæ initio, (ubi tamen eſſe debuit) nulla eſt: Secunda eſt obſcuritatis cauſſa: Attamen partitio hæc inventionis ac diſpoſitionis in Analyticis comprehenſa eſt, inventione medii & propoſitionis, ſyllogiſmiq́; geneſi, de quibus jam diximus, & ſuo loco poſtea dicemus: Nunc tantùm id intelligatur: Si partitio hæc non eſſet comprehenſa tantùm & confuſa, ſed ſuo loco tractata eſſet, ut ariſtotelea doctrinæ methodus requirit, analytica doctrina facilior & clarior eſſet: quia deeſt, difficilior eſt & obſcurior. Quid deinde ad perſpicuitatem ſequi debuit? Inventio primùm doceri, tum diſpoſitio & judicium: Nihil horum factum eſt ordine, ſed pars utraque tenebris denſiſsimis eſt obſcurata: De quibus jam dicere incipiamus.

CAP. II. DE DIFFERENTIIS *enuntiati.*

PRimum librũ igitur ingrediamur: cujus tres partes eſſe video, geneſim, id eſt compoſitionem ſyllogiſmi, εὕρεσιν, inventionem medii, analyſim utriuſque: geneſim ſyllogiſmi primam primi analytici partem primùm examinemus, cauſſaſque obſcuritatis excutiamus. Primùm igitur fuerat, quia geneſis primùm tractatur, de geneſi proponendũ, & geneſis definienda generaliter: Deinde in ſpecies, enuntiationem, ſyllogiſmum, methodum dividenda: Propoſitum autem eſt circa demonſtrationem, & de ſcientia demonſtrandi, conſiderationem eſſe: quod tamen nihil prioribus Analyticis, ſed tandem poſterioribus tractatur & agitur: Hæc obſcuritatis cauſſa eſt: Atque illinc etiã error gravior ortus eſt, quòd iis verbis, Logicæ finem Græci interpretes in demonſtratione conſtitui putaverunt, ut Analyticorum, ideòque Logicæ univerſæ,

verſæ, cujus ſumma in his libris attingitur, finis, demonſtratio eſſe videatur. Quód ſi ſit, error ille fuerit, quem ſecundo libro refutavimus: qui certé non poteſt ex iis verbis Ariſtotelis tribui: Lógéque aliud eſt dicere, hos libros circa demonſtrationem, & in demonſtrationem verſari: aliud dicere demonſtrationem, eſſe Logicæ finem: tum veró liceret eadem ratione dicere, propoſitionem, terminum, ſyllogiſmum, fines eſſe Logicæ, quia de his etiam dicendum eſſe ſimiliter proponitur: Et pauló póſt quarti capitis initio proponitur rectiús, priús de ſyllogiſmo dicendum eſſe, quàm de demonſtratione, quia ſyllogiſmus generalior eſt. Siquis igitur Logicæ finem in demonſtratione eſſe ex hoc loco conſtituat, commentum ſuum indicabit: Ariſtotelis dogma nullum docebit: Nec vitium fuerit Organi, ſed imperiti interpretis. Quid deinde, quid ſequitur? Propoſitio, definitur oratio affirmativa aut negativa alicujus de aliquo: eàque triplex efficitur, generalis, ſpecialis, infinita: Quæ partitio videtur multis modis vitioſa: primum enim propoſitio fuerat dividenda in ſimplicem & compoſitam: De compoſita hîc tacetur: Deinde ſimplex in generalem & ſpecialem: ſpecialem indefinitam & propriam: de propria tacetur: Hîc tertia ſpecies ἀόριστος, id eſt infinita, temeré additur: in uſu propoſitio infinita nulla ineſt: Etenim quod enuntiatur communibus verbis, id mens intelligit generaliter aut ſpecialiter: generaliter accipit, ut omnes artium definitiones & præceptiones, quanquam univerſale ſignum nullum addatur: ſic enim docet Ariſtoteles ipſe, omnium artium & doctrinarum documenta eſſe de omni, id eſt, ut ipſe definit, univerſaliter neceſſaria: ſi generaliter non intelligatur, ſpecialis erit intelligentia: Vaga & infinita intelligentia nulla eſt: & ſi eſſet, eſſet homonyma & ambigua: & hæc infinitas, propoſitionis eſt ambiguitas: Commune nomen, inquam, accipitur generaliter, interdum etiam ſpecialiter: ut cùm de Catilina Cicero: Sine dubio perdidimus hominem. Synecdoche, tropus Rhetoricus uſum illum ſermonis docet, quomodo ex genere ſpecies intelligatur. Videmus igitur hanc partitionem tot modis eſſe vitioſam, quia deſunt multa, quia etiã aliquid redundat: Hoc denique præceptum, (Omnis propoſitio eſt generalis aut particularis aut infinita) non eſt catholicum, non eſt principiis Ariſtotelis conſentaneum: Tollatur igitur. Partitio propoſitionis alia ſequitur: Propoſitio eſt dialectica aut apodictica, quód illa partem contradictionis interroget, & reſpondenti optionem faciat: hæc non interroget, ſed ſumat verã & ex primis ſuppoſitionibus. Ex illo commento ſcholaſtico hoc ductum eſt, de quo, ſecundo libro de nomine Logicæ & Dialecticæ: & in libro de Interpretatione interrogatio dialectica diſtinguitur à propoſitione: Et certé definitio propoſitionis pauló anté facta, non convenit interrogationi, cùm definiatur ratio affirmativa & negativa: & in poſterioribus Analyticis docetur in ſingulis ſcientiis interrogationes ſcientificas proprias eſſe, ut etiam propoſitio apodictica, ſit interrogatio, ſicut & dialectica: Videtur autem dicere voluiſſe, propoſitionem dialecticam ex interrogatione contradictionis fieri: Itaque appellat modó interrogationem, modó ſumptionem. At ſymbolis & verbis ſuis rem conturbat: nullum documentum principiis ſuis cõſentaneum oſtendit: Ut enim omnis oratio grammatica, ſic omnis propoſitio dialectica eſt: Placita ſectarum iſta ſunt, quibus ars valdè eſt obſcurata: doctrinæ veritatem ſequamur, doctoris vitia relinquamus. Arvernorum arbores per ſe non ſunt obſcuræ, nubes interjectæ faciunt obſcuritatem: nubes has tollamus. Analyſis experientia, obſervatio, uſus nullus hîc eſt: At uſus, ut antea dixi, rex eſt verborum, eàque quibus ei videtur, rebus accommodat: ſcholaſticus magiſter, rex horum verborum non eſt, ut ea pro libidine, quæ & quarum rerum velit, ſigna & ſymbola faciat: Cauſſa hîc eſt obſcuritatis. ὅρος, terminus, definitur pars propoſitionis, ut ſubjectum & attributum, ſive indicans & indicatum, ut primi Analytici capite triceſimo quarto Analyticus author loquitur. Hæ partes duæ vocantur pauló póſt in complexione ſyllogiſmi, extrema, minus & majus: item primum & extremum. Terminos antecedentes & conſequẽtes Mathema-

tici nominant in comparationibus, unde tranſlatum videri poteſt hoc nomē: & ſic in Analyticis, cōſequi & ſubjici opponuntur: In Analyticis autem totis, termini dicuntur non ſolùm propoſitionis extrema, ſed ſymbola aliquid ſignificātia: Sæpe enim ſunt abecedaria exēpla, imò perpetua, quæ nihil omnino ſignificant.

CAP. III. DE SYLLOGISMO *& ſyllogiſmi differentiis & principiis.*

Syllogiſmi definitio ſequitur: Syllogiſmus, eſt ratiò, in qua quibuſdā poſitis, quiddam ab iis diverſum ex neceſsitate accidit, eò quòd hæc ſunt. Hæc definitio eſt obſcura, quia nec proximum genus, nec proximam differentiam apertè proponit: Syllogiſmi ſiquidem proximum genus, eſt diſpoſitio: quæ priùs definienda fuerat, tum partienda in propoſitionem, ſyllogiſmum, methodum, ut dixi. At genus nimis longinquum poſitum eſt: λόγος enim, quod primum eſt in hac definitione, ſi dicatur oratio, externum eſt rationis ſymbolum, nec eſſentiale ſyllogiſmi quicquā: quia ſyllogiſmus non ſpectat ad externam & prolatam orationem, ſed ad intimam animi rationem, ut octavo capite primi Poſteriorum docetur: ſi verò dicatur, ὁ λόγος, ratio, hoc nomine tota logica & inventio & diſpoſitio continebitur: Ita nihil afferetur proprium. Quare genere non definito, non legitimè diuiſo, ſpecies obſcuriùs definita eſt: Quinenam in hac ſyllogiſmi definitione, reliquæ cauſſæ (quòd quæſtio cum argumento diſpoſita, neceſſariò concludatur) obſcuriùs involvuntur: nec exprimitur quæ ſint illa quædam poſita, & quid ſit, quod ab iis diverſum accidit: Ideòque propria ſyllogiſmi differentia nō explicatur: Etenim neceſsitas ſyllogiſmi metienda eſt è diſpoſitione, quòd ea definitione non explicatur: cōcluſioniſq; neceſsitas, eò quòd antecedentia ſint, poteſt accipi ex rerum antecedētium cum ſequentibus neceſſaria cohærentia: Et ſic Ariſtoteles triceſimo tertio capite libri hujus, ait aliud eſſe neceſſariò concludi, quia quædā poſita ſint: aliud ſyllogiſmo cōcludi: Ergo qui dicit aliquid accidere neceſſariò, quia antecedentia poſita ſint, ſyllogiſticæ diſpoſitionis neceſsitatem non exprimit: Itaque quia nec propriū ſyllogiſmi genus, nec proxima differentia exprimitur, ideò definitio illa obſcura eſt: At ſi definita ſit antè diſpoſitio, tū diviſa in ſpecies, enunciationem, ſyllogiſmum & methodū, cùm ſyllogiſmus definietur diſpoſitio, qua quæſtio cum argumento diſpoſita neceſſariò concluditur: ſyllogiſticæ concluſionis neceſsitas, ex diſpoſitiōe quæſtionis & argumenti deducta cognoſcetur: Reliquas cauſſas & perſpicuitatis & contrariæ obſcuritatis perſequamur, analyſim exerceamus: Hanc definitionē, quia ariſtotelicis definiendi legibus nō convenit, pro ariſtotelica nō habemus: ſententiam tamen ea involutam & obſcuratam habemus pro ariſtotelica, & in vera Dialectica retinemus. Definitionem ſyllogiſmi ſequi debuit partitio in membra, propoſitionem, aſſumptionem, complexionem: partes ſingulæ definiendæ, & apertis exemplis exponendæ. Horum nihil eſt loco factum: Analytico primo dicitur, tres terminos, propoſitiones duas, complexionem unam in ſyllogiſmo eſſe. Propoſitiones etiam mathematica metaphora vocantur in Analyticis intervalla: Prima partitio in terminos, nil eſt ſyllogiſticæ diſpoſitionis: nil ideòque propriè ſyllogiſmi: ſubjecta eſt materies diſpoſitioni: ſi partitio membrorum fuiſſet, ſi definitio membrorum fuiſſet, ſi membrorum exemplum fuiſſet in hoc loco, perſpicuitatis cauſſæ fuiſſent: defuit autē. Tot igitur obſcuritatis cauſſæ fuerunt. Quid poſt partitionem membrorū ſyllogiſmi & expoſitionem, perſpicuæ doctrinæ methodus requirit? Diviſionem in ſpecies, ut ſyllogiſmus ſimplex & conjunctus divideretur: Diviſio hæc omiſſa eſt, nec de conjunctis ſyllogiſmis nominatim in toto logico Organo verbū ullum legitur: imò poſtea viceſimo ſecundo & viceſimo tertio hujus, diſſeretur nullos eſſe præter ſimplices trium formarum, ſyllogiſmos. Quid ſimplex? quomodo definitur? dividitur? illuſtratur? Præcipitur hujus Analytici capitibus viceſimo ſecundo & triceſimo primo, & verè præcipitur, ut ſæpe jam dixi, principia eſſe omnium artium ac diſciplinarum, experientiam & obſervationem:

nem: Atq; alibi in Analyticis ſæpiùs docetur, à ſenſibus eadem proficiſci: & inductione exemplorum non ſolùm colligi, ſed ſi quid obſcuritatis habeant, illuſtrari: aliam in iis demonſtrationem nō requiri: & in iiſdem Poſterioribus docetur, definitiones eſſe principia: quin longa ſeptem capitū oratione diſputatur, definitionem omnino demonſtrari nō poſſe: Et certè ſi accuratæ ſunt definitiones, genera & differentias complectuntur, quibus ad eas demonſtrandum, clarius nil eſſe poſsit. Ergo ſyllogiſmi definitiones accuratè diligenterq́ compoſitæ, ſolam inductionem exemplorū illuſtrium & inſignium requirebant, aliam demonſtrationem nullam poſtulabāt. Hæ perſpicuitatis ariſtotelicæ cauſſæ, doctori propoſitæ eſſe debuerant, ut ſyllogiſmum ſimplicem definiret, diſtribueret, exemplis illuſtraret. Quid hîc eſt actum? Incredibilis obſcuritatis caligo eſt inventa: nubes in Aruernorum montibus nulla unquam tam dēſa, tàmque tetra fuit: Et quidem tanta hæc obſcuritas, demonſtrationum & exemplorum ſpecie, tota conflata eſt, dum aliena principia ad definitiones ſyllogiſmorū demonſtrandum, dum abecedaria exempla ad illuſtrandū afferūtur. Dividitur ſyllogiſmus in perfectū & imperfectū: Perfectū, qui nil præter aſſumpta requirat, ut neceſſarius appareat: ut oēs ſyllogiſmi ſint primæ figuræ · Imperfectū, qui re quirit, ut reliquarū figurarū ſyllogiſmi: Obſcuritatis eſt cauſſa: partitio enim hæc ariſtotelicum nihil habet, & diſciplinam tantùm cōturbat, ut poſtea clarius patebit. Ad perfectos ſyllogiſmos demonſtrandum, principia conſtituuntur, de omni & de nullo dici; Dico verò, ait Ariſtoteles, de omni dici, cū nihil liceat ſubjectum aſſumere, de quo alterum non dicatur: & de nullo ſimiliter. Ad illos, inquā, licet perfectos ſyllogiſmos tamen demonſtrandum, principia hæc proponuntur: Obſcuritatis eſt cauſſa, de qua latiùs poſtea: principia ſiquidē nugatoria ſunt. Ad imperfectos ſyllogiſmos ſua etiā principia ſtatuuntur, cōverſio, deductio ad impoſsibile, expoſitio: Item ad vitioſos demonſtrandū, Omni ineſſe, Nulli ineſſe: Cauſſa eſt obſcuritatis: Hinc enim ſyllogiſmi duntaxat obſcurantur, nihil demōſtrantur.

Atque in converſionū doctrina, geometricæ ſimilitudinis affectationem valdè alienam video: Quemadmodū Geometria principiis axiomatum, definitionū, poſtulatorum, theoremata & problemata ſua demonſtrat: Sic videlicet Logica magnificis hiſce principiis, definitorū ſyllogiſmorum theoremata demōſtrat. At diſsimile totū eſt, & planè contrariū. Definitiones Mathematicis principia ſunt, per quas, figurarū affectiones demonſtrantur. Hîc aūt inventæ ſunt affectiones ſyllogiſmorum alienæ, per quas eorum definitiones demonſtrarentur.

CAP. IIII. DE CONVERSIONIBUS.

Retexamus igitur ariſtotelicis principiis has logicas tenebras, & analyſeos lumine propellamus: Principia (dici de omni, dici de nullo) non demōſtrantur: De iis autem pauló pòſt aptiùs agetur: ſecūda ex cōverſionibus, non ex primis principiis, ſed per impoſſibile demonſtrantur. Cōverſio triplex à Philopono ſtatuitur octavo capite ſecundi Analytici, prima terminorum, ſecunda propoſitionū, tertia ſyllogiſmorum: Converſio autē, eſt verbum ut ſuperiora, de quibus dixi, à Mathematicis translatum: habent enim ſuas cōverſiones Mathematici, qui theoremata quædam nominant antiſtropha: ſed harum longè diſsimiles: ut triangulū æquilaterum, eſt æquiangulū, & vicíſsim æquiangulū, eſt æquilaterū: Nec propoſitio cōverſa poſterior ex priore cōcluditur, aut demōſtratur, ſicuti fit in his logicis converſionibus, in quibus eadē propoſitio inverſa, ad ſeipſam probandā & demōſtrandam adhibetur. Converſio, eſt etiā Logica quædam naturalis, ut proprii & ſubjecti, definitionis & definiti: Item in Categoriis dicitur, relata converti, ut filius, patris filius: & pater, filii pater: Eſt etiam quædā naturalis in cōtingenti, de qua hujus capite duodecimo, ſecūdum oppoſitionē: Cōtingit ambulare, Contingit non ambulare: Et reciproca in uſu hominum multa & frequentia ſunt: Non vivo ut edam, ſed edo ut vivam. Aliquando cōverſionis nomine, ſignificatur antiphaſis, ut capite triceſimo hujus cōverſa propoſitione, id eſt ſumpta, oppoſita. At converſionis, quæ ſin-

gitur hoc loco, cũ doctrina obſcura eſt, tum demõſtratio obſcurior, & uſus obſcuriſsimus, id eſt planè nullus. Cauſſas obſcuritatis adhuc multas cõperimus, ſed tamen hac poſtrema cauſſa, aliæ plurimæ continentur obſcuritatis cauſſæ. Lumina igitur definitionum, partitionum, exemplorum cõparemus. Quid eſt igitur converſio? quas ſpecies habet? Non definitur, non dividitur: Obſcuritatis cauſſæ ſunt in hoc principio jam duæ. Dividitur autem hîc propoſitio trifariam, Aut ineſſe, aut neceſſe ineſſe, aut contingere ineſſe: Partitio eadem repetitur octavi capitis initio: At vitioſa eſt: Nam etiam non poſſe ineſſe, propoſitio quædam eſt: & ſic liber interpretationis docuit neceſſarium, contingens, impoſsibile: Tertia eſt cauſſa obſcuritans in hoc principio. Hîc docetur καθ' ἑκάστην πρόσρησιν, ſecundum unamquamq; appellationem, id eſt modum, negari modificatas vel affirmari: Contingit, non contingit: neceſſe, non neceſſe: hanc πρόσρησιν, liber Interpretationis appellat πρόσθεσιν: & pauló póſt docebitur negationẽ hinc effici in modificatis: De quo errore, in interpretatione jam dictum eſt: quarta eſt obſcuritas. Repetitur hîc inutiliter propoſitionum partitio, univerſalis, particularis, infinitæ: Cauſſa eſt obſcuritatis quarta. Sequitur deinceps ſpecies converſionum abſoluta, nec ſpecies ipſæ converſionum definiuntur, generalis, ſpecialis: Cauſſa eſt obſcuritatis ſexta: Exempla tantùm ponuntur, eáque ficta, non ex uſu deducta: Obſcuritas eſt octava. Negatio generalis, terminis convertitur, id eſt generaliter: affirmatio autem utraque ſpecialiter: Negatio ſpecialis non neceſſarió convertitur. Hæc converſio eſt abſolutarum propoſitionum, demonſtrationes converſarum ſequuntur, longé converſionibus ipſis obſcuriores: Si converſio, res erat naturalis & uſitata, eùm per genera & differentias definita eſſet & diviſa, exemplis illuſtribus exponi debuit, alia demonſtratione non eguit: quia genere & differentia, id eſt definitione vera & accurata nihil eſt clarius, & ad rem probandam & demonſtrandum evidentius, ſicut Ariſtoteles in Poſterioribus veriſsimê docuit: Imó affirmavit capite decimo ſeptimo ſecundi de Demonſtratione, omnẽ ſcientiam definitione fieri: at hîc inventæ ſunt demonſtrationes ad definitiones demonſtrandum, id eſt rem perſpicuam obſcurandum, ut mox apparebit. Et hîc ingenii labor & ſudur incredibilis eſt: hîc igitur cõſideremus, quod capite hujus triceſimo dicitur, quód differt ſyllogiſmus oſtenſiuus ab eo, qui ad impoſsibile: quia illic ambæ propoſitiones ſecundum veritatem ponuntur, hîc altera aut incerta aut falſa eſt, quæ pro vera & certa ponitur: Demonſtratio veró primæ converſionis, unde cæteræ deductæ ſunt, per impoſsibile conficitur, & indemonſtratum problema relinquitur: Sic veró res habet:

Si nulli β ineſt α, nulli α inerit β.

Nam ſi alicui ineſt, ut γ, non verum erit, nullum β eſſe α: nam γ, ipſius β aliquid eſt. Hæc demonſtratio eſt videlicet primæ converſionis: Retexamus igitur demõſtrationis hujus & argumentum & argumentationem: in argumento abecedarium exempſum eſt, mutum: Imitatione credo, aliqua geometrica factum, & totis Analyticis continuatũ: Imó Geometrarum velut authoritate collaudatum triceſimo nono capite hujus, qui pro vera linea, latitudinis experte, pictam lineam proponunt, quæ tamen talis non eſt: Ita pro veris argumentationis exemplis, ponuntur hîc abecedaria exempla, ut diſcipulus differentes intelligat, ait ibidem Ariſtoteles: At diſsimillima res eſt: Geometres enim exemplis licet rudibus & craſsis, exemplis tamen aliquid ſignificãtibus utitur, eorùmque imagine per ſenſum communes rerum ſpecies in animum diſcentis inducit, qui verus eſt uſus exemplorum: nec exempla illa abecedaria geometres concludit, ſed res illis exemplis ſignificatas: nec tamen eo quicquam mentitur, ut Ariſtoteles veriſsimè docet octavo primi Poſteriorum, & ſecundo ſecundi Phyſici, & in Philoſophia tertio decimi tertii, & ſecundo decimi quarti: Nec geometres facit exempla literis, ſed exempla literis appellat, ut linea α—β, circulus γ. Sic etiã grammatici interdum literis demonſtrant: ut Varro 7 de lingua: ſit hoc *a*, hujus *a*, eſſe hoc *e*, hujus *e*, huic *e*. At in abecedariis Analytici operis exemplis longè ſecùs

eſt:

eſt:nec enim familiaribus & ſenſilibus exemplis Homeri, Demoſthenis, Platonis, communes ſyllogiſmorum ſpecies inducuntur, aut appellantur literis, ut ſyllogiſmus homericus α, Demoſthenicus β, platonicus γ: ſed ſyllogiſmi literis fiunt, & exempla, rei nullius exempla, nihilq; planè ſignificantia proponuntur: In quibus non per ſenſum, communis ſyllogiſmi ſpecies in animum diſcentis inducitur, aut rudibus notis ſignificata res concluditur, ſed animus ipſe inani phantaſmate, & rei nullius imagine deluditur. Quapropter liber, qui verorum exemplorum luce, principia ſyllogiſmorum explicare & illuſtrare ſtatuit, his abecedariis exemplis, vel potiùs fallacibus & inanibus exemplis obſcuravit: Longéque aliud eſt, exemplum eſſe rude & craſſum, ut in Geometria, aliud eſſe mutum, prorſus nullum, ut in Analyticis: peſsimiq; dogmatis per ariſtoteleas ſcholas diſperſi origo hinc accepta eſt, Exemplorum veritatem non requiri: quaſi inductiōis, unde principia omnia oriuntur, quaſi lex ariſtotelea κατὰ παντὸς, quaſi deniq; ſenſus, id eſt exemplorum veritas nulla requiratur. Ergo hæc obſcuritatis cauſſa, per Analytica tota ingens atque immenſa fuit, ſpecie perſpicuę tamen claritatis inventa: tum quia exempla, principiorum declarationes & illuſtrationes ſint, illuſtria hæc & inſignia literariū exempla in Logica videlicet accepta ſunt. At hæc exempla maximè communia ſumpta ſunt, dicet aliquis, quæ poſſent omnibus artibus & diſputationibus accōmodari. At, inquam, nullis accommodari poſſunt, quia nihil ſunt: & ſi vera exempla & familiaria proponerentur, nónne facilius eſſet, in quovis problemate ſimilia ſumere? An Chimærarum, quæ nullæ ſunt, quàm verarū rerum major eſt ſimilitudo? Utere iis abecedariis exemplis in exponenda Grammatica, & die te his uti, ut maximè communibus, quæ deinde poſsint ad epiſtolas, verſus, orationes, ſermones poëtarum, oratorum, philoſophorum, omnium denique ſcriptorum accommodari: utrùm ridebere, an inſanire potiùs videbere? Obſcuritatis prima in hac demōſtratione hæc cauſſa eſt, eadémque deinceps totis Analyticis continuata, & perpetuæ atque infinitæ obſcuritatis cauſſa. Verùm perge, exemplum abecedarium, fiat argumentum logicum, loquatur & ſignificet aliquid: qoale tamen eſt? an ex primis principiis problema demonſtrat? Nihil, ſed ex ſuppoſitione per impoſsibile, contradictoriū nempe antecedentis, ut duo illa ſimul admittenda ſint.

Nullum β eſt α.
Aliquid β eſt α.

Quód ſi ex demōſtratione certa concluderetur, tamen nulla eſſet prioris demonſtratio, quia nulla cauſſa eſſet, quæ doceret, quamobrem eſſet converſio vera: ſed contradictiōnis vis eſſet ad confeſsionem ejus, quód non intelligeres, & aſſenſionem cogendam. Altera obſcuritatis cauſſa fuerit, ſi demonſtrationem eſſe credas, ubi demonſtratio nulla eſt: Ac tametſi demonſtratio quamobrem res eſt, ſyllogiſmum nō requirit (ut in Poſterioribus patebit, & Ariſtoteles ipſe docet, qui demonſtrationom nullam ferè ſyllogiſmo concludit) attamē ejus argumentationem retexamus, & inchoatum in ea ſyllogiſmum abſolvamus, quó magis vis probationis intelligatur, qui poſsit hinc effici: quis erit? Pone problema, ſyntheſim & progreſſum conſidera:

Nullum β eſt α.
Ergo nullum α eſt β.

Si conſeqoens falſum, contradictoriom verum eſt Aliquod α eſt β, ut γ. ex γ igitur in tertia figura per expoſitionem concludes,

γ eſt α.
γ eſt β.
Igitur β eſt α.

Tanquam ſi diceres,

Socrates eſt animal:
Socrates eſt homo:
Aliquis igitur homo eſt animal.

Quænam igitur hîc eſt demōſtratio? quæ cauſſa antiquior priórque hîc proponitur? An Socrates, cauſſa eſt hominis vel animalis, ut per Socratem, alterum inſit alteri? An non igitur perinde demonſtrata converſio eſſet, cùm exemplo eſſet expoſita ſine hac demōſtratione? Ergo quamobrem cōverſio vera ſit, per hanc egregiam demonſtrationem, nullam cauſſam docemur. Atqoe hæc obſcuritas eſt tertia in hac demonſtratione:

tione : Argumentum & medium eſt mutum, problematis contradictorium demonſtrat, non problema : Contradictorium ipſum non apodicticè demonſtrat. Attamen hæc demonſtratio, reliquarum demonſtrationum, quæ cõverſionibus demonſtrandis adhibentur, fundamentũ eſt. Ut jam intelligi poſsit, omnes has demonſtrationes contra doctrinam Ariſtotelis, & contra veram Logicam confictas eſſe. Pergamus: Cõverſio generalis & ſpecialis affirmationis, per demonſtratam converſionem demonſtratur. Demonſtratio utraque totidem obſcuritatis cauſsis ornata. Specialis negationis converſio demonſtratur expoſitiõe, vel indefinitè, id eſt exẽplo : ut, non ſequitur, Aliquod animal non eſt homo, ergo aliquis homo non eſt animal: Antecedens enim verum eſt, conſequens eſt falſum. Hæc demonſtratio licet poſtrema, & quæ non videatur eſſe, ut revera non eſt, demonſtratio, ſed expoſitio, attamen primæ par eſt, & eadem eſt hîc obſcuritas, quód quævis vera probatio pro demonſtratione ponitur. Sequitur demonſtratio modificatarum enuntiationum, ac primó neceſſariarum : ſimillima nempe, nequid hîc fruſtrâ repetam, quód generalis negatio generaliter convertitur, affirmatio utraq; particulariter : negatio ſpecialis non convertitur, ob eandem cauſſam, quæ priús dicta eſt. Hæc converſio eſt modificatarum neceſſariarum : Prima ſic demonſtratur : Si neceſſe α nulli β ineſſe, neceſſe eſt β nulli α ineſſe : Si enim contingit & α, cõtingit alicui β. Demonſtratio eadem quæ prima fuit, & iiſdem vitiis ornata: Obſcuritatis ſuperiores illæ cauſſæ etiam hîc omnes repetuntur: mutum eſt argumentum, problematis contradictorium, non problema probans : ipſum contradictorium, non apodicticè probans. Ergo hæc demonſtratio illis vitiis ornata eſt, imó veró auctior: Nam quæ negationes hîc dicuntur: (ut,

Nullum β eſſe α eſt neceſſe:
Nullum α eſſe β eſt neceſſe:)

negationes non ſunt, ſed ſpeciem affirmativam habent, ut mox dicetur: deinde, quę pro contradicentibus hîc aſſumi videntur:

(Nullum β eſſe α eſt neceſſe:
Nullum β eſſe α contingit:)

quamvis repugnent, non tamen contradicunt: Poſtremó iſta converſio perpetuó vera non eſt: Nec enim ſequitur,

Omnem oratorem, eſſe hominẽ eſt neceſſe.
Ergo aliquem hominem, oratorem eſſe eſt neceſſe.

Hæ tres obſcuritatis cauſſę novæ ſunt, quód affirmationes pro negationibus, non contradicentia pro contradicentibus, falſa pro veris afferantur. Has igitur demonſtrationis tam obſcuræ cauſſas habemus in uno hoc exemplo : in duabus demonſtrationibus affirmationum totidem rurſus habemus : Specialis autem negationis obſcuritas unica tantúm, ut antea: Converſio contingentium, qualis eſt? Varia, quoniam contingens multipliciter dicitur, & neceſſariũ, & non neceſſariũ, & poſsibile. Affirmatio autem utraque ſimiliter cõvertitur: Nam ſi omne vel aliquod β contingit eſſe α, & aliquod α contingit eſſe β: ſi enim nullum α contingit eſſe β, nullum item β contingit eſſe α. Demõſtratum enim eſt id priús. Hæc hujus demõſtrationis eſt oratio: qualis, videamus & retexamus: Primúm cauſſæ muti argumenti, non quæſtionem, ſed quæſtionis contradictorium demonſtranti : imó nullam quæſtionis cauſſam continentis, eædem rurſus hîc ſunt : & tres proximæ repetuntur, affirmationes pro negationibus rurſus adhibentur, non contradicentia pro cõtradicentibus, falſa pro veris, imó damnata pro demonſtratis: primum perſpicuum eſt, ſecundum & tertium declaremus:

Aliquod α eſſe β contingit:
Nullum α eſſe β contingit.

quæ pro cõtradicẽtibus videtur aſſumi, ad hãc demõſtrationẽ cõtradictionẽ nullam habent, & ſimul eſſe poſſuntur,

Aliquem hominem currere contingit:
Nullum hominem currere contingit:

Sic enim ſyntaxis eſt hujus orationis, ut liber Interpretationis docuit, & hoc etiam capite poſtremo docebitur. Ergo quæ pro contradicentibus aſſumuntur hîc, ea ſimul vera ſunt: tantúm abeſt ut contradicant: Deinde reprehenſum poſtea & damnatum pro demõſtrato adhibetur, non ſolúm falſum pro vero : Etenim cujuſmodi eſt quod dicitur, demonſtratam eſſe converſionem hanc

(Nullum

(Nullum α eſſe β contingit:
Ergo nullum β eſſe α contingit.)

Nam mox docebitur negatiões iſtas non cõverti, ut ſuperiores. Hęc ſingularis in hoc converſionum principio cauſſa eſt obſcuritatis: Atque exemplo patet eam converſionem falſam eſſe: ut,

Nullum hominem, oratorem eſſe contingit:
Ergo nullum oratorem, eſſe hominem contingit.

Reliqua eſt cõverſio negationũ, quòd quæcunque dicuntur cõtingere aut ineſſe, aut quia ex neceſsitate nõ inſunt: ut;

Hominem non eſſe equum contingit:
Veſtem non eſſe albam contingit.

Illud enim ex neceſsitate non ineſt, & impoſsibile eſt: hoc veró non ex neceſsitate non ineſt: quę contingentis duplex ſignificatio poſtea capite decimo ſexto rurſus eadem ponitur: Quæcũque, inquam, negationes ſic contingens aſſumunt, generaliter convertuntur:

Si enim nullum hominem, eſſe equum contingit:
Et nullum equum, eſſe hominem contingit.

Et, *Si nullam veſtem eſſe albam contingit:*
Nullum album eſſe veſtem contingit.

Si enim aliquod album, eſſe veſtẽ neceſſe eſt, aliquam veſtem, eſſe album neceſſe eſt: Similiter in negatione ſpeciali: Hîc rurſus affirmationes pro negationibus, & falſum pro vero: nec enim ſequitur, ut dixi,

Nullum hominem eſſe oratorem contingit:
Ergo nullũ oratorem eſſe hominẽ cõtingit.

Et tamen orator homini nõ ex neceſſitate nõ ineſt, & non contradicẽtia pro contradicentibus adhibentur, & propoſiti contingentis definitio convenit: & poſtea capite decimo ſexto nulla cõtingentis hujus non neceſſarii diſtinctione, docetur privativam contingentis non neceſſarii non converti. Quæcunque veró ut plurimũm, & frequẽtiùs in alteram partem inclinant: nec ſunt, ut libri interpretatiõis docuit, utrumlibet, nec habent contingens incertum, ut poſtea capite duodecimo dicetur, in his generalis negatio non convertitur, ſed ſpecialis. Hæc veró converſio ſine demonſtratione relinquitur, & ideo nihil hîc in demonſtrando peccatur. Capite autem duodecimo poſtea dicetur omnes contingentis nõ neceſſarii enunciationum converti, ſed lõgé ſecus quàm hîc, ut ibi dicetur. Sed interea tamen duo peróbſcura ponuntur, nec explicantur: Extremo autem capite veré docetur contingentis negationes adhuc expoſitas, veras negationes nõn eſſe, ſed affirmativam habere figuram: Et ſicut in abſolutis (eſt,) ſic (contingit) in his modificatis affirmationem facit: quod rurſus duodecimo capite repetitur, ubi dicitur has propoſitiones, nõ affirmativas, ſed affirmativarum figuram habere. Atque hæc cõverſionum doctrina eſt: hæc demõſtratio cũ multis inſignibúſque obſcuritatis cauſsis notabilis & animadvertenda: Doctrina cauſſas obſcuritatis multas habet, demonſtratio multó plures: Nec in his adhuc quicquam ariſtotelicis principiis conſentaneum invenimus: Quæ nubes ac tenebræ, quãvis tam multæ ſint, attamen ut res planiſsimé perſpiciatur, fac in converſionum demonſtrationibus tot tamq; tetras tenebras nullas eſſe: quis erit uſus converſionum? ad quam aut cujus operis analyſim adhibebũtur? Diſſerui doctrinam cõverſionum multis vitiis obſcuram eſſe, pluribus vitiis obſcuriorẽ earum eſſe demonſtrationem, uſum & utilitatem jam videamus: Hic enim finis eſt, ſi uſum habeant, ut ad Dialecticam nobis propoſitam referantur & conſerventur: ſi nullum habeant, ut omnino é Logica tollantur: ſic Ariſtotelis principia, uſus & experientia præcipiunt. Quis igitur eſt uſus converſionum? Dices imprimis ad ſyllogiſmos demonſtrandum, converſiones valere; Hîc tantúm requiram, an captioſum & tenebricoſum ſophiſma, ſyllogiſmi demonſtrandi poſsit eſſe principium: Etenim ut converſionem, ſomnium & commentum eſſe, ſi nõndum ſatis intellexeris, intelligas tandem: primúm nego in infinitis philoſophorum, oratorũ, poëtarum, omnium denique ſcriptorum libris, extra hæc ſcholaſtica commenta, ullum converſionis hujus exemplum reperiri: Omniũ artium principia profecta ſunt à ſenſibus & inductione ſingulorũ exemplorũ, quæ vera, quæ naturalia, quæ utilia & homerica ſint: omnia deniq; Analytica debẽt eſſe, & ad analyſim, ad exercitationem, ad uſum referenda, ut ex Ariſtotelis doctrina tã ſæpe repeto. At cõverſionis exemplum huma-

num & naturale nullum eſt, præceptum converſionis ad nullum opus retexendum & explicandum valet, propterea non eſt principium. Dico majus: nego poſſe ullum naturale, ſaltem probabile converſionis hujus exemplum reperiri. Reprehenditur in Analyticis & Topicis infinité, & damnatur obſcuritas, ſi petatur quod in principio & quæſtione poſitum eſt, & ſophiſma ſtolidum appellatur: Docetur in Analyticis poſterioribus omnem doctrinam, ſcientiam, artem, ſyllogiſmum, inductionem, omnémque omnino diſputationem ex antecedente cognitione fieri: At in converſione res eadem eſt, & converſio, & converſionis argumentum: & cùm duo quæſtionis extrema diſtinxeris, mediũ nullum præterea reperies: Etenim quæſtio ſit, An nullus lapis eſt homo? duo ſunt extrema (lapis & homo) nec in converſione quicquam præterea ponitur: Itaq; in converſione mihi pro quæſtionis argumento, quæſtionem ipſam cauda velut abreptam & retortam ita concludis:

Nullus homo eſt lapis:
Ergo nullus lapis eſt homo.

An nõ hoc eſt petere, quod erat in principio? vel potiùs diſturbare ac pervertere principium? Verùm quó magis tantum ſophiſma deprehendatur, Agé, ex omni enthymemate, ut docebitur poſtea, licet abſolvere ſyllogiſmum:

Nullus homo eſt lapis:
Ergo nullus lapis eſt homo.

Enthymema eſt, argumentum quæſtio ipſa ſibi ponitur, & argumẽtandi ſummo ſophiſmate texitur: perfice ſyllogiſmum, fatuitatem concluſionis evidentiùs intelliges: ſic autem erit:

Nullus homo eſt lapis:
Omnis lapis eſt lapis:
Ergo nullus lapis eſt homo.

Atq; ita poſtea, cùm ſecundæ figuræ modus primus reducetur ad ſecundum primæ figuræ modum per converſionem, reductio ipſa, ſyllogiſmus erit, in primo modo primæ figuræ: imó enthymema tantùm ſecundæ figuræ. Quamobrem conſideremus has Chymæricas ineptias: tantúm aberit, ut per converſiones, ſyllogiſmorum definitiones demõſtrẽtur, ut cõverſiones ipſæ, ſophiſmata abſurdiſsima deprehendantur. Syllogiſmorum veró definitiones omnium figurarum per ſe claræ ſunt, & illuſtres generibus & differẽtiis, quibus clarius ad demonſtrandum nihil eſſe poſsit, effectæ: An igitur nox diei, caligo lucis demonſtratio eſſe poterit? Quamobrem videmus in hoc uno converſionum principio, quàm multæ obſcuritatis cauſſæ converſæ ſint, & quàm nihil ex toto converſionum commento ſit Analyticum, nihil ad humanæ rationis uſum accommodatũ, nihil præclaris Ariſtotelis principiis conſentaneũ, nihil deniq;, quod ad logicam inſtituti & nobis propoſiti operis doctrínam referri poſsit.

CAP. V. DE PRIMA FIGURA.

Redeamus ad intermiſſum ſolem, & analyſim continuemus. Syllogiſmus obſcurè definitus eſt, partitio ejus omiſſa eſt: jam multa tenebrarum genera contra verã Ariſtotelis doctrinam cumulata: pergamus: Quid eſt ſyllogiſmus ſimplex? huc enim perveneramus: quot eius ſunt genera? Non definitur, non dividitur: obſcuritas eſt gemina: imó genera ipſa, σχήματα, figuræ nominantur, metaphora mathematica: figura enim propriè ſignificat formam lineamentis compoſitam, qualis eſt in plano trigono, tetragono, circulo, ſolido, cubo, ut Ariſtoteles ipſe docet in categoriis, ubi facit quartam ſpeciẽ qualitatis, figuram: & quæ circunſtet unumquodque, formam. Eadem metaphora Ariſtoteles in Philoſophia ſæpe utitur, cùm dicit figuras categoriarũ, ut quinto & ſexto & nono & decimo libris, quas primo Topicorum & primo Elenchorum genera categoriarum appellat & hoc libro affirmativam figuram, & ſimilis figuræ propoſitiones eadẽ metaphora dicit: quomodo etiam Plato figuras politiarum etiam interdũ nominat. At metaphoram Ariſtoteles in Platone, ut obſcuritatis cauſſam, reprehendit decimo quinto ſecundi Poſteriorũ, & tertio, ſexto, ſeptimoq; Topicis. Et certé interpretes hac metaphora eluſi; omnes ſyllogiſmorum modos geometricis figuris nobis inſinuarunt: tanquam Ariſtoteles nõ modificato verbo, ſed proprio uſus eſſet. Sed hæc de nomine: res ipſa videatur: ſpecies hic tres factæ ſint,

ordine

ordine præpoſtero, Tertia enim figura èſt ſimplicisſima, & naturâ prima. Prius eſt enim argumentum præcedere tantũ, quod tertia figura ſit, quàm cõſequi tãtum, quod ſit ſecunda figura, quàm etiam præcedere ſimul & conſequi, quod ſit prima: Quo naturalis ordinis argumento tertia figura primo loco debet eſſe, ſecunda ſecundo, prima tertio, uti nos in arte locavimus. Quid vero eſt ſyllogiſmus ſimplex primæ figuræ ſeu primi generis? nõ definitur: hîc cauſſa obſcuritatis eſt. In quot ſpecies dividitur? diviſio nulla eſt: nova eſt obſcuritas. Species quomodo definiuntur? obſcurè & confuſè. Primò duæ generales ſimul: Cùm igitur tres termini ſic ſe habeant inter ſe, ut extremus in toto ſit medio, & medius in toto primo ſit, vel non ſit, neceſſe eſt extremorum eſſe ſyllogiſmum perfectum. Hîc definiuntur duo primi modi generales, alter affirmatus, alter negatus: confuſè (ut dixi) & ſermonis genere valdè rudi: eſſe in toto, definitum priùs eſt, dici de omni: ut cùm dicitur, Omnis homo eſt animal: animal ſit in toto homine: Hîc veró ſermo contrarius eſt: non enim attributũ in ſubjecto, ſed contrà ſubjectum in attributo. Huiuſmodi ambiguitas mille tenebras in Organo logico peperit: eſſe in, dicitur in categoriis, eſſe accidentis de ſubjecto: eſſe in, modò dicitur eſſe attributi, modò contrà ſubjecti termini: Deinde medium & extrema primæ figuræ definiuntur: medium, quod ipſum in alio ſit, & aliud in ipſo: quodq́; poſitione ſit medium, & extremorum alterum in alio ſit, in altero aliud. Ad hæc inutiliter ita definiũtur: nã problematis, quod concludendum eſt, partes & medium, termini illi ſunt, & ante ſyllogiſmi conſtructionem reperti ſunt: Figura definienda fuerat ex anteceſsionis & conſecutionis, id eſt diſpoſitionis differentia & varietate: Materia ſyllogiſmi eſt in tribus terminis, nec forma ſyllogiſmi, per ſyllogiſmi materiam definienda. Atque ex hòc fortaſſe commento in Logicam inductum eſt, ut medium pro argumento diceretur, ratione prorſus aliena: Nec enim in ſecunda vel tertia figura ſic medium eſt, nec in connexis & diſjunctis ſyllogiſmis ſic medium eſt, tropus hic alienus eſt, vel græcis Ariſtotelis interpretibus ignotus, qui ſecũdo capite ſecundi Poſteriorum diſputant medium in ſimplici quæſtione (An eſt, quid eſt) nullum eſſe: In Rhetoricis ab Ariſtotele fides, probatio, argumentum, nomine vero & proprio dicitur. Hîc etiam arbitror mathematicam metaphoram eſſe, quam tamẽ in comparatis Logicam fecimus, ut in extremorũ vocabulis, media & extrema in comparationibus numerorum & magnitudinum Mathematici nominant: Hinc analyſis, hinc terminus, hinc principia, hinc figura, hinc medium denique & extrema trãsferuntur. Inter obſcuritatis cauſſas metaphora ſtatuitur: Omne ſiquidem obſcurũ eſt, quod ſecundum metaphoram dicitur, ut eſt ſexto Topico. Quod præceptũ ſicubi verum eſt, certè hîc eſt verũ: Hinc orta poſtea confuſio eſt, ut ad inventionem medii, adhibeantur ſyllogiſmorũ definitiones, tanquam inventionis loci. Poſt has duorum generalium modorum, & trium primæ figuræ terminorũ definitiones, ſequũtur abecedaria exempla, & demonſtrationes, quibus & prima figura, & tota prorſus Analytica valdè obſcurata ſunt: atq; in his demõſtrationib⁹ geometrica itẽ κακοφυλία fuit. Eudoxus incredibili ſophiſmate è materia definitionũ fecit quinto libro elementorum propoſitiones dubias, & ſophiſmatis idoneis demõſtravit. Cõdiſcipulum Ariſtoteles eſt imitatus in materia etiã illuſtriore. Primam demonſtrationem conſiderare incipiamus. Ariſtoteles veriſsimè docet in poſteriobus Analyticis non omnes quæſtiones nec omnium rerum demonſtrabiles eſſe, non genus differentiámque de ſpecie demonſtrari: genus & differentiam, unde fiunt definitiones, alia cognitionis via, primò quippe enuntiationis judicio cognoſci & judicari. De ſyllogiſmo ſimplici primæ figuræ & primi modi nunc agitur, & cùm ex antecedente ſuperiorum & generum & differentiarum cognitione definitus ſit, nunc tandem quæratur, an ſyllogiſmus ſit: perinde ac cùm definitum eſſet animal, diviſumque in ſpecies eſſet: & tandem definitus eſſet homo, animal rationale, quæreretur tandem, an homo eſſet animal: ad eâmque quæſtionem demonſtratio compararetur: Atque id demonſtrabile

bile non eſſe Ariſtoteles ait: Et tamen diviſione generis id jam mihi dediſti: & ambiguum facis, quod pro certiſsimo jam poſuiſti: imó quæſtione tua te ipſum ridiculum facis, qui quæris, an animal rationale, ſit animal: id eſt, an ſyllogiſmus in primo modo primæ figuræ, ſit ſyllogiſmus, & in eo poſitis antecedentibus, conſequens ſuæ diſpoſitionis virtute neceſſarió concludatur. Quamobrem quiſquis hanc ſyllogiſmorũ definitorum demõſtrationem commentus eſt: rem ſané veriſsimis Ariſtotelis principiis alieniſsimam commentus eſt. Veruntamen agé, demõſtrationem videamus: quæſtionẽ eſſe de modi primi definitione meminerimus: An ſi primum ſit in medio toto, & medium in toto poſtremo, neceſſe propterea ſit eſſe univerſalẽ ſyllogiſmum extremorum, & primũ eſſe in toto poſtremo? Quænam igitur ratio ad hoc demonſtrandum affertur? Si enim α de omni β, & β de omni γ: neceſſe eſt α de omni γ dici: Priús enim dictum quomodo de omni dicimus: Hæc tota eſt demonſtratio: Argumentum igitur & medium demonſtrationis hujus videamus: quam complexionis cauſſam contineat, æſtimemus. Principiũ eſt (inquies) dici de omni: At hoc principiũ, eſt ſententia definitionis, quæ demonſtrãda proponitur, mutatis verbis comprehenſa: definitionem etiam tertii modi confuſé complexa: Quod de toto dicitur, ſi quid vel generaliter, vel ſpecialiter aſſumas, de eo quoque dicitur. Hoc axioma cõplectitur primi & tertii modi definitiones: itaq; ad definitiones ipſas demõſtrandum, ſi afferatur idem, per idem demonſtrabitur: aut ſi quid diverſum putes, poſterius & obſcurius erit. Conſtet enim definitio primi modi, de quo nunc agitur, ex ſuo genere ſuâque differentia: dicaturq; ſyllogiſmus ſimplex primi generis & affirmatus & generalis: clarius & evidentius nihil eſſe poteſt. Nulla igitur hujus definitionis eſſe demonſtratio poteſt: & quicquid afferetur ad eam demonſtrandũ, poſterius & obſcurius erit. Definitio, ait Ariſtoteles, eſt principium, nec omnino demonſtrari poteſt: Ergo fruſtra, & contra Ariſtotelis doctrinam iſta demonſtratio tentatur. Jam veró nonne in hoc opere docetur duos modos primæ figuræ, omniũ ſyllogiſmorũ clariſsimos eſſe? ad eosq; cæteros omnes revocari? Imó veró tandem docetur in Poſterioribus hũc modum generaliter affirmatum, demõſtrationis excellentiſsimæ, & omniũ præſtãtiſsimæ modum eſſe. Si vis igitur probare primi hujus modi definitionẽ per alium quempiã ſyllogiſmi modũ, nónne vehementer erras? & ſolem tanquam laterna aliqua illuminare vis? Imó vis, quod exemplo tibi ſaltem ridiculo confingere non poſsis. Definitio modi hujus, eſt in quæſtione, An trium terminorũ primus in toto medio, medius in toto poſtremo, concludant neceſſarió primum in toto eſſe poſtremo: Medium & argumentum demonſtrandæ quæſtionis, dicis eſſe principiũ illud, dici de toto. Itaq; ex illa quæſtione & hoc medio, conclude nobis demonſtrationem uno aliquo ſimplici ſyllogiſmo, in qua voles figura: Hic ingenii nervos omnes contende: hoc argumentum, & illa propoſitæ quæſtionis extrema, uno ſyllogiſmo ſimplici conclude: An ita concludes?

Quicquid dicitur de toto, dicitur de totis ejus ſubjectis:

Sed in hoc ſyllogiſmi modo primum dicitur de toto medio, & medii ſubjectum eſt poſtremum:

Ergo primum dicitur de toto poſtremo.

An ſic unum ſyllogiſmum facies? At proſyllogiſmũ in aſſumptione feceris: Tenta igitur aliam quamvis viam: & ſi concluſeris, tamẽ in alium obſcuritatis locum incideris. Prima veró omnis demonſtrationis ſyllogiſticæ ſedes eſt prima lux, prima claritas: in illo ſyllogiſmi modo major eſſe nulla poteſt, Errat igitur qui primi modi definitionẽ demonſtrare vult, & cõtra Ariſtotelicã inſtituendæ artis ac ſciẽtiæ doctrinã peccat, quia per obſcuriora progreditur. Obſcuritas igitur in ejuſmodi demõſtratione talis eſt. Talis eſt iterũ demõſtratio ſecundi modi, ex principio dici de nullo: de qua ne minutatim perſequar, quod ſummatim cõplecti poſſum, idem eſt dicendũ: quæſtionem nõ eſſe demonſtrabilẽ: Deinde principiũ illud eſſe ex definitione ſecũdi & quarti modi conflatũ: aut ſi diverſum ſit, poſterius definitionibus illis & obſcurius eſſe. Definitiones tertii & quarti modi ſimul cõfundũtur,

&

& ex iiſdem principiis conſimili caligine involvuntur: Atq; ita pro principiis, pro definitionibus & claris exemplis, demonſtrationes nil demonſtrantes, & exempla nullius rei exempla adhibita ſunt, quæ totam hanc doctrinam valdè conturbant. An nondum obſcuritatum finis eſt? imò verò vix eſt initium. Quatuor modis rectè concluditur in primo ſimplici genere, novemdecim modis vitioſè concluditur in eodem genere, ut nominatim hîc docetur: pluribus verò, ut interpretes enumerant. Hos vitioſos modos græci interpretes appellant aſyllogiſtos: de quibus ſi quid præcipiendũ erat, in Elenchis præcipiendum erat, qui errores & ſophiſtarum captiones interpretantur: ſed totis figuris tribus, imò totis Analyticis, imò toto ferè Organo logico hæc bella ſophiſmatum doctrina aſperſa eſt. Interponitur etiam hîc præceptum, nõ ex Logicę, ſed Rhetoricæ ignorantia profectum, infinitam propoſitionem & particularem eandem in ſyllogiſmo eſſe: ſæpiùs enim univerſalis fuerit, quàm particularis. Et ſynecdoches uſus ut jam docui, id admoneat. Sed horum vitioſorum modorum definitiones involutæ ſunt, exempla verò nulla ſunt inſignia: tot obſcuritates cumulatæ: Atq; ad eos vitioſos modos refellendum ex principiis Omni & Nulli ineſſe, demonſtrationes totidem contexuntur, ſuis ſingulæ obſcuritatis cauſsis inſtructę: Unã demõſtrationem videamus: & quidem primi modi vitioſi, ut reliquos inde metiamur. Syllogiſmus generalis ſola propoſitione affirmatus in prima figura vitioſus eſt: Demonſtratio ſophiſmans hujus ſic eſt: Nam & omni, & nulli contingit primum poſtremo ineſſe: Termini, omni ineſſe, animal, homo, equus: nulli ineſſe, animal, homo, lapis. At hæc demonſtratio modo ipſo vitioſo, qui demonſtratur, vitioſior eſt: Nam ſi quis ſyllogiſmum illum ut conſtantem & perpetuum defendat, ſatis eſt ad verè fortiterque contradicẽdum & refellendum, aliquando inconſtantem & falſum docere, & falſitatis unum exemplum proponere: Tu dixeris, Omnis ſyllogiſmus primæ figuræ univerſus, propoſitione duntaxat affirmatus, eſt conſtans: Ego contrà, Aliquis ſyllogiſmus primæ figuræ univerſus, propoſitione duntaxat affirmatus, non eſt conſtans, ut hîc.

Omnis equus eſt animal:
Nullus homo eſt equus:
Ergo nullus homo eſt animal.

ego te veriſsimo contradictionis argumẽto convicero: docere autem ad illam vitioſi modi propoſitionẽ univerſalem refellendum, quòd aliquando vera ſit, & in tali concluſione majus extremum minori omnino inſit, nil attinet: Ergò demõſtrare omni & nulli, nil attinet. Deinde cùm certos modos noveris, quid opus eſt obliquos tã curioſè perſequi? An cùm Grãmaticus docuerit leges latinæ ſyntaxeos, ſubſtantivi & adjectivi, de genere, numero, caſu, rectè faciet, ſi omnium ſolœciſmorum contrarios modos præceptis perſequatur? doceatque, contra hanc ſyntaxim fieri ſolœciſmum primò genere, deinde numero, tum caſu, tum genere & numero, tum genere & caſu, poſtremò his omnibus? Certè cacotechnia talis, valdè ſit inepta, & Ariſtotelis veræ doctrinæ contraria, qui docet in Poſterioribus, principia artium & ſcientiarum tam perſpicua eſſe oportere, ut contrariis rerum vitiis nil inde ſit neque certius, neq; notius: quiq; aliam facit artem Elenchorum, ubi propriè de iis vitiis, ſi quid præcipiendum ſit, præciperetur, aliam ſyllogiſmorum. Ergo videmus quot obſcuritatis cauſſæ in hac una demonſtratione ſint: Ac quoniam hujuſmodi novendecim ſunt, ſingulisq; tales demonſtrationes videlicet capiãt, ex his vitioſorum modorum demõſtrationibus, quot obſcuritatis cauſſæ oriãtur, jam percipitur: ne miremur tantam in hac figura obſcuritatẽ eſſe, ad quam conflandam, tam multæ cauſſæ concurrunt. Nihil erat ex Arverno illo monte intuenti clarius, nihil aſpectu jucũdius arboribus & pratis: cùm nubes interveniſſet, nihil obſcurius, nihil aſpectu triſtius: Sic logicis ſyllogiſmorum dogmatis in bono definitionum, partitionum, exemplorum lumine poſitis nil erat evidentius, nil humano ingenio gratius: cùm verò tanta, tamque multis cauſsis involuta obſcuritas incidit, nihil eſt cognitu difficilius, nil ab ingenuo & liberali hominis ingenio alienius. Quamobrem ut ſyllogiſmorũ doctrinę germana veraq; claritas ad ariſtotelicam methodum reſtituatur, reſtituantur recto-

rum modorũ definitiones, partitiones, inſignia exempla: vitioſorum tanta vanitas tollatur, tam multæ de rectis & obliquis modis, demonſtrationum obſcuritates tollantur: tollãtur abecedaria & muta exempla. Primæ figuræ, ſeu primi generis ſimplices ſyllogiſmi perfecti eſſe dicuntur, & verè quidem dicũtur: Ratio autẽ perfectionis à ſumptis è principio falsò repetitur: nil enim definitiones ſyllogiſmorũ, primæ figuræ principiis, dici de omni & de nullo, prorſus indigẽt. Quæ ſunt igitur, inquies, ſyllogiſmorũ principia? An, inquam, id nõdum ſatis expoſui? an nõ jam toties ariſtotelicam philoſophiã propoſui? Definitus eſt ſyllogiſmꝰ, diviſus eſt in ſpecies, ſpecies definitæ: quæris an genꝰ, ſpeciei cõveniat, & primus modus, definitus ſit ſyllogiſmus, id eſt cõſtans & perpetua concluſio? Hîc ſi ratio aliqua ſit quamobrẽ, ſanè ſola fuerat ſyllogiſmi definitio: Si requiras præterea definitionis rationẽ, nihilò plꝰ agas, ut inquit ille, quàm ſi des operam, ut cũ ratione inſanias. Sic Ariſtoteles affirmat genus, differẽtiam, atq; ex iis conflatam definitionẽ demonſtrari nõ poſſe, ſed principia demonſtrationis eſſe: Ergo ſyllogiſmorum definitiones, ſunt ſyllogiſmorum principia.

CAP. VI. DE SECUNDA *Figura.*

SEcunda figura nõ minùs eſt obſcura, quàm prima fuit: quomodo diſcutiemus cauſſas hujus obſcuritatis? Ad illum Arvernum montem redeamus: analyſim definitionũ, partitionũ, exemplorum præferamus, obſcuritatis cauſſas excutiamus & æſtimemus: Secũdam itaq; figuram perſpicuè definiri, & in ſpecies dividi, eaſq; definiri, & exemplis illuſtrari oportuit, ut perſpicuè traderetur: Horum nihil actũ eſt, & propterea res eſt obſcura: Definitionẽ primùm ſecundæ figuræ retexamus: Quando verò idem huic omni quidẽ, illi verò nulli ineſt, vel utriq; omni, vel nulli, figuram quidem hujuſmodi voco ſecundam, ait hic author: At definitio iſta vitioſa eſt, nec omni ſoli definito convenit: ſpeciales enim ſyllogiſmi ſecũdæ figuræ, tales non ſunt, nec ſolis ſecundæ figuræ ſyllogiſmis convenit: ſophiſmatis enim convenit; cùm ex duabus vel affirmationibus vel negationibus hîc aliquid concluditur, ſophiſma eſt, non ſyllogiſmus: Vitioſa igitur eſt iſta definitio, & obſcuritatis eſt cauſſa, cùm pro vera ſumitur. Dividi genus hoc in ſuas ſpecies ſecundo loco debuit: non dividitur: ſecunda eſt obſcuritas: Species ſingulæ definiendæ, & exemplis homericis, non chœrileis illuſtrandæ: Definitiones duorum primorũ modorũ confunduntur ſimul, ſimul item duorũ poſtremorũ: exempla nulla ſunt inſignia: obſcuritatis cauſſæ ſunt: Termini tres, ut in prima figura, definiuntur ex diſpoſitione anteceſsionis & conſecutionis, id eſt ex forma ſyllogiſmi: hæc obſcuritas eſt triplex, & quidẽ ordine valdè novo, ut medius terminꝰ, hîc poſitione ſit primus, quia (opinor) in diagrammate aliquo primũ categorema ſit, nullus in hac figura perfectus ſyllogiſmus eſſe dicitur, quod in eodem capite bis rurſus proponitur: Syllogiſmorũ hujus figuræ definitiones ſi legitimæ cõſtituãtur, per ſe claræ ſunt & illuſtres: at p eas definitis modis ſi requiras quãobrem ſyllogiſmus inſit, & ſyllogiſticæ cõcluſionis neceſsitas, id eſt quamobrẽ unicuiq; ſpeciei ſuum genus adſit, adferam generis ipſius definitionẽ, quia ſit diſpoſitio, qua quæſtio cum argumẽto diſpoſita neceſſariò concluditur: quam tamen jam intelligere debueras ex antecedentibus: Si longiùs pergas, dicam te Ariſtotelis Logicam neſcire, & propoſitionis immediatæ medium quærere: Deinde ſi petas à demonſtrationibus & deductionibus ad impoſsibile, rationem aliquam, monebo te, in converſionibus & deductionibus ad impoſsibile, nullũ medium, nullamq; cauſſam quæſtionis tuæ contineri, teq; in rem prorſus ridiculam converſione tua converti. Eſto nobis primi modi ſecundæ figuræ demonſtratio per converſionem: ut,

Nullus improbus eſt ſapiens:
Omnis philoſophus eſt ſapiens:
Nullus philoſophus igitur eſt improbus.

Reducatur nobis hic ſyllogiſmꝰ per converſionem ad primam figurã: Convertatur igitur propoſitio:

Nullus improbus eſt ſapiens:
Ergo nullus ſapiens eſt improbus:

Hoc ſiquidem lumine atq; hoc judicio illuminatur & judicatũ noſtra reductio: At iſta converſio, eſt enthymema ſecundæ figuræ: & ſi abſolvatur, eodem planè

modo,

modo, ſed ſine argumẽto ita concludet:

Nullus improbus eſt ſapiens:
Omnis ſapiens eſt ſapiens:
Nullus ſapiens eſt improbus.

Atq; ita judicii modus idem per eũdem judicii modum, imó ſyllogiſmus ex argumento ſuo conſtãs & partibus abſolutus, per ſyllogiſmum nullo argumẽto compoſitum, parte una truncum ridiculé atq; ineptè judicatur. Quę qui diligẽtiùs reputabit, mirabitur profectò contra veriſsimam Ariſtotelis de principiis doctrinam, talẽ cacotechniam tam diu retineri. Perge, vix initium tenebrarum retexuimus: Demonſtrantur tres primæ definitiones per converſionem & deductionem ad impoſsibile: quarta tantúm per impoſsibile: demonſtrationes ſeptẽ ſunt: tres primæ argumẽto illo abecedario & muto primùm, deinde ſophiſmate cõverſionis innixo: quarta argumento illo itidẽ muto, eoq; problematis contradictorium, nil apodicticum complexo: Hæ tenebræ multæ ſunt: ſed tamẽ vitioſi modi duodecim minimùm (plures enim videntur in hac converſione indicari) ſed tamẽ duodecim longiſsimé tenebras iſtas ſuperant: Definitiones ſingulorum & exempla ſuas obſcuritates oſtendunt. Demonſtrationes illæ ſingulares, per terminos eſſe & non ineſſe, obſcuritatibus, ut antea, decoratæ ſunt. Atque interea ſingulare etiam demonſtrationis genus in tertio modo vitioſo contexitur, quód omni ineſſe, non liceat ſumere: idq; per impoſsibile & infinitum demonſtratur, argumẽto muto, nil quæſtionis apodicticum complexo. Quamobrem ne miremur hujus capitis doctrinam tam obſcuram eſſe, cùm cauſſas obſcuritatis tam multas videamus: Definitiones, id eſt principia vera per converſiones, id eſt commentitia principia per deductiones ad impoſsibile cogentes, non docentes obſcurantur: Elenchi in ſyllogiſmorum modis demonſtrantur, & quidem via ipſis Elẽchis & ſophiſmatis obſcuriore demõſtrantur: mutis exẽplis omnia cõficiuntur. Quid igitur miremur, rem tam obſcuram eſſe?

CAP. VII. DE TERTIA *Figura.*

Analyticé primam figuram ſecundamq; percenſuimus: analyſeos lumine tenebras utriuſq; & obſcuritates oſtẽdimus: Analyticé etiã tertiã figurã percẽſeamus: analyſeos lumine tenebras hujus diſcutiamus: ad ejus perſpicuitatẽ, Ariſtotelicã veræ doctrinę & materiam & formã, inſigniaq; illa definitionũ, partitionũ, exẽplorũ lumina requiramus: Analytici deniq; in opere analytico retexẽdo & reſolvẽdo ſimus. Quid eſt igitur tertia figura? Quando autẽ eidẽ, hoc quidẽ omni, illud veró nulli ineſt, aut ambo omni aut nulli, hujuſmodi figurã voco tertiã. Definitio figurę tertiæ eſt vitioſa: nõ cõvenit omni ſyllogiſmo tertiæ figuræ, ſpecialibus enim non convenit: Non convenit ſoli ſyllogiſmó tertiæ figuræ, ſophiſmati enim cõvenit: ex ambabus negationibus non ſyllogiſmus, ſed ſophiſma fit. Prima eſt hujus figurę obſcuritas é vitioſa definitione: Secundo loco tres termini ex diſpoſitione & ſyllogiſmi forma definiuntur, hic tam vitioſe, quám in utraq; ſuperiore figura, obſcuritas eſt. Tertio loco dicitur in hac figura nullũ ſyllogiſmũ perfectũ eſſe, & tandẽ reperitur: obſcuritas eſt: Omnes enim ſunt perfecti, nec ad ſe demonſtrandũ, ſuis definitionibus quicquam clarius habẽt. Quarto loco partiẽda hæc figura fuit in modos quos habet: partitio nulla eſt: obſcuritas eſt. Quinto loco definitur modus primus novo genere, ſolo exẽplo, & illo quidem muto, ut poſtea ſecundus: obſcuritas eſt. Tertius & quartus modus definiũtur eadẽ cõfuſione, qua modi primæ & ſecũdæ figuræ definiti ſunt: obſcuritas eſt. Quintus & ſextus ſeparatim quidem: ſed qui quintus eſſe debuerat, ex mutata propoſitiõe ſecũdi factus, poſtpoſitus eſt. Has igitur obſcuritates analyſis perſpicuæ definitionis & partitionis nobis oſtẽdit: Exẽplorũ veró, quibus demonſtrãdæ & illuſtrandæ definitiones fuerant, analyſim perſequamur: Exẽpla inſignia & homerica nulla ſunt: multiplex eſt obſcuritas. Nec veró ſatis eſt definitionum, partitionũ, exemplorũ lumina deeſſe, demõſtrationum obſcuritates, ut antea, toto capite conſperguntur: quatuor primi modi, per converſionẽ, reductionẽ, expoſitionẽ demõſtrantur, & ad primã figurã revocantur: quintus per deductionẽ & expoſitionẽ: ſextus per cõverſionẽ: Quindecim ſunt demõſtrationes, ſingulę ſuis illis cauſsis obſcuræ. Eſt veró per expo-

ſitionem demonſtratio perridicula, qua probatur per exemplū ſingulare, quod univerſaliter poſitum fuerat:

Omnis homo eſt rationalis:
Omnis homo eſt animal.
Aliquod igitur animal eſt rationale.

Demonſtratio per expoſitionem ſic inſtruitur:

Socrates eſt rationalis:
Socrates eſt animal:
Ergo aliquod animal eſt rationale.

At Ariſtoteles multó certiús docet in poſterioribus Analyticis, veras rerū demōſtrationes de ſuperioribus naturaq́ꝫ prioribus cauſsis accipi. Atq; hîc etiam vitium aliud eſt, quód ſyllogiſmus, Ariſtotelis legibus informatus atq; deſcriptus, per argumentationē probatur: cui locus inter ſyllogiſmos apud Ariſtotelē null⁹ inſtituitur: de ſingulari enim & ex propriis enūciatis ſyllogiſmo, nil apud Ariſtotelem docetur. Quid vitioſos modos? quid eorū demonſtrationes recenſeam, aut retexam? Modi vitioſi decē, in quibus ſingulis eadē prorſus eſt obſcuritas: Definitionum & exemplorum inſignium perſpicuitas nulla: cauſſæ ſunt obſcuritatis Demōſtrationes illis vitiis, quibus in aliis figuris prædictæ. Atque etiā demonſtratio illa ſingularis, de qua in ſecūda figura dictū eſt, hîc explicatur in tertio & ſexto vitioſo modo: Nō licet ſumere terminos, nulli ineſſe; ſi min⁹ extremum ineſt alicui medio, & alicui non ineſt. Atq; utrobiq; demōſtratio duplex inſtruitur, altera per impoſsibile, altera per infinitū: Obſcuritates novæ in quatuor demonſtrationibus ſunt, demōſtrationis nullo argumento: Sic in vitioſis modis obſcuritates tā multæ ſunt. Quāobrem ne miremur, hoc caput tā obſcurū eſſe: definitiones & partitiones & exēpla, quia lumine ſuo carēt, obſcuritatis multas cauſſas attulerūt: Demonſtrationes rectorū modorum, demōſtrationes vitioſorum, multó plures pepererūt. Verum enim veró tribus figuris tam perſpicué, tāq; evidēter & claré q̄ adhuc dictū eſt, expoſitis, corollariū ſeptimi capitis admirabile ꝓrſus additur: repetitur primúm, ex ſpecialib⁹ nihil unquā cōcludi: obſcuritas prima eſt: id cōfuſé repeti nil attinet. Sed perge: ſyllogiſmos ſuos habet pria figura, ſuos habet ſecūda, ſuos habet tertia: cōmunes omniū figurarū deinceps explicantur: Cúm aūt affirmativus & privativus, & univerſaliter ſumptus privativus, ſemper fit ſyllogiſmus minoris extremitatis ad majorē: ut ſi α quidē omni β vel alicui: β aūt nulli α, converſus in propoſitis, neceſſe α alicui α nō ineſſe. Similiter autem & in aliis figuris: ſemper enim fit per converſionē ſyllogiſmus. Hos duos modos Græci quidem κατ' ἀνάκλασιν καὶ ἀνακλωμένας, id eſt ἀντιστροφὴν καὶ ἀντεστραμμένας, ſecundū converſionē & cōverſos, vulgus in noſtris ſcholis appellat *Fapeſmo et Frizeſomorū*: Exemplis exponam⁹, quó faciliús ineptiæ deprehendantur. Exemplum Fapeſmo in prima figura:

Omnis vir bonus eſt laudandus:
Nullus ſophiſta eſt vir bonus:
Aliquis igitur laudandus, nō eſt ſophiſta.

Cōplexio directa erat, Nullus igitur ſophiſta laudandus: ea veró nō procedebat: quare per cōverſionē contorta complexio eſt, hoc modo: Aliquis igitur laudandus, nō eſt ſophiſta. Vides quám volubili rota figulus hujus operis complexionē convertat? At quis iſto modo ratiocinatur, aut argumētatur? Proferant hujus doctrinæ doctores, homericū aliquod, platonicum, ariſtotelcum etiā extra hæc commenta, ullū naturale exemplum: Recordētur ariſtotelicæ doctrinæ in Analyticis etiam tātoperé celebratæ: principia artium, ſingulariū exemplorū inductione non ſolúm colligi, ſed collecta cúm tradūtur aliis, illuſtrari: Artium omnium mater experiētia & obſervatio ait Ariſtoteles, inducantur. Ergo nobis hujus artis, hujus regulæ vera & naturalia exēpla è præſtātibus authoribus deducta & obſervata proponantur. Atqui nō ſolum ejuſmodi ſomnia nulla reperientur, ſed ſi fingantur, protinus ſophiſticam ſuam indicabunt. Hæc enim commentitia & captioſa ſophiſmata, è tenebricoſis cōverſionū ſophiſmatis educta ſunt. Simile eſt ſecūdæ figuræ exemplū.

Aliquis bonus vir eſt laudandus:
Frizeſomorū. *Nullus ſophiſta eſt vir bonus:*
Aliquis igitur laudandus, nō eſt ſophiſta.

In ſecunda tertiaq; figura hæ concluſiones non habent ab uſitatis modis collocationem diverſam, niſi quód ſecundo loco propoſitionē ſtatuunt, aſſumptionem primo, & quód complexionem habent in ſecūda figura ſpecialem: Secundæ enim

dæ enim figuræ primo & tertio, tertiæ ſecundo & ſexto modis concluduntur in ſecunda figura ſic:

Omnes improbi ſunt miſeri:
Fapeſmo. *Nulli ſapientes ſunt miſeri:*
Ergo aliquis improbus non eſt ſapiens.

Aliquis ſapiens eſt beatus:
Frizeſomorũ. *Nullus improbus eſt beatus:*
Aliquis igitur ſapiens non eſt improbus.

In tertia figura idẽ prorſus erit: pone igitur priore loco, quod ſecũdo eſt, omnia congruent ad artis legem, quæ eſt ſecundæ figuræ modis quatuor illis:

Nulli ſapientes ſunt miſeri: ut,
Fapeſmo. *Omnes improbi ſunt miſeri:*
Aliquis igitur improbus, non eſt ſapiens.

Nulli improbi ſunt beati:
Frizeſomorum. *Aliquis ſapiens eſt beatus:*
Aliquis igitur ſapiens, non eſt improbus.

Mutatio autem loci nec legem, nec ſpeciem ſyllogiſmi variat: & ſyllogiſmi partem metimur non loco, ſed ſententia & collocationis ratione: & liber Interpretationis veré docet, tranſmutata nomina & verba idem ſignificare. Verúm quid in his ſomniorum nugis orationem majorem conſumo, cúm è converſionũ deliramentis deducta eſſe dixerim? In tribus figuris ſingulis definitiones duæ, exempla duo perſpicua ſi fuiſſent, res aperta eſſet: Duodecim cauſſæ ſunt obſcuritatis: ſingulæ demonſtrationes nõ exprimuntur, ſed indicãtur: Demonſtrationes ſex fuerunt, ſingulæ uſitatis vitiis ornatæ: cauſſæ ſunt obſcuritatis: Ita capitis hujus vix decem verſus, tot cauſſas obſcuritatis habẽt. Repetitur, infinitam propoſitionẽ ſpecialis loco poſitam idẽ facere: obſcuritas eſt. His generibus expoſitis ſi putes omnes ſimplices ſyllogiſmos cõtineri, falleris: Licet enim ex proprIis propoſitis in unoquoq; genere ratiocinari, uno tãtúm ex præſcriptis legibus obſervato, ut affirmatio negatioq;, ad rationem diſpoſitionis expoſitæ conveniant, ſicut Dialectica noſtra docuit: & in ſingulis figuris duo ſunt modi: Sex igitur definitiones, totidem exempla de ſunt: cauſſæq; obſcuritatis ſunt duodecim: & exempla omnia actionum humanarum (ad quas præcipuè Logica tamẽ adhibetur) ſingularia ſunt, ſicut artium omnium, licet præcepta generalia ſint, uſus tamen in ſingulis exemplis & experimentis verſatur. Nec audiẽda vanitas ſcholaſticæ diſtinctionis neſcio cujus, (quód ſingularia rejiciantur à diſciplinis) quaſi de propria & ſingulari cõcluſione nõ ſit generalis & univerſa præceptio: Et in his figuris præceptio, quæ iſto genere concluditur, nõ adhibeatur tanquam principium aliquod probandorum ſyllogiſmorum. Atq; adhuc univerſæ cauſſæ obſcuritatis in hoc capite ſunt jam multæ: Reliquo capite concluditur reductio ſyllogiſmorũ in primam figuram, per eamq; reliquas perfici: quæ omnium feré ſuperiorũ tenebrarum (ſi ſubtiliter numerare velis) confuſa caligo eſt. Additur preterea ad duos generales modos primæ figuræ ſpeciales, ejuſdem figuræ modos revocari per ſecundam figurã: Quatuor demonſtrationes ſunt, ſingulę ſuis vitiis obſcuræ. At bone De⁹, quid ſibi vult hujus infinitæ cõfuſionis magiſter? Analyſis, terminus, ſyllogiſmus, principium, converſio, & abecedaria exempla, figura, intervallũ á mathematicis tranſlata ſunt, apodixis definitionum hinc arrepta. Vbi autem ſimilitudo rei clara eſt, metaphoram nominis laudo. At ut de nonnullis jam dixi, diſsimillima res eſt, iſtaq; φιλογεωμετρίας, φιλολογίαν καὶ τοῦ λογίζεσθαι peritiam perdidit: Hęc imitationis geometricę vana & inanis affectatio, multas tenebras peperit, ſed una affectatio, omnium vaniſsima & inaniſsima fuit ἀναγωγὴ reductio ſyllogiſmorum figuræ unius in aliam, quæ poſtea nominatur ſæpe analyſis, interdum, ut capite quadrageſimo primo hujus, μετάβασις, & dialyſis initio. Occaſio tantæ vanitatis, ſpeciem geometricæ ſimilitudinis habuit: Artem & veritatẽ ſummæ diſsimilitudinis habet. Figura irrationalis in plano reducitur ad parallelogrammum rectangulũ, circulus ad quadratum, ut mẽſuræ rationẽ aſſequatur: Sic ad priſma & cylindrũ ſolida reducuntur. At res eſt in ſyllogiſmis diſsimillima: Definitiones ſyllogiſmorũ cujuſcunq; modi ſint, ſi generibus & differentiis ſuis conſtent, ut cõſtare debent, clarius habere nihil poſſunt, à quo demonſtrentur. Converſio, accidẽs eſt propoſitionis, ac multó etiam magis ſyllogiſmi: Delirare itaq; plané eſt, & veram Ariſtotelis de ſcientiis formãdis doctrinam cõtemnere, naturam ipſam rerum, generibus & differẽtiis monſtratam, ac-

cidente tam tenebricoſo præſertim velle demonſtrare: Per primam figurā judicatur: per ſecundā figurā judicatur: per tertiam judicatur: omni deniq; ſyllogiſmi certo & cōſtāti genere judicatur: nec illa judicii cōſtantia, reductione clarior efficitur, ſed cō verſionis & deductionis tenebris obſcuratur: In Geometria veró, quó faciliús idem ſpatium agri, campi, inſulę, cujuſvis deniq; rei dimetiare, rem ipſam nihil commutas, ſed hanc rei formam, in illā reducis, & dimenſionis modum clariorē tibi cōſtituis: At hic ſi per impoſsibile reducatur ſyllogiſmus, res ipſa tota cōmutatur: Contradictio duarum partiū ſumitur, ſi per cōverſionem una ſaltē pars magna & inſolita, judicii perturbatione cōvertitur. Quamobrē reductionis geometricæ diſsimillima eſt hæc reductio logica, illaq; ſciētifica, hæc plané ſophiſtica. Syllogiſticarū definitionum demonſtratio magis etiā ſophiſtica. Atque adhuc hæ bellæ cauſſæ ſunt, quibus analyticæ Logicæ vel inventor, vel certé compoſitor, φιλογεωμέτρης à ſuis appellatur: At, ut dixi, iſta φιλογεωμετρία, φιλολογίαν καὶ τὸ λογίζεσθαι penitā perdidit. At iſta ſubtiliter inventa ſunt, dicet aliquis, & accidere poſsūt: ſyllogiſm⁹ enim alius in aliū per hęc principia reduci poteſt. Sint ſtulté & fallaciter, ut ſunt, non modó ſubtiliter invēta: quid tū? An eſt artibus propoſitū, præceptis complecti, quæ fieri aliquādo, & ſubtiliter cogitari poſsūt? an potiús quæ humanæ vitæ cōveniunt, quæ nos rebus gerēdis tractandisq; prudentiores & aptiores efficere poſſunt? Finis artium, nō eſt ſubtilitas, ſed vera ſolidaq; utilitas: Suppoſitiōes, ampliationes, ſubtiliter ab ineptis hominibus erāt invētæ, & fieri poterāt, quę his tradebantur: ac diutiús quám bonis ingeniis expediebat, retētæ ſunt atq; approbatæ: Cur igitur ab omnib⁹ ſcholis nūc rejiciūtur & explodūtur? quia nullū cogitationis ſuæ fructū ferūt: quia nihil hominū prudentiā juvāt. Explodantur igitur & hæc ſimilia tot vanitatū cōmenta, nec ſub exiſtimatione vanæ authoritatis, tāta vitia diutiús lateāt: Subtilitas veró ſi tantoperé placeat, placeat in exquirendis aperiendisq; utilibus rebus, hisq; ad uſum vitæ, neceſsitatemq; conferendis: Liceat acutis & ſubtilibus eſſe. Sed in promovendis humanis ſtudiis, in occultis infinitarū rerū (quę nondū cognitæ ſunt) naturis explicandis, in amplificanda degendæ vitæ ratione: denique ariſtotelica principia, ἐμπειρία, ἱστορία, ἐπαγωγή, vigeant in artiū ſtudiis & regnent. At perfectio, dices, & abſolutio artis hîc quæſita eſt, ut ex omnibus numeris doctrina cōſtaret: & in Geometria ſic θεωρήματα ſunt quædā, quæ nullū prorſus uſum ex ſeſe afferāt, ſed ad aliorū demonſtrationē pertinent: ſic cōverſio, deductio, cæteraq; ſyllogiſmorū principia nullū habeāt uſum: at valent ad Logicā geneſim demonſtrandū. Verúm pleriq; his nugis defendendis nimis nugatoni ſunt: dū enim ejuſmodi aliquid reſpondeant, magnos ſe Dialecticos eſſe exiſtimant. Quid veró dicāt, quám conſentanea rationi, nil reputant. Perfectio artis, ajunt, in his ineptiſsimis nugis quæſita eſt: Hanc objectionē tam levē, velut arcē tamē ad impetus omnes ſatis idoneam putant. Quid igitur artis eſt perfectio? quid abſolutio? nonne tota ad unā ſummam naturalis rationis confirmationē referenda eſt? nonne hîc & inventionis & diſpoſitionis finis cōſpirans ac plané cōſentiens eſt, ut humani ingenii vires, ingenio ipſi oſtēdant? nōne ἐμπειρία, ἱστορία, de quibus tam ſæpe jam dico, id ſpectant & ſibi proponunt? Similis veró ſi fuerit error in Geometria, an ejus exemplo iſta vitia laudabūtur? Utinam Geometriam ſic inſtitutam haberemus, ut Platonis, ut Ariſtotelis tempore inſtituta fuit: quam pueri in pulvere facilé diſcerent: demōſtrationibus permultis careremus, quas vix ac ne vix quidē viri ætate & judicio firmi percipere queāt. Et quidē talem Geometriā futurā non deſpero, in tanta præſertim excellentiū ingeniorū ubertate: & nos ipſi exemplum edituri ſumus & mathematicis ſcholis ſophiſtica ejuſmodi impedimenta prolaturi. Sed nūc de Logica: Qui igitur artem Dialecticam ſcribit, ſtatuat ſibi ante oculos ariſtotelicam ἐμπειρίαν καὶ ἱστορίαν, naturalis deniq; illius & humanę rationis exemplū imitandū: Tum veró perfectiſsimā artē ſe feciſſe, ſi volet, glorietur, cúm ejus omnes actiones uſitatas & cōſtantes, omnes earum ſpecies & partes, omnium etiā partium particulas ex eodem fonte experientiæ derivatas, definitionibus, partitionibus, exēplis expreſſerit:

ſerit: nihil autẽ de ſuo comminiſcatur, nihil fingat, nihil ſomniãdo mentiatur. At in omnibus antecedentibus, ac dein de conſequentibus tenebris, quas accuſamus, nihil eſt ex quotidiano uſu, nihil ex ullo humanæ vitæ exẽplo ſumptum probari poteſt: nulla deniq; ἐμπειρία, nulla ἱστορία eſt. Redeamus igitur ad illã ſummam & primam demonſtrationẽ, & ariſtotelicis principiis fundatam: Ars dialectica ab obſervatione naturæ deducenda eſt, & ad eandẽ confirmandam, ſi imbecillior fuerit, referẽda eſt: Nihil autem huc ex iis perfectionis tã multis imperfectionibus referri poteſt. Conſiderẽt igitur qui iſta tantoperé defendũt, & attendant, quamobrem ſine ulla ratione, ſine cõſilio, ſine uſu, ſine ullo vero argumento tenebras iſtas ad perniciem juventutis alant. Ne veró putemus has nugas nunc primúm reprehendi, Antipater & Chryſippus apud Galenum ſecundo de placitis Hippocratis & Platonis jampridem deriſerant: & Galenus ipſe ait ſyllogiſmorum reductiones, & omnem ejuſmodi ſyllogiſmorum complexionẽ, vanitatem inutilis rei eſſe nõ mediocrem.

CAP. VIII. DE PARALOgiſmo neceſſariis & abſoluti.

SEd ab his tenebris ad alias pergamus: majores enim & obſcuriores ſuperſunt: capita enim quatuordecim ſequuntur, omniũ, quæ adhuc retexuimus, obſcuriſsima, in quibus de modificans concluſionibus & puris & permiſtis agitur: quaſi trium figurarum deſcriptæ legés omnibus ſimplicibus propoſitis concludendis non ſufficiant. Meminerimus Arverni illius mõris: unum eſſe ut in orbe, ſic in arte ſolem, cujus lumine illuſtrentur omnia: neque campos virentes nigros eſſe, neque ſyllogiſmos atros, ſed nubes tetras, ſed captiones obſcuras eſſe. Analyſis igitur verum ariſtotelicorum principiorũ ſolem reducat, tenebras depellat: ex ariſtotelicis & Analyticis libris ſol nobis exiſtat, qui tenebras operis Analytici diſcutiat, ſyllogiſmosq; perſpicuos, diſcretis nubibus oſtendat. Syllogiſmis igitur ſimplicibus expoſitis, quid ſequi debuit? Conjunctus ſyllogiſmus definiri, dividi, exemplis illuſtrari debuit: illũ ſolem pars ea doctrinæ requirebat. Hîc eadem querela noſtra non poteſt eſſe, quæ prius fuit. Syllogiſmos ſimplices, exceptis ꝓpriis, de quibus nihil diceretur, conqueſti ſumus in tribus figuris obſcurati: conjunctos deinceps obſcurari non conquerimur, ſed de his ne verbum quidem ſaltem nominatim fieri dicimus: Et cùm poſt Ariſtotelis obitum ſatis conſtet á Theophraſto & Eudemó diſcipulis Ariſtotelis hos ſyllogiſmos obſervatos & notatos & deſcriptos eſſe, Organi logici compoſitores & interprètes accuſamus; qui non modó de his ſyllogiſmis in Organum logicum nihil includant, cùm Porphyrii tamẽ ſophiſmata includant, ſed tribus figuris omnes ſyllogiſmos includi imperitis ſuadeant, ut poſtea dicetur. Collegimus igitur ſigillatim cauſſas obſcuritatis, quibus ſyllogiſmorum ſimplicium doctrina eſſet involuta: capita ſeptem fuerunt: Deinceps veró numerari ſigillatim cauſſæ tenebrarum vix poſſunt: totoq; Analytico primo, imó reliquis potiùs Analyticis totis tenebræ immenſæ quædã & infinitæ ſunt, quæ analyſim, Logicæ exercitationẽ, & uſum Logicæ non modó nil adjuvent, ſed omnibus modis turbent & impediant. Sed tamen Analytici primi ſummã perſequamur. Geneſis ſyllogiſmorum adhuc tractatur: Magiſter operis Analytici docet octavi capitis initio, leges figurarum expoſitas, abſolutorum propoſitorum ſyllogiſmis convenire, modificatorum ſyllogiſmis non convenire: Quoniam, ait, diverſum eſt & ineſſe & ex neceſsitate ineſſe, & contingere ineſſe, manifeſtũ quoniam & ſyllogiſmus in unoquoq; diverſus eſt. Hęc cauſſa eſt confuſionis infinitæ, quæ poſtea conſequitur: Modificata propoſita aut pura ſunt, ut ſola neceſſaria & ſola contingentia, aut miſta cum abſolutis, aut inter ſe. Itaque figurarum tenebræ quintuplæ multiplicantur: Etenim per tres figuras neceſſaria, per tres figuras contingentia, per tres figuras neceſſaria & ſoluta, per tres figuras neceſſaria & contingẽtia, per tres figuras contingẽtia & ſoluta deducũtur: neceſſaria & pura & miſta priús expediũtur. Syllogiſmus ex omnibus neceſſariis cõcluditur cõmunibus legib⁹, ait hic magiſter; exceptis modis duobus, quarto ſecũdę; & quinto tertiæ figuræ, qui per expoſitionẽ tãtùm demõſtrẽtur. Hîc ſi replica-

ri ſuperiores tenebras volueris, totidem hîc eſſent, quot antea ſunt jam commemoratæ in tribus figuris: Et hi duo modi per impoſsibile mõſtrari poſſunt more ſuperiorũ: falſoq́ hæc differẽtia ponitur: Veruntamen quanvis tenebræ hîc ſint, in his tamen tenebris intelligimus, ut ex omnibus propoſitis neceſſariis, neceſſarium concludatur, legibus ſyllogiſmorum novis nil opus eſſe, tametſi in puris neceſſariis, nec cũ alio genere permiſtis concluſio neceſſaria: quod efficitur non tam ſyllogiſticæ diſpoſitionis lege, quâm naturâ rerũ, ſicut in libro Interpretationis docui in illis enũtiationibꝰ.

(Socratem eſſe animal eſt neceſſe:
Socratem non eſſe animal eſt neceſſe.)

nullã contradictionẽ eſſe, ſed oppoſitionem rerũ, quarũ alterã eſſe oporteat: Ita de his ſyllogiſmis dico, cúm in his vera negatio nõ ſit, negantis ſyllogiſmi concluſionẽ ad præſcriptas leges nõ cõgruere, nec ſyllogiſmi conſtantiam hanc eſſe: imó etiã cúm majus extremũ (eſt neceſſe) tribus propoſitis ſemper terminus ſit ſubjectꝰ: quod ſyllogiſmi legi repugnat: Nec quia concluditur neceſſariũ, iccirco ſyllogiſmũ putemꝰ: id enim fallit, ut docetur hujꝰ capite triceſimo tertio: & ſi loco modi neceſſarii, ponatur modus cõtingẽtis, lege diſpoſitionis eadẽ ſervata, percipietur error, ut in cõtingentiũ ſyllogiſmis pauló póſt apparebit. Nono, decimo, undecimo capite, permiſtio neceſſarii & exiſtẽtis, ut ſic dicã, id eſt abſoluti tractatur, & docetur ex neceſſario & abſoluto ſyllogiſmũ in omnibꝰ figuris fieri: Totidem feré ſunt cauſſæ obſcuritatis, quot in tribus figuris ſunt animadverſæ. Sed tenebras nõ hîc tantúm reprehendo, rẽ ipſam reprehendo: primũ primæ figuræ modũ pro omnibus diſputabo: Nego igitur ex propoſitione neceſſaria, aſſumptione abſoluta, neceſſarii ſyllogiſmum fieri. Etenim ſi ſolutũ pro eo quod verũ eſt, nec falſum eſſe poteſt, ſumitur, ut ſolutũ & neceſſariũ (licet nõ affectum neceſſarii nota) idẽ ſit, certé novi nihil hîc præcipietur: imó veró ex duobꝰ ejuſmodi ſolutis, licebit in omni figura neceſſariũ concludere: nõ enim neceſſitas rebus additione notę neceſſarii, additur, aut detractione detrahitur, ſed exprimitur aut nõ exprimitur: Si ſolutum pro vero ſive neceſſario, ſive nõ neceſſario intelligitur, ut magiſter ipſe exẽplo ſuo indicavit, qui ſumpſit ꝓ ſoluto enũtiato illud nono capite, (Animal moveri) & decimo (hominẽ eſſe album) & undecimo (equũ eſſe bonũ) item (vigilare & dormire) falſũ erit ex neceſſario ſolutoq́ neceſſariũ cõcludi: ut ſi ita dicerẽ:

Omnis homo neceſſarió eſt rationalis:
Quidvis currens eſt homo: Soli enim currant homines:
Ergo qdvis currẽs, neceſſarió eſt rationale.

Itaq́ cõcluſionis hujus judicio ſi quando currant aſini, neceſſarió rationales erũt: Falſa eſt cõcluſio hujus ſyllogiſmi, veris tamẽ antecedẽtibus. In aſſumptione, quia ſoluté locuti ſumus, ſpeciale & præſens tẽpus duntaxat cõplexi ſumus: in propoſitione & cõplexione, quia neceſſarió rẽ eſſe dicimꝰ, univerſale tẽpus cõplectimur, nullã tẽporis excludimus ſpeciẽ: quod enim neceſſarió eſt, nõ poteſt nõ eſſe. Quare ſi tẽpus ipſum, quod adſignificabamus, exprimatur, cõcluſionis error manifeſtus apparebit. Ut ſi dicas, in propoſitione majus extremũ ſemper ineſſe medio: in aſſumptione mediũ nũc ineſſe minori: unde concludas majus minori ſemper ineſſe. Neq́ certê defuerat antea tam manifeſto morbo medicina: Theophraſtus enim, ut interpretes quidã etiã ajũt, hoc mendaciũ argumẽto nõ valdé diſsimili coarguerat: Docuerat enim cõcluſionem, ſi firma eſſet, antecedẽtium partium debiliori ſimilẽ eſſe oportere, & Georgius Gemiſthus græcus author docet â Platonicis idem reprehẽſum eſſe. Et illud eſt, quod in Poſterioribus â Philopono ponitur, Sẽper propoſitionũ deteriorem cõcluſio ſequitur: quodq́ ab Ariſtotele ipſó, ſed obſcuriús, viceſimo octavo hujꝰ eſt poſitũ, Similis enim uniuſcujuſq́ concluſio principiis eſt: ut ſi propoſitio vel aſſumptio negaretur, itẽ negaretur cõcluſio: ſi propoſitio vel aſsũptio ſingularis eſſet, ſingularis itẽ eſſet cõplexio. Quod ipſum etiam præceptis hujus Organi coargui poterat: Præcipitur enim capite viceſimo quarto, complexionẽ univerſalem non poſſe fieri, niſi ex omnibus univerſalibus: Itaq́ cúm in hoc exemplo ſolutũ debilius ſit neceſſario, & ut diximus, unum tempus omni tẽpore ſit minus, complexio debet imbecilliori parti ſimilis eſſe: cumq́ neceſſarii complexio ſit

& uni-

& univerſum tempus cõplexi, nõ poteſt niſi é propoſitionibus univerſum tempus complexis effici. Quód ſi neceſſarium in propoſitione abſoluté dici volumus, in complexione cum aliqua conditione, quemadmodũ interpretes (ut ſolent aliquid ſemper cõminiſci ad hos errores defendendum) fortaſſe reſpondeant, ut concludamus duntaxat quod neceſſariũ ſit, dum aſſumptio vera pronuntiatur: neceſſarium illud non plus erit, quám ſolutum verum: Ac ſi diceretur ex neceſſario & ſoluto ſolutũ concludi: & hac egregia diſciplina ludemur. At Ariſtoteles in ſophiſmatis amphiboliã imprimis enumerat, & in docendo, ſummum vitium eſſe judicat. Quamobrem ſophiſticas illas eluſiones á rebus ſeriis, & utilibus veræ diſciplinæ præceptis diſtinguamus. Tu mihi polliceris auri talenta decem, & tandem Sophiſtica iſta, ferrumina porrigis, & ais te auri nomine, ferrumen intellexiſſe: Ariſtoteles tamen ex artibus captiones tales tolli jubet: omnia artiũ dogmata catholica jubet eſſe. Quamobrem permiſtio neceſſarii & ſoluti, nullam ſyllogiſmi novam legem expetit: Si propoſitio vera ſit, & aſſumptio pari neceſsitati ſubjecta ponatur (ex duobus enim neceſſariis, neceſſarium concluditur:) ſi ſolutumq́ pro quocunq́ modo verum ſit, nõ neceſſarium concludetur, & falſa erit hæc præceptio.

CAP. IX. DE MODIS *contingentis.*

TErtium propoſitionis genus ſequitur, contingens, cujus ſignificationes deſcribuntur primùm, deinde cõcluſiones & ſyllogiſmi: tum ſignificationes duæ deſcribuntur: Contingens, aliquando neceſſarium, aliquando non neceſſarium. Hęc partitio ſiquid utilitatis haberet, dicta eſt in Interpretatione, dicta eſt rurſus tertio capite libri hujus: repetitio iſta inanis, & veræ Ariſtotelis doctrinæ contraria. Contingentis veró ſignificatio propria, eſt de non neceſſario. Approbatur igitur, hîc etiam contingẽs aliquod eſſe neceſſarium: rationem conſideremus & retexamus: captioſam enim & fallacem eſſe ſentio: Hæc ait, conſequuntur inter ſe, Non contingẽs, non poſsibile, impoſsibile, neceſſe non: Ergo & his oppoſita inter ſe ſimiliter conſequentia erunt, Contingens, poſsibile, non impoſsibile, nõ neceſſe non. Verum enimveró antecedens argumẽtationis hujus et falſum eſt, qui naturalẽ & popularẽ, id eſt veram ac propriã contingẽtis ſignificationẽ ſequitur: qui expetit etiam & uſum, id eſt ariſtotelica veræ Logicæ, ſummaq́ principia ſequitur: Nã quod nõ eſt contingẽs, nec ejuſmodi ut poſsit & eſſe & nõ eſſe, ad aliud nihil trium reliquorũ ſequitur: poteſt enim eſſe neceſſarium, poteſt eſſe impoſsibile, poteſt eſſe poſsibile: Et ſi verũ antecedẽs illud eſſet eſſet nõ tñ cõſequẽs ideo verũ: Nec enim in Logica Ariſtotelis, contradicẽtia contradicentiũ ſunt conſequentia, ut cõſtat é ſecũdo Topico: nec tamẽ ſi conſequẽs verũ eſſet, ideo tamẽ concluderetur hoc argumẽto, aliquod eſſe cõtingẽs neceſſarium: Aliud enim eſt, quod cõcluditur nõ neceſſe nõ, aliud quod intenditur neceſſariũ. Sed tamẽ pergamus. Cõtingentis nõ neceſſarii genera duo proponuntur, alterũ probabile, quod appellatur ut antea, frequens, quod natũ eſt eſſe: alterũ incertũ, quod & ſic & nõ ſic poſsibile: aut omnino á fortuna: nil enim magis ſic natũ eſt fieri, quám contrario modo. Hoc cõtingẽs, in Interpretatione appellatũ utrũlibet. utrũq́ veró cõtingẽtis propoſitiones cõvertuntur inter ſe, non affirmata negans, ſed quæ habent affirmativã figurã ſecundũ oppoſitionẽ: ut,

Eſſe contingit,
Non eſſe contingit.
Omni contingit,
Nulli contingit.

Hæc veró cõverſio vera & naturalis eſt, & é vera contingentis definitione ſumpta, ſuperiorum converſionũ longè diſſimilis: illic enim ejuſdem affirmationis aut negationis ſubjectũ tantúm in attributum cõvertitur: hîc veró manet idem ſubjectum & attributum: Affirmatio autem in negationem, cõtrave negatio in affirmationẽ convertitur. De contingenti incerto ſcientia & ſyllogiſmus demonſtrativus nõ eſt: de probabili autẽ & veriſimili, & nato eſſe, ut appellatur hîc, ratiocinationes rerum feré ſunt & conſiderationes: ideoq́ magis in ſequẽtibus definietur & tractabitur. Notandũ eſt hoc loco, quod de uſu præcipitur, quia major eſt uſus contingentis illius frequentis & veriſimilis, proptereaque magis

de eo

de eo præcipiendum : id enim eſt quod analyſis, quod experientia, quod obſervatio requirit, & quod infinité jam flagitamus : & quod ſi publicé receptum ſit, præcipuo dialecticarum ſcholatū labore nil opus erit: Cōverſionum nugas rejicio: non ſolùm quia rarior eſt, ſed quia omnino nullus eſt earum uſus in Logica, quia nūquam de iis ratiocinationes & conſiderationes ſunt : Ergo monitio iſta notetur. Poſtremo capitis hujus loco præcipitur duas propoſiti cōtingentis ſentētias eſſe: Ut cûm dicitur, Currentem cadere eſt contingens, dupliciter id intelligatur: primò, Quod currit contingit cadere, deinde quod contingit currere, id cōtingit cadere: Verùm hoc eſt ſententias orationis ſomniare, non illā dialecticæ artis parentē experientiam & obſervationem & analyſim tenere: Et iſta ſectæ placita ſunt, non experientiæ præcepta: Nam ſecunda ſententia tota cōmentitia eſt : ut cûm dico, Quidvis currens, contingit hominem eſſe: quamvis nunc non currant homines : quamvis falſum ſit, quicquid contingat currere, cōtingere ut homo etiam ſit, tamē verum dico: fieri enim poteſt, ut homines currant aliquando: & ideo quidvis currens, hominem eſſe contingat: Cúm enim per contingentis modum aliquid enuntio, nullum tempus certum comprehendo : ut cùm dico, Quidvis currens, cōtingit hominē eſſe: non id utiq; nunc eſſe aut cras futurum, aut perendie confirmo, ſed idē dico, ac ſi affirmarē poſſe fieri, ut ſoli currant homines : ideoq; quidvis currens, hominem eſſe. Ac ne probatio longior quæratur, in doctorē valeat ipſa doctoris authoritas & dignitas : Sic enim ipſe loquitur decimo quarto capite, cúm ait fieri poſſe, ut omni moventi homo inſit: qa accidere poſsit, ut homines ſoli moveantur. Ergo in hoc capite, fundamento reliquorum de contingētibus ſophiſmatum, videmus quâm omnia cōmentitia ſint: Sic enim ipſe loquitur decimo tertio capite, cúm ad refellēdum contingentis concluſionē, terminos ponit, animal, album, veſtis: ut,

Aliquod album, animal eſſe contingit:
Aliquam veſtem, eſſe albam contingit:
Aliquā igitur veſtē, contingit eſſe animal.

Duæ propoſitiones contingētis, de quo dicturum ſe doctor receperat, exempla ſunt: nec tamen ad commentitiam ſignificationis definitionem cōveniunt, ſed ad illum uſum verum & naturalē, quem dixi: artemq; ſuam doctor hic uſu ſuo, teſtimonioq; ſuo refellit: Imò veró nullis exemplis in diſputatione contingentis utitur, quibus hæc ſignificatio ſomniata teneatur: doctoris enim exempla hæc ſunt ſequentibus capitibus:

Equum moveri contingit:
Omnem hominem moveri contingit:
Hominem intelligere contingit:
Nivem non eſſe animal contingit:
Picem non eſſe animal contingit:
Hominem eſſe album contingit:
Animal eſſe album contingit:
Hominem eſſe album contingit:
Tunicam eſſe albam contingit:
Aliquod album, eſſe animal contingit:
Hominem eſſe album contingit:
Animal moveri contingit:
Album eſſe animal contingit:
Hominem non eſſe ſanum contingit:
Hominem eſſe album contingit:
Equum dormire contingit.

Hæc, inquam, doctoris exempla omnia ſunt, quibus utitur in ſyllogiſmis cōtingentium: quorum nullū ſic explicari poteſt, ut dicatur, cuicunq; contingat, ſubjectum eidem & attributum cōtingere: Nam ſemper alter terminus ſubſtantia eſt: quæ ſubjecto nulli ſic contingit, ut contingens modò dicatur, quod ex affirmatione in negationem convertatur: Subſtantia enim contingere hoc modo nō poteſt. Quamobrem ut dixi, doctor hic doctrinam ſuam, doctrinæ ſuæ exemplo & uſu refellit: Experientia, inquit, & obſervatio, omnes artiū præceptiones pepererunt: At experiētia & obſervatio, vel hujus ipſius operis exemplis contrarias præceptiones nobis oſtendunt. De iis cōmentitiis cōtingētis ſignificationibus pauló latiûs diſſerui, qa hinc conſequētes tenebræ pmultæ deductæ ſunt.

CAP. X. DE PARALOGI*ſmo contingentium in qualibet figura.*

SYllogiſmi igitur cōtingētes ſequuntur longa confuſione deſcripti : capita præcipua, unde cætera pendēt, attingamus. Decimo igitur tertio capite docet ex omnib9 cōtingētibus, in prima figura contingens concludi: qui error è proximo capite deductus eſt : dic enim,

Quidvis

Quidvis currens, contingit hominē eſſe:
Omnem veró equum contingit currere:
Cōtingit igitur omnē equum, hominē eſſe.

Propoſitione atque aſſumptione veris, complexio falſa cōcluditur: At interpretes propoſitioni reſiſtent, eamq́; eſſe falſam clamabunt: quia in puris cōtingentibus primus cōtingētis modus ſequendus eſt. Verùm modos ſignificationum traditos, paulò antè commentitios eſſe docui, non è naturali hominum ſermone deductos: imó præſentibus hujus doctrinę teſtimoniis & exemplis refutatos. Quòd ſi diceret hic magiſter ex contingentibus nihil ratione firma concludi, attamē (ſi modis illis præſcriptis & propoſitio & aſſumptio intelligantur) aliquid effici poſſe, hoc in artis doctore minùs reprehendendum putarem, quamvis ſyllogiſmi doctrina nihil hîc dignū agnoſcerē, quia nihil ex Ariſtotelis principiis, uſu & experientia deductum viderem: Verùm contēpta illa prima & ſumma cauſſa (uſum naturalem & experientiam dico) contempta, inquam, ſumma illa cauſſa, ſomnia ſua, tanquam naturæ decreta nobis imperat: illam ſuam experientiam & obſervationem, artis magiſtram eſſe oblitus eſt: & poſtea capite decimo ſexto docet in ſecūda figura ex puris contingentibus nil concludi, quia ex omnibus affirmationibus concluderetur, cùm hîc affirmatio in negationē cōvertatur. At, inquam, ex omnibus negationibus in prima figura idem cōcluderetur, quia affirmatio etiam in negationem convertatur: tametſi hæc negatio, vera negatio non eſt: nec ſyllogiſmi legē ratio iſta poteſt impedire. Sophiſmatis autē & inconſequentiæ cauſſa, eſt vaga & incerta cōtingētis ſignificatio, quæ nullum tempus certū concludit: nec veritas in unum concurrit: Etenim veritas illius propoſitionis, Quidvis currēs, hominem eſſe contingit, tum accidit, cùm ſoli currunt homines: Illius autem, Omnem equum currere contingit, alio ſcilicet tempore aliquo, cùm nō ſoli current homines: Hæc, inquam, inconſequentia partium, facit cōplexionis inconſequentiam. Et hæc ignorantia eſt Elenchi, ex qua indicat Ariſtoteles omnes fallacias oriri, quia non idem tempus in ſyllogiſmi partibus obſervatur. Quamobrem veré cōcludere poſſumus, ex contingentibus puris in prima figura nil cōcludi: nec iccirco in ſecunda & tertia, quæ á prima figura, doctoris huj⁹ judicio pēdēt.

CAP. XI. DE PARALOGIſmo contingentis & abſoluti, & neceſſarij.

Decimo quarto capite docetur ꝓpoſitione cōtingente, aſſumptione ſoluta, fieri complexionē contingentis. Ratio eadem refutādi erroris, quæ antea: Sit igitur ſyllogiſmus hic,

Quidvis currens, hominem eſſe cōtingit:
Omnis equus currit: Finge ſiquidem omnem equum currere:
Omnē igitur equū, hominē eſſe contingit.

Nec veró mihi reſponderis propoſitionē eſſe falſam, ſi aſſumptio vera ſit, quia propoſitio ſic intelligēda ſit: Quicquid nunc currit, id contingit hominem eſſe: quod aſſumptionis hypotheſi repugnaret: id enim commentum teſtimonia illa atq́; exēpla doctoris jam producta, illa experiētia atq́; analyſis refelleret: Cauſſa ſophiſmatis eſt ipſa contingentis vaga ſignificatio: Nā fieri poteſt, ut homines ſoli currant aliquando, quāvis nūc homo nemo currat: Verumque eſt illud enuntiatū, Quidvis currens, eſſe hominem contingit. Quamobrem permiſtio contingentis & ſoluti, ſyllogiſmum nullum facit: Cauſſa eſt, quam dixi: propoſitio certū nil ſtatuit, aſſumptio ſtatuit certum. Vnū veró ſi addidero, diſputationem iſtam concludam. Pactus eſt doctor hîc ſe de non neceſſario contingente locuturū, cujus affirmatio in negationem, quam cōminiſcitur, & negatio in affirmationē reciprocaretur ac rediret. Unum caput, cæteris omiſsis tātùm hîc proponam. Decimo ſeptimo igitur capite, ait ex ſoluto & contingēti, contingēs concludi in ſecunda figura: dic igitur,

Nullus lapis vigilat:
Omnem hominem contingit vigilare:
Nullū igitur hominē, cōtingit lapidē eſſe.

Converte, ô doctor, ex legibus tuis hāc complexionē, & tibi cōſtare aude, tuaq́; ſuperiora illa decreta defende: Converte, inquam, quid erit? Omnem hominē, contingit lapidem eſſe: permiſtio neceſſarii & contingentis in prima figura, inconſtantiam hanc efficere non poteſt, cùm eſt propoſitio contingens, ut præcipitur decimo quinto capite: At efficit in

ſecunda

ſecunda figura, etiam ſi negata propoſitio, neceſſaria ſit, aſſumptio affirmata, ut præcipitur decimo octavo capite: ut,

Nullum lapidem loqui neceſſe eſt:
Omnem hominem loqui contingit:
Nullum igitur hominem, eſſe lapidem contingit.

Converte, idem concludes. Diſtinctiones pertinaci alicui & captiones videlicet non deerunt. Atqui Chamæleontem aliquem mihi videre videor, in omnes colorum ſpecies ſe mutãtem. Diſtinctio percallida atque ſophiſtica nobis opponitur: Non concludi contingẽs non neceſſarium, ſed contingens quoddã confuſum: tanquã Dialectica, chamæleontina neceſſarió ſit, quæ ſophiſticis diſtinctionũ coloribus, ſui ſtudioſos fallat & decipiat. Verùm fraudes & malitiæ iſtæ faceſſant: Chamæleontem imitari deſinamus: Tot colores enim, tam multiplices, tam varios aliquãdo deponamus: uno & naturali & vero, & Ariſtotelis principiis, experientiæ & uſui conſentaneo contenti ſimus: Tametſi enim

Id quoq; quod ventis animal nutritur & aura,
Protinùs aſsimilat, tetigit quoſcunque colores:

attamen hoc idem animal nec rubrum, nec candidum colorem poteſt aſsimilare. Scholaſtici interpretes, & rerum uſus imperiti, diſtinctionum multos colores poſſunt imitari: Contingens modó ſimpliciter, modó neceſſarium, modó inter utrunq; confuſum: Neceſſarium ipſum modó abſoluté, modó aliqua conditione, modó ampliatũ ad utrunq;. At quãvis commutãdis coloribus tam ſint admirabiles imperitis & ignorantibus, tamen ſimplicem illũ naturalis lucis candorem, ſplendentem ſolidæ prudentiæ ruborem imitari nõ poſſunt: nunquam his ſophiſmatis platonicum vel homericum, imó extra hũc locum, nec ariſtotelicum quicquã accommodabũt: nunquam harum nugarũ magiſtram experientiam allegabũt. Sed de his nugis ſatis ſuperq; diſputatũ: concludamus ſyllogiſmũ ex neceſſariis puris fieri, ex contingentibus puris nõ fieri: ex neceſſario & ſoluto, ſolutũ tantùm cõcludi: ex permiſtis reliquis inter ſe generibus nullũ ſyllogiſmũ fieri (niſi forté in prima figura ex cõtingẽte & neceſſario:) cauſſamq; tanti ſophiſmatis in contingẽtibus puris, & contingẽte & ſoluto ex contingentis vaga & incerta ſignificatione deduci: & quia partiũ veritas ſit tẽporibus in conſequens & diſjuncta, nec aſſumatur eadẽ veritas, quæ propoſita fuerat, ideo complexionẽ diſjunctã & inconſequentem eſſe: Elenchus enim hic omnino poſitus eſt, nõ eodẽ modo, nec eodẽ rerum tẽpore: partiũ veritas attenditur, nec idẽ tẽpus adſignificatur in propoſitione & aſſumptione: in cõtingẽti & neceſſario, ſophiſmatis cauſſa hæc non eſt: neceſſe enim, tẽpus omne cõprehẽdit, in quod ideo contingẽs incidat. In hac aũt nugatoria diſceptatiõe, quis innumerabiles tenebras jam nõ videat? Tres figuræ ſimplicium ex abſolutis propoſitis ſyllogiſmorũ, permultas obſcuritatis cauſſas habuerunt: De neceſſariis, de cõtingentibus, de neceſſariis & abſolutis, de neceſſariis & contingentibus, de contingentibus & abſolutis, reperies, ſi ſingula complecti velis, quintuplo majorem eſſe numerum tenebrarũ: Nec tamẽ adhuc omnes tenebræ ſunt, quibus ſyllogiſmorũ geneſis, prima pars primi Analytici conturbatur & involvitur.

CAP. XII. QUOD NON OMNIS *ſyllogiſmus ſit tribus figuris.*

CApita adhuc ſex ſupſunt, in quorũ primis duob' docetur, omnes ſyllogiſmos per tres figuras expoſitas fieri & cõcludi: & falſó docetur. Sũt enim ex ꝓpriìs enũtiatis ſyllogiſmi, qui præſcriptis legib' cõcludi in unaquaq; figura nõ poſſunt. Sunt præterea connexi duorũ generũ, ſunt diſjuncti duorum item generũ, quibus etiã hic Organicus author multó frequentiùs utitur, quàm ſimplicibus à ſe expoſitis. Sophiſmatis igitur hujus errorẽ retexamus: Syllogiſmus duobus modis fieri dicitur, oſtenſiué & ex hypotheſi: ut illic pars utraq; certa & vera ſit, hîc altera quanquã falſa aut incerta, tamẽ pro vera certaq; ponatur. Hæc differẽtia ad ſyllogiſmi neceſsitatẽ nil attinet: ex omnibus enim falſis ſyllogiſmus eſſe poteſt, ut etiã poſtea dicetur Analytico ſecũdo. Veritas hæc aut falſitas eſt propoſitionis vel aſſumptionis, ſyllogiſmi nihil eſt: Ridicula igitur differẽtia eſt hîc. jam docetur ad concludendũ quæſtionẽ, medio opus eſſe, quia ſumeretur quod eſt in principio: Id verũ eſt, ſed

eſt,ſed nugatorié repetitum. Additur id medium cũ utraq; parte quæſtionis copulandum eſſe:quod verũ eſt,ſed inutiliter & nugatorié repetitum: Deinceps quód omnis ſyllogiſmus tribus figuris expoſitis concludatur: contexitur autẽ his verbis demõſtratio,Ergo neceſſe eſt aliquod ſumere ad utrumq; commune: Hoc autẽ contingit tripliciter: aut enim α de β, & γ de β dicentes:aut γ de utriſq;, aut utraq; de γ. Hę autem ſunt tres dictę figuræ:Manifeſtũ quoniam omnem ſyllogiſmum neceſſe eſt fieri per aliquam harum figurarum: Nam eadẽ ratio eſt, etſi per plura copuletur ad β: eadẽ enim erit figura & in pluribus. Hæc demõſtratio obſcura eſt,argumentum mutum:& ſi exprimatur,nihil problematis apodictícũ. Sed quó faciliús ſophiſma deprehendatur,ſyllogiſmum retexamus, qui hîc involutus & confuſus eſt:

Si omne medium triplici figura diſponitur, omnis ſyllogiſmus fit aliqua trium figurarũ:
Sed primum verum: Nam medium vel antecedit majus,ſequitur minus,aut ſequitur utrumq;, aut antecedit utrumq;:
Secundum igitur verũ eſt:omniſq; ſyllogiſmus triplici figura concluditur.

Hic, inquã,ſyllogiſmus eſt connexus primi modi,quẽ tamẽ ſyllogiſmum eſſe neſciebat Ariſtoteles: imó quem ſyllogiſmum non eſſe ejus ipſius ſyllogiſmi concluſione conatur oſtendere Sed tamẽ ſyllogiſmi hujus aſſumptio falſa eſt: nec enim mediũ ſemper uno trium horum modorum diſponitur:nec enim ſyllogiſmus conjunctus ullã ſpeciẽ triplicis hujus collocationis habet,ſicuti Dialectica noſtra abundẽ declarat: & hic ipſe ſyllogiſmus,quo demonſtratio præſens efficitur,demonſtrationẽ ipſam refellere potuit: nullâ enim trium figurarum continetur: quod in exemplo breviore ſubtiliús diſtingues: ut ſi quæras, An Socrates eſt animal? & medium ſumatur,homo, & ita concludatur:

Si Socrates eſt homo,eſt etiam animal:
Sed Socrates eſt homo:
Socrates igitur eſt animal.

Medium (homo) nec antecedit, nec ſequitur (animal:) nec enim ei ſubjicitur,nec attribuitũ. Enimveró quod multó magis admirêre,ſyllogiſmi ipſius definitio poſita initio libri hujus,connexi ſyllogiſmi ſecundi cõcluſione demõſtratur Analytici ſecundi capite ſecundo,ut illic dicetur: Nec Ariſtoteles tantũ exemplis conjunctorũ ſyllogiſmorũ,ſed præceptis & regulis utitur,ut ſuo tẽpore cõſtabit. Quãobrẽ & exemplũ demonſtrationis hujus, & alia deinceps plurima, demonſtrationem hanc ipſam valdé vehementerq; reprehendunt & refellũt:Vanitas veró & imperitia ſcholaſticorum interpretũ & græcorũ & latinorum hîc valdé ridenda eſt,ignorantium ab Ariſtotele multa eſſe collecta de veteribus, non omnia judicata & probata. Alii autem dicunt demonſtrationem hanc de ſolis ſimplicibus ſyllogiſmis intelligendam eſſe: de conjunctis nil Ariſtotelem cogitaſſe: Perinde ac ſi de animalibus ſolos homines noſſet Ariſtoteles, jure poſsit affirmare ſolos homines, animalia eſſe: & quod ſpeciei unius proprium ſit, de toto genere prædicare. Gloriari enim videtur hîc Ariſtoteles (ſicut de tota Logica in epilogo Organi) ſyllogiſmorum doctrinam á ſe inventã & perfectam eſſe:nullum eſſe ſyllogiſmum,niſi per has figuras. At falſó gloriatur: nã multi præterea ſunt ſyllogiſmi, quibus etiam ipſe frequẽter utitur, ut jam dixi, in his figuris nequaquam cõcluſi. Ergo qui ſic excuſant Ariſtotelem,ſimplicitatem ſuam demonſtrant: logicũ de quæſtione judicium nullum demonſtrant. Alii veró pauló quidẽ ſubtiliores, qui viderunt,demonſtrationẽ hanc ſic excuſari non poſſe,ſed tamen non minús irridendi.Syllogiſmos oſtenſivos ab Ariſtotele dicunt appellari, qui categorici poſtea dicti ſunt,& hypotheticos ab Ariſtotele dici, qui poſtea deſcripti ſunt in connexis & diſjunctis modis concluſionum: & de his ab Ariſtotele pauca dici, quia hypothetici per categoricos, id eſt oſtẽſivos perficiãtur. At hos magiſtros imperita neſcio quæ & ſimplex affectio fefellit: nec definitiones oſtenſiui & hypothetici,de quibus hîc agitur,conferre potuerunt:Oſtenſivus ambas habet veras,ut capite triceſimo dicitur: hypotheticus ex hypotheſi partẽ ſumit incertã: imó falſam aliquãdo pro vera & certa, ſicut in ipſa mox litera demõſtrabitur: nec hypotheſis totis Analyticis ſignificat speciem collocationis diverſam, ſed pactum,conditionem,propoſitum, ſuppoſitum, ut ita dicã: quod ſyllogiſmus

ad impoſsibile planiſsimè declarat, qui ſpecies appellatur hîc hypothetici ſyllogiſmi: Et tamen eodē diſpoſitionis genere per tres ſimplices figuras, ſicut oſtenſivus, concluditur: tum obſcuriſsimo illo Geometriæ exemplo (quód quadrati diameter ſit aſymmeter) ſatis apertè docetur, hypotheſeos nomine nullā ſyllogiſmi collocationē novam ſignificari. Maniſeſtiſsimè veró capite decimoquarto ſecundi Analytici, ubi tota differentia oſtenſivi & hypothetici ampliſsimè tractatur: & ut in omnibus figuris oſtenſivus, ſic hypotheticus cōcludi dicitˢ. Nec certè ſyllogiſmus connexus, hypotheticus eſt appellandus: nil enim ſupponit, ſed ſecundū connexionē & cōſecutionē affirmat & conſtituit: nec quicquā paciſcitur: meliusq́ propoſitio illa συνημμένον, id eſt connexa (Si homo eſt, animal eſt) appellatur à recētioribus συνεχὲς καὶ ἀκόλουθος, connexa & cōſequens, potius quám ὑποθετική. Quamobrē demonſtratio iſta nō ſolùm obſcuritate, ſed falſitate, vitioſa & reprehendenda eſt: nec omnis ſyllogiſmus tribus expoſitis figuris concluditur, nec iis omnis medii diſponendi & collocādi via demōſtratur: id enim eſſet, omnē ſyllogiſmi doctrinā tribus illis figuris cōtineri. Quare demōſtratio hæc tollatur: ex hac tamē demonſtratione teneatur, quód veriſsimū certiſsimumq́ eſt, unā quandā ſyllogiſmorū eſſe doctrinam communē, generalē, univerſalē, qua diſputatio omnis cōcludatur: qua de enuntiationibus dubiis omnibus judicatur: quæ deniq́ in alias minutiores artes nō diſſecatur: Hoc, inquā, præceptū catholicū teneatur, quāvis in Analyticis libris, nō omnis ſyllogiſmi cōcludendi doctrina doceatur: at tamen quæcūque eſt, cōmunem & generalē eſſe, quæ ſubtilioribus artibus non exponatur: Et meminerimus ex ariſtoteleæ Logicæ ſententia, primó verè à nobis diſputatū eſſe, quæſtionū partitionē in Logica vanam eſſe, cúm una eſſet & communis omnium logica doctrina.

CAP. XIII. DE AXIOMATIS *trium figurarum.*

Reliquis quatuor capitibus, ſex axiomata de tribus figuris nugatorié repetuntur: In omni figura terminus eſt quidam affirmatus & univerſalis: quod in ſolis ſimplicibus & cōmunibus verum eſt, in propriis falſum eſt: ubi nihil eſt univerſale. Demōſtratio hîc adhibetur per exemplum, quo quæſtió nil demōſtratur: Deinde ex Geometria petitur exemplum, obſcuritate præterea hîc vitioſum, nec quicquā theſim cōcludens: Hoc præceptū reperitur capite triceſimo quinto. Secundū eſt præceptum univerſale ex omnibus univerſalibus: ſpeciale & ſic & aliter: quod item in conjunctis ſyllogiſmis falſum eſt: Tertium, ambo vel alterū propoſitū ſimile complexioni, quod in tertia figura falſum eſt: ubi ex generalibus tantùm ſpeciale cōcludetur. Quarto omnis ſyllogiſmus per tres terminos concluditur. Quód ſi plures ſint, ſyllogiſmi ſunt plures: aut fruſtra ſumpta erūt, niſi inductionis aut occultationis aut ejuſmodi cujuſpiam gratiâ. Quintū eſt, ſyllogiſmi duas propoſitiones eſſe principales, non plures: Alioqui ſi ad probationem vel exornationē partium aliquid adderetur, proſſyllogiſmus eſſet, non ſyllogiſmi pars. Unde concluditur, omnis ſyllogiſmi terminos tres, propoſitiones duas, concluſionem unam eſſe: eáſque partes eſſe neceſſarias & principales. Sexto, Problema facile diſputatu eſt, quod in pluribus figuris cōcluditur: difficilius diſputatu, quod in paucioribꝰ figuris. At iſta facilitas aut difficultas oritur ex argumento, quod facile vel difficile ſit inventu, non è ſyllogiſmi ſpecie & forma: quæ ſemel cógnita, ſemper palàm eſt, nunquam inquirēda eſt. Tales ineptiæ octavo Topico tractantur: totaq́ illa ſex capita nihil habent, niſi periſſologiam inanem, & in Organi logici libris perpetuam. Quamobrē ſiquis tot obſcuritatū & tenebrarū, ad ſimpliciū ſyllogiſmorum geneſim obſcurādam repertarum ſummam conficiat, nónne furoris ſimile videbitur, hominum laboribus tātoperè idobrutū & obſcuratū eſſe, quod patefactum fuiſſe & illuſtratum divina quædam gloria fuiſſet? Ariſtotelis diligentiam & ſtudium vehementer laudo & admiror: ariſtoteleorum interpretū ſimplicitatē & imperitiam neq́ laudo, neq́ admiror. Ariſtoteles ut in phyſico opere, Phyſicorum, ſic in logico quāvis non nominet, Logicorum veterum decreta

creta omnia collegit, ut primo libro abundè docui: principia ſuæ philoſophiæ propria poſuit: materiam artis, formam artis definit, qua voluit artes & diſciplinas inſtitui. Interpretes omnia Ariſtotelis volumina, velut Apollinis alicujus oracula ſuſceperunt, nullo loco judiciũ adhibuerunt, an hæc Ariſtotelis principiis convenirent: an Analyticæ artis ab Ariſtotele collectæ talis eſſet materia, talis etiam eſſet forma, qualẽ Ariſtoteles in vera & legitima doctrina & arte tũ materiam, tum formam eſſe jubet. Cujuſnã itaque judicii fuerit profiteri, experientiam & analyſim, artis & diſciplinæ cujuſvis parentem eſſe, & tamen in explicãdis artium decretis, ad experientiam & analyſim nunquã reſpicere? Leges analyſeos interpretari; analyſim tamen earum nullam facere? principia clariſſima tractare, & definitiões ex generibus differentiiſq; conficiendas docere, & tamen ad eas quaſi demonſtrandum, infinitas tenebras temerè congregatas non videre? Obſcuritatis cauſſæ nonaginta fuerunt ante figuras: in figuris, variorũ propoſitorum mille octingentæ: In ſex poſtremis capitibus neſcio quot itẽ accumulatæ, ut duo propè millia tenebrarum ad obſcurandum ſimplicium ſyllogiſmorum geneſim coacervata videantur. Quale tandem interpretum judiciũ hoc eſſe crediderís? Vitæ & humanitatis gratiâ Logicam & facilè doceri, & promptè exerceri conveniebat: At iſtis tenebris, Logicæ ſcientia, Logicæ uſus perditur. Quamobrem ariſtotelicum & Analyticum me forè initio profeſſus ſum, & hîc rurſus adhuc profiteor. Ariſtotelis vera principia, vera doctrina, analyſis enuntiationũ, ſyllogiſmi, methodi, nos adhuc docuit ſyllogiſmos nõ eſſe per ſe & ſua natura, ſed harũ tenebrarum nubibus obſcuros: Tenebras igitur abigamus, lucem definitionum, partitionũ, exemplorum reducamus: Ariſtotelica principia de materia artis, de forma artis, item experiẽtiam, ſenſum, analyſim, uſum ſequamur: nec logicum quicquã, niſi analyticum probemus: hæc logicæ facultatis anima eſt: denique ad uſum vitæ, veram & utilem doctrinam ex Analytico primo excerpamus. Tres ſunt ſimplicium ſyllogiſmorum ſpecies, neque tamen hæ omnes & ſolæ: De ſyllogiſmis enim, qui fiunt è propriis enuntiatis, nihil præcipitur: Has igitur ſpecies excerpamus & illuſtremus.

CAP. XIIII. DE COPIA PROPO*ſitionum, pars ſecunda.*

Geneſis ſyllogiſmorũ qualis eſſet, in hoc analytico retexuimus, inventio ſecundo loco ſequitur brevius comprehenſa. Quatuor capita hîc tantũ ſunt: Invẽtio verò, ſicuti diximus, præcedere debebat: prior enim eſt naturâ: quæſtio enim ad uſum ſyllogiſmi primùm ponitur, deinde quæritũ argumentum, id eſt mediũ, quod hîc appellatur: poſtremò mediũ, cum problemate certa ratione diſponitur: Ergo præcedere debuerat invẽtio medii. Appellat verò magiſter hîc media, ſyllogiſmi principia, & facultatẽ faciẽdi ſyllogiſmi: Argumentũ ſiquidẽ, principiũ eſt, ex quo facultas & materia eſt ſyllogiſmi. Verum enimverò meminerimus & hîc Arverni mõtis illius, & in eo ſolis illuſtris, unde arbores & campi tam clarè cernebãtur. Inventio explicatur: qua tandẽ re, clara & perſpicua eſſe potuit? Definitiõibus, partitionibus, exemplis. Si definiretur inventio, doctrina inveniendi argumẽti, vel medii: argumentorũ genera deinde, generumq; ſpecies explicarentur definitionibus, exemplis: Quid hîc horũ actum eſt? nihil, ſed nubes interpoſita, quæ ſpectantis oculos turbaret: hãc igitur nubem dividamus & diſſipemus. Quatuor igitur proximis capitibus, Logicæ invẽtionis loci quinq; attingũtur, effecta, adjuncta, oppoſita, diviſio, definitio: oppoſitorũ (quæ ἐναντία καὶ ἕτερα, cõtraria & diverſa ſeu repugnãtia dicũtur proximo capite) & diviſionis locus omnino rejicitur & dãnatur: definitionis nomẽ attingitur tantùm: locus effectorũ & adjunctorũ, nomine proprii & accidẽtis cõfunditur, totaq; invẽtionis ratio in antecedentiũ & conſequẽtium locũ tandẽ includitur: eaq; invẽtio primùm cõmuniter, deinde in ſingulis figuris propriè docetur: Partitio primo loco ſingularis adhibetur ad inveniendum. Monuimus in Porphyrio & categoriis, quàm ineptè invẽtio Logica ad categoricum commentum relata eſſet: quàmq; incõſtanter eſſet diviſa, ratione catego-

categorematis, modò in partes ſex, ut in Porphyrio in individuũ, genus, ſpeciem, differentiã, proprium, accidẽs: modò in decẽ, ut in Categoriis in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatẽ, agere, pati, ubi, quãdo, ſitum eſſe, habere: Tertius hic demũ locus eſt, quo dividitur inventio in partes tres eodẽ ſcholaſtico illo categorici ſermonis cõmento: Omniũ ſanè quæ ſunt, alia de nullo dicuntur, niſi ſecundũ accidens, & alia de iis dicũtur: Sed de ipſis nulla niſi ſecundũ opinionẽ, alia de aliis dicuntur, & de ipſis alia. Primi generis exemplũ eſt, Cleon, Callias, Socrates, & ſingularia ac ſenſilia: tertii, homo, qui de Socrate dicitur, cùm etiam de homine animal: Secundi generis exemplũ nullũ ponitur: categorias tamen opinor intelligi, & illa quæ dicta ſunt ſumma decẽ genera: ſingularia verò & ſumma relinquuntur: intermedia retinentur, quia ferè ratiocinationes & conſiderationes ſunt maximè de iis, ait magiſter. Hæc bella & prima eſt & valdè categorica invẽtionis Logicæ partitio: infimorum, mediorũ, ſummorũ categoria quædã hìc ſpectata eſt: ſic enim Porphyrius categoriam inſtituit: quo ordine hic magiſter exiſtimat de ſummo, niſi ſecundum opinionẽ, & de infimo, niſi per accidẽs, argumentũ nunquam ferè ſumi: Frequentiſsimè verò ex his quæ ſunt in medio: unde videlicet argumentum, medium in logicis libris nominatim alicui videatur: quod propriè dicitẽ aliàs ab Ariſtotele ratio, fides, probatio, argumentũ. Verùm hujus inventionis author labitur, tũ quòd nobis illum categoriæ ordinẽ proponit, unde argumẽta ſumamus: (quãta enim illic eſſet inanitas, antea diximus) tũ quòd categoriæ ſuæ caput & pedes amputat; ventrẽ ſolũ retinet: id eſt media ſola ad diſputandũ relinquit, extrema tollit: Animus enim differentiis nõ peragrat inanes categoriarũ, ut antea docui, latebras, quæ dialecticæ inventionis ferè nihil habẽt, ſed cauſſas, facta, ſubjecta, adjuncta, diſſentanea, nomina, cõparata, conjugata, partes, definitiones, teſtimonia cõſiderat: quæ genera argumentorũ omnibus categoriis & generaliora ſunt, & modis omnibus ad differẽdũ clariora & promptiora. Quòd autem ex infimo & ſupremo categoriæ loco putat hìc author argumenta aut nonnunquã, aut rarò ſumi, tã falſum eſt, quàm qui diceret in ſola prima figura ſyllogiſmos fieri, nullos in ſecunda vel tertia. Nã ut mediũ illud, locũ habet propriũ in prima figura, ſic ſummũ in ſecũda, & infimũ in tertia tenere poteſt, & frequenter ſolet: & tam ridiculũ ſit dicere è ſummo & infimo nullum argumentũ ſumi, quàm qui diceret è partibus & toto argumenta nulla ſumi. De principio aliquo ſi dubitatio ſit, monent Analytica, illuſtrandum & affirmandũ eſſe ſingularium partiũ inductione. Ergo judicio tuo ô Analytice magiſter, ſingularia illa, quæ tu rejicis, ſæpe argumenta erunt: quoniam judicio tuo frequẽs eſt inductio, quæ ſyllogiſmo cõcludi poteſt: ut poſtea docebis: appellas in probandis figuris expoſitionẽ: & ad ſyllogiſmos demonſtrandum, tãquam principium adhibes, qui exemplo rei familiaris efficitur: ut,

Socrates eſt ſubſtantia:
Socrates eſt homo:
Ergo quidam homo eſt ſubſtantia.

Tuo igitur judicio ſingularia argumẽta uſum habebũt: quin Logicæ quotidianus ferè uſus eſt in ſingularibus & propriis exemplis, ut dixi. Quid verò ſubſtãtia, & in categoriis novẽ ſumma reliqua genera rarò argumẽta erũt? An non ut ad tractandũ genus, ſpecies ſingulares adhibẽtur, ſic univerſum genus ad explicandum ſpeciem ſolet adhiberi? Qualis enim eſt hic ſyllogiſmus?

Nulla ſubſtantia, eſt accidens:
Omne animal, eſt ſubſtantia:
Nullum igitur animal, eſt accidens.

An non eſt hic ad præſcriptam legem ſyllogiſmus? an nõ licet mille ſimiles rationes ex ſummis illis generibus cõcludere? Quare primi capitis hujus nobilis hæc ingreſsio, ſophiſtica dupliciter & fallax eſt: & quòd inventionẽ argumẽti ad categorias revocat, quæ dialecticæ inventionis nihil ferè ſunt, & quòd docet argumenta media ejuſmodi eſſe. Ex his igitur categoricis mediis monemur deinceps definitiões, propria, cõſequentia, antecedẽtia, oppoſita quærere: Definitio autẽ & oppoſita, vera genera ſunt argumentorũ: proprietas ex adjunctis rebus eſt, ut antea in Porphyrium docui: Antecedentiũ & conſequentium nomine, omnia argumentorum genera, exceptis

exceptis oppoſitis, continentur, ſed ſine diſtinctione: & quicquid tamen continetur in ea antecedentiũ & conſequentiũ confuſione, definitè & partitè cauſsis, factis, ſubjectis, adjunctis, cõparatis, nominibus, tributionibus, finitionibus, teſtimoniis diſtinguit. Quare res teneatur, rei confuſio tollatur. Quòd autẽ Ariſtoteles hîc oppoſita, & quæ rei nõ poſſunt ineſſe, rejicit, permirum eſt, cùm nullus argumenti cujuſquam locus tam multis libris ab eo deſcriptus & propoſitus ſit: in Categoriis enim & interpretatione, & Analyticis, & Topicis, & Philoſophia deſcribitur & proponitur: & multos negãtes ſyllogiſmos Ariſtoteles docuit, in quibus omnibus argumentum oppoſitum ſit ei parti (in qua negatur) neceſſe eſt: oppoſitum, inquam, aut certè repugnans vel differẽs quod vera negatione diſtinguit. Imò verò, quod vehemẽter admirère, Ariſtoteles ipſe proximo capite, hoc argumẽtũ in propriis ſingularũ figurarum mediis adhibebit. Quòd ſi dicas rejici oppoſitũ, quia non fiat ſyllogiſmus ex argumento utrique quæſtionis parti contrario: certè inquã, neq; fit ſemper in ſecunda & tertia figura ex argumento ſemper antecedẽte vel conſequente: nam ubi complexio negatur, etiã argumentũ alteri parti quæſtionis repugnat. Quare oppoſitorum locus non ſatis juſta ratione dãnatur. Agè verò, conqueſti ſumus, in Organo logico nil apertè definiri, nil acutè dividi: refellimur hoc loco: facta eſt elegans prima illa partitio inventionis Logicæ in definitionem, proprium, antecedens, conſequens, oppoſitum: oppoſitum rejectũ eſt: quatuor genera ſuperſunt, definitio, propriũ, antecedens, conſequẽs: deinde antecedens & conſequens ſubtiliùs dividuntur bifariam; quod dicitur in quid, vel ut proprium, vel ut accidẽs: deinde antecedens & conſequens iterũ dividitur, quòd ſecundum opinionẽ & veritatem. Obſcurus & tenebricoſus eſt hîc doctor: hoc nõ reprehẽdo ſolũ, intelligo quid obruat: conſiliũ & mentẽ perpendo: Antecedẽtia conſequentiaq; dividit duobus modis: primò trifariàm. Verùm quænam eſt iſta cõfuſio? Antea juſſi ſumus videre definitiões, propria, antecedentia, conſequentia: ut diſtincta opinor, & diverſa argumẽtorum genera: nunc verò definitiones, quæ dicuntur in eo quod quid eſt, & ut propria, partes fiunt antecedentiũ & conſequentium: nunc propria, quæ ſecundo loco à conſequentibus diſtinguebantur, partes item fiunt conſequentium: Secunda diviſio eſt antecedentiũ cõſequentiũq;, quædam ſecundum opinionem, quædã ſecũdum veritatem. Quid iſta diviſio? nónne omnibus argumentis non conſequentibus modò, ſed antecedẽtibus, ſed oppoſitis poteſt tribui? Perge, ſubtilitas diviſionis alia ſequitur: Antecedentia conſequentiaq; generaliter aut ſpecialiter antecedunt & cõſequuntur: illa ſumenda, hæc omittẽda. Error eſt initio reprehenſus: fit enim ſyllogiſmus nõ ſolùm ex ſpecialibus, ſed propriis & ſingularibus, ut diximus: Ratio autem hujus præcepti fatua planè eſt, quòd incertũ, an ſit propoſitio univerſalis. At rhetoricus tropus eſt, ſynecdoche, cujus uſus nos docet quãdo generale nomẽ generaliter aut ſpecialiter intelligendũ. Infinita intelligentia nulla eſt, neque logicũ hîc quicquam. Omnium artiũ propoſitiones ſunt infinitæ: Grãmatica, eſt ars rectè loquendi: Rhetorica, bene dicẽdi: Logica, bene diſſerendi: Arithmetica, rectè numerandi. Nec additur (omnis) generaliter tamẽ intelligitur. De Catilina loquitur Cicero, nomine tamen generali utitur: Sine dubio perdidimus hominem, ait. Atq; omnino, ut dixi, ſynecdoche nos id docet. Multa ſunt ejuſmodi in Organo logico, quæ Ariſtotelẽ in omnibus magnis artibus, nõ in rhetoricis tantùm verſatum, arguunt harũ nugarum authorẽ non eſſe, ſed aliquẽ ariſtotelicæ doctrinæ imperitum æmulum, & ignarum ſophiſtem. Atq; etiam conſequentia rurſus dividuntur in propria & communia, ut illa ſumãtur, hæc relinquantur. Videmus novã partiendi laudem: Conſequens & proprium inter prima ferè genera mediorum fuerunt: nũc propriũ, efficitur ſpecies conſequentis. Additur poſtremò conſequens, quod frequenter accidat, ſumendum: rejiciendũ tamẽ, quod eſt omnibus cõſequens: Ratione videlicet eadẽ, qua ſumma genera rejecta ſunt: tametſi pauló pôſt conſtanter præcipitur, ut quàm maximè generaliter ſequentia quærantũ: Verũ quid cauſſæ, quamobrẽ maximè generale, ut

ſcholæ noſtræ loquũtur, tranſcẽdens repudietur? An ex eo nullus ſyllogiſmus fieri poteſt? Quid ſi ſic ratiocinemur?

Omnis res Deo nota eſt:
Omnis Logica, res eſt quædam:
Omnis igitur Logica Deo nota eſt.

An nullus hîc ſyllogiſmus? an non licet tales infinitos ex maximè communibus ſyllogiſmos facere? Hactenus communis abundantia propoſitionum eſt, qua docti ſumus, cùm erit aliquod problema poſitum, inquirere non infima, nõ ſuprema, ſed media, ut definitiones, ut propria, ut antecedentia, ut cõſequẽtia: imò verò ſolùm antecedentia & conſequentia, eaq; in quid & propria & accidentia: eaq; rurſus generalia, non ſpecialia, nec tamen generaliſsima: atq; itidem propria, non cõmunia aut frequentia, non rara: Tota deniq; facultas inventionis in duobus antecedentium & conſequentium locis, nobis poſita, ne quæramur perpetuò difficilẽ eſſe hũc doctorem: an facilior eſſe potuit? Duos nobis inventionis locos tantùm proponit, ex antecedẽtibus & cõſequentibus, ne nos videlicet argumentorum & locorũ multitudo obrueret: ex antecedẽtibus enim & conſequentibus poſtea concluder, omnes ſyllogiſmos fieri. Sed invẽtio communis adhuc fuit, propria ſingularum figurarum jam ſequitur, in qua nõ ſpeciales cauſſarum, factorum, ſubjectorũ, adjunctorum, oppoſitorum, & reliquorum argumentorum loci tradẽtur: imò verò meræ nugæ tradentur: repetentur ſyllogiſmorum definitiones, antea falſò mediis in unaquaque figura attributæ. Quadruplex eſt problema, generale, ſpeciale, affirmatum, negatũ: Quatuor igitur regulæ ponuntur ad inveniendũ medium, quo hæc problemata ſyllogiſmo concludantur. Problematis autem termini duo ſunt, major & minor, ut ſæpe jam dictum eſt: Itaq; ex terminorum antecedentibus & cõſequentibus & oppoſitis, quatuor regulæ texuntur ad ea quatuor problemata concludendum, quæ paulò faciliùs quàm in litera dicãtur, exprimam. Prima eſt, Problema generaliter affirmatum, cõcluditur medio, antecedente majus extremũ, conſequente minus. Secunda eſt, Problema ſpecialiter affirmatum, cõcluditur medio antecedente utrũq; terminum. Tertia eſt, Problema generaliter negatũ, medio alterum terminum ſequente, alteri oppoſito concluditur. Quarta eſt, Problema ſpecialiter negatum, cõcluditur medio, quod oppoſitum ſit majori termino, minorem conſequatur. Quatuor hæ ſunt definitiones ſyllogiſmorum: 1. enim in primi modi primæ figuræ definitionem incidit, 2. in triplicem definitionẽ triplicis modi affirmati in tertia figura: 3. in primi modi & ſecũdi ſecundæ figuræ: 4. in quarti modi primæ figuræ, & tertii ſecũdæ. Ita ſyllogiſmorũ definitiones pro argumentorũ invẽtione, rudibus & imperitis obtruduntur: eadẽ planè ſapientia, qua mediũ in figuris definitũ eſt: Inventio per judiciũ ſcilicet explicatũ. Tanta Logicæ his in libris cõfuſio eſt, tamq; ariſtotelicæ methodi legibus damnata. Sed tamẽ in tanta periſſologia valdè rudis eſt doctor noſter. Has definitiones ſyllogiſmorum, regulas mediorũ & argumentorũ inveniendorum fecerit, ut facit: attamen pluribus modis concludi tria problemata poſtrema poterant: ſpecialis enim affirmatio, prima etiam figura, & ſpecialis negatio, ſecunda tertiaq; concludi poteſt. Quid tenebras capitis hujus reliquas retexam? Definitiones ſyllogiſmorum, unde regulæ iſtæ collectæ ſunt, antea tenebris demonſtrationũ involutæ fuerunt, ut diximus: hîc tamen rurſus vana ingenii oſtentatione, modi iterum vitioſi colliguntur. Periſſologia, licet infinitè Ariſtoteli damnata, atq; hîc univerſæ caliginis fons effunditur. Neq; id vulgò diſsimulatur: In interpretatione de nobili modificatorum quæſtione dictũ illud urbanum in ſcholis pervulgatum prædiximus, *De modalibus non guſtabit aſinus:* At hîc pontem eſſe aſinorum, ſcholarũ noſtrarũ doctores & interpretes Organi logici prædicant. Figuram quadratam inſtituunt variis triangulis inciſam, quibus ſyllogiſmi recti & vitioſi notantur: quam qui retexere nõ poſsit, aſinus habetur: pons ea ſcilicet virtute, ut aſinorum pedibus cõculcari ſe nõ patiatur. At bone Deus, põtis hujus ſublicii videlicet, quales ſunt ſublicæ? Etenim quoniã hic magiſter, inventionis Logicæ architectus eſſe voluit, quid? nonne definitionibus, partitionibus, exemplis argumẽtorũ & mediorũ, quæ inveniẽda ſunt, totã doctrinã archi

tectari & fabricari debuit? cauſſas, facta, ſubjecta, adjũcta, diſſentanea, cõparata nomina, partes, definitiões, teſtimonia, quoniã hæc Ariſtoteli vera media ſunt & argumenta, interpretari? Ad hanc enim exædificandã inventionis artẽ, illa materies, hæ ſublicæ fuerunt: has manu atq; opere & aperta methodi architectura machinari debuit. At toto iſto capite nil niſi periſſologia, & obſcuritas doctrinæ inaniſsima eſt: Et appellantur aſini, qui myſteria hîc occulta nõ videant? Aſinos ſcilicet multos fuiſſe neceſſe eſt, ſi aſinos eſſe neceſſe eſt, qui Logicã inventionẽ hîc non videant, quæ omnino nulla eſt: nec ullis igitur oculis videri poteſt. Enimverò fabulam ab hiſtrionibus agi ſolitã, hujus argumenti ſimillimam ſpectaſſe me cõmemini: Vano cuidã & ſimplici Thraſoni pannus á nebulone ſartore deſcribitur percõmodus, ſed eo colore preditus, ut á nothis & ſpuriis cõſpici nõ poſsit: Itaq; Thraſo cupidus emendi, pannũ ſibi proponi jubet: nebulo protinùs tanquam multarũ ulnarũ molẽ profert: expaſsis palmis, ut mercatores hîc aſſolent, licia diducit, ſpeciẽ miratur, emptori ſuo prædicat & oſtentat: Hîc Thraſo vanus, adulterii materni ſuſpicione protinùs tactus eſt: cõfiteri tamen pudor vetat: itaq; pannũ, quẽ nullũ videt, qui nullus etiã eſt, ſe videre & admirari dicit, & emit, veſtemq; ſibi ſarciri jubet. Hîc ſartor exultare gaudio & triumphare incipit: pannum dividit, diviſionis ſtridorẽ miris modis imitatur, veſtemq; hoc egregio inviſi inviſibiliſq;, ut ita dicam, coloris panno conſarcit: pretium deniq; accipit & addicit. Hæc (mihi credite) pontis aſinarii fabula eſt, in nobis ſcilicet idiotis jã veritas & hiſtoria, non fabula: Perſuadetur nobis, inventionis doctrinam mirabilem quandã & ſingularẽ hic eſſe, ſed ab aſinis conſpici nõ poſſe: Credimus: (quid enim philoſopho tot ætatũ ſeculorũq; judiciis approbato non credamus?) nõ videmus tamen, nec omnino videre, quod nihil eſt, poſſumus: ne tamen aſini videamur, laudamus, admiramur, emimus pretio nõ ſolùm pecuniæ, cujus jactura tolerari poterat, ſed temporis & vitæ, cujus detrimẽtum, nullo pecuniæ pretio cõpenſari poteſt. Quamobrẽ vera ſummaq; Ariſtotelis principia materiam veræ artis, formam veræ artis cum his nugis comparemus: omnia hîc contraria reperiemus: Analyſim ariſtotelicã adhibeamus: innumerabilia pręſtantiũ authorum monimenta ſunt, omnis doctrinæ, omniſq; ſapientiæ plena: ad eorum igitur inventionem retexendum, cognoſcendum, imitandum, quid aſinarius iſte pons proderit? Adhibeamus in Virgilio, Homero, Cicerone, Demoſthene, Platone, Ariſtotele: in mathematicis, in legibus, in theologia, quid nobis explicabit? Tum verò cùm Analyticũ nihil eſſe viderimus, ad alterũ exercitationis genus convertamur. Ariſtoteles Logicã viva voce tã multis ſcriptis exercuit: experiamur igitur (ſeu dicere, ſeu ſcribere meditemur) quid his inventionis artibus poſsimus adjuvari: nec Sepias diutiùs imitemur: Ut enim piſces illi cùm ſe peti á piſcatoribus ſenſerint, effuſo atramento, quod illis eſt pro ſanguine, infuſcata aqua abſcondunt ſe, & piſcatoribus iter veluti ſepiunt atq; intercludunt: Nec ſic videlicet cũ veritate, cũ luce, cum firma cõſtantiq; ratione vegeamur & cõſtringamur: vel cõtorta aliqua & obſcurata diſtinctione ſtultitiam noſtrã teneamus: ac ſi nubẽ diſtinctionis aliquã contradicẽtibus oppoſuerimus, præclarè nos philoſophatos arbitremur. Etenim turbida iſta aqua reſidebit aliquando, nec perpetuò conqueremur, qđ Perſius de inertibus diſcipulis,

Nigra quòd infuſa vaneſcat Sepia lympha.

Opinionũ enim cõmenta delet dies, naturæ judicia cõfirmat. Malitioſi & improbi animi eſt errore delectari, lucem odiſſe, tenebras conſectari, publicis malis gaudere, honeſta ſtudia remorari. Quod cùm quidam tam pertinaciter faciant, conſiderent ſecum quàm principiis Ariſtotelis cõgruentius, quàm ſibi modeſtius, quàm publicis ſtudiis utilius fuerit confiteri neſcire ſe quid dicãt, quàm iſta tã temerè effutientes, ſibi primùm, deniq; bonis adoleſcentibus tam miſeram, tamq; pernicioſam calamitatem parare: Sed cõqueſtionis hujus dolore ſæpe lõgiùs evehor, quàm putarã. Sicut expoſita geneſi diſputatũ eſt, ejus doctrina ſyllogiſmos omnes concludi, ſic expoſita mediorum, & enuntiationũ inventione, diſſeritur omnia problemata, omneſq; ſyllogiſmos oſtenſivos,

hypotheticos vel ex abſolutis neceſſariis cõnngentibus, deniq; cujvſuis generis perfici: idq; ita demonſtratur: Manifeſtum igitur ex dictis, quód nõ ſolúm accidit hac ratione & via omnes ſyllogiſmos fieri, ſed etiã quód alia impoſsibile ſit: Demõſtratum enim eſt, omnem ſyllogiſmum per aliquam expoſitarum figurarum fieri. Has veró nõ accidit per alia conſtitui, quám per conſequẽtia & antecedentia: Ex iis enim propoſitio & medii ſumptio. Quare nec ſyllogiſmum poſsibile eſt fieri per alia. Via igitur de omnibus una, & circa philoſophiam & quamvis artem & diſciplinã. Quapropter in omni problemate hæc erunt invenienda ſecũdum veritatem quidem, quæ etiam ſecundum veritatem inſint: ad dialecticos autẽ ſyllogiſmos ex probabilibus propoſitionibus. Hęc, inquã, diſputatio eſt, antecedentium & conſequentium argumento, omnes diſputationes & philoſophicas & dialecticas effici. Diſputationis clarior concluſio ſic eſt:

Omnis figura efficitur antecedentibus & conſequentibus:
Omnis ſyllogiſmus aliqua efficitur figura:
Omnis igitur ſyllogiſmus efficitur antecedentibus & conſequentibus.

Hujus tamen demõſtrationis propoſitio non ſatis vera eſt: medium enim & argumentum in omnibus negantis ſyllogiſmis alteri extremo opponitur, ſicut Ariſtoteles etiam in his capitibus loquitur. Aſſumptio plané falſa, ſicut antea docui, quia ſyllogiſmi & proprii & conjuncti (cõnexos & diſjunctos dico) nõ perficiantur tribus expoſitis figuris: Et interpretũ vanitas illa, de qua jam dixi, hoc capite triceſimo, etiam teſtimonio Ariſtotelis aperté refellitur: cùm differẽtiam docet ſyllogiſmi oſtenſivi & hypothetici: quód ille propoſita duo vera habeat, hic alterum falſum, ut ad impoſsibile dicitur: ideoq; mẽdacii ſyllogiſmus appellatur: aut certé pro certo & indubitato, quod incertum tamen ſit & dubiũ, ſecundum aſſumptionem, ſicuti & Mathematici poſtulare ſolent & aſſumere: & qualitatem quandam, quam demonſtratã non habent, concedere, unde demonſtrationes ſuas efficiunt. Aliquãdo eam ſpecies plures ſint, una tamen probata, ex hypotheſi concluditur genus.

Principia ſyllogiſmorũ generaliter quidem dicta ſunt quemadmodũ ſe habeant, & quomodo ſint indagãda & inveſtiganda: hîc media & argumẽta rurſus appellant principia ſyllogiſmorũ, & eorũ invẽtio aptè venationis cujuſdã, (tametſi ea hîc nulla inſtructa eſt) indagationi comparatur. Atque hîc, quod in geneſi monui, non eſt omittẽdum: Una geneſis eſt cõmunis & generalis & univerſalis, nec in minores artes ſecanda: Cujus doctrina quãvis in his libris imperfecta ſit, eſt tamen per ſe quædã una. Sic inventio una eſt generalis, communis, univerſalis, nec pluribus artibus minunús diſcerpẽda: Communis, inquã, omniũ diſputationum neceſſariarũ veriſimiliũ, ut hic docetur: vereq; á nobis eſt libro ſecũdo, & ex ariſtotelicæ Logicæ ſentẽtia diſputatũ, quæſtionum partitionem eſſe vanam, quia communis eſſet Logica omnium quæſtionum: Logica doctoris hujus communem omniũ problematum geneſim docere voluit, nunc communem inventionem docere vult, & communia principia ſeu media. Propria veró in unaquaque arte plurima ſunt, ait hic author: Singulares enim artes, inventiones quædã ſunt ſingulares. Hîc memento ſyllogiſmorum principia in argumẽtis & mediis ſtatui: ideoq; horum principiorum doctrinã, doctrina ſyllogiſmi ex illis principiis compoſiti priorem & antiquiorem eſſe: quod idem magis aperté dicetur capite triceſimo primo. Atque hoc loco Ariſtoteles attendendus eſt accuratius, cum ita loquitur. Universaliter igitur quemadmodum oporteat invenire propoſitiones, feré dictum eſt: δι' ἀκριβείας δὲ διαλήλυθαμεν ἐν τῇ πραγματείᾳ τῇ περὶ τὴν διαλεκτικήν, accurate veró diſſeruimus in tractatu dialecticæ: id eſt, ut Philoponus interpretatur, οὐ τὴν τοπικήν. ταύτην γὰρ φησι διαλεκτικήν: Hanc enim dicit dialecticã. Hoc, inquam, loco Ariſtoteles attendendus accuratius ad illam ſecundo libro adraſteam inventionis & judicii diſtributionem, ut Adraſtus & logica veritate & ariſtotelea authoritate permotus categorias τὰ πρὸ τοπικῶν nominaret, & topica ipſa analyticis anteponeret. Hic enim Ariſtoteles plané Adraſtus eſt: inventionem (inquit Ariſtoteles) mediorũ nũc ſummatim attingo, antea ſiquidem

dem δι' ἀναλύσεως id eſt μερικώτερον, ut Philoponus interpretatē, ſubtilius per partes expoſui. Ergo Ariſtoteles περὶ τὴν εὐπορίαν τῶν προτάσεων, hos ad antecedentia topica remittit: Adraſtumq́ logicæ diſtributionis in topicam & analyticā revera ac veritate ſuſcipit. ſed tamen (ut propoſitum perſequamur) oſtenſivi & hypothetici differentia cúm talis deſcribatur, & doceatur, oſtenſivum, hypotheticum, & omnino omnē ſyllogiſmū tribus figuris, duobus antecedentium & conſequentium locis abſolvi, planiſsimè docetur hypotheticos ſyllogiſmos, hîc nominatos ſimplices ſyllogiſmos eſſe, non eos qui conjuncta argumenti diſpoſitione, connexa vel diſjuncta propoſitioné concluduntur. Locus veró unus eſt in hac diſputatione, capite eodē diligenter animadvertendus, jam ſæpiús à nobis citatus: Principia itaque uniuſcujuſque rei conſtituere, eſt experientiæ & uſus: ſic ἀστρολογικὴ ἐμπειρία, id eſt aſtrologica experientia, aſtrologicę ſcientiæ principium eſt: ſimiliter reliquarum omnium artium & diſciplinarum experientia, ipſarum principium eſt. Itaque ſi uſu præcepta ſunt & experimento cognita, quæ ſunt in rebus, licebit hinc ſané demōſtrationes facilé promptéque exprimere: Etenim ſi nihil κατὰ τὴν ἱστορίαν, inquiſitionem obſervationemq́ omiſſum ſit eorum, quæ certó ac veré rebus inſunt, facilé cujuſvis rei demōſtrationem comperiemus. Hîc, inquam, locus non negligenter legendus, ſed diligenter attentéq́ cognoſcēdus. Procreatrix & parens omnium artium ἐμπειρία, καὶ ἱστορία eſt: veriſsimé dictum eſt: ſed infinitarum tenebrarū totis Analyticis cumulatarum nulla procreatrix eſt ἐμπειρία, nulla ἱστορία: ab uſu vitæ & humanitatis nullo, à prudentiæ ratione nulla profectæ ſunt: ad nullum vitæ & humanitatis uſum, ad nullam prudentiæ rationē referri poſſunt: tollantē igitur. Ac ſi quæras quómodo his ſublatis, ſyllogiſmi geneſis, medii invētio explicari & demonſtrari poſsint, tibi reſpōdebit hujus admonitionis veritas: Si κατὰ τὴν ἱστορίαν ſingula veré deprehenderis, hinc demonſtrationes efficies. Principia definitionum, partitionū, ſi quare vera ſint, addubites, ad ἐμπειρίαν καὶ ἱστορίαν recurramt aliter nō oſtendā: nec aliter oſtēdi principia debent, ut veré poſterioribus Analyticis poſtea dicetur: Ex principiis autem per ἐμπειρίαν καὶ ἱστορίαν collectis cætera deinceps oſtendenda & explicanda ſunt. Hoc univerſæ diſputationis & animadverſionis meæ ariſtotelicum principium eſt adverſus Organi Logici tenebras: Principiū verum, principiū certū, principium toto Organo, Ariſtotelis doctrina digniſsimū: Hæc enim præcipua eſt Ariſtotelis hæreſis contra Platonē: principia cognitionis noſtræ poſita eſſe in ſenſibus: principia artiū, inductione ſenſiliū & ſingulariū rerū colligi: nihil deniq́ in intellectu eſſe, quod in ſenſu priús non fuerit: quod οὐ τῇ ἐμπειρίᾳ καὶ ἱστορίᾳ nō fuerit. Utinā literis aureis, atq́ amplis & illuſtribus, pro foribus ſcholarū omnium, vel potiús firma & ſtabili intelligentia memoriaq́ in mētibus magiſtrorū, duo iſta verba eſſent inſcripta & impreſſa, ἐμπειρία, ἱστορία: ut quoties ea legerēt & meminiſſent, omniū verorum dogmatū cauſſam atq́ originē legerent ac meminiſſent, quæ præcepti originem veram demonſtrēt, quæ præcepti uſum certū declarent. Sed hîc fortaſsis amore & deſiderio tātæ veritatis diutiús immoror: reliqua eſt capite triceſimo ſecūdo per genera diviſio, quam magiſter particulam quādam facit hujus doctrinæ: & recté facit: eſt enim latiſsimus diviſionis uſus, non ſolúm cúm genera, ſed quævis omnino totius partes dividuntur: & antecedentia cōſequentiaq́, quæ medii inſtrumenta communia hîc facta ſunt, ex diviſionis loco permulta ſumuntur genera, ſpecies, totū, partes. Sed hic idem magiſter diviſionem facit infirmum ſyllogiſmū vel aſyllogiſtum, ut ſecundi Poſteriorum capite quinto, quia quod oportet monſtrare, petit: in eoq́ omnes ſuperiores, ignorantiæ arguit: quód in ea neq́ petitionē principii, neque ſyllogiſmū infirmum viderint, ſed præceperint per eam, de eſſentia demonſtrationē fieri, rerumq́ definitiones inquiri. Hîc imprimis Plato videlicet arguitur, qui hoc argumēti genere definienda eſſentia rerū ſæpe philoſophatē. At in utroq́ videtur ipſe reprehenſor, potiús arguendus: nec enim diviſionis omnis eſt uſus, ut ex ſpecie genus: ſed major etiam, ut ex genere ſpecies concludatur: imó etiā definiatur, ut poſte-

riores

rioris Analyſeos ſecundo docetur. Ita quod in principio eſt, hoc argumento non petitur: Imò nominatim nullã hîc eſſe principii petitionẽ, Analyſeos poſterioris ſecundo dicitur: Et valdè ridiculum eſt, non ſolùm falſum hujus doctoris argumẽtũ: Omnis demõſtrationis, ait, mediũ eſt minus primo in diviſiõe: Medium non eſt minus: Non igitur demonſtratio. O doctorem ſuæ doctrinæ non ſatis memorem! Docet enim magiſter in poſterioribus Analyticis, omnẽ demõſtrationem ex cauſſa propria eſſe, nec ideo medium eſſe minus primo. Hîc contra Platonem contrarium ſibi permitit & concedit: Deinde verò ſpectemus infirmum in diviſione ſyllogiſmũ, quem Plato, & omnes ante hunc magiſtrum ignoraverint: Videamus quomodo diviſio ſit aſyllogiſtos: quod exemplum aſyllogiſtum edatur: Hîc enim neque principium petitur, neque ſyllogiſmus eſt infirmus, ſed ſyllogiſmus conſtãs & ratus. Problema eſt primi exempli de ſubſtãtia & quadam definitione, nempe, Quid eſt homo? Medium ſumitur ex diviſione generis in ſuas differentias: & ita ſyllogiſmo concludiť, neq; petitur principiũ: Primus eſt ſyllogiſmus.

Omne animal eſt mortale aut immortale:
Omnis homo animal eſt:
Omnis homo igitur mortalis eſt aut immortalis.

Hic ſyllogiſmus eſt primę figurę: Nec intereſt quod propoſitio, cõjuncta enũtiatio eſt: neq; enim ſyllogiſmi ſimplices dicuntur aut cõjuncti ab enuntiatione ſimplici aut conjuncta, ſed à diſpoſitione, ut in noſtra Dialectica diximus. Secũdus ſyllogiſmus in exemplo eodẽ eſt.

Homo mortalis eſt, at immortalis:
Non autem immortalis:
Mortalis igitur.

Hic diſjunctus ſyllogiſmus conſtans & firmus eſt: neq; petitur principiũ, ſed ex contrario contrariũ probatur, cõtraria verò ſimul naturâ ſunt: Simili via duo rurſus ſyllogiſmi contexuntur:

Omne animal mortale pedes habet, aut iis caret:
Omnis homo eſt animal:
Omnis igitur homo pedes habet, aut iis caret.

Deinde diſjuncta concluſio efficitur de proxima complexione:

Omnis homo pedes habet, aut iis caret:
At non caret pedibus:
Habet igitur.

Quapropter in hoc præcepto ariſtotelicum nihil eſt: nihil verũ eſt; ubi tot, tamq; rati & conſtãtes ſyllogiſmi ſunt, ſyllogiſmum nullum eſſe. Sed majus eſt quod ſequitur: Tota Platonis diviſio labefactatur & evertitur: & diſputatur nõ ſolùm judicii & ſyllogiſmi, ſed argumẽti prorſus eſſe expertem diviſionem: itẽ ad quodvis problema eſſe inutilem diſſeritur. At, inquam, particulam invẽnonis eſſe quandam pauló antè dictũ eſt: non igitur inutilis prorſus. Sed exemplum videamus: geometricum verò ponitur, demonſtratum apud Euclidẽ ultima propoſitiõe decimi: An diameter, ſit aſymmetros: & ſimili via diſſeritur:

Omnis longitudo eſt ad coſtam ſymmetros vel aſymmetros:
Diameter eſt longitudo:
Diameter igitur eſt ad coſtam ſymmetros vel aſymmetros.

Syllogiſmus igitur diſjunctus ut antea concluditur, nec petitur principiũ:

Omnis diameter eſt ad coſtam ſymmetros vel ſymmetros:
Non autem aſymmetros:
Aſymmetros igitur.

His argumentis concluditur diviſionem neque omni cõſiderationi cõgruere, neq; in his utilem: in quibus maximẽ videatur, nil ad definiendum, nil ad ullum problema diſceptandum valere: ſophiſma eſſe denique: in ea principiũ peti: Cõcluditur id, inquam, ſed vitioſè & captioſè concluditur: Imò verò poſtea ſecundo Priorum, & ſecundo Poſteriorũ, hæc ipſa diviſio & nomine inductionis, & nominatim per ſe, & diviſiõis nomine valdè laudat & probatur: & quòd valeat non ſolùm ad inveſtigãdum definitionẽ & eſſentiam, ſed ad communẽ problematũ diſceptationẽ plurimùm valeat, multa & longa oratione diſſeritur: ſed tum dicetur id ſuo loco meliùs. Nec interpretum vanitas hîc audienda, Platoni placuiſſe definitionem ſyllogiſmo demonſtrativo mõſtrari: nec enim, ſi Organico authori creditur, de ſyllogiſmo quiſquã ante natũ Ariſtotelẽ cogitarat. Adhuc invẽtio mediorum & propoſitionum in duobus locis antecedẽtiũ & conſequẽtium poſita eſt, ad antecedentia conſequentiaq; definitio & pro-

prium

prium & accidens referuntur: Oppoſita rejecta ſunt: diviſio tota ut inutilis abjecta, hac inventione omnes ſyllogiſmos effici. Ita de quinque genetibus argumenti, proprio, accidente, oppoſitis, diſtributione, definitione tria tantũ Ariſtoteli probãtur. Verùm ut dixi, anteceſſionis & conſecutionis ratio, diſpoſitionis magis eſt, quàm inventionis: quod interpretes quidam ſenſerunt: totamque inventionem hîc expoſitã analyſi ſubjiciũt, quia mediorum nulla tradatur inventio, ſed geneſeos regulæ tantùm repetantur.

CAP. XV. DE ANALYSI *propoſitionum.*

PRimi Analytici partes adhuc duæ diſceptatæ ſunt, geneſis ſyllogiſmi, & inventio medii. Tertia pars de analyſi, reliqua ſequitur, quæ nobis adhuc regula fuit ad duas priores retexendum & examinandum: hic enim verus & naturalis ignis experientiæ, uſus, inductionis, id eſt ariſtotelicorũ fuit, quo Logicum aurum probavimus, quodcunque in Porphyrio categorico & ſymbolico & hoc analytico doctore fuit: Ignẽ igitur hunc ſua flamma inflammemus, ut eluceat oculis & effulgeat: principia de materia artis, deque forma teneamus. Quid igitur hîc primũ eſſe debuit? Primùm quia partiti Logici operis tertia pars eſt analyſis, tranſitione ſignificandum fuit, de geneſi & inventione dictum eſſe, de analyſi jam eſſe dicendum. Hæc tranſitio, præclara & egregia ſignificatione initio ponitur: Quomodo autem reducamus ſyllogiſmos in expoſitas figuras dicendum deinde fuerit: id enim diſquiſitionis reliquum eſt. Tranſitio igitur hîc eſt, operis Logici partem unam ſupereſſe, analyſim: Sed hæc tranſitio eſt: ratio tranſitionis deinde ſequitur ex univerſę Logicę partitione: Nam ſi compoſitionem ſyllogiſmorũ perſpiciamus, & inveniendi habeamus facultatẽ, tũ verò factos retexamus in expoſitas figuras, hypotheſis initio propoſita finem conſequatur. O partitionem infinitæ lucis, ſi diligenter examinetur, authorem! Secũdo libro principia Logicæ facultatis, quæ in Logico Organo deeſſent, explicavi; ea tota licet ex hac partitione cõfirmare. Logicam, dico artem eſſe bene diſſerendi, nec finibus ullis aut terminis hanc definitionem concludo: ad omnes res diſſerẽdas & explicandas Logicam pertinere confirmo: Id principium hac partitione cõfirmatur, quia trib⁹ partibus tota hypotheſis Logica comprehenditur, geneſi, inventione, analyſi, ut qui invenerit, diſpoſuerit, inventumque ac diſpoſitum opus examinarit & retexuerit, finem Logicæ hypotheſeos cõſequatur. At geneſis, communis omnium quacunque de re ſyllogiſmorum deſcripta eſt: At inventio, communis omnium quacunque de re problematum deſcripta eſt: At analyſis, communis omniũ inventarum & diſpoſitarum diſputationũ poſtea deſcripta eſt: Quare ſi vel geneſim, vel inventionem, vel analyſim ſpectes, tota Logica cõmunis, generalis, univerſalis eſt: vereque docet & analytico doctori congruenter docet, qui Logicã, definit artẽ bene diſſerẽdi, eamque ad res omnes communiter accommodat: quique Logicæ finem ſtatuit de omnibus rebus bene diſſerere, quia id etiã hîc Logicæ hypotheſeos finis appellatũ. Doceo duas artis eſſe partes, inventionẽ & diſpoſitionẽ: Hæc partitio, inveniendi facultatem, compoſitionem ſeu collocationem, partes artis efficit, & geneſeos verbũ (ut ejus doctrina in tribus figuris expoſita demõſtrat) totum nũc eſt ordinis & collocationis: & ſic opponuntur geneſis & analyſis, ut ſecundi Elenchorũ capite ſecundo analyſis & ſyntheſis: & Philoponus ait geneſim pro diſpoſitione ab Ariſtotele uſurpari. Hęc igitur una partitio verã illã Logicæ hypotheſeos partitionẽ, quã ſecũdo libro explevimus, accuratè quærẽtibus indicare poterat: & quod reſtituimus, hac partitione comite & indice reſtituimus. Quamobrẽ tam fertilis partitionis tàmque fœcundæ partus ſtudioſè & ſolicitẽ ſuſcipiendus nobis atque alendus eſt. Sed analyſis reliqua eſt, analyſeos definitionem requiramus: ea nulla eſt. Analyſis Logica, eſt diſputationis invẽtæ & diſpoſitę examinatio & exploratio: Nec ars nova eſt ulla, ſed ars ipſa iiſdẽ gradibus repetita, quibus in opus educta fuerat, ut initio propoſuimus. Quis analyſeos finis? quis fruct⁹ erit? Audiam⁹ non ſolùm interpretes Organi (qui docent analyſim,

analyſim, præſtantiſsimam eſſe Logicæ hypotheſeos partem, à qua tota hypotheſis quatuor librorũ, Analyticorũ nomine inſcribitur:) ſed multó magis Organum ipſum hac de re audiamus: Eveniet ſimul ut priús deſcripta, quód ita ſe babeant, confirmentur & illuſtrentur iis, quæ modó dicentur: Neceſſe namq; eſt omne verum ipſum ſibi uſquequaq; conſentaneũ eſſe: Quapropter analyſis, eſt inventionis & diſpoſitionis cõfirmatio & illuſtratio: & quód veriſsimé jam toties omnibus locis analyſim advocamus, uſum, experientiam & hiſtoriã requirimus, organico autbore & doctore requirimus: Analyſis enim, Lydius lapis eſt, quo Logicum aurum tentemus: Imó verus eſt & naturalis ignis, quo Logicum aurũ probemus, confirmemus, illuſtremus. O me miſerum, & eloquẽtia (cujus ſum profeſſor) valdé nudum & vacuũ! Cauſſam, ut ſpero, (imó valdé cõfido) gratiſsimã Deo, & publicis ſtudiis utiliſsimã, & ex Ariſtotelis (ſi tamẽ hic eſt Ariſtoteles) doctrina, principiis, ſententia, tot annos diſputo: & tamẽ hominibus quibuſdã tam illuſtrẽ, tam utilẽ cauſſam nõ perſuadeo: Imó veró graves damnationis pœnas á tribus Iudicibus impoſitas pertuli: diſcipulos meos ſcholis ejectos propterea vidi, quód analyſim, inventionis & diſpoſitionis illuſtrationẽ & confirmationẽ eſſe dicerẽ: quód analyſim Logicam ad omnes ſententias, diſputationes ſcriptas, dictas, meditatas referrẽ: quód analyſim, Logicæ artis animam vitamq; dicerem, & in poëtis, oratoribus, philoſophis animare artis præcepta analyſi contenderem. Sed quoniã melioribus & æquioribus judiciis cõſervati & reſtituti ſumus, analyſim quoque licet intermortuã, omnibus viribus conſervemus, excitemus, reſtituamus. Quid ſequitur? Analyſis logica, eſt non ſolùm examinatio diſputatiõis, ſed cõfirmatio & illuſtratio: Quia verum vero conſonat, quia videlicet aurum in igne ſuam puritatem approbat, prima debuerat analyſis eſſe conſideratio. Quid hîc actum eſt? ut inventio nulla feré tradita eſt, ſic inventionis analyſis nulla propé traditur, tota eſt geneſeos: prima de ſyllogiſmi definitione & partibus: ſecũda de figura, de figuræ forma. Primũ igitur poſiti ſyllogiſmi exemplum enuntiationes reſolvitur, deinde in terminos tres: quamobrem? Quia facilius eſt, ait hic doctor, dividere in majora. At, inquã, trium terminorũ cõſideratio major & amplior, id eſt generalior & antiquior, & prior eſt naturá: Problema enim, ad quod duo termini referuntur, & argumentum, id eſt medius terminus anté conſiſtant, neceſſe eſt, quàm ex iis propoſitiones efficiantur. Ratio hæc doctorem ad analyſim terminorũ priús adducere debuit: methodum igitur doctoris, vel ipſius argumento refellimus, præceptum tamẽ ſequimur: Tres terminos in exemplo propoſito requirimus, id eſt problema & argumentum. Præcipua inventionis vel propoſitionis analyſis in hoc libro nulla eſt, ut conſideretur de partibus, ex quo loco eductę ſint: ſit'ne propoſitio propria, vera, certa, cõſentanea: an contrá aliena, obſcura, ambigua, falſa, incõſequens: Præcipua, inquã, inventionis & propoſitionis analyſis hîc nulla eſt, in Elenchis eſt quædã. Perge, quid analyſis geneſeos? quid hîc exponit? quæ præcepta proponit? Præcepta certé ſtatuit excellentia, & ſi quid in toto Organo Logico Ariſtotelis nomine dignum eſt, ariſtotelica numero ſeptem ſunt: primum eſt: Etſi non ambæ adhibitæ ſunt, altera eſt reſtituenda. Ergo quod ad propoſitiões attinet, interdum nihil deeſt, & qualitas ſola ex concluſionis & ſyllogiſmi legibus conſideranda, interdum veró deeſt altera: Interdum enim generali propoſitione conſtituta, aſſumptio non exprimitur, ſeu ſcripto, ſeu ſermone diſputetur: aut adhibetur propoſitio utraq;, ſed complexio reticetur: alia veró interrogantur. Hîc ἐμπειρίαν καὶ ἱστορίαν, veræ artis matrem agnoſco. Lege totum Demoſthenem, Ciceronem, Homerum, Virgilium, Platonem, Ariſtotelem: omnes oratores, poëtas, philoſophos, quæſtionem ſyllogiſticã vix milleſimam plenis ſyllogiſmis contextam & concluſam reperies: enthymematis, communis hominum ſenſus feré cõtentus eſt: Aſſumptió clarior eſt? Fruſtra diceretur: Propoſitio per ſe apparet & occurrit? Aſſumptione ſola concludimus: interdum ne cõcluditur quidẽ, ſed duabus poſitis partibus, aut etiã altera, complexio priús intelligitur, quàm dici poſsit: Omninoq; ſyllogiſmus rariús

partibus

partibus ſuis expletur, quám in ſyntaxi primæ & ſecundæ verborũ perſonæ, ego & tu exprimuntur. Ergo de ſyllogiſmi partibus tántúm enuntiatur, quantúm mens auditoris requirit: quod per ſe cõcipit, id repudiat, nec explicari ſibi vult. Organum perlege, ſyllogiſmorum etiã exempla in figuris ipſis poſita repetei quotumquemque perfectum invenies? Sed cæteras hujus præcepti partes videamus. Conſiderãdum veró an ſupervacaneum aliquid aſſumptum ſit, tum etiã de neceſſariis, ne quid ſit omiſſum: ac illud quidem reſtituendum, hoc veró detrahendum, donec ad duas propoſitiones perventum ſit. Uſus & excellentium authorũ exempla, ſyllogiſmi partes non omnes neceſſarias habẽt: quaſdam etiã (ut anté locutus eſt magiſter) inductionis ornatus, aut alius cujuſdã ejuſmodi gratiã ad problematis unius judicium & ſyllogiſmum nõ neceſſarias habent: attamen cúm volumus accuratiús ratiocinationis vim expendere & examinare, & conſtanter vereq́ concluſam demonſtrare, quod deſit, expleamus: quod ſuperſit, ſecernamus: ut Grãmaticus in examinanda ſyntaxi, quæ reticentur, exprimit: unum verbum ſemel dictũ, pluribus clauſulis inſervit, toties repetet: antecedẽtes caſus vel cõſequentes non dictos, intelligendos tamen eſſe dicet: ſic Dialecticus in examinando & retexendo faciet. Hoc theorema Logicæ analyſcos hic primum eſt infinitis jam locis tractatum & adhibitum: quanvis enim de ſolo ſyllogiſmo dictum eſt, attamen de doctrinæ methodo ſimile quiddam, ſed in diſsimili genere tenendum, ne quid deſit, ne quid redundet in tota doctrina. Definitio, partitio, excẽpla cúm deſunt, defectum: cúm res inanes & vanæ permiſcentur, redundantiam appello: neque hoc, neque illud in arte volo eſſe: In ſyllogiſmo ſecús: faſtidit animus id ſibi dictum, quod per ſe conciperet: At in doctrina bene & methodicé diſpoſita, ſyllogiſtica quæſtio nulla eſt: propoſitio quævis judicata eſt aut per ſe aut per ſyllogiſmum: ut ſunt propoſitiones definitionum, partitionũ eſſentialium, de quibus primo de Demonſtratione: ut earum omitti ſine vitio nulla poſsit. Itaque in toto adhuc Organo defectum in definitionibus, partitionibus, exemplis, quæ deerãt, notavimus: redundantiam in alienarum rerum nugis, in ejuſdem rei periſſologia, in demonſtrationum & geometricarum imitationũ matæotechnia, in falſarum & captioſarum argutiarũ ineptia notavimus. Ergo partes ſyllogiſmi quas uſus non requirit, ſi dubitatio tamen inciderit, analyſis ita retexet: Defectum nõnullorum facilius eſt deprehendere, aliorũ veró occultius eſt: & quia neceſſarium quiddam expoſitis accidit, ideo videtur ſyllogiſmus eſſe. Hæc adhuc admonitio eſt de legitimo propoſitionũ numero, propter quẽ fraus & captio cõtingit. Syllogiſmus definitur initio, concluſio ex quibuſdã poſitis neceſſarió confecta: quædam argumentatio neceſſarió concludit, & ideó ſyllogiſmi ſpeciem habet: Fallit tamẽ aliquando: Admonitio vera eſt. Omnes vitioſi modi in tribus figuris expoſiti aliquando ex poſitis neceſſarium concludunt: Syllogiſmi tamen non ſunt, quia fallit ea compoſitio & diſpoſitio interdum: & eadem veſtigia ſecutus, labi potes. Hoc totum laudo, & ad logicam noſtram de exercitatione aggrego: adeó etiam (quod tamen facile eſt) ut in oratione, ſic in diſputatione partes nõ ſemper ad artis ordinem componi, ut illic nominativus verbum, hîc propoſitio aſſumptionem præcedat, poſtrema complexio ſit: uſus enim liberior eſſe vult: at tamen ad æſtimandum & judicandum cúm analyſis adhibebitur, ut Grammaticus, ſic Logicus ad artis ordinem cunctas partes revocabit. Sed tamen (quod ſæpe jam diſputo) nõ Ariſtotelem illum platonicũ Organi Logici authorẽ eſſe, ſed ariſtotelicæ philoſophiæ imperitum quẽdam ſophiſtem, locus hic imprimis admonere poteſt: adhibentur enim hîc ſyllogiſmi conſtantes & rati, pro ſophiſmatum & captionũ exemplis: Ut ſi ſumptum ſit, non eſſentia deleta, non deleri eſſentiam: ex quibus autem conſtat deletis, & ex iis cõſtitutam deleri. His enim poſitis neceſſarium quidem eſt partem eſſe eſſentiam: non tamẽ ſyllogiſmo concluſum eſt ex aſſumptis, ſed propoſitiones deſunt. Rurſus ſi cûm homo eſt, neceſſe eſt animal eſſe: & cûm animal, eſſentiã: cúm homo ſit, neceſſe eſt eſſentiã eſſe: Sed nondũ ſyllogiſmo cõcluſum eſt: nõ enim habẽt ꝓpoſitiones, ut dixim⁹.

Hæc doctoris exēpla ſunt pro ſophiſmatis poſita, quæ tamen veros & conſtantes ſyllogiſmos habent: Etenim primus ſyllogiſmus eſt in primo modo ſecundæ figuræ. Partes retexamus, pro definitione nomen ponamus, ut analyticum theorema poſtea præcipiet: ſic erit ſyllogiſmus ad impoſsibile:

Non eſſentia deleta non delet eſſentiam:
Pars eſſentiæ deleta delet eſſentiam:
Pars igitur eſſentiæ, non eſt non eſſentia, ideoq; eſſentia.

Hunc ſyllogiſmū qui non videt, quid eum putas in Logica videre? ait hîc magiſter propoſitiones deeſſe: at non propoſitiones ſolùm, ſed complexio ſyllogiſmi, figuram & formam integram perficiunt. Hic quis dubitare poſsit, Organum Logicum ex variis variorum, de quibus primo libro dictum eſt, authorum dogmatis, ſed ab homine, artis quā cōponebat imperito, aut certe res alias agente, minimeq; attento collectum & compoſitum eſſe? Similis ignorantiæ exemplum ſecundum eſt: Etenim ſumamus de ſuperioribus exemplis huic authori probatis unum aliquod, & retexamus, errorem hominis manifeſtiorem faciemus: imò primum omnium, & primi modi exemplum ejus aſſumamus: Si α de omni β, & β de omni γ, neceſſe eſt α de omni γ dici. Ergo licet hîc una connexa ſit propoſitio, tamen pro ſyllogiſmo oſtenſivo ponitur: & talia ferè ſunt omnia exempla ſyllogiſmorum ab hoc doctore propoſita, in quibus tamen ſyllogiſmos agnoſcit & credit: quia ſi exēplum retexamus in tres partes, ſyllogiſmi formam reddet legitimam. Sic videlicet exemplum illud erit:

Omne β eſt α:
Omne γ eſt β:
Omne γ igitur eſt α.

Eandē igitur hîc analyſim ſequamur, ſyllogiſmum ex omnibus neceſſariis reperiemus: Aſſumptio præcedit: reponamus ſuo loco:

Omne animal neceſſariò eſt eſſentia:
Omnis homo neceſſariò eſt animal:
Omnis igitur homo neceſſariò eſt eſsētia.

Hic ſyllogiſmus eſt primæ figuræ prima forma concluſus: qui quid aliud demonſtret, quàm doctorem hunc, præcepti illius pulcherrimi, quod colligit, & in Organum componit, ignarum & imperitum eſſe? aut certè quid colligat & loquatur non animadvertere. Quamobrem analyſeos præceptum tam verum, & à tam vero Logicæ artis uſu deductū teneamus: Quanvis in propoſito ad examinandum & retexēdum exemplo, ſyllogiſmi partes quædam neceſſariæ deſint, quædam non neceſſariæ ſuperſint: neutra tamen cauſſa ſyllogiſmum damnem⁹: Id enim uſus, artis magiſter, uſus inquam, vel in his Analyticis adhibitus approbat. Sed neceſſarium expleamus, non neceſſarium detrahamus, tantiſper dum de ſyllogiſtica quæſtione judicium facimus: meminerimusq; fraudis illius & captionis, ut nō quicquid lucet, aurū eſſe, ſic non quicquid expoſitis quibuſdā neceſſariò concludit, ſyllogiſmū eſſe.

CAP. XVI. DE ANALYSI
terminorum & figuræ.

TRiceſimo quarto capite ſequitur deinde ut ſit ſyllogiſmus in terminos tres partiendus. Hæc pars hujus theorematis de tribus terminis præcedere debuerat, ut dixi, quia primò problema retexendum eſt: cujus duo ſunt termini: deinde argumentum, id eſt medium. Reliquo capite, ſecunda eſt Analyſis de figura: Medius verò terminus ſtatuendus, qui in ambabus propoſitionibus dicitur: hujus theſis indicabit figuram, ut antea definitiones figurarum docuerunt. Tandem etiam figuræ qualitatem problema etiam quod concluditur indicabit, quia ut variū eſt, ſic in variis figuris concluditur.

Capite triceſimo quinto, Analyſeos ſecundæ præceptio reliqua ſequitur, de figuræ forma & ſpeciali qualitate. Labi & errare contingit ex ſyllogiſmi definitione propter neceſſarium: aliquando etiam ex figuræ genere: aliquando ob ſimilitudinem diſpoſitionis terminorū, quia univerſale deeſt. Hoc præceptum verum eſt & neceſſariū in omnibus ſyllogiſmis, de quibus ſolis in Organo logico præcipitur: in propriis autē & conjunctis neq; verum, neq; neceſſariū. Hîc rurſus exempla non Platonem, non Ariſtotelem, ſed ſophiſtem, doctrinæ quam componit & colligit, ignarum & expertem demonſtrant. Duo ſyllogiſmi tanquam captioſi ponuntur, quia medium non ſit in his univerſale: Sic autē ſunt:

Ariſtomenes intelligibilis ſemper eſt:

[illegible]

Διανοητὸς Grçcé verbum eſt, & paſsivé ſic accipitur in Analyticis poſterioribus, nequid hîc interpretes de intelligente mente comminiſcantur:

Ariſtomenes eſt Ariſtomenes intelligibilis:
Ariſtomenes igitur ſemper eſt.

Item, *Mycalus muſicus brevi peribit:*
Mycalus eſt Mycalus muſicus:
Mycalus igitur brevi peribit.

Hîc author ait propoſitiones univerſales eſſe oportere, quales hæ non ſunt, Omnis Ariſtomenes intelligibilis ſemper eſt: Omnis Mycalus muſicus citó peribit: ideoq; vitioſos ſyllogiſmos eſſe, quia nil ſit in iis univerſale. At uterq; ſyllogiſmus conſtans & firmus eſt: ſed primi propoſitio falſa eſt, & multa intelliguntur, quæ ſempiterna non ſunt: Aut ſi veram propoſitionem facias, erit aſſumptio falſa, quia Ariſtomenes hic, quem vides, non eſt Ariſtomenes ille, quem ſic intelligis. Secundæ partes omnes veræ eſſe poſſunt, nec in qualitate partiũ quicquam peccatur: vitii veró cauſſam dicere, quia medium non ſumatur univerſale, delirare eſt: propriæ enim propoſitiones omnes ſunt: & valdé ſit ineptum, in unitate multitudinẽ ſtatuere: ut, Omnis Plato diſputat: Omnis Ariſtoteles diſſerit. Quare, ut dixi, exempla hæc authorem ſuum valdé traducunt. Capite triceſimo ſexto veré præcipitur, ut termini exponantur apta oratione, nec ſymbola modó habitum, modó habitus ſuſceptivum ſignificent: cujus ſophiſmatis fuit illud exemplum: dé quo in Categoria relationis diximus, Quód ſcientia & ſcibile, relata non eſſent, quia ſcientia, nomen habitus eſſet: ſcibile, nomen potentiæ. Exemplum capitis hujus eſt:

Nulli ægritudini ſanitas contingit:
Omni homini ineſt ægritudo:
Nulli homini contingit ſanitas.

Quód ſi pro nomine habitus, nomẽ ſuſceptivi ponatur, error ille nõ accidet:

Nullam ægrum, ſanum eſſe contingit:
Omnis homo æger eſt:
Nullum igitur hominẽ contingit ſanũ eſſe.

Propoſitio, ait author, falſa erit: At erroris etiam cauſa eſt in illo contingẽtis modo: ex terminis enim ejuſdem generis, eadem ſyllogiſmi lege ſervata, ut anté docui, concluſio hæc captioſa erit: Superioris autẽ erroris cauſſa hîc eſt, quia medium non ſit univerſale. Eadem doctoris hujus ſapientia eſt.

Capite triceſimo ſeptimo theorema eſt veriſsimum & utiliſsimũ, & quo uno omnes Categorematum & Categoriarum ineptiæ refelluntur: Non laborandum eſt, ut nomine termini ſemper exponantur: plerunque enim orationes erunt, quibus poſita non erunt nomina. Itaq; difficile eſt retexere & reducere tales ſyllogiſmos. Sic videlicet plerunq; toti libri, & integræ orationes in unum ſyllogiſmum ſunt incluſæ: ut tota Miloniana Ciceronis oratio. Hæc analyſis difficilior eſt, & meditationis altioris. Aliquando veró falli continget in ea inquiſitione & examinatione. O theorema ſingulare & admirandum, & tamen in ſcholis Ariſtotelis mortuum ac ſepultum! Nemo feré poſt annorũ ſecula neſcio quot, græcus latinusve magiſter logicæ artis fuit, qui non conatus ſit Organi logici compendium aliquod efficere: & quod longiore diſputationis tractu dilatatum eſſet, contrahere: At quid deeſſet, nemo cõſideravit, ut adderet: quid ſupereſſet, nemo reputavit ut amputaret, & neceſſariam tantúm ſummã conſtitueret: Difficile enim eſt tantas ratiocinationes, & tam grandes ſyllogiſmos retexere & reſolvere: propter talẽ inquiſitionem & analyſim cõtingit errare: ſed tamẽ hoc præcepto monemur, regulam artis de tribus terminis, ad trium verborum neceſsitatem revocandam nõ eſſe: nec ſyllogiſmũ, trium ſimplicium vocabulorum eſſe, ſed ad tres ſyllogiſmi partes referendum, ſeu ſimplices dictiones, ſeu longæ ſint orationes: quod in poëtis, oratoribus, philoſophis, toto deniq; humanitatis uſu perpetuum eſt, ideoq; tenendum & approbandum, & ad Logicam aggregandũ: Et hinc commentum illud refellendũ, quo pro ſyllogiſmi fundamentis, ſimplicia nobis categoremata tantúm proponũtur, tanquam ex iis ſolis fierent propoſitiones & ſyllogiſmi. At hęc aurea regula veriſsimé cõtrà docet plerunq; terminos, quibus propoſitiones & ſyllogiſmi efficiuntur, longas orationes eſſe: terminos ratiocinationis, ſymbolis certis aſtrictos nõ eſſe: nec omnino referre, ſimplicibus an compoſitis ſymbolis efferantur. Hanc veritatis regulam, hanc uſus legem, hanc artis veritatem in Porphyrio antea, & in catego

rico magiſtro oppoſui, & nunc oppono. Sed pars capius reliqua, parem doctrinæ elegantiam præſtantiamq́ continet. Ineſſe verò primũ medio, & hoc poſtremo, non eſt accipiendum, quaſi perpetuó alterum alteri ſimiliter attribuatur. Interpretes ſcholaſtici perſuadent nullum categorema eſſe, quod non certo & ſemper ſimili genere dicatur de ſubjecto: genus & ſpeciem in quid, reliqua in quale, ut certo caſu, hoc dicatur illud: ut homo eſt animal. Sed hoc præceptũ ſcholaſticam illam doctrinã valdé convincit: Sed quotcunque modis eſſe aliquid dicitur, etiam totidem modis contingere idipſum verum dicatur, & eſſe, & non eſſe exiſtimandum eſt. Hoc præceptum magnum eſt, & emendatio multarum in ſuperioribus libris nugarũ: Categoremata, Categorias, Interpretationem pro fundamentis ſyllogiſmorum, interpretes græci latiniq́ ſic acceperũt, tanquam nulla propoſitio legitima, niſi ſimplici dictione, rectoq́ caſu fiat, ut homo eſt animal: homo eſt logic⁹: De quo genere vanitatis, in Porphyrio, Categoriis, Interpretatione conqueſtus ſum: caſus nominum, nomina non eſſe: tanquã enuntiatio nulla fieret legitima & ſyllogiſtica, niſi recto caſu: Illud eſſe ſcholaſtici ſermonis commẽtum, & naturalem uſum frequentem, eſſe cõtrarium. Quæ vanitas infinité in ſcholas noſtras irrepſit, adeó ut prædicationum propriarũ, impropriarum, eſſentialium, accidentalium ars quædam efficeretur, qua puer cum multis ejuſdem miſeriæ conſortibus eruditus ſum. Atqui hoc præcepto verbum κατηγορεῖσθαι καὶ λέγεσθαι, attribui & dici, longé aliter hîc explicat: & quod decebat, interpretationi ſymbola jam accommodantur, docemurq́ ad illam porphyrianæ & ſcholaſticæ Categoriæ & Interpretationis ſervitutem, ratiocinationis partes aſtrictas non eſſe: ſed quot modis eſſe aliquid aut non eſſe dici poteſt, tot modis partes ſyllogiſmi necti & contexi poſſe: Idque ſic uſu venire, ut nunc rectis, nũc obliquis caſibus, ſenſa mentis efferamus: Præceptum, inquã, veriſſimum, ſed exempla rurſus hîc nõ intellecta: & alius videtur præcepti author, alius exempli: ut contrariorum eſt una diſciplina. Magiſter hîc facit ſubjectum enuntiari ex obliquo caſu (contrariorum:) categorema verò, totum illud ex verbo & duobus nominibus (eſt una diſciplina:) Si ſyntaxis retexatur, propoſitio ſic erit:

Diſciplina contrariorum eſt una.

Secundum exemplum eſt, quòd primum de medio dicatur: ad illam recti caſus ſervitutem, mediũ de poſtremo non dicatur: Si ſapientia, eſt ſcientia: Boni autem eſt ſapientia: Concluſio quód boni eſt ſciẽtia. In hoc ſyllogiſmo, aſſumptio præcedit, & propoſitionũ ſymbola trãſmutata ſunt: Retexatur igitur, ſic eſt:

Omnis ſapientia, eſt boni:
Omnis ſcientia, eſt ſapientia:
Omnis igitur ſcientia, eſt boni.

Majus extremum non dicitur categorico illo genere, de medio: nam obliquè medium autem de extremo dicitur. Litera græca hic videtur mendoſa: exemplum autem eſt, quód primum de medio nõ dicatur categoricé, ſed medium de tertio: Si qualitatis omnis eſt ſciẽtia, & contrarii: Bonum autem & cõtrarium qualitas: Concluſio quidẽ, quód boni eſt ſcientia. Duo ſyllogiſmi hîc ſunt involuti: Retexantur igitur ut antea, ſic erũt:

Omnis qualitas, boni:
Omnis ſcientia, qualitas:
Omnis igitur ſcientia, boni.

Item, *Omne contrarium, bonum:*
Omnis ſcientia, contrarij:
Omnis igitur ſcientia, boni.

Hi duo, inquam, ſyllogiſmi ſunt, & ſic neceſſarió retexendi: Exemplum etiam tandem ponitur, ubi nullũ de nullo categoricé dicatur: ut, Si cujus eſt ſcientia, eſt hujus genus: Boni autem eſt ſciẽtia: Concluſio, quód boni eſt genus. Retexatur igitur ſyllogiſmus, ſic erit:

Omnis ſcientia, eſt boni:
Omne genus eſt ejus cujus eſt ſcientia:
Omne genus igitur eſt boni.

Hoc exemplum verum eſt, ſed ſicuti ſuperiora, ab Joanne Grammatico non intellectũ, qui docet, quanvis obliquis caſibus propoſitiones efficiantur, tamẽ obliquos illos caſus ſemper in ſubjecto eſſe, categorema ſemper in recto: in quo non ſolúm Logicæ, ſed Grammaticę imperitia labitur. Quamobrem præceptũ diligenter notandum & obſervandum, licet exempla ab Organi compoſitore non ſint intellecta: Quo generaliter monemur, illam certæ, ſemperq́ ſui ſimilis cate-

categoriæ ſervitutem ab uſu abhorrere: ſyllogiſmi denique partes, ſententiarum partibus, non ſymbolorum & vocabulorum generibus meriendas eſſe. Termini ſyllogiſmi, non ſemper ſimplices ſunt dictiones, ſed ſunt aliquando orationes longæ: nec ſemper caſibus rectis, ſed obliquis aliquando efferuntur. Hoc theoremate vanitas tribus ſuperioribus libris inſtituta damnatur & exterminatur: Porphyrius, Categoricus author & ſymbolicus, ad fundamenta ſyllogiſmorum & propoſitionum, ſimplices terminos caſib' rectis elatos, proponunt: cõpoſitos, obliquos abjiciunt, ut interpretes putant. Hoc theoremate reſtituuntur.

Triceſimo octavo capite, præcipitur reduplicationem aut reduplicatum majori extremo addendum eſſe, nõ medio. Reduplicatũ veró hîc propoſitionibus in primo extremo ſtatuendum eſt, non in medio. Exemplum eſt præcepti, ut ſi ſyllogiſmus fiat, quód juſtitiæ eſt ſcientia, quoniam bonum: Boni eſt ſcientia, quoniam bonum: Iuſtitia autem, bonũ eſt. Magiſter hic ait ſecundæ propoſitionis categorema eſſe (ſcientia quoniam bonum) ſubjectũ, boni. At ſyntaxis grãmatica tantam inſcitiam refellit, & ſubjectum docet eſſe (ſcientia:) categorema (eſt boni, quoniam bonum:) nec omnino in tali exẽplo ſyllogiſmus eſt, ſed cõtrá retexẽdus eſt, ut cõgruẽter cadat: ut,

Omne bonũ eſt juſtitiæ, quatenus bonũ eſt:
Omnis ſcientia eſt boni:
Omnis igitur ſcientia eſt juſtitiæ, quatenus bonum.

Sic enim categorema cõveniet, ſecus non: Ergo exemplum præcepto nõ conveniet, nec præceptum ipſum magni ad modum, ſi ſit verum, momenti fuerit.

Triceſimo nono capite, explicatio quędã additur capitis triceſimi ſeptimi: nomina pro nominibus ſumenda, & orationes pro orationibus, & ſemper nomen pro oratione. Præceptum eſt antea theoremate quinto, terminos non ſemper eſſe nomina ſimplicia, ſed orationes aliquãdo. Hic locus igitur analyſim cõpoſitorum terminorũ admonet, quoad fieri poterit, ad ſimpliciores eſſe revocãdam, ut in breviore & cõtractiore exemplo ſyllogiſmus faciliús cernatur & ęſtimetur: Facilior enim terminorum expoſitio fuerit: Eſt tamen conſiderãdum diligẽter quid pro quo ponatur: nõ enim idem τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν, καὶ τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν τὸ ἀγαθόν. articulus enim emphaſim hic habet, ac in aliis generibus ſimiliter: Reliquo capite tria comprehẽduntur, primum geometricæ imitationis collatio, de qua dictum eſt antea: deinde repetitur toties jam dictum non in omni figura omne problema concludi, ſed ex cõcluſione figuram cognoſci. poſtremó additur in diſputatione definitionis ejus partis, de qua agitur, terminum ſumendum. Atq; hic analyſis tota concluditur.

CAP. XVII. DE ANALYSI *hypotheticorum.*

CApite quadrageſimo documentum doctoris eſt, analyſeos doctrinam, quã docet, prorſus ignorantis aut certé prorſus obliti. Monuimus adhuc præcepta analyſeos de ſyllogiſmi definitione, partibus, terminis, multa præclara & egregia fuiſſe, exempla tamen ridicula & inepta: hic de præcepto conquerimur, non de exemplo ſolúm. Tum veró factos ex hypotheſi ſyllogiſmos ne tentem' reducere: nõ enim poſſunt ex poſitis reduci, neq; enim ſyllogiſmo demonſtrati ſunt, ſed ex pacto & arbitrió omnes cõceſsi. Hæc doctoris oratio eſt, quæ etiam declaratur exemplo: ut ſiquis ponat, ſi una quædam facultas non ſit contrariorum, neq; ſcientiam unam eſſe: Deinde demonſtretur, quód non eſt una facultas contrariorũ, ut ſi ſalubris & inſalubris: ſimul enim eſſet idem ſalubre & morboſum: quód quidem nõ eſt una omnium contrariorum facultas, demonſtratum: quód veró ſcientia non eſt, non eſt demonſtratum, confitendum tamen: nec ex ſyllogiſmo, ſed ex hypotheſi. Hoc exemplum doctoris eſt veré hypotheticum, ſed nõ quale exiſtimat: docuit enim antea ſyllogiſmos omnes hypotheticos tribus expoſitis figuris concludi. At hic ſyllogiſmus eſt connexus primi modi:

Si non una facultas, neq; ſcientia una:
Sed primum:
Secundum igitur.

Aſſumptioq; exẽplo exponitur: Sed tamen uſitatum eſt huic magiſtro exempla ſua ignorare: præceptum potiús cõſideremus, quæ ſit analyſis videamus:

Docet hîc magiſter omnes ſyllogiſmos hypotheticos, ſive ad impoſsibile ſint, ſive non, non poſſe reduci, ſed ejus eſſe deductionem ad impoſsibile: Docet, inquam, hæc, id eſt ſe doctorem, doctrinæ ſuæ imperitum & ignarum oſtendit: Etenim ſuperiora illa revocemus: Tres ſunt univerſæ hypotheſeos Logicæ partes, inventio medii, compoſitio ſyllogiſmi, reſolutio utriuſq; qua confirmatur & illuſtratur invẽtio & compoſitio: hæc enim ſuperior doctrina fuit. At hîc quid docetur? In facto ſyllogiſmo, licet mediũ inventũ ſit, licet propoſitione, aſſumptione, complexione diſpoſitus ſyllogiſmus ſit, tamen analyſim nullam eſſe. Et quiſquam mihi Ariſtotelem illum platonicũ potiùs, quàm ſophiſtem neſcio quẽ authorem tantæ ignorãtiæ appellabit? At dices reductionem & analyſim nunc intelligi de reductione, quæ per converſionem fiat. Eſto inquam, id enim videtur hîc ſignificari, cùm tollatur analyſis, deductio relinquatur. At ſtultitia hæc ſuperiore major erit: nec enim (quod tamẽ nunc agitur) ratiocinationis oblatæ inventio, compoſitio per converſionẽ examinari & explorari poteſt: & de converſionis commento ſatis antea multa dicta ſunt. Verumenimverò quàm neſcit compoſitor analytici operis, quàm non intelligit, quod colligit & cõponit! Syllogiſmus dubius aliqua parte, aut falſus eſt: ergo, ait, retexendus non eſt: Imò verò totum cõtrà eſt, quia dubius, quia periculoſus & inſidioſus eſt, ideo tentandus & explorandus & examinãdus eſt: ideo & inventio ejus & diſpoſitio penitus ſpeculanda eſt: atq; in Elenchis tam multa Logicorum vitiorum diſcuſſa vitia, quid aliud quàm dubiorũ & captioſorum ſyllogiſmorũ analyſim continẽt? Quapropter, ut dixi, ne ſit Ariſtoteles, ſed Ariſtotelis diſsimillimus aliquis Eubulides tantæ ſtultitiæ præceptor.

CAP. XVIII. DE MUTUA *figurarum reductione, deq; conſecutione infinitorum.*

Capite quadrageſimo primo deductio figurarum, fatua periſſologia repetitur & augetur: nec enim ſolùm docetur ut ſecunda & tertia figura in primam, ſed tota prima in tertiã revocetur: deniq; quacunq; figura concluſum ſit, idipſum in aliam figuram poſſe revocari. Matæotechnia ſtultiſsima, & geometrarũ deductionis, quam voluit imitari, diſsimillima. Sed hac de re ſatis antea. Poſtremo capite diſceptatur iterũ ſophiſma ſecundi libri de Interpretatione, de pronũtiatis infiniti vel privati attributi, ut affirmationem infiniti vel privati attributi ſequatur negatio finiti, nõ cõtrà. Præterea de Analyſi ab hoc magiſtro docetur. Quamobrem, ut antea diximus, geneſim ſyllogiſmi imperfectã, in qua de propriis, connexis, diſjunctis ſyllogiſmis nil præciperetur: inventionẽ imperfectiorẽ, qua inventio, antecedentium & conſequentium nominibus obrueretur: de mediorum generibus & formis nil admodum diceretur: ſic & juſtiore multò ratione analyſim imperfectiſsimam dicere poſſumus: Analyſis enim utriuſq; examinationẽ præſtare debuerat, & genera vitiorum, ſiquid tamen uſquam ſeparatim extra artem tradendũ fuit, virtutibus expoſitis contraria quædam inſigniora declarare: Quales argumẽtorũ & ſyllogiſmorũ fraudes in Elenchis & figuris diſperſæ ſunt. At nihil invẽtionis attigit: geneſeos nõ multa, eaq; vanis & fatuis exẽplis offuſa propoſuit, è quibus tamen ad aliquẽ dialecticũ uſum, magnifica illa theoremata referri poſsint: Imprimis cùm fuerit exemplũ ſyllogiſmi retexendũ, tres terminos ſpectandos eſſe, quorũ duo ſint problematis, tertius invẽtionis & medii. Secundò geneſim ſyllogiſmi ſpectandam: quod deeſſet, addendum: quod ſupereſſet, detrahendum: In cõmunibus ſyllogiſmis medium univerſale, in reliquis pro ſuæ compoſitionis genere habendam ſymbolorum rationem eſſe, ne iis compoſitionis leges impediantur. Cùm termini fuerint oratiões, nec uno categoriæ modo proferantur, ut ſæpe omnes in omnibus authoribus orationes erunt, & communi orationis uſu variè diſsimiliterq; prolati erunt: Tamen quò certius de oblato diſputationis exemplo judiciũ fiat, analyſis, quoad perſpicuitas patietur, contrahet, & diſputationes amplas in breviore forma dijudicabit. Quamobrem primus de ſyllogiſmo liber adhuc ita fuit: quem qui obſcurũ putabat, non fallebatur ille quidem, ſed certè obſcuritatis tam multas, tamq; ſtupidas cauſas nequaquam fortaſſe ſuſpicabatur.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER VIII. IN *ſecundum Analyticum,*

de Syllogiſmo.

CAP. I. DE POTESTATIbus *per converſionem & aſſumptionem.*

AT reliquæ ſunt Analytici ſecundi non pauciores ferè tenebræ: ad eas igitur eodem orationis curſu diſputanoniſq; contendamus: videntur enim ſyllogiſmi & judicii quadā hîc etiam præcepta conturbari. Verùm magiſter idem, qui Analytico primo fuit, idē ſecundo rurſus erit. Neq; hîc cōqueror, ut antea, quòd neceſſaria multa prætermittanť, ſed quód omnino nihil dialecticum toto iſto Analytico doceatur. In hoc enim toto libro nullum dialecticæ artis præceptū eſt: nihil quod inventionem doceat, nihil quod judicium adjuvet: nihil deniq; ab experientia & hiſtoria, id eſt ab Ariſtotelis principiis perfectum & deductum. Itaque ſummas rerum duntaxat attingam, ſingula ſubtiliter non perſequar ut antea, ne in re vaniſsima refellenda ego ipſe vanus eſſe videar.

Tres libri totius partes video: primā de poteſtate ſyllogiſmorum, alterā de vitiis, tertiam de formis argumentationum. Tametſi nulla ejuſmodi partitio facta eſt á magiſtro: & græci interpretes hîc eſſe dicunt, Alexander reliquias primi libri, Philoponus materiam ſyllogiſmi, cùm ſpecies primo libro expoſita eſſet. In prima parte declarantur ſeptem poteſtates ſyllogiſmorū: prima quomodò plura concludere liceat ex eodem ſyllogiſmo. Primo igitur capite exponitur poteſtas prima per converſionem, ſecunda per aſſumptionem. Sed de converſionis vanitate jam dictum eſt antea, deinde additur ſecunda, quomodo per ſumptionem ſub medio & ſub extremo minore plura concludamus. Hîc verò ſit operæpretium reputare, quantæ tenebræ ex uno converſionis commento natæ ſint: Converſionis doctrina obſcura fuit, demonſtratio tamen converſionis obſcurior fuit: Tot figurarum in abſolutis, neceſſariis, contingentibus, neceſſariis & abſolutis, neceſſariis & contingentibus, contingentibus & ſolutis per converſiones demōſtratio, quid obſcuritatis & vanitatis nō habuit? At eadem caligine totus ferè rurſus hic liber obruitur: converſio concluſionis hîc eſt primùm: poteſtas autem reliqua plura concludendi, converſionum ſimillima deliratio eſt: poſſumus ex eadem propoſitione aliud atq; aliud aſſumere, poſſumus ex eadem aſſumptione propoſitionem facere, novamq; aſſumptionem adhibere, ut novum problema concludamus. Sit igitur ſyllogiſmus unus, ex cujus & propoſitione & aſſumptione novis, utrobique aſſumptionibus additis, hoc ſcilicet modo plura concludamus:

Omne vivens movetur:
Omne animal vivit:
Omne igitur animal movetur.

Secundus ſyllogiſmus â medio duct⁹:

Omne vivens movetur:
Omnis homo vivit:
Omnis igitur homo movetur.

Tertius á minore extremo dictus, vel â concluſione aut cōcluſionis ſubjecto, quod idem eſt: ut

Omne animal vivit:
Omnis equus, animal eſt:
Omnis igitur equus vivit.

Hanc plura concludendi poteſtatem magiſter hic in ſyllogiſmo reperit: verùm quàm vanam? quàm á veris logicę artis præceptis alienam? Conſideremus igitur hæc: quæ ſi diligentiùs ſophiſtes hic conſideraſſet, nunquā profectò tam temerè in Organum logicū collegiſſet: ſi conſideraſſet, quærēdum eſſe medium & inveniendum, inventumq;, cùm problematis extremis certa compoſitionis & diſpoſitionis lege diſponendum, nunquā hæc præcepta tam ridicula feciſſet. In primo modo propoſiti ſyllogiſmi, argumentum & medium ex genere ſumitur, per quod ſpecies ſimiliter plures probari poſſunt.

Syllogiſmi una & eadem diſpoſitio eſt in omnibus propoſitis ſyllogiſmis. Quód ergo plura cōcludātur, poteſtas ſyllogiſmi non eſt, non cōpoſitionis, nō diſpoſitionis, non figuræ aut modi, ſed

argumenti & generalis medii, & ad res multas pertinentis. Deinde veró (quód in hoc præcepto longé ſtultius eſt) problema idem in tribus ſyllogiſmis nō eſt, ſed quæſtio alia atque alia ponitur concluditurq́ꝫ, totq́ꝫ ſunt ſyllogiſmi, quot quæſtiones: nec ex uno ſyllogiſmo, ſed ex uno argumēto plures ſyllogimi fiūt, ideoq́ꝫ præceptio iſta inutilis & nugatoria: Cúm enim hîc aliud atqꝫ aliud concludere ſtatuo, eandem ſemper artem ſequor, quæſtionem mihi propono: nihil enim concluditur, quod non quæratur, & ponatur priús: ſi non reipſa, saltē mente & cogitatione: Fruſtra enim res certa & indubitata concluderetur: & poſita quæſtione, non á ſyllogiſmo, ſed ab inventionis locis argumentū peto. Quód ergo plura concludo, non eſt iſta vis ſyllogiſmi, id eſt, ut dixi, non figuræ, nō ordinis, ſed medii, ſed argumenti: non diſpoſitionis deniqꝫ, ſed inventionis: Tollatur igitur hæc vanitas.

CAP. II. DE POTESTAte ex falſis.

Tertia poteſtas eſt ex falſis, in omni figura concludendi: quæ poteſtas non eſt ſyllogiſmi: Syllogiſmus enim tantúm hoc profitetur, ut conſtantem partium conjunctionem copulationemq́ꝫ inſtituat, & ex duobus conceſsis, tertii quod negabatur, confeſsionem exprimat: ad quam nihil pertinet, vera ne an falſæ ſint partes: ſecús ex falſis ſyllogiſmus ſtulté inſtitueretur: Porró ſyllogiſmi poteſtates innumerabiles ſimili deliratione colligi poterant, ex veris in omni figura concludi, ex poſsibilibus, ex impoſsibilibus, ex puris, ex ſolutis, ex moralibus, ex phyſicis, ex bonis, ex malis. Sed quid iſta ad ſyllogiſmi naturam? Moneamus igitur ſyllogiſmi nihil hîc eſſe, & totam iſtam poteſtatem tam levem, tam inanem, quia nihil inventionis, nihil diſpoſitionis doceat, à Dialectica tollendam. Atque hîc mathematicam aliquam imitationem ſuſpicor ineſſe: Arithmetici ſuſcipiunt, ut ex falſis eliciant verū. Hinc falſæ poſitiones: Sophiſtes hic noſter ſimile quippiam in dialecticis ſi comminiſceretur, ſe Mathematicū egregiū fore credidit. At quám non convenit in Dialectica (quæ mathematicis omnibus & natura & uſu prior eſt) tam aniliter fabulari? Sed de imitationibus mathematicis dictū anté jam eſt. In hac tamen diſputatione locus eſt inſignis capite ſecūdo, & diligenter animadvertēdus: Diſputatum eſt antea capiteoſé, & ſophiſma pro demonſtratione concluſum, omnes ſyllogiſmos tribus expoſitis figuris concludi. Quo loco docui, non modó exempla aliorum ſyllogiſmorum, his figuris nequaquam comprehenſorum, ſed etiam præcepta in Organo reperiri: Secundi enim connexi, imó etiam primi definitio & regula eſt in hoc capite: non tantúm pro ſyllogiſmo aſſumpta, nequid de conſtātia ejus dubitetur, ſed pro ſyllogiſmorum omnium demonſtratione: problema eſt, utrúm liceat ex veris ſyllogiſticé falſum concludere: id eſt, an ſyllogiſmi definitio vera ſit, quia ait poſitis veris antecedentibus, complexionem neceſſarió veram conſequi: ad hanc tamen generalem, & omnium ſyllogiſmorum communem definitionem demonſtrandum & probandum, ſophiſtes noſter, ſecundi modi connexum ſyllogiſmum, quem antea nullū ſyllogiſmum ſcilicet oſtenderat, aſſumit: Si enim α existente, neceſſe β eſſe, β non exiſtente, etiam α non eſſe: Si igitur verum eſt α, neceſſe eſt & β eſſe, aut accidet ſimul idem eſſe & non eſſe. Hîc regulas & definitiones duorū connexorum ſyllogiſmorum habemus: ſecundi primúm, ut ſi neceſſarii connexi conſequens removeatur, & antecedens removeri: Deinde etiam primi ſi antecedens ponatur, etiam conſequens poni: atque etiam manifeſtiús capite quarto rurſus de ſecundo connexo præcipitur. Quando duo ſic habent inter ſe, ut altero exiſtente, neceſſarió ſit alterum, hoc certé exiſtente, neque alterum erit: exiſtente veró, non neceſſe eſt alterum eſſe: Eodem veró exiſtente & non exiſtente, impoſsibile eſt ex neceſsitate idē eſſe. Hîc rurſus connexi ſecundi regula ponitur, remoto conſequente, neceſſarió & antecedens removeri. Vitium etiam oppoſitum notatur, poſito conſequente, non ideo poni antecedens. Quamobrem connexorum ſyllogiſmorum non ſolúm exemplis, ſed legibus etiam & regulis hic magiſter utitur, etiam ad ſyllogiſmi definitionem probandam: Et tamen Analytico primo demon-

demonſtrare voluit,nullum ſyllogiſmũ eſſe, niſi ſimplicem & in tribus figuris concluſum: id eſt probare voluit Platonis, Ariſtotelis, & veterũ logica dogmata, quæ colligeret, ſe non tenere, non intelligere.

CAP. III. DE POTEſtate circuli.

Quarta ſyllogiſmi poteſtas ſequitur, circulo & mutuó demõſtrandi, cúm ex facti ſyllogiſmi complexione, & è converſa propoſitione altera, concluditur reliqua: ut in hoc exemplo:

Omnis homo eſt rationalis:
Omne ridens, eſt homo:
Omne ridens, eſt rationale.

Circulo concluditur propoſitio:

Omne ridens, eſt rationale:
Omnis homo, eſt ridens:
Omnis homo eſt rationalis.

Circulo concluditur aſſumptio:

Omne rationale, eſt homo:
Omne ridens, eſt rationale:
Omne ridens, eſt homo.

Converſio quæ hîc adhibetur, quæq; dicitur è converſa attributione propoſitio, nõ eadem eſt illi, quæ deſcripta eſt primo Analytico: generalis enim affirmatió convertitur terminis & univerſaliter: Appellatur autẽ à Philopono anaſtrophe, reverſio, ut Quintilianus interpretatur: & ita diſtinguitur. Differt autẽ reverſio à converſione, quód converſio quidem, utraq; parte ſimul vera ſit: reverſio non omnino. Hoc Philopono placitum eſt: hoc reverſionem, illud converſionem dicere, cúm tamen in hac trium capitum diſputatione (converti) verbũ undecies uſurpetur, (reverti) nuſquam. Qualia toto Organo logico infinita cõmẽta ſunt interpretum. Monetur in Organo, totam artem logicã ab experientia & hiſtoria deducendam eſſe: Res nóminibus, quibus utitur populus, appellandas eſſe. Hæc Platonis, hæc Ariſtotelis, hæc veterum philoſophorum decreta ſunt. At interpretes hi, qui nobis hoc Organum collegerũt, veriſsima illa dogmata deſpiciunt, & commenta ſua pró certis uſus & obſervationis decretis temeré infarciunt. Sed tamen hanc, ſi lubet, circulationis doctrinam in tribus figuris talem cognoverimus, qualẽ uno exemplo propoſui: quis fructus? quis uſus fuerit? Nil inventionis, nil diſpoſitionis eſt: longeq; alius eſt circulus ille, qui in Poſterioribus, qui in argumentis omnibus eſt, & in omnibus authoribus uſitatus, cúm ex cauſsis effecta, ſubjectis adjuncta, toto & genere partem & ſpeciem, definitione definitum, contrave eodem modo in argumentis cæteris ex relato relatum ſuum vicíſsim concludimus: nec ſyllogiſmi hîc ulla eſt proprietas: Etenim principium & fons, circulationis hujus converſio eſt fallax & vana: & ut anté diximus, commẽtitia: Sed & circuli vanitas multó major eſt omni converſione: Hîc enim converſa & reverſa propoſitio, etiam affirmata generaliter convertitur, ut dixi: quod verum nõ poteſt eſſe, niſi in attributis propriis: Tũ veró pone quæſtionem, quæ differenti propoſita eſſe debet, & quæ concludi debet: ſi factus erit ſyllogiſmus partibus omnibus veris & conceſsis, nulla quæſtio circulandæ propoſitioni vel aſſumptioni poterit eſſe: conceſſæ enim ſunt, & pro veris poſitæ: nec, niſi inſanire voles, de re probata & conceſſa diſſeras. Si ludicrum aliquem & joculatorium ludũ in Dialectica quæramus, hæc figmenta fortaſſe inertem aliquem & languidum delectarent: Verúm in prudentiæ & ſapientiæ ſtudiis, pro ſolidis & utilibus conſiliis, inania commenta fingere, non eſt doctoris, bene de diſcipulorũ inſtitutione ſperãtis: nullus uſus eſt circuli, nec eſſe omnino poteſt ullus: Si enim, ut idem iteretur, ſyllogiſmus ille, unde circulus ille efficitur, conceſſus fuerit, & res ipſæ conceſſæ, nulla quæſtio reliqua eſt, quæ concludi debeat: nec poteſt niſi de quæſtiõe diſputari: ſin falſæ ſint prioris ſyllogiſmi partes, quid ex negatis effici denuó poteſt? Tollantur igitur tam ridiculæ fallaciæ ſimplicium ingeniorũ, in quibus pro ſapientia, ſtultitia ſumma traditur. Neque nobis hîc Plato, aut Ariſtoteles, aut Theophraſtus, aut elegans philoſophus ullus author appelletur: Sophiſmata, qualia hæc ſunt, philoſophis non attribuo. Sit ſcholaſticus magiſter aliquis expers humanitatis & uſus, ut revera eſt, harum nugarum inventor.

CAP.

CAP. IIII. DE POTESTATE oppoſitæ converſionis.

Quinta ſyllogiſmi poteſtas ſequitur, de oppoſita converſione partium ſyllogiſmi: Neceſſe enim eſt concluſione converſa, & altera propoſitione manente, tolli reliquam, ait magiſter: ut in hoc exemplo:

Omnis homo eſt rationalis:
Omne ridens, eſt homo:
Omne ridens eſt rationale.

Oppoſitio aſſumptionis cõcluditur:

Omnis homo eſt rationalis:
Nullum ridens, eſt rationale:
Nullum igitur ridens, eſt homo.

Oppoſitio propoſitionis cõcluditur:

Nullum ridens eſt rationale:
Omne ridens, eſt homo:
Aliquis igitur homò non eſt rationalis.

Intereaq; converſionis hujus duo genera fiunt: contrarium ut omni, nõ omni, & alicui, nulli: adverſum, ut omni nulli & alicui, non alicui: poſtremoq; exemplo adverſa nominãtur ea, de quibus contra ſymbolicum doctorẽ diſputavimus, quæ ſubcontraria vocantur in ſcholis: quæq; cõtrarium, cúm ſimul eſſe poſsint, nihil habẽt, quia numero idem nihil affirmant & negant. Sed ad rem redeamus: Relata convertuntur: propoſitio convertitur: contingens cõvertitur: tandem partes ſyllogiſmi cõtrario & adverſo modo convertuntur. Atqui vanitatis tantæ principium requiramus: experientiam, hiſtoriam, uſum, id eſt Ariſtotelica principia in tribus hac de re vaniſsimis & verboſiſsimis capitibus requiramus: uſus non modó nullus eſt, ſed eſſe nullo modo poteſt: Nam ſi primó ſyllogiſmus veris & conceſsis partibus concludatur, bella iſta poteſtas longiús progredi non poteſt: nec enim oppoſita concedentur: ſi parte aliqua dubius aut falſus eſt, non concludetur. Hîc Logicę & doctorem & diſcipulum attentum vehemẽter eſſe cupio: Multa de Organo Logico rejicio, non quia eorum uſus nullus inveniatur, ſed omnino qa nullus inveniri, imó ne fingi quidẽ poſſit. Ergo ad experientiam & hiſtoriam, parentem Logicæ artis redeamus: Experientia nugas iſtas non peperit, hiſtoria non aluit: tollãtur igitur: nihil eſt hîc inventionis, nihil diſpoſitionis, nihil igitur Logicæ.

CAP. V. DE POTESTATE per impoßibile.

Sexta poteſtas ſyllogiſmi per impoſſibile, quando contradictio concluſionis ponitur, & aſſumitur alia propoſitio, ait magiſter: Contradictio autẽ hîc pro contradictorio ſumitur: id eſt, ut exemplis hujus capitis oſtenditur, pro generaliter aut ſpecialiter oppoſito: ut ſi fuerit concluſus hic ſyllogiſmus,

Omne animal eſt ſubſtantia:
Omnis homo eſt animal:
Omnis igitur homo eſt ſubſtantia.

Abſurdus & inſulſus quiſpiam cõcluſionem neget: contradictio poſtulabitur, & propoſitionum altera ſumetur, & contradictio reliquæ propoſitionis concludetur: Hic propoſitionis cõtradictio concludetur.

Aliquis homo non eſt ſubſtantia:
Omnis homo eſt animal:
Aliquod igitur animal non eſt ſubſtantia.

At ignoratio Logicæ artis in his capitibus mera eſt: nulla eſt via inveniendi medii, nulla regula eſt diſponẽdi: Logicæ omnino nihil eſt. Per impoſsibile frequenter ratiocinantur homines & argumentantur, ſed iſta definitione, & tot capitũ doctrina, ad eã diſputationẽ nihil adjuvant: nec ad impoſsibile deductio, ſyllogiſmũ antea factũ eſſe perpetuó requirit: ſed ſiquis ſentẽtiam aliquã dicit, nec tamẽ approbet, contradictionẽ poſtulat, cũ propoſitione alia indubitata, unde aliquid impoſsibile vel abſurdũ concludit, ut adverſarius ad id confitendũ cogatur, quod antea negaverat: Tales enim mathematicæ ſunt deductiões ad impoſsibile. Jam veró ſi quis tam demens ſit, qui cõcluſi & jam facti ſyllogiſmi perſpicui & conſtãtis concluſionem neget, quomodo poſterioris per impoſſibile confecti concluſionẽ etiam nõ negabit? Quamobrem deductionẽ ad impoſsibile in uſu logico poſitã eſſe confiteor, ſed ejus artem hîc ullam eſſe pernego: Cúm ceperis contradictionem concluſionis, alia tibi propoſitio inquirẽda eſt, & ex inventionis locis eruenda: deinde ſyllogiſmi lege & modo diſponenda. At inventionis nullus locus hic exponitur, nulla ſyllogiſmi lex nova declaratur: valdeq; ridiculum eſt diſcrimen deductionis & oſtẽſionis verboſiſsimè decimo quarto capite diſputatũ, quód ſyllogiſmus

logiſmus

logiſmus oſtenſivus, duas veras & conceſſas propoſitiones habeat, ad impoſſibile duntaxat unem: quaſi ad ſyllogiſmi conſtantiam quicquam attineat, veras aut falſas partes eſſe, & in tota trium figurarum geneſi unum præceptum ab Analytico magiſtro poſitũ fuerit, ut propoſitio vera eſſet aut falſa: demonſtratũ non ſit, ex omnibus falſis ſyllogiſmum in omni figura fieri. Deinde differentia altera ponitur, quód ab impoſsibile ſyllogiſmus habeat concluſionem certam, & anté conceſſam: oſtenſivus autem nõ habeat: quod ſecundum jam falſum eſſe docui, quia non ſemper ſyllogiſmum factum eſſe oportuit, ut ad impoſsibile deduceretur: & ſi maximé verum ſit, tamẽ ad logicæ vel inventionis, vel compoſitionis, vel reſolutionis artem nil attinet. Quare bella illa ſyllogiſmi poteſtas é Logícis expellatur.

CAP. VI. DE POTESTAte ex contrarijs.

Septima & poſtrema ſyllogiſmi poteſtas ſupereſt, é contrariis ſyllogiſmum facere: ut,

Nulla ſcientia eſt bona:
Omnis ſcientia eſt bona:
Nulla igitur ſcientia, eſt ſcientia.

Qualis ſyllogiſmus in prima figura nullus eſſe poteſt: in ſecũda & tertia poteſt. Hæc trium capitum de hac poteſtate doctrina eſt: atque interea oppoſitionis & contradictionis genera deſcribuntur accuratiús: quãquam á ſymbolico authore deſcripta ſint: Locus igitur cognoſcẽdus. Dico autem contrarias propoſitiones, eſſe ſecundum dictionem quatuor, ut omni, nulli: & omni, non omni: & alicui, nulli: & alicui, nõ alicui: Secundum autem veritatem tres: alicui enim, & nõ alicui, ſecundum dictionem opponuntur tantúm. Hic locus errorem ſcholaſticum, de quo in ſymbolico authore diſſerui, manifeſté convincit, & ſubcontrarias, quæ vulgó dicuntur in ſcholis, oppoſitionem nullam habere: nec revera, ſed ſolo nomine oppoſitionem hîc eſſe: ut homo pictus, ſecundum nomen, non ſecundum eſſentiam homo dicitur: ſic,

Aliquis homo ambulat:
Aliquis homo non ambulat.

Secundum dictionem eſt oppoſitio, ait hic magiſter, non ſecundum veritatem. Itaque ſubcontraria iſta oppoſitionis ſpecies, quę vulgó appellatur, tollatur é generibus oppoſitionis, nec in Logica doceatur. Harum veró ſecundum veritatẽ oppoſitarum propoſitionum dicó alias quidem adverſas, quæ ſunt univerſales, omni & nulli ineſſe: ut omnem ſcientiam eſſe bonam, nullam eſſe bonam: alias veró contrarias. Duo ergo in propoſitione cõmuni genera oppoſitionis hæc ſtatuũtur, adverſum & contrarium, ut Analytici primi capite quinto: imó ut totis Analyticis modó dicetur, quod á ſymbolico authore vocatur antiphaticum, quodq́ vulgus in ſcholis appellat contradictorium: Antiphaſis veró genꝰ eſt infinitis toto opere Analytico locis: ſpecies veró, adverſum & contrarium: ſed contrarium, ut in categorico & ſymbolíco doctore, ſic etiam in Analyticis aliquando genus eſt, ut in capite de quo nunc agimus, oppoſitæ propoſitiones dividuntur in adverſas & contrarias. Sed hæc ſatis: ad ſyllogiſmum é contrariís propoſitionibus redeamus: experientiam, hiſtoriam, ariſtotelica deniq́ principia requiramus. Interpretes quidã ſyllogiſmum nullum hîc eſſe diſputant: appellatur tamẽ á magiſtro ſyllogiſmus, & in figura & modo concluditur: & ratio eſt, in qua quibuſdam poſitis, aliquid diverſum ab iis ſequitur, ad quod illa poſita ſunt. Eſt igitur ex Organi definitione ſyllogiſmus: At experientiam & uſum hîc requiro: Quis Homerꝰ, quis Demoſthenes, quis Plato, quis extra nugas iſtas Ariſtoteles ſic argumentatus eſt? Quorũ exemplorum obſervatione hoc præceptum deductum eſt? quis erit hic denique trium capitum fructus? ubi doctrina hæc exercebitur? In ſophiſmatis, ait magiſter: ſic enim ait: Illarum veró etiam, quód in captionibus nihil prohibet fieri hypotheſis contradictionem: ut ſi eſt par, nõ eſſe par. Hoc extremo capite magiſter docet ex duobus ſyllogiſmis duas oppoſitas concluſiones effici poſſe, ut altera concludatur, numerũ eſſe parem, altera concludatur eſſe imparem: vel proponenda antiphaſis: ut,

Omnis ſcientia eſt opinio & non opinio:

Tum aſſumendum, *Medicina eſt ſcientia:* ut ſcilicet concludatur,

Medicina igitur eſt opinio & non opinio.

Exemplũ græcũ nõnihil mendoſum eſt: hæ

eſt: hæc tamen eſt magiſtri doctrina, ſyllogiſmum è contrariis poſſe fieri in ſophiſticis captionibus, duobus modis: primum ex duorum ſyllogiſmorũ duabus concluſionibus: Deinde ſi proponatur in ſyllogiſmo generalis aliqua antiphaſis, unde ſpecialis videlicet concludetur: At doctrina trium de ſyllogiſmo è contrariis capitum, his cõcluſionibus non convenit: ſic enim liceret in prima figura è contrariis ſyllogiſmum concludere, contrà quàm à magiſtro præceptũ eſt. At etiam in ſecundo modo antiphaſis iſta propoſitionum nõ fuerit, ſed terminorum, quæ nõ duas propoſitiones oppoſitas hìc efficit, ſed unius tantum propoſitionis categorema: & in ſecũdo modò fuerit minus abſurdum propoſitionis, quàm complexionis antiphaſim confiteri: Imò verò tam abſurdum, ut in hominis judicium tam abſurda cogitatio cadere poſſe non videatur. Quamobrem doctor noſter in hac univerſa ſyllogiſmorũ poteſtate, declarat ſibi prorſus nullam propoſitam fuiſſe inventionis & diſpoſitionis, id eſt totius Dialecticæ poteſtatem. Agite enim, medicus exiſtat, qui nova & inaudita nobis herbarum genera ſomniãdo conceperit: quæ quo terræ loco, qua cæli regione naſcantur, neſciat: quos uſus, quas commoditates habeant, ignoret: imò verò quales gigni nulla ratione poſſint: attamen nobis illa vẽditare, & velut ſingularia quædam medicinæ myſteria commemorare ac prædicare audeat: nunquid huic medico Anticyras petendas decernemus? At hic argutus ſophiſtes, qualis tãdem non corporis, ſed ingenii medicus videbitur? Dicat enim, quibus in oratorum & poetarum campis, quorum philoſophorũ in ſylvis ſteriles iſtæ ſyllogiſmorum avenæ gignuntur? ad quos humanæ vitæ morbos propulſandos, ad quã mentis ſanitatem tuendã adhibeantur: obmuteſcet opinor, hoc loco, neq; enim proferre ullum exemplum Homericum aut Platonicũ: imò verò ne Chœrileum quidem ullum teſtimoniũ poterit: nulla pars conſuetudinis humanę tam turpiter unquam delirabit, ut iſtis medicamentis egeat. Errare & labi dico magiſtrum hũc analyticum: erroris & lapſus ſui judicem magiſtrum ipſum appello. Experientiam & hiſtoriam omnium artium parentem eſſe dicit: At, inquam, experientia & hiſtoria iſtas poteſtatum ſyllogiſticarum nugas non peperit: ars igitur earum non eſt, ſed artis inſcitia & ignorantia.

CAP. VII. DE ELENCHO *petiti principii.*

Expoſitæ ſunt adhuc ſeptendecim capitibus, ſyllogiſmi poteſtates, vel reliqæ, vel materia: quo enim nomine tanta vanitas eſſet appellanda, ne ipſi quidem interpretes inter ſe conſentire potuerunt: quæ proximis quinque capitibus præcipiuntur, de ſyllogiſmi vitiis ad analyſim referẽda ſunt, ad quam etiam errores ejuſmodi antea relati ſunt: Omnia ſiquidem diſputationis vitia, in analyſeos conſiderationem cadunt. Eſt verò miranda in his periſſologia: quæ enim vitia de petitione principii, non propter hoc accidere falſum, de falſa ratione, cataſyllogiſmo, elẽcho, fallacia ſecundum opinionem dicũtur, eadem rurſus in Poſterioribus, Topicis, Elenchis repetũtur: tam verò inſulſe temereq; huc aggregantur, ut nuſquã inter interpretes diſſenſio ſit major, quid hìc Organicus author ſibi voluerit. Decimum igitur octavum eſt caput de vitio omniũ, quæ in Dialectica ſunt & Logica, maximum, & maximè Logici Organi præceptis damnatum, de petitione ejus, quod in principio eſt: id eſt cum quæſtionẽ ipſam (de qua agitur, & quæ eſt in principio, & quæ primùm ponitur) non probamus, ſed ſine probatione, quaſi gratis cõcedi nobis & credi petimus: Mathematica autẽ dictio hìc eſt: Sic enim Euclides numeros appellat, qui à principio, itẽ q in principio, cùm propoſitos numeros ſignificare vult. Ergo ut terminus, ſyllogiſmus, medium, figura, analyſis, geneſis, ſic quod eſt in principio, à Mathematicis profectũ eſt. Et petere propoſitum, modò dicitur petere, quod erat in principio: Quod obſcuritatis ſummum eſt vitium: in quo refellendo, & de Logicis artibus expellendo, tãtoperè laboram⁹: quotquot enim obſcuritatum myriadas notavimus, tot ejus, quod in principio eſt, petitiones & poſtulationes notavimus. Quare vitii hujus deſcriptionem videamus: quot modis fiat, animadvertamus: & tam odioſum.

odioſum, tamq; veræ Logicæ infeſtũ vitium fugiamus: in hac tamen doctrina analyticã virtutẽ cõtrariã cõſideremus; & quam perſpicué de obſcuritate magiſter hîc philoſophet̃, attẽdamus: Quod in principio eſt, petere & ſumere, eſt (ut ſummatim dicam) propoſitum non demõſtrare. Hæc definitio magna eſt & lata: & quicquid eſt in inventione aut diſpoſitione vitioſum, complectitur: Demõſtratur perſpicué res, & docetur univerſæ inventionis & diſpoſitionis virtute: demõſtratur obſcuré univerſæ & inventionis & diſpoſitionis vitio. Hæc definitio nimis ampla eſt: De obſcuritate loqui vult hîc magiſter, tanquã de uno ſpeciali vitio non omnia complecti cogitat: hoc ſupervacuum in definitione. Hoc veró multis modis accidit: Etenim omnino ſyllogiſmus non efficitur, & ſi per ignotiora aut ſimiliter ignota, & ſi per poſteriora, quod eſt prius: demõſtratio enim fit ex probabilioribus & prioribus. Partitio quatuor membrorum hîc eſt, ut interpretes ajunt: aut certé trium, ut ſecundũ & tertiũ uná cõprehendant. At certé unicum propriũ eſt, reliqua ſupervacua. Si ſyllogiſmi nomine, ſyllogiſmus plenus & omnibus partibus abſolutus intelligitur, quid poteſt hoc præcepto ſtultius eſſe, cúm aurea illa analyſeos regula monuerit, partes ſyllogiſmi modó has, modó illas frequẽter deeſſe, nec ſyllogiſmũ tamen iccirco reprehendendũ eſſe? Si nomine illo intelligatur quævis argumentatió, ex cujus antecedente cõſequens nõ cõcludatur, omnes hîc rurſus & inventionis & diſpoſitionis culpæ ineſſe poterunt, quæ concluſionẽ impediant: atq; hoc præcepto nihil hîc exponetur. Ergo qui problema nõ concludit, poſtulat quidẽ & petit, quod erat in principio. Sed hoc præcipere, ſpeciem erroris hujus non eſt exponere, ſed genus propoſitum repetere: & idẽ ſit non demonſtrare & non concludere: Secundum & tertium, hujus præcepti propria ſunt: & obſcura diſputatio eſt, quæ ignota, vel ignotior problemate: ſed é duobus, unicum eſt ignotius, ignotiſsimũ etiam ignotum eſt. Deniq; cúm nihil vides, quanta caligo ſit, ad videndũ, nihil intereſt: ſic ad obſcuritatẽ mentis & cæcitatẽ, cúm nihil intelligitur, nihil probatur, id ſit ignotius, ignotiſsimum, nil intereſt: hoc uno tenetur obſcurũ, quia ignotum. Quartum nõ cõvenit: poteſt enim quod naturâ aut tempore poſterius ſit, tamẽ aliquando clarius eſſe: ſic ex effectis cauſſæ, adjunctis ſubjecta, ſpecie genus aliquando probatur. Deniq; petere problema & quod erat initio poſitũ, eſt cúm problema ſit obſcurũ, rationem ad illud probandum, obſcuriã proponere: qualis eſt iſta petiti principii doctrina, quæ ignoranti diſcipulo tam obſcura eſt, quám quid ſit illud ipſum, petere quod eſt in principio: Tam tenebricoſus & obſcurus eſt analyticus magiſter, ut non ſolúm cúm de cæteris rebus, ſed etiam cúm de obſcuritate ipſa præcipit, non poſsit non obſcuré præcipere, & ſeipſum ſua lege nõ damnare. Ad has obſcuritatis cauſſas aggregat magiſter concluſionẽ ex iis quæ cõvertuntur. At, inquam, demõſtrationes Ariſtoteli ſingulares & eximiæ é cõverſionibus deducuntur, quia ex cauſſa, quæ propria, quæq; ideo cõvertitur. Ergo clariſsimũ lumẽ, doctoris hujus judicio caligo fuerit. Hîc interpretes ad hunc errorẽ excuſandum valdé ſunt occupati: Poſtremó petitio principii, id eſt problematis & quæſtionis, alia ſit demonſtrativa ſecundũ veritatẽ, alia Dialectica ſecundũ opinionem: quod ex illa Dialecticæ & Logicæ ſciſsione, de qua primo libro, deductum eſt. Quamobrẽ cúm Organi cõpoſitor tã obſcurus eſſe ſtatueret, ut interpretes ajunt, ſaltẽ nobis cauſſas obſcuritatis perſpicué declaraſſet, unde ipſum tam obſcurũ eſſe cognoſceremus. Certé (ut ad analyſim hinc aliquid referamus) qui obſcuré diſſerit, & tamen ſibi credi vult, petit & poſtulat ipſum propoſitũ: ipſum primum, ipſum deniq; diſputationis principium ſibi concedi & credi: quod omnibus inventionis & diſpoſitionis vitiis effici poteſt: tametſi poteſt ab iis etiã ſeparari. poteſtq; aliquid non demõſtrari, quãvis obſcuritas nulla ſit, ex manifeſté falſis videlicet. Meminerimus igitur in examinando opere & retexendo, videndũ eſſe maximé, ne quid ſit obſcurũ: id enim ſophiſma ſummum eſt, ſummæ quippe docendi laudi & virtuti, id eſt perſpicuitati oppoſitũ. Propoſitum Organi Logici, & quod in principio poſitũ eſt, quid ſit Logica: At videmus quanta obſcuritate per categoremata;

mata, categorias, Interpretationem, Analytica, Topica, Elenchos, id explicetur. Obſcuritas ab Organi compoſitore vituperatur & dãnatur: verũ judiciũ laudo: Obſcuritas (quod ipſe tamẽ nõ credo) ſed ut interpretes Organi profitentur, etiam de induſtria à doctore affectatur: hoc ego nõ laudo: ſed quia de induſtria magiſter obſcurus, id eſt, in docendo vitioſus eſſe voluit, tantò magis accuſo & vitupero: Non enim qui prudens & ſciens peccat, excuſandus, ſed eò magis arguendus. Meminerimus igitur in exemplis examinãdis & retexendis, videre nequid ſit obſcurum, & ne quando problema poſtuletẽ: quod idẽ rurſus in Topicis & Elenchis inaniter repetetẽ.

CAP. VIII. DE ELENCHO *non cauſæ.*

SEcundum vitium eſt, non propter hoc accidere falſum: ut ſi tortuoſum hoc ſophiſma contexatur,

(*Omnis equus eſt animal:*
Omne animal eſt equus:
Omnis homo eſt animal:
Omnis igitur homo eſt equus.)

Et ſophiſmatis cauſſa, dicatur eſſe propoſitio prima: vitii hujus exemplum erit: nõ enim propter eam falſum accidit, ſed propter ſecundã: Omne animal eſt equus: modi duo vitii hujus deſcribuntur: at genus ipſum clarius eſt: Appellatur, inquit hic magiſter, hoc vitiũ in Topicis, Non cauſſam ut cauſſam ponere: quod utrũque ſit adhibitum, Logicæ analyſeos præcipuum præceptum nullũ eſt. Fuerit autem, ſi ad cauſſæ locum referatur, quod aliquando pro cauſsis, factis, diſſentaneis ponãtur, quæ talia nõ ſint: & analyſeos conſideratio propria hæc eſt, & ad inventionis locum de cauſſis pertinet. Eſt autẽ interea hoc loco notandum, citari è Topicis, quod in Topicis hodie nõ legitur, ſed in Elenchis. Interpretes hîc ſolicitos eſſe ſcio, ſed ab ignaris, experientiæ & uſus vanas diſtinctiones & captiones non audio retinere quoquo modo conceptam de Organo licet abſono & abſurdo, tamẽ Organo ſuo opinionẽ volunt: nec vident, vel ex hiſtoria Laërtii, vel converſione Ciceronis, Topicos Ariſtotelis libros, cum Topicis Organi non convenire. Atq; hic compoſitor, qui ſic Organum compoſuit, ad analyſim non tantùm vitia adhuc deſcripta, ſed quæ deinceps in Analyticis, Topicis, Elenchis deſcribẽtur, ſiquid tamen Logicum uſum adjuvẽt, aggregare debuit: ad eam enim propriè pertinet in examinandis exemplis, non ſolùm virtutis, ſed vitii meminiſſe. Ad analyſim igitur, obſcuritatẽ referamus: item non cauſſam ut cauſſam.

CAP. IX. DE ELENCHO FAL*ſæ rationis & crypſeos, ſyllogiſmi contradictionis, falſæ opinionis.*

VIceſimo capite de falſa ratione, de crypſi, id eſt occultatione, de Elencho dicitur: falſa ratio, ſi utraque ſyllogiſmi propoſitio, aut altera falſa ſit. Hoc omnino Logicæ præceptũ præcipuum nihil eſt: falſa propoſitio ex argumentis ſingulis efficitur, ſi non cauſſæ ut cauſſæ, non facta ut facta, non ſubjecta ut ſubjecta, non definitio ut definitio, cæteraq; ſimiliter falſa pro veris aſſumantẽ. Illud ſpeciale falſi præceptũ erat, generale autẽ hoc nihil adjuvat: De hac autẽ vanitate in Topicis rurſus erit & Elenchis, ut periſſologia perſpiciatur. Secundo loco de crypſi, occultatione cavenda primùm, deinde ſtatuẽda. Ne verò prævertamur & ſuccumbamus, quãdo concluſione diſsimulata argumentum interrogatur, providendum ne bis idem cõcedatur: illud enim bis dictum, medium & argumentũ eſt, unde componitur ſyllogiſmus: Contrà cùm ipſi aggredimur, & contrà diſſerimus, imprimis concluſiones non proponãtur, ſed dum neceſſariæ propoſitiones conficiantur, obſcurẽ & occultè lateant: tũ longinqua interrogentur: ordo partiũ conturbetur. Hęc de crypſi ad analyſim obſcuritatis pertinent, & ad methodũ prudentiæ, magnum uſum habent, aliquando occaſione aliqua neceſſarium, ſicuti Dialectica noſtra docet. Sed eadẽ de re dictum & aliquid antea eſt Analytici primi capite viceſimo quinto, & rurſus multò pluribus poſtea in Topicis agetur: Crypſim igitur ad Analyſim noſtræ Dialecticæ refero, & ad prudentiæ methodum aggrego. Poſtremò definitur Elẽchus, ſyllogiſmus antiphaſeos: quo nomine, ut antea dixi, ſignificatur in Analy-

Analyticis frequenter oppoſitio quęvis propoſitionum ſeu generalis ſeu ſpecialis. Sed præceptum hoc & falſum & inutile: nec enim ſyllogiſmum plenum eſſe neceſſe eſt, ut aliquid refellatur: nec per ſolam antiphaſim, ſed argumẽtis omnibus refutamus: hîc Logicum nihil eſt. Viceſimum primũ caput eſt de opinionis errore & fallacia: quod præceptum prolixè, ſed ineptè traditur: quaſi non omnis error & fallacia ſit opinionis, & hoc præcipere, ſit Logicæ diſcipulũ quàm adjuvare. Eſt autem inter exempla capitis, hujus ſoluta Menonis dubitatio, Inventionem nullam eſſe, quia ſi neſcimus, etiam inventum non agnoſcemus: ſi verò ſcimus, fruſtrà quærimus. Scimus ait magiſter, generali ſciẽtia, ſpeciali neſcimus: Scientia generali, ſpecialia cõtemplamur: ſingulari verò & propriâ neſcimus, & tanquam agendo: Nã ſcire, tribus modis dicitur, aut enim ſcientia generali, aut ſpeciali, aut actu & opere. Itaq; fieri poteſt, ut generali ſcientia aliquid ſciamus, quod opere, exemplo, aut experientia neſciamus, quod idem cap. 1. metaphyſicæ iteratur: Scientia Logica, quæ cognita adhuc eſt noſtris hominibus, ſcientia generali, & ea qualicunq; cognita eſt: uſu verò & opere prorſus ignorata. Atq; in hoc capite licet utile nihil ſit, poteſt tamẽ hoc exemplum ſummæ utilitatis nos admonere: Cujus gratiâ tantos labores, & tam diuturnos ſuſtineo, ut Logicæ artis uſum noſtris ſcholis afferam: perſuadeamq;, quàvis omnia præcepta ſciant: totam vitam diſputata, memoriâ teneant, ob id tamen niſi ſeſe in analyſi & geneſi exerceant, opere (ad quod ars refertur) rerum ignaros & imperitos eſſe.

CAP. X. DE CONVERSIONE *terminorum.*

Viceſimum ſecundum caput eſt de converſione terminorum: Quando verò cõvertũtur extrema, neceſſe eſt medium cum ambobus converti: ut in ſyllogiſmo,

Omne rationale, ridens:
Omnis homo rationalis:
Omnis homo, ridens:

Quia homo & ridens convertuntur viciſſim, medium rationale cum utroq; convertetur, & hac converſionis permutatione, ſyllogiſmi partes ex aliis aliæ concludentur: ut,

Omnis homo eſt rationalis:
Omne ridens, eſt homo:
Omne ridens eſt rationale.

Per converſionem concluſa eſt major propoſitio, & converſa ſic poteſt minor converti:

Omne ridens, eſt homo:
Omne rationale eſt ridens:
Omne rationale, eſt homo.

Per converſionem cõcluſa eſt minor propoſitio: quæ ſubtilitas, ſuperiorum poteſtatum vanitati par eſt: inventionis nihil eſt, nihil eſt diſpoſitionis: imò ne poteſt quidem: Rerum eſt ea ſocietas & communio, quæ ſine ſyllogiſmo perinde convertitur & judicatur: Nulla ſpecies argumẽti nova eſt: nulla regula ſyllogiſmi nova eſt: res etiam mathematicis proportionibus ſic involvitur, ut totis Analyticis, affectationis mathematicæ vanitas magis aliena nulla fuerit. Ex hoc capite nihil ad propoſitam Dialecticam referre poſſumus. Meminiſſe verò poſſumus, quanta quamq; horribilis duobus totis his Analyticis caligo ex uno converſionis commento nata ſit: converſionum quædam vera & naturalis eſt, ut antea monui: qualis eſt terminorum relatorum, & in rebus, quæ ſunt inter ſe propriæ, ut definitio, definitum, proprium adjunctum, & proprii adjuncti ſubjectum: qualis item eſt ſecundum oppoſitionem in contingentibus propoſitionibus: In eaq; converſio valet ex communione rerũ & conſecutione, non conſecutio ex converſione. Converſio aliquãdo ſignificat oppoſitionem: quo ferè ſenſu ſunt illæ diſsimilitudines, Nõ vivo ut edam, ſed edo ut vivam. Quæ omnia laudo & probo, & eorum parentem experientiam agnoſco. De quibus ſingulis ſuo loco ſeparatim præcipiendum eſt, in adjunctis propriis, in relatis, in contradicentibus, in comparatis, definitione, quia hæc converſio illis adjungitur. Præcipuũ verò de omnibus nullum in Logica præceptum debet eſſe: converſio autem illa propoſitionum initio poſita cum tota commentitia & ſophiſtica eſt, tum maxima & præcipua cõfuſionis univerſæ cauſſa. Sed reliqua videamus.

CAP. XI. DE INDUCTIONE.

SEx capita ſuperſunt de tribus novis argumentationis formis, quas magiſter putat de inductiõe, exemplo, enthymemate. Viceſimũ igitur tertium caput eſt de inductione: Quid veró ſit inductio perobſcuré declaratur: nec ab interpretibus intelligitur, quomodo ſyllogiſmus per medium concludat majus extremum de minore: inductio majus de medio per minus: ut,

Expers cholerӕ, eſt longӕvum:
Homo, equus, mulus, eſt expers cholerӕ:
Homo igitur, equus, mulus, eſt longӕvus.

Si igitur convertatur minus, & nõ ſuperet medium, neceſſe majus extremũ medio per inductionẽ eſſe: Sic videlicet:

Homo, equus, mulus, eſt longӕvus:
Omne expers cholerӕ, eſt homo, equus, mulus:
Omne igitur expers cholerӕ, longӕvum.

Hîc interpretes valdé impediunť, ſecús tamen expediri non poſsint. Propónam aliud exemplum, quó faciliús res agnoſcatur: Problema ſit, an homo & beſtia ſentiant: medium, ſit animal: ſyllogiſmus ita fiat:

Omne animal ſentit:
Homo beſtiaq;, animal eſt:
Homo igitur beſtiaq; ſentit.

Syllogiſmus eſt: Ad doctoris hujus legẽ problema mutetur, & ſit, an animal ſentit: medium ſit é partibus (homo beſtiaq;:) inductio erit:

Homo beſtiaq; ſentit:
Animal, homo eſt aut beſtia:
Animal igitur ſentit.

Hoc magiſter ipſe voluit dicere: & ſyllogiſmum ab inductione ita diſtinguere, quaſi ſyllogiſmus ex toto partes, inductio ex omnibus partibus totũ concluderet: Inductio eſſet nobis quidẽ evidentior, ſyllogiſmus autem naturâ notior. Diſcriminis hujus pars eſt nõ falſa: Inductio enim proprié, eſt partiũ enumeratio ad totum concludendũ: tametſi aliquando etiam multorum vel ſimilium vel diſsimilium enumeratio ad ſimile vel diſsimile concludendum: eaq; ſenſibus evidẽtior: Syllogiſmus autem à toto procedens, ad partem naturâ, id eſt menti, ut interpretibus placet, notior: pars eſt non vera: ſyllogiſmus enim ex tali medio, quod majus ſit minore extremo, nõ ſemper efficitur: imó in aliqua figura contrà medium pars eſt aliquãdo minoris extremi, ut in tertia: nec ad ſyllogiſmi naturam intereſt, quo argumẽto cõcludatur: Syllogiſmus enim, lex diſpoſitionis eſt & regula: Inductio, eſt inventionis & argumenti nomẽ: i.e: veré dicitur primӕ & immediatę propoſitionis: nec enim partium inductione duntaxat colligitur totum, ſed ex toto pars etiam demonſtratur. Platonicӕ vel ariſtotelicӕ experientiӕ hîc nullum documentum eſt: ſcholaſticӕ inertiӕ ſomnium eſt, de categorico aliquo medio, quia in categoria, partes infinitӕ ſunt nõ mediӕ. Hic videlicet fons eſt infinitӕ caliginis, de qua tam ſӕpe jam dixi: Categoremata, categoriӕ, & tam multa logicӕ inventionis impedimenta ab unó categorematis commento orta ſunt: At diſputatiõis humanӕ & naturalis, experiẽria & hiſtoria, tale nihil docuit: In naturali uſu media hӕc non appellantur, ſed ratio, probatio, fides appellantur, ut in Porphyrio docui: imó (ut locus in hoc capite loquitur) quӕcunq; fides & probatio, & ſecundum quamcunq; fuerit artẽ, nunc dicendũ fuerit. Hîc quodvis argumenti, imó etiam argumẽtationis genus, fides appellať. Atq; hîc quãvis argumentationis nomine inductió tractetur, tamen inductionis locum, ut veritas requirit, faciemus, & ad Dialecticam noſtram referemus: Antea malitioſé & imperité dãnatus eſt diviſionis locus: in partium inductione & enumeratione approbatur & laudatur. Hunc igitur fructũ ex Analytici doctoris inconſtantia feremus.

CAP. XII. DE EXEMPLO.

VIceſimo quarto capite de exemplo agitur: Exemplum eſt, quando medio extremũ ineſſe mõſtratur, per ſimile tertio. Oportet veró etiã medium tertio, & primum ſimili notius eſſe: ut,

Bellare cum finitimis, malum: ut,
Bellum Thebanum contra Phocenſes:
Athenienſes contra Thebanos bellare, id ipſum eſt:
Malum igitur.

Hӕc doctrina, hoc doctrinӕ exemplũ eſt, unde agnoſcimus, exemplũ, eſſe propoſitionis majoris approbationẽ, quӕ propoſitionis

propoſitiõis minoris aliquid ſimile habeat: exemplum, argumenti non argumentationis ſpeciem eſſe: neque hîc ullam diſponendi argumẽti (quod argumentationis tamen proprium eſt) ſpeciem proponi: fallíq; vehemẽter, qui exemplum, argumentationis ſpeciem faciunt: Deniq; magiſter hic exemplũ, probationem partis ex parte eſſe cõcludit, unde ſyllogiſmus copuletur: eoq; ab inductiõe differre, quód hoc ex omnibus individuis concludat totum, neq; ſyllogiſmum copulet. Diſcrimen eſt ineptũ: poteſt enim inductio ad partem ſyllogiſmi probãdum adhiberi, ut exemplũ: nec exemplũ ſemper ex ſimili ſumitur, ſed aliquando ex diſsimili: ut Camillus Rempublicã reſtituit, Cæſar oppreſsit: Aliquando ex ſpecie: ut, Tyrannorum exitus miſerabiles, ſicut Dionyſii, Neronis. Nec omnino exemplum, argumenti genus eſt, ſed ex omnibus feré locis ſumi poteſt: neq; ſyllogiſmum eſſe neceſſe eſt, ſicuti magiſter hic docet, ut ſit exemplum. Atq; in extremo capite, inductio & exemplum à ſyllogiſmo ex poſitis differentiis fatuè diſtinguuntur, quód ſyllogiſmus à toto ad partes, inductio à partibus ad totum: exemplum à parte procedat ad partem. Ex hoc veró capite, exempli uſum ad Dialecticam noſtram referemus.

CAP. XIII. DE DEDUCTIONE, *inſtantia, veriſimili, enthymemate.*

Vicesimo quinto capite de deductione, cùm propoſitio certa quidẽ ſit, ſed aſſumptio incerta quidem, ſimiliter tamẽ probabilis atq; ipſa complexio: ut,

Scientia poteſt doceri:
Iuſticia, ſcientia:
Iuſticia poteſt doceri.

Hæc definitio, hoc exemplum nil definit, nil oſtendit: ſuſpicor veró aliquid hîc de uſu inductionis & exempli fuiſſe, quæ ad proſſyllogiſmos & dubias ſyllogiſmi partes confirmandum aſſumerentur, quod de inductione dictum eſt Analytici primi capite viceſimo quinto, & de exemplo, capite viceſimo quarto huius: & hanc dubiarum partium approbationem, inductionem dici: quo nomine tamen priús ad impoſsibile ſyllogiſmus dictus eſt. Hinc nihil ad Dialecticam noſtrã referre poſſumus. Viceſimũ ſextum caput eſt de inſtantia: Inſtantia autem, eſt propoſitio propoſitioni contraria: Ridiculum eſt itẽ hîc propoſitionis & inſtãtiæ diſcrimẽ, quód illa ſit univerſalis, hæc ſpecialis: & quód inſtantia nõ in omni ſit figura: utraq; enim & univerſalis & ſpecialis, & in omni pariter figura: inſtantia ad antiphaſim propriẽ redigitur, tametſi poteſt etiam é cæteris diſſentaneis reſiſti: deinde inſtãtia informata poteſt omnibus argumentis approbari. Sed de inſtantia rurſus in Topicis agetur. Capite viceſimo ſeptimo definitur ex commento aliquo ſcholaſtico, nulla prorſus ad inſtitutum ratione, ſed definitur veriſimile, propoſitio probabilis: deinde ſignum, definitur propoſitio demõſtrativa, aut neceſſaria & probabilis: Commentũ hoc eſt nihil ex uſu parente deductum. Poſtremó definitur enthymema, ſyllogiſmus imperfectus ex veriſimilibus aut ſignis. Syllogiſmus parte aliqua imperfectus, nominetur (ſi lubet) enthymema, non recuſo: tametſi ἐνθύμημα, Græcis omnem ſententiam ſignificat, & eam præcipué, quæ fit ex contrariis: nunc veró ex veriſimilibus aut ſignis, quid ad enthymematis definitionem? Syllogiſmus perfectus definitur, in quo quibuſdam poſitis, aliud ab iis diverſum neceſſarió ſequitur, eó quód illa ſunt, ex veriſimilibus aut ſignis: Quid, inquam, hoc additamẽtum definitioni perfecti ſyllogiſmi afferet? non minús ridiculum eſt, quód ſignum per tres figuras dividitur: quam fatuitatem ſæpe antea reprehendi, quód argumenta & inventio in ſyllogiſmis & diſpoſitionis arte miſcerentur. Conjectura poſtremó additur, quaſi medium veriſimilis & ſigni: commentum eſt & placitum otioſi & inertis ſomnii. Aggregatur ad extremũ phyſiognomonia, occaſione videlicet veriſimiliũ & ſignorum & conjecturarum, quemadmodum ex ſimilibus in alio animalium genere ſignis & notis, de naturalibus affectionibus iudicetur: quod phyſicum, ſi ſuo loco diceretur, aliquid eſſet: hîc temerè, ut veriſimile, ſignum, conjectura, eſt cõfuſum: nec hinc quicquam ad verã Logicam referri poteſt: ſiquid hîc eſt artis, phyſicæ artis eſt, non logicæ, ut de motus generibus in categoriis antea dixi.

CAP. XIIII. DE USU PRIORIS ANALYSEOS.

SEd jam tempus eſt, ut priorũ Analyticũn quæſtionem & diſputationem concludamus: Cognovimus adhuc quàm defectus varius ſit, quámque multiplex redundantia: Logicam univerſam Analyticis prioribus cõplecti cõpoſitor Analyticus voluit: Debuerat itaq;, ut jam ſæpe dixi, & definire & dividere, & tandem partes definitas & diviſas exemplis illuſtrare. At non jam repeto, Logicam initio non eſſe definitam generaliter, non diſtributã univerſe: ſed partes ipſas (quas complecti magiſter voluerat) inventionem, compoſitionẽ, reſolutionem, quàm miſerabiliter afflictas videmus? Invẽtionis partes ſummæ decem ſunt, cauſſæ, facta, ſubjecta, adjũcta, diſſentanea, nomina, cõparata, tributiones, finitiones, teſtimonia: Oppoſitorum locus videtur in Analyticis damnari: tributionis certè locus planẽ damnatur, adjuncta & definitio, ſymbolis propriorum, adjunctorum & definitionis non definiuntur aut explicantur, ſed vix attinguntur: de cæteris tacetur: tota inventio ad ſyllogiſticam anteceſſionis & conſecutionis regulam alligatur: Sed inventionis defectus fortaſſe excuſetur, & in Topicis inventio dicetur priùs expoſita eſſe, tumq; logicę partes topicam & analyticã cum Adraſto faciemus. Compoſitio & diſpoſitio locis aliquot nominantur, ſed ita ut quidvis potiùs magiſter hîc, quàm diſpoſitionis, veluti logicæ artis lumen ſpectaſſe videatur: Non ponitur initio genus ipſum: non dividitur in propoſitionẽ, ſyllogiſmum & methodum: propoſitionis doctrina nulla integra declaratur. Syllogiſmus (deus bone, meminiſſe horret) quot obſcuritatum nubibus obrutus eſt? Definitio enim obſcura: partitio non modò omiſſa de ſimplicibus & conjunctis ſyllogiſmis, ſed in ſimplicium figuris omnes ſyllogiſmi falsò poſiti: cũ tamẽ magiſter ipſe nõ ſolùm exemplis, ſed regulis utatur cõjunctorũ: & de propriis nihil eſt præceptum: Commẽtitiorum verò principiorũ, dici de omni & nullo: cõverſionũ, omni ineſſe, nulli ineſſe, per eaq; reductionum & demõſtrationum de rectis & obliquis concluſionum modis, quãta caligo cumulata eſt? Quid tres figuræ ſyllogiſmorũ in tã infinitam caliginẽ demerſæ, ſexies repetitæ in abſolutis, in neceſſariis, in cõtingentibus, in neceſſariis & ſolutis: in neceſſariis & cõtingentibus, in cõtingentibus & ſolutis? quid, inquã, figuræ illæ tres toties iteratæ, vanæ & nugatoriæ obſcuritatis nõ habuerunt? quid ſyllogiſmi ridiculæ illæ poteſtates, quam mentis impotentiam, & judicii inopiam nõ oſtendunt? Ergo in geneſi cũ ille defectus eſt (quòd prima definitionum partitionumq; lumina detracta ſint) tum redundantia in tanta vanitate & inanium rerum aggregatione multò magis admiranda. Quid verò analyſis? quàm multis neceſſariis moniti̇s deſtituta? quàm multis ſupervacuis onerata? De examine invẽtionis, ſicuti ferè propoſitionis, nil ſeparatim præceptũ: de examine ſyllogiſmi tria poſtrema capita, quòd ſyllogiſmus ad impoſſibile non retexitur: quòd figura alia in aliã retexitur: & poſtremũ caput de ſophiſmate finitarũ & infinitarũ propoſitionũ, logicæ analyſeos nil habet. Sed hæc ſophiſmata Eubulidi attribuantur, laudes è logicis & veris virtutibus Ariſtoteli tribuantẽ. Logicæ definitiones, partitiones primæ nominatim & loco poſitæ nõ ſunt, tamen è prioribus Analyticis erui poſſunt: de locis invẽtionis adjũcta, diſſentanea, partes, definitio: è diſpoſitionis generibus ſimplex & cõmunis tũ enuntiatio, tũ ſyllogiſmus, tũ ſyllogiſmi & methodi cryptis erui poteſt: Analyſis logicæ hypotheſeos, non modò pars, ſed præcipua pars efficitur, unde totum opus Analyticum nominatur. Analyſis appellatur cõfirmatio & illuſtratio inventionis, cõpoſitiõis: & verè appellatur: eſt enim logicæ artis prima informatio, meditatio, exercitatio: per eam ſive ſcribamus, ſive dicamus, diſputationẽ examinamus & retexímus. Ergo tã ſingularẽ logicæ facultatis partẽ jã toties adhibitã, hoc præſertim loco adhibeamus: geneſim etiã, uſumq; logicæ & inventionis & diſpoſitionis requiramus: Eſt enim logicę artis pars longè major & excellentior, quàm noſtrarum ſcholarum doctoribus vulgò videatur, qui nullã ejus exercitationẽ, niſi cõtentionem de præceptis & altercationẽ putãt: De poëtæ, oratoris, philoſophi, omnis deniq; hominis, tua etiã vel

ſcripta

ſcripta vel meditata tantùm ſententia & diſputatione ſtatuere vis? materiã primùm ex argumento & topico loco retexe, & ex quo genere ex ſua topica regula perpende: Hæc inventionis eſt analyſis. Cõvertere ad alterã judicii ſcholam: enunciati primò judiciũ de veritate conſtitue: deinde ſyllogiſmũ retexe: ſiquid deſit, exple: ſiquid ſuperſit, adime: tum figuram & modum diſpice. Eandẽ analyſim & partium & univerſi, idẽ examẽ in deliberationibus, in cauſsis forenſibus, in rebus omnibus & lectis & auditis & meditatis adhibe: pró ſancte Deus atq; æterne! quâm reperies noſtra (quæ vulgo nominantur) judicia, præcipites & cæcas affectiones ex amore, odio, indignatione, commiſeratione, ſpe, deſperatione, voluptate, dolore, & cæteris hiſce affectibus cõcluſas eſſe! Atque exercitationis & uſus hujus, quẽ ſyllogiſmi eſſe dicimus, gratiâ, exempla quædam liceat è diſputatiõibus ſuperioribus repetere. Utilis & vera doctrina eſt converſionum & principiorũ dici de omni, dici de nullo: omni ineſſe, nulli ineſſe, ut docet Analytici operis cõpoſitor. Quãobrẽ? quia Ariſtoteles eã tradidit: Hoc veró non eſt judicare, ſed quod ſimpliciter & imperitẽ credis, effutire. Quid ſi Ariſtoteles has nugas nũquã docuerit, ut credo: quid ſi etiã docuerit? Redeamus ad regulam ſyllogiſmi, examinemus hoc tam fallax judicium:

Quod ab Ariſtotele traditur, eſt verũ et utile:
Cõverſionũ, reductionũ, & reliquarũ principiorum doctrina ab Ariſtotele tradita eſt:
Eſt igitur vera & utilis.

Heu mentes hominum à mente tam vehemẽter averſæ! quale eſt ſyllogiſmi hujus principium? quia non erroris ſolùm & falſitatis, ſed ſummæ impietatis plenum. Quàm enim multa falſa & impia tradit Ariſtoteles, qui mundum & æternum, & fato aſtrictum, qui mortales animos, qui hominis felicitatẽ & ab homine inchoari, & in homine terminari, ſicut alia permulta tã nefarié, tãq; impié fabulatur? Deſcriptio Dialecticę per inventionis & diſpoſitiõis definitiões & partitiões, & exẽplorũ explanatiões, res eſt arida & exigua, dixerit aliquis. Quid ita? Quia Ramus, homo novus, hãc novam nobis doctrinam attulit. O' me infelicẽ, ſi logicé iſto modo & recté de Logica judicaſ! At iſta nova doctrina, vetus ariſtotelici Organi doctrina eſt: Ariſtotelicis principiis experiẽtiæ, hiſtoriæ principiis, omnino de materia formaq; artis ab Ariſtotele traditis fundata: Et quod adhuc diſputavi, ex ariſtotelicis principiis diſputavi. Cõcluſiones duas in Dialectica & ſcholis diſputavi: prima eſt ad verũ artis Logicę uſum colligẽdũ:

Naturalis rationis vera & abſoluta deſcriptio, Logica vera eſt:

Analytici libri propoſitionem iſtam approbant: experientia, hiſtoria in Analyticis celebrata collaudant.

Inſtitutio per invẽtionis & diſpoſitionis ſpecies & partes, eſt vera naturalis rationis & uſus, abſolutaq; deſcriptio.

Hujus aſſumptionis veritatẽ Analytica quoq; ſuppeditant, totãq; hypotheſim Logicę artis in inventione & cõpoſitione collocant, & analyſi cõfirmant:

Eſt igitur vera Logica.

Secunda ad falſum refellendũ ex eodem argumento contra Organicæ Logicæ compoſitorem ſic eſt:

Vera Logicæ artis deſcriptio proficiſci debet á naturalis rationis & uſus obſervatiões:
Organicæ Logicæ cõfuſio per Categoremata, Categorias, Interpretationẽ, Analytica, Topica, Elenchos, non eſt ab obſervatione naturalis rationis & uſus profecta:
Organicæ igitur Logicæ confuſio non eſt vera Logicæ artis deſcriptio.

Cõſiderate doctores hujus artis & magiſtri, priorẽ illũ ſyllogiſmũ: verſate propoſitionẽ, inquirite in aſſumptionẽ, cõjũctionẽ partiũ univerſam accuratẽ conſiderate: id eſt dialecticè, ſicut ratio ipſa dictat, ſeu logicé retexite & judicate. Dialectica noſtra in eo ſyllogiſmo eſt: quæ ſi quid peccaverit, Logico & Dialectico judicio ſe reprehendi, nõ modô modeſtè, ſed lubẽter ac lęté feret: Ariſtótelica principia, experientiã, hiſtoriã cõſequi vult: ſi nõ aſſequiť, admoneri & dirigi cupit: Cõvertite judicium veſtrũ ad alterã ſyllogiſmi ſecundi ſpeciẽ: propoſitionẽ intẽtis animis expendite: aſſumptionẽ æquis animis diſceptate: totã deniq; concluſionem ſeveré examinate: dialecticæ Scholæ ſunt: hæc veré & incorrupté de propoſitione dubia judicãdi regula eſt, quã cõtra Organici compoſitoris tenebras, contra publicæ calamitatis ſophiſmata defendo & vindico: doctrinã ejus

clariſsimā doceo, quā Organicus magiſter cōfundit: uſum ejus in omnib⁹ dubiis propoſitionibus æſtimādis & judicandis oſtēto, prædico, celebro: Doceo hāc eſſe unicā & ſingularem, & communē rerum univerſarū, & tamē etiam propriam ſingularium, qua verū & falſum in omnibus dubiis propoſitiōibus percipiatur: tātæq; veritatis authoritatem ex Analyticis repeto: Quicquid temerè concludendo peccant homines, errore ſyllogiſmi & ignoratione peccant: quicquid verè & conſtanter concludēdo judicant, id ſyllogiſmi veritate ac conſtantia judicant. Hoc aureum & cœleſte Dei omnipotentis donum amemus & colamus: hoc lumen eſt omnibus (quæ toto cælo nitent) ſideribus longè clarius, longè divinius: hoc lumine, peritorum, imperitorum, ſenum, virorum, mulierū, omnis denique ætatis & ſexuum cōcluſiones confirmantur: hoc lumine homines cum beatis illis mentibus communiter fruuntur. Quare faciamus impoſterùm, ut tantum Dei donum, non ad nugatorias de præceptiunculis ſophiſticis altercationes, ſed ad uſum prudentiæ, ad humanitatis ſubſidium, ad vitæ auxilium referamus: & deſinamus iis iraſci, qui omnium poſſeſsionum, quas homines habent, pulcherrimam tenebris liberare, & in lucem proferre contendunt: Qui Ariſtotelis Logicam (ſiquid nomen hoc rei eſt) ab inertis & ignavi interpretis & compoſitoris inſcitia vindicant, & ordine ad uſum potiore & faciliore collocant: qui ex Ariſtotelis ſententia, Logicam analyticè tractāt: imò ut geneſim quoque proponamus, qui non ſolum interpretando, ſed imitando, meditando, ſcribendo, dicendo, exercent: Opificum induſtriam in Porphyrio cū philoſophorum noſtrorū inertia comparavi: Logicos logicis præceptis eruditos, uſu non inſtructos, mortuos Logicos in categoriis appellavi: Heliogabali nequitiam, ſcholaſticæ noſtrorum temporū ignaviæ ſimilē in ſymbolico doctore cōſtitui: Iam noſtra monitione nihil hîc opus eſt: analyticæ doctrinæ authoritas hanc ſeveritatem ſibi ſumit. Analytica exerces in diſputatione de analyticis præceptis: uſum eorum in poëtis & oratoribus, philoſophis, in ipſis deniq; Analyticis explicandis nullum oſtendis: Analyticus author errare te & labi coarguit: Logicæ hypotheſeos finis eſt, rei propoſitæ rationes & argumenta invenire, componere, reſolvere, ut docet analyticus magiſter. Tu clamādo de præceptis & altercando nihil arte invenis, nihil arte diſponis, nihil arte reſolvis & retexis. Analyſis Logicæ ad omnium diſputationū, vel ſcriptarū, vel dictarum confirmationem & illuſtrationem, deinde geneſis ad effectionem ſimilium, vel etiam præſtantiorum operū adhibenda eſt, ut docet Analyticus magiſter: ut Ariſtoteles ipſe vivus, ſicut jā ſæpe dixi, exercuit: Tu omnium ejuſmodi exemplorum analyſim cōtemnis, geneſim ſimiliter deſpicis. Analyticus author docet aliam eſſe ſcientiam univerſalem, aliam actu: illaq; inſtructum, hac privatum falli poſſe: imò qui actu ſcientiam habeat, huc ſimpliciter & abſolutē ſcire dicit: Tu contrà totam Logicam facultatē in ejus univerſalibus præceptis, in ſcholaſtica & inerti de iis altercatione conſtituis: analyſeos aut geneſeos uſum ſcribendo dicendoúe nullū exquiris. Ergo doctoris analytici, imò Ariſtotelis judicio, culpa & ignavia noſtrarū ſcholarum damnatur, quæ nullum Logicæ artis uſum, nullam exercitationem niſi in clamore de præceptis intelligit & ſuſcipit. At ſiquid in toto Organo Logico, Ariſtotelis nomine dignum eſt, hæc monitio eſt: & tamen inventi ſunt ariſtotelici nempe judices, à quibus damnaremur, quód iſtam ariſtotelicam Logicæ exercitationis induſtriam & diligētiam amaremus & imitaremur: Phormioni videlicet, quā Hannibali ſimiles eſſe malunt. Phormio enim, ut Catulus apud Ciceronem ait, cum Hannibal Carthagine expulſus Epheſum ad Antiochum veniſſet exul, próque eo, quód ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, ut eū quē dixi, ſi vellet, audiret: cumq; is ſe nō nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de imperatoris officio & de omni re militari: Tum cū cæteri, qui illū audierant, vehementer eſſent delectati, quærebāt ab Hānibale quidnam ille ipſe de illo philoſopho judicaret: Hic Pœnus nō optimè græcè, ſed tamē liberè reſpondiſſe fertur: Multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe, ſed qui magis

quàm

quã Phormio deliraret, vidiſſe neminẽ. Neque mehercule injuria: Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quàm Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano, omniũ gentium victore certaſſet, græcũ hominem, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra vidiſſet, nunquã deniq; minimã partem ullius publici muneris attigiſſet, præcepta de re militari daret? Hæc Catulus. Phormiones igitur quidã nobis homines hi fuerint, ſine uſu, ſine experientia rerum, & inertiæ atq; pigritiæ ſuæ velut authorem Ariſtotelem facient. At ipſe (ſi is eſt tamen Ariſtoteles) vel in hoc Organo iſtam calumniã à ſe detecta tur: omnia præcepta Logicæ artis ab experientia deducenda, omnia ad analyſim, ad omnis generis vel ſcriptã, vel dictam diſputationem examinandam referenda præcipit: quiq; ethicum illud ſuum maximé ſibi propoſuerit. Neque ſané quid virtus ſit, intelligere ſatis eſt: ſed ut habeamus & utamur, eſt enitendum. Quamobrẽ ex Organo Logico, quæ ariſtotelicæ philoſophiæ. quæ veræ Logicæ principiis cõveniunt, ad veram Dialecticam referamus: reliqua inutilia in Organo ipſo Logico relinquamus: Neq; tamen Analytica priora de bibliothecis ejiciamus, ſed potiús ut conſtet, unde materies operis noſtri ſumatᷣ, conſerventur ad vetuſtatis & originis authoritatem: ut Varro, Priſcianus, Feſtus, Diomedes conſervantur, quamvis non eorum libri, ſed ars ex illis educta, & ad uſum conformata, pueris proponatur. Denique principia Ariſtotelis de materia artis, déque forma artis teneamus, omniaq; iis cõſentanea probemus, contraria tollamus.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER IX.

Duas partes eſſe artis logicę liber ſecũdus diſſeruit: topicã in invẽtiõe argumentorũ, id eſt mediorũ, principiorum, elemẽtorum (ſic enim nominantur in Organo) & analyticam in eorũ diſpoſitione. Topicæ partis multas adhuc artes in Porphyrio categoriis, interpretatione, prioribus analyticis, ut in inventione medii, ut in capite de diviſiõe notavimus: multas deinceps etiã in poſterioribus analyticis notabimus. Analyticæ prima pars eſt in enũtiatione; de qua in interpretatione: ſecunda in ſyllogiſmo, de qua prioribus analyticis: tertia eſt in methodo, de qua jã in his poſterioribus analyticis. Fieri veró poteſt, ut vel in arte & doctrina tota, omnes res inventæ, ſint etiã æſtimatæ & judicatæ enũtiati vel ſyllogiſmi judicio, ut logica vel topicæ invẽtionis vel analytici enuntiati & ſyllogiſmi nil præterea jam ſit opus: ſic tamen mediæ primis atq; utræq; poſtremis confuſæ & conturbatæ, ut artis & doctrinæ ſpecie & forma nihil poſsit eſſe diſsimilius. Ergo ad hanc confuſionem tollendã, methodus artificioſa quæritur, de qua in Porphyrio & categoriis diximus, quæ γενικώτατον generaliſsimũ primo ὑπάλληλα ſubalterna medio, εἰδικώτατα ſpecialiſſima poſtremo loco diſponat: cujus ſi qua in organo logico doctrina eſt, ea certé eſt in analyticis poſterioribus: at Ariſtoteles hic videtur neque nominatim, neque de induſtria ſibi propoſuiſſe hanc methodum, atq; hanc univerſam totius artis & diſciplinæ ſeriem, tanquã perpetuam longioris cujuſquam catenæ continuationem: ſed ſyllogiſmum in quæſtione. quamobrem eſt propriæ affectionis per cauſſam primam & immediatam demonſtrativum, ejus catenæ velut annulum quendam ſæpius in ſeſe replicatum, ex quo ſcientia omnis efficiatur. Sic enim Ariſtoteles ſyllogiſmum illum, velut unicum omnis artis ac ſcientiæ artificem & magiſtrum dicere videtur: & certé duorum poſteriorum primo toto nihil niſi demonſtrationis nomen auditur, ſecũdo etiam laté celebratur. Quod ſi ita ſit, ut eſſe tota analyſis accuratè retexta indicat, & interpretes affirmant, certé philoſophus in philoſophiam monſtrum horrendũ induxit, ut artium & ſcientiarum formandarum artem fingeret, cujus in artibus & ſcientiis ipſis exemplum nullum unquam animadvertiſſet, imó cũ per naturam nullũ eſſe poſsit, nullũ animadvertere potuiſſet. Etenim neq; materia, neque forma talis ſyllogiſmi ulla eſt, neque omnes artes & ſcientiæ é tali

vel

vel argumento vel ſyllogiſmo cōſtruuntur. Nam cauſſam quamobrem homo ſit γελαστικὸς natus ad ridendum, non potius reddideris, quam quamobrē ſit λογικὸς natus ad ratiocinādum. Organa fortaſſe ut rationis, ſic riſus in humano corpore reperientur: at quamobrem hoc in homine potius inſit, quàm in alio animante qui requiret, nihilo plus faciat quàm ſi quæreret, quamobrem homo ſit potius homo quàm beſtia: & quidē Ariſtoteles ipſe per ſe ineſſe proprium ſubjecto 4 & 7 c 1 l affirmat, neque in totis duobus apodicticæ ſuæ libris ullam ejuſmodi cauſſam niſi ineptam & ridiculā philoſophus afferre potuit. Quare materies demonſtrationis ariſtoteleæ nulla eſt: nulla item eſt forma. Nam ſi cauſſæ ejuſmodi proprietatū omnium ante oculos eſſent: attamen é tali quæſtione διότι quamobrem, ut Ariſtoteles appellat, ſyllogiſmus nullus exiſteret. Quæſtio enim τί ἐστι quid eſt ἀσυλλόγιστος eſt, & ſolo νοητικῷ judicio judicatur, & quæſtio διότι quæſtioni quid eſt affinis ἀσυλλόγιστος item eſt, & ſolo νοητικῷ judicio indicatur, ut ſecundo apodícticæ libro novem primis capitibus ampliſsimé perſpicietur. Quapropter ariſtoteleæ demonſtrationis ut materia ita forma nulla eſt, & é triginta exemplis quæ totis duobus libris Ariſtoteles attulit, nullum prorſus ariſtoteleæ demonſtrationi accommodatum eſt. Neque veró ſyllogiſmus eſt judex artiū ſcientiarūmque omnium, ut Ariſtoteles hic ſomniavit. Eſt enim judicium Ariſtoteli ipſi judiciū νοητικὸν ſyllogiſmo prius, quo docet judicari definitiones, diſtributiones, omnéſque per ſe manifeſtas enunciationes. Atqui hoc judicii genere totæ artes grammatica, rhetorica, logica, arithmetica etiam á nobis informata eſt, & informandam eſſe ſcholæ arithmeticæ declarabunt, totæ inquam artes illæ ſicuti reliquæ omnes, exceptis nō totum ſed partē quandam geometricis νοητικῷ non ſyllogiſtico judicio judicantur. Et quidem in Geometria & in Geometriæ ſubalternis artibus definitiones, diſtributiones, principiáque omnino omnia νοητικῶς etiam judicantur: ſed pleraque præcepta propter reconditam rerū obſcuritatem ſyllogiſmi neceſsitate addicenda & concludenda ſunt: Neque tamen tum ſyllogiſmus eſt quæſtionis διότι, ſed ὅτι quia, neque de proprietate neque ex immediata cauſſa tātum, ſed de quibuslibet obſcuris enūtiatis & é qualibet argumēti geometrici ſpecie. Quin ſi argumentorum in totis geometricis genera ſubducantur, comparata & oppoſita plurima reperiētur. Atque hi geometrici ſyllogiſmi ſunt in toto corpore artis tanquam ſurculi é primis illis νοητικῷ judicio conceptus radicibus ſuccreſcentes & exorti, ſic plurima per totam geometriam ſpecialia πορίσματα ex aliquo uno generali theoremate ſunt aſſumpta: ſic non pauca in ſuo quæq; genere, prima, ex variis tamen ſtirpibus promiſcué fructicantia. Hic ſolus (inquam) in totis geometricis ſyllogiſmus eſt: ac licet in toto artis contextu antecedentia ſpecialium conſequentium cauſſæ ſint, tamen ſyllogiſmi cujuſque argumenta quæſtionis extremis comparata cauſſæ non ſunt (ut falſo putavit Ariſtoteles) perpetuæ, oppoſita (ut dixi) & comparata longé plurima ſunt & frequēnſsima. Fidem affirmationis hujus graves & diuturnæ vigiliæ cùm in cæteris diſciplinis, tum in geometricis ipſis artibus accuraté ſevereq; retexendis, in conſtituenda geometriç legitima ſpecie ac forma, in refellendis & convincendis infinitarum obſcuritatum elenchis, totiſque mathematicarum ſcholarū meditationibus fidem primū nobis fecerūt, deinde diſcendi cupidis facient. Quamobrem ſi demonſtratio artium & ſcientiarum intelligatur ipſarum inſtitutio & informatio, quæ ſtudioſæ diſcendi juventuti tradendæ ſint, non eſt ad ſyllogiſticum judicium aſtringenda, cum plurimæ maximæq; partes ſimpliciores illo νοητικῷ judicio judicentur: Sed minimé omnium ad ſyllogiſmū Ariſtotelis demonſtrativū, qui nuſquā omnino ſit. Hæc totis Europæ ſcholis philoſophi cū ſic á nobis cōfirmari audirēt, nō conſiderarūt utrū vera dicerē, ſed prodigioſas theſes exercendi ingenii gratiâ á nobis declamari ſibi perſuaſerūt. Unus in orbe chriſtiano Cardanus vir in mathematicis præcipué diſciplinis (quæ talē demōſtrationem, ſi ulla uſquam fuiſſet, habituræ eſſent) verſatiſsimus id accuraté conſideravit & obſervavit. Neſcio (inquit quodam dialecticæ ſuæ loco)

co) quorſum ſuam illam tot conditionibus celebrem demonſtrationem Ariſtoteles induxerit, cujus nullum apud homines exemplū poteſt inveniri: Hic vir unus tantam logici alioqui mirabilis ἀλογίαν perſpexit & publicavit. Quid igitur ſi tantum in his libris ſophiſma eſt, cur eos tibi explicādos propoſuiſti? Humanitatis ſtudio moveor, ut tot homines tot ſeculis populiſque tam fœdo commento deceptos pro mea facultate ſublevem: Deinde in iſto philoſophico Ariſtotelis furore neſcio quo magna quædam & admiranda velut oracula comperio, propter quæ Ariſtotelis ingenium admiror & ſuſpicio, & iſtos libros conſiderandos ſuſcipio: Etenim de poſterioribus analyticis, hæc logica documenta deducuntur: ſcientiarum atque artium omnium materies & inventio eſt ex cauſsis, effectis, ſubjectis, adjunctis; unde rerum definitiones, diſtributiones, explicationes denique & propoſitiones omnes fiant: ê quorum etiam & oppoſitis & comparatis quædam aliquando aſſumuntur, atque hæc inventionis, non tamen hic propriæ (ut jam diſſerui) ſed omnino rerum omnium communis. E' diſpoſitionis autem partibus, enuntiationis ars quædam iteratur, ſed imprimis νοητικῶς, in artificioſis & ſcientificis enuntiatis apodictica declaratur: ut enuntiata ex illis argumentis ſint omninoque & neceſſario vera, ut homogenea, ut propria, generalia generaliter propoſita: ſyllogiſmi nulla nova logica inſtituitur: ut manifeſta ſint ideo quorundam delyria, qui docent aeque affirmant propriam inventionis apodicticæ, propriamque judicii apodictici logicam in his duobus libris inſtitui. Methodus verò & collocatio tota definitionum, diſtributionum, propoſitionum denique omniū comprehenditur, quæ ab univerſalibus & generalibus, id eſt naturâ prioribus & notioribus ad ſingularia & ſpecialia procedat: ex omnibus γνωριμώτατα primo, ὑπάλληλα medio, ἀδηλότατα poſtremo loco ſtatuat, quæ tamen methodus etiam communis ſit rerum contingentium nec in artem cadentium. Hæc (inquam) logica documenta ex iis libris eruo; & ab Ariſtotele tanquam aliquo vate ſacratioribus philoſophiæ muſis afflato hæc oracula ſic effata effuſaque in eam partem accipio, in quam optimam accipi poſsint. Cogitavit Ariſtoteles ſyllogiſmum eſſe artificem artium, & doctorem ſcientiarum omnium, ideoque omnia tractandarum artium ſciētiarumque inſtrumenta ſyllogiſmo alligavit. Error Ariſtotelis ingens ille quidem eſt: at Ariſtotelis ingētior ea laus eſt, quod omnium artium ſcientiarúmque interea materiam formámque deſcripſerit & propoſuerit. Quapropter legitima artium ſcientiarúmq; demonſtratio & inſtitutio erit in artificioſæ & ſcientificæ materiæ per ſe manifeſtæ definitione, diſtributione, ab inſignibus exemplis illuſtratione, aut ſi obſcuræ & dubiæ veritatis fuerit, in ſyllogiſtica aſſertione & concluſione: denique in methodica partium omnium collocatiōe & confirmatione: ut qui hæc omnia in docendis diſciplinis accuratè præſtiterit, is diſciplinarum idoneus magiſter, verus interpres, legitimus doctor & demonſtrator habeatur. Hæc nova erūnt & mirabilia in illa cimmeriarum tenebrarum caligine educatis; attamē ubi lucem reſpexerint, jucunda, ut ſpero, & grata accidēt. Si me rogares quomodo liberales artes bene vel loqui vel eloqui poſſes, reſponderem ſi grammaticæ etymologiā in verbis ſingulis, ſyntaxim in conjunctis, ſi rhetoricæ elocutionem in tropis & figuris, pronuntiationem in voce & geſtu adhiberes: Ita ſi rogares quomodo poſſes artes eaſdem bene diſputare, docere, demonſtrare, reſpondere debeam, ſi logicam inventionem in ipſarum natura qualitatêque tota, ex cauſſis, effectis, ſubjectis, adjunctis cæteriſque argumentis pervidenda: ſi diſpoſitionem in eadem vel νοητικῶς enuntiati, vel ſyllogiſtico concluſionis judicio æſtimanda & judicanda, univerſa tandem ordinanda ab initio per media ad extrema exerceas. Ut enim illa grammatica & rhetorica, ita hæc logica opera ſunt. Quæ cum ita ſint, nihil authoritate hominis cujuſquam moveamur, utilitatem artium ac dignitatem ante oculos propoſitam habeamus. Maxima in his libris Ariſtotelis ſophiſmata ſunt, ſed & maximis ſophiſmatis maxima φιλοσοφήματα ſunt oppoſita. Hæc ſumma eſt quadraginta quinque capitum, quæ ſummatim

ſummatim nobis initio ſecernenda & ſubducenda ſunt: ſuis veró locis poſtea copioſiús ſingula diſſeremus. Ariſtoteles totam Logicam ad quæſtionis certa genera retulit. Ergo ſecundi libri capita duo ſunt, primum & ſecundum de generibus & differentiis quæſtionum, inutilia, ut 2 l Schol. demonſtratum jam eſt: nihil enim ad inveniendam aut diſponendam ſcientiam attinent: propterea nihil horum in Dialectica habemus. De cauſsis & effectis capita ſunt decem: ſecundi undecimum de quatuor cauſſarum generibus, item duodecimum, decimumtertium & decimumſeptimũ de conſecutione & circulo cauſſarum & effectorum: primi libri ſex capita, primum & ſecũdum de prænotione & perſpicuitate cauſſarum, decimum quód ex cauſsis primis ſcientia fiat διότι, cõtrà ſit ὅτι. viceſimi tertii duæ partes, quód ſcientia διότι καὶ ὅτι, præſtantior ſit, quám ὅτι tantùm: item quód ejuſdem rei propter varias cauſſas multiplex ſit demonſtratio: tum capite viceſimo ſexto & ſeptimo, quia rerum vel ex cauſsis vel nõ cauſsis cognitio, diverſos animi affectus faciat, ideoq́ ὁ νοῦς, ἡ ἐπιστήμη, ἡ δόξα, φρόνησις, τέχνη, σοφία, ἀγχίνοια: intelligentia, ſcientia, opinio, prudentia, ars, ſapiẽtia, ſagacitas diſtinguitur. ſic in cauſſarum diſceptatione (quarum generalis cognitio, logicæ inventionis erat propria, uſus hîc & alibi communis) decẽ capita conſumpta, & nomine principii de theſi, axiomate & ejuſmodi cæteris multa varié diſperſa. Cauſſarum & effectorum definitio, partitio, uſus in Dialectica noſtra retinetur, cætera inutilia, tanquã non ariſtotelica, rejiciũtur. De ſubjectis & adjunctis ſeparatim nullum caput eſt inſtitutum: ſæpe tamen nominatur γένος ὑποκείμενον, genus ſubjectum, itẽ πάθημα, πάθος, συμβεβηκὸς καθ' αὑτό, affectio, accidens per ſe, quod effectum vel adjunctum eſt Subjecti locum, nominatim, accidentis etiam, ſed nomine adjunctorum vel effectorũ, tenemus, quia tota hæc logica de cauſsis, effectis, ſubjectis, adjũctis cõmunis eſt, ut dixi. De cõditionibus autem cauſſarum, effectorũ, ſubjectorum, adjunctorum, ut ἐπιστημονικά, ſcientifica ſint, longiſsima, & prolixiſſima oratio eſt, primùm in tribus notis, κατὰ παντός, καθ' αὑτό, καθ' ὅλου πρῶτον, de omni, per ſe, univerſaliter primum, caput eſt quartũ: κατὰ παντός, neceſſariũ & univerſale: καθ' αὑτό, συγγενὴς ἢ ἁπλῶς, ἢ πῃ; cognatũ, familiare, & ex eodẽ genere, atq; omnino (ut hoc verbo utar) ſyngeneũ & homogeneũ, aut omnino, aut modo quodã: καθ' ὅλου πρῶτον, proprium ſignificat, & quod cũ re cõvertatur. Separatim veró de notis ſingulis capita ſunt quatuordecim, de nota κατὰ παντὸς decẽ ſunt: Omnes ſcientias ex neceſſariis cõſtare, totum caput ſextum primi libri differit: univerſale oriri à ſenſibus decimũ quartum primi & decimum octavum ſecundi docent: undecimum primi diſputat primam figuram præſtare cæteris, quia concludat univerſale affirmatum: deinde viceſimo, viceſimoprimo, viceſimo ſecundo ejuſdẽ primi, contenditur univerſale præſtare ſingulari, affirmatũ negato, & de negatis quod oſtẽdat, quám quod cogat ad impoſsibile. Viceſimoquarto, duo cõtraria notæ κατὰ παντὸς cõſectaria ponũtur, Scientia cõſtat ex neceſſariis & univerſalibus: nõ igitᷓ ex fortuitis, non igitur è ſingularibus. Poſtremó quia ſcientia eſt univerſalium & neceſſariorum, duodecimo & decimotertio quæſtio eſt ampliſsima, quomodo in prima & ſecunda figura contrario genere fallamur: nõ autẽ in tertia, quia nil univerſale concludat. Ita quod ad artes inſtituẽdas ſuo nomine ſatis ſuperq́; clarũ & manifeſtũ fuerat, Artes & ſciẽtiæ cõſtãt è neceſſariis & univerſalibꝰ regulis & decretis, id tã verboſé decẽ capitibus agitatũ eſt. Ad notã καθ' αὑτό, tria capita feré referũtur, ſeptimũ, octavũ, nonum primi, quód omnia quæ ſunt in artibus comprehenſa, ſunt ſyngenea, ut in Arithmetica numeri tantùm, eorumq́; genera, differẽtiæ, ſpecies, proprietates: in Geometria magnitudines tãtùm, earúmque genera, differentiæ, ſpecies, proprietates: non autem arithmetica geometricé, nec geometrica arithmeticé doceantur: nec in arithmeticis quicquam ἀνάριθμον, nec in Geometria quicquam ἀγεωμέτρητον miſceatur: denique ſyngenia ſervetur. Hoc præceptum ſingulare et ſed tribus feré verſiculis dici potuerat, quod eſt tribus capitibus, valdè neſcio qua tautologia, ut ſuo tẽpore dicetur, coagmentatũ: iteratũ etiam multis poſtea locis & inculcatum, ut primi capite decimo-

decimonono, viceſimotertio. Ad notã καθ' ὅλου πρῶτον, caput quintum primi relatum eſt, quo docemur rerum affectiones ſuis quaſque locis non generalem cum ſpecie, non ſpecialem cum genere, ſed τῷ γένει ὁμογενὲς, τῷ δ' εἴδει ὁμοειδὲς πάθημα copulandum: denique proprias affectiones propriis & ſuis ſubjectis attribuendas eſſe. Ita ſunt adhuc viginti ſeptem capita conſumpta ad cauſſarum, effectorum, ſubjectorum, adjunctorum ſcientificam naturam & qualitatẽ declarandum, quam ipſam in Dialectica noſtra propoſitionis judicio ſubjicimus: tot altercationes otioſas & inutiles, ut ariſtotelicis principiis contrarias, rejicimus. Capita ſuperſunt octodecim, quorum ſunt octo confuſiſsimé cõtinuata, tertium, quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, octavum, nonum, decimum ſecundi de definitionis, diſtributionis, demonſtrationis differẽtia, quód illę ſint τῆς οὐσίας, hęc παθημάτων τῶν καθ' αὑτὰ, in quo manifeſté deprehẽdet̃ in ſomnium illud ſyllogiſticæ demõſtrationis: quid definitio, quæ definitionis genera & ſpecies: de definitione etiam jactata ſunt illa ſecũdo capite primi & ſeptimo, quód definitio principium ſit, nõ enunciatio: quód demonſtrationis principium aut concluſio aut demonſtratio theſi differens. Decimumquartum & decimumquintum ſecundi de definitione, & decimum ſextum de diſtributione commodiora ſunt. Solidam definitionis & diſtributionis doctrinam inſtitutionibus dialecticis complectimur, quia tota cõmunis eſt: argutias ariſtotelicis principiis alienas omittimus. Capita ſeptem reliqua, ſunt vanitatis prorſus admirandę, περὶ τῆς ἀπειρίας καὶ κοινωνίας τῶν ἀρχῶν, de infinitate & communione principiorum. an infinita ſint, quæritur tertio, decimoquinto, ſexto, ſeptimo, octavo, nono primi: de cõmunione, an omnium ſyllogiſmorum cõmunia ſint, & eadem principia, diſſeritur viceſimoquinto primi: tanta oratione problema productũ, quod ex analytica lege nullum in bis libris eſſe debuerat, quia ſubjectũ genus, ut cætera principia artium, ponendum & ſumendum, non diſputandum ſit, ut poſtea nos Ariſtoteles ipſe docebit. quare tantæ contentionis nihil retinemus

Atque hæc omnia inventionis ſunt: diſpoſitionis autem ad judicandum Analytica poſteriora nullã manifeſtam doctrinam, & de induſtria propoſitam habent, exceptis illis pauculis de conditionibus ſcientifici enũtiati, deq; methodo. Methodus autẽ & collatio atq; forma tota, ut præſtantiſsima diviniſsimaq; in tota arte pars eſt, ita fuit inſigni & illuſtri ratione definienda & proponenda & declaranda. At primo & ſecundo capite libri primi, vix duobus punctis ab Ariſtotele aliud agẽte notata eſt. Ergo in capitibus quadraginta quinq; duorum librorum, videmus quám multa ſint ab Ariſtotele vel conficta vel collecta, quám pauca ſint ad ariſtotelicum docendæ ſcientiæ uſum neceſſaria, homogenea, propria: quãta doctrinę perturbatio propoſita. Tota illa de cauſſis, effectis, ſubjectis, adjunctis, de diſtributione, definitione logica communis eſt: judicii vel in enunciato vel in ſyllogiſmo, vel in methodo, exceptis tribus ſcientificis notis, nulla propria hic doctrina eſt: temeritaſq; inſignis eorum proditur, qui confirmant in apodicticis peculiarem quandam & inventionis & judicii logicam inſtitui. Quamobrem duobus his ſcholarũ libris propoſitum eſt nobis tam multa ab Ariſtotele collecta ex Ariſtotelis principiis & indubitatis judiciis fundere: aurumque illud ariſtotelicum & legitimum, quod ſelegimus, tam multis nugis nõ ariſtotelicis involutũ evolvere Hæc enim aurea illa documenta ſunt ad Grãmaticam, Rhetoricã, Logicam, Arithmeticam, Geometriã, & quamvis diſciplinam ea via & ratione inſtituendum, qua facilé & diſcatur & exerceatur: quæ duæ artis cuiuſvis laudes primæ ſummæq; ſunt. Quamobrẽ in duobus Analyticis capita convertemus, in quibus ſolidioris illius doctrinæ aliquid erit. In cæteris, Academiæ noſtræ legem ſequemur, nec ad verbũ, ſed de puncto in punctum (ut ipſa loquitur) præcipuas ſententias exequemur: nec á ſcholaſticis verbis, etiam parũ Latinis (modó quod agetur aperté ſignificantibus) interdum refugiemus: uni perſpicuitati, quoad verbis licebit, inſerviemus.

O I N-

INSCRIPTIO ET diuiſio analyſeos.

Hic liber vulgó inſcribitur, Analytica poſteriora. De cujus nominis ratione commodius fuit dicere analyſi prióre, ut analyſis non aliud eſſet Ariſtoteli, quâm Logicis recentioribus κρίσιν, judicium, & Analytica veluti κριτικὰ nominari; quia judiciū maximé analyſi fiat: & inſcriptionem appellationemq́ Analyticῶν, ut Ariſtotelis eſſe dixeris, priorum certé & poſteriorū diſtinctionem non eſſe, ſed interpretum, qui ſibi in logicis iſtam licentiam permiſêre, ut hos libros pro ſuo arbitratu appellarent & dividerent & explicarent: ut Ariſtotelis perſæpe neque librorum tituli, neq́ diviſiones, neq́ multorum locorū ſententiæ eſſent. Capitum ueró diviſionē, licet (ut antea dixi) à Latinis non ſatis accuraté factam, tamen hîc ſequemur, ut cum cæteris æditis libris noſtra quoque æditio hac in re conſentiat.

PRIMUM CAPUT.

OMNIS *doctrina & omnis diſciplina ratiocinativa, ex antecedente fit cognitione: manifeſtum ueró id conſyderātibus in omnibus. Etenim mathematicæ diſciplinæ hunc in modum concluduntur, & aliarum unaquæque artium. Similiter ueró & circa rationes tum quæ per ſyllogiſmos, tum quæ per inductionem concluduntur. utræque enim per antecognita efficiunt doctrinam: illæ enim ſumentes velut ab intelligentibus, hæ uerò monſtrantes univerſale, quia manifeſta ſingularia ſint: ſimiliter etiam rhetoricæ rationes perſuadent: Aut enim per exempla, quod eſt inductio, aut per enthymemata, quod eſt ſyllogiſmus.*

Primo capite tria ſunt, Omnē cognitionem ratiocinativam fieri ex præcedente cognitione, eáque duplici, rerum & verborum: ſed rerum generalium, unde ſpeciales diſcantur. Primæ partis problema eſt, quôd omnis ſcientia ratiocinatiua fiat ex prænotione: ad quod probandum, ſpecies inducuntur, tum vniuerſæ, ut mathematicæ, ut artes reliquæ, tum ſingulares, ut ſyllogiſmus, inductio, enthymema, exemplum. In mathematicis ſcientiis, in reliquis artibus, in omnibus argumentationibus, ſyllogiſmis, inductionibus, enthymematis, exemplis, ratiocinatiua ſcientia fit ex antecedente cognitione. Ergo omnis ratiocinatiua ſcientia fit ex antecedente cognitione. *Ratiocinatiua.*] Græcé eſt διανοητική, & à Themiſtio & Philopono poſitum putatur ad differētiam τῆς αἰσθητικῆς, ſenſitivę. Μὴ θορυβείτω δὲ ἡμᾶς, τὰ δι' αἰσθήσεως γινωσκόμενα, ἐφ' ὧν οὐδὲν προγινώσκειν ἀνάγκη· οὐ γὰρ διὰ μαθήσεως τὰ τοιαῦτα, οὐδ' ἐκ μεθόδου λογικῆς παραγίνεται· Ne uerô nos conturbent, quæ ſenſu cognoſcuntur, in quibus nulla notio neceſſariô præcedit: non enim diſcitur hæc via rationéve logica, ait Themiſtius. Philoponus eôdem tendit. θαυμασίως δὲ προσέθηκε τὸ, διανοητική, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς αἰσθητικῆς γνώσεως· mirificé verô addidit illud (διανοητικὴ) ad differentiam ſenſitivæ cognitionis. Uterque legerat in Philoſophia Ariſtotelis, διάνοιαν interdum & αἴσθησιν opponi: & hęc illis erroris cauſſa fuit. At uterque ſi logicum uſum in logicis, & analyſim logicam in Analyticis explicandis, vel in hoc ipſo loco adhibuiſſet, nunquam iſta & ejuſmodi tam multa in Organo logico commentus eſſet. Exemplum probat ſingulare ſenſitivum ex ſingulari ſenſitivo: ſyllogiſmus, ſingularis & ſenſitivæ rei propoſitionem poteſt in tribus figuris ſingularem concludere. Ergo etiam locus hic docere homines hoc poterat, τὰ αἰσθητικά, διανοητικὰ eſſe. Revolve caput huſus libri penultimum, τῆς διανοίας verbum in eo leges: vide quomodo ab his iiſdē interpretib. exponatur. à Themiſtio non exponitur: exponitur autem à Philopono ſic: ἡ δὲ διάνοια τῆς δόξης, ἐστὶν ἐπὶ πλέον, διότι οὐ μόνον ἐπὶ τῶν δοξαστικῶν ἤτοι διαλεκτικῶν συλλογισμῶν λέγεται, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀποδεικτικῶν· ὅτι δὲ πάντες κέχρηνται τῇ διανοίᾳ, τουτέστι τῇ συλλογιστικῇ ἀγωγῇ, καὶ οἱ τεχνῖται καὶ αἱ πράξεις, εἴρηται πολλάκις. Διάνοια latiûs patet quâm opinio: quia non ſolúm in opinabilibus ſeu dialecticis ſyllogiſmis dicitur, ſed etiam in apodicticis. quôd verô omnes utantur διανοίᾳ, id eſt, ſyllogiſtica deductione, & artifices & actiones, dictum eſt frequenter. Hîc igitur Philoponus, illo Philopono multô ſapientior eſt, cúm διάνοιαν vocat omnem ſyllogiſticam deductionem, ut διανοητι-

κὴν

καὶ ἐπιστήμην intelligamus ſciētiam, quæ ex alio deducitur & efficitur: & νοητικὸν καὶ διανοητικὸν opponamus, non autem διανοητικὸν καὶ αἰσθητικόν· νοητικὸν indicat ἀξιώματα, διανοητικὸν enuntiata dubia ſyllogiſtico diſcurſu, id eſt ſyllogiſmo pleno, vel imperfecto, ut ſunt Ariſtoteli inductio, enthymema, exemplū. Hinc perſpici jam poteſt, quod poſtea magis percipietur, quales hi ſint interpretes, qui verbi præſentem, & Ariſtotelis inductione monſtratam ſignificationem nō viderint. Eſt vero magna Ariſtotelis ὁμωνυμία in hoc verbo, ſicut in multis aliis: διάνοια accipitur hoc loco, ut dixi: διάνοια in extremo capite libri ſecundi, ſignificat omnem rationalis animæ facultatem, δόξαν, λογισμόν, νοῦν, ἐπιστήμην, opinionem, ratiocinationem, intellectum, ſcientiam. Vide initium ſexti in Philoſophia, ubi ἐπιστήμη διανοητικὴ ſimiliter atque hîc appellatur. *Doctrina & Diſciplina.*] Grecé eſt διδασκαλία καὶ μάθησις· quę vix proprié redduntur, Doctrina & diſciplina, quia doctrina & diſciplina, ſignificāt integras & totas artes, ut Grammaticam, Rhetoricam, Logiçam: Græca autem, διδασκαλία καὶ μάθησις, ſignificant quicquid doçetur & diſcitur, ſive tota ſit ars, ſive particula quædam artis, ut ſyllogiſmus, enthymema, inductio, exemplum: ſive definitum ex definiti ratione, ſive totum ex partibus, ſive quidvis aliud ex alio, διδασκαλία καὶ μάθησις hîc appellatur. Ergo latinis uocabulis doctrinæ & diſciplinæ, intellige nunc quicquid docetur & diſcitur. *Mathematicæ.*] Hoc verbū Themiſtius, item Philoponus refert ad cōtemplationem, pro λογικαὶ καὶ θεωρητικαὶ, καὶ διὰ λόγου διδάσκουσαι, rationales & contemplativę & ratione docentes: ut ſcientiæ mathematicæ ſignificent omnes ſcientias, quæ pręceptis & theorematis legitimé & Logicé doceantur: artium uerò nomine ſignificētur artes ſordidæ, quæ magis opere tractantur, quàm præceptis inſtituuntur: quomodo uſurpare videtur Ariſtoteles hoc verbum decimo capite hujus, ubi appellatur ἀστρολογία μαθηματικὴ καὶ ναυτική, mathematica & nautica: item ἁρμονική, μαθηματική, καὶ κατὰ τὴν ἀκοήν, harmonica, mathematica, & ſecundūm auditum: ſic (inquam) videtur accipi. At cur ita neceſſe ſit hic intelligi, non video. Imó præſens locus hic indicat τῶν τεχνῶν, id eſt, artium nomine illiberales artes intelligi non poſſe, quia διδασκαλίας καὶ μαθήσεως nomine in hac inductione comprehenduntur. Hic ſecundus locus indicat de Themiſtio & Philopono, quàm ſtudioſi ſuæ linguæ fuerint, quám in Logica analyſi exercitati. *Syllogiſmi.*] Commentum eſt ſcholaſticum de quatuor argumentationum generibus, duobus Logicorum, ſyllogiſmo & inductione: duobus Rhetorum, exemplo & enthymemate. De vitio partitionis hujus dictum eſt in priore analyſi. Omnis argumenti diſpoſitio, ſyllogiſmus eſt: ſi plena, plenus: ſi imperfecta, imperfectus: Syllogiſmus imperfectus appellatur enthymema: At inductio etiam & exemplum, ſyllogiſmi ſunt imperfecti: ſed inductio & exemplum, potiùs argumenti nomina ſunt. Inductio ſignificat argumentum ex loco diviſionis ſumptum, quo probatur ex partibus totum. Et Ariſtoteles ipſe ſic cōprehendit libri ſecundi cap. 14. Exemplū, certi generis argumentum nullum eſt: poteſt enim diſsimile, poteſt etiam ſimile eſſe, poteſt eſſe ſpecies, ut aliás monuimus. Et hoc commentum aliquod ex illis eſt unum, quod Ariſtoteles ê veterum commentariis tranſtulit: ἀπὸ τῆς αἰσθήσεως, ἐπαγωγῆς, ἐμπειρίας, ἱστορίας, à ſenſu, inductione, experientia, obſervatione, id eſt, ariſtotelicis principiis, nō deduxit. Eſt uerò multó magis commentitium illud, Oratorū eſſe exempla & enthymemata: Logicorum, ſyllogiſmos & inductiones: tāquam Logicę partes regionibus urbis dividātur, aliàque pars verſetur in foro, alia pars in gymnaſio: non diſcatur autem in gymnaſio & exerceatur, quod ſerió poſtea tractādum ſit in foro. Denique partitionem hāc, quia principiis ariſtotelicis experientię & uſui non convenit, non probo. Refer ad principia ariſtotelica, ad uſum & experientiā, reperies in Cicerone & Demoſthene plenos ſyllogiſmos, plenas inductiones non minus frequētes, quàm in Platone & Ariſtotele. Hāc probationem ex Ariſtotelis principiis, ſenſu, inductione, obſervatione, experiētia cūm in poëtis, oratoribus, philoſophis multos jam annos publicé prælegēdo confeci, tum notatam & teſtificatam in octo

Ciceronis orationibus propoſui. Trāſlantium igitur hoc diſcrimen eſt, non ariſtotelicum. Ergo prima pars eſt capitis hujus, Omnis διανοητικῆς ſcientiæ cauſſam eſſe πρόγνωσιν quandam, ut interpretes appellāt, & πρόληψιν, id eſt, prænotionem & anticipationem, ut Cicero loquitur. Secūda pars ſequitur (quę diviſionem προγνώσεως continet) aliam rerum eſſe, aliam verborum.

Dupliciter porró neceſſe eſt prænoſcere: in aliis quidem quia ſunt, priùs accipiendum eſt, in aliis veró quod dicitur, intelligendum, in aliis autem utrunque: veluti quod quidem (Omne aut affirmare aut negare, verum) quia eſt: Triangulum veró quod hoc ſignificat: unitas autem utroque modo prænoſcenda, & quid ſignificat, & quia eſt. Non enim ſimiliter horum unumquodque manifeſtum eſt nobis.

Πρόγνωσις καὶ πρόληψις duplex hîc ſcholaſticis verbis exprimitur, τί καὶ ὅτι, quid & quia: quæ eadem vocat Ariſtoteles in Rhetoricis σαφὲς καὶ πιθανὸν, perſpicuum & probabile: & popularibus Rhetorum verbis utitur in Rhetorica, aridis & ſcholaſticis in Logica: quomodo fortaſsis erant ii loquuti, à quibus iſta transferebat. Sed πρόγνωσις duplex eſt verborū, quæ in omnibus definitionis & definiti, totius & partium, demonſtrationis, demonſtrati, omniſque explicationis & ejus terminorum vocabulis omnino requiritur: deinde rerum πρόγνωσις, quæ debet eſſe in definitione ad explicandum quod definitur: in diſtributione ad explicandum quod diſtribuit: in demonſtratione & quavis expoſitione ad demonſtrandū & ad exponendū quod quærit: alioq nil explicaret. Itaq; ſyllogiſmi major & minor propoſitio, ſi demonſtratio in ſyllogiſmum includi poſſet, πρόγνωσιν hanc haberent: item de terminis medius & extremus; ut conſtaret eſſe res iis ſignificatas: Problema quod concluderetur, hanc πρόγνωσιν non haberet: acciperet autem dum concluderetur, ab antecedente: quod idem poſtea capite octavo dicetur: & πρόγνωσις ὅτι confuſé ſignificat hîc omnem prænotionem veritatis. Nam ἐμφαίνομεν poſtea decimo capite hujus & primo ſecundi hoc verbum uſurpatur, & ὅτι diſtinguit à διότι. Interpretes hîc labuntur, qui putant has προλήψεις & προγνώσεις ad ſolam demonſtrationem ſpectare, cúm ſint communes omnis διανοητικῆς ἐπιστήμης. Exempla veró harum προγνώσεων parum apté poſita ſunt, quaſi etiam trigonum & axioma illud (De quolibet affirmatio & negatio vera) non perinde requirant utranque πρόληψιν, ut unitas. Capite aūt ſecundo clarius erit, principia τῆς διανοητικῆς ſcientiæ, eſſe προγινωσκόμενα, præcognita, nō ſolū τί, ſed etiam ὅτι prænotione. *Omne aut affirmare.*] Axioma eſt ἀντιφάσεως, contradictionis, frequenter in Organo citatum: & in Metaphyſicis, multis verbis diſputatur: & de hoc dicetur octavo capite, quomodo in ἀπόδειξιν includatur. Notabūt interea Logicæ artis ſtudioſi, axiomata illa communia omnium artium & diſputationum, logicæ inventionis leges eſſe: & maximas eſſe, quas ſcholæ nominant: eorúmque axiomatum alia ad locum contradictionis, ut hoc, alia ad locum comparationis, ut Quæcunque eidem tertio æqualia ſunt, æqualia ſunt inter ſe: alia ad locū diviſionis, ut Totum eſt majus ſua parte. & Ariſtoteles Metaphyſici γάμμα tertio capite, & κάππα capite quarto veriſſimé docet, axiomata illa Mathematicorum non eſſe. Atque hæc de prænotione duplici, quę probanda & laudanda, ſed ariſtotelicæ demonſtrationis propria hæc & primó catholica eſſe nego: communia enim ſunt omnis ſyllogiſmi, omniſque explicationis: imó de verborum perſpicuitate præcipere, grammaticum aut rhetoricū eſt. Sophiſticé, ait quinto capite Ariſtoteles, artē & ſcientiam inſtituit is, qui generalem affectionem in ſpecie cōſtituit. At, inquam; argumentum & principium eſſe manifeſtum, ut propoſitio aſſumptioq; pateāt, omnis ſyllogiſmi commune eſt. Propterea ſophiſticam hanc doctrinam Ariſtoteles ipſe nominat, quæ quod præceptū ad univerſum omnis explicationis genus attineat, in una ſpecie conſtituat.

Licet veró ut quis cognoſcat, alia quidem, quæ priùs cognoverit, aliorum autem ſimul etiā cognitionem accipiat: ut quæcunque ſub univerſali ſunt, cujus habeat cognitionem: quód enim omne triangulum habeat duobus rectis æquales, prænovit: quód autem hoc quod eſt, in ſemicirculo, triangulum eſt, ſimul atque induxit, cognovit. Quædam enim hoc modo diſci

plina

plina ſit, & non ex medio extremum cognoſcitur: quæcunque jam ſingularia ſunt, neque de ſubjecto ullo. Prinſquam autem quis inducat, aut ſyllogiſmum ſumat, modo quodam fortaſſe dicendum eſt ſcire, modo alio neſcire. Quod enim neſcit abſolute, an eſt, hoc quodammodo noverit, quód duobus rectis pares habeat, abſolutè: At manifeſtum, quód ſic quidem ſcit, quoniam ſcit univerſaliter, abſolute veró neſcit.

Tertia pars eſt capitis, quód rerum προγνώσεις & προλήψεις ſint generales & univerſales, unde ſpeciales illis comparatæ protinus concipiantur & concludantur. *Univerſali, cuius*] In omnibus græcis exemplaribus, quæ legi, caſus pluralis eſt ὧν, quorum. Themiſtius hunc locum explicans, ait: οἷον ὅσα ὑπὸ τὸ καθόλου ἐστί, οὗ τὴν ἐπιστήμην πρότερον ἔχομεν· ut quæcunque ſub aliquo ſunt univerſali, cujus ſcientiam priùs habemus. quib. verbis indicat ſe legiſſe οὗ, cujus: & nos ſic convertimus, tametſi interdum iſta numerorum licentia Græcis concedatur. *Triangulum.*] Hæc ꝓpoſitio eſt pars ſecunda propoſitionis triceſimæ ſecundæ apud Euclidem libro primo, Quód omnes trianguli tres interiores anguli ſint æquales duobus rectis: unde ſupple ſenſum hîc imperfectum, affectio autem poſtea quinto capite dicet̃ propria trianguli: Id tamen á Proclo refellitur, & refelletur á nobis ad 32 p 1. Demõſtratio veró propoſitionis hujus, nono Metaphyſico apud Ariſtotelẽ breviter proponitur: Διὰ τί δύο ὀρθαὶ τὸ τρίγωνον; ὅτι αἱ περὶ μίαν στιγμὴν γωνίαι ἴσαι δύο ὀρθαῖς· Cur duo recti in triangulo? quia circa punctum anguli æquales ſunt duobus rectis. quod Euclides 32 p 1 ſecutus eſt, unde potes in hunc ſyllogiſmum redigere.

Aequalia duorum rectorum æquali, duobus ipſis rectis æqualia ſunt, per axioma primum.

Trianguli tres anguli ſunt æquales duorũ rectorum æquali.

Nam in ſchemate 32 propoſitionis, exterior angulus & interior contiguus, duobus rectis ſunt ęquales, per 13. iiſdem exteriori & interiori æquales ſunt tres interiores anguli, cõtiguus nempe interior ſibiipſi, reliqui exteriori, per 32.

Quare trianguli tres anguli ſunt æquales duobus rectis.

Sed in noſtra geometria id erit elegãtiꝰ.

Hæc demõſtrationis hujus ratiocinatio eſt 1 ariſtotelicis tamen legibus, quæ docebuntur, demonſtrano nulla. Nec enim propria affectio eſt, nec ex primis & immediatis, nec quæſtionem propter quid concludit. Appellatur hæc propoſitio ſexcentis locis ab Ariſtotele, ut videatur, quemadmodum Craſsi delicatus adoleſcens ille cum in litore ambulans ſcalmum reperiſſet, ædificare navem concupivit, conſimiliter philoſophus uno iſto triangularis apodixeos ſcalmo apodicticam duobus libris conſtruxiſſe: ſed de ſcalmo iſto quám alienus ſit ab apodictico Ariſtotelis ædificio, dicetur rurſus 4 c, ſed multo copioſiús ad 32 p 1 ſexto libro Scholarum mathematicarum. Exempla ejuſmodi mathematica, tempore Ariſtotelis perſpicua & manifeſta fuerunt, cúm pueri á nutricibus græcam linguam diſcerẽt, & primus ferè ſtudiorum labor eſſet in numeris & lineamentis. Nunc cúm logica deſcripta antea docenda ſit & diſcenda, quám de mathematicis audiat̃, obſcuritas magna hinc oritur, cúm ignotis exemplis utimur, & ignotũ per ignotius exponimus: id eſt τὸ ἐξ ἀρχῆς, quod in principio eſt, petimus, nec docemus rem, ſed nobis concedi gratis poſtulamus. Iccirco nos exempla iſta de logicis omnia removeamus. *Semicirculo.*] Themiſtius & Philoponꝰ, ἐν τινὶ χειρὶ, in quadam manu videntur legiſſe: & Philoponus id apertiús indicat: ἐν τινὶ χειρὶ εἶπε, ἀντὶ τοῦ ἐν τινὶ ἡμικυκλίῳ, τὴν ἀσάφειαν ἐπιτηδεύων· In quadã manu dixit, pro in quodam ſemicirculo, obſcuritatem affectãs. ſed librarius aliquis, & authoris & Philoponi verbum cõmutavit. *Extremum.*] Tres ſyllogiſmi termini nominantur in priori analyſi πρῶτος, μέσος, ἔσχατος, primꝰ, medius, extremus. Extremus veró in minore propoſitione tantũ eſt & cõcluſione. Ergo extremum nõ cognoſcitur per medium, id eſt, minor propoſitio majori cõparata cognoſcitur ſine probatione, ſine argumento. Ut cùm puer (lubet enim notioribus exemplis idem demõſtrare) á Grammatico didicerit generalem regulam de ſyntaxi adjectivi & ſubſtantivi, labetur tamen aliquando in legendo & ſcribendo: ſed revocatus ad regulam generalẽ, ſpeciale exemplũ protinus comparat, & aſſumens, rectè ſe aut

non rectè loqui aut ſcribere concludet. *De ſubjecto.*] Nō dici de ſubjecto ullo, & ſingulare eſſe, idem eſt hoc loco, tametſi nō ſola ſingularia huc conveniunt, ſed quævis ſpecialia ſub univerſali cōprehēſa: imó etiā quævis naturà poſteriora, ut definitū definitiōe, effectū cauſſa. *Duobus rectis.*] Secūdus eſt locus, quo citatur eadem propoſitio. *Abſoluté.*] Notabis hoc loco ſcientiam ſpecialiū & ſingularium generali comparatam, bis appellari ἁπλῶς, abſolutè, & opponi *ἐπίστασθαι καθόλου καὶ ἁπλῶς*: ut tum demum videlicet abſolutè ſciens quis dicatur, non qui tantū artis generalia pręcepta didicerit, ſed qui ſe in uſu & ſingularibus exemplis ſtudioſè & diligenter exercuerit. Notabis (inquam) generaliter aliquid & univerſaliter ſciri poſſe, quod tamen ſpecialiter ignoretur: tumq; demū perfectam ſcientiam fore, cúm generalis ſcientia ſpecialibus exemplis informata, & uſu conſtituta fuerit: ſummūq; in noſtris ſcholis errorem verſari; judicantibus Logicos fore, qui generalia & univerſalia Logicę pręcepta didicerint, quamvis nullum poëtam, nullum oratorem, nullum philoſophum unquam expoſuerint, nunquam expoſita veſtigia ſcribēdo dicendóve imitati ſint. Ariſtotelicū igitur hoc in primis audiatur, καθόλου ſciri poteſt, quod ἁπλῶς ignoret. Dictum eſt in priore analyſi capite 21. ſecūdi libri, artis generalibus præceptis eruditum, uſu non eruditum, falli poſſe, aliudq; eſſe ſciri ὡς τῇ καθόλου, ſcientia univerſali, aliud ὡς τῷ ἐνεργεῖν, actu. Hæc etiam illud ſcire ὡς τῷ ἐνεργεῖν, appellatur ἁπλῶς ſcire. Tanta veritas ariſtotelica in primis conſideranda eſt & amanda: quæ ſi ſcholis noſtris propoſita ſemel erit ac ſuſcepta, Logica brevi tempore in legitimū ſtatum vindicabitur. Hæc querela noſtra eſt tam multis jam locis exaudita.

Alioqui Menonis illa quæſtio contigerit: Aut enim nihil diſcet, aut quæ novit: non enim ſanè (quemadmodum nonnulli contendunt ſolvere) dicendum eſt, Utrum noſti omnem dualitatē eſſe parem, an non? Affirmante verò, protulerit dualitatem quandam, quam neſciebat eſſe: itaque neque parem. Solvūt enim, negantes ſe ſcire omnē dualitatem parem eſſe, ſed quam norint dualitatem. Atqui ſciunt quidem, cujus demonſtrationem habēt, & cujus acceperunt. Acceperunt autem non cujuſvis, quod noverint, triangulum aut numerū eſſe, ſed abſolutè de omni numero & triangulo. Nulla ſiquidem propoſitio ſumitur ejuſmodi: quód quem tu noſti numerum, aut quód tu noſti rectilineum, ſed de omni. At nihil (opinor) prohibet, quod quis diſcat, modo quidem alio ſcire, alio autem neſcire. Nec enim id abſurdum eſt, ſi noverit quodammodo, quod diſcit, ſed ſi ſic, velut qua ratione diſcit, & quomodo.

Confirmatur proxima diſtinctio ex adjunctis: Niſi quæ diſcuntur, generaliter ſciantur, Menonis ſophiſma redierit. Eſt autem Platonis dialogus, Menónis nomine, ſeu de virtute, ubi Socrates pro ſuo more ſimulans ſe quod ſciat, neſcire, cum Menone ita loquitur: Cupio, inquit, tecum conſyderare, & exquirere quidnam ſit virtus. Men. At qua via quæres, ô Socrates, quod omnino quid ſit, ignoras? Quam tādem ejus rei, quam neſcias, notam ſpectans & intuens, inquires? aut etiam ſi vel maximè in illud incurreris, quo pacto quod ignoras, illud ipſum quod quæris, eſſe percipies? So. Intelligo quid velis, ô Meno. Vides quàm captioſam, quàmque contentioſam rationem induxeris? nempe quód homini non conveniat inquirere, neque quod ſciat, neque quod neſciat. Neque enim quod ſciat, inquiret: id quippe jam nactus eſt, nec id præterea inveſtigare neceſſe eſt: neque item quod neſciat, inquiret: nec enim noverit quod inquiret. Hujus enthymematis captioni & ſophiſmati Socrates pythagorea quadā philoſophia occurrit: animosq; immortales eſſe, ſacrorum & divinorum hominum teſtimoniis aſſerit, qui ſæpius ab hac corporum vita abierint, & certis temporibus in aliam vitam redierint, omniáque didicerint ac perceperint. Itaque antequam corpus ingrediantur, in ſumma rerum cognitione viguiſſe, omniumq; rerum cognitiones in ſe cōſignatas habuiſſe: quas tamen non planè norunt, cúm repentè tam inſolitū, támque perturbatum domicilium ſubeant: ſed cúm ſe paulatim collegerint ac recrearint, eas cognoſcunt reminiſcendo. Quamobrem nil mirum, ſi animus de virtute cæteriſque rebus aliis reminiſcatur & recordetur, quas antea memoria & intelligentia comprehenderat. Cúm enim univerſa rerum na-

turá

tura ſibi cognata ſit & cōſentiēs, eamq́ totam perceperit animus, nihil prohibet unius cujuſdam recordatum, cętera connexa & conjugata recordari, ſi modó ſtrenuus in quærendo conſtánsque fuerit, nec quærendi labore frangatur ac debilitetur. Illa enim ipſa inquiſitio & diſciplina nihil aliud eſt, quàm ἀνάμνησις & recordatio. Hoc (inquam) modo Socrates ἐριστικὸν λόγον, captioſam ratiocinationem diſſolvit. Aliter verò videtur Ariſtoteles diſſolvere, nullam hîc ἀνάμνησιν adhibere. Aut ſcis aut neſcis, ait dilemma Menonis. Imó, reſpondet Ariſtoteles, ſcio & neſcio: ſcio generaliter, ſpecialiter neſcio. Veruntamen hæc reſponſio tametſi genere aliquo vera eſt, quia ex notis principiis ignotæ res docentur, omnino tamen vera non eſt. Si quis adoleſcens & ætate & uſu rerum nonnullo jam provectus ad philoſophum venerit, generales fortaſſe & univerſales notitias aliquas in ſcholas attulerit, ex quibus ſpeciales á magiſtro condiſcat: at omnes non afferet. Imó nulla ars talem ſibi diſcipulum proponit, ſed ſermonis, quo utendum ſit, tantummodo non ignarum: rerum veró ſuarum rudem plané & imperitum ſibi conſtituit. Itaque incipit á generalibus & univerſalibus notionibus, & ad ſpeciales deſcendit definiendo, partiendo, demōſtrando, & ſi quid univerſale ſub obſcurum inciderit, ad prima doctrinæ principia, quæ poſtea Ariſtoteles faciet, αἴσθησιν, παραδείγματα, ἐπαγωγήν, ſenſum, exempla, inductionem recurrit. Quid veró ſi Menonis quæſtio de infante jam nunc edito moveatur, qui nullas notitias rerum impreſſas animo & inſculptas habeat, neque generales, neq; ſpeciales, an illo modo Menonis ἀπόρημα diſſolves? Nequaquam opinor: ſed ad ariſtotelica principia (quæ ſunt decimo quarto capite hujus, & ultimo capite ſecundi Poſteriorum) confugies, quum animus noſter ſciētiarum & notionum omniū δυνάμεις, οὐχ ἕξεις, facultates non habitus attulerit. Attulit infans facultatem colores omnes cernendi: colorum ſpecies & habitus non attulit. Itaque qui diſſolvit Menonis dilēma iſto modo, videtur magis Socratis ἀνάμνησιν probare, quàm improbare, & videtur huic ſophiſmati ſuccumbere, & cum Platone ἀναμνήσεις, τὰς μαθήσεις efficere; ut ex genere recordemur ſpeciem. Videbis autem hac de re conſimilem diſputationem prioris analyſeos ſecundi lib. cap. 21. Nec ſatis accuraté dictum eſt, προγνώσεις & προλήψεις illas (unde omnis ἀποδεικτικὴ ſcientia deducatur) univerſales & generales notitias eſſe, unde ſpeciales deducantur: quamvis, inquam, id in integrę artis informatione veriſſimum ſit, à generalibus ad ſpecialia progreſsionem eſſe, tamen in ſingulis partibus id nequaquam verum eſt, nec definitio definito, nec partes toto, nec abſolutæ demonſtrationis antecedens conſequente generalius eſt: imó ſingula hæc ſunt πρώτως καθολικὰ, & convertuntur, ut patebit quarto & quinto capitibus hujus: nec Ariſtoteles ſyllogiſmo ſuo demonſtrativo iſta congruenter ait, ubi generalius nihil eſt. Quare vix id ariſtotelicum fuerit, meliúſque proximo capite docebitur, has προγνώσεις & προλήψεις, notitias eſſe naturá priores & notiores, quanvis etiam ſemper generaliores non ſint: & notabis hoc præceptum, ad ſingularem tantúm, & unius quæſtionis ſcientiam non attinere, ſed ad totam artem atque doctrinam: ne quis putet in iis libris agi tantúm de ſingularium quæſtionum ſyllogiſmo. *Non enim.*] Prolepſis eſt ſolutionis ineptę, quaſi genus neſciatur, niſi ſingulæ ſpecies abſoluté ſciantur: apparetq́ quæſtionem hanc in ſcholis agitatā eſſe: Sciſne dualitatem omnem parem eſſe? ſi annueris, ita refellare, propoſita dualitate aliqua, quam neſciebas, tanquam,

Quam dualitatē eſſe neſcias, neſcias etiam parem eſſe:
At hanc neſciebas:
Neſciebas igitur eſſe parē. Itaq; nō omnē.

At (inquis) ſcio dualitatē eſſe parem, quam ſcio eſſe dualitatem. *Atqui.*] Refutatio ſolutionis ineptæ ex cauſſa ſcientię ita concluſa,

Quod demonſtratur, ſcitur:
Generale demonſtratur:
Generale igitur ſcitur.

Acceperunt.] Aſſumptio eſt (Generale demonſtrat́) quæ diſsimili illo ſuo illuſtratur. Demonſtratur abſoluté, non μετά τινος προσθήκης, non cum tali additione (inquit Themiſtius) ut ſcias omne

quod ſcis. *Nulla ſiquidem.*] Ratio aſſumptionis ex argumento partium. Neutra propoſitio demõſtrationis, demõſtranda generali qualitate, præcipuam talis additionis mentionem facit. *At vero.*] Cõplexionis loco (Quare generale ſcitur) poſita diſtinctio, Menoniſq; ſolutio repetitur, idem ſciri & neſciri: ſciri generaliter, ſpecialiter neſciri: ex genere cognito ſpeciem diſci, nec id abſurdum eſſe, ſed futurum certè abſurdum, ſi prorſus eadem ratione ignoraretur, qua diſcerctur. Themiſtius commentus eſt in poſtrema parte capitis hujus longam differentiam duorum uerborum, γνωρίζειν καὶ μανθάνειν, cognoſcere & diſcere, quód illud ſit prænotionis, hoc inde deductæ notionis. At hæc differẽtia ridicula eſt, nec deducta ex hoc capite, in quo γνωρίζειν eſt propoſitionis & aſſumptionis, ut ἔστι δὲ γνωρίζειν τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα· licet verò ut quis cognoſcat alia quidem quæ priùs cognouerit, propoſitionis eſt. deinde, ἅμα ἐπαγόμενος ἐγνώρισε, ſimul atque induxit, cognovit, eſt aſſumptionis: & rurſus, καὶ οὐ διὰ τοῦ μέσου τὸ ἔσχατον γνωρίζεται, & non ex medio extremum cognoſcitur, aſſumptionis eſt: & μανθάνειν, ſic propoſitio major dicitur, quæ primùm cognoſcitur: ut quælibet aſſumptio vel concluſio: & multa per ſe clara & perſpicua neſcimus, quæ ſimul atque proponuntur, diſcuntur: & nota eſt primo τῶν Ἐλέγχων, verbi ὁμωνυμία, quod μανθάνειν ad doctorem & diſcipulum attineat. Quare videmus quales Logici, ſint hi interpretes, & quàm linguæ ſuæ periti. Atqui adhuc primi capitis ſumma fuit, unde principiorũ natura duplex perſpecta eſt, ut verbis perſpicua ſint, rebus nota, eſq; generalia, unde ſpecialia deducantur. Sed præterea fructus triplex elici poteſt, primꝰ & maximus de methodo & collocatione srtis, ut in arte pręcedãt προγνώσεις & προλήψεις universales & generales. Hoc enim verbo Logicę artis pars illa præſtantiſſima diviniſſimaq; continetur, eaq; methodus cõprehenditur, ἣν δηλῶσαι οὐ πάνυ χαλεπὸν, χρῆσθαι δὲ, παγχάλεπον· quam declarare non valdè difficile, tractare uerò & uſurpare, difficillimum, ut inquit Socrates in Philebo. Nam qui generalia ſpecialibus præponet, primo loco γενικώτατα cõſtituet, medio cõprehendet ὑπάλληλα, poſtremo εἰδικώτατα collocsbit. Ergo græcos interpretes hîc poſſis vehementer admirari, qui cum Logicam artem in Categoriis, Ἑρμηνείᾳ, Analyticis, Topicis, Elenchis tam cõfuſam reperiſſent, nõ modò ſuis cõmentariis nihil illuſtrauerunt, ſed infinitis partibus confuſiorem reddiderunt. Methodi nomen ſemper habẽt in ore: quid hoc nomine ſignificent, nuſquam definiunt, an tota Logica ars hoc nomine ſignificetur, quæ eſt certè methodus, id eſt ars & diſciplina, quæ vis & ratione sliquid agere docest:sn ejus pars aliqua ſit, ut topica invẽtio, aut analytica diſpoſitio: nuſquam (inquam) intelligentiã ſuam definiunt: ſed cõfuſè cõfuſa ſignificatione, ſeipſos & alios pleroſq; impediũt. Methodum hinc, id eſt univerſę artis collocationẽ & formã poterãt elicere. At mirabile eſt, quas methodos commenti ſint, ὁριστικὴν, διαιρετικὴν, ἀποδεικτικὴν, ἀναλυτικὴν (ut Euſtratius ſecundo Poſteriorum) definitivam, diviſivsm, demonſtrativam, reſolutivam, (utar enim, ut recepi, verbis ſcholaſticis) tanquam hæc in Organo reperiſſent, aut ex eo id elicere potuiſſent, non contrá cognoſcere potuiſſent & debuiſſent, definitionem diviſionẽmque inventionis Topicæ locos eſſe, & illinc ad omnem quæſtionem argumenta erui poſſe: non item cognoſcere debuiſſent demonſtrationem, & unius argumenti, & ad unam aliquam quæſtionem explicandam, probationẽ eſſe: velut (inquam) iſta de libris logicis intelligere non potuiſſent, nec Arithmeticæ, Geometricæ, & cujuſvis univerſæ artis definitiones, partitiones, demonſtrationes, primas poſtremo, poſtremas primo, medias primo, poſtremóque loco ſic confudi poſſe, ut nulla iccirco artis methodus aut forma compareret, nec ideo definitionem, methodum, nec partitionem, methodum, nec demõſtrationem, methodũ eſſe, ſi methodi nomine forma collocatioq;, nõ materia & inventio ſignificaretur. Analyſeos autem nomen ad ordinem & methodicã collocationem derivatam ab Euſtratio & cæteris hujus erroris authoribus, homines hos in logica methodo & diſpoſitione artificioſa prorſus nihil vidiſſe demonſtrat, cũ ſit analyſis Logica definitionũ, partitionum, omniũq; logicæ inventionis ar-

niſs argumentorum, cúm ſit eadem ſyllogiſmorum,& methodorum, id eſt, logici operis univerſi conſyderatio, examen, judicium, approbatio, utq; analyſis Grammatica univerſi operis Grammatici examinatio & approbatio eſt, in eoq; omnes Grammaticæ partes examinat & expēdit: ſic Analyſis logica in logico opere & exemplo, ut prioris analyſeos initio copioſiùs expoſui. Hæc tam ridicula commenta uſus ignoratio peperit: hæc præcepta ab iis interpretibus nunquam ſunt ad exempla excellentium authorum, nunquam ad ariſtotelica principia, ἐμπειρίαν καὶ ἱστορίαν, adhibita: nec methodus unquam ab his definita, ut intelligi poſſet hoc nomine qd interpretes interpretarentur. Ergo contra interpretum confuſionem & errorē, methodū & collocationē artis unicam eſſe, eámque analyticis libris & præceptis congruam, vereq; ariſtoteleam meminerimus, quæ generales & univerſales προγνώσεις & προλήψεις priore loco diſponit. Hic primus eſt fruct⁹ & ſummus hujus primi capitis: Secundus erit contra falſam calumniam Ariſtoteli ab interpretibus ſuis impoſitam, quem de induſtria prædicant obſcurum fuiſſe. At hic magiſter ipſe de induſtria nō obſcuritatem prædicat, ſed verborū rerumq; perſpicuitatem & claritatem probat & laudat, quod etiam ſecūdo Scholarum libro pleniûs expoſui. Tertius fructus erit (quem jam attigi) de exercitatione & uſu Logicæ, quam Scholæ noſtræ præclarè putāt exerceri, ſi de præceptis eius temerè & ſine arte diſputetur: non conſyderetur problema, non medium & argumentum ad inventionis locum referatur, non diſpoſitionis enunciatio, ſyllogiſmus, methodusq; perpendatur. At logicam artem ſciri quidem oportuit, & memoriæ penitus mandari, eámque ipſam non ſolúm ad analyſim & examē ſuorum præceptorum adhiberi, ſed ad omnium poëtarum & oratorum & philoſophorum cognitionem & imitationē transferri. Qualia enim fuerint exempla, in quibus te exercueris, talis erit imitatio tua. Spinoſiſsimè diſputata eſt & obſcuriſsimè Organi Logica: ſi Logicam tantùm in ſuis exemplis exercueris, ſpinoſiſsimè diſces & obſcuriſsimè diſſerere. Si Logicam in logicis Demoſthenis, Ciceronis, Maronis, Homeri, Platonis, Ariſtotelis, aliorumq; authorum exemplis exercueris, diſces eorum more diſſerere, non ſolū ſubtiliter & acutè, ſed evidenter, prudenter, amplè & magnificè: deniq; ſi Logicam ſic exercueris, Logicam didiceris, non καθόλου tantùm, ſed etiam ἁπλῶς.

CAP. II.

Scire verò putamus unumquodq; abſolutè, nō autem ſophiſtico modo, qui eſt ſecundum accidens, quando putamus et cauſſam noſſe propter quam res eſt, quoniam illius cauſſa eſt et non accidere hoc aliter ſe habere.

Superiore capite expoſitū eſt, omnis ἀποδεικτικῆς ſcientiæ principia eſſe perſpicua verbis, nota rebus, eaq; eſſe generalia & univerſalia, unde ſpecialium ſcientia pararetur. itaque jam ſecundo capite definitur ſcire abſolutè ex cauſſa propter quam res eſt, propria, neceſſaria. Cauſſa propter quam, non videtur ea duntaxat eſſe, quæ appellatur à Porphyrio διαφορὰ συμπληρωτικὴ καὶ συστατικὴ τῆς οὐσίας differentia, quæ complet & cōſtituit eſſentiam rei: Nec enim eſt ſola forma ejuſmodi, ſed quævis cauſſa propter quam res eſt: Nam poſtea ſecundo libro docebit Ariſtoteles ex omni genere cauſſarum demonſtrari, & quæſtionē διότι reſponderi. *Quoniam illius cauſſa.*] Propria cauſſa hîc dicitur, quæ rei nempe ſit, non alterius: quæ conditio poſtea clariús exponetur quarto & quinto capite, cúm præcipietur ut propriæ ſint & convertantur omnes partes demonſtrationis. *Et non contingere.*] Hęc neceſsitatis nota eſt, quæ poſtea diſputabitur in nota κατὰ παντὸς, capite quarto & ſexto. Meminerimus ἁπλῶς ſcire hîc definiri: non autem (quod diſsimile eſt) σοφιστικῶς. Accidens verò dicitur in his libris τὸ μὴ δι' αὐτὸ ὑπάρχον, quod non ineſt per ſe, ut capite ſexto & decimoquinto & decimooctavo primi, & ſecūdo ſecūdi: ubi videbis καθ' αὐτὸ ἢ ἁπλῶς κατηγορεῖσθαι, καὶ κατὰ συμβεβηκός, per ſe aut ſimpliciter attribui & ſecundū accidens, oppoſita eſſe. Ergo ſophiſticus modus hic cōprehendit non ſolúm captioſum & fallacem modum, qui topico & apodictico opponitur, ſed quicūq; non eſt ex cauſſa propter quam res eſt, propria, neceſſaria, &

ria, & ἁπλῶς καὶ σοφιστικῶς ſic intellige, quaſi revera ac veritate, non ſpecie & oſtentatione: denique oppoſuit propriæ & germanæ ſcientiæ ſophiſticum modum, & communi nomine ſophiſticum appellavit, quicquid non eſſet ex cauſſa, propter quam res eſt, propria, neceſſaria, declaratum: In quo tamen Ariſtotelis placitum agnoſcamus: Rara enim ſit uel in geometricis talis ſcientia: quamuis enim, ut prædixi, in toto artis corpore antecedentia generalia ſint cauſſæ conſequentium ſpecialium, attamen neque definitio, neque diſtributio, neque concluſio quælibet ex cauſſa ſumitur.

Perſpicuum veró eſt ſcire ejuſmodi aliquid eſſe: etenim & neſcientium & ſcientium iſta opinio eſt. Neſcientes ſiquidem, ſic ſe habere opinantur: ſcientes veró ſe quoque ſimiliter habent.

Confirmaẽ poſita definitio veluti teſtimonio quodam & conſenſu publico. Iſta eſt omnium hominum affectio, Qui neſciunt, arbitrantur ſe neſcire, quia cauſſam propter quam res eſt, propriam, neceſſariam neſciunt. Qui ſciunt, arbitrantur ſe ſcire, quia cauſſam, propter quam res eſt, propriam, neceſſariam ſciunt.

Itaque cujus abſolutè ſcientia eſt, id non poteſt aliter habere.

Conſectariũ eſt ex conjugatis: Scientia fit ex cauſſa neceſſaria: Ergo ſcibile neceſſarium eſt. Sed pro (ſcibile) definitio ſcibilis poſita eſt, cujus eſt ſcientia. Hoc veró conſectarium ſic explicatur quarti capitis initio. Quoniam impoſsibile eſt aliter habere, cujus eſt ſcientia abſoluté, neceſſarium erit ſcibile.

An veró ſit etiam alius ſciendi modus, dicemus poſtea.

Judicium ſingulorum enũtiatorum duplex eſſe prẹmonuim⁹, νοητικὴν & διανοητικήν: hoc in primo poſteriorum inſtituitur, illud in ſecundo, ubi de definitione agetur: de qua præceperant Theophraſtus & Alexander, & hunc alterum modum cenſuerant definitionem eſſe, quaſi ſciretur duobus modis, per demonſtrationem & per definitionem: primo libro de demonſtratione, ſecundo de definitione. Quod Ariſtoteles in Philoſophia circa finem majoris ἄλφα confirmat, cúm ait omnem diſciplinam fieri ἢ δι' ἀποδείξεως, ἢ δι' ὁρισμῶν, aut per demonſtrationem, aut per definitiones. Atque per definitionem & diſtributionem accuratior ſcientia conficitur, quám per demonſtrationem, quia ſcientia τῆς οὐσίας, hinc efficitur: per demonſtrationem autem παθῶν καὶ συμβεβηκότων τῶν καθ' αὑτὸ, ut jam dictum eſt, & perſpicietur in his Analyticis, & Ariſtoteles docet, cum ait ſecundo capite minoris ἄλφα in Philoſophia illam eſſentiæ ſcientiam longé præſtantiorem eſſe. At de definitionis diſtributioniſq; ſcientia fuerat anté dicendum, ut analytica methodus jubet: tum quia ſimplicior: definitio enim & diſtributio, propoſitionis tãtúm pars eſt, aut certé propoſitio tantũ una: demonſtratio ſi ſyllogiſmus eſt, multis propoſitionibus efficitur, tum quia generalior eſt, & poteſt ex definitione ſcientia parari ſine demonſtratione, ex demonſtratione ſine definitione non poteſt, ut erit in his Analyticis. Itaq; gręci interpretes λόγος ἅπαν, totum principatum definitionis eſſe concedunt, ut Euſtratius initio ſecundi ſatis verboſé ſcribit. Sed verbo concedũt, nec animadvertũt ex vera methodo fuiſſe priús de definitione prẹcipiendum. Non igitur ſequitur, Scio ex cauſſa propter quam res eſt, quoniã illius eſt cauſſa, nec aliter habere poteſt: ergo ſcio per ſyllogiſticam demonſtrationem: Scientia enim ſic definita, genus eſt demõſtrationis. Obſcuritatis magna cauſſa hinc orta eſt, quód generũ diſtributio omittatur, & ꝙ de generib. poſtremũ primo loco tractẽ: Nam nomine demonſtrationis ſyllogiſticæ, totus liber primus conſumitur: præcipitur ſecũdo de definitione & partitione, ſed ſic ut interpres dicant gratiâ demõſtrationis de his tantúm præcipi. Modus ergo ſcientiæ καὶ ἁπλῶς, generaliter eſt Ariſtoteli per cauſſam propter quã res eſt, propriã, neceſſariam. Specialiter autẽ multiplex per definitionẽ, diſtributionẽ, non per ſyllogiſticam demonſtrationẽ ſolúm. Sophiſticæ autem ſcientiæ διανοητικῶς modi multi ſunt, qa eſt, & per impoſsibile, de quibus á decimo capite hujus & deinceps. Hoc aũt loco vehemẽter errãt interpretes, q generalẽ illã ſcientiæ definitionẽ ad ſolã ſyllogiſticã demonſtrationẽ accommodant, & ſcientiam hîc definitam faciunt, ἐνδυναμένην καὶ ἐξισάζουσαν,

parem

parem & eandem demonſtrationi, tanquam ſcire, quod definitum eſt, & per ſyllogiſticam demonſtrationem cognoſcere ſit idem. Genus erat definitum, nō deſcribuntur plures ſpecies, ſed unica proponitur. Itaque interpretes diligentes & attenti, genus & ſpeciem idem eſſe putaverunt: ut ſi definiretur animal, deinde non diſtribueretur in hominem & beſtiam, ſed homo tantùm proponeretur, videretur ſcilicet his doctoribus animal, quod non eſſet homo. Hoc verò non fuit ἀνέλκειν, & duorū librorum diſciplinam retexere, & quod confuſum eſſet, diſtinguere, ſed analyſeos ignaros ſe demonſtrare. Scimus definitum per definitionem, quia ex cauſſa propter quam res eſt, propria, neceſſaria: tot locis poſtea id erit reſtatum: nec hi tamen magiſtri id aſſumere potuerunt & concludere, Nō quicquid ſcitur ἁπλῶς, per ſyllogiſmum demonſtrativum ſciri, ſed alios præterea & quidem prǽſtantiores ſcientiæ modos eſſe. Tenemus igitur ex hoc loco magnam obſcuritatis (quæ eſt in duobus poſterioribus) partem ortam eſſe, quia ſcientiæ generaliter definitæ non eſt facta ſpecialis diſtributio, & quia variorum modorum per quos ſcitur, διανοητικῶς καὶ ἁπλῶς, poſtremus primo loco traditur, qui tamen poſtremus omnino nullus eſſet.

Dicimus uerò etiam per demonſtrationem ſcire. Demonſtrationem autem, dico ſyllogiſmum ſcientificum: ſcientificum uerò dico, ſecundum quem quis ipſum habeamus, ſcimus.

Poſtpoſitis (ut dixi) definitionis diſtributioniſq; modis, qui tamen præponendi fuerant, demonſtratio definitur, ſyllogiſmus ſcientificus. Repete huc ſcientiæ definitionem, & intelliges ſcientificum ſyllogiſmū eſſe ex cauſſa, propter quam res eſt, propria, neceſſaria, per quem videlicet ſcias, quia ipſum teneas. Locus animadverſionem ſummam requirit. Demonſtratio ſpecies ſyllogiſmi efficitur, cum tamen demonſtratio (quæ hîc fingitur) ſyllogiſmo frequētiſsimé nihil egeat, & abſque ſyllogiſmo compleatur. Unde igitur quæſtionis noſtræ neceſſarium minimeque dubium argumentum ſumetur? Nempe ex Ariſtotelis certiſsimis uerißimiſque principiis, αἰσθήσει, ἐπαγωγῇ, ἱστορίᾳ, ἐμπειρίᾳ: ſenſu, inductione, obſervatione, experientia, de quibus decimoquarto capite hujus & ultimó ſecundi Ariſtoteles ampliſsimé præcepit, quód omnes præceptiones ex inductione ſingularium exemplorum & animadverſione ſint efficiendæ. At hîc univerſales inſtruendarum artium & ſcientiarum præceptiones ponuntur. Ergo ſenſum in exēplis adhibeamus, eaq; inducamus, obſervemus, experiamur: omnes artes intueamur: an ſyllogiſmis proprietates ſuas demōſtrent, animadvertamus. Quid Grammatica? quot in ſuis proprietatib. demonſtrandis perfectos ſyllogiſmos habet? Nullos. Quid Rhetorica? quot in ſuis proprietatibus demonſtrādis ſyllogiſmos perfectos habet? Nullos. Quid Logica? quot in ſuis proprietatibus demonſtrandis ſyllogiſmos habet? In proprietatibus demonſtrandis nullos habet, in altercationibus non demonſtrantibus ullā proprietatem, ſed vanā opinionē aliquam aut confirmantibus aut refellentibus, aliquot habet. Quid Arithmetica? quot in ſuis proprietatib. demonſtrandis ſyllogiſmos habet? Prorſus nullos habet, ſi legitimé doceatur. At Ariſtoteles in his Analyticis poſteriorib. ait Arithmeticā vel Geometrià ſcientiam certiorem & accuratiorem eſſe. In Geometria ſyllogiſmus licet non ariſtoteleæ demōſtrationis frequens eſt, ſed in primis quinq; liberalibus artibus ſyllogiſmū nullū eſſe neceſſe eſt, nec in reliquis artibus admodum. Quid ergo? In his artibus tot res demonſtrātur ſine ſyllogiſmo, & demōſtratio, ſyllogiſmus definitur? An demonſtrationi ſyllogiſmus eſſentialis eſt, & tamen demonſtratio toties à ſyllogiſmo ſeparatur? An in omni ſcientia demonſtratio ſyllogiſmus neceſſarió fuerit, & in tot ſcientiis ſyllogiſmus nō erit? Addas ad hanc ἱστορίαν καὶ ἐμπειρίαν tantam, ſi lubet, Ariſtotelis ipſius non ſolū in aliis operibus, ſed in hiſce poſterioribus exempla, infinitū numerum demonſtrationū ſine ſyllogiſmis invenies. Quamobrem ex quibuſnam Ariſtotelis principiis, ex qua artiū & ſcientiarū inductione & obſervatione, ſyllogiſticæ demonſtrationis definitio collecta eſt? An magnifica illa Ariſtotelis principia probare poteris, & hanc ſyllogiſticā demōſtrationem non improbare? Demōſtratio (inquis) eſt ſyl-

eſt ſyllogiſmus ſcientificus, & ſyllogiſmus hîc eſt tibi demōſtrationis genus. Si unicum exemplum cōtrá proferrem, definitionem vitioſam probarem, quia non eſſet propria, non omni definito conveniret: ſyllogyſmum, demōſtrationis non eſſe genus convincerem, quia nō omni ſpeciei ſemper adeſſet. At quot exemplorum genera, quantaq́ authoritate & fide contra hanc ſyllogiſticam demonſtrationē profero: ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δ' ἀπειρία τύχην· experientia genuit artem, inexperiētia temeritatem, dicit ex Platonico Polo Ariſtoteles in philoſophia libro primo, & in his libris idem duobus capitibus ampliſsimé celebrabit: at ἐμπειρίαν definitionis hujus partem Ariſtoteles non habet. Conſtet igitur demonſtrationem vitiosé per ſyllogiſmum definiri, & ſyllogiſmū demōſtrationis nihil eſſe, demōſtrationemq́ á ſyllogiſmo ſeparari poſſe, & infinitis exemplis revera ſeparari. Conſtet igitur talem demonſtrationis definitionem, commentitium ſomnium eſſe: ex Ariſtotelis principiis, inductione, obſervatione, experientia ſingularium exemplorū deductam non eſſe: denique ariſtotelicam non eſſe, nec ad propoſitam veræ Logicæ artem eſſe referendam. At dixeris fortaſſe, Licet ſyllogiſmo demōſtrationes plurimæ nō cōcludātur, materiā tamen ſyllogyſticæ demonſtrationis habent, & ſyllogiſmo concludi poſſunt. At (inquam) Ariſtotelis principia non jubent ignem, aquam, aërem, terram definiri, quia poſſit horum unum ex altero fieri: non jubent ἀμούσους muſicos, nec ἀλόγους logicos definiri, quia poſsint ex illis hi fieri: hac ratione ſtulti, ſapientes poſſent definiri. Definitiones attribuunt genera & differentias ſuis definitis, quæ non ſolúm potētia, ſed actu inſunt. Nec definitio dicitur definiti propria, quia poſsit aliquando alicui convenire, ſed actu ſemper omni conveniat. Ergo illa ſolutio te nihil adiuvat, ſed qđ accuſo, potius condemnat, & te logicæ artis, de qua judicare vis, ignarum eſſe prædicat, qui rem ſubtiliter & Logicé definiri confirmas per id, non quod eſſentiale & penitus inſitum ſit, & ſeparari ne cogitatione quidem poſsit, ſed qđ aliquādo adeſſe poſsit. Attamen (inqs) ariſtotelica demōſtratio, qualis tādem planiús definietur, ſyllogiſmo cōcludi poteſt: imó veró concludi nullo modo poteſt, idq́ vel Ariſtotelis authoritate & doctrina ex libro ſecundo ſuſcipio, ac ne res turbetur, eó reſervo. Atq́ hoc jam concluſum poſitumq́ eſſe interea meminero, ſyllogiſmum, eſſentiale nihil eſſe demonſtrationis ſcientificæ, qualem nobis Ariſtoteles deſcribet, quæ propriam affectionem de ſubjecto ex ipſius affectionis definitione explicet: vitioſeque demonſtrationem ſyllogiſmo definiri, cúm revera & actu propriarum qualitatum explicatio ſyllogiſmo nunquam fiat: quod cum ſcholaſtici quidā profeſſores animadverterēt, ſyllogiſmi vocabulum hic pro quolibet διανοητικῷ diſcurſu intelligendum dixerūt, non autem pro concluſione ex tribus enuntiatis, quæ nugę uel in his poſteriorib. refellētur, ubi ſyllogiſtica demonſtratio unius figuræ præponitur ſyllogiſticę demonſtrationi alterius. Igitur deinceps προγνώσεων ac προλήψεων, quæ nominantur ἀρχὰς, ἀξιώματα, κοιναὶ ἔννοιαι, κοιναὶ δόξαι, τὰ πρῶτα, ἄμεσα, ἄτομα, ἀδιαίρετα, αὐτόπιστα, ἀναπόδεικτα· principia, dignitates, cōmunes ſententiæ, communes opiniones, prima, immediata, individua, indiviſibilia, per ſe credibilia, indemonſtrabilia: προγνώσεων, inquam, proprietates ex hac ſcientiæ definitione deducūtur, quód ſunt cauſſæ verę, primę, immediatæ, notiores, priores: confuſiús autem ſingula hæc exponuntur, Verum primo loco: primū & immediatum pro eodē, ſecundo: cauſſa tertio, notius & prius pro eodem, quarto loco.

Sic igitur eſt ſcire, ut ſtatuimus, neceſſe eſt etiam demonſtrativam ſcientiam & ex veris eſſe, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & cauſſis concluſionis. Sic enim erunt etiā principia cognata ejus quod demonſtratur. Hæc, inquit, omnia in qua una προγνῶσει erunt, ea certé πρόγνωσις erit principium cognatum & germanum: tanquam diceretur his proprietatum notis legitimum principium deſcribi. Cognatum principium Græcé dicitur οἰκεία ἀρχὴ, & poſtea συγγενὲς, ſyngeneum: propterea nō vertimus vera principia, ſed cognata, ut ἀληθεῖς, verum diſtingueremus, quod aliud eſt.

Syllogiſmus ſiquidē erit et ſine his, demonſtratio veró non erit: non enim facit ſcientiam.

Nec

Nec veró putemus, omnis diſputationis media & argumẽta & propoſitiones tales in omnibus ſyllogiſmis eſſe: ſecús eſt. Quamvis enim diſputatiõis omnis oporteat aliquid eſſe πρῶτον καὶ ἄμεσον, in quo ſiſtatur, ut capite decimoquinto & viceſimoſexto primi, & decimotertio ſecundi dicetur, quod probabile etiã ſit ἄμεσον: attamen illud primum in germana demonſtratione eſt ἁπλῶς primum, & ἄμεσον in reliquis ſyllogiſmis videtur, & apparet tantúm. Ex hoc loco & conſimilibus in Organo locis interpretes nova ſyllogiſmi genera acceperunt, quę Topicorum initio proponuntur, demonſtrativum, topicum, ſophiſticum. At demõſtrativum eſſe, ſicuti topicum aut ſophiſticum propoſitionis circunſtantias, nõ ſyllogiſticæ figuræ veras & eſsẽtiales formas oſtendunt, ut ſecundo Scholarum libro declaratum eſt.

Vera igitur oportet eſſe, quoniam non licet nõ ens ſcire, ut quód diameter eſt ſymmeter.

Probat principiorum qualitates, quę tamen ſumendæ potiús erant, aut exemplis breviter illuſtrãdæ, quâm diſputandæ. Hîc enim ipſe locus ait principia eſſe vera, immediata, &c. Propterea ne id quidem ſibi ſatis probatum & judicatũ oſtendit Ariſtoteles. Sed tamẽ hîc argumentatur ex contrariis:

Si principia non ſunt vera, ſcietur ex iis non veris etiam non verum & quod non eſt:

Secundum falſum:

Primum igitur.

Poterat id probare apertiús ex definitionis tertia parte, Principia ſciẽtiæ ſunt cauſſæ rei neceſſariæ: ergo etiam veræ:

Diameter ſymmetros.] Demonſtratur decimo Euclidis ſexta propoſitione à Cãpano, & ibidem propoſitione ultima demonſtratur à Theone in quadratis diametrum lateri lõgitudine aſymmetrum eſſe: eadem veró propoſitio citatur triceſimo ſecũdo capite primi priorum, & citabitur rurſus penultimo capite hujus, & Philoſophiæ libro primo, inter res admirabiles ponitur, ſi fiat διάμετρος σύμμετρος. Hîc notabis, ut jam monui, exempla operis hujus aut abecedaria eſſe, nihilq́ significantia, aut ex obſcuriſsimis Geometriæ nondum cognitæ locis petita, quę obſcuritatis magna cauſſa fuit: propterea nõ retinemus ejuſmodi exẽpla in Logica.

Ex primis autem indemonſtrabilibus, quia neſcit, qui non habet eorum demonſtrationem. Scire enim (quorum demonſtratio eſt non per accidens) eſt habere demonſtrationem.

Duo pro eodem poſita ſunt, primũ & immediatum: nunc duo rurſus pro uno eodemq́, primum & indemonſtrabile. Probatio hîc ex adjunctis abſurdis ſumitur:

Si principia non immediata ſint, neſcietur ex iis niſi demonſtratis: & res ibit in infinitum:

Secundum abſurdum eſt:

Primum igitur.

Quorum demonſtratio.] Conſydera id nõ addi temeré, ſed alios modos διανοητικῆς ſcientiæ indicari, quia ſcire, eſt ex definitione, ex diſtributione, ſicut ex demonſtratione.

Cauſſaq́; & notiora oportet eſſe & priora: cauſſas quidem, quoniam tunc ſcimus, quãdo cauſſam novimus.

Hæc aperta probatio eſt ex prima definitæ ſcientiæ parte.

Et priora: ſiquidem cauſſæ & antecognita, nõ ſolùm quoniam modo altero intelligimus, ſed etiã quoniam ſcimus quia eſt.

Notiora & priora ꝓ eodẽ dixit priús, & nunc rurſus pro eodem priora & antecognita: γνωριμώτερα, notiora dixit antea, quod nunc dixit προγινωσκόμενα, antẽ cognita: verba duo & ſymbola duo ſũt, res una tamen eſt. Quód veró fuerit, ἄν τινων ὑπάρχοντος θατέρου τὸ εἶναι, πρότερον εἰκότως τῇ φύσει λέγοιτο ἄν· cauſſa quomodolibet alteri ut ſit, prius merito naturâ dici poteſt, ut in Categoriis docetur. Ergo ex adjũctis hîc diſputatur. Eſt cauſſa: ergo naturâ prius. Hic locus indicat ut ſequẽtes, τῇ φύσει, abſolutum eſſe caſum, latineq́ reddendum naturâ, non naturæ.

Priora autem ſunt & notiora dupliciter: Non enim idem eſt prius naturâ, & ad nos prius: neq́; notius naturâ, & nobis notius. Dico veró ad nos quidem priora et notiora, quæ ad ſenſum propiús accedunt: abſoluté autem & priora & notiora, quæ longiús á ſenſu remota ſunt: remotiſsima veró ſunt, quæ maximé ſunt univerſalia: proxima veró, quæ ſunt ſingularia: atq́; hæc inter ſe opponuntur.

Cúm jam docuerit Ariſtoteles, omnẽ ſcientiam διανοητικὴν, ratiocinativam & aliunde deductam, é prioribus & notioribus eſſe, digreſsiunculâ, prioris & notioris duas ſignificatiões exponit, Prius τῇ φύσει καὶ ἁπλῶς, naturâ & abſoluté: ut

genus ſpecie, univerſale ſingulari prius eſt hoc modo: prius deinde πρὸς ἡμᾶς καὶ ἡμῖν, ad nos & nobis, ut ſpecies genere, ſingulare univerſali pri' hoc modo eſt. Prioris autem ſignificationes pauló ſecús in Categoriis diſtinguuntur, χρόνῳ, ἀκολουθίᾳ, τάξει, τιμῇ, αἰτίᾳ, tempore, conſecutione, ordine, honore, cauſſa: ἅμα δὲ χρόνῳ καὶ φύσει, ſimul autẽ tempore & natura. Hi modi declarans apertius τῇ φύσει abſolutum eſſe caſum nam ſic conſecutioni, ordini, cauſſæ dicendum eſſet: λογικώτερον etiã fuerat dicere, prius duobus modis aliud alio dici, tempore & naturâ, quia quicquid αἰτίᾳ prius eſt, eſt etiam prius τῇ φύσει, cúm φύσιν hic nihil aliud ſit quám cauſſa, ut in Categoriis docetur, cúm docetur cauſsâ prius, etiã naturâ prius eſſe. Atqui quod conſecutione prius eſt, etiam prius cauſsà, ut ibidem & hîc docetur, cúm docetur principia generalia, cauſſas eſſe. Et ibidem etiã ordine prius, cauſſâ prius eſt, quia in artibus & diſciplinis generalia præcedũt, ut illic & hîc etiam docetur. Quare duobus tãtúm modis: aliquid prius & ſimul dicitur, tempore & naturá: generalis notio ſpeciali, univerſalis ſingulari prior & notor eſt, item poſterior & ignotior: illud ſimpliciter & naturá, hoc ad nos & tempore, quia tempore prius cognovimus ſpecies, quám genus, & ſingularia, quám univerſalia. Omnis ſiquidem cognitionis humanæ principium, eſt ſenſus & inductio ſingulariũ, unde ſpecies & genera poſtea collecta & comprehenſa ſunt, ut decimoquarto capite hujus, & ultimo ſecũdi præcipietur. Sed hac de re collegit multa etiam alia Talæus noſter ad caput de methodo in lib. 2 dialecticæ, quæ nos in regia cathedra diſſeruimus.

EX primis veró, eſt ex principiis germanis: Idem enim dico primum & principium.

Id dictũ jã eſt, πρῶτον, ἄμεσον, ἀναπόδεικτον, idem eſſe: & quibus illa cõveniunt, οἰκείας ἀρχὰς εἶναι. Periſſologiam Philoponus vidit, ſed excuſat propter interpoſitam Prioris diſtinctionem. Meminerimus igitur principia artiũ eſſe, quæ ſunt in iis prima: ſic primas definitiones & partitiones (de quibus ſecundo Scholarum libro dictum eſt) appellavimus & quia his Organum Logicum careret, ideo principiis carere diximus, & imperfectum eſſe.

PRINCIPIUM *veró, eſt demonſtrationis propoſitio immediata: Immediata autem, qua non eſt alia prior.*

Verſus proximi valdé lubricam explicationem continent, & ſunt vel ab interprete aliquo interpoſiti, vel certè ab authore ipſo valdé negligenter poſiti. Principium, definitur propoſitio immediata. quód principium ſit ἄμεσον, dictũ jam eſt, quia τὸ μέσον, id eſt argumẽtum, non habeat legitimum & apodicticum, quo demonſtretur: & poſtea dicetur capite octavo & nono hujus, principii veritatem ſumi, nõ probari. At quod principium definitur propoſitio immediata, neſcio quomodo id poſſit excuſari. Omne ſyllogiſmi argumẽtum omniſq; propoſitio, appellatur in Analyticis ἀρχή. Dices hic intelligi principiũ demonſtrationis & definiri. Eſto, dicamus tamen quæ interpretes vitia hic viderint. Viderunt definitionem principii nõ ſoli, non omni principio cõvenire. Nam, Hæc veſtis eſt alba, & cæteræ αἰσθητικαὶ, ſenſitivæ ejuſmodi propoſitiones, ſunt immediatæ: & tamen demonſtrationis non ſunt principia, quia omnia demonſtrationis principia, ſunt univerſalia. Hoc vitiũ Themiſtius vidit. Pauló póſt definitio dicetur eſſe principium, propoſitio eſſe negabitur. Quare hæc definitio non convenit omni principio: hoc item Themiſtius admonuit. Tales in legibus Romanis definitiones cúm frequentes eſſent, Jabolenus jureconſultus ſeptimo Epiſtolarum libro legem unam vel ad damnandum, vel excuſandum invenit. Omnis, inquit, definitio in jure civili periculoſa: Parum eſt enim, ut ſubverti non poſſit. Qua lege ſignificatum eſt, in illo jure civili multas regulas vitioſe & parum Logicé definitas: quare non eſſe regulis illis confidendũ. Jureconſulto illo in multis Organi logici definitionibus opus eſſet, qui ſanciret iterum in jure nõ civium ſuorum, ſed horum Logicorum, definitionem periculoſam eſſe, parumq; abeſſe ut ſubverti nõ poſſit: imò nihil abeſſe. Etenim lex illa catholica eſt, Definitio propria ſit: definitio omni, ſoli, ſemper conveniat: Hæc explicatio non convenit ſoli, non omni: Definitio itaq; nõ eſt. Quód veró dicitur propoſitio immediata, qua nulla

nulla ſit prior, Philoponus ſic arripuit, quaſi cauſſa immediata, diceretur generaliſsima: & ob id, ait, primum & ſecundum Geometriæ theorema κυρίως ἀποδέδεικται, propriè demonſtratum eſt: τὰ δὲ ἐφεξῆς, ἀληθῶς μὲν συλλελόγισται, οὐ μὴν ἀποδεικτικῶς· reliqua autem verè quidem ſyllogiſmo concluſa ſunt, ſed non demõſtrativè: Et tales ſyllogiſmi καταχρηστικώτερον demonſtrationes appellantur. Hæc Philoponus ait cap. ſeptimo libri hujus. Quod ſi verum eſt, cogita quid doctoris hujus doctrina nobis profutura ſit, per quam duo tantùm Geometriæ theoremata demonſtrentur. At tam aridam interpretationem nequaquam ſequor, laudabilius aliquid & probabilius maluerim. Itaq; immediatum metior genere proximo, ut problematis immediatum ſit argumẽtum, quo nullũ ſit prius in genere proximo: ut definitio generis etiam ſubalterni, eſt illi generi próxima & immédiata. Ergo prima cauſſa, quæ dicitur hîc; non eſt generaliſsima & ſuprema, ſed ſcibili rei ꝓxima, & qua nulla inter attributum & ſubjectũ ſit prior. Et principiũ, multò meliùs eſſet definitum argumentum ἀναπόδεικτον, ut capite octavo, vel πίστις ἄλογος ἄμεσος, fides aut ratio immediata, quæ medio & argumẽto præterea nõ egeat: quomodo Ariſtoteles principia ſua, ſenſum, experientiã, communem uſum, loquẽdi magiſtrum ſequutus, interdũ in Organo loquitur. Sequuntur alia non multò λογικώτερα.

PROPOSITIO, *eſt enuntiationis altera pars, unum de uno.*

Πρότασις, propoſitio, logicum verbum eſt: ἀπόφανσις aut ἀποφαντικὸς λόγος, enuntiatio aut enuntiativa oratio, προτάσεως eſt ſymbolũ, ut initio prioris analyſeos monuimus. Προτάσεως partes duę ſunt cũ enuntiatione communes, affirmatio & negatio. Propoſitio igitur hîc ut pars enuntiationis per partes enũtiationis definitur, unum de uno affirmans aut negans, intellige.

DIALECTICA *quidem, quæ ſimiliter ſumit utramlibet partem: apodictica autem, quæ definitè alteram ſumit, quoniam vera ſit.*

De hac differẽtia ſæpius jam dictum eſt à nobis, ut ſcholaſtica & commentitia ſit, non ariſtotelica, id eſt, non ab obſervatione naturalis uſus & experientia deducta: & propoſitionis iſta diviſio vitioſa eſt, quia nõ omnis propoſitio, dialectica eſt aut apodictica, ſed quædã eſt ſophiſtica, quædam etiã manifeſtè falſa: tùm ſi de vera tantum propoſitione hic ageretur, attamen tota hæc differẽtia eſſet ridicula in arte, quia ars eadem eſt apodicticæ & dialecticæ propoſitionis.

ENUNTIATIO *autem, contradictionis eſt utravis pars. Cõtradictio verò, oppoſitio, cujus non eſt ſecundùm ſeipſam medium. Pars autem contradictionis, alia quidem aliquid de aliquo, eſt affirmatio: alia verò aliquid ab aliquo; negatio eſt.*

Enuntiatio ſimili Logica definitur per partes, & quidẽ ſui accidentis: contradictio enim, accidens eſt propoſitionis & enuntiationis: ἀντίφασις, contradictio, definitur hîc ſpecialis, vel ꝓpria, quæ ſuis partibus veram & neceſſariam diſjunctionem faciat: ut

Omnis homo eſt philoſophus:
Non omnis homo eſt philoſophus.
Socrates eſt philoſophus:
Socrates non eſt philoſophus.

Quod genꝰ appellatur vulgò in ſcholis oppoſitio contradictoria: tametſi nomen ἀντιφάσεως legitur in libro περὶ ἑρμηνείας decies & octies, in priori analyſi decies & ſepties communiter pro omni oppoſitione, contraria, contradictoria, propria: illic nuſquam pro hac contradictoria oppoſitione: locis tamen octo legitur in priore analyſi pro contradictoria oppoſitiõe, ſicut ἀντιφατικῶς ἀντικείμενον, cõtradictoriè oppoſitum bis legitur in ἑρμηνείᾳ pro ſpeciali oppoſitione, ſed toties ibidem etiam communiter legitur. Quare ſcholæ noſtræ ἀντιφάσεως ſymbolũ ex Ariſtotelis uſu rariore uſurparũt: Sumunt enim cõtradictionem tantùm pro ſpeciali, aut etiam propria propoſitionis oppoſitione: nos contrà frequentiorem & generalẽ uſum ſequimur; differentiiſq; diſtinguimus. Quòd verò dicitur hîc aliquid de aliquo, item aliquid ab aliquo, intellige affirmans & negãs, ut antea. Sed tamẽ Logicam harum definitionum videamus. Quid eſt propoſitio? Eſt pars enuntiationis. Quid eſt enuntiatio? eſt pars contradictionis. At (inquam) enuntiatio meliùs per propoſitionem, & cõtradictio potiùs per enuntiationem, aut etiam propoſitionem definiretur. Quid verò (inquã) eſt animal? homo (dices) aut beſtia. Quid homo?

Socrates aut Plato. At (inquam) genus definis per ſpeciem, & ſecús quàm ex logica methodo præcipis, progrederis à ſpecialibus ad generalia. Tu dicis omnes artes & ſciētias à generalibus & univerſalibus ad ſpecialia & ſingularia progredi, tamen Logicam artem & ſciētiam ſecús informas, & legislator ipſe legem tuam deſpicis. Hoc vitium interpretes viderunt, & erubuerūt. Philoponus etiā periſſologiam notavit, quód hæc dicta jam eſſent in ſuperioribus libris. Et quidam recentiores interpretes, cúm huic morbo remedium non viderent, quamvis omnibus plagis Organi logici, diſtinctionis alicujus pharmacum ſtudio ſe adhibere ſoleant: tamen hîc nihil potuerunt: tantúm dixerunt nihil referre. At, interpretes ſapientes & conſiderati, ſi nihil refert, quomodo progrediantur artes, quorſum igitur tota hæc analyſis nobis eſt propoſita? Nihil enim aliud adhuc ferè docuit Ariſtoteles, quàm artes & diſciplinas à generalibus, à notioribus abſoluté, & naturâ prioribus inſtituendas & docēdas eſſe. Themiſtius ſimplicius egit: *Σκόπει πῶς ἐκ τῶν μερικωτέρων ἐπὶ τὰ καθολικώτερα προῆλθεν.* Conſidera (inquit) quomodo ex magis particularibus ad univerſaliora ꝓgrediatur. hoc eſt, conſidera quomodo magiſter labatur, quomodo leges & decreta ſua non ſequatur. Hæc igit͏ͬ ariſtotelica non ſunt, nec ab Ariſtotele judicata.

EX IMMEDIATO *autē principio ſyllogiſtico poſitionem quidem dico, quod non licet demonſtrare: neq; neceſſe eſt eū habere, qui quidvis diſcet. Quod veró neceſſe eſt habere, eum qui quidvis diſcet, axiôma. Sunt enim nonnulla ejuſmodi; hoc ſiquidem maximé in his ſolemus uſurpare nomen. E' poſitione veró, quæ partem pronuntiati quamlibet aſſumit (ut dico eſſe aliquid, aut non eſſe aliquid) hypotheſis: quæ veró abſq; hoc eſt, definitio. Definitio namq; poſitio eſt: ponit ſiquidem Arithmeticus unitatem, rem individuam eſſe ſecundúm quotum: hypotheſis autem non eſt; nec idem eſt, Quid eſt unitas, & eſſe unitatem.*

Digreſsiūcula adhuc fuit lubrica valdè (ut dixi) & erroris poſtea manifeſti cauſſa: regreſsio nūc eſt ad principium: cujus genera ſtatuuntur, axiôma & poſitio. Poſitio, græcè eſt *θέσις*, quo interdū pro latino utimur: poſitionis ſpecies duæ, hypotheſis & definitio. Primo loco immediatū ſyllogiſticum pro demōſtrativo ponitur, ait Philoponus: tanquam dictum eſſet ex principio demonſtrativo poſitio, medio demonſtrativo, id eſt, primo immediato abſoluté priore, notiore, cauſſa concluſionis demonſtrari non poteſt: non eſt diſcipulo tamē *ἀντέπιςον*, per ſe probabilis & nota, ſed aliquot exemplorum inductione à magiſtro exponenda eſt. Poſitio tamen, appellatur in Topico primo *ὑπόληψις παράδοξος*, opinio incredibilis: & in his libris, theſis dicitur quodvis demonſtrationis principium, ut capite tertio hujus. *Ἐκ δύο δὲ θέσεων πρώτων καὶ ἐλαχίστων οὐ δέχεται εἶναι καὶ συλλογίσασθαι.* Ex duabus veró poſitionibus primis & paucíſsimis accidit ſiquidem & concludere. Et theſis, rurſus ſignificat diſpoſitionem, ut capite decimo hujus, *κατὰ τὴν τῶν μέσων θέσιν.* Hæc homonymia, philoſophiam Ariſtotelis vehementer obſcuravit: homonymia tamen ex commentis & placitis ſcholaſticis, non ariſtotelicis principiis, obſervatione & uſu communi, deducta. Axiôma veró habet utrunq;: nā cúm demonſtrari principiis demonſtrationis nō poteſt, tum per ſe diſcipulo ſine ulla magiſtri & doctoris admonitione clarum & manifeſtum èſt: quales ferè ſunt topicæ inventionis leges, quæ Maximæ dicuntur in ſcholis: ut, Totum majus ſua parte: Pars minor toto: Eidem tertio paria, inter ſe paria. de quibūs jam dixi. Item in aliis artib9, ut, Bis bina ſunt quatuor, Quæ inter ſe cōveniunt, ſunt æqualia, & cætera ejuſmodi, quæ non accipiuntur *παρὰ τεχνίτου καὶ διδασκάλου*, ab artifice & doctore, ſed *ἁπλῶς καὶ τῇ φύσει*, abſoluté & ſua natura diſcenti nota ſunt. Interpretes hîc mihi vidētur *πλατωνίζειν*, cúm dicunt *ἀξιώματα σύμφυτα πᾶσιν ἀνθρώποις*, ingenerata omnib9 hominibus: id enim repugnat Ariſtotelis philoſophiæ, etiā quæ eſt in his Analyticis: Nominatim enim erit decimo quarto capite libri hujus & ultimo ſecundi, Principia omnia oriri à ſenſibus & ſingularibus exēplis, nec eorum *ἕξεις*, habitus: ſed *δυνάμεις*, facultates *συμφύτους*, ingenitas eſſe. Labuntur igitur hîc interpretes, & platonica per ignorantiam pro ariſtotelicis permiſcent. Axioma igitur tametſi non eſt ingeneratum nobis, ſicuti neque coloris ſpecies oculis noſtris ingenerata eſt,

attamen

attamen ſimulatq; perſpicuus offertur color, cernitur, & ſpecies ejus apprehenditur: ſic quanvis axioma nobis ingeneratum non ſit, tamen ſua luce ita relucet animis noſtris, ut protinus animadverſum percipiatur, & per ſe ꝓbetur ac credatur. Poſitionis ſpecies duæ ſequũtur, hypotheſis & definitio, mira differentiâ diſtinctæ. Poſitio (quæ eſt enuntiatio) hypotheſis eſt: poſitio (quæ nõ eſt enuntiatio) definitio eſt. Definitio ſiquidem, poſitio: quód ex conjugatis intelligitur: nam ponit, unde poſitio nomen conjugatũ eſt, & ponit Arithmeticus ſuas definitiones, ut unitatem eſſe aliquid individuum ſecundúm quotum: & quivis artifex hoc modo definitiones ſuas ponit tanquàm veras, nec eas demonſtrat. Atq; aliud eſt definitio, ut individuum ſecundúm quotum: aliud ex definitione & definito enuntiatio, ut, Vnitas eſt individuum ſecundúm quotum: definitio ſiquidem, pars enuntiationis. Hæc differentia eſt hypotheſeos & definitionis ab Ariſtotele poſita, quód illa ſit enuntiatio, hæc non ſit. Hîc interpretes Græci Latiniq; valdè occupati ſunt: repugnantiam in præſenti loco ſummam vident:

Principium eſt propoſitio:
Definitio eſt principium:
Definitio igitur eſt propoſitio.

Hic ſyllogiſmus ex principii definitione concluditur. At nunc definitio dicitur non eſſe propoſitio. Themiſtius hanc inconſtantiam vidit; Philoponus excuſare voluit, quód definitio ſit eadẽ cum definito, nec ideo κατηγορεῖται de definito. E recentioribus quidam hãc ſolutionem ut ingenioſam prædicant, nõ audent tamen ſequi, quia meminerunt in Topicis definitionem, κατηγορούμενον dici, & ex ea cum definito enuntiationẽ fieri. Solutionem itaq; aliam comminiſcuntur: quód attributum de ſubjecto aliás dicatur, aliás in eo ſit, ut hîc Ariſtoteles verbo (eſſe) non (dici) utatur, propter eaq; definitionem non eſſe propoſitionem, in qua attributum inſit in ſubjecto, ſed de ſubjecto dicatur: quod commentum multis in Organo logico interpretum commentis ſimile eſt, vanum & ridiculum. Etenim hoc diſcrimen hypotheſeos & definitionis repetitur ſecundi libri capite tertio, & verbis apertis planè commentum hoc convincitur, ἐν τῷ ὁρισμῷ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου κατηγορεῖται. In definitione (inquit) nihil alterum de altero dicitur. Ergo definitio, Ariſtotelis ſententiâ, propoſitio nõ eſt, in qua dicatur attributũ de ſubjecto, ſed definitio per ſe conſiderata, pars tantùm propoſitionis eſt, nec eſt in ſubjecto, nec dicitur de ſubjecto. Quare locus hic totus valdè captioſus eſt, nec omnino mihi ariſtotelicus. Principium ſyllogiſmi appellatur in prioribus his Analyticis quodvis medium, nõ tantùm propoſitio: & libri hujus capite ſeptimo & octavo appellatur axioma, cùm dicitur, tria eſſe in demonſtratione, ἀξίωμα, συμπέρασμα, γένος ὑποκείμενον. axioma, cõcluſionem, genus ſubjectum: ſic poſtea poſitio appellatur omnis propoſitio. Et Ariſtoteles omne principium tam clarum pauló póſt affirmabit eſſe, ut contrarium quoq; indè pateat, quod theſi convenire non poſſit. Quare tota hæc principiorum diviſio ſcholaſtica eſt, & exemplo atque uſu vel horum librorum refutata: ab Ariſtotele judicata non eſt, ariſtotelicis principiis, obſervationi & experientiæ congrua non eſt. Has ineptias dum conantur interpretes inepti retinere, liberam philoſophiæ perſonam nullam retinẽt, ſed ſe mancipatos opinioni ſervos, & à libertate ariſtoteleæ philoſophiæ alieniſsimos eſſe docẽt. Definitio veró, principium dici verum eſt: & quód Ariſtoteles poſtea dicet capite decimoſeptimo ſecũdi, Πᾶσαι αἱ ἐπιστῆμαι δι' ὁρισμοῦ γίγνονται· Omnes ſcientiæ definitione fiunt, eſt itẽ verum, tanquam definitio per ſe doceat quamplurima, & ſine definitione demõſtratio nihil: imó demõſtratio nil aliud ſit, quàm ex definitiõe probatio: ideoq; diſputavi, Organũ logicum principiis ſuis carere, quia definitionibus ſuis careret, & tam multis locis Analytica priora, principiis Ariſtotelis non conſtare, quæ definitiones ſyllogiſmorũ demonſtrare contenderent. Sed principiorum duo genera dicuntur, axioma & theſis: theſis autem, hypotheſis aut definitio. Ex hoc (opinor) loco, ſcholę noſtrę, principia quædam eſſe artium crediderunt, ſed lõgé aliter, quâm doctrina hæc analytica doceat: Putant enim principia artium initio cumulãda eſſe, ſicut in Geometria vidẽt ὁρισμοὺς, αἰτήματα, ἀξιώματα·

definitiones, poſtulata, dignitates initio operis cumulari, ſed iſtam doctrinã analytica lege à priorib⁹ abſolutè & notioribus diſpoſitam non eſſe non videt. Ex interpretibus recentioribus tñ unus in his Analyticis Nyphus id verè vidit, & res ipſa id oſtendit. Methodus analytica jubet à generalibus, & abſolutè notioribus ad ſpecialia progredi. At totis elementis quanta ſit hyſterologia meditationes mathematicæ plenius loquentur. Sed tamen iſta tam bella principiorum partitio, quæ diutiſsime nobis placuit, diſplicere valdè cœpit, poſteaquã in elementis mathematicis animadverti, quãtæ nugæ hic eſsẽt: Principia enim artium omniũ ſunt definitiones & partitiones, vel inde ſumptæ quidem maximæ quæ vulgo dicũtur: at maximarum partitione nihil omnino opus eſt in arte ulla, nec uſquam extra elemẽta Euclidis iſta principiorum differentia oſtẽditur, & quidem primo tantum libro, reliquis, ubi tam multa principia collocantur, nuſquã ἀξίωμα vel αἴτημα diſtinguũtur. Sed hac de re tertius liber mathematicarum meditationũ plenius loquetur.

QUONIAM *verò oportet tũ credere, tum ſcire rem, quia talẽ habeamus ſyllogiſmum, quem vocamus demonſtrationem: eſt autẽ hic, quia hæc ſunt, ex quibus ſyllogiſmus eſt: neceſſe eſt non ſolùm prænoſſe prima, aut omnia, aut nonnulla, ſed etiam magis. Semper enim propter quod eſt unumquodq;, illud magis eſt: ut propter quod amamus, illud magis charum eſt. Itaq; ſiquidem ſcimus per prima, & credimus, etiam illa & ſcimus, & credimus magis, quia per illa, etiam poſteriora.*

Repetitur principii prima & ſecunda proprietas. Principiũ eſt προγινωσκόμενον, præcognitum: imò etiam γνωριμώτερον, notius: ſecunda priùs probatur ex lege & axiomate cauſſarum.

Propter quod eſt unumquodq;, illud magis eſt:
Propter principium, nota concluſio eſt:
Principium igitur eſt notius.

Aſſumptio præcedit, quòd concluſio ſciatur, quia principia ſciantur. *Scire rem, quia.*] Hic videtur commẽtum interpretum probari, quòd ſcire & per demonſtrationem ſcire, ſit idem: at potes repetere quod jã propoſuit Ariſtoteles. Scire (dixit) quorum eſt demonſtratio, eſt habere demonſtrationem. ita nunc, ſcire rem, intellige cujus eſt demõſtratio. *Aut omnia.*] Propoſitio major & minor, appellantur in Analyticis aliquando principia demõſtrationis: major ipſa ſaltem antè cognita eſt, minor ei comparata ſimul cognoſcitur, ut primo capite dictũ eſt, propterea vide quo modo nunc, aut omnia, aut nonnulla dicat Ariſtoteles, quaſi perveniri ad cõcluſionem poſsit, quin antè ſint omnia principia cognita. *Sẽper enim.*] Propoſitio eſt ſyllogiſmi, ſpeciali exemplo declarata, cõtra quam Philopon⁹ ſic argutatẽ: Ineſt ebrio ebrietas propter vinum: interfecto mors propter gladium: ergo ebrietas vino, mors gladio magis ineſt: ideoq; axioma illud ſic interpretatur Si quid inſit pluribus, & ſecũdo per primum, magis inerit primo: ebrietas autem non in eſt vino, nec mors gladio. *Itaq;.*] Complexio ſyllogiſmi, in qua repetitur argumentum.

NON *poßibile eſt autem credere magis quàm iis, quæ quis ſcit, quæ nõ eſt ſciens meliùs affectus, quàm ſi eſſet ſciens. Accidet autem hoc, niſi quis credens per demonſtrationem prænoverit, magis certè neceſſe eſt credere principiis aut omnibus, aut nonnullis, quàm concluſioni.*

Ex ſecũda ꝓprietate probatur prima.

Si principia non ſunt præcognita, non ſunt notiora:
Sunt autem notiora:
Sunt igitur præcognita.

Oratio autem hic cõfuſa valdè eſt & obſcura: ſic autem eſt intelligenda, Non poſsibile eſt credere magis (principiis, ſupple) quàm iis quæ ſcit, id eſt, quàm concluſionibus (in quibus Ariſtoteles, ſcientiæ verbum propriè uſurpat) non poſsibile eſt, inquã, magis credere principiis, quæ ſciens nõ meliùs eſt affectus, quàm ſi eſſet ſciens (per demonſtrationem, ſupple) id eſt, quàm ſi ſciret concluſionem. Et ſententia deniq; eſt, Nõ poſſunt principia cõcluſionibus eſſe notiora, niſi eorum ſcientia præſtantior ſit & excellentior ſcientia concluſionũ: & tres negationes ſunt in Græco pro una. Itaq; duas omiſimus. *Credens.*] Græcè eſt πιστευόντων, genitivuſq; eſt partitionis, quẽ Alexander ἀντὶ τοῦ, πιστευομένων ἐξέδωκεν, pro (creditorum) expoſuit, ait Philoponus: quod non probat, neq; ego probo. *Magis.*] Propoſitionis ſentẽtia valdè adhuc confuſa fuit,

Si principia non ſunt præcognita, non ſunt notiora:

deinde ſentẽtia aſſumptionis ſequitẽ,

Sed principia notiora ſunt.

Vbi repetitur illud (omnibus aut nõnullis)

nullis) quod verũ & Ariſtotelicũ nõ habeo. Omnia ſiqdẽ demõſtrationis principia, nota debẽt eſſe, antequã ad cõcluſionẽ pervenias. Verius illud & meli⁹ primo capite, licet veró ut quis cognoſcat alia quidẽ, quæ priús cognoverit, aliorum autẽ ſimul cognitionem accipiat.

HABITURUM *veró ſcientiã per demonſtrationẽ, non ſolúm oportet principia magis noſſe, & magis his credere, quám ei quod demonſtratur, ſed neq; aliud ipſi certius eſſe, neq; notius principiorum oppoſitis, ex quibus erit ſyllogiſmus, qui eſt contrariæ deceptionis: ſiquidem oportet ſcientem ſimpliciter immutabilem eſſe.*

Additur ſupra ultimam proprietatẽ, ut principium non ſolúm ſit notius concluſione, ſed ex eo quoque contrarium ipſius principii ſit manifeſtũ. Quæ conditio ſexti Topici capite ſecundo in legibus definitionis ponitur. *Ἔτι εἰ μὴ δῆλος ὁ τοῦ ἐναντίου λόγος ἐκ τοῦ ῥηθέντος, οἱ γὰρ καλῶς ἀποδιδόντες, καὶ τὸν ἐναντίον προσσημαίνουσι.* Tum ſi non manifeſta contrarii definitio ex dicta: ſcité enim aſsignatæ definitiones, ſimul contrarias etiam commonſtrãt. Definitio (inquit) niſi tam clara ſit, ut ejus luce, cõtrarii quoq; definitio pateat, definitio perfecta nõ erit. Idẽ nunc in generalibus & communibus omnis principii legibus præcipitur tam perſpicuum eſſe oportere, ut cõtrarium quoq; ſit inde manifeſtiſsimum: Themiſtius tamen & Philoponus hebes neſcio quid hîc & obtuſum intellexére, quaſi dictũ eſſet, principium non ſolúm concluſione, ſed etiam contrario ſuo clarius eſſe oportere. Quæ comparatio valdé rudis ſit. Nota principia, nota quoq; tandem concluſio: principia tamen concluſione notiora ſunt, ait Ariſtoteles. Quid ergo fuerit hoc ultimum, quod tanquam maximum proponitur? Principia non tantúm prius nota, ſed eſſe notiora: imò veró contrariis ſuis notiora. Quaſi & principia & principiorum contraria nota eſſent, ſed principia ſuis contrariis notiora, at contraria: imó *ἀντιζευγμένα*, oppoſité diviſa omnia ſimul naturâ ſunt, & æqué nota, ut eodem Topico Ariſtoteles ait. Itaq; Ariſtotelem Ariſtotelis fidelem interpretem ſequamur: hos interpretes omittamus. Ex oppoſitis principiorũ, id eſt falſis, fit ſyllogiſmus contrariæ & falſæ deceptionis, de quo dicetur capite 12. hujus & 13. *Immutabilem.*] *ἀμετάπειστον* græcé eſt: quam metaphoram Ariſtoteles ſexti Topici capite ſecundo ut obſcuram reprehendit: & pro ea videtur quarto ibidem capite proprié uſurpare *ἀμετάπειστον*, quaſi diceres, indiſſuabile. Ergo hîc tam magnifica laus perſpicuitatis animadvertẽda eſt, ne putemus cum vanis interpretibus Ariſtotelem de induſtria obſcurum fuiſſe, â quo toties & tam impenſé videmus facilitatem & perſpicuitatem laudari. Principia (ait) non ſolúm ſunt ante concluſionem nota, ſed etiam notiora: imó tam clara ſunt, ut nihil ſit ipſorum contrariis *μηδὲ πιστότερον, μηδὲ γνωριμώτερον*, neq; certius, neq; notius. Itaque virtus in artibus cúm fuerit accuraté definita & demonſtrata, nihil erit de contrariis vitiis præcipiendum: Rectum enim, erit index ſui & obliqui: Principium, ſui lumen erit & contrarii. Quamobrem regula hæc conſideranda eſt, ut intelligas totis Analyticis inſanũ quendam in docendis vitiis laborem ſuſcipi. Centuplo enim plus operę ponitur in quatuor Analyticis ad vitia declarandum, quàm ad virtutes demonſtrandũ. Tricas igitur illas uſum Logicæ impedientes, ex hac analytica & topica lege rejicio, nec in Dialectica retineo.

CAP. III.

ADhuc capita duo ad verbum perſequuti ſumus de ꝓprietatibus principiorum, ut ſint perſpicua verbis, rebus nota, vera, prima, immediata, notiora, priora, cauſſæ deniq; rei ad explicandum propoſitę. Omnia hęc ad propoſitum Logicæ artis artificium refero, propria tamen ſcientificæ declarationis ea non ſunt. Eſt enim (ut jam dixi) verbis eſſe perſpicuum, re notum, verum, primum, immediatum omniũ rationum, omniumq; argumentorum commune. Niſi enim argumentum perſpicuum verúmque & immediatum aut ſit, aut ſaltem videatur, nihil arguet: ut autem cauſſa ſit & abſoluté notius, non ſemper in omnibus argumentis requiritur. Quæſtio ſequitur tertio capite *περὶ τῆς ἀπειρίας τῶν ἀρχῶν*, de infinitate principiorum, quæ deinde quinq; capitibus 15, 16, 17, 18, 19, tractabitur, an ſint eiuſmodi, qualia definita ſunt, aliqua principia, ſitq; omnino demonſtratio ulla: unaq; in ſex illis capitibus, & eadẽ quæſtio eſt, ut Ariſtoteles ipſe decimo quin-

to capite confirmabit. Ἔστι δὲ τοῦτο σκοπεῖν ταυτὸ, καὶ εἰ αἱ ἀποδείξεις εἰς ἄπειρον ἔρχονται, καὶ εἰ ἔστιν ἀπόδειξις ἁπάντων, ἢ πρὸς ἄλληλα περαίνεται. Eſt hoc conſiderare idem, & an demonſtrationes in infinitum abeant, & an eſt demonſtratio omnis rei, an mutuò inter ſe concludãtur, qualis quæſtio erit poſtea 15.16.17.18.19 c. item 3. 4. 5. 6.7.8 c 3 phy. item 5.6.7.8. 9 c 1 de cælo. Idem in phil. 2 & 3 c 2 l, ſed de cæteris dicetur aliás. Nunc ſex horũ capitum ſummas tantúm proponemus, nec ad verbum ſingula diſſeremus: Academiæ noſtræ legem hîc ſequemur, quoniam ſolidæ doctrinæ, & quæ ad uſum referri poſſit, hîc nihil eſt. Tertio igitur capite quæritur an ſit ulla demõſtratio, deq; eo duplex opinio cõtraria diſceptatur, an nullius rei ſit demonſtratio, an omnis rei ſit demonſtratio. Poſtea (quod reliquum erat) quæretur, an alicujus rei ſit demonſtratio. Primùm diſſeritur ex definitione ſcientiæ, & hypothetico ſyllogiſmo cõcludit: quẽ Philoponus genere vidit, ſpecie in litera ipſa diſtiguere nõ potuit.

Si principia ſciri non poſſunt, nulla eſt demonſtratio:

Sed principia ſciri non poſſunt, quia eſſent ſciẽda, & ea rurſus ex aliis principiis ſciẽda, & ea rurſus ex aliis, eoq; modo res ſerperet in immenſum, quod impoſsibile eſt: aut ſi reperiãtur ultima principia, attamẽ neſcientur, qa principiis unde ſciãtur, carebũt.

Nulla igitur demonſtratio eſt.

Hæc in ipſa litera ratiocinatio eſt. Secũda quæſtio eſt, An omnis rei ſit demonſtratio: quæ ex falſa cauſſa, enthymemate concluditur: Κύκλῳ καὶ ἐξ ἀλλήλων, circulo & mutuò omnia demõſtrari poſſunt: Omnis igitur rei demonſtratio eſt. Philoponus hypotheticũ ſyllogiſmum hîc comminiſcitur, qui nullus eſt in litera, ut intelligas quantus in retexendis ſyllogiſmis ſit artifex. Hæc quæſtionis utriuſq; captio eſt. Solvitur deinde prima, per ambiguæ aſſumptionis diſtinctionem, quód ſcientia quædam ſit ἀποδεικτὸν, demonſtrabilis, qua ſciũtur cõcluſiones, & quæ definita priús eſt, διανοητικὴ nempe: quædam veró ἀναπόδεικτος, indemonſtrabilis, νοητικὴ nempe, qua principia per ſe non aliunde ſciuntur, & cujus principium non ſit aliqua alia πρότασις ἄμεσος, propoſitio immediata, ſed ὁ νοῦς intellectus: cujus luminis extrema & ultima principia ſine alia ratione ſic intelliguntur, ut ſenſilia ſenſu ſentiuntur. Secũdæ quæſtionis ſolutio latiús ducitùr per argumenti inficiationem. Circulo quævis res demonſtratur: Ergo omnis rei eſt demonſtratio. Hujus enthymematis Ariſtoteles negat antecedens, & negationem probat tribus argumentis ex ſcientię & demonſtrationis definitione:

Omnis demonſtratio eſt á prioribus:

Non omnis circulus eſt á prioribus:

neq; enim poſſunt eadẽ iiſdẽ abſoluté & priora eſſe & poſteriora, quod eſſet in circulo, cûm mutuó res demõſtrarẽtur:

Non omnis igitur circulus eſt demonſtratio.

Secundum argumẽtum eſt ex adjunctis abſurdis, quia probaretur idem per idem, δέδρακεν τῇ συνήθει συντομίᾳ σύγκεισιν. obſcuritatem uſitata brevitate adhibuit hîc Ariſtoteles (inquit Philopon') quia abecedariis exemplis utitur. Atqui ſola brevitas ſermonis, hanc obſcuritatem nõ efficit, ut ſecũdo Animadverſionum libro latiús expoſui: imó ſermonis brevitas hîc obſcuritatẽ nullã facit, ſed exemplorũ caligo nihil ſignificantium. Dic idẽ ſignificãtibus exemplis, etiã majore ſermonis brevitate, clara reſerit:

Si capax eſt diſciplinæ, homo eſt:

Si homo eſt, capax eſt diſciplinæ:

Circulus eſt, ex quo nimirum concludes idem per idem.

Si homo eſt, homo eſt.

Connexus enim ſyllogiſmus eſt primi modi, cujus in Ariſtotelis litera, aſſumptio præcedebat, quam facilioris intelligentiæ cauſſâ præpoſuimus. Poſtrema ratio ex parte rerũ ſumitur, Nõ demonſtrantur circulo, quæ non cõvertuntur, ſed ſola propria, & in prima tãtúm figura: Nõ igitur omnia circulo demõſtrantur. Qua in diſputatiõe notabis theſim generaliter accipi pro omni propoſitione, contra proximi capitis diviſionem, ἐκ δύο θέσεων, ex duabus theſibus, ut jam citavimus: item Analytica priora appellari, τὰ περὶ συλλογισμοῦ. ut appareat, quod antea notavimus, titulos logicorum librorũ ab interpretibus factos eſſe. Hæc ſumma eſt capitis tertii, qua cõcluditur neque nullius, neque omnis rei demonſtrationem eſſe. Digreſsionem Themiſtius hic intellexit, ἐπανέλθωμεν δὲ ὅθεν ἐξέβημεν· redeamus unde digreſsi ſumus, ait in fine capitis hujus. neq; Philoponus igno-

ignoravi:,ſed hîc quæri dixit, An ſit demonſtratio, cúm priùs tamē dictum eſſet (quid eſt demonſtratio) excuſare voluit ὑστερολογίαν, quaſi priùs an eſt, quàm quid eſt, diſſerendum fuiſſet: excuſare, inquam id voluit exemplo phyſicæ doctrinæ, in qua priùs quid eſt vacuū tractatur: deinde an ſit, quæritur. At hic interpres vitiū vitiò excuſat, & quod exēplo qualicunq; fiat, jure fieri putat. Neque nunc ὑστερολογίαν illam reprehendo, ſed majus arguo, & analytica lege convinco. Artes γένος ὑποκείμενον, genus ſubjectum diſputare non debent, ſed ſumere, dicet Ariſtoteles capite octavo hujus. Nec enim Arithmetica probat eſſe numerum, nec Geometria magnitudinem, nec Aſtrologia aſtra & cœlum, nec Phyſica mundum & elementa, non animalia, non plantas, non cæteras res ſibi ſubjectas eſſe diſputat. Hippocrates & Galenus de valetudine tuenda & reſtituenda, Varro & Cato de agricultura, Vitrùvius de architectura præcipiūt: nemo tamen horum in ſua arte quærit, an ſit valetudo, an ager, an domus, ſed ſumit rem eſſe tanquam manifeſtam omnibus: tum dēfiniendo partiendoq;, genera ſpeciesq;, tū qualitates & proprietatès demonſtrando, artem conſtituit: denique nulla ars ſubjectum ſibi & pròpoſitum genus diſputare debet, ſed προγινωσκόμενον, præcognitum ſumere, imō tanquam principium ponere. Hæc Ariſtótelis eſt doctrina capite octavo huj⁹. Ergo ex hòc ariſtotelico fundamēto aſſumamus: At ἀπόδειξίς ἐστι γένος ὑποκείμενον ἀναλύσεως ὑστέρας. Demonſtratio, eſt ſubjectùm genus analyſeos poſterioris, ut interpretes abundé intelligūt & profitentur: ponendum igitur eſt, demonſtrationem eſſe, nec id dubitandum aut diſputandum. At hujus libri capita ſex integra in hac altercatione cōſumuntur, an ſit demonſtratio. Altercatio vana & poſteriòris analyſeos præceptis & legibus cōtraria: deinde longè aliud eſt ἔλεγχος, refutatio, aliud ἀπόδειξις, demonſtratio, ait Ariſtoteles quarto capite libri tertii Philoſophiæ. At hîc refutatio tantúm eſt, ſcientia rei certæ & conſtantis nulla. Quamobrem nihil hîc ariſtotelicum, & Ariſtotelis principiis conſentaneum, nihil inventionis, nihil diſpoſitionis logicæ proprium invenio, nil quod ad faciendam & conſtruendam artem (quod hîc ſolùm proponitur & quæritur) ſit accommodatum. Tollo igitur hanc altercationem totam, ut minimé ariſtotelicam, nec ad propoſitum logicæ inſtitutionis compendium refero.

CAP. IIII.

QUONIAM *veró impoſsibile eſt aliter habere, cujus eſt ſcientia ſimpliciter, neceſſarium utiq; fuerit, ſcibile ſecūdùm demonſtrativam ſcientiam.* Demonſtrativa veró *ſcientia eſt, quam habemus, quia demonſtrationē habemus.* Ex *neceſſariis igitur ſyllogiſmus eſt demonſtratio.*

Capite quarto definitur ſciētifica materies, & circunſtantiis ſuis explicatur. Primûm veró repetitur illud è ſecūdi capitis initio, Scìbile eſt neceſſarium: unde cōcluditur, ſcibile quoq; demonſtrativum, eſſe neceſſarium. Ex genere argumentum eſt: ſcibile enim, genus eſt, ut dictum eſt: ſpecies veró, ἀποδεικτικὸν, ὁριστικὸν, demonſtrativum, definitivum: & ob id repetitur apodictìcæ ſcientiæ definitio ex initio ſecundi capitis, ut aliæ quoque ſcientiæ ſpecies exprimerentur. *Ex neceſſariis.*] Dictum eſt, propoſitiones demonſtrationis eſſe neceſſarias: dictum eſt concluſionem eſſe neceſſariam, unde nunc concluditur, demōſtrationem ex neceſſariis eſſe.

STATUENDUM *igitur ex quibus et qualibus demonſtrationes ſunt. Primúm* veró *definiamus, quid dicimus de omni, & quid per ſe, et quid univerſale. Ac de omni quidem hoc dico, quod ſit non in aliquo quidem, aliquo verò non: neq; aliquando quidem, aliquando* veró *non: ut ſi de omni homine animal: ſi verum, hunc dicere hominē, verum etiam, animal: & ſi nunc alterum, etiam alterum: ac ſi in omni linea punctum ſimiliter, ſignum* veró *eſt. Etenim reprehenſiones & inſtantias ſic ferimus, tanquam de omni interrogati, aut ſi in aliquo non, aut ſi quando non.*

Capite reliquo tribus ſcholaſticis, aut certé ab Ariſtotele ipſo cōfictis ſignis & notis, diſtribuuntur tres demonſtrationis conditiones, unde materiā demonſtrationis ſyllogiſticæ, qualē quærit Ariſtoteles, nullā prorſus eſſe docebimus. Prima neceſsitatis univerſalis, ſecunda cognationis, tertia ꝓprietatis: ſed earū definitiones valdé exiles & aridæ ſunt, ſicuti quædam jam antea: ut Jaboleno Jureconſulto hîc valde rurſus ſit opus. Prima ſiquidem definitio eſt ex differen

ti ſine

ti ſine redditiõe. De omni dicitur, quod non de aliquo, & aliquando affirmetur: de aliquo autem, & aliquando negetur. Hujus definitionis diſſentaneum eſt intelligendum: quod tamen nõ redditur, id nempe, quod de omni & ſemper dicitur, ut animal de omni homine, & ſemper dicitur: & ſic in linea & omni & ſemper pũctum eſt. Appellat Ariſtoteles capite decimotertio ſecundi, καθόλου, quod hîc κατὰ παντὸς, cúm ait, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ καθόλου καὶ ἐπὶ παντὸς καὶ ἀεί: id enim eſt univerſale, & in omni, & ſemper. *Inſtantias.*] Si propoſitio non de omni, aut nõ ſemper dicatur, protinus negamus apodicticam propoſitionem eſſe. Notabis autem hîc κατὰ παντὸς ſecùs capi, quàm in prioris Analyſeos initio: & hanc ſermonis homonymiam, magnæ in toto Organo obſcuritatis eſſe cauſſam, non ſolam ſermonis brevitatem, quam putant interpretes. Si qua veró regula generalis, ut in grammaticis, anomaliã patiatur, analogia anomaliæ conjuncta κατὰ παντὸς explebit.

PER SE *veró ſunt, quæcunq; ſunt in ratione quid eſt: ut triangulo linea ineſt, & lineæ, punctum: Eſſentia enim ipſorum ex his eſt, & in ratione dicente quid eſt, ineſt.*

Prima nota fuit univerſalis neceſſitatis, ſecunda eſt τῆς συγγενείας, id eſt, cognationis: quæ eſt ἢ ἁπλῶς, ἢ πῇ, aut abſolutè, aut quodammodo. Genus generiſq; differentiæ & ſpecies ſunt ἁπλῶς συγγενῆ, eorum veró proprietates & adjũctæ penitus & inſitæ per ſe qualitates generi generiſq; differẽtiis ac formis ſunt πῇ συγγενῆ, ut ſeptimo capite copioſiùs diſſeretur. Ergo ad hanc utramq; συγγένειαν exprimendam, modi quatuor proponuntur. Primus & ſecundus & quartus ſpectãt ad abſolutam, tertius ad τὴν πῇ. omneſq; hi modi nil aliud nobis inſinuãt, quàm cauſſarum & effectorum, ſubjectorum & ſubjectis adhærentium qualitatum, unde conſtant artes, cognationem, ac præcipué cauſſarum & effectorum. Quicquid enim alicui per ſe ineſt, ejus cauſſa eſt, ut erit viceſimo capite. Ergo cùm ſubjectis attributa, aut attributis ſubjecta per ſe adfuerint, tũ quæ per ſe aderunt, cauſſæ erunt ἁπλῶς ἢ πῇ. ſed ipſos modos videam*. Primus eſt, quando attributum eſt in eſſentia ſubjecti, & in ejus definitione adhibetur. Sic genus & differentia & definitio per ſe dicuntur de ſpecie & definito: ſic linea eſt in definitione trianguli, quod ex tribus rectis lineis definitur: & punctum in definitione lineæ, quæ definitur fluxus puncti. Hic ergo primus modus cõnnet omnes propoſitiones, quibus genus de ſpecie, differentia de ſpecie, definitio de definito dicitur: ὃ καὶ μάλιστα ἐν ταῖς ἀποδείξεσι παραλαμβάνεται· quæ etiam maximé in demõſtrationibus aſſumitur, ait Themiſtius. imó, ut ajo, in omnibus artis & doctrinæ partibus.

A C *quibuſcunq; attributis ſuis ipſa in ratione quid eſt declarante inſunt: ut rectum ineſt lineæ et curvum: item impar & par numero, & primum & compoſitum & æquilaterum, & altera parte longius: & omnibus his inſunt in ratione quid eſt dicente, illic quidem linea, hic veró numerus. Similiter veró & in aliis talia ſingulis ineſſe per ſe dico. Quæ veró neutro modo inſunt, accidẽtia ſunt, ut muſicum aut album, animali.*

Secundus modus per ſe, primo contrarius eſt: per ſe eſt, quod eſt in eſſentia & definitione attributi: qui modus, generis in ſpecies aut differentias diſtributioni convenit, ut primus definitioni: ſic in diviſionis propoſitione, linea recta eſt aut curva: numerus par vel impar, primus vel compoſitus, æquilaterus aut altera parte lõgior: æquilaterum autem numerum Ariſtoteles dicit pro quadrato: ſic, inquam, attributo ſuo ineſt ſubjectũ per ſe, quia partes in his ex toto definiuntur. Recta enim, eſt linea quæ ex æquo punctis ſuis interjacet: curva, contrà. Par, eſt numerus in æqua diviſus: impar, in non æqua diviſus. Primus numerus, quem ſola metitur unitas, ut 5, 7, 11: compoſitus contrà, quem alius etiã metitur, ut ſenarius, quẽ metitur binarius & ternarius: ter bina aut bis terna, ſenarium faciunt. Aequilaterus, ſeu quadratus, qui in ſeipſum ducitur: ut, bis bina, quatuor: ter terna, novẽ, quadratos numeros efficiũt. Altera parte longior, quẽ minor in majorẽ ductus efficit, ut quindecim ex ductu ternarii in quinariũ efficitur. De quadrato & oblongo Ariſtotelẽ falli, 9 e 4 in Geometria noſtra docebimus. Atque hic notabis quod ſæpe jam notavimus, Ariſtotelem exemplis aut abecedariis niſ'que ſignificantibus uti, aut mathematicis & rudi philoſophiæ diſcipulo ignotis, ideo' que obſcurum

ſcurum eſſe: nec ſolam obſcuritatis eſſe cauſſam, βραχυλογίαν, quam putant interpretes. Philoponus in his Alexandrum reprehendit, ut in mathematicis ignarum, quod poſtea rurſus faciet apertiús. Ergo modus hic per ſe cōplectitur propoſitiones ex diviſione generis factas: tametſi cúm diviſio ſit integræ rei in ſua mēbra illa, cauſſæ ſunt totius, ipſumq́ conſtituunt: ut ſi dividas hominem in corpus & animā rationalem. tum enim in propoſitione illa. Homo cōſtat é corpore & anima rationali, attributæ partes, ſunt cauſſæ totius: & ad quartū modum potiùs ea ꝓpoſitio pertinebit, qui tamen cum primis confunditur, ut dicam. Et quæ neutro modo dicuntur, accidentia ſunt, ait magiſter: & recté: abſolutæ ſiquidem, τῆς συγγενείας nihil habēt. Deſcende enim, ſicut methodus analytica juſsit, à prioribus abſoluté & naturâ notioribus, hos duos tātúm modos in recta τῆς συγγενείας linea reperies. Hic veró mihi mirari libuit, curnam Themiſtius & Philoponus, poſtq́ eos interpretes reliqui commenti ſunt, quod huc attulerunt: ſecundo modo per ſe accidentia dici, quorum in definitionibus ſubjecta ponerentur, ut σιμότης ῥινός, ſimitas naſi, & ejuſmodi inſeparabilia accidentia uni & eidem & ſoli, naturæ per ſe adjuncta, ut propria deniq́. At Ariſtotelis verba, ſententiam eam non habent: locus obſcurus erat, & ſyntaxi grammatica involutus, ideo præbuit (opinor) occaſionem hujus commenti. At ſi retexas ſyntaxim grammaticā, ſenſum reperies eum quem propoſui. *Attributis ſuis.*] Græcé eſt συνυπαρχόντων αὐτοῖς, quaſi diceres, inexiſtentium ipſis: ubi Philoponus putat (αὐτοῖς) pro (τινί) ſumptum, ſed fallitur: ſenſusq́ verus eſt nō ſolúm verbis, ſed ſententiæ cōgruus, quem propoſui, & αὐτοῖς legendum, nō αὐτοῖς & verbum συνυπάρχειν, commune eſt ſubjecti atque attributi: ſic ἄρτιον ἀριθμῷ καὶ ἀριθμὸν ἀρτίῳ ὑπάρχειν καὶ συνυπάρχειν dicitur hîc ab Ariſtotele. Poterant veró Græcos interpretes erroris ſui tot exempla commonefacere quæ differentiæ ſunt, non accidentia. Nec verò Ariſtoteles hîc dicit attributum per ſe ineſſe ſubjecto, ſed attributo ſubjectū. Numerus eſt par aut impar, linea recta aut curva. in his, ait, propoſitionibus, numerus ineſt per ſe pari aut impari, linea rectæ aut curvæ: dicit quidē par & impar ineſſe numero, nempe ut attributa: at per ſe numero ineſſe non dicit, ſed illis numerum: tametſi utrumq́ proximo capite dicet, ſed ambigué, nec eadem ratione, ut tum dicam, cum eó pervenero. Nec metuendi occaſio fuit, ne propria rerū accidēria nullo per ſe modo comprehenderentur: Themiſtius enim tertio deinde modo, ut mox dicam, ea ipſa cōprehendit. Quam obrē locus hic, ſicuti ſuperiores alii quidam, probare jam poteſt græcorum interpretum negligētiam, rem præſentem tam negligenter interpretantium. Aliquis interpres primus in obſcuro loco fabulam iſtam commentus eſt: reliqui ſecuti ſunt.

TUM *veró quod nō de ſubjecto dicitur alio ullo, ut ambulare, diverſum cúm ſit, ambulans eſt & album. Eſſentia autē, & quæcunq́ hoc aliquid ſignificant, nec ſunt aliud quiddam, id quod ſunt. Quæ ſané non de ſubjecto, hæc per ſe dico: quæ veró de ſubjecto, accidentia.*

Adhuc primis duob⁹ modis συγγένεια ἁπλῶς expoſita eſt: tertius modus ſequitur, qui complectitur τὰ πάθη καὶ συμβεβηκότα σύστοιχα πῶς καὶ συγγενῆ. affectiones & accidentia cognata quodammodo. Eſt autem hoc modo per ſe, quod non dicitur de ſubjecto alio aliquo, ſed ſubjecto ſuo primo ineſt, οἷον τῇ ἐπιφανείᾳ κεχρῶσθαι, ut ſuperficiei colorari, quemadmodum Themiſtius ait, imó Ariſtoteles docet in prima Philoſophia libri quinti capite decimooctavo, & ſeptimi quarto. Definitio obſcurior eſt in litera, quia ſumit ex diſſentaneo ſine redditione. Tota autem diſſenſio fuerat: Per ſe ineſt, quod non de ſubjecto alio aliquo, ſed de ſuo tantúm dicitur. & exempla, quæ proferuntur in litera, nō ad definitum per ſe, ſed ad ejus diſſentaneum referūtur: Ambulans enim & album de ſubjecto alio aliquo dicūtur. In hoc igitur modo cōprehendūtur τὰ πάθη καὶ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα, quæ poſtea nominantur, quia de ſubjectis ſuis primis, & non de aliis dicuntur, & in iis inſunt, ut in Categoriis Ariſtoteles loqt. Quod enim eſt hic (dici de) illic eſt (eſſe in.) Quare Themiſtio fruſtrà cōmentū illud ſecūdi modi quæſitū eſt de accidētibus, cúm ille ipſe Themiſtius invenerit locū iiſdē accidentib⁹, in quorū definitiōe, ſubjecta adhibeāt definiſ

definitione, inquam, nõ abſoluta ex genere & differentia, ſed tamen quæ cauſſam aliquam ex ſubjecto deducat, unde affectio & paſsio, quæ definiiur, effluxerit. Quartus mod⁹ ab interpretibus notatur in verbis (Eſſentia autem) ut quarto modo *οὐσίαι ἄτομοι*, ſubſtantiæ individuæ, nempe Socrates & Plato, dicantur eſſe per ſe. At mihi locus hic valdé ſuſpectus eſt: illuſtrationem potius aliquam fuiſſe ſuſpicor de ſubſtãtiis illis, quæ per ſe quidem ſunt, non more accidentium ſubjectis adjunctorum & adhęrentium. Atq; in peroratione loci hujus, de ſubſtantiis nulla mentio fit. Quæ nõ dicuntur de ſubjecto (ſupple, ullo alio) per ſe dico, ait Ariſtoteles. Quæ veró dicuntur accidentia, communia videlicet, ut ſexto capite accidens definitur, quod per ſe non inſit. De ſubſtantiis individuis hîc nulla mentio eſt, & de apodicticis propoſitionibus, & earum copia & facultate caput erat inſtitutum, quó ſubſtantiæ individuæ nihil omnino pertinent. Quod interpretes viderunt: & una videtur hæc cauſſa fuiſſe, quæ impelleret eos ad duos poſtremos modos rejiciẽdum; quia tertium illum, quẽ faciebat de ſubſtantiis individuis, nõ probabãt. Quam obrem nullum illic modũ per ſe ſtatuo, ſed facio tertium de accidẽtibus per ſe, qui *τὰ πάθη καὶ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα τὰ τοῖς ὑποκειμένοις αὐτῶν συγγενῆ* complectatur, ut duo primi *τὰ ἁπλῶς συγγενῆ* complectuntur. Quód ſi diligentiús interpretes attendiſſent, commento illo ſecundi modi ad accidentia per ſe retinendum, nil opus fuiſſet: vidiſsẽt enim tertio hoc modo comprehendi accidentia propria, in quorum etiã definitionibus (ut illis placet) ſubjecta poſſent adhiberi.

IAM veró *alio modo, quod propter ſe ineſt unicuiq; per ſe eſt: quod autẽ non propter ſe ineſt, accidens eſt: ut ſi ambulante aliquo fulguravit, accidens eſt: non enim propter ambulationem fulguravit, ſed id accidit, dicimus. Si veró propter ſe, per ſe ineſt: ut ſi quis jugulatus interiit, et propter jugulationem, quia jugulatus eſt: non autem accidit, jugulatum interire.*

Quartus eſt modus negligẽter expoſitus: Per ſe ineſt, quod cauſſa eſt certa, nõ fortuita. Ambulante te fulguravit: ambulatio tua, caſu fortuito ineſt fulguri, nõ ut cauſſa certa. Hic generalis modus eſt, & reliquos complectitur, *ὃ γὰρ καθ' αὑτὸ ὑπάρχει τι, τοῦτο αὐτῷ αἴτιον·* cui enim per ſe ineſt aliquid, hoc ipſi cauſſa eſt, ut capite viceſimo huj⁹ docet. Ergo quod attributum, aut ſubjectum per ſe ineſt, cauſſa etiam eſt: cauſſęq; ſeorſum afferri poſſunt, materia, efficiens, forma, finis: hæq; ſingulæ valent ad demonſtrationem, ut poſtea ſecundo libro dicetur.

Quæ igitur dicuntur in abſoluté ſcibilibus per ſe ſic attributis ſubjici, aut ſubjectis attribui, tum per ſe ſunt, tum ſunt ex neceſsitate.

Quatuor *τῆς συγγενείας* modi definiti ſunt adhuc, duo ad abſolutã *συγγένειαν*, primus, ſecundus: unus ad *τὴν πῶς συγγένειαν*, terti⁹: quartus omnes cõplectitur. Cõcludit igitur Ariſtoteles hoſce *τῆς συγγενείας* modos, quibus ſic vel attributis ſubjecta, vel attributa ſubjectis inſunt: & duobus membris, membra illa quatuor aptiús exprimit: quod turſus bis faciet, cúm dicet, *τὸ καθ' αὑτὸ διχῶς λέγεσθαι*. Attamen ne videatur quaslibet cauſſas his modis definite, ſignificat ſe dicere quæ neceſſarió inſint, ut ſecunda nota *καθ' αὑτὸ* comprehendat primã *κατὰ παντός*. Themiſtius & Philoponus, ac deinceps reliqui, fabulãtur hîc duos modos primos ab Ariſtotele retineri, duos poſtremos abjici: fabulantur, aſo: nec enim Ariſtotelis verba id oſtendunt, ſed omnes modos comprehendunt, in quibus omnib⁹, quod per ſe dicitur, aut *συνυπάρχει τοῖς κατηγορουμένοις*, id eſt, ſubjicitur attributis, ut ſecundo modo: aut *συνυπάρχεται*, id eſt, ſubjectis attribuitur, ut primo, tertio, quarto modis. Animal, eſt homo aut beſtia: animal eſt rationale aut irrationale. deniq; quoties genus in ſpecies aut differentias diſtribuitur, hoc ſecũdo modo ſubjectum per ſe ineſt attributo. Homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt animal rationale. deniq; quoties genus, differentia, definitio de ſubjectis ſuis dicuntur, per ſe primo modo ſuis ſubjectis *συνυπάρχει*. Homo eſt capax diſciplinæ: ſuperficies eſt colorata, & cætera ejuſmodi propria: quoties de ſubjectis ſuis dicuntur, per ſe tertio modo *συνυπάρχεται*. Homo conſtat ex corpore & anima rationali: mũdus á Deo ex nihilo conditus eſt. denique quoties cauſſæ de ſuis effectis dicuntur, per ſe ſuis effectis *ἐνυπάρχει*. In hoc autẽ poſtremo modo Themiſtius ait nõ eſſe neceſsitatem, propterea non eſſe per ſe. At nõ ſi cauſſa

aliqua

aliqua neceſſaria nõ eſt, iccirco nulla eſt neceſſaria. Scientia & demonſtratio, definita jam eſt ex cauſſa concluſio: præcipitur poſtea libro ſecũdo ex omni cauſſa demonſtrari. Ergo cauſſam apodicticam & demõſtrationi accommodatam intelligamus, quæ aliter habere nõ poſſit, ut dictum eſt capite ſecundo. Et hæc cauſſa non erit à demonſtratione aliena, imò ut definitio docuit, maximè apta & conſentanea: nec ad demonſtrativæ propoſitionis qualitatem, ſola nota τὸ καθ' αὑτὸ, ſed κατὰ παντὸς, ſed καθόλου proponitur. Et Ariſtoteles ipſe ſignificavit, ut dixi, in ſecunda nota primam ineſſe. Philoponus ineptior etiã hîc eſt: Ait enim cauſſam conferre potiùs εἰς ὅλου συλλογισμοῦ γένεσιν, ad totius ſyllogiſmi compoſitionem, quod medium ſit quaſi & primi & ſecundi modi: denique omnis abſolutæ demonſtrationis propoſitiones nõ idem faciant, & definitio de definito dicta non complectatur cauſſas definiti. O' interpretem Logicæ artis expertem! Sed hos interpretes mittamus. Quatuor modos Ariſtoteles colligit; nullum rejicit, omneſque ad inſtituendam ſcientiam adhibet: primum, ſecundum, quartũ ad συγγονίαν τῶν ἄκρων, quæ definitione & diviſione (quia ſunt τῶν ἰδίων) explicatur: tertiũ ad τὴν τῶν συγγόνων, quæ eſt demõſtrationis. Hæc enim demõſtrationis materies eſt, ut τὰ πάθη καὶ συμβεβηκότα, τὰ καθ' αὑτὰ cõcludat, ut erit tertio capite ſecundi. Eſt verò perridiculũ, quòd Themiſtius & Philoponus excuſant hîc Ariſtotelem, quaſi vitioſè partiẽtem, quòd quatuor modos partiatur, cũ duos tantùm probet. Plenioris diviſionis gratiâ (aiunt) quatuor modos pro duobus enumeravit. Verum eſt, opinor: lex aliqua de dividendo logica eſt, quæ jubet ornatus cujuſdam amplitudiniſque gratiâ partes plures enumerare, quàm diviſum complectatur. Ita nullum vitiũ fuerit, quod interpretes hi in ſummæ virtutis loco non habeant. At ſervi nimiùm ſeduli dominum ſuũ excuſare deſinant: nihil enim hîc, ut exiſtimant, offendit, nec plures modò proponit, quàm ſequatur: ſed commẽta ſomniaque ſua pro magiſtri ſui decretis jactare deſinãt, ſeque ipſos potiùs accuſent, qui tã & à verbis & à ſententiis doctoris alienas fabulas cõfingant. Erroris occaſio (opinor) interpretibus fuit, cùm Grammaticæ ſyntaxeos confuſio, tum fortaſſe (nec enim citatur hîc ab illis locus ullus) loci cujuſdã repugnantia, ut cùm dicetur, Accidentium quæ per ſe non inſunt, ſcientiam nõ eſſe, quod dicetur capite ſexto. Attamen qa locus aliquis repugnare videbatur, iccirco pervertẽdus alter nõ fuit, quaſi nõ ſint in hoc doctore cõtradictiones aliquando manifeſtæ: ut antè jã fuit de definitione, quæ propoſitio & eſſe & non eſſe dicebatur, & aliæ in his analyticis quædam, de quibus ſuo loco: & tamen accidentia per ſe tertio modo pleniſsimè continebantur.

Nõ enim accidit nõ ineſſe aut abſolutè, aut contraria: ut lineæ rectũ aut curvum, & numero impar aut par. Eſt enim adverſum, aut privatio, aut contradictio in eodem genere ut par: quod nõ eſt impar in numeris quatenus ſequitur. Itaq; ſi neceſſe eſt affirmare aut negare, neceſſe eſt etiam quæ per ſe inſunt, ineſſe. Quòd igitur eſt de omni & per ſe, definitum ſit hoc modo.

Probatur in his (quæ per ſe inſunt) propoſita neceſsitas primùm ex contrario. Non poſſunt nõ ineſſe aut abſolutè, ut primo, tertio, quarto modis, cùm dicitur, Homo eſt animal, Homo eſt capax diſciplinæ, Homo conſtat ex corpore & anima rationali: aut oppoſita & ratione oppoſitionis, ut ſecundo modo cùm dicitur, Linea eſt recta aut curva, Numerus eſt par vel impar. Neceſſe enim eſt oppoſita ſubjecto ineſſe, non abſolutè quidem, ſed neceſſariæ diſjunctionis ratione alterutrum. Confirmatio deinde additur, nõ illius quidem abſolutæ neceſsitatis (quæ ex eo patet, quia partes aliæ ſunt aliis eſſentiales) ſed hujus quæ ad ſecũdum duntaxat modum attinet: cujus ratiocinatio valde eſt involuta. Eſt autem ejuſmodi,

Oppoſitorum immediatorum unum in ſubjecto ineſſe neceſſe eſt:

Secundi modi attributa ſunt ejuſmodi oppoſita:

Unum igitur eorum ineſſe neceſſe eſt.

Hæc (inquã) ſumma confirmationis hujus. Aſſumptiõis ſentẽtia eſt in exemplis diviſæ lineæ, diviſi numeri. *Eſt enim.*] Sententia propoſitionis hîc ſumẽda eſt per has ſpecies. Oppoſitorum enim ſpecies ſunt, adverſa, privantia, contradicentia (pro quibus duobus ultimis, per metonymiam privatio & contradictio

dicuntur)

dicũtor) relata. De relatis hîc nihil. Genus veró intelliges ὑποκείμενον vel ὑποκειμένην φύσιν, ſubjectum aut ſubjectam naturam, & oppoſitionis axioma ſic intelliges:

Oppoſitorum immediatorũ, adverſorũ, privantiũ, contradicentium neceſſe eſt unum ineſſe ſubjecto generi δεκτικῷ, id eſt ſuſceptivo, ut ſcholæ noſtræ loquuntur.

Homo enim ſanus eſt aut æger: cæcus eſt aut videns: eſt aut non eſt: denique oppoſitorum immediatorum (in quæ prorſus aliqua res dividitur) neceſſe eſt unum ſubjecto diviſo ineſſe. At ſic eſt in modo ſecundo, cúm dicimus, Numerus eſt par vel impar, Linea recta eſt aut curva: dividitur enim in has partes numerus & linea. *Itaque ſi*] Sententia complexionis eſt (Quare quæ per ſe inſunt ſecundo modo, etiam neceſſaria ſunt) ſed repetitur pro generali oppoſitionis axiomate, axioma cõtradictionis jam citatum capite primo.

Univerſale autem dico, quod & de omni, & per ſe ineſt, & quatenus ipſum. Manifeſtum igitur, quód quæ univerſalia ſunt, ex neceſſitate rebus inſunt. Per ſe veró, & ſecundúm quod ipſum eſt, idem eſt, ut per ſe lineæ ineſt punctum & rectũ. Etenim quatenus linea eſt: & triangulo quatenus triangulum, duo recti: Etenim per ſe triangulum duobus rectis æquale. Univerſale veró tũc eſt, quando in quolibet & primo demonſtratur: ut duos rectos habere: neque figuræ ineſt univerſaliter. Tametſi licet demonſtrare de figura, quód duos rectos habet, ſed non de omni figura: neque utitur qualibet figura demonſtrans. Quadratum enim, eſt quidem figura, non habet autem duobus rectis pares: iſoſceles veró habet quidem quodlibet, duobus rectis pares: non autem primum, ſed triangulum prius eſt. Quodcunq; igitur primum demonſtratur duos rectos habere, aut quodlibet aliud, huic primo ineſt univerſale: & demonſtratio per ſe, hujus eſt univerſalis: aliorum veró modo quodam, non per ſe: neque iſoſcelis eſt univerſaliter, ſed latiús id patet.

Expoſitis duab. primis notis κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, tertia ſequitor καθόλου. Catholicom veró (utamur enim hoc verbo, quo etiam Quintilianus uſus eſt) catholicum (inquam) definitur, quod κατὰ παντὸς καὶ καθ' αὑτὸ καὶ πρώτῳ ὑπάρχει: quod de omni & per ſe & primo ineſt & quatenus ipſum: per ſe autem & quatenus ipſum pro eodem ponitur: nec per ſe id nunc eſt quod pauló anté, ſed quod omni & primo, id eſt, quod non ſuperius, non inferios, ſed par videlicet & æquale ſit: nec πρῶτον idem hîc eſt, quod antea, id eſt, ἄμεσον & ἀναπόδεικτον. Nam concluſio debet eſſe etiam πρῶτον καθολικόν: nec πρῶτον καθολικὸν hîc aliud eſt, quã ἀντιστρέφον, ut Ariſtoteles ipſe capite decimoſeptimo ſecũdi poſtea neſcio quid aliud agens aperté docet. τοῦτο δὲ λέγω καθόλου, ὃ μὴ ἀντιστρέφει· πρῶτον δὲ καθόλου, ὧν ἕκαστον μὲν μὴ ἀντιστρέφει, ἅπαντα δὲ ἀντιστρέφει, καὶ μὴ παρεκτείνει. Hoc autẽ dico univerſale quod non convertitur: at univerſale primum, cum quo nõ ſingula quidem, ſed univerſa convertuntur, neque ſuperant. Ergo differunt in Ariſtotelis doctrina catholicum & catholicum primum, nec aliud eſt καθολικὸν πρῶτον, quám ἀντιστρέφον, ut καθολικῶς πρῶτον λέγεσθαι καὶ ἀντιστρέφειν idem ſit, & hæc nota, ſit ἀντιστρεφοῦς nota, quodq; omni ſoli, ſemperq; convenit: & καθολικὸν πρῶτον, idem eſt omnino quod Porphyrii ἴδιον κυρίως præcipué proprium, ὅτι καὶ ἀντιστρέφει, quod etiam convertitur, ut Porphyrius ipſe loquitur: niſi tamen quod Porphyrius id attribuit accidente, quod Ariſtoteles in Topicis etiam definitioni tribuit. Ergo πρῶτον καθολικὸν, vel potiús ἀντιστρέφον definitur hîc, quod cõvertitur. Sic in arte methodicè & accuraté inſtituta, ſummorum generum affectiones cum ſummis generibus ſummo loco, mediæ cum mediis medio, infimæ cum infimis infimo καθολικῶς καὶ ἀντιστρέφως exponentur. Sic eſt propoſitio definitionis de definito, partium de partito, proprietatis dè ſubjecto catholica. Ergo definitionum partitionumq; regulæ ſunt catholicæ & antiſtrophæ iſto modo. Ergo demõſtrationis, quæ demonſtrant propriam affectionem de ſubjecto per definitionem (ut Ariſtoteles poſtea præcipiet) propoſitiones iſto modo ſunt catholicæ. *Et rectum*] Dictum priús, lineã recto ineſſe per ſe: nunc etiam contrá dicitur, rectum per ſe ineſſe lineæ. Homonymia verbi hæc notanda eſt. In primo Analytico Ariſtoteles medium ineſſe in toto primo, & poſtremum in toto medio, & (eſſe in) accipit pro ſubjici, quomodo locus hic intelligẽdus eſt. Nec enim ſpecies de genere dicitur abſoluté & per ſe. *Et triangulo*] Vide hãc propoſitionẽ primo capite. Notabis autem hîc metonymiam

miam quandam ſubjecti pro adjuncto: Nec enim triangulũ duobus rectis par eſt, ſed trianguli tres anguli. *Neq; figuræ*] Hic ſcalmus eſt, de quo cap. 2 dictũ eſt, quem Ariſtoteles cum in geometrico littore ambulans inveniſſet, concupivit apodictam navem ædificare. ſed in iſto ſcalmo Ariſtotelem dixi & rurſus dico labi, errare, decipi. Putat enim propriũ eſſe trianguli, & cum triangulo reciprocum, habere tres angulos æquales duobus rectis. Verùm id prius cõvenit duabus rectis in eandem rectam conſiſtentibus non ratione trianguli, ſed quatenus in eandem rectam conſiſtunt. Illic enim per ſe & primo æqualitas illa ineſt, ut patet 13 p 1, & ex hoc principio per alternos in parallelis interſectis angulos ad triangulum deducitur, ut patet 32 p 1. Quare ſcalmus iſte nõ eſt proprius trianguli, quod pluribus etiam in ſcholis mathematicis ad 32 p 1 declarabitur. Atqui tamẽ (ut prædixi) hoc falſo & fallaci exemplo tam magnificè per omnes philoſophiæ partes jactato, philoſophus opinione hominũ maximus, videtur inductus incredibile inſomniũ ſyllogiſticæ demõſtrationis de propria affectione cõcludenda cõcepiſſe, & duobus libris artem mirabilis inertiæ conſtruxiſſe, ut ſatis mirari nequeã talibus deliramẽtis nõ dico fidem, ſed reverentiam neſcio quã à doctis & literatis hominibus præſtari. Sed tamen (ait philoſophus) habere tres duobus rectis ęquales, neq; figuræ univerſaliter ineſt, neq; primum æquicruro, quia figuræ non omni ineſt, cũ æquicruro nõ inſit nõ primũ, cũ triangulo prius inſit: at triangulo ineſt univerſaliter primũ: id eſt ineſt omni & ſoli triangulo. Hæc Ariſtotelis logica eſt in exornãdo & poliendo ſcalmo, ſed captioſa & fallax, qua tot ſeculis non ſolũ ſimplices idiotæ ſed magni philoſophi capti, falſi, deluſi: ſed multo eſt captioſius & fallacius, qđ hic à philoſopho additur: Et demõſtratio per ſe hujus eſt univerſalis, aliorũ verò modo quodã nõ per ſe: tãquã nulla eſſet ſcientia demõſtrativa, niſi talis proprietatis de ſubjecto: Illud enim horribile monſtrũ eſt, de quo initio dixi, cõminiſci artiũ & ſcientiarũ omniũ ideam, cujus exemplũ proferri niſi falſum nullũ poſsit. Nam hoc ipſum triangularis proprietatis exemplũ falſitatis jam cõvictũ eſt, & cætera (quæ deinceps ab Ariſtotele proferentur) ſophiſmate ſimili convincẽtur. Sed de tali univerſali rurſum poſtea.

CAPUT V.

Non eſt autẽ ignorandũ, quòd ſæpe accidit errare, et nõ eſſe quod demõſtratur, univerſale primũ, quatenus videtur demonſtrari univerſale primũ. Decipimur autẽ hac deceptione, quando aut nihil liceat ſumere ſuperius præter ſingulare, aut ſingularia: aut liceat quidẽ, ſed anonymũ ſit in reb. ſpecie differẽtibus, aut ſit velut in parte totũ, in quo demonſtratur. Particularibus enim inerit demõſtratio, & erit de omni: ſed tamen nõ erit hujus primi univerſalis demonſtratio. Dico verò hujus primi, quatenus hujus demõſtrationem, cùm fuerit primi univerſalis.

Καθολικὸν πρῶτον definitũ eſt, vel potiùs ἴδιον ἢ ἀντιστρέφον: hic contrariũ ejus proponitur: quod ſi ſatis eſſet apertè definitum, contrario ejus nil erat opus: eſſet enim ex prima definitione cognitum, ut principii regula docuit, quæ jubet principium & ſui & contrarii lumen eſſe. ſed tamen quo tantùm præceptum pleniùs intelligatur, quia obſcuriùs eſt explicatum, caput hoc interpretemur. Caveamus, inquit Ariſtoteles, ne fallamur hîc, ut pleriq; falluntur, qui ſe καθολικῶς ἢ ἀντιστρέφως exiſtimant docere, id eſt, τὸ καθόλου πρῶτον tenere. Quot igitur modis hîc erratur? certè duobus, ſi ſuperius, ſi inferius aſſumatur: hi ſiquidem τῷ καθολικῷ ἢ ἀντιστρέφῳ contrarii modi ſunt. Sed obſcuriùs Ariſtoteles loquitur, & quod ab interpretib⁹ nõ intelligitur: quia utrùm de ſubjecto genere loquatur, an de attributa affectione, nõ exprimit. Itaque interpretes tres modos erroris hic faciũt, cùm ſit unus, ſed exempla tria. In omnibus enim ſumitur inferius, quia ſingulare duntaxat unum vel alterũ novimus: aut generale quidẽ novimus, ſed quia eſt ἀνώνυμον, & ſine nomine, iccirco ſpecies pro genere ſumimus, aut totũ parti attribuimus: & licet omni parti, attamen catholicum primũ & ἀντιστρέφον nõ attribuimus. Ergo errores hi unius modi ſunt, cùm nempe ſumitur inferius. In qualibet arte & ei ſubjecta natura, eſt aliquid γενικώτατον, ſunt ὑπάλληλα, ſunt ἀδιαίρετα, ut tã ſæpe jam dico. Atq; in affectionibus & proprietatibus item eſt

quiddam γενικώτερον, ſunt ὑπάλληλα, ſunt ἀλλήλων τὰ, ſumma ſummis, media medus, infimis infima, τῷ γένει ὁμογενῆ, τῷ εἴδει ὁμοειδῆ copulandũ eſt: qui hũc ordinẽ pervertit, ut ſuperiora cũ inferioribus, aut inferiora cũ ſuperioribus annectit, non καθολικῶς πρώτως καὶ ἀντιστρέφοντως, ſed σοφιστικῶς, ut mox dicet Ariſtoteles, inſtituit. Sed Ariſtotelis exempla videamus.

Si quis igitur demonſtraverit, quód rectæ non cõcurrant, videatur hujus eſſe demõſtratio, quia in omnibus fit rectis. Non eſt autem: ſiquidem nõ, quód ſic æquales ſint, id fit, ſed quatenus quomodolibet æquales.

Exemplum primum. Aequidiſtantiũ, id eſt parallelarum linearum duo genera ſunt, rectæ aliæ, aliæ obliquę: ſi demõſtras rectas non concurrere, videberis fortaſſe καθολικῶς πρώτως demonſtrare, quia de omnibus rectis æquidiſtãtibus τὸ πάθημα, affectio non concurrendi vera ſit. Secus eſt, ait Ariſtoteles: demonſtras enim generalem affectionẽ de ſpecie: σοφιστικῶς igitur agis, ἢ ταυτὸ πολλάκις λέγεις, & idẽ ſæpius dicis. Erit enim tibi & demonſtratione altera opus in æquidiſtantibus peripheriis. Oportebat generalem affectionem de univerſo genere & quolibet modo æquidiſtantibus, non de ſic æquidiſtantibus, id eſt de tali & ſingulari ſpecie & de rectis demonſtrare: & generalis affectio incõgrué ſpeciei tribuitur, quia generalis affectio ſpeciei non convenit ratione ſpeciei, ſed generis, & ſic extra ordinẽ ſtatuitur. Notabis autem æquales pro (æquidiſtantes) in hoc exemplo dici, quomodo in mechanicis problemate 26 loquitur Ariſtoteles: & notabis præterea velut ἀξίωμα ἀναπόδεικτον problema ſtatui, de non cõcurrentibus parallelis vel æquidiſtãtibus, quod in Euclidis Elemẽtis principium ponitur, ne putemus Geometriã (quam nunc habemus) ariſtotelicis legibus factam eſſe: eſt enim in poſtulatis ultimũ. Et quidem Euclides in eo rectẽ. Et Ariſtotelis exemplum ad ſyllogiſticam demonſtrationem falſum. Exemplum tertii modi facit hîc Philoponus: poteſt etiam eſſe primi, cùm ſingulare unum, aut plura pro toto genere ſubjiciuntur.

Et ſi triangulum non aliud eſſet, quám iſoſceles, æquicrurum videatur eſſe.

Exemplum ſecũdum eſt imperfectũ: intellige veró, Si quis (tres angulos duobus rectiſs habere pares) demõſtraret de æquicruro, quód de triangulis ſolúm noſſet, catholicé non demonſtraret, quia γενικὸν πάθημα ſpeciei tribueret, ut antea. Philoponus exemplum primi modi hîc ſtatuit, & recté: ſed à ſuperiore, diſtinguit genere, non recté: Idem enim eſt & unus erroris modus, & hic Ariſtotelis error de proprietate trianguli continuatur: tam placet inventori ſcalmus.

Et analogum, quod viciſsim, quatenus numeri ſunt, & quatenus lineæ, & quatenus ſolida, & quatenus tempora: quemadmodum demonſtraretur aliquando ſeorſum, cùm certé poſſet de omnibus una demonſtratione monſtrari: ſed quia ſecundùm nominatum aliquid omnia hæc non ſunt unũ, numeri, longitudines, tempora, ſolida, & ſpecie differant inter ſe, ſeorſum fortaſſe capiantur. Nũc veró univerſale monſtratur: Non enim quatenus lineæ, aut quatenus numeri ineſſent, ſed quatenus hoc, quod univerſaliter ſupponunt eſſe. Propterea neque ſi quis monſtraverit ſecundùm unumquodq; triangulum demonſtratione aut una, aut altera, quód duos rectos habet unumquodq;, æquilaterum ſeparatim & varium, & æquicrurum, nondum novit triangulum, quód duobus rectis æquale, niſi ſophiſtico modo. Neq; univerſaliter triangulum, ne ſi nullum quidem præterea alterum ſit triangulum: non enim quatenus ſit triangulũ, novit: neque omne triangulum, niſi ſecundùm numerum: ſecundùm ſpeciẽ veró non univerſam, & ſi nulla eſt, quam non noverit.

Exemplũ eſt tertiũ. Analogiæ quoddam genus eſt unum per ſe, cujus in numeris ſeptimo, & in magnitudinibus quinto libro multæ ſpecies explicantur ab Euclide, una ἐναλλάξ, viciſsim dicitur, ut in numeris 2 ad 4, ſic 3 ad 6: ergo ut 2 ad 3, ſic 4 ad 6. Ejuſmodi analogiam & cæteras ſpecies ſi quis in numeris ſeparatim doceat, ut fecit Euclides, non demonſtrabit, niſi ſophiſticé, ait Ariſtoteles. Quamobrem? quia non quatenus numeri aut quatenus magnitudines habent ejuſmodi analogiam. Ergo Ariſtoteles appellat Euclidis noſtri demonſtrationes ſophiſticas? Certé. Nec enim affectionem generalem demonſtrant in univerſo genere, ut oportuit, ut ὁμογενὲς πάθημα ὁμογενῷ γένει conjungatur, ſed generalem in ſpecie una aut pluribus demõſtrat, & pluribus demonſtrationibus demonſtrat, quód una poterat demonſtrari. Hic igitur Ariſtoteles eandem periſſologiam & tautologiam objicit,

objicit, quam objecerat antea: & hic alter locus damnatæ tautologiæ attenté legatur, & tantum vitium ab Ariſtotele meritò damnatum. Ergo qui generalē affectionem de ſpecie demonſtrat, peccat tāto ſanè in doctrina peccato, quàm ſi in categoria ſubſtantiæ, animalis propriam differentiam αἰσθητικὸν, ſenſu præditum ad hominis latus adjungeres. Veſtierit ſartor gigantis veſte pumilionē, ridiculum fecerit: major eſt enim veſtis, quàm deceat: Contrà, pumilionis veſte gigantem veſtierit, ridiculum quoque fuerit: minor enim eſt veſtis, quàm deceat: ſic in artis & doctrinæ præceptis qui generalem affectionem in ſpecie demonſtraverit, errabit non minùs, quàm ſi ſpecialem affectionem in genere demonſtraverit. At de arte inſtituēda nūc Ariſtoteles præcipit, non de exemplis & rebus in artis uſum cadētibus. Ecquódnam igitur, inquies, genus illud analogicum, & cujus tandem diſciplinæ, ſi nō eſt arithmeticum, ſi nō eſt geometricū? Ariſtoteles non dicit, nos in Dialectica diximus, ut analogiæ & comparationis cujuſvis ſumma & communis omnium artium conſyderatio logica fuerit: & Ariſtoteles in categoria qualitatis, communem dicit eſſe qualitatis cōparationem ſimilium, diſsimilium. Similiū verò rationum collatio, ἀναλογία modò dicitur, ſed ad exemplum. Sophiſtica demonſtratio eſt (inquit Ariſtoteles) quæ de ſpecie demonſtrat generis affectionem, quia ſpeciei, ratione ſpeciei nō convenit, ſed ratione generis. Imò verò (ait) ſi quis per omnes ſpecies demōſtret, ut trianguli affectionem per æquilaterum, æquicrurum, varium: ſophiſticè tamen demonſtrat, non catholicè. Quid ita? Quia non demonſtrat de primo ſubjecto. At, dixeris fortaſſe, nūquid idem eſt de omni ſpecie, ac de toto genere quidpiam demonſtrare? Reipſa fortaſsis idē eſt: doctrinæ autem methodo, imò commodo non idem eſt: demonſtras enim ſæpius quod demōſtrare ſemel ſatis fuerat, & in illam ταυτολογίαν incidis, quam Ariſtoteles in libris de animalibus, imò verò in hoc ipſo capite accuſat & allegat, ne per ſpecies demonſtretur, quod poſsit de univerſo genere demonſtrari. Vitioſum eſt enim, ait, & ſophiſticum de partibus ſeparatim demonſtrare, quod de genere poſsit univerſo demonſtrari. Quid ita? quia poſsit de omnibus μιᾷ ἀποδείξει δειχθῆναι, una demōſtratiōe demonſtrari. Hic iātus locus diligenter eſt animadvertendus, nō ſolùm ut & tautologiā ad Ariſtotele reprehēſam & damnatam cognoſcamus: ſed etiā intelligamus, ſicuti jam monui, Geometriā, quā multis poſt Ariſtotelem annis Euclides quidā, nō ille Megarenſis Platonis condiſcipulus, ſed inferior alius (ut primo mathematicarū ſcholarū oſtendimus) non catholicè, nec propriè deſcriptā eſſe: multosq́ in tota Geometria conſimiles errores eſſe, quoties videlicet ejuſdē rei ſpecies primùm, deinde genera docentur. Imò verò permultos alios, eosq́ graviores. Atq́ hic etiā adnoto exēplū analogiæ ad ſyllogiſticā demonſtrationē falſum eſſe: nequis primo ſcalmo rejecto putet hic aptiorē repertū eſſe tertiū: falſa inquā ſunt tria adhuc ꝓducta teſtimonia de triangulo, de cōcurſu, de analogia, & Ariſtotelis apodicticā conveniunt. *Speciem nō omnem.*] Græcè eſt, εἶδος οὐ πᾶν, & Græci interpretes εἶδος αὐτὸ (γένος) poſitū putant: quaſi diceret Ariſtoteles aliud eſſe de genere univerſo generalem affectionē noſſe, aliud per ſingulas ſpecies. Quod ut verū, laudo, interea q́ τὸ εἶδος αὐτὸ (γένος) annoto, ſicut in Poſterioribus his aliquoties rurſum: quomodo Porphyrius & Ariſtoteles fortaſſe loquuntur, cùm dicunt hominem, ſingulorum hominū ſpeciem, nō quòd eorum ſit pars, ſed communis & generalis forma & ratio.

Quando igitur neſcit quod univerſaliter, & quando ſcit abſolutè? Manifeſtum ſanè quod ſi idē eſt triangulo eſſe & æquilatero, aut unicuiq; aut omnibus: ſi verò non idem, ſed diverſum: eſt autē quatenus triangulum, neſcit.

Quid igitur (quia catholicū non eſt in tot exemplis) quando tandem erit? aut quando cognoſcetur? Manifeſtum ſanè, inquit, quod univerſale erit, ſi fuerit ſubjectū par & idē accidēti quod demonſtratur. Exempla hîc parū congrua ſunt. Si æquilaterū, de quo demonſtretur affectio, triangulo idem eſſet, eſſet ſanè catholicum. Si nō eſſet idem, nō eſſet catholicum, quia non eſſet ἀντιστρέφον affectioni. Ergo Ariſtoteles hîc reſpōdet, licet obſcuritis, catholicum futurum ſi ſit par, & ἀντιστρέφον affectioni non futurum;

turum, ſi non ſit. Sed exemplum de triangulo cõtinuatur, & ſcalmus iteratur.

Utrum veró quatenus triangulum, aut quatenus æquicrurũ, & quãdo ſecundũ hoc eſt primũ, & univerſaliter cujus eſt demonſtratio? Manifeſtum, quód quando ablatis inerit primo, ut æquicruro æneo, triangulo inſunt duo recti? Sed & æneum eſſe, ablato, & æquicrurũ, non autẽ figura, aut termino, ſed non primis. Quo igitur primo? Si ſané triangulo ſecundum hoc eſt, & aliis, & hujus univerſalis eſt demonſtratio.

Eadem quæſtio revocatur, quãdo catholica demõſtratio fuerit, ejús affectionis tres angulos habere, utrúm quãdo æquicruro, an quãdo triangulo inerit? Quando, ait, plura ſunt in eodem: ut in propoſito exemplo, eſſe & æneum, & æquicrurũ, & triangulũ, & duobus rectis tres pares habere, & figurã & terminũ. Si tollere incipias ſuperiora, ut figuram & terminum, tolletur quidẽ affectio: At illa non prima ſunt: nec enim affectio in eſt, quatenus terminus aut figura. Si tollas inferiora, id quo primo ſublato tolletur affectio, ſubjectũ catholicũ erit: Tollatur æneũ, nõ tollitur affectio: tollatur æquicrurũ, non tollitur affectio: at quã primum tolletur triangulũ, tolletur, tres angulos habere duobus rectis pares. Quare triangulũ, eſt affectionis hujus catholicum ſubjectum. Ergo Ariſtoteles exemplo proprietatis triangularis licet falſo, attamẽ exemplo manifeſté in tam obſcura oratione catholicũ ſubjectũ inſinuat eſſe idẽ, quod propriũ, & ἀντίστροφον, quod convertatur: quo poſito, ponitur affectio: quo ſublato, tollit affectio: & viciſſim affectio illa catholica fuerit, quæ ſic cũ ſuo ſubjecto convertetur. Sic ad finẽ capitis quarti univerſaliter primum declaratum eſt. Atq; hujus catholici (quod ita proprium, itaq; ſit ἀντίστροφον) germana demonſtratio fuerit. Verum enimveró pené præterjecrã, quæ nobis hîc interpretes interpretati ſunt. Diceres Themiſtium & Philoponũ hîc aliquo ſydere perculſos, μὴ θαμβείτω δ' ἡμᾶς, ne conturbet veró nos (ait Themiſtius) quód oporteat τὸ καθόλου ἐξισάζειν καὶ ἀντιστρέφειν περὶ ὑποκείμενον, univerſale æquari & converti cum ſubjecto. Generą enim & differentiæ etiam catholicé de ſpecie dicuntur: alioqui demonſtratio tãtúm fuerit definitionis. Philoponus in admirationem eãdem adductus, idem velut exclamat. Addit etiam quód demõſtratio tantúm definitionis & proprii eſſet. Ergo dicit, ἀναγκαιοτάτην καὶ μάλιστα ἀπόδειξιν καὶ τῷ πρώτῳ φιλοσόφῳ πρέπουσαν διαγνωστικώτατον, ταύτην φησὶν εἶναι τὴν καθολικώτατα δεικνῦσαν. Summam & ſingularem demonſtrationem, & primo philoſopho convenientem cõſiderans, hanc ait eſſe maximé catholicé demonſtrantem. Atque hîc interpres demonſtrationis πρῶτα μέτρα in hac æqualitate propoſitionũ ſtatuit, quales nempe nugas de oratore perfecto in rhetoricis ſcholis refutavimus. ἀντίστροφα δ' in ꝑpoſitionibus de genere & differentia, cúm attribuitur ſpeciei ſeparatim, ut Homo eſt animal, Homo eſt mortalis. Hæc, inquam, horũ interpretum eſt admiratio. At, bone deus, unde hoc πανικὸν, unde terror timorq; hominum? At (inquit) demonſtratio tantúm eſſet definitionis aut proprii. Quid, inquam? id'ne vobis eſt novum & abſurdũ, quod magiſter veſter in Analyticis tam ſæpe teſtatur? Demonſtratio omnis eſt per definitionem τῶν πρώτων καὶ συμβεβηκότων τῶν καθ' αὑτά· non eſt τῶν ἰδίων, tam ſæpe dicitur in his Analyticis. Quibus locis profitetur Ariſtoteles (ut initio diſtinxi) cúm tractantur genera, differentiæ, ſpecies, eam totam tractationem eſſe definitionis & diſtributionis: demonſtrationis autem ſyllogiſticæ materia, eſſe qualitatũ per ſe adjunctarũ, ut ampliſſimé patebit capite tertio libri ſecundi. Quare interpretes hi, Ariſtotelis doctrinam neſciunt. Veruntamẽ interpretes non temeré cõmoventur, ſentiunt noſtri illius argumenti plagã, ſyllogiſticæ demõſtrationis de propria affectione nullum in artibus & diſciplinis exemplũ eſſe, plurima in geometricis eſſe, ubi ſpecialia é generalibus & antecedentibus cõcluduntur: imó ſyllogiſticã demonſtrationẽ aliã prorſus nullã eſſe: Itaq; Philoponus imprimis mathematica ſcientia eruditus, meritó tã manifeſta ariſtotelεæ apodicticæ ruina commovetur. Verúm πρῶτα μέτρα perfecti demõſtratoris ideã ſomniãt, cujus effigies nulla ſit, ἀντίστροφα ſophiſticã ariſtotelεæ apodicticæ μεταπαιδαγωγίαν traducunt: quia exempla, quia uſus, quia experimẽta alia erunt, alia artis decreta & documẽta, vanitasq; artis exemplorum veritate refelletur. Interea tamẽ ex iſto philoſophico

furore

furore (qui nobis initio dictus eſt) oracula ariſtotelei vaticinii teneamus, nōtas κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, quibus veras artium præceptiones inſignitas eſſe conveniat: Ac ſi quis leges κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, itē de methodo à natura prioribus dicat eſſe nō totius diſciplinæ, ſed particularium in diſciplina concluſionū: Ecquid (inquā) ſi partes cujuſque diſciplinæ ſingulares ſint κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, ſi à natura prioribus progrediantur (ut Ariſtoteles iſtis patrōis dicere videat) nōnne tota diſciplina etiam κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον erit? nónne à natura prioribus progredietur? Partes omnes tales ſunt, partes omnes ita progrediuntur: Ergo tota talis eſt, tota ita progreditur. Tum verò ſi objiciatur diſciplinarū quarundā ſubjectam materiam nō eſſe neceſſariā, vel eſſe cōjecturalē, ut de grāmaticæ anomaliis, de medicinæ curationibus dici ſolet: Reſpōdimus jā de grāmaticis anomaliis, quæ analogiis conjūctæ κατὰ παντὸς expleant, & quāvis materies illa arbitraria magis ſit quàm abſolutè neceſſaria, attamen duo ferè millia annorū grāmatica & græca & latina κατὰ παντὸς ſequitur: & de cōjecturali inconſtantia Galenus de optima ſecta verè reſpondet, medicinæ eam nō eſſe, cujus legitima præcepta, tā certa ſint, quā vel ipſius geometriæ: ſed inconſtantiam & conjecturam eſſe uſus, qui tàm lubricus, vel geometris totas geometriæ demonſtrationes tenentibus eſſe poſsit: aliud enim eſt ſcire univerſaliter, aliud ἁπλῶς καὶ τῷ ἐνεργεῖν, ut eſt 21 cap. 2 prió. 1 cap. 1 poſt. 1 cap. 1 philoſo. Quid eſt quod Ariſtoteles ſyllogiſtica demōſtratione concludi vult? Dicet pauló pôſt propriā qualitatem de ſuo ſubjecto: & hîc jam ſignificat: Sola enim hæc propoſitio de propriis & primó catholicis relinquitur, cujus cauſſa afferri poſſe videatur: ut quod homo natus ſit ad riſum: At, inquam, quænam cauſſa afferri poterit, quamobrem inſit affectio illa propria ſubjecto ſuo? Per ſe ineſt affectio ꝓpria ſubjecto ſuo, & ei ſubjectū eſſentiale eſt, ut Ariſtoteles ipſe in modis per ſe nos docuit: nec per ſe tantùm ineſt, ſed univerſaliter primo ineſt, per ſe neq; ineſt, & primo, & quatenus ipſum, ergo nulla media vel intercedente cauſſa ineſt: cauſſaq; fruſtra quæritur, quæ nulla eſt. Quid ergó? cùm cognoveris hominem ad riſum natum eſſe, quam cauſſam reperies, quamobrem ad riſum natus ſit? An quia rationalis eſt? id enim reliquum videtur: quod etiam vulgo in ſchólis afferri ſolet. At certé ſi rationale in homine, riſus propria cauſſa quædam eſſet, eadem riſus cauſſa in Deo erit & in angelo, qui ſit etiā imprimis rationalis: imò verò riſus eſt potiùs rationis quædam diſſolutio: tantùm abeſt ut ab ea creetur. Tum verò obſerva in totis his Analyticis, in quibus tā verboſè & prolixè de demonſtratione præcipitur: nullum exemplum demonſtrationis hujus oſtendere Ariſtoteles potuit, ubi cauſſa proponeretur, quamobrem affectio propria omni ſolique ſubjecto ſemper conveniens, in ſubjecto ſuo ineſſet. Ariſtoteles dicit demonſtrationem eſſe explicationem per cauſſam propriam & primā, quamobrem propria affectio in ſubjecto ſit: Ariſtoteles ſui decreti exemplum nullum reperire potuit. At hic idem philoſophus multó meliùs philoſophatur decimo quarto capite hujus, & decimo octauo capite ſecundi, ubi docet omnia artium decreta generalia, ab obſervatione & inductione ſpecialium exemplorum profecta eſſe. Quare adverſus doctorem ex ſua ipſius doctrina concludo, præceptum demonſtrandæ proprietatis de ſubjecto, per cauſſam quāobrem in eo inſit, in philoſophia audiendum non eſſe, quia à nulla inductione vel obſervatione exemplum profectum ſit, quia in qualibet diſciplina ſit inutile futurum. Itaq; omnia deinceps Ariſtotelis exempla conſyderemus, reperiemus nullam prorſus demonſtrationem nobis talem oſtendi, qualē nobis Ariſtoteles definire voluerit.

CAPUT VI.

TRes leges artificioſæ materiæ deinceps diſputantur ampliſsimè, vel potiùs profuſiſsimé. Sextum caput diſceptationem quandam continet notæ κατὰ παντὸς vel potiùs diſputat ſcientiæ & demonſtrationis definitionem ſecundo capite adhibitam, ea ſaltem parte qua dictum eſt, ſcientiam & demonſtrationem ex neceſſariis eſſe: Id

enim problema nunc ponitur, An demonſtratio ſit ex neceſſariis. Quæ diſputatio ſuperioribus legibus parum congruit. Principia artium nõ diſputantur, neq; probantur, ſed ſumuntur. Sic enim πρῶτα, ἄμεσα, ἀναπόδεικτα dicta jam ſunt. At principium & definitio (ut dixi) capite ſecundo fuit, ſcientiam & demõſtrationem eſſe ex cauſſa, propter quam res eſt, propria, neceſſaria: imó propria, immediata, indemonſtrabili: nunc tamen toto capite diſputatur, demonſtrationẽ ex neceſſariis eſſe. Ariſtoteles hic igitur Ariſtotelis legibus non obſequitur, neque ariſtotelicum quicquam interpretatur: ſed tamen rationes ejus ſubducamus: Academiæ pariſienſis lege hîc utamur, non verba, ſed capita & puncta ſingula perpendamus. Demonſtratio (inquit Ariſtoteles) eſt ex neceſſariis: hoc capitis hujus problema eſt, ut dixi. Rationes ſunt ſeptem, partim falſæ, partim propoſitum nihil demonſtrantes. Prima eſt ex conjugatis. Scibile problema eſt neceſſarium: ergo ſcientia eſt ex neceſſariis. Atqui ſecundi capitis initio ἀποδεικτικώτερον fuit illud: Cauſſa ſcientiæ neceſſaria: ergo ſcibile neceſſarium. Hîc ὕστερον πρότερον probatur antecedens ex conſequente, & quidem ἀσυλλογίστως. Poteſt enim (ut dicetur in hoc capite) concluſio neceſſaria, ex non neceſſariis eſſe. Secunda ratio eſt ex adjuncta τῆς συγγενείας nota.

Quæ per ſe ſunt, neceſſaria ſunt:

Nam primi & quarti modi attributa eſſentialia ſunt ſuis ſubjectis: ſecũdi autem & tertii contrà, ſubjecta ſunt attributis ſuis eſſentialia, ut dictum jam eſt.

Propoſitiones demonſtrationis ſunt per ſe:
Neceſſariæ igitur.

Syllogiſmus hic in litera ſolam propoſitionem habet, & propoſitionis explicationem, eamq; ut ex ſyntaxi conjicere licet, mendoſam. Res veró in utraq; ratione ſic obſcura eſt, ut miræ ſint hîc interpretum nugæ. Quidam interpres ſyllogiſmum in duabus rationibus, veluti categoricum accuſaverat, Themiſtius defendit. Accuſatorem pariter & defenſorem Philoponus ignorantiæ coarguit: nec categoricum, ſed hypotheticũ in duabus illis rationibus ſyllogiſmum eſſe dixit: at Philoponus cum rectè ſuperiores illos reprehendit, tum ipſe imprimis eſt reprehẽdendus. Nec enim hypotheticus ſyllogiſmus hic eſt, nec omnino ſyllogiſmus ullus perfectus, ſed duæ rationes enthymematicæ: propoſitio etiam ſecundæ rationis vera non eſt. Cauſſæ enim quædam ſunt non neceſſariæ: quæ tamẽ per ſe ſuis effectis inſunt: Ideoq; Ariſtoteles ipſe nõ ſolúm præcepit, ut demonſtrationis propoſitiones καθ' αὑτὸ, ſed etiã κατὰ παντὸς eſſent. Excuſationes ineptas afferet huc aliquis: vitia probare pro virtutib. in philoſophia non cõvenit. Tertia ratio ex diſſentaneis eſt.

Demonſtratio conſtat ex neceſſariis, aut accidentibus:
Non conſtat ex accidentibus:
Conſtat igitur é neceſſariis.

Hujus diſjuncti ſyllogiſmi propoſitio ſola eſt in litera. Huic rationi proximus eſt locus, qui vanitatem capitis hujus ſubindicat. εἰ δὴ οὕτως λεκτέον, ἢ ἀρχὴν θεμένοις, ὅτι ἡ ἀπόδειξις ἀναγκαῖόν ἐστι· καὶ εἰ ἀποδέδεικται, οὐχ οἷόν τι ἄλλως ἔχειν. Aut igitur ſic dicendum, aut principium ponẽtibus, quód demonſtratio neceſſarium quiddam ſit: & ſi demonſtratum ſit, non poſſibile ſit aliter habere. Aut, inquit, problema illud ſic diſputandum & probandum eſt, aut tanquam principium ſumendum, quód demonſtratio ſit neceſſariorũ: & ſi quid demonſtratum ſit, ex neceſſariis, & quæ aliter eſſe nõ poſſunt, demonſtratũ eſſe. Diſjũctio in Ariſtotelis errorẽ convincit. Principia (dixit antè) ſunt ſumẽda, probãda nõ ſunt. Principiũ, definitioq; fuit, demonſtrationẽ ex cauſſis veris, neceſſariis, immediatis eſſe. Et tamẽ problema ſit velut ἀποδεικτόν.

Aut ſic diſputandum, inquit, aut tanquam principium ſumendum.

Ego veró ex illa Ariſtotelis ſuperiore lege aſſumo,

At tanquam principium ſumendum.

quia revera definitio & principium eſt: & contra Ariſtotelem concludo,

Non igitur toto capite ſextò diſputandum.

Quarta ſequitur ratio ex differẽti, quód ex veris poſſet eſſe ſyllogiſmus non demonſtrativus, ex neceſſariis autem non poſsit. Qđ verũ non eſt, aliudq; eſt κατὰ παντὸς (quę nota eſt univerſalis neceſsitatis) aliud καθ' αὑτὸ & καθόλου, quæ demon

ſtrationis

ſtrationis proprietates reliquas efficiũt. Nec Ariſtoteles demonſtrativas propoſitiones definit, ſi tantùm eſſent κατὰ παντὸς, non autem καθ' αὑτὸ, nõ etiam καθόλου. & in fine capitis hujus, accidens, quod per ſe non eſt, definitur. Dices fortaſſe demonſtrationis nomen nunc ad ὅτι, quia eſt, extendi. Nugas in philoſophia non audio: definita eſt demonſtratio abſoluta, & de ejus proprietatibus adhuc agitur, demonſtratio ὅτι non eſt definita. Quinta ratio eſt ex adjunctis, quòd hoc modo demonſtrationi reſiſtamus, ſi non neceſſarium ſit argumentum. Periſſologia hîc eſt è quarti capitis initio (Etenim reprehenſiones & inſtantias, &c.) Idem enim illic problema, idemq́ hoc problematis medium fuit. Huic loco cõſectarium annexum eſt de rhetoribus & ſophiſtis, qui vero aut veriſimili contenti ſunt: quos errare Ariſtoteles ait: Rectè quidem, ſi doctores illi de hac ſcientiæ demonſtratione loquerentur, non autem de forenſi & civili perſuaſione in judicio, deliberatione, demonſtratione rerum ſingularium & fortuitarum. Hîc argumentum fuit aliquod ſophiſtæ cujuſdam, quòd ſcire, ſcientiam ſit habere: argumentum (inquam) aliquod ad probãdum, demonſtrari & ſciri ex veris, aut certè probabilibus: ſed certê mutilatum eſt, & imperfectum: & ſi ad veram demonſtrationis probationem adhiberetur, argumentũ falſum. Nec enim principium eſt, quod probabile ſit, ſed quod in ſubjecto genere primum, verum, germanum. Ratio ſexta ſequitur ex abſurdis adjunctis,

Si demonſtratur ex non neceſſariis, concluſio neſcietur, cùm nempe cauſſa neſciatur:
Secundum abſurdum eſt, eſſe demonſtrationem, & concluſionem neſciri:
Primum igitur.

Propoſitio ſola eſt, & ejus illuſtratio. Itaque res eſt obſcurior, ut in ſeptima ratione proxima, quòd res eadem modò ſciretur, modò ex talibus adjũctis neſciretur: quia argumentum & medium nõ neceſſarium corrumpi, id eſt, mutari poſſit, & ſciatur ex hypotheſi, abſolutè neſciatur. Et abecedaria exempla & nihil ſignificãtia ſuam obſcuritatem hîc obtinent. Poſtrema ratio eſt ex differentia ſyllogiſmi, qui poſsit ex non neceſſariis neceſſarium, & non veris verum concludere: ex neceſſariis autem & veris non niſi neceſſarium & verum. Tãdem problema concluditur, demonſtrationem ex neceſſariis eſſe, nõ eſſe accidentium, niſi per ſe adjunctorum: quia accidentia, quæ non per ſe ſunt, neceſſaria non ſint: demonſtratio autem ſit neceſſariorum: proptereáque demonſtrationem accidentium non eſſe. At, inquam, propoſitio falſa videri poſsit, accidensq́ aliquod eſſe neceſſarium, quod non ſit per ſe, ut Ignis eſt calidus, Nix eſt alba, Glacies eſt frigida. Poſtremum eſt, ex accidentibus concludi neceſſariò, non quidem rei neceſsitate, ſed antecedentis conceſsi conditione. Hæc ſexti capitis diſputatio eſt, certé inutilis & aliena, quia principium demonſtrare vult, & quidem rebus partim falſis, partim propoſitum non demonſtrantibus. Itaque ex hoc capite nil omnino fructus ad propoſitum inſtitutionis dialecticæ compendium refero, ariſtotelicum hîc nihil invenio.

CAPUT VII.

Quoniam veró ex neceſsitate inſunt circa unumquodque genus, quæcunque per ſe inſunt, & quatenus unumquodque, manifeſtum, quóniam de iis quæ per ſe ſunt, ſcientificæ demonſtrationes & ex talibus ſunt.

Trium propoſitarum notarum duæ ſunt diſputatæ, tertia quinto capite, prima ſexto: ſecunda καθ' αὑτὸ ſeptimo capite deinceps nomine ſyngenias diſputatur: Imò diſputatio hæc tribus feré proximis capitibus ſola continuatur. Quæ quoniam legis in Analyticis pulcherrimæ, & ad regendos non ſingularũ tantùm demonſtrationum, ſed integrarum artium fines imprimis neceſſariæ, explicationem continent, ad verbum tractare conſtitui. Hoc igitur capite ſeptimo diſſeretur, omnia quæ ſunt in arte aliqua, uno genere comprehendi ἁπλῶς, ἤ πῃ, aut abſolutè, aut quodãmodo: Abſolutè ſunt in eodem genere, quæcunq; ſunt inter ſe proxima, genus, differẽtia, ſpecies: quodammodo etiam propriæ affectiones, ac per ſe adjunctæ qualitates. Sic animal & rationale & homo, ſyngenea abſolutè ſunt: facultas autem diſcendi, numerandi, ridendi, etiã homini ſyngeneæ quodãmodo. Omnia igitũ

quæ

quæ ſunt in arte, ſunt ſyngenea: heterogeneum nihil, niſi forté ὑπάλληλον, ſubalternum. Poteſt enim de ſuperiore & generali diſciplina in inferiorem & ſpecialem ratio aliqua deduci, ut mox dicetur: atque ita abſoluta ſyngenia artis unius minor eſt, quám tota categoria: unáque categoria multarum artium abſolutas ſyngenias complecti poteſt, ut οὐσίας eſſentiæ categoria, ſyngenias theologiæ phyſicæque univerſæ: quãtitatis categoria, ſyngenias Arithmeticæ & Geometriæ: neque ſpero huc eſſe rediturum objectionem illã, quod Ariſtoteles præcipiat tantum de homogenia partium ſingularis cuiuſque demõſtrationis: nam ſi Ariſtoteles putavit omnes univerſalis ſcientiæ demonſtrationes particulares eſſe homogeneas, putavit etiam totas & univerſales ſcientias, ut in geometria putaviſſet ἓν γένος eſſe principiorum: ὑποκείμενον δὲ ἀποδεικτικὴν omnium propoſitionum Quare cum de homogenia totius artificioſæ & ſcientificæ materiæ interpretor Ariſtotelis iſta dogmata, ariſtoteleã veritatem ſequor. Quæſtio igitur prima eſt, Quæ per ſe ſunt, eſſe circa idem genus, id eſt, ſyngenea eſſe & familiaria ac germana: Sic enim οἰκεῖαι ἀρχαὶ prius dictæ ſunt. Probatio hujus eſt.

Partes demonſtrationis ſunt homogeneæ:
Quæ per ſe ſunt partes, ſunt demõſtrationis:
Quæ igitur per ſe ſunt, homogenea ſunt.

Themiſtius & Philoponus periſſologiã licet, ut dixi, ab Ariſtotele reprehenſam, tamẽ hîc vidẽt & fatent̃, quód καθ' αὑτὸ, quod prius fuerat, & nũc τὸ συγγενὲς idem ſit: ſed tamen ſenſum valdè pervertunt: Literã enim Ariſtotelis ſic interpunctam legunt. Quoniam ex neceſsitate ſunt: hîc inciſum faciunt: deinde, circa unumquodque genus quæcũque per ſe ſunt: voluntque Ariſtoteli placuiſſe, τὰ καθ' αὑτὰ ὑπάρχοντα ἑκάστῳ γένει, ταῦτα ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν· quæ per ſe unicuique generi inſunt, hæc ex neceſsitate ineſſe. Hæc enim Philoponi verba ſunt: tanquã rurſus Ariſtoteles probare velit neceſsitatẽ, non autem συγγένειαν. At ipſa præſentis loci litera hos interpretes negligẽtiæ ſummæ coarguit, multoque magis univerſi capitis progreſsio coarguet.

Accidentia ſiquidem non neceſſaria ſunt. Itaque non neceſſe eſt concluſionem ſcire propter quid eſt, neque ſi ſemper ſit: non autem per ſe, ut per ſigna ſyllogiſmi. Quod enim per ſe ſit, non per ſe ſciet, neque propter quid. Propter quid autem ſcire, eſt per cauſſam ſcire.

Cõſectarium ſatis abrupté de proximi capitis fine repetitum, quód accidentium non ſit demonſtratio. Ratio tamẽ é præſenti quæſtione eſt, ſed cõfuſa valdè. Summa rei eſt.

Accidentia non demonſtrantur, neque ſciuntur.

Quia neceſſaria nõ ſunt, aut certè nõ per ſe, nec homogenea. Sic accidens appellatur nunc quicquid eſt heterogeneum: & feré ſic in his Analyticis, tametſi lubricé valdé Ariſtoteles hoc verbo uſus eſt. *Per ſigna.*] Tales ſyllogiſmos vocat poſtea ὅτι quia eſt, id eſt, ἐκ τῶν ἐμφαινομένων καὶ αἰτιατῶν, ex mediatis & effectis: & á Philopono ἀπόδειξις τεκμηριώδης demõſtratio conjecturalis dicitur.

Per ſe igitur oportet etiam medium tertio, & primum medio ineſſe.

Redit ad inſtitutam συγγένειαν, & per demonſtrationis partes explicat.

Non igitur licet ex alio genere digredientem demonſtrare, ut Geometricum Arithmetica demonſtratione. Tria enim ſunt in demonſtrationibus: unum quidem, demonſtrata concluſio: hæc veró eſt, quæ generi alicui per ſe ineſt: alterum veró, axiomata: axiomata autem ſunt ex quibus: tertium, genus ſubjectum, cujus affectiones et per ſe accidentia declarat demonſtratio.

Conſectarium eſt ἐκ τῆς ἑτερογενείας: conjuncté veró & συγγένεια & ἑτερογένεια deinceps explicantur. Demonſtratio non eſt τῶν ἑτερογενῶν. Duæ regulæ categoriis prępoſitæ ſunt, quæ rem eandem feré continent, ὅταν ἕτερον, &c. Quando alterum de altero, ut de ſubjecto dicitur, quæ de dicto affirmantur, eadem & de ſubjecto dicentur. Item, τῶν ἑτερογενῶν, &c. Heterogeneorum & non ſubalternorum diverſæ ſpecie etiam differentiæ ſunt. Prima regula definitur abſoluta συγγένεια, ſecũda definitur ἑτερογένεια abſoluta: ſed abſoluté heterogeneorũ, quædam ſunt quodammodo ſyngenea, ut proprietates rerum quæ per ſe inſunt. Sed tamen heterogeneorum, quæ per ſe nõ inſunt, nulla eſt demonſtratio. Repetitur hîc ſuperior illa in demonſtrationis partibus ſyngenia, appellaturque per ſynecdochẽ ex toto pars, major terminus, concluſio, quia de ſubjecto minore concludat̃: medius appellat̃ axioma. Ubi notabis

alteram

alteram ſynecdochem, qua ſignificatur ex ſpecie genus. Axioma enim proprié Ariſtoteli eſt principii ſpecies illa per ſe credibilis: hîc omne medium apodicti= cum & principium ſignificat. Minor veró terminus, appellatur ſubjectum genus, cujus affectio & per ſe accidens ſit terminus major, & illa quæ dicta eſt concluſio. Notabis autem poſtremo loco propriam demonſtrationis materiam *τὰ πάθη καὶ τὰ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα*, quæ ſecundi libri capite tertio planiús exponetur, ſicuti jã principio propoſuimus, ut definitio & diviſio ſint *τῶν ἰδίων*: demõſtratio, *παθημάτων καὶ τῶν καθ' αὑτὰ συμβεβηκότων*: ut intelligas quales Ariſtotelis interpretes habeamus. Eandem veró demonſtrationis partitionem de genere ſubjecto, axiomate, affectione Ariſtoteles repetit ſecundo capite minoris *ἄλφα* in philoſophia.

Ex quibus igitur demonſtratio eſt, accidit eadem eſſe. Quorum veró genus diverſum eſt, ut Arithmeticæ & Geometriæ, non poteſt arithmetica demonſtratio magnitudinum accidẽtibus convenire, niſi magnitudines, numeri ſint. Id veró quomodo accidat in quibuſdam, poſtea dicetur.

Continuatur *συγγενείας*, ſimúlque *ἑτερογενείας* diſceptatio. Partes demonſtrationis ſunt eædem, genere, ſupple; id eſt ſyngeneæ: heterogeneorum autem demonſtratio non eſt una. Hîc oratio mutilata eſt: antea dixit Geometricum Arithmetica demonſtratione non uti: & idem feré repetitur, quód Arithmetica demonſtratio non conveniat accidentibus magnitudinum, niſi forté magnitudines, numeri ſint, ut cubus eſt corpus, & cubus eſt numerus: ſic in numeris & magnitudinibus quadratum dicitur & circulus: & numeri permulti nominibus appellantur figurarum, & naturæ quadam ſimilitudine numeri, figuras imitantur, quod nos plenius 9 e 4 in Geometria declaravimus. *Ex quibus eſt demonſtratio*] Græci rurſus turbant, & intelligunt axiomata, inducti homonymia, quia hoc genere ſermonis pauló antê definita ſunt axiomata, & eadẽ abſoluté intelligunt: ut, Eidẽ tertio paria, inter ſe paria ſunt: axioma eſt idẽ Arithmeticæ & Geometriæ, dicũt. At id poſtea tractabitur, & homogeneorum oppoſitio in præſenti loco poterat græcos interpretes admonere, eadẽ genere dici ſyngeneâ, & eadem dici proſyngenea.

Id veró quomodo] Hunc locum interpretes referunt ad ſuum commẽtum, quomodo axiomata communia ſunt, ut in ſcientiis ſubalternis. Verba ipſa oſtendunt Ariſtotelem promittere ſe dicturũ, quomodo numeri poſsint eſſe magnitudines: quod tamen nuſquam comperió in poſterioribus Analyticis: Commentum tamen illud interpretum nullo modo placet. Quorúm genus diverſum eſt (ait Ariſtoteles) ut Arithmeticæ & Geometriæ, eorum demonſtrationes ex aliis in alias nón aſſumuntur, ut Arithmetica demonſtratio non convenit accidentibus magnitudinum, niſi magnitudines, numeri ſint. Id veró quomodo accidat in quibuſdam, poſteá dicetur. Hæc Ariſtotelis oratio eſt: ubi (Id) nihil poteſt niſi proximo loco dictũ referre. Hæc igitur ſyntaxis perpendatur. Equidem quæſtionem hanc de numeris quadratis & cubis & ſimilibus diu multumq́; animo ſuſpenſam habui: ac tandem deprehendi nominum tantum eſſe metaphoram, ut ſicut numerus ẽ duobus numeris æqualibus dicitũ quadratus, é tribus dicitur cubus, ſic quadrata ſuperficies, quæ fit ex duabus lineis æqualibus in ſeſe ductis, & corpus cubicum, quod é tribus. Itaque Ariſtoteles appellat magnitudines numeros, id eſt numerabiles, explicabiles numeros, rationales denique: rectéque probat hîc Ariſtotelés Arithmeticas explicationes in Geometria, ubi magnitudines numeri ſunt. atque hoc genere pleraque in geometricis executi & interpretati ſumus. & hãc Ariſtotelis vocem hîc præcipué adnoto.

Arithmetica autem demonſtratio ſemper habet genus circa quod demonſtratio, & aliæ ſimiliter.

Id eſt, Arithmetica demonſtratio ſemper in numeris & genere ſibi ſubjecto verſatur, & aliæ ſimiliter artes & ſcientiæ non extra fines ſuos egrediuntur.

Itaq; aut abſoluté neceſſe eſt eſſe genus idẽ, aut quodãmodo, ſi demõſtratio digrediatur. Secús veró, quod impoßibile ſit, planũ eſt: Ex eodẽ enim genere neceſſe eſt extrema & media eſſe. Si enim nõ per ſe, accidẽtia erunt. Itaq; Geometria nõ poteſt demõſtrare, quód contrariorũ una ſcientia ſit: ſed neq; quód duo cubi, cubus: neq; altera ſcientia q͞d eſt alterius, niſi in his quæ ſic habent inter ſe, ut

alterum

alterum ſubjiciatur alteri, ut Optica Geometriæ, & Harmonica Arithmeticæ: Neq; ſi quid ineſt lineis, nõ quatenus lineæ ſunt, & quatenus ex principiis propriis: Ut pulcherrima linearum recta: aut, an contraria rotundæ. Non enim quatenus proprium genus ipſarum eſt, ſed quatenus commune quiddam.

Hic locus eſt, quem tam ſæpe citavimus, propterea diligenter animadvertendus. Rerum arte & ſcientia comprehenſarum genus idem eſt abſolutè, ut ſunt ex unaquaq; categoria, genera, differentiæ, ſpecies proximè inter ſe cõjunctę: vel quodãmodo, ut ſubjecta, & proprietates per ſe ſubjectis adjunctæ. Hæc Ariſtotelis ſententia & doctrina eſt. Themiſtius & Philoponus idem genus abſolutè dicunt in eadem ſcientia: idem genus quodammodo ajunt eſſe in diverſis ſcientiis ſubalternis: & genus idẽ dicunt eſſe, non categoriæ alicujus, ut in uno genere animalium, homines pecudesq;, ſed genus ſciẽtiæ, ut genus Grammaticæ, Arithmeticæ, Geometriæ: & ſyngenea ſint, quæcunq; ſunt in eadem arte. Quod mihi nõ placet: nihil enim iſta nota definiret. Confuderis enim in una arte quamlibet multa aliena: ſyngenea tamen dices ad hanc regulam. At hæc regula iccirco traditur, ut aliena diſtinguamus, & Ariſtoteles hîc idem dicit quod antea. Itaque & extrema & media ex eodem genere eſſe dicit. Quare cùm in demõſtratione ait majus extremum, eſſe καθ' ἃ καὶ καθ' αὑτὸ συμβεβηκός: minus eſſe ſubjectũ genus, mediũ verò eſſe alterius definitionẽ, ut dicit poſtea, rectè dicit has partes aut abſolutè ſyngeneas eſſe, ut definitio & definitũ, aut quodãmodo, ut ſubjectũ, & ejus affectio propria. Et nunc præcipit de abſoluta demõſtratione: in qua tamen ait partes aut abſolutè, aut quodammodo homogeneas eſſe. Quo ſignificat apertè in demonſtrationibus abſolutis aliquam tamen eſſe partem non abſolutè reliquis ſyngeneam. At pauló póſt in hoc eodem capite docebit, cùm ſciẽtiæ inferioris argumentum & medium ducitur à ſuperiore, demonſtrationem ejuſmodi non ἁπλῶς, ſed πῇ eſſe: & pauló póſt item dicetur, ſubalterna non eſſe ἐν τῇ αὐτῇ συγγενείᾳ, in eadẽ cognatione, ſed heterogenea. Nec ab Ariſtotelis litera ſenſus alienus quærendus eſt, cùm qui ſignificatur verbis, tam ſit accommodatus. Qui genera, differẽtias, ſpecies unius categoriæ inter ſe proxima ſequitur, abſolutè ſyngenea ſequitur: qui proprietates exquirit, à Categoria una in aliam digreditur: ſed ita tamen, ut annexas potiùs, quàm externas qualitates affectetur: & ſyngeneis (ut antea) opponit accidentia, quæ videlicet heterogenea planè ſunt, nec ullo modo per ſe, vel ſyngenea ſunt. *Itaq; Geometriæ*] Accidentium prorſus heterogeneorum exempla ſunt. An contrariorum ſit una ſcientia, Dialectica differit, nõ Geometria, cujus ſubjecto generi, id eſt magnitudini, id neque ἁπλῶς, neque πῇ ſyngeneum eſt. Quæſtionem de duobus cubis uno, Apollo Græciæ attulit: qui conſultus à Delphis de ſedanda peſtilentia, reſpondit ut ſibi altare cubica figura duplicaretur. Delphi igitur prioris altaris cubo cubum alterum addiderunt, & ex cubo priſma oblongum, diverſi generis figuram, imprudẽtes effecerunt. Itaque cum peſtis non ceſſaret, & Apollo mandato ſuo nõ ſatisfactum diceret, ad Platonem ventum eſt, qui neglectæ Geometriæ nomine dixit à Deo Græcos accuſari: duplicari verò cubum poſſe, ſi duarum rectarum duæ mediæ proportionales invenirentur. Itaque diſcipulis ſuis id problema diſquirendum propoſuit: quorum ſcripta (inquit Philoponus) amiſſa ſunt. Ergo duobus cubis unũ cubum Delphi non effecerunt: quemadmodum autem duplicandus ſit cubus, vide apud Eutocium in 2 Archimedis de ſphæra, ubi duodecim ſunt opiniões veterum bac de re, quarũ prima eſt Platonis: ut non omnia hac de re veterum ſcripta perierint, ſicut Philoponus putat. Vide in geometria noſtra hanc cubi duplicationem 4 e 26 l. Eſt verò in Academia pariſienſi, tantaq; diſcentiũ multitudine dolẽdum, tam nobilis diſciplinæ ſtudia ſic jacere, ut non modó Geometriæ uſus nullus in tot philoſophorum ſcholis exerceatur, ſed ne ars quidẽ ipſa tota diſcatur. Multum enim eſt & magnum, ſi quis philoſophiæ magiſter aliquot Euclidis libros prælegerit: tanquã guſtaſſe aliquid ejus artis ſit ſatis, non tota cognoſcẽda ſit, imó nõ totius fructus & uſus quærendus & tractãdus ſit: Et hîc Geometras ariſtoteleos eſſe valde cupio, ut ſe putent Geometriam

ἁπλῶς

ἁπλῶς ἐπίστασθαι, cúm non ſolúm generalia præcepta utcunq; intellexerint: ſed multó magis cúm in exemplis ſingularibus quamplurimis exercuerint: Apollinéq; aliquo rurſus eſſet opus ad hominum noſtrorum ignaviam caſtigandũ. Sed ad literã redeamus. Duplicatio cubi (inquit Ariſtoteles) ad Geometriam non attinet, quæ de lineis tantúm & planis tum dicebatur: ſed ad Stereometriã, quæ tum quærebatur, inventa nondum erat: & duplicandi cubi quæſtio, multo ante Platonem erat exorta é ſepulcro Glauci in Creta, ut Erathoſtenes apud Eutocium indicat. Itaque non ſimul, ut exorta eſt, ita eſt inventa. *Neq; altera.*] Repete (poteſt demonſtrare.) Conſydera hoc loco ſcientias ſubalternas, ſyngeneas proponi, neq; tamen hîc dici quomodo magnitudines, numeri ſint, ut Græcorum interpretum commẽtum agnoſcas. Geometria conſyderat *ἐξ ἀφαιρέσεως αὐτὰς γραμμὰς, αὐτὰς γωνίας* ex abſtractione per ſe lineas, per ſe angulos: Optica veró cõſiderat oculis & aſpectui ſubjectas lineas ſubjectosq; angulos: ſic Arithmetica per ſe numeros conſyderat: Harmonica veró & Muſica cõſyderat in ſonis. Vide locum eundem ſecundi phyſici capite ſecundo. Optica veró, Harmonica, in Græco exemplari ſunt plurali numero *ὀπτικὰ, ἁρμονικὰ*, pro *ὀπτικὴ, ἁρμονικὴ*, ut Ariſtoteles ipſe loquetur poſtea. *Pulcherrima.*] Quæſtio quædam in ſcholis tum fuit de pulchritudine linearum, an recta pulchrior eſſet curvâ, ſicut á Phyſicis diſſeritur: & ſecu[illegible] de Natura Deorũ apud Ciceronem [illegible] rum prẹſtantia, quód mũdi [illegible] rma pulcherrima ſit, quia omnes [illegible] figuras complexa continet, quia nil aſperitatis habet, nil offenſionis, nil inciſum angulis, nil anfractibus, nil eminens, nil lacunoſum: qđ é Timæo Platonis Cicero ſumpſit. At pulchritudinis judiciũ Geometriæ non eſt (inquit Ariſtoteles) neque an rectæ lineæ curva ſit oppoſita: Nullũ enim eſt in Geometria principiũ, nulla definitio, nulla regula, quæ de eo problemate ſtatuat. Sed communis eſt diſciplinæ, omnes quæſtiones ſuis legibus decernentis, ut Dialectica eſt. *Rotundæ.*] Græcé eſt *περιφερείᾳ*. Vide nunquid *περιφερῆ* legendum ſit, ut adjectivum opponatur adjectivo: quomodo videtur Themiſtius legiſſe, quod ſecuti ſumus. Ergó omnes hæ quæſtiones, An contrariorũ ſit eadẽ diſciplina, quomodo duplicandus cubus, quę pulcherrima linea, an recta curvæ cõtraria, Geometriæ nõ ſunt, quia ſunt heterogenearũ, non homogenearum rerũ: ſunt Dialecticæ, ſuperioris & altioris diſciplinæ. Interea veró é duobus proximis locis notabis, in rationalibus figuris geometriã arithmeticæ ſubalternã eſſe, tumq; arithmeticas demonſtrationes figurans numeris convenire, & nos in geometria tali demonſtrandi genere uſi ſumus, quoties figurati numeri ſeu plani ſeu ſolidi occurrerũt: imó veró conſtet omnes conſequentes artes arithmeticæ ſubalternas eſſe, ubi quid numeris demonſtrabile doceant.

Manifeſtum veró etiã, ſi ſint propoſitiones catholicæ, ex quibus eſt ſyllogiſmus, quód neceſſe ſit etiã concluſionẽ perpetuã eſſe talis demonſtrationis: atq;, ut omnino dicã, demonſtrationis. Non eſt igitur demonſtratio caducorum, nec ſcientia abſoluté, ſed ſic ut eſt per accidẽs, quoniã non eſt ipſius catholici, ſed ejus quod eſt aliquando & quodammodo. Cum veró fuerit talis demõſtratio, neceſſe eſt alterã propoſitionem non catholicã eſſe, & caducam. Caducã quidem, quoniã etiam cõcluſio: non catholicam veró, quoniã partim quidem erunt, partim non erunt, in quibus eſt. Itaq; nõ licet concludere catholicé, ſed quia nunc.

Toto adhuc capite *συγγένεια καὶ ἑτερογένεια* tractata eſt: digreſsio ſequit̃, quæ rurſus major erit capite viceſimo quarto, qua repetuntur notæ *κατὰ παντὸς καὶ καθόλου*. Unde ſtatuitur, demonſtrationis concluſionem æternorum eſſe, & nõ caducorum: quód ſi caduca ſit, alteram propoſitionem, majorem aut minorẽ, eſſe quoque caducam, quia concluſio propoſitionum alteri ſimilis eſt, ut antea patuit. *Et caducam.*] Græcé ſic, *καὶ φθαρτήν* ſenſus evidentia major erit, ſi vertas (ſed caducam.)

Similiter ſe res habet in definitionibus: Definitio ſiquidem eſt aut principium demonſtrationis aut demõſtratio theſi differens, aut cõcluſio quædam demonſtrationis.

Conſectario ſignificat (quod anteà monuimus) expoſitas ſcientificę materiæ notas communes eſſe definitionis. Nam ſi ex rei cauſsis perfecta eſt definitio, & ſola ſine definito, principium eſt demõſtrationis, ut capite ſecundo dictũ eſt, definitionẽ eſſe principiũ, nõ eſſe tamen

men propoſitionem. Nam cùm demonſtratur (ut Ariſtoteli placet) accidēs de ſubjecto, termini tres ſunt, accidens, accidentis definitio, & ſubjectum: tum definitio per ſe cōſyderata eſt, Ariſtoteli medium demonſtrationis & principium. Si verò fuerit eadem perfecta definitio ad ſuum definitum relata, demonſtratio quædam eſt ſui definiti theſi tantùm differens ab illa (quæ dicitur) triū terminorum demonſtratione, quia definitio iiſdē cauſsis, eodemq́ medio utitur, ad explicandum quæſtionem quid eſt, quo utitur demonſtratio ad explicandum quæſtionem propter quid eſt, ut Ariſtoteles putat: utrobique enim definitio eſt. Sed cùm quæritur quid eſt, ſimplex quæſtio eſt, & duo termini, definitio & definitum: cùm quæritur propter quid huic ſubjecto illuc accidens ineſt, & accidentis definitio affertur, termini tres ſunt: inventio quæſtionis utriuſq́, id eſt, medium & argumentum, unū eſt: & ut quæſtiōes quid eſt, & propter quid eſt, una eſt quæſtio, differuntq́ ſolùm, quòd altera ſimplex, altera compoſita, ut ſecundi Analytici initio Ariſtoteles docebit: ſic earum quæſtionum explicationes, una explicatio eſt, tantumq́ differunt, quòd illa ſimplex, hæc compoſita. Diſcrimen igitur teneatur. Definitio autē ſi ſit imperfecta, ut deſcriptio quædam, demonſtrari Logicè ſaltem & concludi poteſt definitione perfectiore, ut Ariſtoteles dicet ſeptimo capite ſecundi. Ergo ſic definitio ſit principium demonſtrationis: ſic definitio ſit demonſtratio, non quidem ſyllogiſmi forma, nec ut cauſſa quamobrem inſit proprietas, ſed ut explicatio quæſtiōis quid eſt: ſic definitio ſit denique demonſtrationis concluſio. Valdeq́ eſt hoc loco Philoponi commentum deridendū, quòd definitio fiat interdum ex materia, ſitq́ concluſio demonſtrationis: interdū ex forma, & ſit principium: interdum ex utraque, præponat tamen materiam, & ſic differat à demonſtratione theſi, quia demonſtratio ex forma concludat materiam, ideoq́ præponat formā in antecedēte videlicet, quam poſtponat definitio. At diligens iſte & induſtrius Philoponus, an neſciebat in omni definitione rerum materiatarum & formatarum, materiam formamq́ comprehendi? Animal rationale, materiam formamq́ hominis comprehēdit. Animal enim, ſubſtantiam corpoream indicat, quæ materia eſt hominis: itemq́ vitam & ſenſum, quæ cum ratione conjuncta, totam hominis formam faciant? Imò verò idē prorſus eſt in omni definitione: definitione (inquam) perfecta ex genere & differentia, quia Logicam materiam formamq́ comprehendit: & Ariſtoteles veriſsimè docet viceſimo capite hujus, univerſalia, cauſſas eſſe ſingularium. Quare vehemēter hîc errat, nec ex Ariſtotele commentum illud ſuum deducere potuit, qui docebit ſecundò poſteriorum, ex omni genere cauſſæ demōſtrari: nec materiam à principiis demonſtrationis removet: nec Ariſtoteles in definitione vel generis vel ſpeciei uſquā docuit definitiones modò ex forma, modò ex materia, modò ex utraq́ fieri. Quamobrem commētum hoc tollatur, teneamusq́ definitiones ſcientiarum & artium (de quibus nunc Ariſtoteles philoſophatur) æternorum eſſe & perpetuorum, id eſt [illegible], & neceſſariorum eſſe: ſyllogiſmumq́ Ariſtotelis eſſe meminerimus,

Demonſtratio eſt perpetuorum.

Definitio, demonſtrationis pars eſt, aut demonſtratio ipſa quædam.

Definitio igitur eſt perpetuorum.

Meminerimus etiam ſcientificæ definitionis & demonſtrationis eſſe cōmune, ut utraque ſit neceſſaria, homogenea, catholica. Sic in Philoſophia libro ſexto docetur d[illegible]nes & demōſtrationes eſſe æ[illegible]piniones caducorum. Met[illegible]s definitionis in demonſtratio[illegible]c deridēda eſt, definitionis in logica intentione topicum nobile imprimis eſt, ad omnes artes maximè neceſſarium: Demonſtratio ſyllogiſtica propriæ affectionis delirum ſomnium eſt & chimericum ſine uſu ſine exemplo, ſine fructu. [illegible] tamen quia Ariſtotelis hoc inventum eſt, definitio in ſyllogiſticam demonſtrationem transformatur, ut ſit demōſtrationis vel principiū, vel demōſtratio theſi differēs, vel cōcluſio quædā demonſtrationis, qua metamorphoſi nihil adhuc diſtortius fuit.

Frequenter autem evenientium demonſtrationes & ſcientiæ, ut Lunæ eclipſis, planum eſt quòd quatenus quidem tales ſunt, ſemper ſunt: quatenus

verò

veró non ſemper, ex parte ſunt, quemadmodum eclipſis, & ſimiliter alia.

Prolepſis eſt quædam, quôd accretiones, defectiões, curſus, recurſus, affectionesq; aſtrorum reliquæ demõſtrantur, non tamen perpetuæ ſunt, ſed temporibus intermiſſæ. Huic igitur objectioni diſtinctione occurritur, quód ſit quædã perpetuitas cõtinua, quædam intervallis diſcreta: quæ tamen cõſtans ſit in ſuo genere & rata, qualis eſt in eclipſi ſolis & lunæ, in cõjunctionibus & diſjunctionibus ſtellarum. Quare demonſtrationes aſtrologicæ non attendunt intermiſſionem, aut hanc vel illam affectionem, ſed notatam certis temporibus conſtantiam, & univerſam perpetuitatem.

Quoniam veró manifeſtum eſt, quód unumquodq; demonſtrare non licet, niſi ex uniuſcujuſque principiis, ſi demõſtratum ſit quatenus illud, non eſt ſcire hoc, ſi ex veris & indemonſtrabilibus demonſtratum ſit & immediatis. Eſt enim ſic demonſtrare, quemadmodum Bryſo quadraturã. Secundum commune enim demonſtrant tales rationes, quód & alteri inerit. Quare etiam in aliis conveniunt rationes non ſyngeneis. Quapropter non quatenus illud, ſcit, ſed ſecũdúm accidens: Nõ enim conveniret demonſtratio etiam in aliud genus. unumquodque veró ſcimus non ſecundúm accidens, quando ſecundúm illud ſcimus, ſecundúm quod eſt ex principiis illius, quatenus illud: ut duobus rectis pares habere, cui ineſt per ſe, qđ dictum eſt, ex principiis hujus.

Revertitur ad *συγγένειαν*, quôd demonſtratio ſit *ἐκ τῶν συγγενῶν*, ex cognatis & homogeneis, quæ appellat *ἀρχὰς ἑκάστου*, *καὶ ἀρχὰς ἐκείνου*, [illegible] *...του, καὶ ἰδίας ἀρχάς*· principia [illegible] ...que, & principia illius, & pri[illegible]...us, & propria principia: & ſæpe in hoc capite dicit, *ᾗ ἐκεῖνο*, quatenus illud, quod antea dixit *καθ' αὑτὸ*, per ſe. Ergo pro eodem dicuntur hæc omnia, & una ſyngenia perpetuó celebratur: nec [illegible] hîc videtur eſſe *καθολικὸν* illud, de quo prius, quôd cum re cõvertatur, ſed [illegible] ut idem ſit *ἀρχὴ οἰκεία, ἰδία, καὶ συγγενής*· & proximo capite *ἴδιον καὶ οἰκεῖον*, non aliter opponentur, quám *συγγενὲς καὶ ὑπάλληλον τὸ ἀνώτερον*, cognatum ſubalternum ſuperius. Eſt verô conſiderandum, quod hîc ait Ariſtoteles, non ſatis eſſe, ſi propoſitiones veræ ſint & demonſtrabiles & immediatæ, niſi ſint ſyngeneæ. quod rurſus in fine capitis hujus dicetur: Neutra enim propoſitio apodictica eſſe poteſt, niſi ſit etiam homogenea. Ergo hic locus de ſola propoſitione majore eſt intelligendus. Axiomata enim, de quibus hîc agitur, *μείζονος προτάσεως χώραν ἀναπληροῦσι*, majoris propoſitionis locum obtinent, ait pauló póſt Philoponus. *Bryſo.*] Demõſtratio Bryſonis qualis fuerit, non ſatis conſtat: citatur autem rurſus ab Ariſtotele capite decimo primi *τῶν ἐλέγχων*. Themiſtius & Philoponus citãt ab Alexãdro, Dato circulo majus & minus quadratum datur: ergo & æquale. at æquale quomodo fieret, nõ propoſuiſſe. Id Philoponus non probat, nec putat huic Ariſtotelis loco convenire, quia non commune & heterogeneum tum proponeret Bryſo. Alexander decimo capite primi *τῶν ἐλέγχων*, hanc rationem numeris, temporibus, locis dicit convenire, propterea eſſe communem: at quadratum & circulus, Geometriæ ſunt: itaque Philoponus meliús ſentit. Affert etiam demonſtrationem tetragoniſmi ab Archimede: quam tu, ſi lubet, in noſtris ſcholis illuſtratam leges. Quæſtio hæc ab Ariſtotelis tẽpore in ſcholis ad hunc uſq; diem agitata, multos & excellentes Mathematicos exercuit. Ariſtoteles id ſciri poſſe dixit in categoriis: Ariſtoteles tamen ipſe id aſſequi non potuit: Hippocrates Chius, & Antipho & Bryſo ante Ariſtotelem id tentavere: multis poſt Ariſtotelẽ annis Archimedes id argumentum aggreſſus, acutiſsimê omnium diſceptavit: é recentioribus Nicolaus Cuſanus eôdem incubuit: noſtra veró ætate eadem quæſtio varié diſputatur, aliis demonſtrationis ejus exitum ſperantibus, aliis inveniri poſſe omnino negantibus. Sed hæc ſatis. Ariſtoteles nõ vult in demonſtrationibus rationes heterogeneas verſari. Ubi notabis accidens dici, quod ſæpe dictum eſt, heterogeneum nempe, & eandẽ rem ſemper iterari, demonſtrationem omnẽ ex principiis rei propriis & homogeneis eſſe.

Itaque ſi per ſe etiam illud ineſt, cui ineſt, neceſſe eſt medium in eadem ſyngenia eſſe: ſin autem, certé velut Harmonica per Arithmeticam. Talia ſiquidem perinde demonſtrantur, differunt tamẽ. Nam (quia) alterius eſt ſcientiæ. Genus enim ſubjectum, eſt diverſum: at (propter quid) ſuperioris eſt, cujus per ſe ſunt affectiones.

Concluditur propoſita ſyngenia, &

diſputatio rurſus eadem continuatur: ſi per ſe ſunt propoſitiones demonſtrationis, etiam ſyngeneæ ſunt: aut ſi non ſint ſyngeneæ, certé ſubalternæ ſunt, ut Harmonica eſt Arithmeticæ: Arithmetica enim generalis eſt, Muſica ſpecialis ei comparata: Heterogeneæ tamen ſunt, & earum ſubjectum genus, alterum: generaliſq; & ſuperioris demõſtratio eſt διότι· inferioris autê & ſpecialis eſt ὅτι. Quæ verba Ariſtotelis ſi diligenter interpretes conſyderaſſent, vidiſſent ſubalterna neque ἁπλῶς, neque πῇ inter ſe homogenea eſſe. Subalternorum ſiquidem ὑποκείμενον γένος ἕτερον, ſubjectum genus alterum, ait Ariſtoteles. At ſyngenia ex ſubjecto genere conſyderatur; & in iiſdê ſubalternis demõſtrationes diverſæ, ſuperiores ſunt abſolutæ, & propter quid: inferiores, imperfectæ demõſtrationes, & quia. Quare aliud eſt eſſe quędam inter ſe πῇ συγγενῆ, & eſſe ὑπάλληλα, quia partes demonſtrationis perfectæ atque abſolutæ, poſſunt eſſe inter ſe ἢ ἁπλῶς συγγενεῖς, ἢ πῇ· non poſſunt autê eſſe ὑπάλληλα. Sed meminerimus commentum ſyllogiſticæ demonſtrationis continuari: & omnino conſequentes artes antecedentibus ſubalternas eſſe, ubi aliquid docent ſuperiorũ decretis explicabile. Sic dialecticæ omnes ſubalternæ ſunt in genere rationis vel inveniendæ vel judicandæ. Sic Arithmeticæ & Geometriæ deinceps ſubalternæ ſunt, ubi vel numeris, vel figuris quippiam habent demõſtrabile.

Itaque etiam ex his manifeſtum eſt, quód non licet demonſtrare unumquodque abſolute, niſi ex propriis principiis: ſed horum principia habent cõmune. Si veró manifeſtũ hoc, manifeſtũ etiam quód non licet uniuſcujuſque propria principia demonſtrare. Erunt enim illa omnium principia, & ſcientia illorum, domina omnium. Etenim ſcit magis ex ſuperioribus cauſſis ſciens. Ex prioribus enim ſcit, quoniam nõ ex cauſſatis ſcit cauſſis. Itaque ſi magis ſcit, & maximé, etiã ſcientia illa fuerit & magis & maximé.

Concluditur tertio loco eadem ſyngenea: Quare nulla ſimplex & abſoluta demonſtratio eſt, niſi ex propriis & ſyngeneis principiis: ſic enim ἴδιον, proprium, nũc pro ſyngeneo intelligo, ut jam dixi: digreſsio autem quædam fuerat deinceps de ſcientiis ſubalternis, ſed litera eſt mendoſa. *Sed horum.*] Mendum hîc aliquod eſt, ſententiaq; ejuſmodi aliqua fuerat, Subalternarum ſcientiarum principia aliquid enã habent commune: omnibus enim communis eſt Logica veré deſcripta: Singulæ veró principia ſua demonſtrare nõ poſſunt. *Erunt enim.*] Hîc mendum alterum eſt. Sententia autem videtur ejuſmodi fuiſſe, Si qua ſcientia demonſtret aliarum omnium principia, princeps erit omnium & domina: quód ex ſcientiæ cauſſa concluditur hoc modo,

Si magis & maximé ſciat, illa ſcientia etiam ſcientia fuerit magis & maximé.

Sed primum verum:

Nam magis ſcit, qui ſcit ex ſuperioribus: priora enim illa ſunt, quoniam ex non cauſſatis cauſsis.

Secundum igitur.

Hanc generalem & univerſalem ſcientiam κυρίαν πάντων, Philoponus appellat conſimilibus inſignibus, ἐπιστήμην ἐπιστημῶν, καὶ τέχνην τεχνῶν, ἥτις ἐστὶν ἡ πρώτη φιλοσοφία, περὶ ἧς ἐν τοῖς μετὰ τὰ φυσικὰ διαλέγεται· ſcientiam ſcientiarum, & artem artium, qualis eſt prima philoſophia, de qua in iis quæ ſunt poſt phyſica diſſerit. A Themiſtio dicitur πολυύμνητος σοφία, prædicabilis & glorianda ſapientia. Hic locus animadvertendus eſt. Non appellatur ab Ariſtotele nominatim diſciplina illa omnium communis, ſed nominatur ab interpretibus, ut dixi; prima philoſophia, &, ut ſcholæ noſtræ loquuntur, metaphyſica: quod tribus præterea locis in Organo logico videtur Ariſtoteles dicere, iterum [illegible] capitis octavi hujus libri, [illegible] primi Topici capite ſecundo [illegible] Elenchis libri primi capite u[illegible] ita minimúm quatuor in Organo logico locis metaphyſica videtur nobis á Dialectica diſtingui: Sic ſecundo capite ſecundi Phyſici vocatur φιλοσοφία καὶ πρώτη φιλοσοφία; & in βῆτα metaphyſi[illegible]o ſimiliter huic loco dicitur philoſop[illegible] illa [illegible] ἀρχικωτάτη καὶ ἡγεμονικωτάτη, cui cæteras artes, ὥσπερ δούλας αὐτὰς, tãquam ſervas cõtradicere non liceat. Sed de hac in ſcholis metaphyſicis.

Demonſtratio vero non convenit in aliud genus, niſi ut dictum eſt Geometricæ in Opticas aut Mechanicas, & Arithmeticæ in Harmonicas.

Revertitur ad ſyngeniam. Demonſtratio non eſt heterogeneorum, niſi

ſubalter-

ſubalternorum, ut dictum eſt, ſicuti demonſtratio Geometrica cadit in opticam & mechanicã ſciẽtiam, & Arithmetica in muſicam.

Difficile verò eſt noſſe, ſciat'ne quis, an neſciat. Difficile enim eſt noſſe, an ex uniuſcujuſq; principiis ſciamus, nec'ne, quod eſt ſcire. Putamus autem nos ſcire, ſi ex veris & primis habeamus ſyllogiſmum. at id non eſt, ſed oportet primis eſſe ſyngenea.

Digreſsiuncula eſt ad ſciẽtiæ difficultatem probandum ex ejuſdem ſyngeniæ argumento.

Syngenia difficilis eſt:
Scientia eſt non ſolùm ex veris & primis, ſed etiam ſyngeneit.

Propoſitio deeſt.

CAPUT VIII.

Dico verò principia in unoquoque genere ea, quæ quod ſunt, non accidit demonſtrare.

Hoc capue octavum eſt, in quo nihil eſt, niſi rerum ſupradictarum periſſologia inanis, & ταυτολογία è principio, prænotione, partibus demonſtrationis. Primum repetitur definitio principii, ne tu dubites, quin principia dicat ſyngenea: id eſt, in unoquoque genere loca, principia intelligit, quorum veritas & eſſentia demonſtrari non poteſt.

Quid igitur ſignificent etiam prima, & quæ ex iis ſunt, ſumitur: quod autem ſunt principia oportet ſumere: cætera verò demonſtrare, ut quid unitas, aut quid rectum, & quid triangulum. Eſſe autem unitatem ſumere, & magnitudinem, cætera demonſtrare.

Secunda periſſologia eſt, qua repetitur πρόγνωσις, prænotio illa duplex, de qua eſt capite primo: πρόγνωσις ſignificationis, id eſt Grammaticæ & Rhetoricæ elocutionis, qua participiatur oratio, eſt omnium demonſtrationis partium, principiorum nempe & concluſionis: intellige verò ſignificationem verborum ſumi, ut per ſe jam notas, aut notatione & etymologia definiri, non autem diſputari vel demonſtrari ſyllogiſmo aliquo: definitio enim ὀνοματικὴ, nominalis, quæ dicetur ſecundo poſteriorum, aliquando adhibetur in artibus. Sic Ariſtoteles ſecundi phyſici capite ſexto, definit αὐτόματον, αὐτομάτην. πρόγνωσις autem rationis eſt, qua principiorum & propoſitionum veritas agnoſcitur, non autem cõcluſionis. Quæſtio enim eſt, quæ cõcludenda proponitur: ſi verò demonſtrationis terminos ſpectes, primum, medium, poſtremum, in omnibus πρόγνωσις quædam orationis & ſignificationis exquiritur. πρόγνωσις autem rationis & veritatis in medio & poſtremo tantũ. Hanc periſſologiam Philoponus vidit, & de Ariſtotele ſic ait: φησὶ ταῦτα, ἅπερ ἐν προοιμίοις αἰνιγματωδῶς ἔφθασεν· dicit eadẽ, quæ in prooemio ænigmaticè dixerat. Hic ſervus, domini culpam confitetur, ſed excuſari vult: ita tamen ut apud judicem non oſcitantem potius accuſet: Ariſtotelica namque regula vetat eandem rem dici ſæpius.

Sunt verò quibus utuntur in demonſtrativis ſcientiis, alia quidem propria uniuſcujuſque ſcientiæ, alia autem communia: communia autem, ſecundum analogiam. Quoniam utile eſt, inquantum eſt in genere ſub ſcientiam ſubjecto. Propria quidem, ut lineam eſſe talem, & rectum. Communia autẽ, ut ab æqualibus æqualia ſi auferas, quod æqualia, reliqua ſint. Idoneum autem eſt unumquodque horum, inquantum eſt in genere. Idem enim faciet, etiam ſi non de omnibus quis ſumpſerit, ſed in magnitudinibus ſolis: arithmetico autem in numeris: ſunt autem propria quidem, & quæ ſumuntur eſſe, circa quæ ſcientia conſyderat quæ inſunt per ſe, ut unitates Arithmetica, Geometria autem ſigna & lineas: Hæc enim ſumunt eſſe, & hoc eſſe. Horum verò affectiones per ſe, quid ſignificet unaquæq;, ſumunt: ut Arithmetica quid impar, aut par, aut quadratum, aut cubus: Geometria verò quid inexplicabile, aut quid infle-cti, aut concurrere. Quia autem eſt, demonſtrant & per communia & per demonſtrata, & Aſtrologia ſimiliter.

Quia dictum eſt, res artibus comprẽhenſas proprias eſſe oportere, non communes, utrunque modò definitur, & quæ ſit in ſingulis πρόγνωσις exponitur: proprium verò quod hîc appellat, non eſt illud catholicum quod convertatur, ſed quod ſit ſyngeneum. exempla ſatis id declarant: ut linea, rectum, propria ſunt Geometrię: unitas, par, impar, propria ſunt Arithmeticæ: neq; tamen convertuntur, ut quicquid Arithmeticum ſit, unitas ſit, de quadrato & cubo error idem qui fuit 4 c de quadrato & oblongo: de quo 9 e 4 l Geometria loquitur:

contrariorum eadem eſt diſciplina, ἄῤῥητον hic veró ſubjicitur geometriæ: quare & ῥητὸν in figuratis numeris ſubjiciatur: λογικὸν καὶ ἄλογον magnitudinis, ejuſdem ſunt artis. Homonymia in Ariſtotele magnam obſcuritatis cauſſam peperit. Commune autē heterogeneum eſt, non tamen quodvis, ſed quod ſuperioris ſit generis & doctrinæ, ut axiomata illa logicæ inventionis, Si ab æqualibus auferas æqualia, reliqua erunt æqualia: Totum majus ſua parte: Idem licet affirmare aut negare: Propter quod unumquodque tale, & illud magis: Quæ ſecundum analogiam, id eſt, ſimilitudinem rationis & porportionem valent in diſciplinis inferioribus, & ſubalternis, ut antea monui, cúm ad ſubjectum genus numerorum, magnitudinū, aut aliarum rerum aſtringuntur: id veró eſt analogia: id innuit Ariſtoteles, cúm ait, Utile eſt, inquantum eſt in ſubjecto genere: & item, Idoneum eſt unumquodque, inquantum eſt in genere. Communia enim illa & logica axiomata, ſi numeris adhibeantē, fient Arithmetica, ut, Si ab æqualibus numeris æquales auferas, reliqui erūt æquales, &c. Errat veró Philoponus abſurdé, qui analogiā, homonymiā interpretatur: nec enim ęquivocationē, quā vulgus appellat, & ambiguitatē verbi nobis hîc Ariſtoteles inſinuat. Ergo res in artibus poſitę ſunt omnes ſyngeneæ: & ſi quæ viderentur eſſe communes, attamen ad ſubjectum genus aſtrictæ, propriæ factę ſunt: & hîc veluti prolepſi cuidam occurritur, quód ſciētiæ quædam habeant heterogenea. At communia non habent, inquies: nā communia illa quæ viderentur, accommodata ſubjecto, & certo generi, propria & ſyngenea facta ſunt. *Sunt veró.*] πρόγνωσις pauló anté adhibita, repetitur, πρόγνωσις orationis communis omnium demonſtrationis partium: πρόγνωσις rationis in genere ſubjecto præſertim requiritur, quód ſumatur, non probetur. Ubi notabis ariſtotelicam legem veriſſimam, quam antea citavimus adverſus ſex capitum inaniſſimam quæſtionem, qua quæritur, an ulla ſit demonſtratio.

Subjectum genus, ait Ariſtoteles, ſumitur, non probatur:

Demonſtratio eſt ſubjectum genus hujus analyſeos:

Ergo in hac ſumatur, non diſſeratur.

Hac Ariſtotelis tam vera tamq; philoſophica lege, argutias ſex capitum & vanitates rejicio. Quædam vidētur in hac litera mendóſa, ut illud (Sed in magnitudinibus ſolis, Arithmetico autem) itē illud (Et aſtrologia ſimiliter.) Themiſtius periſſologiam loci hujus vidit, quod pauló anté ait, ἀδιαρθρώτως, indiſtinctē & confuſē dixit, hoc nunc διαρθροῖ καὶ ἀκριβέστερον παραδίδωσι, diſtinguit, & accuratiús exponit. Indicium ſervi eſt, domini culpam, ut antea cōfitentis. Si Ariſtoteles Ariſtotelis methodo uteretur, idē ſæpius in arte nūquam diceret, nec pluribus locis diceret, quod poſſet uno cōmodé dici. Id enim eſt vitiū, quod methodus illa rejicit, quæ non vult ſæpius idem dici. Quod lex catholici primi repudiat, quæ jubet ſuo quodque loco dici, ne pluribus demōſtrationibus oſtendatur, quód una poſſit oſtendi: nec in hac arte, quæ ſit ἀρχὴ πάντων, quæ leges artibus cæteris revera proponit & inſtituit, id vitium tolerari poteſt. Cæteræ artes ταυτολογίαν fugere debent: quantó magis igitur artium mater, & per quam formantur artes? Propter quod enim unumquodq; tale, & illud magis, dixit Ariſtoteles antea.

Omnis enim demonſtrativa ſcientia, circa tria eſt, & quæ eſſe ponuntur. Hæc autem ſunt genus, cujus affectionum per ſe, eſt contemplativa: & communia, quæ dicimus axiomata, ex quibus primis demonſtrant: & tertium, affectiones: quorum quid [illegible] unumquodque, ſumit. Nonnullas nimirum ſcientias nihil prohibet quædam horum deſpicere, ut genus non ſupponere eſſe, ſi ſit manifeſtum, quia eſt. Non enim ſimiliter manifeſtum, quia numerus eſt, & quia calidum & frigidum: & affectiones non ſumit, quid ſignificent, ſi [illegible] manifeſtæ. quemadmodum neq; communia ſumit, quid ſignificent, ut æqualia ab æqualibus auferre, quia notum: ſed nihilo minús naturâ tria hæc ſunt, & circa quod demonſtrat, & quæ demonſtrat, & ex quibus.

Periſſologia [illegible] hic rurſus eſt, qua repetitur partitio demonſtrationis & πρόγνωσις ejus partium. Harum trium partium duæ ſunt, quæ ponūtur eſſe: hæ ſunt, genus ſubjectum, & axioma, quod hîc

hìc appellatur commune: tertia eſt affectio, quam ſcientia exquirit & contemplatur, nec ponit eſſe: attamen horum omniū ſignificatio ſumitur. Hîc igitur & partitió & prænotio demonſtrationis iteratur: imó rurſus iteratur & valdê ineptè, quód genus ſubjectum non ſupponatur, ſi manifeſtum ſit, & affectionis atque axiomatis ſignificatio non ſumatur, ſi manifeſta ſit. Etenim ſi manifeſtū eſt, ſumitur, non explicatur. Cur igitur nunc ait Ariſtoteles, ſi manifeſtum ſit, non ſumi? poſtremó ut περίγρασις, ſic partitio demonſtrationis tribus locis iteratur, quód in demonſtratione tria ſint. Hanc tam inſipidam periſſologiam interpres quidam cùm excuſare vellet, dixit antea per accidens prænotiones tractatas eſſe, nūc per ſe tractari, ita jam nihil tam inſulſum exiſtere poterit, quod ab inſulſo interprete non inſulſiùs defendatur. Ariſtotelis methodus periſſologiam non capit, ἐσὶ ταυτὸ πολλάκις λέγει, ut antea Ariſtoteles ipſe docuit.

Non eſt autem hypotheſis, neq; poſtulatum, quod neceſſe eſt eſſe per ſe, & videri neceſſe eſt.

Periſſologia & hîc nova eſt de principiorum partitione: principium, quod & per ſe clarū eſt diſcenti, & videtur, nō eſt hypotheſis, nō eſt item poſtulatum. Quid ergo eſt? Ariſtoteles non dicit, in eoq; obſcurus eſt, quód differentiæ partem proponit, partem non dicit. Sed tamen ſi non eſt hypotheſis, neq; poſtulatum, quid eſt? axioma (inquam) eſt, ut antè jam patuit.

Non enim ad externum & prolatum ſermonē demōſtratio eſt, ſed ad interiorem animi rationē: quin neque ſyllogiſmus. [illegible]per enim licet inſtare ad externum ſermonem, ad interiorem autem rationem non licet ſemper.

Quò pertineat hæc oratio, non ſatis apparet. Videtur tamen eò referri, quód Ariſtoteles [illegible] principium videri. Ecquid enim [illegible], nónne poteſt aliquis principium quodvis negare, & dicere ſibi non videri? Quomodo igitur fuerit neceſſe videri? Minimé (inquit Ariſtoteles) axioma negari poteſt: neq; enim dico [illegible] videri, ut neceſſarió verbis confitearis, [illegible] animo & mente. Nec enim magis objectam veritatē poteſt animus negare, quám apertus oculus objectū colorem non videre. Ac demōſtratio, imó ſyllogiſmus quivis, mentis eſt & rationis intimæ, quæ verū cernit & intuetur: nō externi ſermonis, qui ſimulare & mentiri poſsit id ſibi nō videri, quod tamen videatur. Itaque axioma poterit aliquis verbo negare, ἀλλὰ γλῶττα τούτῳ φιλονεικεῖ, κατ' Εὐριπίδην ἡ φρὴν δ', οὐδαμῶς· Sed lingua hujus rixatur, ſecundúm Euripidem: mens veró nequaquā, ait Themiſtius. Ergo axioma neceſſarió confitetur, qui intelligit. Hoc loco notabitur, quod in libro περὶ ἑρμηνείας allegavi: totam illā de nomine, de verbo, de oratione doctrinā, grammaticā eſſe, non logicam: propterea quód Logica, mentis eſt doctrina, & rationis interioris: Grammatica, ſermonis externi. λόγος ὁ ἔξω, λόγος ὁ ἔσω, quod in Græco eſt, latinè uno verbo reddi nō poteſt: imó latina lingua in eo locupletior eſt, quód duas res diſtinctas duob. verbis diſtinguat, nō cōfundat uno ambiguo, qđ de Barbaris interpretib. hîc qdā notavêre.

Quæcunque igitur demonſtrabilia quæ ſunt, ſumit ipſe non demonſtrans: hæc ſiquis, cùm probabilia ſint, aſſumat, diſcenti ſupponit, & eſt non abſolutè hypotheſis, ſed ad illum ſolùm: Si veró aut nulla cùm ſit opinio, aut etiam contraria cùm ſit, aſſumat, idem poſtulat: eoq; differt hypotheſis & poſtulatum. Eſt veró poſtulatum ſubcontrarium diſcentis opinioni, aut opinioni, aut quod quis indemonſtrabile quód ſit, ſumat, & utatur non demonſtrans.

Continuatur vana illa de qua prædiximus, principiorum differentia. Hypotheſis uniuſmodi deſcripta priús eſt, nunc triplex deſcribitur: quædā eſt non abſoluta, imó demonſtrabilis, quæ ad hominē eſt: & quia videtur alicui, iccirco ſumit, etiam ſi falſum ſit: quædam eſt abſoluta & indemonſtrabilis, eaq; vel cùm ſit, etiam apparet diſcenti, & generis nomine dicitur hypotheſis: vel non apparet, aut etiā diſcentis opinioni contraria eſt, & appellatur poſtulatum: quo nomine vocant apud Euclidē illa, Oēs angulos rectos inter ſe pares eſſe: Omni cētro & intervallo circulum deſcribere.

Definitiones igitur non ſunt hypotheſes, neque enim eſſe aut non eſſe dicunt: at in propoſitionibus ſunt hypotheſes: definitiones veró ſolùm intelligi neceſſe eſt. Hoc veró non eſt hypotheſis, niſi etiam audire, hypotheſin quis dixerit eſſe: ſed quibus poſitis, quia illa ſunt, efficitur concluſio.

Ταυτολογία & hîc eſt nova, qua repetitur differentia definitionis & hypotheſeos: utraque, principium & immediatum, ſed hæc propoſitio eſt, illa non eſt: & definitio principium tãtùm eſt, quod neceſſe eſt intelligi: at hypotheſis præterea pronũtiat aliquid, & proponit eſſe, aut non eſſe: denique definitio, tanquã dictio & vox aliqua eſt, quam non poſſis hypotheſin dicere: at hypotheſes ſunt ſyllogiſmi partes, quibus poſitis concluſio ſyllogiſmi neceſſariò conficitur.

Neque Geometra falſa ſupponit, ut quidam confirmant, dicentes, quòd non oporteat falſo uti: Geometram verò mentiri, dicẽtem pedalem, quæ pedalis non eſt, aut rectã depictam, quæ recta non eſt: at Geometra nihil concludit, quòd hæc linea ſit, quã ipſe dixerit, ſed ea, quæ hiſce ſignificãtur.

Prolepſis eſt quædã: Hypotheſis mentitur, ut in Geometria, propterea principium non eſt. Reſpondet Ariſtoteles Geometram picturis illis tanquam notis & ſignis uti, vel ad res notis & ſignis ſignificatas demõſtrandum potiùs abuti: denique ſigna non demonſtrat, ſed res per illa ſigna mentibus diſcentis deſignatas. Idem locus eſt primi Priorum capite viceſimo nono, & in Phyſicis capite ſecundo ſecundi, & in Philoſophia libri decimi tertii capite tertio, & decimi quarti capite ſecũdo, quòd Geometria non mentiatur.

Præterea poſtulatum & hypotheſis omnis aut velut totum, aut velut in parte: definitiones autẽ neutrum horum.

Aliud eſt diſcrimẽ definitionis ab hypotheſi ex adjunctis propoſitionis: hypotheſis quia propoſitio eſt, totũ quiddam, aut partem pronuntiat, horum nihil definitio. Quo loco convincitur excuſatio illa interpretum, qui definitionem, propoſitionem dicebant, ſed quæ non diceret ineſſe in ſubjecto. Hîc enim generaliùs loquitur Ariſtoteles. Definitio (ait) non eſt propoſitio: quia neque de toto, neque de parte, quæ differentiæ ſunt propoſitionis, quocunque verbi genere proferatur. Sic adhuc hypotheſeos & definitionis differentia fuit, differentia ſcholaſtica & commentitia, non ariſtotelica, non è principiis ariſtotelicis deducta: Ariſtoteles enim ipſe hypotheſeos nomine frequenter appellat omne principium, etiã cùm de demonſtratione loquitur: ſic Analytici primi capite primo definitur: imò libri hujus capite viceſimo primo *αἴτημα, ὑπόθεσις, πρότασις* pro eodem ſumũtur. Propoſitio demonſtrativa per hypotheſes ex principio ſumpta.

Species igitur eſſe aut unum quidpiam præter multa, non neceſſe eſt, ſi demonſtratio fuerit. Eſſe verò unum de multis, verũ dicere neceſſe eſt. Non enim erit univerſale, niſi id fuerit. Quòd ſi univerſale non fuerit, medium non erit: itaq; neq; demonſtratio. Oportet igitur aliquid unum et idem in pluribus eſſe, non homonymum.

Digreſsio eſt in ſpecies vel ideas, quæ à rebus ſejunctæ veluti eſſentiæ quædã conſiſtant. Quam de ideis ſententiã Ariſtoteles Platoni videtur multis locis attribuere, qui alicubi doceat in ſummo Deo omnium rerũ ſpecies & ideas eſſe, velut in ſapiente homine multarum & variarum rerum notitias. At Plato ideas eſſe eſſentias ſejunctas, quod animadverterim, nuſquam dicit: imò per Socratem in Parmenide talem de ideis ſententiam refellit, & diſſerit nullas ſpecies eſſe niſi logicas, quæ de multis dicantur, & eædẽ ſint in multis, ſicut Ariſtoteles hîc ait. Et Ariſtoteles ipſe in Philoſophia, ubi contra ideas tã multa diſputat, nominatim ait libri decimi tertii capite quarto, *ἀλλ' ὁ μὲν Σωκράτης τὰ καθόλου οὐ χωριστὰ ἐποίει, οὐδὲ τοὺς ὁρισμούς·* At Socrates univerſalia non ſeparata faciebat, neq; definitiones. Et rurſus ejuſdẽ libri capite nono, *τοῦτο δ', ὥσπερ ἔμπροσθεν ἐλέγομεν, ἐκίνησε μὲν Σωκράτης διὰ τοὺς ὁρισμούς, οὐ μὴν ἐχώρισέ γε τῶν καθ' ἕκαστον, καὶ τοῦτο ὀρθῶς ἐνόησεν οὐ χωρίσας.* Hoc verò, quemadmodum antea diximus, movit quidem Socrates circa definitiones, non tamen ſeparavit ſingula, idq; rectè intellexit non ſeparans. Et certé, ut Ariſtoteli multa [illegible] interpretibus ſuis impoſita eſſe [illegible] res ipſa cogit fateri, m[illegible] per [illegible]norantiã aut falſam [illegible] attribu[illegible]: quæ per interpretes [illegible] platonicã, partim ariſtotelica [illegible]ſophia perversé imbutos, ut Porphy[illegible] Proclũ, Ammoniũ, & ſimiles, cõfirm[illegible] ideis præſertim illud eſt ſic a[illegible], qu[illegible] Plato id ſine dubio ſentiret: quod tamẽ, ut dixi, in Parmenide Socrates perſpicuè & apertè refellit, qđ Ariſtoteles etiã ipſe de Socrate teſtatᷣ. Sed tamẽ dixerit Platonicus

ejuſmodi

ejuſmodi commentitius aliquis ideas eſſe, & quidem iccirco eſſe, quia demonſtratio ſit: imó (dicit Ariſtoteles) ſi ſpecies communis nulla ſit, demonſtratio non erit. Nam

Si non ſit univerſale, non erit medium, neq; demonſtratio:

Si non ſit ſpecies communis, non erit univerſale:

Si non ſit igitur ſpecies communis, non erit medium, neq; demonſtratio.

Non accidere autem ſimul affirmare & negare, nulla ſumit demonſtratio, niſi oporteat demonſtrare & concluſionem ſic; demonſtratur autem ſumentibus primum de medio, quód verum, negare autem non verum. Medium autem nil refert eſſe, & non eſſe ſumere, utque etiam tertium. Si enim datum ſit de quo hominem verum dicere, & ſi non hominem, verum niſi ſolum hominem animal eſſe, nõ animal autem, non. Erit enim verum, dicere Calliam, & ſi non Calliam, tamen animal. non animal autem, non.

Digreſsio eſt alia paris vanitatis, quomodo ex axiomate contradictionis demonſtrandum ſit, primó in demonſtratione recta, deinde ad impoſsibile. In demonſtratione recta, axioma illud erit majus extremum, non medium, non minus extremum: nec adhiberi poteſt aliter, niſi ſit συμπέρασμα, id eſt, de ſubjecto concludatur: ſic enim prius acceptum eſt συμπέρασμα, cúm dictum eſt, tres eſſe partes demonſtrationis, συμπέρασμα, ἀξίωμα, γένος ὑποκείμενον: ut,

Homo eſt animal, non autem non animal:

Callias homo eſt:

Callias igitur eſt animal, nõ autẽ nõ animal.

Nec refert ad cõcludendum axioma illud de ſubjecto, an medium & tertium etiam cõtradictione ſimiliter afficiatur, nec enim ſecús concludetur: ut,

Homo & non homo, eſt animal & non animal:

Callias & non Callias, eſt homo et nõ homo:

Callias igitur & non Callias, eſt animal & non animal.

In hoc exemplo ſi illud axioma fuerit additum ad omnes demonſtrationis partes, & tamen ut Ariſtoteli placet, additum medio & tertio, nihil facit ad concludendum quod erat poſitum.

Cauſſa veró, quód primum non ſolúm de medio dicitur, ſed & de alio, quia ſit in pluribus. Itaque ſi medium & ipſum eſt & non ipſum, ad concluſionem nihil refert.

Cauſſa eſt, cur contradictio in medió poſita, nihil mutet priorem concluſionem, quód primúm ſit cõmunius & generalius. Hæc hujus loci doctrina eſt de axiomate contradictionis in demõſtratione recta, doctrina ſané á vano aliquo futiliq; ſophiſta tranſlata, & ſi uſquam ulla eſt, meré & ſynceré ſophiſtica. Etenim (ut nihil de obſcuritate loci hujus dicam, ſed de ſola falſitate dicam) quid eſt quod hîc nobis proponitur? Axioma, eſt principium, ut ſuperior doctrina poſuit, αὐτόπιστον, ἄμεσον, ἀναπόδεικτον, per quod πάθημα de ſubjecto genere concludatur: & cõtradictionis axioma omniũ axiomatum primum poſitum eſt: at in hac bella demonſtratione axioma contradictionis fit πάθημα concluſionis: eſt enim major pars concluſionis. Quamobrem tam inſulſus tamq; abſurdus error attẽdatur. Principium principiorũ, eſt axioma: axiomatum omnium primum numerat Ariſtoteles contradictionis illud decretum. At nunc docetur in demonſtratione recta ſic adhibendum eſſe, ut quæratur, & per medium aliud concludatur. Si quicquam igitur in totis Analyticis minimé ariſtotelicũ eſt, illud eſt certé: Ariſtoteles principiũ majus & excellentius nullum habet illo, Ἡ μὲν ἐμπειρία, τέχνην ἐποίησεν· ἡ δ' ἀπειρία, τύχην. at non ſemper adhibet.

Omne veró affirmare aut negare, ad impoßibile demonſtratio ſumit. Idque neque ſemper univerſaliter, ſed quãtúm ſatis eſt. Satis autem eſt in genere. Dico autem in genere, ut circa quod genus demonſtrationes adhibet, quemadmodum dictum etiam priús.

Alter eſt locus, quomodo ſit utẽdum axiomate contradictionis: in demonſtratione nempe ad impoſsibile, adhibetur illud axioma, aſtrictum videlicet ad certum genus, ut generaliter adhibentur omnia axiomata, & principia communia, ſicut anté jam dictum eſt. Atque hanc partem libentiús audio, quám illam ſuperiorem, & ut ariſtotelicam recipio, & adnoto dialecticæ ſubalternas reliquas omnes artes eſſe, & dialectica axiomata ſubalternis accommodari, quod deinceps latius oſtenditur.

Cõmunicant veró omnes ſcientiæ inter ſe ſecundúm cõmunia: cõmunia veró dico, quibus utũtur, velut ex iis demonſtrãtes: ſed nõ de quibus demõſtrant;

ſtrant, neque quod demonſtrant. Et Dialectica cum omnibus communicat, & ſi qua univerſaliter conetur demonſtrare communia, ut quod omne affirmare, aut negare, aut quòd æqualia ab æqualibus, aut ejuſmodi quædã. Dialectica verò non eſt ſic definitorum quorundam, neq; generis unius cujuſdam: non enim interrogaret: demonſtrantem enim non licet interrogare, quia ex oppoſitis non demonſtratur idem: demonſtratum autem id in iis quæ de ſyllogiſmo.

Periſſologia eſt, qua repetitur è capite ſuperiore cõmunio ſcientiarũ, quòd omnibus ſcientiis ſpecialibus communia ſint quędam principia, id eſt media, non autem gegeta ſubjecta, de quibus demõſtretur, neq; *πάθήματα* quæ demonſtrentur: at Dialectica omnibus ſcientiis & artibus cõmunis eſt, ut jam dixi. Hæc verò ſciẽuia, ut interpretes hîc ajũt, metaphyſica eſt: Ariſtoteles tamen hîc Metaphyſicam nõ nominat, ſed demonſtrantem, cùm dicit Dialecticam interrogare, demonſtantem non interrogare, & dialecticam diſtinguit ab ea quæ univerſaliter conetur demõſtrare, & ſic antea metaphyſicus pro demonſtratore analytico poſitus, quomodo & univerſalis ſcientia ponitur 11 c 1 elench. *νῦν δ' ἐν ἑτέρῳ ὁ διαλεκτικὸς περὶ γένος τι ὡρισμένον, οὐδὲ δεικτικὸς, οὐδὲ τοιοῦτος, οἷος ὁ καθόλου*. Nunc verò non verſatur Dialecticus circa genus ullum definitum, neque demonſtrativus eſt, neque talis, qualis eſt univerſalis. Ubi interpres Alexander univerſalem, theologum, & primum philoſophum interpretatur. Et Ariſtoteles idẽ planiùs capite ſexto undecimi Philoſophiæ. univerſalis autem communis de omnibus Fuit verò & Ariſtoteli, & Ariſtotelis ſectatoribus & æmulis valdê ſimplicis & imperiti animi, ſtatuere univerſale hoc documentum, Metaphyſicamq; eſſe dominam omnium artium ac magiſtram, ex ariſtotelicis autẽ principiis non explorare, non animadvertere, non experiri, an Metaphyſica præceptis & inſtitutis ſuis artes omnes poſſit inſtituere. Nec enim Metaphyſica tota, quicquam docet de ſyllogiſmo demonſtrativo, cui tamen Ariſtotelis artificium & magiſterium omnium artium attribuit: nihil docet de methodo: nihil deniq; de tota, vel ſingulorum argumentorum, vel univerſorum collocatione; ut ſi dubites de rei veritate, rectène concludatur, an non, Metaphyſica nihil adjuvare te poterit: ſi de ordine & collocatione dubites, Metaphyſica nihil adjuvare te poterit: & quicquid ad conformandas artes Metaphyſica commoditatis habet & auxilii, id habet Logica etiam hæc organica, licet confuſiſſima. Id, inquam, habet de cauſſis, de genere, definitione, & cæteris logicis argumentis, quæ Metaphyſica confundit, & habet multò copioſiùs, quàm Metaphyſica. Metaphyſica conatur demonſtrare axioma contradictionis: hic conatus eſt in *γάμμα* Metaphyſico ineptiſſimus, maximeq; deridendus (ut illic noſtræ ſcholæ demõſtrabunt.) *Dialectica verò.*] Deſcribitur (ut ajunt interpretes) diſcrimen Dialecticæ & Metaphyſicæ: & certè videtur: ſed quale, videamus: Dialectica non eſt definiti & terminati generis, verum eſt: Omnia enim quæcunque ſint, ſuis legibus complectitur, omnia diſſerit & diſceptat, id eſt, ens quatenus ens, ſpectat. Cur itaq; quia (ait Ariſtoteles) non interrogatet: artifex enim certi generis & demonſtrator non interrogat, quia idem oppoſitorum eſſe non demonſtratur: ut ſuſcipit tamen & diſſerit Dialectica, ut in libris de ſyllogiſmo dictum eſt, id eſt, Analyticis prioribus: ubi notabis (quod jam monui) Analytica, priora non appellari ab Ariſtotele, ſed de ſyllogiſmo. Ergo hoc eſt diſcrimen Dialecticæ & Metaphyſicæ, vel potiùs apodicticæ: Metaphyſicum enim hîc Ariſtoteles nõ appellat, ſed demonſtrantem, ut dixi: diſcrimen (inquam) ſed ex Ariſtotelis placitis, non ex Ariſtotelis principiis deductum: Nec ariſtotelicum hoc eſt, ſed translatitium eſt: quamvis tam ſæpe in Organo logico repetitum, in libro *περὶ ἑρμηνείας* ſectione tertia capite ſecundo: item primo capite primi Priorum: item in Topicis primo & octavo libro, rurſus in *ἐλέγχων* primi libri capite nono. Dialectica interrogat, Metaphyſica ſumit: illius videlicet inſtitutio precaria eſt, hujus verò propria & libera. Ecquid (inquam) vetat interrogationibus artes & ſcientias omnes & dialogo aliquo conſtitui? Quid ad ſciẽtiæ diſcrimen attinet, quomodo doceatur, ſive diſcipulum interroges, eiúſque ſenſum & intellectum *αὐτοδιδάσκαλον*, ſuiq;

ipſius

ipſius magiſtrā & doctiorem facias? ſive velut intelligenti jam, planeq́ cognoſcenti, res per ſe notas tradas & proponas? quod, inquam, modus hic vel interrogandi, vel proponendi, ſi res eadē vel interrogetur, vel proponatur, ſcientiæ diſcrimen habet? Plato maximā philoſophiæ partem interrogandis rebus inſtituit: Ariſtoteles contrà proponendis & ſumendis: an erit iccirco Platonis philoſophia dialectica? Ariſtotelis metaphyſica, vel apodictica? Sed quid plura? Ariſtoteles ipſe proximo capite ait omnium ſcientiarum proprias interrogationes eſſe. Ergo non ſola Dialectica interrogat, ſed cæteræ quoq́ interrogāt artes & ſcientiæ. Hanc ἀντίφασιν interpretes viderunt: itaq́ celeriter occurrunt, non eodem fine Dialecticam, & cæteras artes interrogare, ſed Dialecticam interrogare ad captandum diſcentis aſſenſum ut inde cōcludatur: generis autem certi opificem & demonſtratorem interrogare, ἅπτονται ἄλλως παρεῦδη δίνειν, τὸ τὴν αὐτὴν ἐπιστήμην ἐπαγγελλομένῳ· ſiquando alium pertentare velit ejuſdem artis profeſſorem, ait Themiſtius. At, inquā, hæc diſtinctio ridicula eſt: illud enim πειραστικὸν genus, de quo in Elenchis, Dialecticæ vicinius fuerit, quám ulli alii diſciplinæ. At ſi hoc verum conceditur, tamen hac etiam diſtinctione interrogationē omnium artium eſſe communem concedetur. Quamobrem tollatur hoc tam commentitium diſcrimen, quód Dialectica interroget, apodictica proponat & ſumat: id enim omnium artium commune eſt: & hoc diſcrimen, quod ponitur Dialecticæ ab apodictica ſeu metaphyſica, non eſt aliud, quám Dialecticæ, ab ipſa Dialectica: cujus opera modó apodictica, modó probabilia, modó captioſa ſunt: ars tamen omniū communis eſt [illegible] inventio nempe & diſpoſitio, [illegible] metaphyſicæ metaphyſicam tā monſtro[illegible] demōſtrabūt, quam ſyllogiſtica apo[illegible]is eſt adhuc demonſtrata.

CAPUT IX.

SI veró eadem eſt interrogatio ſyllogiſtica & propoſitio contradictionis: propoſitiones autem ſunt in unaquaq; ſcientia, ex quibus ſyllogiſmus in unaquaque fuerit, interrogationes ſcientificæ fuerint, ex quibus in unaquaq; ſcientia germanus eſt ſyllogiſmus.

Adhuc octavum caput fuit in periſſologia principiorū & prænotionum, partium demonſtrationis, cōmunionis artiū, digreſſionibus de geometris & ideis, & quidē nomine ſyngenias accumulatum: nonum ſequitur in eadem ſyngenia. Periſſologia eſt, heu quanta, & quoties jam cantata? imó veró quanta de re & nobili nō animadverſa? Periſſologia eſt (inquā) ſyngeniæ. Omnia quæ ſunt in ſcientia, inter ſe ſyngenea debent eſſe, diſſeruit quartū caput. Omnia quę ſunt in ſcientia, inter ſe ſyngenea debent eſſe; diſſeruit ſeptimum caput. Omnia quæ ſunt in ſcientia, ſyngenea inter ſe debent eſſe, diſſeruit octavū caput. Omnia quæ ſunt in ſcientia, inter ſe ſyngenea debent eſſe, diſſerit iterū nonū caput: Tā magnificam, tamq́ præclarā de conſtituendis artium finibus legē libēter audio, quatuor capitibus inaniſsimé & ineptiſsimé contra Ariſtotelis methodum, candē cantilenam cantari, non libenter audio. Chryſippo, inquit in Placitis Hippocratis & Platonis Galenus, id placuit, ut de eadem re nō bis aut ter, ſed quater interdū, etiam quinquies in diverſis operibus diceret, quod in primis euitabūt ij, qui temporis otiiq́ ſui rationem habebunt. At Chyſippum vincit Ariſtoteles, qui non ſolúm in diverſis operibus, ſed in eodem tam frequenter candē rem repetat. Ergo ſyngenia continuatur, quôd in unaquaq́ ſcientia ſit interrogatio domeſtica, cognata, ſyngenea:

Propoſitiōes ſunt in ſingulis ſciētiis, unde cògnatus & ſyngeneus efficitur ſyllogiſmus:

Interrogationes ſyllogiſticæ, ſunt ipſæ propoſitiones:

Interrogatiōes igitur ſyllogiſticæ ſunt, ex qb9 cognatus et ſyngeneus efficitur ſyllogiſm9.

Ariſtoteles hîc aperté diſputat, & interrogationes in omnibus artibus collòcat, contrà quám proximo capite docebatur. Ergo hoc ariſtotelicū nobis eſt, quia verum: illud ariſtotelicum nobis non eſt, quia falſum.

Manifeſtum igitur, quód non omnis interrogatio Geometrica fuerit, neque medica: ſimiliter autem etiam in aliis, ſed ex quibus demonſtratur aliquid, de quo Geometria eſt, aut ex iis demonſtratur, quæ ſunt eadē Geometriæ, ut Optica: ſimiliter veró & in aliis. Ac de iis etiam ratio reddenda

reddenda ex Geometricis principiis & cõcluſionibus: de principiis autem ratio nõ reddenda Geometræ, quâtenus eſt Geometra: ſimiliter autem & in aliis ſcientiis.

Diſputatur exemplis propoſita interrogationum ſyngenia. Non omnis itaque interrogatio Geometrica fuerit, neque medica, ſed ex qua unique demonſtrabitur aliquid Geometricũ aut medicum: & ſi dubitationis aliquid interrogatio habeat (nec enim propoſitio ſolùm vel aſſumptio, ſed etiam concluſio interrogatur) ex propriis & ſyngeneis Geometriæ vel ꝓpoſitæ diſciplinæ principiis erit demõſtrànda: ipſa tamẽ principia nequaquam probantur in ſua arte: ſunt enim ejus primæ rationes: & ſæpe jam dictũ eſt, principia eſſe *ἄμεσα, πρῶτα, ἀναπόδεικτα*. *Eadem Geometriæ.*] Heterogenea dixit priùs *ὑπάλληλα*, ut Geometriam & Opticam, & nunc *κατεχηγηγικώτερον* appellat eadem. *Concluſionibus.*] Concluſiones appellat res concluſas & demonſtratas: ſic ſuperiore capite pro eodem dixit *ἐκ τῶν ἀποδεδειγμένων*, ex demonſtratis.

Neq; omnis utiq; unicuiq; ſcienti interrogatio interroganda, neq; omne interrogatum reſpõdendum de unoquoq;, ſed ſecundùm ſcientiam definita. Si quis verò ſic diſputet cum Geometra, quatenus Geometra, manifeſtum quód etiã bene, ſi quid ex iis demonſtret: ſin minús, non bene. Manifeſtũ verò, quód neque refutat Geometriam, niſi ſecundùm accidens. Itaque non fuerit in ageometricis de Geometria diſſerendũ: neſcietur enim qui vitio ſe diſputet. Similiter verò etiam in aliis ſcientiis.

Singenia rurſus cantatur eadem, ſed in cõjugatis. Dictùm eſt priùs, Scientia quævis habet ſyngeneas interrogationes. Nunc dicitur, Sciens quivis ſyngeneas habet interrogationes & reſpõſiones, & ſi quis ſic diſputet in quavis arte, bene diſputabit: ſi quis ſecús diſputet, malê diſputabit. *Secũdum accidens.*] Accidens heterogeneum dicit ut antea. *Itaq; non*] Cõcluditur ſyngenia nomine Geometriæ, quód idẽ de cæteris diſciplinis eſt intelligendum. Grammatica Grammaticè, Rhetorica Rhetoricè, Logica Logicè, Arithmetica Arithmeticè, Geometria Geometricè, Muſica Muſicè tractari debent, & cæteræ denique artes ſuis ſibiq; cognatis & ſyngeneis rationibus uti: Plato jubet in Rep. unius artis, unum artificem eſſe. Quód ſi platonica lege fuerint (ut ferè ſunt) artifices diſtincti, velitq; ſutor de texendo, textor de ſuendo, ſartor de pinſendo, piſtor de ſarciendo diſputare, dicetur protinus, Id non eſt artis & profeſsionis tuæ. Sutor Apellis imaginem de crepida reprehendit. Apelles tulit, id enim faciebat ex arte: amictum cúm etiam reprehenderet, Ne ſutor (inquit) ultra crepidã. Ergo Ariſtoteles concludit ex ſyngenia ſua fines artium terminosq; diſtinguendos eſſe, hancq; *συγγενείας* legem tanquã principem quãdam & judicem artium omniũ conſtituit. Qua lege dices Grammatico Grammaticam in methodicem & hiſtoricem partienti, peccas, quia hiſtoricé ex poëtarum, hiſtoriarum, Aſtrologiæ, & reliquarum diſciplinarum cognitione, non eſt artis tuæ germana & ſyngenea. Dices rhetori rhetoricam in quinque partes dividenti, invẽtionem, diſpoſitionem, elòcutionem, actionem, memoriã, peccas: inventio enim diſpoſitioq; & memoria, mentis ſunt & rationis & propriæ logicorum: ſyngeneæ tuæ arti non ſunt. Dices logico, nominum, verborum, orationis, quantitatis, in numero & magnitudine: ſubſtantiæ, qualitatis, in habitu & diſpoſitione, patibili qualitate, potentia naturali & impotentia: modificatorum converſionũ, reductionum per poteſtatum ſyllogiſticarũ nugas, totum denique ſyllogiſticæ apodixeos cõmentũ, & tã multarũ præterea rerũ non ſyngenearum doctrinam ſibi ſumenti, peccas, hæc tua nõ ſunt: doctrina ſuo generi ſubjecto tãtùm ſyngenea. Dices Geometræ axiomata logica & arithmetica vſurpanti, alienum detines: hæc doctrina eſt Arithmeticorũ, tua nõ eſt. Dices Phyſico communẽ cauſſarũ, motuum, loci, temporis explicationem ſumenti, peccas: iſta tibi ſyngenea non ſunt: ad familiam Logicorum pertinẽt. ne tibi igitur aliena vẽdicato. Dices Metaphyſico illi neſcio cui, Phyſicas, Mathematicas, Logicas altercationes miſcenti, peccas graviſsimé omnium magiſter, ſyngeneũ nihil habes. iſta omnia aliena ſunt: in his pro[illegible] nihil habes. Dices omnibus artibus, Tollite altercationes falſarum opinionũ, refutationũ elenchos, hic homogeneum vobis nihil eſt, dimidio breviores & clariores eritis. Denique hac una *τῆς συγγενείας* tam gra

vi, tam

vi, tam imperatoria lege, omniũ artium fines regere & componere licebit.

QUONIAM *veró Geometricæ ſunt interrogationes, utrúm ſunt etiam ageometricæ? & in unaquaq; ſcientia quæ ſunt ſecundúm ignorãtiam qualẽ Geometricæ ſunt? & utrúm ſecundúm ignorantiam ſyllogiſmus eſt, qui eſt ex oppoſitis ſyllogiſmus an paralogiſmus? Secundúm Geometriam veró, aut ex alia arte, ut Muſica interrogatio eſt, ageometrica in Geometria. Aequidiſtantes autem concurrere putare, Geometricum eſt quodammodo, & ageometricum alio modo. Duplex enim id eſt, ut anarithmum & alterum quidem ageometricum, quia non habeat velut anarithmum: alterum veró quia perverſe habeat: & ignorantia hæc ex talibus principiis contraria.*

Diſputatió ſequitur inutilis, & contra leges analyticas. Cognovimus quid eſſet ſyngenia, contrarium hinc agnoſcimus. In arte Grammatica dicendum nõ eſt, cúm docueris ſyntaxin adjectivi & ſubſtantivi convenire in genere, numero & caſu: cum (inquam) hoc docueris, non eſt dicendum quod ſit contra hanc legem non Grammaticum: ut dicas ſolœciſmum fore, ſi genere, item ſi numero, item ſi caſu, item ſi genere & numero, itẽ ſi genere, numero, caſu partes diſcrepent. Rectũ, eſt index ſui & obliqui: nec ad uſum artis refutatio contrariæ falſitatis attinet. At hîc quæritur, an ſit aliquid heterogeneum, & quotuplex, & negatio nũ doctrina nobis inſtituitur. Ergo hîc diſputatió eſt per contrariam heterogeniam: Geómetrica interrogatió eſt, quæ eſt Geometriæ cognata, germana, ſyngenea: Ageometrica eſt igitur contrá quæ talis nõ eſt, eaq; ignoratione duplici poteſt accedere, *ἢ τῷ παντελῶς ἔννοιαν μὴ ἔχειν τοῦ πράγματος, ἢ τῷ φαύλως ἔχειν*, aut qa omnino nullam rei ſcientiam habeat, qui quærit, aut vitioſam & pravam habeat; ait Themiſtius. Illa ignorantia *κατ' ἀπόφασιν*, ſecundum negationem: hæc *κατὰ διάθεσιν*, ſecundum diſpoſitionem dicetur capite duodecimo [illegible] illud appellatur hîc ſyllogiſmus ex oppoſitis, id eſt falſis: falſa enim veris opponuntur: hoc appellatur *παραλογισμὸς*, id eſt *ἀσυλλόγιστος συλλογισμὸς*, qui [illegible] ſtantem ſyllogiſmi formam non ſequitur. Itaque cúm heterogeneum producitur, ignorantia negationis eſt: cúm ex eadem arte falſum aut captioſum, diſpoſitiõis. *Geometricæ.*] Locus hic eſt mendoſus: ſententiam Philoponus apertiús oſtẽdit. *ἆρα ὥσπερ ἐστὶ γεωμετρικὰ ἐρωτήματα, οὕτως ἐστὶ καὶ ἀγεωμέτρητα, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν ὡσαύτως, καὶ εἴπερ εἰσὶ ποῖα εἰσὶ τ' αὐτά, καὶ κατὰ ποίαν ἄγνοιαν ἀγεωμέτρητα ἂν εἴη*: utrúm quemadmodũ ſunt Geometricæ interrogationes, ſic ſunt ageometricæ? & in aliis ſcientiis ſimiliter: & ſi ſunt, quales hæ ſunt? & ſecundúm quam ignorãtiam ageometricæ ſunt? Hæc Philoponus, quibus oſtendit, ubi legitur in græca litera, *τὴν ποίαν γεωμετρικά ἐστι*, pro *γεωμετρικὰ*, legendum eſſe *ἀγεωμέτρητα*. Scd ageometricum eſt in Geometria, muſicum: & amuſum in Muſica geometricum. Quid ita? inquies. quia, inquam, heterogeneum eſt; etiam ſi verum, etiam ſi ſyllogiſmo conſtanti concluſum. Nõ enim ſatis eſt eſſe vera & neceſſaria principia, niſi ſint etiã ſyngenea. Et hæc eſt negationis ignorantia, *ἀποφάσεως ἄγνοια*. Qui putat æquidiſtantes lineas concurrere, geometricum quiddam & ageometricum putat. Eſt enim Geometriæ, lineas tales definire: & ea Geometriç verba ſunt, & ideo geometricum quodammodo, & idem tamen ageometricum eſt, quia legibus Geometriæ & decretis contrarium; quibus ſtatuitur; æquidiſtantes in infinitum productas nunquam concurrere. Hic error igitur, quia ex eadem arte falſum ſumit, eſt *διαθέσεως*, diſpoſitionis.

IN *diſciplinis veró non eſt ſimiliter paralogiſmus, quia medium eſt ſemper duplex. Etenim de hoc omni, & hoc rurſus de alio dicitur omni. Attributum tamen non dicitur omne. Hæc veró licet velut intelligentia videre. In concertationibus autem latet, utrúm omnis circulus figura. Si veró ſcripſeris, manifeſtum. Quid autem carmina? circulus? manifeſtum quód non ſunt.*

Digreſsio eſt ex ignorantiæ propoſitæ occaſione, quód differãt inter ſe apodictica: & dialectica primúm paralogiſmis illic rarioribꝰ ꝓpter certitudinẽ rerũ, hic frequẽtioribus ꝓpter *ἀοριστίαν*, incertitudinẽ: in Geometria quid circulus ſit, patet: id enim definitum eſt. *In concertationibus.*] Græcê eſt *ἐν δὲ τοῖς λόγοις*, in contentionibus dialecticis: ſic enim appellat Ariſtoteles: & pauló póſt *διαλέγονται*, quas *φιλονεικίας καὶ διαλεκτικὰς συνουσίας καὶ μεθόδους*, ἔτι *διαλέξεις* interpretes appellant: ſed in contentionibus latet, quia circuli nomen ambiguum eſt, & ſi-

S gnificat

gnificat tum figurã geometricam, tum verſus ſic compoſitos, ut finis primi ſit initium ſecundi,& ſecundi finis initium tertii,& deinceps: aut ita confuſos, ut nihil interſit unde ſumas initium ſententiæ. Poſteriorem expoſitionem Philopónus mavult, ego priorem. Figura verò nominis ejus eſt, quæ vocatur à Rhetoribus ἀναδίπλωσις, ut apud Virgilium,

——ſequitur pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens.

Ergo ſi contentioſus aliquis in Geometria diſputet hoc modo,

Omnis circulus eſt figura:
Carmen quoddam circulus eſt:
Carmen igitur quoddam, eſt figura.

Quatenus Geometra, aſſumptionem planè negabis, quia tale nihil habeas in Geometria: quatenus Dialecticus, homonymiam verbi diſtingues.

NON *oportet autem inſtantiam in ipſum ferre, ſi ſit propoſitio inductiva. Ut enim neq; propoſitio eſt, quæ non eſt in pluribus: non enim erit in omnibus: ex univerſalibus autem ſyllogiſmus: manifeſtum quòd neq; inſtantia: eædem utiq; propoſitiones & inſtantiæ. Quam enim fert inſtantiam, hæc fuerit propoſitio aut apodictica, aut dialectica.*

Sententia hujus loci eſt, inſtantiã eſſe univerſalem, quia

Omnis propoſitio univerſalis eſt:
Inſtantia eſt propoſitio:
Univerſalis igitur.

At propoſitio ſyllogiſmi hujus falſa eſt: ſunt enim quędam propoſitiones in parte. Quinetiam concluſio ipſa falſa: nam univerſali contradicitur ſpecialiter, & quidem fortiùs, quàm univerſaliter. Nec dici poteſt hìc de inſtantia apodictica præcipuè præcipi, cùm dicatur, inſtãtiam apodicticam aut dialecticam eſſe. Poſtremũ conſydera, & judica quorſum hæc tendunt. Interim ſerviles excuſationes hìc non audio.

ACCIDIT *verò nonnullos aſyllogiſticè dicere, quia ſumant utriſq; conſequentia: ut Cæneus facit, quòd ignis in multiplici analogia. Etenim ignis celeriter generatur, ut ait: & hæc analogia. Sic verò non eſt ſyllogiſmus, ſed ſi celerrimam analogia ſequatur multiplex, & ignem celerrimã in mutatione analogia. Quandoq; enim non accidit concludere ex ſumptis: quandoq; verò accidit, ſed non videtur.*

Hìc aliqua eſt, licet obſcura, cum ſuperioribus cohærẽtia: de paralogiſmis dictum erat: nunc dicitur èos in ſecunda figura fieri ex duabus affirmationibus. quomodo peccabat Cæneus quidam ſophiſta.

Quod analogia fit multiplici, generatur celeriter:
Ignis celeriter generatur:
Ignis igitur fit analogia multiplici.

At hac forma ἀσυλλογίστως, & inconſtanter ex duabus affirmationibus in ſecunda figura concluditur: at ſi convertãtur partes propoſitionis, attributaq; ſubjiciantur, in prima figura rectè concludetur:

Quod celeriter generatur, fit multiplici analogia:
Ignis generatur celeriter:
Igitur fit multiplici analogia.

Litera mutilata eſt. *Et hæc analogia.*] Sententia eſt propoſitionis primi ſyllogiſmi hìc offuſa:

Quod analogia fit multiplici, celeriter generatur:

Deinde (celerrimam) intellige generationem, ut propoſitio ſecundi ſyllogiſmi hinc eruatur. *Analogia.*] In hoc verbo concluſio ſecundi ſyllogiſmi capienda eſt. Analogiæ verò multiplicis metaphora & ſimilitudine, Cæneus ſophiſta nil aliud niſi celeritatem oſtendere voluit, propterea quòd ex omnibus analogiis & proportionibus faciliìmè multiplex augeatur, ut duplex ab unitate in hunc modum, 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128, & deinceps. ſic triplex, & reliquæ multiplices: In aliis analogiæ generibus non itẽ, ut Arithmetici docẽt. *Aliquando.*] Ex duabus affirmationibus aliquando concluditur in ſecunda figura, ſi partes propoſitionum convertantur, ut definitio definitum, ſubjectum proprium. Id tamen non fit ſyllogiſticæ diſpoſitionis neceſſitate, ſed rerum [illegible] junctione. In exemplo [illegible] analogiæ Alexander à Philopono veluti μὴ πολλὴν ἕξιν μαθηματικὴν ἔχων, nõ valdè in mathematicis exercitatus arguitur, qui pro exemplo multi[illegible] analog[illegible] propoſuerit duo ad tria, [illegible] ad trecenta. Hæc enim prop[illegible] non eſt multiplex, ſed ἐπιμόριος ἡμιόλιος, ſuperparticularis ſeſquialtera. Quo loco judicare jam planè poteſt Alexandrũ Aphrodiſeum ariſtotelicæ philoſophiæ (quæ tota mathematicis exemplis informata eſt) imperitum &

tum & ignarum fuiſſe. Attamen hîc primus & præcipuus ariſtotelicæ philoſophiæ interpres habetur, qui confuſionē aut induxit, aut certé confirmavit, qua Logicam videmus eſſe confuſam: qui mendoſos, captioſos, falſos locos tectorio neſcio quo inducere, quàm quales erant, aperire maluit: aut certé (quod veriſimilius eſt) aperire neſcierit, qui in logicis libris interpretandis nuſquam Logicæ uſum adhibuit. Ergo hunc ducem interpretandi & principem reliqui ſunt interpretes feré ſecuti: nec in explicanda Ariſtotelis Logica, logicum philoſophi judicium, ſed cæcum ſervi obſequium ſibi adhibendum putaverunt.

SI VERO *eſſet impoßibile ex falſis verum demonſtrare, facile eſſet retexere: converterentur enim ex neceßitate: Eſto enim α, ens: hoc veró cùm ſit, hæc ſunt, quæ novi quod ſunt, ut β. Ex iis igitur demonſtrabo, quód eſt illud. Convertuntur autem magis quæ ſunt in diſciplinis, quia nullum accidens recipiunt, quinetiam hoc differunt á concertationibus, ſed definitiones.*

Differētia & hîc aliqua eſt, quód analyſis ſit difficilior in dialecticis, quàm in apodicticis: ſyllogiſmus hîc quidā eſt,

Si non eſſet poßibile ex falſis verum demonſtrare, facilis eſſet analyſis:

Sed eſt poßibile:

Non igitur facilis.

Propoſitio probatur, quód tum converteretur ſyllogiſmi conſequēs cum antecedente: & quemadmodum ſi fuiſſet antecedens, eſſet conſequens: ita ſi fuerit conſequens, antecedens erit. At hæc antecedentis conſequentiſq; converſio magis eſt in apodicticis: Sic enim μαθήματα rurſus hîc accipio, quia omnes propoſitiones ſunt definitionū, nullæ ſunt accidentium, ut pleræq; ſunt in concertationibus & cōmunibus diſputationibus. eoq; apodictica differt à Dialectica. Hîc διαλόγους appellat Ariſtoteles, quos pauló antè λόγους, id eſt, φιλονεικίας. Apodicticæ (inquit Ariſtoteles) ſunt non accidentia, ſed definitiones. Locus non ſatis accuratus eſt: definitionis enim nomine intelligit, quæ media apodictica, id eſt, prima & immediata ſint, qua definitiones integras perpetuó non habent: & ſic aliás loquitur cúm dicit omnis demonſtrationis medium eſſe definitionem.

AUGETVR *nāq; per media, ſed aſſumendo, ut α de β, hoc de γ rurſus hoc de δ, & hoc in infinitum: & in obliquum, ut α etiam de γ, & de ε, ut eſt numerus quotus, aut etiam infinitus: hoc autem in quo α, impar numerus, quotus in quo β, numerus impar in quo γ. Eſt igitur α de γ, atq; eſt par quotus numerus in quo δ par numerus in quo ε. eſt igitur α de ε.*

Differētia rurſus hîc apodicticæ quædam & dialecticæ ponitur verbis valdè confuſis: Dialectica augetur per media, id eſt, cujuſq; generis mediis & argumētis utitur: Sic enim media nunc appellantur, ut interpretibus placet, & res ſic indicat: cùm tamen aliàs omnis ratio fideſq; ſyllogiſmi, mediū dicatur. Apodictica veró non utitur generis cujuslibet mediis & argumentis, ſed aſſumendo aut in obliquum augetur, id eſt per directé ſuperiora genera, aut obliquas, & (quaſi diceres) laterales generum differentias concluditur: Id enim eſt quod aſſumptionis & obliqui verbis hîc tam obſcuré ſignificatur, alluſione quadam (opinor) ad Categorias, in quibus ſic differentiæ per latera diſponūtur. Exemplum in terminis nullū ponitur de aſſumptione: ponitur autem de latere duplex: ut numerus dicitur de binario & ternario per obliquas differētias laterum:

Par, eſt numerus:

Binarius, eſt par:

Eſt igitur numerus.

Impar, eſt numerus:

Ternarius, eſt impar:

Eſt igitur numerus.

Intelligatur per α numerus, genus nempe: per γ & ε, ſpecies, ternarius & binarius: per β, δ, differentiæ impar & par. In litera veró ad illum locū, ut α, de γ & ε, mendoſé β irrepſerat pro γ: nos ex varia Philoponi lectione repoſuimus γ, ſicuti ſententia requirebat: id enim eſt quod concluditur. Eſt veró ſtudioſé conſyderandum, quod hîc ait Ariſtoteles: eſt enim magnum quod dicitur, μαθήματα, id eſt, diſciplinas vel notas illas, Arithmeticam, Geometriam, vel cæteras omnes legibus analyticis factas, progredi recta via ex generali ſpeciale aſſumendo, aut ex (ut ita dicam) laterali generis differētia idem concludendo: id enim in definitione & diſtributione abſoluté fit, in demonſtratione quodammodo fit. Nec enim abſolutam illam ſyngeniam partibus omnibus demonſtratio ſequitur,

ſed à directa illa via parte una digredi-tur. πάθημα καθ' αὑτὸ συμβεβηκὸς, ut jam ſæpe dictum eſt, demonſtratur: In aliaq; Categoria eſt accidens accidentisq; definitio, in alia ſubjectum genus. Hoc, inquam, præceptum ſpectãdum eſt & animadvertendum: eſt enim magnũ & ariſtotelicæ methodo congruum. Sed tamen hujus loci exẽpla ſuperioribus Ariſtotelis legibus nõ congruũt. Nec enim hîc demonſtratur πάθημα γένους ὑποκειμένου, affectio ſubjecti generis, verùm genus de ſpecie per differentiam concluditur: Denique πρῶτα illa μέσα exemplo adhuc caruerũt, nec ullum poſthac erit ad ea verum. Quapropter, ut præceptũ ſit ariſtotelicum, exempla certè ariſtotelica eſſe non poſſunt. Á generalibus & univerſalibus ad ſpecialia & ſingularia progredi præceptio veriſsima eſt, & ariſtotelicæ methodi germaniſsima.

CAP. X.

DEfinita adhuc eſt abſoluta ſcientiæ cognitio ex cauſſa, propter quam res eſt, quoniam illius eſt cauſſa, & non contingit aliter habere: propter cauſſam res eſt, quæ prima immediataq; & naturâ prior eſt & notior: illius eſt cauſſa, quæ ſyngenea & catholica neceſſaria, quæ de omni & ſemper: omnia enim adhuc dicta nil aliud nomi naum & de induſtria, quàm definitionẽ illam aperuerunt: exemplum verò nullum neq; materiæ, neque formæ docuerunt, unde intelligeres eſſe cauſſam, quã obrem proprietas eſſet in ſubjecto: & ſi eſſet, unde agnoſceretur: quomodo quęſtio quamobrem, ſyllogiſmo concluderetur. Atq; hæc ſic definita, aut demonſtratio aut ſcientia, appellatur διότι, propter quid. Deinceps (excepto decimo quarto capite) de contrariis, aut etiam ſubjectis rebus quæſtiones inutiles ad artium ſtructuram diſputantur. Ariſtoteles appellabit ἰδέας, τερετίσματα, velut inertes & incompoſitos cantus, ut citharœdorum præludia ſunt. At omnia hæc, quæ tam multis capitibus conſequuntur, τερετίσματα verè poſſumus appellare, ut è rebus ipſis patebit. Summas igitur rerum tantùm conficimus, capitaq; percenſebimus, nõ verba (quod adhuc fecimus) ſingula perpendemus. Decimo igitur capite, quoniã definita prius erat ſcientia per cauſſam, propter quam res eſt, primam ſcilicet & immediatam, opponitur cõtra hanc definitionis partem, cognitio & ſciẽtia ex mediatis, appellaturq; ὅτι, quia: & quid differat ab illa perfecta & immediata demonſtratione διότι, propter quid, demonſtratio hęc ὅτι, & mediata diſſeritur. Capite primo ſecundi libri quæſtiones duas iiſdem verbis appellat Ariſtoteles ὅτι καὶ διότι an propterea quód his demõſtrationibus exponantur, tu conſyderabis. Hîc nulla demõſtrationis nova ſpecies eſt, ſed cõtrarii cujuſdam quæſtio eſt. Quicquid non demonſtrat διότι, demõſtrat ὅτι, appellaturq; demonſtratio ὅτι, ab interpretibus τεκμηριώδης ἀπόδειξις, conjecturalis demonſtratio, & ſola διότι demonſtratio eſt antè definita. Sed Ariſtotelem audiamus. Demonſtratio ὅτι fit in eadem ſcientia duob' modis, ſi per mediata doceas, ut, Non reſpirat paries, quia animal nõ eſt: In Scythia nõ ſunt tibicinæ, quia nõ ſunt vites. mediata enim illa ſunt, per quæ illa demonſtrantur. Secundus eſt modus in eadem ſcientia, ſi per ἄμεσα ἀναίτια, immediata, quæ cauſſæ non ſint, demonſtretur, quia nihil prohibet ἀναίτιον illud notius eſſe: ut,

Quæ non ſcintillant, propè ſunt:
Planetæ non ſcintillant:
Propè ſunt igitur.

Non enim quia non ſcintillant, propè ſunt, ſed contrà, quia propè nõ ſunt, ſcintillant. Verùm fallimur hîc, nec efficitur hoc ex immediatis: Aſsũptio enim probari poteſt ex cauſſa, & notior propoſitio nõ eſt abſolutè, ſed nobis fortaſſe: uterq; modus igitur eſt ex mediatis. Atq; hic exempla vaſe apodicticia notabis de cauſſa affectionis, nõ reſpirare, quia nõ animal, non eſſe tibicinas, quia non vites, propè eſſe, quia non ſcintillare. Differentię modus extremus eſt, cùm ſubalternarum ſcientiarum inferior ſuperiori comparatur, quód inferioris demonſtratio ſit ex mediatis. Sic collata ad Arithmeticam Harmonica, Geometriam Optica, ſtereometriam Mechanica, Aſtrologiam Nautica, ὅτι demõſtrat: ſuperiores cõtemplantur εἴδη, ſpeciemq; οὐσίαν δὲ δι' [illegible], eſſentiã verò propter non curantiam deſpiciunt, & ſingularia quædam neſciunt, ait Ariſtoteles: ubi οὐσίαν ſingularia dicit: εἴδη commu-

nem no-

nem notionē, nempe ἀντὶ τοῦ γένος, ut antea notatum eſt, ut Plato ſæpe γένος καὶ εἶδος pro eodem: quomodo Porphyrius & Ariſtoteles hominem ſingulorum hominum fortaſſe dicunt eſſe. Præterea repetit dictum primo capite, quód genere cognito ſpecies poſsit ignorari. Ergo totum tanti capitis diſcrimen in uno verbo eſt. Quicquid demonſtrat ex mediatis, demonſtrat ὅτι ſive ex neceſſariis, ſive ex probabilibus: Nihil enim definit Ariſtoteles: Themiſtius addit de ſuo, ſyllogiſmum fore ὅτι, qui non demonſtrat ex immediata cauſſa: quando tamen habeat cætera alia, quæ definita ſunt. At Themiſtii placitum illud eſt, Ariſtotelis præceptum non eſt: nec id uſquam Ariſtoteles ait: imó ſuis exemplis contrariū docet: nec enim exempla, quibus hîc utitur, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου ſunt. Attamen ſi tibi lubet ſcientiam dicere ὅτι, cujus argumentum quanvis non ſit prima & notiſsima cauſſa, ſit tamen κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου, dicito ſané. Cúm definitur genus ex cauſſa prima notiſsimaq́, ſcientia eſt διότι: cúm dividitur per ſpecies, non dividitur per cauſſas, ſed cauſſata: ſcietiaq́ illa fuerit quidem κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου, at non ex prima cauſſa, ideoq́ ὅτι. Quare ſi Themiſtium ſequare, aliquid hîc emolumenti fuerit: ſed Ariſtotelis, ut dixi, documentum illud non eſt: imó Ariſtoteli omnis demonſtratio, quæ non demonſtrat ex cauſſa, propter quam res eſt, quoniam illius eſt cauſſa, & nõ contingit aliter habere, eſt demonſtratio ὅτι: illud duobus verbis meliús ſexto capite definitū eſt, quód διότι eſſet ἐξ ἀμέσων, ὅτι ἐξ ἐμμέσων. Quare totum hoc caput quid aliud nobis quám περιττώματα περιττά? Etenim ad ſcientiam parandam prorſus inutile eſt, quia nullum demonſtrandi certum genus docet, imo contra leges analyticas huc interpoſitum eſt. Principium enim deſcribendum eſt in arte: quód principium autem nõ ſit, non tradendum: definitiones, cæteraq́ principia tam clara debent eſſe, ut inde contraria manifeſta ſint, dixit anté Ariſtoteles. Ergo cúm definita ſit ſciētia ex cauſſa, propter quam res eſt, quoniam illius eſt cauſſa, & non contingit aliter habere, noli nobis tam longo capite moleſtus eſſe, ut nos doceas quot modis non ſic ſciatur.

CAP. XI.

Vndecimo capite videtur contrarii quæſtio item quædam tractari, licet id minús ſignificetur. Definita eſt abſoluta illa ſcientia ex univerſalibus affirmationibus (id enim continet nota κατὰ παντὸς) quæ prima figura ſyllogiſmum videlicet efficiant: quæritur igitur hîc de præſtantia primæ figuræ á ceteris, unde refellitur error eórum, qui putant, in demonſtratione ſyllogiſmum nõ eſſe diſcurſum ex tribus enunciatis in aliqua figura: quæritur enim hîc præſtantia demonſtrationis é figuris, & probatur tribus rationibus prima figura omniū ἐπιστημονικωτάτη, ſcientificentiſsima: primó quia per eam ferê fiat ſcientia διότι, quę eſt κυριωτάτη: ſecundó quia per eam ſolúm eadem ſcientia inveſtigetur: tertió quia cæteris figuris non egeat, ſed ea cæteræ. Prima & ſecunda ratio valeret, ſi quæſtio διότι ſyllogiſmo cõcluderetur: at id falſum eſt, ut antea monui, & ſecundo libro rurſus ſuo tempore demonſtrabo. Tertia ridicula eſt, ut in ſyllogiſmorum figuris, & é veritate ipſa & Galeni authoritate diximus, quia figura non eſt reducenda alia in aliam. Reliquo capite ſtatuitur, negationes immediatas eſſe quaſdam, ut affirmationes. Ariſtoteles non ſervat hîc Ariſtotelis legem. Rectum eſt definitū: quid eſſet, nempe ἄμεσος κατάφασις, immediata affirmatio: obliquum hinc poteras intelligi, quid eſſet ἄμεσος ἀπόφασις, immediata negatio, ſi eſſet utile id intelligi. At inutile eſt: nam ſcientia τοῦ τί ἐστι, καταφάσεώς ἐστι, ejus quod quid eſt, affirmationis eſt, ut in hoc ipſo capite ab Ariſtotele præcipitur, ne longiús harum nugarum refutatio petatur: negatioq́ ad parãdam ſcientiam inutilis eſt. Quare totum caput hoc ad inſtitutum præſens eſt inutile, tantumq́ hîc περιττώματα περιττότερα. Notabis tamen συγγένειαν hîc proponi, & συστοιχίαν dici, quæ etiam κατηγορία aliás dicitur: & σύστοιχα, quæ ſunt ejuſdem συστοιχίας.

CAP. XII. ET XIII.

Duodecimo & decimotertio capite ſapientia ſimilis conſequitur: ad notam κατὰ παντὸς ſciētia quid ſit, definitum eſt, quid ſit in ſcientia quæritur. Cõtrarię quęſtiones agitatę prius

ſunt adverſus partes ſcientiæ: nunc contra totam ſcientiam contraria inſcientia tractatur, quot generibus & modis inſcientia comparetur: *ἄγνοια*, ignorantia *ἀμέσων, ἐμμέσων, ἀποφάσεως, διαθέσεως, ἁπλῆ διὰ συλλογισμοῦ* immediatorum, mediatorum, negationis, diſpoſitionis, ſimplex per ſyllogiſmum traditur. Simplex & negationis eadem eſt, de qua nihil præcipitur. *διαθέσεως* & ſyllogiſtica tum eſt utraque, tum ex altera propoſitiõe falſa per primam & ſecũdam figuram tractatur, tum affirmativa, tum negativa, non per tertiam, quia in tertia nihil univerſale concluditur, qualis videlicet eſſe debeat hæc ſcientiæ fallax imitatio. Sed priore capite *περὶ τῶν ἀμέσων*, poſteriore *περὶ τῶν ἐμμέσων*. Has nugas Themiſtiũ interpretari pené puduit. Et Nyphus ex interpretibus ariſtoteleis noſtri temporis facilè primus, prorſus omiſit: ne requiras, ut à nobis ſubtiliùs refellantur. Cognitio ſcientiæ ad informãdas artes neceſſaria eſt, inſcientiæ neceſſaria non eſt: redi ad ſyntaxim nominis adjectivi & ſubſtantivi: quære quot modis non conveniant: idẽ enim eſt, niſi quód res hîc abecedariis exemplis & verbis ſcholaſticis obſcurior & ineptior eſt: præterea quaſi demonſtratio nulla fiat, niſi figuræ primæ aut ſecundæ plenò ſyllogiſmo, ſic quæſtio hæc tractatur. At ſyllogiſmum demonſtratio quamobrem res eſt, non capit. Argutiæ & ſubtilitates hæ, Logicæ artis uſum perdiderunt. Nam interim dum his tricis impedimur, imó etiã ex his nonnunquam ignaviæ & inertiæ neſcio quam voluptatem capimus, artis fructum verum quærere prohibemur. At uſus artis introductus, demonſtrabit ad explicandam & formandã Grammaticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, & quamvis diſciplinam, nil hæc attinere: Atq; ejuſmodi argutias dolendum eſt tantúm adhuc authoritatis habuiſſe, ut pleriq; iis decepti mallẽt in hoc inſcientiæ pabulo conſeneſcere, quàm veræ Logicæ verum uſum exquirere. Ariſtotelicum hîc igitur nihil eſt, *τερετίσματα* tantúm ſunt.

CAP. XIIII.

MANIFESTUM *veró etiam, quód ſi quis ſenſus defecerit, neceſſe eſt & ſcientiam quandam deficere, quam impoſſibile ſit accipere: ſiquidem diſcimus aut inductione, aut demonſtratione. Eſt veró demonſtratio ex univerſalibus, inductio ex ſingularibus. Impoſſibile autem eſt univerſalia contemplari, niſi per inductionem: quoniam & quæ per abſtractionem dicuntur, erunt per inductionem nota. ac ſi quis velit nota facere, quód inſunt unicuiq; generi quædam, etſi non ſeparabilia ſint, quatenus unũquodque tale. At inducere non habentes ſenſum, impoſſibile eſt: ſingularium enim ſenſus eſt: non enim contingit aſſumere ipſorum ſcientiam. Neq; enim ex univerſalibus ſine inductione, neque per inductionem ſine ſenſu.*

Hoc caput ſuperiorum capitum longé diſſimile eſt, & tam laudandum nobis, quàm illa ſunt reprehenſa: imô tam diligenter explicandum & illuſtrãdum, quàm ab interpretib' ignaviter eſt ſpretum, nec, ut decuit, uſurpatum. Eſt verô primæ notæ quędam explanatio. Prima ſiquidem nota *κατὰ παντὸς*, præcepit, ut artiũ regulæ eſſent univerſales & de omni: unde igitur & quomodo univerſalia oriantur, hoc capite præcipitur. Hoc ariſtotelicum dogma eſt toties à nobis cantatum atq; celebratum. Summum univerſæ philoſophiæ fundamentum, platonicũ fundamẽtum: id enim Polus in Gorgia Platonis ita poſuit: *ὦ Χαιρεφῶν, πολλαὶ τέχναι ἐν ἀνθρώποις εἰσὶν ἐκ τῶν ἐμπειριῶν ἐμπείρως εὑρημέναι. ἐμπειρία μὲν γὰρ ποιεῖ τὸν αἰῶνα ἡμῶν πορεύεσθαι κατὰ τέχνην· ἀπειρία δὲ κατὰ τύχην.* O' Chęrepho, multę artes hominum ſunt experientia prudenter inventæ: experiẽtia ſiquidem efficit, ut artificioſè: inexperiẽtia, ut temeré noſtra vita progrediatur. Hãc magiſtri Platonis ſententiam diſcipulus Ariſtoteles in Philoſophia primo capite majoris *ἄλφα* citat & laudat. *ἀποβαίνει δ' ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις. ἡ μὲν ἐμπειρία, τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησὶ Πῶλος ὀρθῶς λέγων· ἡ δ' ἀπειρία τύχην.* Eſt veró ſcientia & ars hominibus per experientiam: experientia ſiquidem artem genuit, inquit Polus rectè dicẽs: inexperientia veró, temeritatem. Ergo tantum Platonis, tantum Ariſtotelis fundamentum, noſtræ Dialecticæ fundamentum feci, ſcholarum dialecticarum fundamentum feci, omninoq; parentem non ſolúm Logicæ, ſed omnis diſciplinæ, verum naturalemq; in veris & naturalibus exẽplis uſum ſtatui. Logicam ſic inſtituit, quia ſic uſus poſtularet: Logicam Ariſtotelis multus

multis locis reprehendi, quia uſui non conveniret: Ariſtotelem tanti principii authorem non appellavi, quia & Plato priús idem diceret: Ariſtotelei noſtri novum dogma, novamq́ ariſtotelicæ philoſophiæ ruinam putaverunt. Itaq; hoc philoſophiæ noſtræ fundamentum in theatris per dignas hiſtrionibus ſuis fabulas traduxerunt: imò etiam trium judicum ſententiis damnarũt, de quibus Audomarus Talæus frater meus in Academia meminit. At ſapientes hi judices ariſtotelei, Ariſtotelem noſtro nomine damnaverunt. Quid enim dicit hîc Ariſtoteles? Omnis ſcientia (inquit) á ſenſibus orta eſt, non quód ſenſus tanquam magiſtri & doctores ullam ſciẽtiam docuerint, ſed quód ſenſilium & ſingularium exemplorum (ſic enim τρoπικῶς loquitur Ariſtoteles) per ſenſus inductione diligentes ac ſtudioſi homines artes omnes invenerint. Sic pictores oculis colores, muſici auribus ſonos, coqui lingua ſapores, unguentarii naribus odores, ſic cæteri artifices cernendo, audiendo, obſervando artificiis ſuis res ſubjectas & propoſitas deprehẽderunt. Grãmatica & Rhetorica, obſervatione purè loquentium & ornatè dicentium facta eſt, & ex eorum ſingularibus exemplis univerſalia Grammaticæ & Rhetoricæ precepta facta ſunt. Si logica nulla eſſet, hac via quærenda nobis eſſet. Logica illa naturalis, de qua primo libro dixi, ſpectanda eſſet: ἀτέχνως γὰρ ἅπαντες μετέχουσι τούτου, ἡ ἔντεχνος ἡ διαλεκτική ἐστι· omnes enim ſine arte id ipſum tenẽt, quod artificioſè Dialectica inſtituit, ut ibi pleniús ex Ariſtotelis Elẽchis expoſuimus. Ergo ad illum naturalis rationis uſum reſpiciẽdum eſſet. Omnium hominum præſtantium ſcripta, dicta, obſervanda eſſent: rationes quibus uterentur, generibus notandæ & diſtinguendæ. hæc eſſet inventio. Diſpoſitio ſingulorum argumentorum, in enuntiationibus & eorum generibus ſimplicibus & compoſitis: in concluſionibus & ſyllogiſmis perſpicienda: videndumq́ quot eſſent ſpecies, in quas omnes eorum conſtantes & ratæ argumentationes caderent: qui ſimpliciter, qui conjunctè concluderentur, quot & qui ſingulis in generib⁹ modi: tum collocatio totius artis vel tractationis longioris inuenda, qua via procederet, & ex multorum excellentium exemplorum inductione, leges ſyllogiſmi, leges ordinis & methodi inſtituendæ eſſent. & hæc logicæ diſpoſitionis eſſet doctrina. Iſta, iſta (inquam) ariſtotelica ſenſus inductio eſt, quam laudavi, quam celebravi, & quam nondum neſcio quibuſnam ſapientibus ariſtoteleolis (quia ariſtotelicam eſſe non dixeram) perſuadere potui. At ſecundus liber hanc quæſtionem ſatis ſuperq; diſceptavit. Sed ad literam redeamus. Si ſenſus deficit, ſciẽtia quoque deficiet. Quid ita? quia ſi ſenſus deficit, deficiet inductio: ſi deficit inductio, deficit univerſale: ſi deficit univerſale, deficit ſcientia. Ergo de primo ad ultimum (ut ſcholæ noſtræ loquuntur) ſi ſenſus deficit, deficit ſcientia. Hic Ariſtotelis eſt ſorites, quem etiam potes in hunc ſyllogiſmum concludere,

Si inductio deficit, deficit univerſale, ex eoq́ orta ſcientia:

Si ſenſus deficit, deficit inductio:

Ergo ſi ſenſus deficit, deficit univerſale, ex eoq́ orta ſcientia.

Propoſitio declaratur ſubjectis reb⁹. Inductio eſt ſingularium, vnde colligitur univerſale, & ex univerſalibus demonſtratio, ſcientiaq́ efficitur. Nec univerſale ſi ſit ἄμεσον, poteſt niſi per inductionem partium explorari, ne illud quidem quod á ſenſilibus exemplis abductum dicitur, ut mathemata ſunt. Nam ſi linea, aut triangulum, aut aliud commune & generale velis explicare, neceſſe eſt ad ſenſilia exempla redeas. Ac τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως λεγόμενα, quæ per abſtractionẽ dicuntur, intellige non ſolùm Arithmetica vel Geometrica, ſed quævis generalia documenta: ſic antè dictum non οὐσίαν, ſed εἶδος á mathematicis conſyderari: & tamẽ locus iſte mathematicæ ἀφαιρέσεως diligentius conſiderãdus ſit, quia ἀφαίρεσις, ut ἐφάρμοσις, ut perpetua διαίρεσις eſt mentis, non ſenſus, neque ſenſus inductione dijudicari poteſt: & mẽtibus hominum quædam á natura ipſa notitiæ videntur ingeneratæ, nec á ſenſibus acceptæ: ut logicæ, arithmeticæ etiam & geometricæ nonnullæ: attamẽ ſi conſideres acutius, reperies á ſenſibus ſaltẽ occaſionem aliquã oblatam eſſe menti, unde illa ipſa univerſalia conſtituerentur: ſed de hoc rurſus ad 18 c 2. Ergo ſi quis

velit generalia, & unoquoq; genere cōprehēſa, nota facere, etiam ſi genera illa non ſeparata ſint, ut ſenſilia ſeparantur, nec per ſe conſiſtant, ut ſingularia individua conſiſtunt: attamen ad exempla ſenſuum revocanda ſunt. *Inducere.*] Aſſumptionis & complexionis ſententia eſt confuſa:

Si ſenſus deficit, inductio deficit. Senſus enim ſingularium eſt, quorum eſt inductio.

Quare ſi ſenſus deficit, univerſale deficit, ex eoq; orta ſcientia.

Hic ſorites retexitur deorſum verſus: Scientia non accipitur ſine univerſali, nec univerſale ſine inductione, nec inductio ſine ſenſu. Hæc igitur capitis hujus ſententia eſt, capius certè verbis exigui, ſententiæ pondere graviſsimi, dignitate prorſus ſuſpiciēdi atq; admirādi: quod ſi interpretes attendiſſent, & ad retexendam & examinandam Ariſtotelis philoſophiam adhibuiſſent, quæ probamus, eadem comprobaſſent: quæ improbamus, eadem quoq; improbaſsēt. At iſta philoſophiæ ariſtoteleæ fundamenta nullo philoſophiæ loco adhibuerunt. Utinam ſicut academiæ Platonis veſtibulo inſcriptum fuiſſe ferūt, Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, Nullus Geometriç expers acccedito: ſic omnium ariſtotelicarum ſcholarum veſtibulis inſcriptum illud eſſet, Ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δ' ἀπειρία τύχην: ut philoſophiæ magiſter nullū in philoſophia pręceptum, niſi à ſenſilibus exemplis & naturalibus inductum probaret, artis deniq; magiſter, uſus eſſet. Ergo caput hoc ariſtotelei noſtri hiſtriones & judices legunto, ariſtotelicæq; philoſophiæ tantum principium tantumque fundamentū perdiſcunto.

CAP. XV.

Deinceps ex occaſiōe τῆς συγγενείας, aut definiti principii, ad viceſimū caput revocatur altercatio tertii capitis, An ſit ulla demōſtratio, demonſtrationiſq; immediata propoſitio. Initio repetitur diſcrimē Dialecticæ & Apodicticæ, quaſi ſit ἄμεσον aliquid in utroq; genere, ſed quod illic videatur, hîc revera ſit: quod erit apertiùs capite viceſimo ſexto hujus & decimotertio ſecundi: & κατηγορίας diſtinctio quædam ponitur, quòd alia κατηγορεῖται κατὰ συμβεβηκός, dicantur ſecundùm accidēs, alia propriè: tanquam in hac quæſtione quæreretur de immediatis revera talib^9, & quæ propriè dicerentur. Infinitas verò octodecim capita implevit in hoc libro, tertio phyſico, primo de cælo, primo metaphyſico. Infinitas igitur principiorū & cauſſarum duplex in ἄλφα minore diſputatur, altera εἰς εὐθυωρίαν, in rectitudinem: altera κατ' εἶδος, ſecundùm ſpeciem: illa, ut ſi cujuslibet materiæ, formæ, efficientis, finis rurſus alia eſſet materia, forma, efficiens, alius finis: hæc ut ſi nō tantùm cauſſarū ſpecies eſſent quatuor, ſed aliæ infinitę: Ariſtoteles hîc εὐθυωρίαν tantùm diſputat, ad eamq; rem decimoquinto capite quatuor problemata ponit, ἢ ἀπὸ τοῦ ὑστάτου ἐπὶ τὸ ἄνω ἀπειρία τῶν μέσων, ἢ ἀπὸ τοῦ πρώτου ἐπὶ τὸ κάτω, ἢ περαινομένων τῶν ἄκρων, ἢ τῶν ὄντων ἀντικατηγορουμένων. Utrùm ab infimo ſurſum ſit infinitas mediorum, an à primo deorſum, an definitis extremis, an cùm de ſe mutuò dicuntur. Atqui hæ quæſtiones ex Philœbi Platonici loco illo videntur eſſe deductæ, ubi Plato in artium methodo & collocatione ſtatuit πέρας τε καὶ ἀπειρίαν, ut à ſummo intermedia omnia comprehēdantur, ἀπειρία ſingulariū relinquatur: ut videlicet quod magiſter Plato ſimpliciter propoſuerat, diſcipulus Ariſtoteles tam verboſe argutaret: quinetiam φιλογεωμετρίαν aliquā hîc ſuſpicor fuiſſe. Magnitudinis partes Ariſtoteli diviſione ſunt infinitæ, nec in minimas dividi poſſunt. Et Ariſtoteles in illo minore ἄλφα id attingit, cùm ait cauſſarum cognitionem diviſioni linearum eſſe diſsimilem, vel è phyſicis altercationibus quęſtio hęc deducta eſt: conſtat enim phyſicorum quorundam ſententiis infinita rerum principia conſtituta eſſe, ut de phyſicorum principiorum infinitate res ad logicorum principiorum infinitatem perveniret. Talem Ariſtoteles ἀπειρίαν diſquirit in mediis & argumentis, & in quatuor partes totum problema dividit, ut dixi: quas mirifica ὑστερολογίᾳ diſceptat, tertiam primo loco, primam ſecundamq; ſecundo. De quarta verbum nullum.

CAP. XVI.

Ergo decimo ſexto capite diſſerit in affirmationibus tertiam quæſtionem:

Si po-

Si poſitis duobus extremis infinita media di-centur eſſe, nullum (inquit) erit extremum:

At conſequens ex hypotheſi falſum eſt:

Quare & antecedens.

CAP. XVII.

Decimoſeptimo capite eadẽ quæſtio per tres figuras diſputatur: & in capitis extremo hunc in modum concluditur,

Finita ſæpius ſumpta tandem prorſus abſumuntur:

At duobus finibus hic omnia finita ſunt:

Sæpius igitur ſumpta tandem prorſus abſumentur.

His enim feré verbis ſyllogiſmus eſt in litera: *πεπερασμέναι γὰρ ἀεὶν αἱ ὁδοὶ, τὰ δὲ πεπερασμένα, πεπερασμενάκις ἀνάγκη πεπεράνθαι πάντα.* Definitæ ſiquidem ſunt viæ: finita veró finité ſumpta neceſſarió omnia finita. Sed tamen his duobus capitibus tertia quæſtio ita diſceptatur, quæſtio ridicula & irridẽda: quod enim quærit, id ſimul diſſolvit, An via duobus finibus finita, ſit infinita. At (inquã) hoc ipſum quód quæris, explicas, & reſpondes, & duos ejus fines ais eſſe. Baculum mihi proponis duobus finibus finitum, & quæris an ſit infinitus. Siccine veró tã fatua quæſtione ſimplicibus & imperitis diſcipulis illudis? At pergamus.

CAP. XVIII.

Decimooctavo capite prima ſecũdaque quæſtio; ſed magis prima differitur, *λογικῶς* primum; deinde *ἀναλυτικῶς*, id eſt, *διὰ τῶν κοινοτέρων ἐπιχειρήσεων καὶ συντομωτέρων*, per communiores rationes & ſubtiliores. Sic enim Themiſtius hæc verba veré interpretatur, ut res ipſas cõſyderanti patebit: imó Ariſtoteles ipſe ſic interpretatur, qui *ἀναλυτικῶς διὰ τῶν συντομωτέρων* ait. Hic veró logicos verbum pro eo quod vulgus dicit *διαλεκτικῶς*: tanquam dialectica eſſet probabilium, non etiã logica. Quæ ſunt igitur logicæ & generales communesque rationes? Definitiones, inquit Ariſtoteles, & demonſtrationes finitæ ſunt, quæ tamen ſurſum à definito & demonſtrato tendentibus nobis occurrunt: nõ igitur via ſurſum infinita. At quid nobis hîc reſpondes? ubi eſt acumen tuum? Quæritur hac tam multiplici quæſtione, *ἢ αἱ ἀποδείξεις εἰς ἄπειρον ἔρχονται*, an demonſtrationes in infinitum abeant, ut decimoquinto capite proponitur, & tamen pro argumẽto eam ipſam quæſtionem ſumis, & ais: Demõſtrationes ſunt finitæ. Quid igitur eſt *αἰτεῖσθαι τὸ ἐξ ἀρχῆς*; petere quod in principio, & quæſtionis nomen ſine ulla fidei ſolutione ſibi condonare, niſi hoc eſt? Hoc veró capite, *κατηγορίας* diſtinctio repetitur, quæ fuerat capite decimo quinto: ſed tam confuſé, ut Philoponus quãvis pertinaciſsimus Ariſtotelis defenſor, tamẽ dicat hic, *ἔχει δέ τι ἀκατάλληλον ἡ λέξις* habet veró incõgruum quiddam hæc oratio: & *ταυτολογία* tamen eſt legibus Ariſtotelis toties jam damnata. Hic etiam ideæ rurſus irridentur: *τὰ γὰρ εἴδη χαιρέτω, τερετίσματα γάρ ἐστι. καὶ εἰ ἔστιν, οὐδὲν πρὸς τὸν λόγον ἐστίν.* Valeant veró ſpecies, præcentiones ſiquidem proluſionesque ſunt: & ſi ſint, nihil ad rationem faciunt. Hîc Ariſtoteles Platonem, ut interpretibus placet, irridet, tanquam Plato dixerit ideas *αὐτοζῶα*, per ſe animantes, eiſque *ὑπόστασιν*, ſubſtantiam, nareſque & manus & pedes affinxerit, non autem ad logicam rationẽ *ἰδέας καὶ εἴδους*, ideæ & ſpeciei notionem & rationem uſurparit: ac non illam, quam accuſat Ariſtoteles, de ideis ſententiam in Parmenide refutarit, ut jam diximus. Ergo Ariſtoteles qui Platonis Logica deridet, & *τερετίσματα* nominat, qualia nobis hîc ipſe *τερετίσματα τερετίζει*, jam vidimus, & jam reliqua videamus. Analytica quæſtionis hujus argumenta videamus, quoniam Logica jam ſunt expedita:

Quæ per ſe inſunt, finita ſunt, ſive attributa ſubjectis, ut primo & quarto modo: ſive contrà ſubjecta attributis eſſentialia ſint, ut ſecundo tertioque, ſicuti quarto capite monſtratum eſt:

Ex iis autem demonſtrationes conſtant:

Demonſtrationes igitur finitæ.

Hæc analytica probatio eſt ex diviſione & partibus ſumpta, quia partes demonſtrationis ſunt ſyngeneæ, & per ſe, & tamen finitæ. Quare totum quod ex iis conſtat, etiam finitum. Philoponus cum Alexandro valdé occupatus eſt in explicandis verbis *λογικῶς καὶ ἀναλυτικῶς*, *λογικὸν*, ait, hîc dicitur non dialecticũ, nõ etiã apodicticũ, ſed cõmunius quiddã: *ἀναλυτικὸν* veró pro *ἀποδεικτικὸν* dicitur.

At hic

At hic vir diligens diligentia nimia labitur: nec logicum hîc & analyticum hoc diſcrimen ſignificant, ſed idem prorſus, quod commune, propriũ, generale, ſpeciale, univerſale, ſingulare. Demonſtratio totũ eſt: quæ per ſe ſunt, partes ſunt demonſtrationis: illic totum, hîc partes adhibentur: atq; illud argumentum logicum, hoc analyticum dicitur. Quamobrem Philoponus labitur, neq; tamen interpretibus ex hoc loco comminiſcendum fuit, Logicæ vocabulo totam Organi logici doctrinam ſignificari. Nihil enim minùs ſpectavit Ariſtoteles: imò contrarium potiùs ſignificaret, vel ex interpretatione Philoponi, qui ἀναλυτικὸν pro ἀποδεικτικὸν interpretatur, ut λογικὸν & ἀναλυτικὸν apponantur: ſic ut διαλεκτικὸν & ἀποδεικτικὸν & λογικὸν idem ſignificaret, quod dialecticum. Sic Topico primo πρότασις λογικὴ dicitur ab Ariſtotele: & Topici quinti capite primo λογικὸν ſic uſurpatur: Logicæ verò nomen Ariſtoteles cùm in Organo logico, tum in opere Metaphyſico frequenter uſurpat pro Dialectica. Sic in γάμμα dicit λογικὰς δυσχερείας, & in ζῆτα, ἐπισκεψόμεθα λογικῶς, item ὡς ἀπᾶν λογικῶς, & in λάμβδα, λογικῶς ζητεῖν. quibus in locis ſi curioſior eſſe voles, videbis Logicæ nomen ſic accipi. Ergo notabis λογικῶς in hoc capite tribus locis accipi, ut dixi.

CAP. XIX.

DEcimo nono capite reliquiæ quædam quæſtionis ejuſdem tractantur, Nõ quicquid de pluribus dicitur, etiam dicitur per mediũ: & quod ſine medio eſt, indemonſtrabile eſt, & demonſtrationis ϛοιχεῖον, elementum: ſic enim modò dicitur argumentum, quod antea medium & principium ſæpe dictum eſt. συγγένεια hic interim repetitur. Reliquo capite periſſologia eſt trium figurarum, qui ſit habit⁹ medii in tribus figuris: periſſologia (inquam) eſt vel Philoponi cõfeſſione inutilis & inepta. ταῦτα μὲν ἦν τὰ ἐνταῦθα λεγόμενα, μηδὲν πλέον ἔχοντα τῶν ἐν τοῖς τρισὶ σχήμασιν εἰρημένων περὶ τῆς θέσεως τῶν τριῶν ὅρων· μὴ δὲ ἀναγκαῖά τινα ἢ ἴσως τῶν εἰς ἀπόδειξιν χρησιμευόντων ἐνταῦθα παρεμβεβλημένα, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ. Hæc igitur quæ dicuntur hîc, nil aliud habent, quàm quæ in tribus figuris dicta ſunt de diſpoſitione trium terminorum: neque cujuſquam neceſſarii gratiã, quod ad demonſtrationem conferat, hîc propoſita ſunt, ut mihi quidẽ videtur. Hæc interpres ille cõfitetur, licet alioquí mordicûs Ariſtotelis multos errores tueatur. In hujus autem capitis periſſologia notabis, quód dicatur, ὥσπερ ἐν συλλογισμῷ τὸ ἓν πρότασις ἄμεσος· ἐν ἀποδείξει δὲ καὶ ἐπιστήμη, ὁ νοῦς. Sic in ſyllogiſmo unum eſt, propoſitio immediata: in demonſtratione autẽ & ſcientia, intellectus, quod poſtea dicetur apertiús. Itaq; ſex capitibus 3, 15, 16, 17, 18, 19, problema vaniſsimũ, An demonſtratio ulla ſit, & problema, (ut dixi) contra leges analyticas ſophiſticé agitatum eſt. Ariſtotelica lex eſt,

Quod genus artibus propoſitum et ſubjectum eſt, ponitur tanquam principium, non quæritur an ſit.

Nec enim Grammaticus quærit an ſit litera, dictio, oratio: nec Rhetor, an ſit ornatus in elocutione vel actione: nec Arithmeticus, an ſit numerus: nec Geometra, án ſit magnitudo: nec denique ulla ars, genus rerum ſibi ſubjectarum, tanquam dubium diſceptat, ſed ſumit: & id appellatum eſt principium capite octavo, & rurſus appellabitur principium capite viceſimo quinto.

At (inquam) in his Analyticis pro ſubjecto genere demonſtratio eſt:

Non eſt igitur diſputandum, an ſit, ſed ſumendum.

Hoc ſyllogiſmo atq; hoc judicio Ariſtotelis principioq;, cõvinco tantæ quæſtioni nullum eſſe in hac doctrina legitimum locum, nec quicquam hîc eſſe ariſtotelicum. At ſecundi Phyſici capite primo, multò ſapientiús Ariſtoteles ait γελοῖον εἶναι, ridiculum eſſe, ſi quis demonſtrare velit naturam eſſe: eosq; qui quidpiam tale attentent, μηδὲν νοεῖν, nihil intelligere: συλλογίσαιτο γὰρ ἄν τις ἐκ γενετῆς ὢν τυφλὸς περὶ χρωμάτων· ratiocinaretur enim quiſpiam à nativitate cæcus, de coloribus. Ita & legibus & factis Ariſtotelis, hãc altercationem tot capitibus productam, intelligimus improbatã. At dices fortaſſe, nõ prorſus inutilem quæſtionem hanc eſſe, etſi minùs artificioſẽ huc intertexta ſit. Certè ut ingenuè fatear, non prorſus inutilẽ credo: ſed lõgè alio utilitatis genere, quàm videatur. Quintilianus monet exercitationis gratiã nõ ſolùm recta & laudabilia, ſed etiã vitioſa

vitioſa exempla legenda eſſe,ut virtutis comparatione reprehendatur & fugiantur: Ita ſi quis exercendæ artificioſæ methodi cauſâ legere hanc quæſtionem velit,videbit in primis in analyſi poſteriori prorſus ei locum nullum eſſe, quia de ſubjecto artis genere diſſerendū non ſit: notabit in tribus primis partibus tū ἑτερολογίαν, tum principii & quæſtionis petitionem,tum periſſologiam antea dictarum rerū: in quarta & poſtrema, doctoris oblivionem,qui quatuor proponat,de tribus tantùm dicat: atq; etiā fortaſſe vitia plura,ſi diligenter inquiſierit, animadvertet. Hæc (inquā) tantæ tamq; prolixæ quæſtionis erit utilitas,& hoc erit τερέτισμα omnium τερετισμάτων, quæ adhuc animadverſa ſunt,leviſsimum & inaniſsimum, quod non bona illa mater ἐμπειρία, ſed argutiarū & ineptiarum omnium nutricula ἀπειρία peperit, & adhuc in noſtris ſcholis aluit: Ariſtotelicis principiis conſentaneum nihil erit: nihil ad informandas artes & ſcientias neceſſarium. In Arithmeticis, aut Geometricis, aut cujuſvis artis præceptis hæc quæſtio nequaquā tolerari poſsit:quantò minùs in hac arte, quæ cæteris leges bene docendi præſcribat? Nam propter quod unumquodque tale, & illud magis, ut Ariſtoteles antea docuit.

CAP. XX.

CApitibus proximis tribus quæſtiones ſequuntur, non tam quidem obſcuræ,ſed ad artiū & ſcientiæ ſtructuram nihilo commodiores. De præſtantia figuræ primæ ſupra cæteras ex nota κατὰ παντὸς jam dictum eſt, ſed tam ridiculè quàm in Geometria quæreretur,quæ pulcherrima ſit linearum. Attamen ex illa figuræ præſtantia,quia dictum eſt eam figuram præſtare,quia univerſale, quia affirmatum concluderet: deinde quæſtio deducitur de præſtantia univerſalis ſupra ſingulare, affirmationis ſupra negationem, & nota κατὰ παντὸς huc extenditur. Capite igitur viceſimo, præſtantia univerſalis agitatur,prolepſiſq; primò opponitur, quòd ſingulare præſtet, quia magis & ſciri & eſſe & minùs fallere videatur. At ſecus eſt, reſpondet Ariſtoteles,quia univerſale per ſe ſcitur,non autem ſingulare: quia univerſale eſt ἄφθαρτον, perpetuū minimeq; caducum:contrà ſingulare: quia ſi quis error accidat,non univerſalis culpâ, ſed perverſè attendentis accidet. Quales verò ſint hæ ſolutiones, faciliùs intelliges, ſi cum prima cōpares, quod primo hujus capite dicitur, ſingularia ſcire, eſſe ἁπλῶς ἐπίστασθαι,ſimpliciter ſcire: cum ſecunda autem ſolutione ſi conferas, quæ dicūtur in Categoriis de ſingularibus, quòd ſint πρώτως,μάλιστα,κυριώτατα. genera autem ſpecieſq; minimè: cum tertia verò ſi conferas Μένωνος ἀπορίαν, quo dictum eſt generali ſcientia inſtructum in ſingularibus labi poſſe, quod decimo capite eſt repetitum: tum verò conjunge quæ docentur primo capite majoris Ἄλφα in Philoſophia, quòd ars univerſalium ſit τιμιωτέρα καὶ σοφωτέρα, honorabilior & ſapientior, experientia verò ſingulorū certior & magis ἐπιτυγχάνει, rem aſſequitur: cùm enim hos locos comparaveris,tum judicabis, qualis hæc diſputatio ſit,& quàm apodictica. Sed tamen hæc Ariſtotelis refutatio eſt: confirmatio deinde quadruplex additur: univerſale præſtat, quia αἰτιώτερον, magis cauſſa, quàm ſingulare. Hoc argumentum verum eſt, & conſyderādum in primis, quod hìc docet Ariſtoteles, ſingularium cauſſas in univerſalibus contineri, & quicquid ineſt alicui per ſe, id ei cauſſam eſſe: ſic definitiones factæ ex genere & differentiâ, cauſſas rei cōplectūtur: & hūc locum jam antea citavimus, & adverſus imperitos propoſuimus, ut intelligerent omnis ſcientiæ fontem ab Ariſtotele in uno cauſſarū loco eſſe conſtitutum,& genera, differentias, & inde factas definitiōes, nil aliud quàm cauſſarū ſigna & ſymbola eſſe. Ergo univerſale verè præſtat ſingulari, quia αἰτιώτερον, item quia magis εἰς τὸ ἁπλοῦν καὶ τὸ τέλος, ad ſimplex & finem, id eſt, quid eſt ἁπλούστερον, ſimplicius, cùm ſit univerſale νοητὸν, ſingulare αἰσθητόν. quia ἐπιστημονικώτερον, quòd univerſale ſciens ſciat ſingulare, non contrà: quia ἀρχῆς ἐγγύτερον, principio vicinius. Duæ proximæ rationes ſuperioris germaniſsimæ ſunt,& ferè eædem: atq; harum rationū cùm ſint nonnullæ logicæ, ut Ariſtoteles loquitur, maximè certa eſt tertia, Qui novit univerſale, novit quodammodo & ſingulare,δυνάμει, potētia nempe:qui autem novit ſingulare,non ideo

novit

novit univerſale οὐδὲ δυνάμει, ὅτι ἐνεργείᾳ· neque potentia, nec actu: & λογικὸν hîc rurſus appellat Ariſtoteles commune, ut pro διαλεκτικὸν, ſicut antea, uſurpare videatur. Hæc Ariſtotelis diſputatio eſt, qua cõcludit demonſtrationem univerſalem eſſe βελτίω, αἱρετωτέραν, ἀκριβεστέραν, κυριωτέραν· excellentiorem, præſtabiliorem, accuratiorem, potiorem ſingulari: his enim verbis hîc utitur. Diſputatio hæc nec tam obſcura, nec tam moleſta, quàm ſuperior eſt: ſed fac apertam, fac etiam bellam: quorſum tamen demonſtratio univerſalis cum ſingulari comparatur? Omnis ſcientia omniſq; demonſtratio eſt univerſalium, nulla ſingularium, ut dictum eſt prius, id enim ſignificat nota κατὰ παντὸς· id etiam eſt, quod capite viceſimo quarto docebitur, nullam ſenſilium eſſe ſcientiam, nec individuorum: aut ſi ſit, ut affectionum cœleſtium, attamen ut perpetuorũ conſyderatur & univerſalium, non ut ſingularium; de quibus loquitur hîc Ariſtoteles, qui ſingularia φθαρτά, caduca dicit eſſe: perindeq; eſt iſta quæſtio, tanquam in Grammatica quæreres, An in loquendo ſermo Latinus laudabilior ſit barbaro. Quid igitur hîc, quæ nobis τερετίσματα τερετίζεται?

CAP. XXI.

Capite viceſimo primo diſputatur præſtantia affirmatæ demonſtrationis ſupra negatam, tribus argumentis: primum eſt,

Demonſtrationum duarum (cæteris paribus) brevior, excellentior eſt:

Affirmata autem brevior eſt:

Quia ſolo genere affirmationum: negata autem duobus generibus, affirmationum nempe & negationum. Hoc argumentum diligenter eſt conſyderandũ, quo uno περισσολογία duobus antea analyticæ methodi judiciis ab Ariſtotele damnata, veriſsimè damnatur: infinitè repetuntur inventionis loci toto logico Organo, de genere, ſpecie, definitione, contrariis & cæteris. Dic (inquam) ſemel id & accuratè, tantundem profeceris, ait Ariſtoteles: è duobus enim (cæteris paribus) quòd brevius, melius. Regulam unam ſemel ſcriptam perinde repetere, meditari & exercere, decies, centies, millies (ſi voles) licebit, ac ſi millies perſcripta eſſet. Ad intelligendum Platonem, ad explicãdum Ariſtotelem, ad utrunq; imitandum, inventionis loci ſemel in Logica arte inſtituti, tantundem proderunt, ac ſi millies eſſent confuſi & iterati: imò longè magis proderũt: nam brevioribus & paucioribus expoſitam artem faciliùs ediſces, faciliùs ad uſum conferes: & Ariſtotelis argumentũ præſens, id modò confirmat, Breviora, meliora. Et ſic octavi Topici capite quarto ex eodem repetitur peccatum eſſe, quando demonſtratur per longiora, quod poſsit per breviora, & quæ in ipſa diſputatione inſint. Quare hanc legem jam toties à nobis allegatam, vel potiùs toties jam ab Ariſtotele propoſitam notemus & perpendamus. Ταυτολογίαν καὶ περισσολογίαν antea damnavit Ariſtoteles in methodo: nunc rurſus eandem damnat. Secundum propoſitæ præſtantiæ argumentum eſt, quòd affirmata demonſtratio ſit γνωριμωτέρα καὶ πιστοτέρα, notior & probabilior, quia negatio per affirmationem probetur, non contrà: in omni ſyllogiſmo negato, affirmatione op' eſt, non contrà in affirmato, negatione. Poſtrema ratio eſt, quòd ſit ἀρχοειδεστέρα, principiis & immediatis magis vicina: quæ duæ rationes, rationis primæ ſunt affines, & eædem ferè. Atque in hac præſtantia idem mihi dicendum ſit, quod in ſuperiore: Omnis demonſtratio ſcientiaq; διότι, eſt affirmationis, ut Ariſtoteles ipſe ait capite undecimo. Cur igitur cum demonſtratione nõ demonſtratio comparatur? cur iſta nobis τερετίσματα cantitantur? Sophiſticum eſt, ait Ariſtoteles quinto capite, generis affectionem in ſpecie docere. At (inquam) univerſale, ſingulare, affirmatum, negatum concludere, ſyllogiſmi generalis & communis eſt affectio: ſophiſticum igitur eſt in demonſtratione, ſi ſyllogiſmi ſpecies ſit, hæc omnia, & quidem tam verboſè proponere.

CAP. XXII.

Diſceptata eſt præſtantia tum univerſalis, tum affirmationis ſupra ſingulare, ſupraq; negationem: ſequitur viceſimo ſecundo capite comparatio demõſtrationum negatarũ, quòd δεικτική, oſtenſiva, præſtet ducenti ad impoſsibile: ſed initio differentia utriuſq; præponit: Cùm antecedẽtib' ꝓpoſitione atq;

ne atq; aſſumptione veris, verum conſequens efficitur, δεικτικῶς dicitur: ut,

Nullum β eſt α:
Omne γ eſt β:
Nullum γ eſt α.

Ad impoſsibile veró, ſi concludendũ ſit, quod nullum β eſt α, quæ fuerat ſuperioris propoſitio, ſic agẽdum eſſe Ariſtoteles jubet:

β eſt α·
γ eſt β·
γ eſt α.

Certum ueró eſt, conſequens impoſſibile eſſe: quare antecedentis propoſitio nõ eſt vera, cùm aſſumptio certa ſit. Hanc differẽtiam Ariſtoteles, & pręſtantiam ex iiſdem terminis ſtatuit, quód δεικτικῶς probet ex notioribus & prioribus antecedentibus conſequens: ducẽs ueró ad impoſsibile, contrà ex notioribus & abſurdis conſequentibus antecedens: ut Ariſtotelem in eiuſmodi differentia ἀπαξάπαντες οἱ ἐξηγηταὶ univerſi interpretes reprehenderunt, ait Philoponus, quoniam contra ſuam prioris analyſeos doctrinam, hanc differentiam ſtatuat: debuit enim ſumere ἀντιφατικὸν, contradictorium concluſionis, ſumpſit aũt propoſitionis: deinde illud ipſum propoſitionis ἀντιφατικὸν infinité ſumpſit: quod ſi ſingulariter intelligat, ex ſingulari propoſitione majore in prima figura concludet ἀσυλλογίστως· ſi univerſaliter, nõ ſumit ἀντιφατικὸν, ἀλλ' ἐναντίον· contradictorium, ſed contrarium: quod eſt ineptum & ἄλογον· nec enim ſi contraria falſa eſt, oportet eſſe verã contrariam, ſed contradictoriam. Sic Ariſtoteles à ſuis accuſatur. Philpponus defendere vult, ſed interim dum alienã inſcitiam tegere vult, oſtẽdit ſuam: Ait enim propoſitionẽ, β eſt α, ὁ παντί, non omni ab Ariſtotele intelligi: & apud Ariſtotelem, τὰς ἀπροσδιορίστους, ἰσοδυναμεῖν ταῖς μερικαῖς· infinitas, æquipollere particularibus: & propoſitionem illam, γ eſt β, pro majore ſumpram. Quod ſi ſit, ſyllogiſmus hic erit.

Omne γ eſt β.
Quoddam β eſt α·
Quoddam igitur γ eſt α.

Quo nihil ἀσυλλογιστότερον fingi poteſt in prima figura. Lege Philoponi locũ: eſt enim mendoſus, ut apparet ex varia lectione: ſed quicquid eſt, excuſari tam manifeſtus error non poteſt. Quanvis Philoponus Rheroricé neſcio quid hic moveat, quód veriſimile non ſit, Ariſtotelem πρῶτον καὶ μόνον τὰς λογικὰς μεθόδους παραδεδωκότα, qui primus & ſolus logicas artes inſtruxerit, tã graviter lapſum eſſe. At (inquam) iſta nimia in doctore Logicæ artis, ſimplicitas & credulitas eſt: peccatum eſt manifeſtum, peccatũ non putas, quia ſit Ariſtotelis peccatũ. Quamobrem? (inquam) quia (inquis) logicas artes primus & ſolus inſtituit, nec contra ſuas artes faceret. Quaſi veró ſit impoſsibile, quenquam bene conſulere, conſiliis autem ſuis non bene uti. De Grammatica bene præcipit Alexãder, barbaré tamẽ loquit̃, nec bene ſuis præceptis utitur: quia tamen tanta erat ejus apud noſtros homines authoritas, quanta nunc eſt Ariſtotelis apud Philoponum, tot annos in Academia pariſienſi floruit: & quanvis barbariſmis putẽret, barbarus tamen eſſe à Philoponis ſuis non credebatur. Qualénam igitur argumentum eſt? Ariſtoteles magiſter eſt artis Logicæ: ergo cõtra ſuam artem peccare non poteſt. Sed quid rem manifeſtiſsimam diſputo? tribus rebus Grammatici, Rhetores, Logici, & cęterorum generum artifices efficiuntur, naturâ, arte & exercitatione, omniumq; partium facillima & minima eſt ars: & tamẽ Philoponi credulitas huc peruenit, ut credat, ſi ars qualiſcunque etiam adſit, naturam protinus & exercitationẽ adeſſe. Primus, ait, & ſolus Logicas artes inſtituit. Quid tum? An iccirco errare in uſu non poterit? nónne Ariſtoteles ipſe primo & nono capite docuit fieri poſſe, ut generales regulas teneas, in uſu tamen & exemplis fallare? Ergo ſi primus & ſolus Logicas artes tradidiſſet Ariſtoteles, non iccirco credendum fuit, Ariſtotelem in artibus Logicis offendere non poſſe: At falſum ſibi Philoponus argumentum concedit: nec enim primus logicas artes docuit, ſicuti primo libro tot teſtimoniis productis convicimus. Quare videmus quales ariſtotelicę philoſophiæ exiſtimatores & judices in his interpretibus habemus. Sed pergamus. De ſyllogiſmo ad impoſsibile, priorib. Analyticis diximus: & περιττώματα ſunt in hoc capite ineptiſſima: de negativis ſyllogiſmis compa-

ratio inſtituitur, & quærit utro in genere demonſtratio ſit præſtantior. Neutro (inquam) quia demonſtratio omnis eſt affirmationum, ut jam diximus.

CAP. XXIII.

Capite viceſimotertio περιττώματα minus moleſta ſunt, ſed tamen περιττώματα ταυτολογίας καὶ περισσολογίας triplicis: ſcientia eſt ἀκριβεστέρα, accuratior, quæ ſimul novit διότι καὶ ὅτι, quàm quæ tantùm novit ὅτι· quæ nõ eſt de ſubjecto, ad eſt, quę τὰ ἄυλα καὶ νοητά, immaterialia & intelligibilia contemplatur, & quæ ex paucioribus. At (inquam) iſta ἀκρίβεια iiſdem argumẽtis tractata prius eſt, procq; eodem βέλτιον, ἐντιμότερον, ἀκριβέστερον acceptũ eſt, & ἀκριβείας nomine præſtantiam ſimiliter inquiri perſpicimus. At capite decimo prapoſita eſt demonſtratio διότι demonſtrationi ὅτι· capite viceſimo dicta eſt univerſalis demonſtratio ἀκριβεστέρα, quia ſimplicior eſſet: capite viceſimo primo dicta eſt item affirmativa præſtantior, quia ex paucioribus. Eſt veró in tertio τῆς ἀκριβείας argumento notãdum, quod Ariſtoteles ait, quodq; antea citaui, Arithmeticã, Geometriâ ἀκριβεστέραν εἶναι· attamen in tota Arithmetica, demonſtratio ſyllogiſtica, qualem nobis Ariſtoteles cõfingit, nulla eſt. Videbis idem præſtãtiæ argumentum majore à in Philoſophia. Quid igitur ſibi periſſologia uult? Altera eſt περὶ τῆς συγγενείας ταυτολογία, unde una & diverſa ſcientia cognoſcitur. At quoties jam, quoties iſta, συγγένεια petitur & repetitur? & tamen quàm nuſquam ſervatur: quàm nuſquam attenditur? Eadem ſcientia eſt, quæ conſtat ex ſyngeneis: diverſa ſcientia eſt, quæ conſtat ex heterogeneis. Tertia eſt ταυτολογία, quomodo demonſtrationes ejuſdem rei ſunt plures, aliæ τῷ προσλαμβάνειν, aſſumendo, aliæ εἰς τὸ πλάγιον, in latus: illud enim eſt ſuprá dictũ, quod mutatis verbis iteratur. Demõſtrationis media modó ſunt in recto ordine σύστοιχα, ut genera ſunt ſpeciei: modó εἰς πλάγιον, ut differentiæ: ſed id Themiſtius & Philoponus ſatis aperté. Atque iſta numeroſa περιττώματα nobis ab Ariſtotele cantant, qui legibus ſuis ταυτολογίαν tribus jam ſeveris judiciis damnavit, qui tamẽ exemplis ſuis toties uſurpat. Notabis hoc capite οὐσίαν dici pro πρᾶγμα, ut cum dicitur μονάς, στιγμή, οὐσία, unitas, punctum, eſſentia, intellige tanquam res diceretur. Quanvis ad Pythagoreos Philopoponus hoc referat, qui numeros, eſſentias faciebant, ait, ut eſt in Philoſophia. At Ariſtoteles Pythagoream hîc opinionẽ nullam attingit, ſua ipſe ſenſa duntaxat exprimit. Notabis in hoc capite συστοιχίαν καὶ τὰ σύστοιχα, conjugationẽ & conjugata dici, quæ alibi κατηγορίαν, συγγένειαν, καὶ τὰ συγγενῆ nominavit.

CAP. XXIIII.

Capite viceſimoquarto ἐναντίωσις duplex eſt ex quarto capite deducta: dictum illic eſt ſcientiam eſſe ἐκ τῶν καθ' αὑτό, quæ neceſſaria & univerſalia ſunt: itaq; nunc contrarium diſſeritur, non eſſe igitur fortuitorum, non igitur ſenſilium. Quamobrem non eſſe fortuitorum? quia

Τὰ ἀπὸ τύχης, fortuita, neq; neceſſaria ſunt, neque ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, quæ frequẽter eveniũt:
Omnis veró ſyllogiſmus eſt neceſſariorũ, aut frequenter evenientium:
Nullus igitur ſyllogiſmus eſt fortuitorum: nedum demonſtratio.

Quamobrem autem non eſſe ſenſilium? quia

Scibilia ſunt univerſalia:
Senſilia non ſunt univerſalia:
Senſilia igitur non ſunt ſcibilia.

Atque adeó ſi ſuper Lunam poſitus, objectã terram videres, eclipſeos tamen cauſſam nõ videres, ait hîc Ariſtoteles: contrario tamen ſecundo capite ſecundi proponit. Ac quanvis oriatur univerſale à ſenſibus, illis tamen eſt τιμιώτερον, honorabilius, quia cauſſam eorum continet: quód notãdum nobis rurſus eſt, ut intelligatur ex Ariſtotelis doctrina, genera differentiasq;, ſpeciei cauſſas eſſe, quia ſint ejus univerſalia: definitionẽ definiti cauſſam eſſe, quia complectatur ejus univerſalia. Addit Ariſtoteles, ſenſilis unius exemplo plerunq; univerſale concipi: ut ſi vitrum perforatum videremus, & lumen tranſiens, cauſſam nequaquam quæreremus, protinus conciperemus. Hanc cauſſam Philoponus affert duplicem, aut quód porroſum, aut quód perſpicuùm. Hæc capitis eſt

[illegible]

τικοῖς, quæ certé ex ſuperiori ſcientiæ doctrina abundé percipi poterat. An ſcientia eſt fortuitorũ? minimé, inquies, quia eſt neceſſariorum, ut definita eſt. An ſenſilium? minimé dices, quia eſt univerſalium: quia id nota κατὰ παντὸς priús expoſuit. περιττώματα hîc itaque ſunt, nulla nova ad parandam ſcientiam utilitas, non magis ad demonſtrandum neceſſaria, quàm ad bene loquendum doctrina barbariſmorum & ſolœciſmorũ. At cæteris paribus breviora, meliora, præſtantioraq́ ſunt, ut Ariſtoteles antea docuit: At ταυτολογία vitioſa eſt, Ariſtotelis judiciis damnata, ut antea jam patuit. Quare nihil hic eſt ariſtotelicum, nihil Ariſtotelis principiis conſentaneum.

CAP. XXV.

CApite viceſimo quinto ponitur quæſtio περὶ τῆς κοινωνίας τῶν ἀρχῶν, de cõmunione principiorũ, An omnia ſyllogiſmorũ principia ſint eadem: Ad hanc quæſtionem refellendã multæ rationes afferuntur: Syllogiſmi partim falſi, partim veri. At neq; falſorũ cùm ſint contraria plerunq;, ut juſticia & injuſticia, neq; verorum, ſi ſint heterogenea, principia ſunt eadem: nec ſi communia quædam principia ſunt, ut axiomata, ideo ſunt omnia: genus enim ſubjectũ (ex quo eſt aſſumptio) propriũ eſt: & principia ſi eadẽ eſſent, eſſent finita: at infinita ſunt, ut cõcluſiones. Tũ veró alia neceſſaria ſunt, alia cõtingẽtia: nec ſi dicantẽ in ſingulis ſcientiis eadẽ, in univerſis erũt eadẽ: At nõ eadẽ eſſe, inductio & analyſis artiũ declarabit: nec ſi quædã propoſitiones immediatę ſunt & ſyngeneę, iccirco eadẽ omniũ artiũ principia erũt. Hæc tot Ariſtotelis argumẽta ſunt ad hãc quæſtionẽ refellendũ: quæſtionẽ veró ancipitem & ambiguam: aut enim quærit an principia, id eſt, elementa media: argumenta deniq; ſyllogiſmorum ſint eadem ſummo quodam & communi genere, ut antea dialectica dicta eſt κοινὴ πάντων, domina omnium & omniũ artium cõmunis: aut quærit an ſint eadem ſubjecto certæ artis genere, ut arithmetica inter ſe, geometrica inter ſe ſunt eadem, id eſt ſyngenea, ut dictum eſt priús: aut omnino quærit, an eadem numero ſint, ut ſcholæ noſtræ loquuntur. Poſtremo genere eadẽ non eſſe, certé ſatis comprobat Ariſtoteles: ſed id quærere perridiculũ videatur. Si veró nunc diſputet, ſecũdo genere nõ eadem omniũ ſyllogiſmorum principia eſſe, ταυτολογία fuerit inanis. Quid enim aliud ſyngenia trib. capitibus, ſeptimo, octavo, nono diſſeruit, quàm propria ſcientiarum eſſe principia, non eſſe eadẽ, non cõmunia? Supereſt igitur ut de primo ταυτότητος, identitatis, ut ita dicã, genere diſſerere videatur. Hujus enim quæſtionis ſuſpicor iſtam hypotheſin eſſe, quãvis ea tamen nõ exprimatẽ. Ariſtoteles unam communem omnium quæſtionum diſpoſitionẽ in ſyllogiſmo putavit, & in prioribus Analyticis ſemel tantúm docuit: unam aũt & eandem & cõmunem omnium ſyllogiſmorũ omniumq́; quęſtionum inventionem eſſe nõ putavit, ut primo Topico teſtatur, & nos anté diximus: ideoq́; tot libris eam diſperſam videmus in Categoriis, in Interpretatione, in Abundantia propoſitionũ, in poſterioribus Analyticis, in Topicis. Videtẽ igitur hic quærere, an omnium ſyllogiſmorum argumenta, id eſt media, principia, elementa ſint eadem, ſitq́; cõmunis ejuſmodi mediorum & principiorũ quædã doctrina, qua ſyllogiſmi omnes inſtituantur. Et certé ſic media omnium ſyllogiſmorũ eadem & cõmunia eſſent, eorumq́; communis eſſet & una doctrina: Quicquid enim ad aliud probandum vel explicandum afferri poteſt, locis generalibus decem cõtinetur, Cauſſarum, effectorum, ſubjectorum, adjunctorum, diſſentaneorum, comparatorũ, nominũ, diſtributionum, definitionum, teſtimoniorum: & eorum communis & eadem eſt doctrina, Logica nempe & Dialectica inventio. Id igitur refellere ſi noluit Ariſtoteles hoc loco, ut in primo Topico voluit, errat & labitur, ſicut illic erravit ac lapſus eſt, quemadmodum ſecundo ſcholarum libro docuimus. Imó Ariſtoteles ipſe videtur jam antea id ipſum refutaſſe, cum docuit Dialecticã κοινὴν πάντων εἶναι, eãq́; omnibus artibus omnibusq́; quæſtionibus cõmunem eſſe. Nam ſi Dialectica cõmunis eſt omnibus quæſtionibus & diſputationibus, certé mediorũ & principiorum doctrina, quæ inventio eſt, & de Dialecticæ partib. altera, tota etiam communis erit: & Ariſtoteles in Philoſo-

phia tertio & quarto libro diſputat & docet unam eſſe artem, quæ principia omnium artium cõmunia habeat & cõſyderet: & duodecimo confirmat principia omnium rerum eſſe κατ᾽ ἀναλογίαν eadem omnium. At jam docuimus, doctrinam illam eſſe logicam. Quare ſi Ariſtoteles hãc ſententiam refellere voluit, verum, & Ariſtoteli quidem ipſi probatũ refellere voluit. Atq; hîc omnino περιττώματα ſunt, ad ſciẽtias & artes conſtruendũ prorſus inania, ariſtotelicũ nihil eſt.

CAP. XXVI.

Viceſimo ſexto capite vocabula quædam, facultates animi ſignificantia, ex occaſione τῆς ἐπιστήμης proponũtur: νοῦς, ἐπιστήμη, δόξα, διάνοια, τέχνη, φρόνησις, σοφία, intellectus, ſciẽtia, opinio, diſceptatio, ars, prudentia, ſapiẽtia. ὁ νοῦς, intellectus, non ſolùm eſt neceſſariorum, ſed primorũ & demonſtrabilium, ut jam dictum eſt. Philoponus altius neſcio quid hîc philoſophat, τὸν νοῦν eſſe τὴν ἀκροτάτην τῆς ψυχῆς δύναμιν, altiſſimam animi facultatem: quod cõcedo καθ᾽ ἣν ἡ τῶν θείων ἀντίληψις κατὰ τὰς καλουμένας ἁπλᾶς ἐπιβολάς, per quã fit divinorũ apprehenſio per ſimplices (quæ dicuntur) notiones: & quod Ariſtoteles antea dixit, τῷ νῷ ὅρων intelligi, ὅρων dicit θεῖα καὶ νοητὰ εἴδη, divinas & intelligibiles ſpecies. Quãobrem aũt ὁ νοῦς divinorum tantùm, non etiam cõmuniter omnium immediatorum, divinorum, ſeu non divinorum fuerit? Multò verò magnificentius eſt, quod idem Philoponus ibidem paulo pòſt ait: ἀρχὴν δὲ ἐπιστήμης, τοιοῦτον νοῦν καλεῖ, διότι ἡ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν λῆψις, καὶ ὅλως ἡ τῶν ἀμέσων προτάσεων γνῶσις, αὕτη συλλογισμοῦ ἄνευ παραγινομένη, ἐσχάτη τίς ἐστι καὶ [illegible] ἐνέργεια τοῦ νοῦ τούτου. Principiũ verò ſcientiæ talem intellectum vocat, q̃a cõmunium notionũ perceptio, & omnino immediatarum propoſitionum cognitio, quæ ſine ſyllogiſmo in nobis eſt, extrema quędam & obambulans intellectus hujus eſt actio. Hic tã nobilis locus animadvertendus eſt. Lumen eſt in nobis, divinũ certè & cœleſte, quo tamẽ & mediata & immediata & neceſſaria & contingentia, & fortuita, & cætera denique omnia cognoſcimus non ſolũ artium principia: deniq; quod Ariſtot. primo Topico, Ariſtotele iſto longè pręſtãtior ait, ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ: ut viſus in oculo, ſic intellectus in animo. quomodo in libris de Anima ὁ νοῦς ab eodem dicitur. Hoc logicũ & dialecticũ lumen eſt generale, commune, univerſale. Sed ad Philoponũ redeo. Intellectus (ait) hic, ſine ſyllogiſmo immediatas ꝑpoſitiones cognoſcit: & certè ſine ſyllogiſmo cognoſcit, judicat, & perpendit: idq; judiciũ valde naturale eſt, artificii admodum nõ habet: hoc definitiones, hoc diſtributiones ſingulares deniq; & per ſe manifeſtas enuntiationes examinat & judicat, & primũ dialectici judicii genus νοητικὸν Ariſtoteli præcipuè dicitur: deniq; unũ judiciũ omnes artium inſtitutiones examinat per ſe & judicat. At ſi verbi cõmunis humanus uſus vel in Ariſtotelis Philoſophia cõſideretur, cõmune totius Logicæ ſymbolum hoc erit. Quoties enim Ariſtoteles uſum loquendi cõmunem ſequitur, τοῦ νοῦ nomine, illud mentis commune lumen ſignificat: cognitionem principiorum nomine τοῦ νοῦ ſignificare, placitum eſt Ariſtotelis, quod equidem hactenus probo, ut certæ partis in dialectica certum quoque nomen habeatur. Scientia verò eſt neceſſariorum, opinio eſt contingentium: & eſt ἄδηλον, incertum quiddam: δοξαστὸν δὲ καὶ ἐπιστητόν, opinabile verò & ſcibile idem poteſt eſſe: ut Epicuro omnia concurſione fortuita atomorum conficiẽti, eclipſis Lunę opinabilis erat: Hipparcho ex neceſſariis cauſſis intelligenti, ſcibilis. Sic opinio & ſcientia, ὑπολήψεως τρόπῳ, conceptionis modo, non ſubjecto ſemper differũt, ut eadẽ de re opinio vera eſſe poteſt & falſa. Interea notabis hic ab Ariſtotele dici, quod antea capite decimo quinto obſcurius indicatum eſt, dialecticam propoſitionem eſſe ἔνδοξον, ut apodicticã: ut illa videatur talis, hæc revera ſit: quod iterum capite decimo tertio ſecundi dicet. Notabis item ἄτομον καὶ εἶδος hic ſic opponi, ut antea notavimus, pro ſingulari quod per ſe eſt, & communi quod eſt in ſingularibus. Quomodo loqui videntur Ariſtoteles & Porphyrius, cùm vocat hominẽ, Socratis & Platonis ſpeciẽ. Hoc extremo capite diſtributio & explicatio διανοίας, τέχνης, φρονήσεως, σοφίας, partim ad Phyſicã, partim ad Ethicam remittitur: in Phyſicis tamẽ, iis de rebus nihil dicitur. Itaq;

Philo-

Philoponus per φυσικὴν θεωρίαν inſinuat nobis philoſophiã τὴν περὶ τῶν ὄντων διαλεγομένην, quæ de omnibus diſſerit, ait. Sic Ariſtotelem excuſat, & verbum cum verbo cõmutat, propterea quód in Philoſophia de ſapientia dicatur. Eſt veró (ut Philoponus idem ait) ſapientia idem omnino, quod ſcientia: aut ſi quis accuratiùs diſtinguere voluerit, τὸ ἀκρότατον τοῦ νοῦ, intellectus extremum, & velut ipſius abſolutio. Hæc veró ſapientia, qua divinas & intelligibiles ſpecies agnoſcimus, σοφία dicta, quaſi σάφεια, declaratio, quia per eam divina nobis manifeſta ſint: at περὶ τῆς διανοίας, nuſquam nec in Ethicis, nec in Phyſicis, nec in Philoſophia: hanc veró Philoponus nobis interpretatur συλλογιστικὴν ἀγωγήν, ut initio citavi: & genus efficit omnis diſputationis dialectice, apodicticæ: deniq; quandocũq; aliud ex alio explicatur, ſeu definitione, ſeu diſtributione, ſeu quavis explicationis ſpecie, διάνοια dicitur, & διανοητικόν, quod ita cognoſcitur. Quare Philoponum primo capite errare docui, qui διανοητικὸν opponeret αἰσθητικῷ. Eſt veró in hoc verbo mirabilis Ariſtotelis ὁμωνυμία, ut antéa dixi. Extremo capite definitur ἀγχίνοια, εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου, conjectiva medii in tempore non meditato, id eſt, cauſſæ & rationis extemporalis inventio: vel εὕρεσις ταχεῖα τοῦ μέσου, inventio ſubita medii, ut Themiſtius ait: Latiné dicitur acumen, ſolertia, ſagacitas, ingeniũ: iis enim tropis aliquando in eam ſententiã utimur: ſed ex omnibus acumen maximé Græcum illud exprimit, & ἀγχίνους, acutos dicimus, qui celeriter cauſſam propoſitæ rei concipiunt. Hujus & ſuperioris capitis περιττώματα minús moleſta ſunt, quàm ſuperiora: ad parandam tamen ſcientiam, quod analyſeos poſterioris eſt propoſitum, inutilia περιττώματα ſunt, ariſtotelicam ἐμπειρίαν ad inſtruendas artes & ſcientias neceſſariam nullam habent, ſcholaſticam & inertem ἀπειρίαν duntaxat habent.

Scholarum dialecticarum libri noni finis.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER X.

CAP. I.

SECUNDI libri doctrina tota eſt de cauſſis, effectis, diſtributione, definitione, origine univerſalium & principiorum, non propria ariſtoteleæ demonſtrationis, ſed omnium quæſtionum, omnium ſyllogiſmorum, imó etiam nõ ſyllogiſticarum explicationum omnium cõmunis: non propria (inquam) ſyllogiſmi ex cauſſis primis & notiſsimis affectionem propriam concludentis, quem Ariſtoteles demonſtrationem facit. In arte porró, quod commune ſit univerſi generis, uni ſpeciei attribuere, ſophiſticum Ariſtoteles appellat quinto capite ſuperioris libri. Quare quicquid erit in hoc libro commodi, non ad commentitiæ demonſtrationis ullam artem propriam refertur, ſed ad communem logicæ artis inventionem. De definitione veró, tam multa, quę diſſerẽtur in hoc libro, é Platone feré ſumpta ſunt. Pythagoras primus definitiones in numeris, deinde Democritus in phyſicis, poſtremó Socrates in ethicis celebravit. Atqui duo ſunt, ἅ τις αὖ ἀποδῴη Σωκράτει δικαίως, τοὺς δ' ἐπακτικοὺς λόγους καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου· quæ quis meritó Socrati tribuat, inductiones & definitiones univerſales (ait Ariſtoteles in Philoſophia capite quarto μ.) Theophraſtus porró & Alexãder, duos ſcientiæ modos dixerunt eſſe, alterum definitionis, demonſtrationis alterum (quod Ariſtoteles (ut jam dixi) docet in Philoſophia:) & de demõſtratione, ſuperiore libro actum eſſe, de definitione agi ſecundo: Logicam definitionis equidem valde laudo, ſophiſticam ſomniatæ demonſtrationis tot capitibus, imó tot ætatibus venditari nõ laudo. Eſt veró notanda Philoponi, Euſtratii, & reliquorum contra Theophraſtum & Alexandrum diſſenſio, quód ſecundi hujus libri ſcopus non ſit definitio: & quanvis de definitione præcipiatur, præcipi tamen per acci-

cidens, quia definitioni accidat eſſe medium demonſtrationis. Ariſtotelis ſtudium aliquod interpretes hi videlicet ſenſerunt, ſyllogiſmo demonſtrationem, demonſtrationi definitionẽ ſubjicientis. Attamen homines hi tam acuti ad parandam ſcientiam, principem locum definitioni concedunt: ἅπαν κῦρος ἔχει, totum principatum habet definitio, ajunt. definitio per ſe ſcientiam parit, demonſtratio ſine definitione non parit. Ecquid (inquam) cúm Ariſtoteles de ſcientia ſcientiæque generibus & modis præcipiat, quomodò per accidens de principe ſcientiæ inſtrumento præcipit? Ergo Poſteriorum ſecundus liber, platonicam definiendi doctrinam ſibi proponit, ſi Theophraſtum & Alexandrum, imó Ariſtotelem ipſum in philoſophia ſequimur. Sed tamen Ariſtoteles definitionem in demõſtrationis ſpeciem traducere voluit, nec interpretes fortaſsis hîc omnino labuntur. Hîc multa commenta περὶ τῆς ἀναλύσεως prætereo, de quibus alibi dici commodius fuit: Artes omnes definitionibus, diviſionibus, & exemplis feré tractãtur, ſyllogiſmum rariús adhibẽt. Ariſtoteles quęſtionis ſimplicis, quid eſt, explicationem, definitionem appellavit: quæſtionis compoſitæ, propter quid eſt, explicationem, quanvis definitio ipſi eſſet, definitionem dicere noluit, demonſtrationem dixit: & quanvis quæſtiones quid eſt, & propter quid eſt, faciat eaſdem, earum tamen explicationes eaſdem facere noluit, dúas diſtinxit, ut definitio definiret eſſentiam τῷ νῷ· demonſtratio de ſubjecto demõſtraret accidens τῷ συλλογισμῷ· & ex hoc commento múltas in hac arte tenebras genuit: ad quas diſcutiendas, magno adjumento nobis erunt duo proxima capita, quorum ſententiam diligenter attendamus. Monuimus ſuperiore libro, ſi quæratur propter quid proprietas eſt in ſubjecto, cúm noveris & an eſt, & quid eſt, & quia eſt, cauſſam reliquam omnino nullam eſſe: conſyderavimus toto ſuperiore libro, ſicubì Ariſtoteles ullam talem cauſſam afferret: nullam attulit: id etiam hoc rurſum libro conſyderemus. Duobus igitur primis capitibus agitur de quæſtionis fine & generibus ac differẽtiis. Finis omnis quæſtionis, eſt inventio medii, id eſt cognitio, ut Euſtrati⁹ rectè interpretatur: τὰ ζητούμενά ἐστιν ἴσα τὸν ἀριθμὸν, ὅσαπερ ἐπιστάμεθα· Quæ quæruntur, æqualia numero ſunt iis, quę ſcimus. Hæc propoſitio eſt ex eodem fine: quia quæſtionis finis eſt ſcientia, ideo quæſita quot numero ſunt, totidem ſi cognoveris, ſcita erunt: propoſitio tamen eſt Ariſtotelis doctrinæ non congrua, definientis ſcientiam ex cauſſa prima, neceſſaria, univerſali: multa enim quæruntur, ut fortuita, ſenſilia, quorum nulla talis ſcientia eſt. Genera quæſtionum Ariſtoteles quatuor facit, εἰ ἔστι, τί ἐστι, ὅτι ἔστι, διὰ τί ἐστι· an eſt, quid eſt, qa eſt, propter quid eſt: ut, An eſt luna? Quid eſt luna? An luna deficit? Propter quid luna deficit? Duæ primę ſimplices ſunt, duæ poſtremæ cõpoſitæ. Prima ſecundam, tertia quartã antecedit, antecedentéſque ſine conſequentibus cognoſcuntur, non contrá. Prima & tertia, ſecunda & quarta eædem, quoniam eodem argumento tractantur, modóque tantum quęſtionis differunt, quód altera ſit ſimplex, altera compoſita: Et ſic, capite decimo ſexto hujus, problemata dicũtur eadem, quę probantur eodem argumẽto. Hæc duorũ capitũ ariſtotelica doctrina eſt.

Genera porró quæſtionum ſi apodictica quærantur, quoniam iis libris ἀπόδειξις ſola proponitur, eaque ſic ab Ariſtotele definitur, ut explicet διὰ τί, certé unicũ è quatuor iis erat apodicticũ, διὰ τί, nec quæſtio an eſt, erit apodictica, quia non quærit accidens de ſubjecto, quæ ſola demõſtrationis materia eſt, ſed ſubjectũ ſimpliciter quærit, ut Ariſtoteles hîc ait, λέγω δὲ τὸ μὲν ἁπλῶς τὸ ὑποκείμενον, οἷον σελήνην, ἢ γῆν, ἢ ἥλιον, ἢ τρίγωνον· dico veró ſimpliciter quidem ſubjectum, ut lunam, aut terram, aut ſolem, aut triangulum: & ſubjectum tanquam principium poniĩ in artibus, ut Ariſtoteles antea docuit: non diſputatur. quare quæſtio (an eſt) non eſt apodictica: nec iiſdem rationibus quæſtio, quid eſt, qa non quærit accidẽs de ſubjecto, ſed definitionem de definito. Quæſtio quia eſt, ſi quærit accidens de ſubjecto, videbitur fortaſsis apodictica eſſe. At Ariſtoteles capite decimo libri ſuperioris diſtinxit ὅτι καὶ διότι, & cũ factis, ſubjectis, adjunctis, & quibuslibet argumentis

veris

veris explicari poſsit ſine cauſſis, ſic expoſita ἀπόδειξιν nō effeecerit: ſi dixeris ex cauſſa legitima explicari poſſe, id Ariſtotelis ſuperiori doctrinę repugnare dicam: deinde ſi poſsis, ut Ariſtotelis hoc libro poſſe uidebitur, attamen nec ſic quidem demonſtrationem effici concedā: nec ἐπιστήμη, ſciētia, dicitur ab Ariſtotele cognitio principii & medii, ſed quęſtionis expoſitæ, ut ex quæſtionis non medii modo ſcientiæ modus metiendus ſit. Quæſtione igitur expoſita & expleta, ſcimus quod quęrebamus: quęrebamus aūt in illa quæſtione ὅτι promiſcuè & generaliter, an accidens ſubjecto ineſſet. Itaque ſi uerè id conſtanterq́ue concluſum eſt, ſcimus accidens ſubjecto ineſſe: non quærebamus propter quid eſt: nec verò propter quid verum ſit, animadvertimus: quāvis eodem argumento utraq; quæſtio poſsit exponi, ut ſecundo & nono capitibus intelligetur. Quare cūm demonſtratio explicationem διὰ τί ſcientiamq́ue polliceatur, quod non efficitur quęſtione, quia: quęſtio enim, quia, demonſtrativa & apodictica non eſt. Unica ſupereſt igitur quæſtio διὰ τί, quæ ſit apodictica, nec ea tamē rectè definita, quòd quærat propter quid accidēs ſubjecto inſit: poteſt enim quæri ſimpliciter διὰ τί οἰκία, propter qd domus eſt? ut Ariſtoteles ipſe poſtea quærit: poteſt genus de ſpecie, ut, Propter quid homo eſt animal? Quare ſi quæſtiones apodicticas Ariſtoteles partiri voluit, vitioſè partitus eſt, quatuor genera pro uno poſuit, neq; tamē id ipſum rectè definivit. Et Ariſtoteles in generibus cauſſarum, cùm docet ex ijs ſingulis demōſtrari, nunquā proponit aut quærit ὅτι, ſed διὰ τί & interpretes cúm viderent ab Ariſtotele in iis libris de quęſtionis τί & quæſtionis διὰ τί mediis, tā multa dici, de quęſtionis aūt εἰ ἔστιν mediis, nihil dici, quæſierūt, quid eſſet cauſſæ, quamobrē quatuor quæſtiones Ariſtoteles proponeret, duas duntaxat inſtrueret, quarum etiam alteram negaret apodicticā eſſe. cui dubitationi quidam dum reſpōdere vult, minimè omniū ſatisfacit: reſpondet enim contra Ariſtotelis doctrinam, quæſtionē an eſt, ad quęſtionem quid eſt, & quæſtionem quia eſt, ad quæſtionem propter quid eſt, redući: cùm Ariſtoteles antea doceat, an eſt, & quia eſt, quid eſt, & propter quid, inter ſe conſentire. Si verò quælibet quæſtionum genera partiri voluit Ariſtoteles, gravius offendit: nec enim hęc ſola ſunt. Quæritur enim quale? quantum? quid agit? ubi eſt? quando luna deficiet? & infinita alia. Quamobrem vide qualis hæc partitio ſit: De quæſtionibus apodicticis videtur loqui, quatuor genera exponit. at tria non ſunt apodictica: aut ſi genera quæſtionum in univerſum partiri voluit, omiſit plura quám comprehendit. Quare partitio hæc nihil habet Logicum. Eſt autem obſcurus his capitibus, locis aliquot, dictionis genere: εἰς ἀριθμὸν καὶ ἐπὶ μέρος, in numerum & in parte dicit pro compoſitis, & opponit ἁπλῶς, ſimpliciter, quia videlicet numerus & pars compoſitionis ſymbola ſunt: & ὅτι pro εἰ confundit, ut ſæpe poſtea in hoc libro. Et cúm probat Ariſtoteles, finem quæſtionum eſſe medii inventionem, lubricè loquitur, cum ait in quæſtione, an eſt, & quia eſt, quæri an ſit medium, & in quęſtione quid eſt, & propter quid eſt, quęri quid ſit & propter quid ſit medium: At id non agitur, ſed quæritur medium quod explicet an eſt, quid eſt, propter quid eſt: & αἴτιον, cauſſam appellat omne medium, id eſt, argumentū. Quo loco ſe ridiculos interpretes indicant; dum diſputāt in ſimplici quæſtione nō eſſe mediū, quia duo extrema quęſtionis nō ſunt, ut tertium ſit mediū. At ſimplicis propoſitionis omnis & quæſtionis extrema duo ſunt, ſubjectum & attributum: Ariſtoteles docebit poſtea, quæſtionem an eſt, ſyllogiſticam eſſe: Ergo quæſtiōis ejus licet ſimplicis, duo extrema putat eſſe, ex quibus cum medio argumento fiat ſyllogiſmus: & medium metaphoricè capit pro argumento, ut alibi dixi: ut λόγος, πίστις, ratio & fides propriè ſit idem, quod mediū metaphoricè hîc ſignificat. uno loco pro τὸ εἶναι, uſurpat τὸ ὑπάρχειν. Locus eſt præterea, quòd ſenſu percipiatur univerſale, contrarius ei qui eſt viceſimo quarto capite primi: qualis locus eſt rurſus ultimo capite hujus. Sed in his diutiùs immoramur. Ariſtoteles definit demonſtrationē, quę explicet διότι aut διὰ τί, quod idem eſt. De quęſtionibus multa præcipiuntur ab Ariſtotele, duob. totis capitibus

pitibus, an eſt, quid eſt, quia eſt, quamobrem eſt: item in Topicis problemata quatuor exponuntur ſub quæſtione qa eſt (ut Græcis interpretibus quibuſdã placet) comprehenſa, de accidente, genere, proprio, finitione: ad quæ, Topica tota relata ſunt. In Rhetoricis veró & Ariſtoteles & Ariſtotelem ſecuti Græci ac Latini Rhetores, dici non poteſt quàm multa quæſtionum nomine commenti ſunt. Atqui has omnes quæſtionum diſtributiones inutiles eſſe dico. Quid ita? cauſſam & argumentam ab Ariſtotele ex his capitibus accipio. Quis eſt finis quæſtionis? inventio medii (ait Ariſtoteles) & ſciẽtia, ideoq́ quæſtionis & ſciẽtię genera facit eadem. At (inquam) ad finem quęſtionis aſſequẽdum, nihil te quæſtionũ harum in genera ſpeciéſve diviſio adjuvat: propoſitæ quæſtionis partes videantur, earũ cauſſæ, facta, cęteraq́ argumenta inveniãtur, invẽta quæſtioni accommodentur: quæſtio cognoſcitur & judicatur, etiamſi non conſyderaveris ex quo genere, quàve ſpecie, quæſtio illa ſit, an eſt, quid eſt, quia eſt, quamobrem eſt. Ad finem (inquam) quæſtionis aſſequendũ, iſta quæſtionis partitio nihil attinet: inutilis igitur eſt. Quæſtio generaliter, conſyderanda tibi tua eſt, ex qua ſpecie ſit harum quæſtionum conſyderanda tibi non eſt: nõ alia eſt vel in his duobus Analyticis inventio primæ quæſtionis, alia ſecundæ, alia tertiæ, alia quartæ: imò Ariſtoteles ipſe docet, eodẽ argumẽto quæſtionem quid eſt, & ꝓpter quid eſt exponi, nempe definitione: nec in prioribus Analyticis alias figuras ſyllogiſmorum, aliis quæſtionibus accõmodavit. Deniq́ ſermone Grammatico, ornatu Rhetorico, hoc & illo modo quæſitas res exponamus, ad Grãmatici tamen ſermonis artem, ad Rhetorici tamẽ ornatus artem, quæſtionũ ſpecies ita dividere nihil attinet: ſic in diſſerendo quanvis alio atq́ alio modo quæſitæ res diſceptent̃, attamen ad diſſerendi artem, ad dialecticæ vel inventionis vel diſpoſitionis artem nil modus quæſtionis attinet. ſed hac de re jam antea ſatis. Hic primus eſt horum capitũ fructus, quód doceo ex Ariſtotelis doctrina quæſtionũ partitionẽ in Logica arte inutilẽ eſſe: & omnes omnino diſciplinæ ſine ulla quæſtione inſtitui poſſunt. Secũdus eſt fruct⁹ multó major. De demõſtrativo ſyllogiſmo tota duo hæc Analytica perſtrępunt. at ejus ſyllogiſmi argumẽtum & medium nullum eſt, ut dixi: & ſi ſit, tamẽ demonſtrationis ſyllogiſmum nihil eſſe maxima etiam Ariſtotelis exemplorum ἐπαγωγὴ, ἱστορία, ἐμπειρία jam antea ſuperiore libro probavit: & hîc præterea non ſolúm nihil eſſe, ſed nihil eſſe poſſe oſtendo, ut ſyllogiſtica demonſtratio nõ modó deducta non ſit ex uſu, ſed ne deduci quidem ullo modo poſsit. Ergo quæſtionem hanc ex iis duobus, & aliis deinde ſequentibus hujus libri capitibus, doceo tam abſurdũ eſſe ſyllogiſticam fingi demonſtrationem, qualem Ariſtoteles proponit, quám ignẽ frigidũ, aut glaciem calidam. Quo modo (inquies) rem tam novam, & quidẽ ex Ariſtotelis doctrina cõficies? Animadverte, inquã: quatuor quæſtionũ genera facit Ariſtoteles, duas antecedẽtes, cõſequentes duas: an eſt, antecedit: qd eſt, ſequitur: quia eſt, antecedit: propter quid eſt, ſequitur: nec conſequentes explicant̃, niſi conſtiterit antecedẽtis eſſe. Hęc Ariſtoteles doctrina eſt in his capitibus, & rurſus erit nono capite. Harũ porró quæſtionũ una eſt apodictica (ut dixi) διὰ τί, quæ ſyllogiſmo non poteſt concludi, nec ſyllogiſtico judicio magis æſtimari quám quęſtio quid eſt. Quid eſt eclipſis lunę? eſt privatio luminis á luna propter objectam terram. Syllogiſmus hîc in Ariſtotelis litera nullus eſt, neque omnino eſſe poteſt, ut Ariſtoteles quinque proximis capitibus amplisſimé confirmabit: hoc judicium νοητικὸν, intellectivum ſimplicius eſt ſyllogiſtico, multóque præſtantius & excellentius, & tantó quidem excellentius, quantó ὁ νοῦς τῆς ἐπιστήμης, intellectus ſcientia præſtatior eſt, ut Ariſtoteles docet. Quæſtio quid eſt ſyllogiſmum reſpuit, omniqué ſyllogiſmi concluſione clariorem & illuſtriorem explicationem habet: abſurdúmque ſit dicere, quæſtionis quid eſt, explicationem ſyllogiſticam eſſe, vel definitivum ſyllogiſmum ſtatuere, tanquam definitio perfecta, quæſtionẽ quid eſt, explicans, ſyllogiſmum definitum ſuum concluderet. Conſtet (iterum dicam) quæſtionem quid eſt, νοητικὴν eſſe, non συλλογιστικὴν his ariſtotelicis funda-

fundamentis poſitis, dico quæſtionem quamobrem eſt, item νοητικὴν eſſe, non συλλογιστικὴν. Propter quid luna deficit? quia privatur lumine à terra interpoſita: hoc exemplũ in litera Ariſtotelis eſt νοητικῶς judicatum, non συλλογιστικῶς concluſum. Ergo teſtimonio Ariſtotelis, demonſtratio ſine ſyllogiſmo fieri poteſt? Imó veró ſyllogiſmo non poteſt concludi, ut quæſtioni illi, quamobrem eſt, reſpõdeatur. Et hoc argumentũ eſt, quod priore libro pollicitus ſum. Satis cõſtat demonſtrationem quinq; primarum liberalium diſciplinarum exemplis à ſyllogiſmo ſeparari, & demonſtrationis eſſentiam nullam è ſyllogiſmo pendêre. Quód autem demonſtratio, & quæſtionis propter quid eſt explicatio, ſyllogiſmo concludi nõ poſſet, huc rejeci: ideó que probandum hîc jam ſuſcipio, ut ſyllogiſticæ demonſtrationis commẽtum vanum prorſus & inane, ariſtotélicisq; principiis alienum, tandem aliquando planè cognoſcatur. Ergo hoc argumentum intelligi maximè & conſyderari volo. dico, inquam, explicationẽ quæſtionis, quamobrem eſt, ſyllogiſticam non eſſe, nec ſyllogiſmo concludi poſſe: ac ſi centes ſyllogiſmo concludere, quæſtionem ὅτι concludes, non quæſtionem διότι: idq; ex præſenti Ariſtotelis doctrina confirmo. Non quæris quid eſt, niſi conſtiterit an eſt: ita non quæris propter qd eſt, niſi conſtiterit, quia eſt, ut Ariſtoteles docuit. Fac igitᷓ tibi ſyllogiſmo jam concluſio conſtare, an luna deficiat: & quæſtionem reliquã eſſe, propter quid deficiat: ſi ex lunaris eclipſeωs definitione ſyllogiſmum concluſeris, hoc aut meliore, ſi fieri poteſt, modo:

Cum luna privatur lumine propter interpoſitam terram, ea tum deficit.
Privatur lumine propter interpoſitã terram:
Luna igitur deficit.

Concludis hîc quæſtionẽ ὅτι, non διότι. Etenim quod in logico Organo tam ſæpe dicitur, quæſtio ſyllogiſmi & cõcluſio ratione tantùm differunt, re ſunt eædem: denique quod concluditur, id prius quærebatᷓ. Concluditur aũt hoc ſyllogiſmo, Luna igitur deficit. quæſtio itaq; fuerat, An luna deficit? quæ eſt quæſtio ὅτι, non διὰ τί: & quæſtio quidẽ, quæ jam poſita, & confeſſa nobis habebatur. ita rem concluſam nobis concludis, & actã rurſus agis. Nec dici poteſt, tum quæſtionem quamobrem eſt, ſyllogiſmo cõcludi, cùm argumentum, definitio, vel cauſſa, propter quam res eſt, propria & neceſſaria fuerit. Etenim (ut Ariſtoteles nono hujus docebit, & eſt omnino verum) definitionis argumento quæſtiones omnes, & an eſt, & quid, & quia eſt, & propter quid eſt, explicari poſſunt. probare enim potes quæſtionẽ (an homo ſit) per eandem definitionem,

Animal rationale eſt:
Homo eſt animal rationale:
Igitur homo eſt.

Explicare potes quæſtionem, quid eſt homo, eodem argumento, cùm quærenti, quid eſt homo, reſpõdebis, eſt animal rationale: potes ejuſdem generis argumẽto quæſtiones reliquas expedire. An homo eſt capax diſciplinæ? dices ex majoris extremi definitione,

Quicquid naturalem ingenii ac rationis facultatem habet ad diſciplinam capiendum, capax eſt diſciplinæ:
Homo habet:
Capax igitur eſt diſciplinæ.

Potés, ſi quæratur quamobrem ſit capax diſciplinæ, eandem definitionẽ, aut aliam perfectiorem ſi habeas, reſpondere, quia naturalem ingenii ac rationis facultatem habet ad diſciplinas capiendum. Fac enim cauſſam eſſe quãobrem inſit, ut inſtitutũ perſequamur. Ergo (inquã) quatuor Ariſtotelis quæſtiones eodem argumenti genere ut definitione, poſſunt exponi. Quid igitᷓ nihilne inter quæſtiones intererit, ſi nihil inter argumenta interſit? Cùm ex definitione per integrum ſyllogiſmum explicabis quæſtionẽ, An homo eſt, explicabiſne ſimul eodẽ ſyllogiſmo quæſtionẽ, quid eſt? Minimè dices: nec enim quæſtio, quid eſt, ſyllogiſtica eſt, tota eſt νοητική. Cùm ex definitione explicabis quæſtionẽ, quid eſt, explicabiſne ſimul quæſtionem, quia eſt? Nequaquàm. Quæſtiones enim genere differunt: & illa eſt νοητική, hæc verò etiã συλλογιστική: & quamvis idem lumen argumenti in quæſtionibus omnibus adhibeatur, non eſt tamen eadem quæſtio, quæ illuminatur: nec eiuſdem rei ſcientia & cognitio conficitur. Solis eodem lumine cælũ vides & terram, cælum tamen quia vides, non ideo terrã vides. Argumenti immediati cogni-

cognitio appellatur ὁ νοῦς ab Ariſtotele: explicatę inde rei cognitio, ſciētia: & ut res, quæ quæritur, ſic rei quæſitæ & explicatæ cognitio diverſa eſt: nec argumēti apodictici & principii, ſed quæſtionis in de facta cognitio, ſcientia nunc dicitur. Itaque ſciēnæ ſpecies ex quæſtionis ſpecie metienda eſt. Quærebas an eſt: idq; vero argumento, & quod quærebas, explicāte, noſti? Noſti quæſtionem an eſt, non quid eſt. Quærebas quid eſt: idq; argumento vero, & quod quærebas, explicante, noſti? Noſti quæſtionem quid eſt, non an eſt. Quærebas an hoc illi ineſt: idq; legitimo & congruo argumento, noſti? Noſti quæſtionem quia eſt, nō quæſtionem propter quid eſt. Quęrebas propter quid hoc accidēs illi ſubjecto ineſt: idq; argumento quæſtioni reſpondente, noſti? Noſti quæſtionem propter quid, non quia. Quamobrem qua ratione reſpōdes, ſi definitionis argumentum in ſyllogiſmo ſit, ideo quęſtionis quamobrem res eſt, explicationem haberi? Sic enim explicatio quęſtionis an eſt, explicatio eſſet reliquarum quæſtionum: Sic item definitio, definitum definiens, in ſyllogiſmum veniret. At definitio ſyllogiſmum reſpuit, ut Ariſtoteles docebit, & idem argumētum ab Ariſtotele ſeptimo capite de duabus primis quæſtionibus tractatur, ut eo loco commodiùs intelligetur. Quare quæſtio διὰ τί nō eſt ſyllogiſmi: διαιρέσεως brevioris eſt, ut ſunt omnes quæſtiones, ad quas ita, vel non, reſponderi non poteſt, Quid eſt? quotuplex eſt? quale eſt? quantum eſt? quid agit? ubi eſt? & ejuſmodi. Quód ſi non reſpondeatur αὐτόπιστον, ἄμεσον, ἀναπόδεικτον, per ſe probabile, immediatum, indemonſtrabile quęrēti, protinꝰ ex priori quæſtione & reſponſione fit quæſtio alia: ut ſi quis quærat, Quid eſt homo? ſi reſpondes, Animal bipes, manſuetum: & quærenti reſponſio tua non probetur, aut etiā falſa videatur, protinus exiſtet quęſtio ὅτι, An homo ſit animal bipes, māſuetum, quæ ſyllogiſtica eſt: nec magis in compoſita quæſtione quamobrem eſt, quám in ſimplici quid eſt, reſponſio definitionis eſt ſyllogiſtica: at utrobiq; definitio reſpōdetur. Hæc nova & admiranda videbuntur iis, qui tenebris ſcholaſticis occæcati, nunquam diſputationum ſuarū uſum & fructum quæſiverunt: iis veró qui finem philóſophiæ requirent, qui principia ariſtotelica ἀπόδειξιν, ἐπαγωγὴν, ὁρισμὸν, ἐμπειρίαν ſequentur, qui uidebunt Grammaticam totam, Arithmeticam totam ſine ſyllogiſmis inſtitui, hæc non ſolùm vera, ſed etiam (ut ſpero) perjucunda erunt. Denique ſyllogiſticę demonſtrationis propriam affectionem ex cauſſa & ad quæſtionem διὰ τί concludentis, totam apodicticam commētitiam eſſe, tractandis diſciplinis alienisſimam. Imó veró maximé contrariam & adverſariam. Nam poſteaquam hæc fabula pro ſeria Logica in ſcholas inducta eſt, homines ſtupore correpti melius quærere deſierūt, quoniam quod optimum putaretur, ne intelligere quidem poſſent.

CAP. III.

OCto capita deinceps de definitione ita tractata ſunt, ut de confuſionis obſcuritate certatum eſſe credas. Quæſtiones cōfuſæ & obſcuræ adhuc multæ fuerunt. nulla tamen confuſior fuit, nulla obſcurior. Eſt aūt hîc in primis magnus Ariſtotelis labor & ſudor, ut μεταμόρφωσιν definitionis illam (quam ſuperiore libro tentavit) confirmet. Plato ad inſtituendas artes, definitionem & diſtributionem propoſuit, ſyllogiſticæ demōſtrationis, (qualē Ariſtoteles cōmentus eſt) non meminit. Ariſtoteles Platonem deſpuit, diſtributionē labefactare ſtuduit, definitionem demōſtrationi ſubjicere voluit, ut demonſtratio ſyllogiſtica, velut artiū ſingularum magiſtra, ſola coleretur, ſed tamen Ariſtotelis ventoſam iſtam demonſtrationem parturientis voces audiamus, tam obſcuram quæſtionē diſtinguamus. Initio quadripartita diviſio eſt, πῶς τὸ τί ἐστι δείκνυται, τίς ὁ τρόπος τῆς ἀναγωγῆς, τί ἐστιν ὁρισμὸς καὶ τίνων· quomodo quid eſt demonſtratur? quis modus ſubductiōis? quid eſt definitio? & quorum? Quinq; proximis capitibus prima pars diſputat, octavo & nono ſecūda, decimo tertia & quarta: tametſi diſputatio primę partis, aliquid eſt quartę & tertiæ. Prima pars (ut dixi) quinq; capitib. ꝓximis diſſeritur. definitio neq; demōſtratur, neq; demōſtrat: quód nō demonſtret, quatuor capita prima ſunt: ꝙ nō demōſtret, quintum

tum eſt. Tertio itaque capite, primæ partis inficiatio diſſeritur, quód definitio non demonſtratur, quia differant inter ſe definitio & demonſtratio. Primum argumẽtum eſt, quód omnis definitio ſit univerſalis & affirmata, non aũt omnis ſyllogiſmus, quia in ſecunda figura negatus, in tertia ſingularis. Quid hinc veró concludes? Syllogiſmum, definitionem non eſſe. At id non quærebatur: & argumento contrarium eſt illud octavo capite primi, quód ὅρος ὅτι ὡς ὅλον, ὅτι ὡς οὐ μέρος, ἤ τι εἶναι ἢ μὴ εἶναι λέγει· definitio neque ut totum, neq; ut pars, neq; eſſe, aut non eſſe dicit, imó dicetur ſexto capitis hujus argumento, in definitione nil κατηγορεῖται. Diſtinctiones interpretum hîc laborabunt: homonymia tamẽ probari non poteſt. Fallacia enim eſt (ut ait Ariſtoteles) tumque ſophiſticũ illud eſt, cúm agitur de ſpecie ſyllogiſmi; demõſtratione, quam fingit Ariſtoteles, ſyllogiſmum, id eſt genus ponere: ſyllogiſmus (ais) non omnis univerſalis & affirmatus. At hîc non de ſyllogiſmo, ſed de demõſtratione agitur. Quam eſt igitur illud catholicum? Secundum argumentum eſt, Definitio eſt τῆς οὐσίας, eſſentiæ, non autem συμβεβηκότων, accidẽtium: demonſtratio contrá, accidentium, non eſſentiæ: quod placitum Ariſtotelis eſto. Atq; hoc eſt definitionis & demonſtrationis ariſtotelicũ diſcrimen, quod antea ſępius citavi. Quod enim definitio complectitur, eſſentia eſt definiti: quod demonſtratio demonſtrat, eſt accidens ſubjecti. Tertium eſt argumentum, Unius quatenus unum, ſcientia una eſt: ergo quod ſcitur definitione, neſcitur demonſtratione, & contrá. Hoc argumentum conſentit cum priore. Quartum, Definitio, eſt principium demonſtrationis. In quinto argumento repetitur ſecundum & quartum, q; definitio ſit τῆς οὐσίας, quam demonſtratió ſupponit. Sextum argumentum, Demonſtratio demonſtrat aliquid de aliquo: in definitione nil κατηγορεῖται, attribuitur. At primo argumento dicebatur ἅπαν τὸ τί ἐστι, κατηγορικόν· omne quid eſt, categoricum. Septimum argumentum, Definitio declarat τὸ τί ἐστι, quid eſt: demonſtratio declarat ὅτι, quia eſt hoc de hoc, aut non eſt. Nomine ὅτι, intelligit Ariſtoteles confuſé quæſtionem, an eſt, & quia eſt: quam utrãque quæſtionem ſyllogiſticam eſſe ait poſtea capite ſeptimo hujus. Hæc tertii capitis diſputatio eſt, Differunt definitio & demõſtratió maximé ſubiectis & propoſitis rebus: definitio itaq; demonſtratur. Intereaq; tamen hinc colliges, quid definitio ſit, nempe quód declarat quid eſt, quæ tertia quæſtio fuerat: & definitionem rebus eſſentialibus effici, non accidẽtibus, quæ quarta fuerat quæſtio, quorum eſt definitio. Sed in primis ariſtotelicam definitionis & demonſtrationis differentiam hîc notabis, quam initio poſuimus: eſt enim mirificè hoc capite propoſita, ut permirũ ſit, Græcos interpretes in catholici definitione, ubi genus & differentiam de ſpecie demonſtrabilem faciunt, tam ariſtotelicæ diſciplinæ ignaros & expertes fuiſſe. Etenim tam manifeſté loquit̃ hîc Ariſtoteles, definitionem τῆς οὐσίας εἶναι, demõſtrationem τῶν συμβεβηκότων. Quin epilogo capitis hujus id totum euidentiſsimè conſtituit. Manifeſtum igitur (ait) quód neque cuius eſt definitio, hujus omnino eſt demonſtratio: neque cujus eſt demonſtratio, hujus omnino eſt definitio: itaque omnino nullius ejuſdem accidit, utramq; eſſe. Sic Ariſtoteles loquitur, Definitio definit eſſentiã definiti, demonſtratio demonſtrat accidens ſubjecti: nec unquam idem definitio definit, quod demonſtratio demõſtrat. Ergo Ariſtoteles hîc ſignificat omnem generis, differentię, ſpeciei tractationem eſſe ὁριστικὴν, atqui certè διαιρετικὴν, quia τῇ διαιρέσει paulo pôſt quinto capite eſſentiam tribuet item Ariſtoteles: tractationem veró παθημάτων, παθῶν, συμβεβηκότων τῶν καθ' αὑτὰ eſſe ἀποδεικτικήν. Atq; hoc definitionis & demonſtrationis diſcrimen, oſtendit Ariſtotelis placitum, non tradidit ex Ariſtotelis principiis ἐν ὅροις καὶ ὑποθέσεσι obſervatum documentum. Placuit Ariſtoteli, cúm quæritur cur accidens ſubjecto ineſt, quæſtionis eius ex accidentis ipſius definitione explicationem eſſe demonſtrationem. At ſi quæritur non compoſité, ſed ſimpliciter, cur homo eſt, cur domus eſt: vel cõpoſité genus de ſpecie, ut cur homó eſt animal: quįdnam cauſſę dicet Ariſtóteles, quamobrem harum quæſtionum explicatio nõ ſit demõſtratio? q̃d totus mathe-

mathematatum elementis reſpõdebit cõtra iſta palàm reclamantibus: ubi ſpecialia & conſequentia generalibus & antecedentibus concluduntur: Definitionis igitur Logicam hic accipio: ſophiſticã cõmentitiæ demõſtrationis rejicio.

CAPUT IIII.

Quarto capite diſputatur idem, Definitio non demonſtratur ſyllogiſmo duplicante. Una ratio eſt ſumma, quòd hæc demonſtratio λαμβάνει ὃ δεῖ δεῖξαι, ſumit quod oporteat demonſtrare, & quod erat in quæſitione, & principio petit. Obſcuriſsimũ caput eſt, in quo divinare mihi videntur interpretes, quid Ariſtoteles ſibi velit. Sed tamen ſummam faciamus: Non demonſtratur (ait Ariſtoteles) definitio de ſuo definito, ut quid eſt. quam ad rem hypotheſes ſumit quatuor. Syllogiſmus aliquid de aliquo demõſtrat per medium. Definitio propria eſt, & cũ definito convertitur, Si definitio de ſuo definito demonſtretur, omnes in tali demõſtratione termini convertentur. Poſtremò neceſſe eſt idipſum quid eſt, in majore & minore propoſitione duplicari. Quæ ſi fuerint omnia, petetur τὸ ἐξ ἀρχῆς. Exemplum demonſtrationis à magiſtro propoſitæ imperfectũ eſt: minus extremũ, homo: majus, animal bipes: mediũ nullum ponitur: abſolve tamẽ exemplum, ſi potes, ejuſmodi:

Omne animal rationale, eſt animal bipes, in eo quid eſt:
Omnis homo eſt animal rationale in eo qd eſt:
Omnis igitur homo eſt animal bipes, in eo quid eſt.

Hæc demonſtratio (inquit Ariſtoteles) λαμβάνει ὃ δεῖ δεῖξαι· quia tam ignotũ eſt illud (quid eſt) in propoſitione utraq;, quàm fuerit in problemate. Ergo demonſtrari nõ poteſt definitio de ſuo definito. Hæc Ariſtotelis diſputatio eſt: ſed tamen quid ad tuam iſtam demonſtrationem quatuor hypotheſes, cùm quarta ſola requiratur? imò ſi doctrina in priorib. Analyticis vera eſt, ne requiratur quidem: docetur enim illic ἐπαναδιπλούμενον ad ſolam majorem addendũ eſſe: ſi ad minorem addatur, id eſſe ψεῦδος καὶ οὐ συνετὸν, falſum nec perceptibile. Quod certè verum eſt: nam cùm problema ſit, An homo ſit animal bipes, in eo quod quid eſt, ipſum quid eſt, majoris extremi pars eſt, non minoris. Ergo in ſola majore debet eſſe, non in minore. Atque hic quanvis ariſtotelicum nihil eſt, ex his tamen quiſquilijs colliges legem definitionis ex tertia hypotheſi, quòd definitio propria ſit, & convertatur cum definito.

CAPUT V.

Quinto capite continuatur diſputatio primi membri: Definitio non demonſtratur, quia differt à demonſtratione: tertium caput ait: Definitio non demonſtratur, ſyllogiſmo duplicante quid eſt, quia principium peteretur. quartum caput ait: Definitio non demonſtratur diviſione, quia principium peteretur. quintum caput nunc ait: quòd autem definitio diviſione nõ demonſtretur, ratio eſt, quia diviſio ſit ἀσυλλόγιστος, nec ex antecedentibus cõcludat neceſſariò, ſitq; ſimilis inductioni συμπέρασμα ἐρωτῶντι, concluſionem petenti. Ac quanvis χρήσιμοι διαιρέσεις, uſus diviſionis valeat ad definitionis partes colligendum, poſsintq; vitia diviſionis vitari: quid enim prohibet nihil ἢ προσθεῖναι, ἢ ἀφελεῖν, ἢ ὑπερβεβηκέναι τῆς οὐσίας: aut addere, aut afferre, aut ſuperare eſſentiæ? ſed contrà diviſionis virtutes tenere, ac ſumere quæ ſunt in eo quod quid eſt, omnia, & deinceps dividere, quod primũ petebatur, & nihil omittere: id enim neceſſarium eſt, ſi totum in diviſionem cadit, & nihil omittere: hoc verò neceſſarium: individuum enim eſſe ſpecie oportet. Quanvis (inquam) diviſionis definitio colligi poſsit, diviſionis minimè vitioſæ, ſed certæ totam rei eſſentiam ad ultimam differentiam perſequentis: attamen diviſio ſyllogiſmo non concludit: neque ideo demonſtratio eſt: & ut in concluſione ſine argumento facta, quæritur, quare? ita ἐν τοῖς διαιρετικοῖς ὅροις, in diviſivis definitionibus quæri poteſt: & denique ſi concluderet, demõſtratio tamen non eſſet. Hæc quinti capitis doctrina eſt, qua diſputat Ariſtoteles definitionẽ diviſione non demonſtrari. Atque ut vera quæſtio ſit, argumenta tamen Ariſtotelis non ſatis vera vel apta ſunt: inductio principii petitũ, & diviſio princi-

principium petit, ait hîc Ariſtoteles, & captioſa utraque eſt. Atqui inductio, principiorum omnium eſt origo: quomodo igitur ſophiſtica? Atqui diviſio definitionem ex ſuis partibus conſtituit: quomodo igitur captioſa? Atqui licet hîc Ariſtoteles irrideat diviſionē, quód petat, non doceat: attamen capite decimo quarto hujus & decimo ſexto, diviſionem mirificé laudabit, & in ea negabit eſſe αἴτημα, petitionē, quia ex immediatis fiat, quia denique neceſſario argumento utatur. Ergo Ariſtotelis argumenta quæſtionem non concludunt. Diviſio eſt ἀσυλλόγιστος, diviſio nō eſt ſyllogiſmus, ait Ariſtoteles: ergo non eſt demonſtratio. imò totum contrá eſt: ſi ſyllogiſmus eſſet, demonſtratio non eſſet. Sed tamē ſyllogiſmus non eſt. Eſto: & ut definitionis, ſic diſtributionis eſſentialis judiciū eſſe νοητικὸν dico, non συλλογιστικόν. Notabis veró in hoc capite, quod adhuc capite decimo quarto hujus dicetur & repetetur, quomodo definitio colligitur diviſione eſſentiali, & ultimas differentias perſequente.

CAPUT VI.

SExto capite continuatur quæſtio duobus argumentis, altero ex definitionis definitione, altero ex contrarii definitione. Primo igitur differit, utrúm τὸ τί ἐστι κατὰ οὐσίαν, definitio eſſentialis poſsit monſtrari de ſuo definito, ſi ἐξ ὑποθέσεως ſtatuatur definitiōis definitionem eſſe τὸ ἐκ τῶν ἐν τῷ τί ἐστιν ἰδίων, quod conſtat ex propriis eſſentialibus rei: & talis ſyllogiſmus fiat,

> *Quod conſtat ex rei propriis eſſentialibus, eſt ejus definitio:*
> *Animal rationale conſtat ex hominis propriis eſſentialibus:*
> *Animal igitur rationale eſt hominis definitio.*

Hic ſyllogiſmus (inquit Ariſtoteles) ἔλαβε τὸ τί ἦν εἶναι, ſumpſit quid erat eſſe, id eſt, petivit principiū, & in aſſumptione ſibi concedit quod quærebat. At hoc Ariſtotelis argumentum verum fortaſſe nō videatur. Nam ſi quæras an animal genus ſit hominis, probabis ex Logica generis definitione: ſi viciſsim, an homo ſit ſpecies animalis, probabis ex Logica ſpeciei definitione. ita ſi dubites an animal rationale, ſit definitio hominis, explicabis ex Logica definitionis definitione, ſicuti factum eſt ſyllogiſmo ſuperiore, vel ſimili: hoc modo nempe,

> *Ratio breviter & proprie hominis explicans naturam, definitio hominis eſt:*
> *Animal rationale, talis ratio eſt:*
> *Definitio igitur eſt hominis.*

Ergo Ariſtotelis ſentēntia hîc vera quidem eſt, quód definitio non demonſtretur de definito per definitionis definitionem: nec enim id eſt accidens & materia ἀποδεικτική: Ratio tamen ſententiæ non eſt vera: nec enim hîc ſophiſma eſt ex petitione principii, quale vocatur ab Ariſtotele in Elenchis, cúm ex logicis legibus & regulis probamus definitiōes, diviſiones, explicationes factas. Logica dicta eſt primo libro Poſteriorum. ἀρχὴ πάντων, & quód ejus principia omnium quæſtionum & diſputationum communia eſſent. At enim definitionem propoſitam ex Logicis definiendi legibus examinas & probas, cōmunibus illis principiis uteris, neque principium petis. Secundum argumentum ſequitur, quód definitio non demōſtretur ex definitione cōtrarii: ut ſi quæratur an bonum ſit, quod eſt indiviſibile, & id velis ἐξ ὑποθέσεως ita demonſtrare:

> *Si malum eſt, quod eſt diviſibile, & contrariorum contraria definitio, bonum eſt, quod eſt diviſibile:*

Nam bonum malo, diviſibile indiviſibili contrarium.

> *Sed primum:*
> *Secundum igitur.*

Hic ſyllogiſmus λαβὼν τὸ τί ἦν εἶναι, δείκνυσι· ſumens quid erat eſſe, demonſtrat, ut Ariſtoteles ait: & ideo Ariſtoteli non probatur, quia principiū petat. Ariſtotelis ſententia hîc item vera eſt, ſentēntiæ ratio non vera. Nec enim ex contrariis probatio ſophiſtica eſt, nec principium petit, quāvis demonſtratio non ſit, nec quicquid non eſt demonſtratio, ſophiſma eſt. Ariſtoteles de contrariis in Categoriis & Topicis non temerê tam multa præcipit, nec contrariorum uſum ſophiſticum & captioſum putavit. Quare quód diviſio, quód inductio, quód definitionis, quôd contrarij definitio, petere gratis principium & quæſtionē dicatur, id accuratiús conſyderandū cenſeo. Obſeruabis autem hoc capite ſyllogiſmum

giſmum cōnexum primi modi, & quandam eius licet obſcuriorem notationē.

CAPUT · VII.

SEptimo capite continuatur inſtituta quæſtio, ſtatuiturq́; initio, quód neq; ſyllogiſmo, neq; inductione, neq; ſenſu, neq; digito definitio demonſtret, hîc enim actiuo verbo utitur Ariſtoteles, cúm paſsiuè dixiſſet antea non demonſtrari: nō ſyllogiſmo, quia nil ex antecedētibus neceſſario: nō inductione, non ſenſu, nō digito, quia nō ex univerſalibus, ut inductio, ſenſus, digitus eſt, demonſtrat: deinde logicis non apodicticis, ut Ariſtoteles loquit̄, argumentis ex quæſtionū differentia agitur. Antecedēs eſt, quæſtio an eſt, & quia eſt: cōſequens eſt, quid eſt, & propter quid eſt, & ignotis antecedentibus conſequentes explicari non poſſunt: Ariſtoteles ex hac hypotheſi diſputat, quód definitio non demonſtrat ſyllogiſticé quid eſt.

Si demōſtret definitio quid eſt, demōſtraret etiam an eſt, quia definitio & demōſtratio declararet idem:

Secundum eſt abſurdum.

Aliud enim eſt quid eſt, aliud an eſt: definitio enim unum quiddam definit, & rurſum unum quiddam demonſtratio demōſtrat. Quomodo igitur, ait Euſtratius, una & eadem ratione δύο ἀποδείξει κατὰ γένος ἀλλήλων διάφερα, duo demōſtrabit genere inter ſe differentia?

Primum itaq; etiam abſurdum.

Nec ſimul eadem ratione licet duas quæſtiones genere differentes oſtendere. Tū veró neceſſe eſt demonſtrari ἅπαν ὅτι ἐστὶν, omne quod eſt, omniſq; demonſtratio erit ὅτι ἐστί. Quare nō erit τί ἐστι. Nec certé (ut conſtabit inductione definitionum) definitio cúm reſpondetur quæſtioni quid eſt, demonſtrat an eſt. Atque omnino ſi definitio demonſtraret quid eſt, certé aut quid res, aut quid nomen ſit, demonſtraret: non autem quid res ſit demonſtrat, ut jam patuit: demonſtrat igitur quid nomen ſignificat. quod valde abſurdum ſit. Sic enim definitio eſſet non ὄντων καὶ μὴ ὄντων, non eſſentiarum & nō entium. Poſſunt enim ſignificari nominibus quæ non ſunt, & omnis ſermo eſſet definitio, ut Ilias definitio eſſet. At nominum ſignificationes ſcientiæ minimè demonſtrant. His argumentis Ariſtoteles concludit definitionem & ſyllogiſmum, nec idem eſſe, nec eiuſdem eſſe, definitionemq́; neq; demonſtrare quid eſt, neq; mōſtrare quicquam. Hæc diſputatio ſtudioſé conſyderanda eſt, quód Ariſtóteles ait quæſtionem ὅτι ἐστί, an eſt (opinor) & quia ſignificans, ſyllogiſticæ demonſtrationis eſſe: quid eſt, ſyllogiſticæ demonſtrationis nō eſſe, & quæſtiones differentes ſimul eadem ratione explicari non poſſe. Hîc (inquam) Ariſtotelis judicium in primis conſyderandum. Quæſtiones diuerſæ ſunt: explicatæ igitur diverſam ſcientiam pariunt, & quāvis eadem ratione ſeparatim poſſint exponi, tamen ſimul diuerſis quæſtionibus & intentionibus ſatisfieri nō poteſt. Nec (licet ex eodem argumento) tamen diverſarum quæſtionum nō diverſa ſcientia ſimul effici poteſt. Idem ſit in diverſis quæſtionibus argumentum, tamen ad eundem finem non adhibetur, nec eandem ſcientiam parit. Videris duobus oculis corvum, vidiſti nigrum: uideris iiſdem cygnum, album vidiſti: non igitur quia videndi facultas & cauſſa eſt eadem, iccirco eſt viſus effectus idē. Ariſtoteles ē quatuor quæſtionibus, an eſt, & quia eſt, ſyllogiſticas ait eſſe, quod verum eſt: quid eſt, ſyllogiſticam negat eſſe, quod verum eſt: de quæſtione propter quid eſt, nihil hîc expreſſit, ratio tamē eadem eſt cum definitione. Explicatio quid eſt & definitio non demōſtrat ſyllogiſmo, quia (inquit Ariſtoteles) eadem ratione ſimul demonſtraret, àn eſt, & quid eſt: quid eſt, revera, an eſt, ex hypotheſi: quia demonſtratio eſt τὸ ὅτι ἐστί. At quæſtiones (ait) diverſæ ſunt, & genere differentes: aliudq́; eſt quærere, an eſt homo, aliud quid eſt homo: & illa quæſtione priús cognita, hæc ſecundo loco quæritur. Imó veró ſi noveris definitionē, eamq́; ſyllogiſmo voles includere, concludes priorē quæſtionem, jam tamen confeſſam & poſitam, ut, Quid eſt homo? ſi reſpondeas, Animal rationale: & ex quæſtione hac, & ejus reſponſione ſyllogiſmū ita concludes,

Animal rationale eſt:
Homo eſt animal rationale:
Homo igitur eſt.

Quia tua concluſio eſt (Homo igitur eſt)

eſt) quæſtio tibi fuerat, An homo eſt: nã ſyllogiſmo concludit, quod prius quærebatur: At id non quærebatur, ſed quęſtio illa præceſſerat, & cõcluſa antea fuerat, & modò dum ſecũda quæritur, & ſic abs te cõcluditur, relaberis in primam, & telam contextam iterum contexis. Argumento Ariſtotelis, & judicio utor in quæſtione, quia eſt, & propter quid eſt. illa antecedit, hæc ſequitur: nec iſta diſſeritur, niſi prius illa conſtiterit, & quęſtiones ſunt genere differentes. Dic igitur demonſtrationem, id eſt, explicationem quæſtionis propter quid eſt, accidens in ſubjecto per ſyllogiſmum concludere, Ariſtotelis veſtigia & argumẽtationem ſequar.

Si quæſtio propter quid eſt, ſyllogiſmo concludatur, ſimul eadem ratione, quia eſt, & propter quid eſt, explicabitur: Secundum abſurdum eſt.

Aliud enim eſt, quia eſt, aliud eſt propter quid eſt: quæſtioneſq; differentes cùm fuerint vel eodẽ argumento expoſitæ, differentẽ tamẽ ſcientiã pariũt. At hìc præcedentẽ quæſtionẽ cõcludes, nõ concludes præſentem: ſcientiam quam jam didici, ruſus docebis, non docebis autem quã requiro. Quamobrẽ quód demonſtrationem ſyllogiſticam eſſe nego, id ne mirum eſto: Ariſtoteles enim ſi non verbo, reipſa tamen id negat, quoniam argumentum meum, Ariſtotelis argumentum eſt. Eſt præterea diligenter attendendum, quod ait Ariſtoteles, demonſtrationem eſſe τὸ ὅτι, demonſtrationem ſyllogiſticam videlicet, quã cogitat. Etenim quæſtio, quia eſt, ſeu ſimplex, ſeu compoſita, ſyllogiſtica ſané eſt. & demõſtrationem iccirco ait eſſe quæſtionis quia eſt, quia quæſtionis illius ſyllogiſmum videat eſſe. At ut quæſtionis quid eſt, ſic quæſtionis quamobrem eſt, ſyllogiſmus eſſe nullo modo poteſt, ob eam cauſſam quam Ariſtoteles ipſe nobis attulit. Si demonſtratio ſyllogiſtica, eſſet quæſtiõis διὰ τί, eſſet ſimul quæſtionis ὅτι, differentium nempe quæſtionum, quod eſt impoſsibile. Ergo demonſtrationem ſyllogiſticam non eſſe, documentum ariſtotelicum eſt: ſyllogiſticam eſſe, non eſt ariſtotelicum: & hoc argumentum eſt, quod libro ſuperiore promiſeram, demonſtrationem ſyllogiſticam non modò ex uſu non eſſe deductam, ſed ne deduci quidem poſſe. Prima pars poſitæ quæſtionis adhuc diſceptata eſt, quo modo definitio neq; demonſtretur, neq; demõſtret: id enim, ut vidimus, ambiguè tractatũ eſt. Non demonſtratur definitio, quia definitio & demonſtratio differunt, tertium caput fuit: Non demonſtratur duplicante ſyllogiſmo, quia peteretur principium, quartum caput fuit: Non demonſtratur diviſione, quia principium peteretur, quintum caput fuit: Non demonſtratur definitionis, nõ etiam contrariſ definitione, quia principium peteretur, ſextum caput fuit: Non ſyllogiſmo, non inductione, non ſenſu, non digito denique demonſtrat, quia ex ſingularibus non demonſtratur: non demonſtrat, quia ſimul, an eſt, & quid, demonſtraret: non rem, non nominis ſignificationem, quia multa eſſent abſurda: Hæc enim quinque capitum ſumma fuit: unde tamen de tertio quartóque membro quidpiam poteſt elici. Notavi quód definitio ſit ratio declarans quid eſt, quód propria & cũ definito cõvertatur, quód ſit ἴδιον, non συμβεβηκότων.

CAPUT VIII.

SEcunda pars tãtæ quæſtionis octavo & nono capite ſequitur, Si non poſsit abſoluta definitio demõſtrari, nullóne modo tamen poteſt mõſtrari? Explicatur autem pars hæc breviús, quód imperfecta definitio poſsit p abſolutã definitionẽ καὶ αὐτὴν ἀναπόδεικτον καὶ τῶν ἰδίων ἴδιον, & cauſſam indemonſtrabilem & propriorũ propriam, id eſt maximè propriam demonſtrari. Attamen logicus (inquit Ariſtoteles) hic ſyllogiſmus eſt, nõ eſt verò apodicticus: quod (opinor) Ariſtoteles ait, quia propria demonſtrationis materies eſt accidentium, quæ fortaſsis nõ ſint in illa definitione imperfecta. Unde concludes cum Ariſtotele, quód nullus ſit modus τῆς ἀναγωγῆς, ſubductionis, qua propriè definitio demõſtrari poſsit. Septimi aũt Topici capite ſecũdo diſputatio hæc nonnihil attingitur, an definitio poſsit ſyllogiſmo concludi. Duo verò notabis hoc capite, alterũ quod dicitur, idẽ eſſe ſcire, quid eſt, & ſcire cauſſam an eſt. id enim ſic intelligẽdum, ut proximo capite diſſeritur.

ſeritur. Qui cognovit an eſt, ex eſſentiali cauſſa, non eadem ratione, & ſimul cognovit, quid eſt: illud enim eſſet incommodum, quod Ariſtoteles priùs allegavit, ſed πρὸς τὸ τί ἐστι, ad quid eſt, cognoſcẽdum adjuvatur. Alterum verò eſt, quòd ἀπόδειξις καὶ λογικὸς συλλογισμὸς, hîc opponuntur: ubi λογικὸς verbum communiter & generaliter accipi non poteſt, ut comprehendat apodicticum, dialecticum, ſophiſticum: ut interpretes quidam totũ Organum, Logicam nominant, ſed pro διαλεκτικοῖς, apertè ſumitur, quia ἀποδεικτικὸν καὶ λογικὸν opponuntur.

CAPUT IX.

NOni capitis quæſtio obſcurior eſt: eſt tamen adhuc ſecundæ partis, An poſsit definitio in demõſtrationem induci: ſi non, ut demonſtretur de definito, aut demõſtret definitũ: certè ut eliciatur & elucefcat ex antecedentis quæſtionis demõſtratione. Ergo revocatur quæſtionum partitio, quòd antecedant aliæ, aliæ conſequantur: & antecedentes cognitæ conferant ad conſequentium cognitionẽ, aut non conferant. Nam ſi cognoveris an eſt, aut quia eſt, per accidens, hæc cognitio nihil ad explicãdum quid eſt, aut propter quid eſt, valebit: ſi per eſſentiam explicentur antecedentes, hæc explicatio ad conſequentium explicationẽ adjuvabit: non quòd unius quæſtionis explicatio, ſit alterius explicatio, ut videtur Ariſtoteles dicere, cùm ait, ὁτὲ δὲ καὶ ἅμα δῆλα γίνεται· aliquãdo etiã ſimul manifeſta fiunt: ſed quòd ſic affecti ſumus ad conſequentes agnoſcẽdũ, ut antecedẽtes noverimus, ut manifeſtè loquitur, cùm ait, ὥσπερ οὖν ἔχομεν ὅτι ἐστι, οὕτως ἔχομεν καὶ πρὸς τὸ τί ἐστι itaque ut habemus, an eſt, ſic habemus, ad qd eſt. ubi ὅτι αὐτὸ τί ἐστι, ſumitur. Ergo Ariſtoteli placet definitionem perfectam, & explicationem quæſtionis quid eſt, eluceſcẽre demonſtratione prioris videlicet, & antecedentis quæſtionis, ſi ratio ſit ejus immediata: ſecùs accideret illud abſurdum, quod ipſe capite ſeptimo attulit, ut eadẽ ratione duæ quæſtiones, an eſt, & quid eſt, exponãtur. Hic locus eſt valdè conſyderandus: aliud eſt ὁ νοῦς iis libris, aliud eſt ἡ ἐπιστήμη, ut jam dixi: intellectus eſt medii & argumenti, quo eodẽ poſsit quæſtiões multas & varias & differentes probare: ἐπιστήμη eſt quæſtionis: & ex genere quæſtionis, ſcientiæ genus idem ac diverſum ſumẽdũ eſt: nec quia ὁ νοῦς idem eſt, ideo ἡ ἐπιστήμη eſt eadẽ. Fallit, inquam: id quod tamen acutiùs conſyderatum minimè falleret: tã multa de quæſtionibus Ariſtoteles præcipit, attamen non ſatis accuratè præcepit, quòd quæſtionis, non item medii ſimilitudo, aut differentia, ſcientiam & cognitionẽ ſimilem, aut differentem faceret. Præterea docet hîc Ariſtoteles imperfectã definitionem ſyllogiſmo concludi poſſe, attamen non apodictico: omninoq; definitionis perfectæ neque ſyllogiſmum neque demonſtrationem eſſe. Hoc verò capite locus unus notandus eſt, ex qua quæſtionis parte medium ſumendum ſit: de majore nominatim ſentit Ariſtoteles, de minore etiam videtur: τοῦτο δὲ ἐστιν ὁ λόγος τοῦ ἑτέρου ἄκρου, οἷον, ἐν τοῖς τοῦ α· hoc verò eſt ratio alterius extremi, ut in his quæ ſunt, α. Manifeſtè ſentit hîc mediũ demonſtrationis de majore ſumẽdum: videtur & pauló póſt de minore extremo deducere, cũ ait: ἂν δὲ πάλιν τούτου ἄλλο μέσον ᾖ, ἐν παραλοίπων ἔσται λόγων· ſi verò rurſus hujus aliud medium fuerit, ex reliquis erit rationibus. Eadem quæſtio rurſus, ſed apertiùs erit decimo ſeptimo capite.

CAPUT X.

DEcimo capite tertiá & quarta pars ſummæ quæſtionis exponitur, quid eſt definitio, & quorũ: quæ ex antecedentibus elici quidẽ poterant, ſed hîc conſultò id agitur. Confuſior eſt hîc Ariſtotelis doctrina, partitio præcedit, definitio ſequitur: methodum ariſtotelicam adhibeamus, naturá priora præponamus. Quid eſt definitio? λόγος τοῦ τί ἐστι, ratio explicãs quid eſt. Quot ſunt ejus genera? Duo: altera ὀνοματώδης, nominalis, quæ declarat quid ſignificet nomen, altera rei. Illa eſt una συνδέσμῳ, cõjunctione, ut Ilias eſt: de quo exẽplo ſimiliter in Philoſophia libro ſexto. hæc una eſt unitate eſſentiæ, ad quam ſine illa nominali pervenire non poſſumus, quãvis non multùm adjuvante, ſi ſit ex accidentibus. Definitio rei duplex eſt, ἄμεσος, immediata, quæ & principiũ

eſt

eſt & theſis, quam & eſſe & quid eſt, ſupponere oporteat, aut alio modo notam facere: altera ἄμεσος, mediata, cujus altera cauſſa eſt, & quæ demonſtrari poſsit, ut dictum eſt: illa vocatur hîc διὰ τί· hæc appellat ὅτι, ut priore libro ſcientia διότι καὶ ὅτι. ὁρισμὸς διὰ τί erit οἷον ἀπόδειξις τοῦ τί ἐστι τῇ θέσει διαφέρων τῆς ἀποδείξεως, veluti demõſtratio ipſius quid eſt, poſitione differens à demonſtratione: differt enim quærere quid eſt? & propter quid eſt? ut Quid eſt tonitru? eſt ſonus ignis in nubibus. Hoc diſcrimine, his exẽplis Ariſtoteles diſtinguit definitionem διὰ τί à demõſtratione διὰ τί. Itaq; (ait) ὁ αὐτὸς λόγος ἄλλον τρόπον λέγεται, καὶ ὡδὶ μὲν ἀπόδειξις συνεχής, ὡδὶ δὲ ὁρισμός· eadem ratio alio modo dicitur, & ſic demonſtratio continua, ſic definitio. Hîc quid ſignificet συνεχής, Alexander, Philoponus, & cæteri ferè interpretes fruſtrá laborant: tandẽq; definitio triplex ſtatuitur, una cõcluſio demonſtrationis, imperfecta ſcilicet & mediata: ſecunda, theſis & principiũ demonſtrationis, perfecta nempe, cúm videlicet ſola ſpectatur: eadẽ cum ſuo definito conjuncta illa & ipſa germaniſsima demonſtrationis eſt, & appellatur συλλογισμὸς τοῦ τί ἐστι πτώσει διαφέρων τῆς ἀποδείξεως, ſyllogiſmus ipſius quid eſt, caſu differens à demonſtratione. Explicavi ſuperioris libri capite ſeptimo, hunc eundem locum, & Philoponi vanum laborem tum propoſui. Ex hoc veró capite intelligis quid definitio, quæ definitionis genera ſpeciesq; ſint: item quorum ſit, & quorum non ſit, quod ἰσοματῶδες ſit omnium, & quæ ſunt, & quæ nõ ſunt: & quæ rei eſt, ſit eſſentiæ nunc mediatæ, nunc immediatæ. Tandemq; extrema parte ejus capitis cõcluſio eſt, tam prolixæ, tamq; obſcuræ quadripartitæ quæſtionis: cujus ſummam (ſi lubet) animo repete. Definitio neq; demõſtratur, neque demonſtrat. Non demonſtratur, quia definitio & demonſtratio differũt: tertium caput eſt. non demonſtratur ſyllogiſmo duplante, non diviſione, non definitionis aut contrarii definitione, quia peteretur principiũ: quartũ, quintum, ſextum capita fuerunt. nõ demonſtrat, quia ſimul duas quæſtiões, an eſt, & quid eſt, demonſtraret: ſeptimum caput eſt. & hæc prima pars eſt: ſecũda ſuccedit περὶ δὲ πλάνης τῆς αἰτήσεως· imperfecta definitio demonſtratur quidem, ſed Logicé: & perfecta, ex demonſtratione præcedentis quæſtionis eluceſcit: octavum & nonum caput eſt. Quid eſt definitio, & quotũ eſt? tertia nempe & quarta pars, eſt in hoc decimo capite. Verũenimveró cõpara quæſtionis hujus partes duas, primã & ſecundã, cum illa ſuperioris libri quæſtione περὶ τῆς τῶν ἀρχῶν ἀποδείξεως, & ſtatue utrã altercationẽ ἐπιστημονικωτέραν ſentias. Primo libro magnifica illa verba jactata ſunt, Principia ſunt ἄμεσα, ἀναπόδεικτα, ἄτομα, ἀδιαίρετα, πρῶτα, γνωριμώτατα· definitio veró eſt principium, quod & hîc rurſus dicitur: Quamobrẽ igitur de principio altercamur? & tam multis capitibus altercamur? Operæ veró pretium ſit, Ariſtotelis ſtudiũ in altercatione hac conſyderare, definitionẽ transfigurare cupientis, & quacunq; ratione, ſyllogiſticæ demõſtrationi ſubjicere cõtendentis. Definitio vel nõ ſine demonſtratione eſt, vel etiam demõſtratio eſt, ait: definitio imperfecta, cõcluſio eſt demõſtrationis: perfecta, eſt vel principiũ mediumq; demonſtrationis, vel inſtar demonſtrationis theſi differens, ac ſyllogiſmus τοῦ τί ἐστι, πτώσει differẽs: καὶ ὡδὶ μὲν ἀπόδειξις συνεχής, ὡδὶ δὲ ὁρισμός. Quid ſymbolis illis θέσει, πτώσει, συνεχής, ὡδὶ ſignificetur, interpretes non intelligunt, ut jam propoſui, & vereor ne ipſe ſubtilius hîc aliquid, quàm Ariſtoteles ipſe voluerit, cogitarim: interpretationem tamen deduxi ex ipſa Ariſtotelis doctrina, de meo nihil addidi. Atque hic imprimis furor ille philoſophicus agnoſcitur, de quo in præfatiõe hujus analyſeos dixi. Ariſtoteles ſyllogiſmo demonſtrationẽ, demonſtrationi definitionem ſubjicere contendit, coactus à veritate aliud agit ac dicit, Definitio (ut dixi) demonſtratioq; ſyllogiſmum reſpuunt. Ariſtoteles id vidit in definitione, & confeſſus eſt: ejuſdem veritatis affinitas in demonſtratione & explicatiõe quæſtionis propter quid eſt, idẽ requirebat: Ariſtoteles igitur quæſtionis quid eſt, & propter quid eſt, item definitionis & demõſtrationis iſta germanitate commotus, cúm demonſtrationem, ſyllogiſmum facere vellet, & quæſtionis quid eſt, explicatio palám repugnaret, definitionem quoque ſyllogiſmum quendã facere voluit, & certẽ demonſtrationem ac ſyllogiſmũ appel-

 lavit,

lavit. Hæc igitur concluſio angebat Ariſtotelem: Si demonſtratio, ſyllogiſmus eſt, definitio quoq; ſyllogiſmus erit: qa una quæſtio eſt, ut ipſe aſſirmavit ſecundo capite. At definitio, ſyllogiſmus non eſt, ut ipſemet affirmavit capite ſeptimo. Quare neq; demonſtratio, ſyllogiſmus erit. Adverſus aſſumptionē illam (At definitio, ſyllogiſmus non eſt) accurrit. Imó veró (inquit) definitio eſt, tum ſyllogiſmus, nempe τὸ τί ἐστι, tū demonſtratio διὸν καὶ πτώσει differens, & demōſtratio ſic cōtinua, definitio ſic. Quibus verbis ſi ſcire voles quid ſignificare voluerit Ariſtoteles, revocandus ipſe tibi ſit ab inferis, ut ſententiā ſuā clariús exponat: nullum enim vel inventionis, vel diſpoſitionis (quæ Logicæ virtutes ſolæ ſunt) ſignum, nullum ſymbolū hac oratione continetur. Quid igitur hîc aliud ſuſpicari poſſumus, quám philoſophicum illum mentis afflatum huc evaſiſſe, ut verbis & oratione conturbaret, quod ratione & argumēto probare nullo modo poterat? Quare hæc enigmata (Definitio διὰ τί, eſt inſtar demonſtrationis, θέσει differens à demonſtratione, Eſt eadem συλλογισμὸς τοῦ τί ἐστι, πτώσει differens à demonſtratione, Demonſtratio eſt ſic continua, definitio ſic) hæc, inquam, ænigmata nobis indicabunt ſolicitudinē Ariſtotelis, difficilia vel impoſsibilia potiús affectantis: demonſtratio ſyllogiſtica propriæ affectionis de ſubjecto poëtica fabula eſt, imó ne poëtica quidem, cū veriſimile nihil habeat, chimericum agitatæ mētis inſomnium eſt ſine materia, ſine forma, ſine exemplo: & tamen philoſophus tale non ens omnium entium ſcientificum & artificioſum principium efficere conatur. Ariſtoteles magnis & præclaris laudibus philoſophus antiquos ſuperavit, quód ordine methodico ſingulas artes diſtinguere contendit, ſed & vitiis ingētibus philoſophos antiquos ſuperavit: In phyſica privationis & primæ materiæ commento mortalitate animorum inducta, in ethica ſublato beatæ vitæ actionibus divino principio, in theologia deriſis divinæ providentiæ conſiliis, & modó in logica fanatico iſto ſyllogiſticæ de propria affectione demonſtrationis deliramento. Sed reliqua videamus. Tribus proximis capitibus agitur de cauſſarum generibus, & quód ſingula ſint apodictica, & quæ ſit earum cum ſuis effectis anteceſſionis vel conſecutionis differentia. Capite itaque undecimo, cauſſarum genera quatuor non appellantur ab Ariſtotele ſuis nominibus, ὑλικὸν, ποιητικὸν, εἰδικὸν, τελικόν, ut appellantur ab interpretibus; materialis, efficiens, formalis, finalis, ſed obſcuré diſtribuuntur. Cauſſæ porró quatuor, una quidem ipſum quid erat eſſe, altera veró quum quibuſdam poſitis neceſſe eſt hoc eſſe, tertia autem quæ aliquid primum moverit, quarta quæ alicujus eſt gratiâ. Partitionem hāc laudo, & quatuor genera cauſſarum ad Logicam inventionem refero: partium tamen definitiones non perinde laudo: Forma eſt, quid eſt eſſe: id verum eſſe video, quia per formam unaquæq; res eſt, id quod eſt: materia qua definitionis parte ſignificetur, divinandum eſt. Interpretes, ut Philoponus, per τινῶν ὄντων, materiam: per ἀνάγκη τόδε, formam volunt intelligi. Quam ſententiam videtur Ariſtoteles pauló póſt approbare, cúm ait, τίνι γὰρ ὄντος, τόδε ἀνάγκη εἶναι· hoc enim cúm ſit, hoc neceſſe eſt eſſe. & poſtea cúm vocabit materiam, neceſsitatem: & ſecundo Phyſico ſic iterum vocat. At cúm materia conſtiterit, formam nihil eſſe neceſſe, neque materia eſt ὁμόγονος ἢ ὁμόχρονος, generatione aut tempore eadem, ſed antecedit, ut veré Ariſtoteles ipſe poſtea capite duodecimo definit. Quare conſyderabis, qualis iſta definitio ſit. Interpretibus verba hîc nō deſunt, ſed verba quibus res nō ſubeſt. Materia dicitur cauſſa, ſine qua forma non ſit, ideóque διὰ τὴν ὑπόθεσιν τοῦ εἴδους, per hypotheſim formæ, dicetur neceſſaria: idq; de Phyſicis Ariſtotelis citabitur: ſecundo enim Phyſico, & primo de partibus Animalium id dicitur. At iſta ratione efficiens neceſſaria ſit, nec certé multó diligentior efficientis definitio eſt. Sunt enim multæ cauſſæ & adjuvantes & conſervantes, quæ primó non movent: quo modo etiam in Phyſicis appellatur forma efficiens, non quia primúm moverit & genuerit, ſed quia conſervet & tueatur. Finis faciliús hîc intelligitur, cujus gratiâ aliquid fit. Quare partitio laudanda quidem eſt, ut dixi, ſed partium duarum definitio non laudanda. Videbis autem ſecundi Phyſici

capite

capite tertio, cauſſarum ſpecies & definitiones iis conſimiles. Omnes veró cauſſas Ariſtoteles affirmat demonſtrationis eſſe media, & ex iis demõſtrari poſſe. πᾶσαι αὗται διὰ τοῦ μέσου δείκνυνται· omnes hę per medium demonſtrantur, vel potiús per medium demonſtrant: id eſt media ſunt demonſtrationum: ſic enim interpretes. Si demonſtratio per cauſſam, declaratio quæſtionis propter quid eſt, declaratio (inquam) ſine ſyllogiſmo diceretur, id verum fortaſſe fuerit ex omnibus cauſsis demonſtrari: ſi demonſtratio omnis ſyllogiſmo concluſa intelligatur, ut Ariſtoteles intelligit, id falſum: imó veró, ut Ariſtoteles ipſe docebit pauló póſt, impoſsibile: etenim ex materia & efficiente nihil neceſſarió concludi docebit capite hujus duodecimo. Ergo hîc etiam Ariſtotelis judicio non omnis demonſtratio ſyllogiſmus eſt. Vide in Philoſophia minoris α capite ſeptimo eandem Ariſtotelis doctrinam, quod διὰ τί per omne cauſſarum genus expliccetur. Demonſtrationum per cauſſas, exempla deinceps ſequuntur. Superiora exempla fuerũt de triangulo, analogia, concurſu, reſpiratione, tibicinis, ſtellis, nihil ad Ariſtotelis theſin attinentia, ſequẽtia videamus. Exemplum ariſtotelicæ demonſtrationis per materiam eſt,

Dimidius duorum rectorum angulus eſt rectus:
Angulus in ſemicirculo eſt dimidius duorum rectorum:
Rectus igitur.

Hujus quæſtionis ratio in Philoſóphia [illegible] aliter ponitur: διὰ τί ἐν ἡμικυκλίῳ ὀρθὴ ἐκβάλλεται; διότι ἐὰν ἴσαι αἱ τρεῖς, ἥ τε βάσις δύο, καὶ ἡ ἐκ μέσου ἐπισταθεῖσα ὀρθή. Cur in ſemicirculo rectus eſt omnino? quia tres ſunt æquales, & baſes duæ: & ex medio erecta recta. quod Euclides 31 p 3 ſecutus eſt, & nos 18 e 16. At veró argumentum & medium hoc, materia recti quomodo erit? Nec enim dimidiũ duorum hominũ, hominis materia eſt, nec dimidium duorum binariorum, binarii materia eſt; multoq; veriús ait Ariſtoteles ipſe in Philoſophia ἄλφα minore, ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν verſari tantúm οὐ τοῖς μὴ ἔχουσιν ὕλην, in non habentibus materiam: & in iis libris ſæpe Ariſtoteles ipſe μαθήματα τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως appellat, quæ ſint ab omni materia abſtracta. Ergo per materiam hæc demonſtratio non eſt, neque ex materia omnino eſt ulla mathematica demonſtratio. E quonam igitur logicæ inventionis loco hoc argumentum eſt? Certé è pariũ loco & topico, ut Euclides enã 31 p 3 indicat ſuo cõſectario, ſi triãguli angulus eſt æqualis reliquis, rectus eſt. Quare philoſophus etiam in argumẽti genere fallitur; qui collectionẽ æqualium pro materia ſubjicit: tum veró quamvis hîc ex argumento vero ſyllogiſmus eſt, demonſtratio tamen Ariſtotelis non eſt; quia ex cauſſa prima & notiſsima ſcientiam quæſtionis propter quid proprietas ineſt in ſubjecto, non explicat. Quare ſeptimum exemplũ ariſtoteleam demonſtrationem nõ magis adjuvat quã ſex ſuperiora. Efficientis cauſſæ exemplum ſequitur, quod ita redigi poteſt,

Qui laceſſivit, bellum ſuſtinet:
Athenienſes laceſſivêre Medos:
Bellum itaq; Medorum ſuſtinent.

At exemplum eſt inſolentius ſuperiore, non κατὰ παντὸς, non καθ' αὑτὸ, non καθόλου: & ex hoc cauſſæ genere cúm ſimul cũ effectis non fuerit, concludi neceſſarió nil poteſt, dicet Ariſtoteles. Quare octavum exemplum ad ſuperiora aggregetur. Demõſtrationis per finẽ exempla hîc Mathematica nulla ſunt: ſed duo phyſica ſunt, διὰ τί περιπατεῖ; ὅπως ὑγιαίνῃ. διὰ τί οἰκία ἐστίν; ὅπως σώζηται τὰ σκεύη· Propter quid inambulat? ut ſanus ſit: Propter quid domus eſt? ut ſupellex conſervetur. Hæc exempla ſine ſyllogiſmo demonſtrant: & ſecundi Phyſici capite tertio & ſeptimo ab Ariſtotele repetita ſimiliter ſine ſyllogiſmo demõſtrãt, & tot Ariſtotelis teſtimoniis demonſtratio, ariſtotelea fabuloſa cõvincit. Quinetiam primum dum vult includere ſyllogiſmo, mirũ eſt quám cõfirmet, quod anteq monui, demonſtrationem ſyllogiſmo concludi non poſſe. Etenim dum vult ſyllogiſmum facere, non concludit ex illa finis reſponſione propoſitã quæſtionem διὰ τί, ſed propoſitum finẽ, πρόθεμα quæſtionis efficit, & efficientis argumento, ut interpretes monent, cõcludit hoc modo. Commutemus enim τὸν λόγον, ut Ariſtoteles hîc præcipit, & interpretes ex ejus præcepto faciunt:

Cibus nõ fluitãs in ore vẽtriculi, ſalubris eſt:

Inambulatio poſt cœnam id efficit:
Salubris igitur.

Hîc ſanitas, finis nempe poſt cœnam inambulandi, non eſt medium & argumentum quæſtionis διὰ τί, ut erat tamen reſpõſum, ſed majus extremum: mediũ veró ipſum, ſanitatis efficiens eſt, aut ὥσπερ λόγος (ut Ariſtoteles ait) veluti definitio, non finis. Non enim ſani eſſe volumus, ut non fluitet cibus, ſed contrá. Hic interpretes quantumlibet laborẽt, nunquam tamen ſe ex iis laqueis explicabunt. Themiſtius Ariſtotelis exemplũ prudẽs omiſit, Philoponus, Euſtratius, & author innominatus excuſare valdè cupiunt. Exemplum veró non eſt κατὰ παντὸς, non καθόλου· ergo non demõſtrat: hoc tamen non arguo, ſed demõſtrationem ſyllogiſmo concludi poſſe nego, & dum Ariſtoteles id efficere conatur, nõ ſolúm quæſtionem aliam concludit, ſed alio quàm propoſuit, argumento. Quapropter ariſtoteleæ demõſtrationis cõmentũ ariſtoteleis teſtimoniis & exemplis tenetur, nonũq; & decimum exemplum ſuperioribus addantur. Sed hoc rurſus pauló póſt? Ariſtoteles reliquo capite valdè obſcurus, & ſententiis etiã valdè conciſus. Primùm γένεσις interponitur, καὶ ὁμογονία, generatio & congenitura (quaſi diceres) cauſſarum cum ſuis cauſſatis. Efficiẽs & finis non ſunt ſuis cauſſatis ὁμόγονοι, ut hîc Ariſtoteles oſtendit: pauló póſt de materia dicet idẽ. Efficiens, tempore prior eſt effectu, finis poſterior: tum ponitur eandem rem in phyſicis mõſtrari. καὶ ἐξ ἀνάγκης καὶ οὗ ἕνεκα τινος, & ex neceſſitate, & cujus gratiâ: id eſt, ex materia (ut interpretes ajunt) & fine. Exempla hîc ſunt quatuor: Propter quid tranſit per lucernam lumen? quia ſubtiliorum partium per majores poros: tum, ne offendamus. Hîc demonſtratio duplex eſt, altera ex materia, altera ex fine, utraq; ſine ſyllogiſmo. & hæc item exempla duo undecimum & duodecimum teſtimonia duo ſunt cõtra ariſtoteleæ demonſtrationis commentũ. Duo reliqua audiamus. Propter quid tonat? quia ignis extinguitur. item, ut apud inferos damnati contremiſcant. Materia utrum illa ſit an efficiens tonitrui conſiderato: finis veró talis philoſopho mortales animos faciẽti nonne ridiculus? nonne ad religionẽ & pietatem deridendũ appoſitus? Sed tamẽ hæc utraq; demonſtratio rurſus ſine ſyllogiſmo, ariſtoteleæ fabulæ eſt demõſtratio: adde igitur decimũtertium & decimum quartũ exẽpla cũ ſuperioribus. Perge, qd ſequit? poſſe ex materia materiatũ. Ariſtoteles dividit efficiẽtẽ cauſſam varié, primó ex neceſſitatis ratione, quód ea ſit duplex: altera κατὰ φύσιν καὶ τὴν ὁρμὴν, ſecũdúm naturalẽ propenſionẽ: altera, violenta. Lapis deorſum fert naturaliter, ſurſum violẽter: utrobiq; neceſſitas, illic naturalis, hîc violenta. Attamẽ hæc neceſſitatis cauſſa, materia non eſt: ſed illic eſt gravitas, hîc impulſio projicientis ſurſum. Alia diviſio cauſſæ efficientis ſequitur, ἐν δὲ τοῖς ἀπὸ διανοίας, in iis veró quæ cõſilio & ratione agũtur, alia quidẽ nunquam ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, à caſu ſunt, neque à neceſſitate, ut domus, ſtatua: alia veró ſunt à fortuna, ut ſanitas ægrotantiũ, ut ſalus navigantiũ, caſu & fortunâ poteſt adjuvari: in iis præſertim quæ hoc vel illo modo evenire poſſunt. Fortuna tamen cõſilio nõ agit, ſed finis bonus in natura aut arte ſpectat. Notabis hîc igit cauſſas efficientes tũ naturaliter, tũ violenter, tũ conſilio, tũ fortuna & caſu. Deinceps revocat γένεσις, & ὁμογονία cauſſatũ, quæ cauſſæ ſunt ſimul cũ effectis, quæ non: quæ porró ſunt ὁμόγονοι, congenitæ, cũ his omni tẽpore effectum ſuũ conjunctũ eſt, præteritiq; effecti cauſſa præterita, præſentis præſens, futuri futura. Propter quid facta eſt eclipſis? qa terra interpoſita eſt: propter quid fit? quia interponitur: propter quid fiet? qa interponet. Hîc ſyllogiſmus nullus eſt, ſed adverſus ariſtoteleã demõſtrationẽ decimusquintus teſtis eſt. Alterũ eſt de cryſtallo exemplũ miré cõtortũ, ut ſyllogiſmo cõcludat. Quid eſt cryſtallus? aqua cõgelata, ait Ariſtoteles. De hoc exemplo vide Ariſtotelem ſecundo capite Η´ τῆς in Philoſophia. Hîc ariſtotelici ſyllogiſmi termini inſtituuntur, quos eoſdẽ recẽſeo, aqua minor, ſumma caloris defectio, medius, congelata, major: ſyllogiſmum abſolve, quem Ariſtoteles non abſolvit, ſic erit,

Quod calore penitus deſtituitur, cõgelaſcit:
Aqua penitus calore deſtituitur:
Aqua igitur congelaſcit.

Et tũ animadverte, qd hic ſyllogiſmus de ꝓpoſita cryſtallo, quã aquã cõgelatã definieras,

definieras, demonſtret. Quid faciat hîc decimusſextus teſtis, quid pro Ariſtotelis demonſtratione teſtificet? Sed tamẽ ejuſmodi ſunt αἴτια ὁμόγονα, id eſt, cauſſæ congenitæ: qualis una eſt forma perpetuò, quãvis nec exempla, nec verba Ariſtotelis eam nobis nominatim definiãt: definitiones enim quædam, ejus exempla ſunt: in cauſſis veró, quæ non ſimul fiunt, nec ſunt ὁμόγονοι, ἀπὸ τοῦ ὑστέρου γεγονότος ὁ συλλογισμός, ab eo quod tempore poſterius fit, ſyllogiſmus fit: ex effecto cauſſa, quãvis tempore prior, concluditur. ἀπὸ δὲ τοῦ προτέρου οὐκ ἔστιν, à priore veró non eſt. Cauſſas non ὁμογόνους Themiſtius efficientes, Philoponus & Euſtratius etiã materiales faciunt: Ariſtoteles ipſe antea (ut notavi) finem fecit ſuo effecto non ὁμόγονον, ſed poſteriorem. Quapropter ex quatuor cauſſis ſola forma eſt ὁμόγονος· materia, efficiens, finis, non ὁμόγονοι, ſed materia & efficiens priores tempore, finis poſterior. Eſt veró locus hic ſingulariter nobis cõſyderandus: Cauſſæ quæ non ſunt ſimul cum ſuis effectis, ſed antecedunt, non poſſunt ariſtoteleo ſyllogiſmo ſua effecta concludere: Materia & efficiens ſunt tẽpore priores ſuis effectis: Non poſſunt igitur (inquam) ſua effecta ariſtoteleo ſyllogiſmo concludere: Verèque Ariſtoteles hic ait, à poſteriori ſylllogiſmum fieri, non à priori. Fallit igitur Ariſtoteles, cúm docet ex omni genere cauſſæ, demonſtrationes fieri, ſi demonſtrationes velit ſyllogiſticas eſſe, cúm materia & efficiens materiatum & effectum ſyllogiſmo concludere non poſsint. Nec audienda vana neſcio quæ diſtinctio, quód effectum ſit cauſſæ finis, & ideò quando concludetur ex materiato effectóque opere, materia & efficiens, concludetur ex fine materia & efficiens: ſic enim forma ex formato, tanquam fine demonſtraretur, ſit demõſtratio ὅτι, eſſet demõſtratio διότι· ſic idem eſſet naturâ eodem prius & poſterius, quod tertio capite ſuperioris libri ab Ariſtotele deriſum eſt, & rurſus ab eodem, decimo ſeptimo capite hujus, meritô reprehenſum. Atque hoc argumentum eſt adverſus demonſtrationem ſyllogiſticam, quod ex uſu deduci non poſsit:

Nullus ſyllogiſmus fit ex materia et efficiẽte:
Demonſtratio fit ex materia & efficiente:
Demonſtratio non eſt igitur ſyllogiſmus.

Ut jam planè pateat ſyllogiſticæ demonſtrationis dogma fictum & ſomniatum eſſe, non ex uſu, artiũ omnium parente, obſervatum & deductum.

CAPUT XII.

Duodecimo quæſtio movet̃, quód non fit in effectis, ſicut in magnitudinibus, συνέχεια, continuitas, nec facto factum, item facto id quod fit continuũ: idq; ſimilitudine Geometrica peragitur: facta ſunt πέρατα καὶ ἄτομα, extrema & individua. Quemadmodũ igitur στιγμαὶ, puncta punctis continua non ſunt, ſic neq; factis facta: utraq; enim ἀδιαίρετα, indiviſibilia. Quod autem fit, ſic habet ad factum, ὥσπερ γραμμὴ πρὸς στιγμὴν, ut linea ad punctum. Nam quod fit, διαιρετὸν, diviſibile eſt: quod factũ eſt, ἀδιαίρετον· atq; ut in linea puncta, ſic in eo quod fit, facta ſunt infinita. Sed hanc quæſtionem Ariſtoteles ipſe alienam eſſe profitetur, & ad Phyſicam remittit· μᾶλλον δὲ φανερῶς ἐν τοῖς καθόλου περὶ κινήσεως δεῖ λεχθῆναι περὶ τούτων· magis veró perſpicuè in his quæ univerſaliter de motu, de iis dicendum. Sed de ſophiſmate hujus infinitatis ſuperiore libro ſatis reſponſum, & ſcholæ phyſicæ ad hũc locum reſpondebunt. Deinceps revocatur γένεσις inſtituta, quód in nõ ὁμογόνοις concludat̃ à poſteriori prius. Exemplũ eſt unũ de materia in Sorite quatuor graduum, in quibus progreſsio γενέσεως eſt, λίθοι, θεμέλια, τοῖχοι, οἰκία, lapides, fundamenta, parietes, domus. At ubi ſyllogiſmi cõſecutio ſpectatur, contra fit, & ex poſteriore prius concluditur: Sorites Ariſtotelis in hunc ſyllogiſmum redit,

Si paries eſt, fundamentum quoq; eſt: & ſi utrumq;, ſecti ſunt lapides:
Si domus eſt, paries eſt, & fundamentũ eſt:
Si igitur domus eſt, ſecti ſunt lapides.

Hoc exemplo cõcludit Ariſtoteles ex poſteriùs facto prius eſſe, id eſt, ſi domus eſt, ſectos lapides eſſe: & rurſus hãc hypotheſim probat ex poſteriús facto, pariete & fundamento. Contrà ſi conêris ex cauſſis effecta concludere, nõ poteris: Nec enim quia lapides, iccirco fundamentum: nec quia fundamentum, iccirco paries: nec quia paries, iccirco domus. Hoc exemplo conſyderandum eſt (quod dixi) ex materia ſyllogiſmũ fieri

non

non poſſe, nec ideo ſyllogiſmum apodicticum eſſe ex materia, quem putavit Ariſtoteles. Et tamen ſoritæ hujus exemplum videtur interpretibus methodicæ mathæotechniæ occaſionem aliquã dediſſe, cũ nihil minus hîc Ariſtoteles quã de illa totius artis methodo cogitaſſet. Sed ad caput de methodo in logica ſatis hac de re diſputatum. Exemplum demõſtrationis ſi quis hîc arbitrabitur eſſe, faciat decimum ſeptimum contra Ariſtotelem Ariſtotelis teſtimonium.

CAPUT XIII.

PRoximũ caput decimumtertiũ verſatur rurſus in materialibus cauſſis: quæ phyſicis in rebus & caducis mutuas & reciprocas rationes habẽt, ut ex terra fit aqua, ex aqua fit aer, ex aere fit ignis: & contrá, ex igne aer, unde aqua, ex qua terra gignitur. Hanc conſecutionem, *κύκλῳ γένεσιν* Ariſtoteles appellat, & exemplum quatuor gradibus ſic inſtituit. Ex pluvia vapor, ex vapore nubes, ex nube pluvia. Ex hoc circulo cúm unumquodlibet eſt, alterum eſt, & contrà viciſsim, ait Ariſtoteles: ubi tamẽ nihil eſt *κατὰ παντὸς*, nihil *καθόλου*. Atque has demõſtrationes phyſicas (quoniam ſumuntur ex materia) memento ſyllogiſmos eſſe non poſſe, & decimum octavum teſtem conſentientem cum ſuperioribus facito. Reliquo capite ſtatuitur (quod bis jam ſtatutum eſt decimo quinto & viceſimo ſexto capite primi) demonſtrationes demonſtratarum rerum ſimiles eſſe, earumq́ media quædã *ἄμεσα*, ſed alia revera eſſe *ἄμεσα*, alia videri: & *ἄμεσον* aliud apodicticum, aliud dialecticum eſſe. Hactenus de cauſsis actum eſt & effectis, quorum doctrina logica illa quidẽ eſt à nobis ſtudioſé propoſita, non tamen apodictici ſyllogiſmi propria eſt, ſed omnis quæſtiõis, omnis explicationis etiã non ſyllogiſticæ communis. At (inquit Ariſtoteles) ſophiſticum eſt, non catholicum, quod generale ſit, attribuere ſpeciei. Quare ſophiſticé facit Ariſtoteles, qui doctrinam omnis quæſtionis, omnis ſyllogiſmi, omnis etiam non ſyllogiſticæ explicationis communem, uni ſyllogiſmi ſpeciei (quam fingit) attribuat: Gigantis enim veſtem pumilioni accommodat. Ergo doctrinam cauſſarum ad generalem logicæ inventionis artem refero, fabuloſo & chimerico demonſtrationis commento non attribuo.

CAPUT XIIII.

SEd tamen de cauſsis & effectis actũ eſt, quorum ſymbola tum particularia ſunt in diſtributionis loco, genera, differentiæ, ſpecies, totum, partes: tum integra & univerſa, ut in definitionis & definiti topico. Ergo cùm dicitur, inſtitutiões artiũ eſſe ex definitionibus, diſtributiõibus, nõ aliud dicit̃, quàm ex cauſsis & effectis, quia definitiões & diſtributiones, cauſſarũ & effectorũ ſymbola ſunt. Sed quod agit̃, hîc agamus. Quod definitur, ſpeciale eſt aut generale: ergo Ariſtoteles, leges primó definiendæ ſpeciei, deinde definiendi generis inſtituit. Ad definiendam itaque ſpeciẽ, primó leges duæ ab Ariſtotele ſtatuuntur, quomodo oporteat venari & indagare quæ in quid eſt, dicũtur. Prima lex eſt: eorum quæ unicuiq́ ſemper inſunt, quædam communiora ſunt, non tamẽ genere ſuperiora. Hæc igitur eſt prima lex: Communia neceſſaria quærantur, non tamen genere communiora. qua lege proximum genus, & communes differentiæ comprehenduntur: ut in homine definiẽdo philoſophis ethnicis erãt animal, item rationale, tũ mortale. comprehenduntur, dixi, nõ diſtinguuntur: & videtur potiús Ariſtoteles exemplis, quibus utitur in litera, de genere nihil cogitare. Secunda lex eſt: talia ſané ſumenda ſunt hactenus, ut tot in primis ſumpta ſint: quæ licet ſingula latiús pateant, univerſa tamen non pateant. Hæc ſecunda lex jubet univerſalia tot aſſumi: quæ ſingula, quàm ſpecies definienda, cõmuniora ſunt, cõjuncta tamẽ ſint propria: hanc enim neceſſe eſt eſſentiã eſſe rei: quia univerſalia illa & neceſſaria, ipſum quid eſt, oſtendunt: & ita conjuncta propriê ſimiliter oſtendunt. Hæ definiendæ ſpeciei ſunt leges, & hæ legum ſunt rationes: clariús veró breviúſque fuerat præcipere ad definiendam ſpeciem, ſumendum eſſe proximum genus, & differentiis tot explẽdum, donec totum ex genere differentiis compoſitum, ſpeciei propriũ eſſet: aut enim ge-

nus,

nus, aut differentia fuerit, dicet pauló póſt Ariſtoteles in hoc ipſo capite. Generis definiēdi ratio quæ ſequitur, confuſior & obſcurior eſt, tum propter mendum, quod ineſſe ſuſpicor, tum propter diviſionis utilitates interpoſitas. Summa veró eſt doctrinę propoſitę initio, & tandem repetitæ ad genus definiēdum, diviſæ & definitæ ſpecies conſyderandæ ſunt, & ex earum cōmunione & ſimilitudine propria affectio differentiaq; generis educenda: tres leges hîc Ariſtoteles facit: cúm veró totum aliquid explicabit quiſpiam, genus in prima ſpecie individua dividere conveniet: deinde ſic eorum definitiones ſubducendæ: poſtea ut ſumas genus aliquod, ut qualitatiſne ſit, án quantitatis, proprias ejus affectiones ex communibus primis conſyderabis: ex individuis enim compoſitorum affectiones é definitionibus erunt manifeſtæ. Poſtrema lex videtur mendoſa: & tamen qualiſcūq; ſit, indicat quod tandē dicetur aperté & manifeſté, ex cōmunibus partiū affectionibus, proprias totius affectiones inveſtigandas eſſe. Interponitur longa digreſsione diviſionis utilitas triplex ad definitionis partes colligendum, diſponendum, cōplendum. Diviſiones ſecundúm differentias utiles ſunt ad ſic progrediendū: quemadmódum tamen demōſtrant, dictum eſt ántea. Utiles veró fuerint ſolúm ſic, ad concludendum quid eſt: quo modo definitio dicta eſt priús *συλλογισμὸς τοῦ τί ἐστι ἢ ἀπόδειξις.* Atq; videbitur utiq; nihil concludere, ſed omnia protinus petere, tanquam acceperit ab initio ſine diviſione. Hîc Platonem diviſionis præceptorem & laudatorem vellicari intelligimus: Et hæc prima diviſiōis utilitas eſt, ad definitionis partes colligendum. At non demonſtrat, ſed petit, ait Ariſtoteles. Hîc etiam nunc diviſio labefactatur, quæ nihil doceat, nihil probet, ſed quæſtionem gratis petat, promiſſam explicationem & debitam non perſolvat. Sic antea capite hujus quinto diviſio damnata eſt, quód peteret, non demonſtraret. At pauló póſt contrarium dicetur, quod diviſio nō petat, ſed veré doceat. Hîc veró nomine *διαιρέσεως* ſignificatur non ſolúm diſtributio totius in partes, ſed partium ſimiliter inductio ad commune conficiendum. Atque ut diviſione & differentia generis, ſpecies: ſic inductione ſpecierum & ſimilitudine, genus definitur. Sed illa diviſionis prima eſt utilitas. ſecunda eſt, quod refert in definitione *τί τὸ πρῶτον καὶ ὕστερον*, quid prius ſit & poſterius: quod diviſio monſtrabit, quæ primó ſumit genus, tum differentias priores priús dividit. Hæc utilitas obſcuriús exponitur. tertia eſt utilitas, ut nihil relinquatur, diviſione effici. Prolepſis deinceps adverſus Speuſippum Ariſtótelis cōdiſcipulum (ut interpretes ajunt) diviſiones tollentem, quia impoſsibiles eſſent, quia ſophiſticæ eſſent.

> *Si quis (ajebat) dividere velit, omnia erūt ei tenēda, omnesq; et differētiæ & ſpecies cognoſcendæ: ſecus quid dividat, neſciet.*
> *At hoc impoſsibile:*
> *Illud igitur.*

Hujus ſyllogiſmi propoſitioni Ariſtoteles reſiſtit, ſatiſq; putat eſſe dividenti genus in oppoſitas partes abſoluté dividere, & ex ejus partib. aſſumere, quod ad propoſitum definiendum ſatis erit: ut ſi quis dividat animal, non neceſſe illi ſit omnes animalium ſpecies, leonū, equorum, piſcium, avium, omneſq; differentias eorum noſſe, ſed ſatis eſt animal & rationale & mortale. Sic enim *ἕξει τὸν λόγον τῆς οὐσίας*, habebit rationem eſſentiæ. Secundus Speuſippi ſyllogiſmus videtur fuiſſe,

> *Sophiſtica eſſe & captioſa, quæ peterent:*
> *Diviſionem petere:*
> *Sophiſticam itaque eſſe.*

Hujus ſyllogiſmi aſſumptioni Ariſtoteles occurrit contrario argumento:

> *Si ſint in diviſione oppoſita immediata, ἄμεσα, non petitio eſt:*
> *At primum eſt:*

Quia neceſſe eſt quidvis in horum altero eſſe, ſic Ariſtoteles. Sic enim diſputat: Neceſſarium (inquit) ergo non petit, ſed probat & docet:

> *Secundum igitur.*

Hîc notabis mirum Ariſtotelis ingenium, in primo Priorum capite triceſimo ſecūdo, & hujus capite quinto: quin pauló ánte in hoc ipſo capite diviſio cōtra Platonē reprehenſa eſt, quia peteret, non probaret, non doceret: Nunc veró cōtra condiſcipulū Speuſippum eadem defenditur, principiumq; nō petere confirmatur, quia ex oppoſitis immediatis fiat.

fiat. Sic eadẽ res, mutata tantúm calumniæ perſona, ex eodẽ facto & argumento & vituperatur & laudatur. Hic locus conſyderandus eſt ad judicandũ de ſuperioribus illis locis, in quibus diviſio tractata eſt. Diviſione ſic defenſa, triplex utilitas jã poſita, per inanẽ ταυτολογίαν, repetitẽ, ad definitionẽ diviſiõe cõſtituẽdã, tria ſpectãda ſunt: ut attributa ſint eſſentialia, ut ordine collocata, ut completa. Primũ patebit ex topicis locis de genere: ſecundũ, ſi natura priora præcedant: tertium, ſi genus diviſum & differentiis aggregatum, à toto quod definitur, ſpecie non differat, id eſt, proprium ſit: id enim eſt, non differre ſpecie, pro eo quod in Topicis, idem numero dicitur: illic enim idem dicitur numero definitio ad definitũ. Atq; hæc explicatio ex præſenti Ariſtotelis loco ducitur, cúm aſt in eo quod ſpecie non differat, neq; plús proponitur, neq; quicquam deficit. Atque hæc de tribus diviſionis utilitatibus tã lõga adhuc digreſsio fuit: repetitur deinceps propoſita primiim ratio definiendi generis, quomodo generis definitio ex communione & ſimilitudine ſpecierũ ſubducatur, imó quomodo ſi duo genera ſint, quæ putabantur, unum id intelligatur. Res hîc multó eſt clarior, quàm fuit antea: Inquirendũ veró eſt & intuendũ in ſimilia, minimeq; differentia: primúm quid univerſa contineant idem: deinde rurſus in aliis, quæ ſint in eodem quidẽ cum illis genere, ſibiipſis inter ſe eadem ſpecie, á cæteris diverſa. cúm veró in his ſumptũ fuerit aliquid omnino idem, & in aliis ſimiliter, in aſſumptis rurſus conſyderandũ, an ſit idẽ donec ad unam rationem ventũ ſit, hæc enim erit rei definitio. Hęc Ariſtotelis oratio jam manifeſta eſt, & aperté docet, quod antea obſcuratum fuerat: nempe ut ſpecies generis diſsimilitudine, ſic genus ſpeciei ſimilitudine definiri: hũcq; & generis & ſpeciei circulũ eſſe. Sed additur præterea, quód ſi non ad unam rationem, ſed duas aut plures itur, conſtat non unum quidpiã futurũ, quod quæritur, ſed plura: ſi non fuerit una cõmunio, unaq; ſimilitudo ſpecierum, genus unum non erit. Hoc tanquam corollarium propoſitæ doctrinæ acceſsit. Sed exemplis præter morẽ, Ariſtoteles magnificis hîc utitur. Scite vis quid ſit μεγαλοψυχία, magnanimitas: ſubducito ſpecies hominum magnanimorum, quid habent ſimile, contemplare. Alcibiades magnanimus fuit, itẽ Achilles & Aiax: quibus omnibus commune eſt injurias non pati. Alcibiades Athenienſibus (à quibus abſens propter Sicilienſem cladem damnatus erat) bellum fecit: Achilles ob raptam Briſeidem, iratus, Græcis implorantibus auxilium negavit: Aiax ab Ulyſſe victus in armorũ judicio, ſeipſum interfecit. At id rurſus in magnanimis aliis cõſyderetur. Lyſander & Socrates magnanimi ſunt habiti, quia ſecũdis rebus vel adverſis nihilo ſunt mutati. His duob. ſumptis, conſydera quid inſit idem, cõſtantiæ animi dico, in quavis fortuna, & injuriarum impatientiæ: ac ſi nihil inſit, duæ ſpecies erũt magnanimitatis. Quare partium cõmunio me docuit, non unum genus eſſe, quod definire volebam, & quid eſſet unũquodque: quia communia non una, at definitio univerſalis eſſe debet: nec enim medicus præciperet de cujuſdam oculi, ſed de omnis aut certæ ſpeciei ſanitate.

CAPUT XV.

Ex hac proxima ratione definiendi generis concludit Ariſtoteles facilius eſſe definire ſpeciem, quàm genus, quia ὁμωνυμίαι, quæ faciũt é duobus unũ, magis lateant in genere, quàm in ſpecie. Itaque metaphoras velut hatũ ambiguitatum umbras, in definiendis rebus adhibendas eſſe non putat. εἰ δὲ μὴ διαλέγεσθαι δεῖ μεταφοραῖς, δῆλον ὅτι οὐδ' ὁρίζεσθαι οὔτε μεταφοραῖς, οὔτε ὅσα λέγεται μεταφοραῖς. Si veró non diſputare metaphoris oporteat, certé neque metaphoris, neq; ullis per metaphoras enuntiatis definiendũ. Metaphoras Ariſtoteles appellat hîc (opinor) ut in Rhetoricis ad Theodectem nominantur, omnes tropos & modificationes verborum: tametſi ſexto Topico per ſimilitudinem metaphoras tantúm dicit. Sed monitũ Ariſtotelis præſtat intelligi de tropis obſcuris, quibus auditoris intelligentia turbatur: quales ſunt in Organo Logico μέσον αὐτὸ πέφυκε ὁ λόγος, σχῆμα αὐτὸ γένος, & alia pleraq; vel Ariſtotelis interpretibus interdũ ignota, ut jam dixi de medio: & διαλέγεσθαι pro Dialecticẽ & probabiliter videtur uſurpare.

uſurpare, tanquã ex minori majus concluderet: ꝓbabilis diſputatio metaphoras & tropos non admittit, quantó minùs definitio? Sic metaphora damnata eſt: ſic ſexti Topici capite ſecũdo rurſum damnabitur. Eſt tamen conſyderãdum, propria verba & cum rebus ipſis nata, interdum modificatis obſcuriora eſſe, & ideo quam ob cauſſam metaphora damnatur, ob eandem fuerit expetenda: deinde neceſſaria frequenter omninó eſt, cúm bona pars rerum translátis quidem & mutatis verbis exprimatur, propriis autẽ careat. & pauló póſt próximo capite ὀνοματοποιΐαν καὶ ἀναλογίαν Ariſtoteles concedit. Notabis hoc loco homonymiam dãnari, quæ manifeſtiús in Elenchis inter ſophiſmata numeratur. At metaphora per analogiã & ſimilitudinem pręcipué convertitur. Sed hactenus de diviſione: cujus tanta utilitas, in definiendo ſummopere obſervanda. tot definitiones in Organo logico deſunt, tam multę vitioſę ſunt, licebit hinc cõſtituere & reſtituere. Et nos quantúm his legibus uſi & adjuti ſimus, ſcholarũ dialecticarum viginti libri declarant, in quibus maxima diſputatio eſt de omiſſis aut vitioſis definitionibus explendis aut reſtituendis.

CAP. XVI.

Diviſionis utilitas permagna ad definiendum ſeu genus, ſeu ſpeciem propoſita eſt: ea tamen adhuc augetur capite decimo ſexto, & ad demonſtrationem cujuſvis problematis accommodatur, ut definitiones, ut demonſtrationes una diviſio ſuppeditet: πρὸς δὲ τὸ ἔχειν τὰ προβλήματα, ἐκλέγειν δεῖ τὰς ἀνατομὰς καὶ τὰς διαιρέσεις· ad problemata veró & quæſtiones obtinẽdum & diſceptãdum, partitiones & diviſiones adhibendæ ſunt. ſic veró ſubjectum genus commune omnium aſſumendũ eſt. ut ſi de animalibus agatur, quæ inſunt omni animali conſyderanda: tum facta communis generis diviſione, ſimiliter in primas ſpecies intuendum: quod illi tori conjunctum conſequensq́ ſit: ut ſi ſit avis ea ſpecies, quæ ſunt omni avi cõſequentia. & ſic ſemper proxima. tum enim poſsimus dicere propter quid ſub commune ſubjectis inſint conſequẽtia. ut propter quid homini aut equo hoc vel illud ineſt. Hic locus veró diligẽtiús conſyderandus, & attentiús legẽdus eſt, ubi Ariſtoteles illo ſuperiore Ariſtotele Platonis reprehenſore longé æquior & verior eſt. Diviſio primo Analytico, itẽ capite hujus quinto & rurſus decimoquarto, ut ſophiſma quoddã, reprehenſa eſt & agitata, quia precarió ſumeret quęſtionem, & velut emendicaret. At ab hac captionis fraude non ſolúm ab Ariſtotele ipſo vindicata eſt, cúm negavit in ea eſſe petitionem, ſed ad definiẽdum tanquã dux certiſsima delecta. Imó veró etiam nunc ad demonſtrandũ, & propter quid eſt, explicãdum deligitur. Hîc (inquam) locus attendendus & animadvertendus eſt. Hîc præterea præcipit Ariſtoteles, ſi forté uſitata nomina dividendis rebus defuerint, ut res tamen communis nihilominús conſyderetur, ejuſque conſequẽtia perinde videantur, nomenq́ imponatur: ſic ὀνοματοποιΐαν hîc interpretes intellexerunt. Eſt præterea (inquit) & alia ratio, ut κατὰ τὸ ἀνάλογον aſſumatur. Hîc Ariſtoteles ἀναλογίαν permittit in demonſtratione, quam tamẽ pauló antẽ metaphorę nomine reprehenderat. Atq́ hactenus de diviſione enã multa primó in Platonis calumniam, quód nihil probaret, nihil doceret, ſed τὸ ἐξ ἀρχῆς peteret ac poſtularet. Deinde in ſummam rei ipſius veritatẽ & gloriã, quód una diviſio in omneis omnis doctrinæ ac ſcientiæ partes ſeſe mirificé jactaret: quód definitiones una tum generis, tũ ſpeciei ſuppeditaret: quód demonſtrationibus media & argumẽta præſtaret: problemata propter quid eſt, una ſuis facultatibus ſuſtentaret. Reliquo capite docetur, problemata eadẽ eſſe, quæ medium habent idem, ut quæ per ἀντιπερίστασιν probãtur: ut cur in hyeme faciliús concoquimus, dormientes craſsiús ſpiramus, & putei calidi? hic demonſtratio & reſponſio nulla eſt. Atq́ hæc problemata duobus modis eadem ſunt, aut genere, aut quia medio mediũ ſubjectum ſit. Genere, ut ꝓpter quid reſonat echo? propter quid imago apparet in ſpeculo? propter quid iris in nube verſicolor cernitur? ἀνάκλασις, reflexio in omnibus reſpondetur, vocis, ſpeciei viſibilis, luminis: & hic tres ſine ſyllogiſmo teſtes, altero & viceſimo teſtimonio ariſtoteleam fabulam traducunt. Secundo modo pro-

do problemata eadẽ ſunt: Propter quid Nilus deſinente menſe copioſior fluit? quia menſis deſinens χειμερινώτερος, hybernior: Propter quid hybernior? quia luna deficit. Hæc enim ſic habent πρὸς ἄλληλα: & hîc duo teſtes germaniſsimi ſuperiorum viceſimum quintum teſtimonium Ariſtoteli contrarium faciunt.

CAP. XVII.

DEcimoſeptimo capite varia de cauſsis & effectis rurſus tractantur. Primò igitur revocatur ἡ ἀντικατηγορία αἰτιῶν καὶ αἰτιατῶν, & quæritur an ſimul ſint cauſſa effectumq́ue, ex iiſq́ue ſit reciproca demonſtratio, ut in iis duobus ſyllogiſmis apparet:

Latifolium defrondeſcit:
Vitis eſt latifolia:
Vitis defrondeſcit.
Defrondeſcens eſt latifolium:
Vitis defrondeſcit:
Vitis eſt latifolia.

Latifolium & defrondeſcens hîc videntur eſſe reciprocæ cauſſæ, & reciprocas demonſtrationes facere. At ſecùs eſt: cauſſa enim prior eſt, & demonſtrat διότι. effectus poſterior, & demonſtrat ὅτι & tamen etiam illud quod demõſtrat διότι, nihil habet proprium, & quod ὅτι dicitur, verum non eſt: multis enim arboribus folia decidunt, quæ lata non ſunt. Denique ταυτολογία hîc eſt inanis: nihil enim dicitur hîc, quòd non dictum ſit priùs: & hi duo noviſsimi teſtes ſyllogiſmum quidem habent, at nõ proprietatis, non cauſſę proprię. Itaq́ue tam ſunt inſenſi viceſim⁹ ſextus & ſeptimus quàm ſuperiores. Secunda pars ſequitur. Ejuſdem effecti in diverſis ſubjectis poſſunt eſſe multiplices cauſſæ. Nec ſi eſt effectũ, oportet omnem cauſſam eſſe. Hîc exemplum nullum eſt, niſi abecedarium. Tertia pars repetitur è quarto capite primi ex nota πρῶτον καθόλου, ſi problema catholicum primò eſt, medium catholicum ſimiliter erit, & cum extremis æquale & antiſtrophum. Quarta eſt obſcuriſsima: Eorundem effectorum cauſſam nõ contingit diverſam eſſe, ſi per ſe demonſtretur: ſi non demonſtretur per ſe, contingit. Hîc Ariſtoteles ait medium eſſe rationem extremi: utrius, nominatim non definit: ſicuti neq́ue nono hujus capite definierat, ſed tantùm ait, ſi ὁμώνυμα ſint extrema, ὁμώνυμον eſſe medium: ſi ea non ſint, hoc non eſſe. Interpretes divinant ab Ariſtotele dici, medium eſſe definitionem majoris extremi. quod dicet quinta parte: at hîc nõ dicit. Quinta parte revocatur tertia de converſione partium in demonſtratione per ſe, quòd affectio cum ſubjecto univerſali & primo convertatur, non convertatur cum particularibus ſubjectis, & quòd cum eodẽ ſubjecto medium ſimiliter habet. ἔστι δὲ τὸ μέσον, λόγος τοῦ πρώτου ἄκρου· eſt verò medium, definitio primi extremi. Hic locus demum palàm exprimit, quod capite nono, quod capitis hujus parte quarta obſcuriùs poſitum eſt, definitionem majoris extremi pro medio demonſtrationis aſſumendam. & additur, διὸ πᾶσαι αἱ ἐπιστῆμαι δι' ὁρισμοῦ γίνονται· itaque omnes ſcientiæ per definitionem fiunt. Omnes ſcientiæ (inquit Ariſtoteles) per definitionem fiunt, tanquam medium videlicet ſyllogiſticæ demonſtrationis. At nulla ſcientia quæſtionis propter quid eſt, ſyllogiſmo concluditur, ut jam dixi: ut Ariſtoteles etiam teſtibus ſuis tam multis teſtificatus approbavit: & tamen nihilominùs per definitionem res demonſtratur & ſcitur. Deinceps partis ſecundæ exempla ponũtur, quòd effecti ejuſdem, in diverſis tamen ſubjectis cauſſæ diverſæ ſint, ut longævæ ſint quidẽ quadrupedes, quia bile carent: aves verò, quia ſiccæ. & duo teſtes iſti viceſimus octavus & nonus ſine ſyllogiſmo conſimili teſtimonio commentũ demonſtrationis coarguunt. Interea verò definitur apertiùs τὸ καθόλου, quàm definitum erat quarto capite primi: Hoc enim dico univerſale, quod non convertitur. Primum autem univerſale, cum quo non ſingula quidem, ſed univerſa cõvertuntur, neq́ue ſuperant. Sexta & extrema parte capitis ſtatuitur, ſi inter affectionem & ſubjectum plures cauſſæ ſint, eam potiorem eſſe, quæ ſubjecto vicinior ſit: ut ſi quæratur an homo ſit ſubſtantia, potior cauſſa erit animal quàm corpus, quia per animal ſubſtãtia homini ineſt, non per corpus. At id eſt ſuperiori quintæ partis doctrinæ contrarium, quia dictum eſt, medium majoris extremi, definitionem eſſe. Nec Ariſtotelis ratio hîc vera eſt. Non enim homini ſubſtãtia potiùs ineſt ratione animalis, quàm ratione cor-

ne corporis. Superiora enim & univerſaliora ſunt *αἰτιώτερα*, ut Ariſtoteles ipſe ſuperioris libri capite viceſimo docuit. Atque omnino quæſtio iſta ridicula eſt: nec enim unquam fiet talis demonſtratio, quia propoſitio mediata erit: & per interpoſitum aliud mediū probari poterit, & per ſuperius probari poteſt inferius. Hunc errorem conātur interpretes quidam defendere, quòd ſubjecto vicinior cauſſa non ſit illa quidem abſolutè potior, ſed porior hujus quæſtionis. At inepti homines, an non meminerant definitam eſſe ſcientiam ex cauſſa nō qualibet, ſed immediata, per quam attributum ſubjecto ineſſet? His diſtinctionibus nullus error tam abſurdus eſt, qui retineri & defendi à ſtultis interpretibus non poſsit. At Ariſtoteles iſta collegit, ex ſuis ipſe principiis non retexuit, non æſtimavit. Et tamen triceſimus hic teſtis triceſimus etiā ariſtoteleæ demonſtrationis delator eſt. Quæſtio enim hic illa eſt proprietatis, neq; quamobrem?

CAP. XVIII.

DEcimumoctavum caput & ultimum ſupereſt, repetitum ex decimo quarto & viceſimo ſextò primi, quomodo principia cognoſcantur, & qua demum cognitionis ſpecie appellētur. ad verbum ſubjicere ſtatui, ut philoſophię ariſtotelicę primum ſummūq; fundamentum, fundamentum, ut jam dixi, platonicum non ſemel dictum, ſed iteratum & repetitum tandem intelligatur, & quātùm illud platonici Poli, *ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δ' ἀπειρία τύχην*, Ariſtoteli probatum ſit, intelligatur.

D E *principiis & quomodo nota fiant, et quis habitus eos cognoſcat, hinc eſt manifeſtum dubitantibus primum. Quòd igitur non poßit ſcire per demonſtrationem, qui neſcit prima principia immediata, dictum eſt priùs. utrùm verò immediatorum eadem ſit notio, an non eadem, dubitaverit utiq; quiſpiam, & utrum ſcientia utriuſq; ſit, an non, an hujus quidem ſcientia, illius vero genus alterum quoddam: & utrùm, cùm non inſint habitus, ingenerantur, an ingenerati latent.*

Perſequitur Ariſtoteles in hoc extremo actu fabulam inſtitutæ demonſtrationis, & movet initio capitis huj⁹, quæſtionem magnam in philoſophia, & gravem, quomodo principia cognoſcātur, & qua ſpecie cognitionis & appellatione: Hæ ſiquidem quæſtiones duæ ſolæ ſunt. Plato ex Socrate aliquando docet animos hominum immortales è fonte divinitatis delibatos, in cognitione rerū viguiſſe, antequàm in corpus intraſſent: ſed obſcuritate corporis & inſolentia perturbatos, in oblivionem ſuperioris intelligentiæ delabi, ut antea jam dictū eſt primo capite ſuperioris libri. Aliquando animum libro comparat, ut in Philebo. Ariſtoteles hanc ſecundam Platonis ſententiam ſecutus, animum recēs corpori infuſum, nudæ tabulæ comparavit: nec quicquam cognitum habuiſſe judicavit, ſed *σύμφυτον δύναμιν*, ingenitam cognoſcendi potentiam & facultatem duntaxat attuliſſe. Cognoſcendi porò duas facultates eſſe: alterā ad res ſingulares, alteram ad res univerſales & generales: illam ſenſum, hanc intellectum facit: tametſi parum diſtinctè & apertè id hoc loco exprimit. Quærit igitur Ariſtoteles quomodo principia, id eſt primæ & univerſales rerum notitiæ gignantur, & quo quæve ſpecies cognitionis. Itaq; cū principiis ignoratis, mediatorum haberi ſciēn͠a per demonſtrationem non poſsit, ut Ariſtoteles ad extremum etiam loquitur, meritò dubitaverit aliquis, utrùm immediatorum cognitio & mediatorum ſit eadem, an nō: & utrùm mediatorum ſimiliter & immediatorum ſciēn͠a ſit, an non: ſed horum quidem ſcientia, illorū verò generis alterius cognitio. Hæc ſecunda quæſtio eſt, an principiorum ſit ſcientia, an pręſtantioris generis cujuſdam, ut intellectus: ſcientia autem ſit mediatorum, intellectus immediatorū: & utrùm principiorū habitus animis noſtris à natura non ingenerati, tandem à diſciplina & magiſtro duntaxat ingenerentur: an ingenerati quidem ſint, ut Socrati placuit, ſed lateant & ignorentur. Hæc quæſtio eſt prima. Reſponderi verò poteſt utrique quæſtioni ex capite decimoquarto & viceſimo ſextò libri ſuperioris, mediatarū concluſionum ſcientiam eſſe, principiorum intellectum: nec principiorū cognitiones à natura congenitas animis noſtris eſſe, ſed inductione ſingularium & experientia per ſenſus comparari.

Q U A R E *ſi hos habemus, abſurdum erit: fiet enim ut quanvis cognitionem demonſtratione certiorem habeamus, tamen ignoremus. ſi verò accipimus, nec habuerimus priùs, quomodo tandem*

cognoſcemus & addiſcemus nulla antecedente cognitione? Impoßibile enim eſt, ut in demonſtratione diximus. Conſtat igitur nec haberi poſſe, neq; ſic ignorantibus, & nullum habentibus habitum, ingenerari.

Antequàm primæ quæſtioni reſpondeatur, εἰς ἑκάτερον, in utranq; partē Ariſtoteli lubet argumentari:

Si principiorum habitus congeniti ſint, accidet ut quanvis certißimam cognitionem habeas, habere te neſcias:

Secundum abſurdum:

Primum igitur.

Vide hanc rationē in Philoſophia circa finē majoris ἄλφα. Sed cōtrà dicetur,

Si non congeniti principiorum habitus, ex antecedente percipientur notione:

Secundum abſurdum,

quia principiis nihil notius:

Primum igitur.

Itaq; neq; congeniti, neq; non congeniti: ſic prima quæſtio diſputatur, deinde ſolvitur.

NECESSE *igitur eſt habere quidem quandam facultatem, non autem ejuſmodi habere, quæ ſit his certitudine præſtantior. Cernitur autem id in omnibus animalibus: habent enim facultatem inſitam judicandi, quam vocant ſenſum. Senſus verò cùm inſit, in aliis quidem animalibus ſenſilis notio permanet, in aliis non permanet: in quibus verò non permanet, aut omnino, aut circa quæ nō permanet, iis extra ſenſum notio nulla: in quibus verò ſentientibus permanet, hæc aliquid unum in anima habeant neceſſe eſt. Quæ cùm multa ejuſmodi contigerint, differentia quædam gignitur, ut in aliis quidem ex eorum memoria ratiocinatio oriatur, in aliis nequaquam. Ex ſenſu igitur memoria: quemadmodum dicimus, ex memoria ejuſdem rei ſæpius inducta exiſtit experientia. Multæ enim memoriæ numero, experientia una eſt: ab experientia verò aut omni univerſali quieſcente in anima, aut uno præter multa, quód in omnibus unum inſit illis idem artis principium & ſcientiæ: ſiquidem circa generationem, artis: ſi verò circa ens, ſcientiæ.*

Soluta eſt adhuc quæſtio, quomodo principia noſcuntur, & per gradus quatuor expoſita: αἴσθησις, ſenſus, primó: deinde μνήμη, memoria: tum λόγος, ratio: poſtremó ἐμπειρία, experiētia, unde univerſale vel caducū, & artis: vel perpetuum, & ſcientiæ, principium eſt. Sed ad hanc explicationem, animalium diviſio inducitur, quia ſenſus, unde origo principiorum petitur, eſt omniū animalium communis. Animalia igitur cùm omnia ſentiant, quædā ſenſus memoriam retinēt, quædam non retinent: non retinentium quædam ratiocinantur, quædam non: atq; ratiocinatio propria hominis jam eſt, qui ex variarum rerum memoria & recordatione ratiocinando, experientiā ſibi conficit, & univerſale decretum inde conſtituit: nec enim ut Galenus de optima ſecta ait, ἄκριτος ἱστορία παραδεκτέα, ſine judicio obſervatio eſt admittenda. Vide animalium partitionem hanc primo capite majoris ἄλφα in Philoſophia. Atq; hîc notabis de ſenſu, quód ab Ariſtotele dicatur σύμφυτος δύναμις· intellectus verô, de quo id in primis hîc dici debuerat, σύμφυτος δύναμις non dicatur: quamvis intelligi velit non ἕξεις principiorum, ſed δυνάμεις συμφύτους εἶναι. nec enim ſola ſenſus facultas nobis eſt naturalis ad principia cognoſcendū, ſed multó magis intellectus. Notabis præterea, quód ab Ariſtotele dicatur, ſenſus non ſolùm δύναμις σύμφυτος, ſed etiam δύναμις κριτική· idemq; quanvis non dicatur de intellectu, multó magis convenit intelligi. ad eamq; rem planiús intelligēdam, Galeni locum audies nono libro de dogmatis Hippocratis & Platonis, ſtatim initio, cùm docet iiſdem indiciis & principiū & è principio ſecunda, tertia, quarta, & reliqua deinceps conſequentia percipienda eſſe: principiumq; ex Platone ait eſſe dimidiū totius: imó principium, omnis operis eſſe maximam partem, poteſtate videlicet. Judiciū igitur, quo principia cognoſcentur, naturale ſic ait eſſe. Si igitur nullum nobis eſt φυσικὸν κριτήριον, naturale judicium, neque artificioſum ullum invenire poterimus. Naturalia verò habentes, invenimus utiq; aliquid artificioſum. An igitur omnes homines quædam naturalia judicia communia habemus? Neq; enim naturalia dicere liceret, niſi ipſa eſſent omniū hominum cōmunia. Neceſſe eſt igitur naturalia non ſolùm omnium hominum communia eſſe, ſed etiam communem naturam habere. Equidem in nobis omnibus naturalia judicia ineſſe cōfirmo, idq; moneo potius, quàm doceo vel demonſtro, neque velut ipſe ſententiæ hujus author, id affero. Quænam verò judicia iſta ſunt? ut oculis ſecundùm naturam affectis præditi colores videāt, itēq;

auribus

auribus ſecundùm naturã affectis prædiri ſonos audiant: ſic lingua guſtans, judex eſt ſuccorum, & nares odorum: totaq; cutis rerũ tactum moventium: tum veró mens, vel ratio, vel quomodolibet appellet quis eam facultatem, qua dijudicamus & conſequens & repugnans, aliaq; iis adjuncta. Tantus igitur locus, & tam magnificus ſtudioſé animadvertatur. Ariſtoteles vocat *δύναμιν σύμφυτον κριτικήν*. Galenus vocat *φυσικὸν κριτήριον*: eodemq; libro mirificam illam Hippocratis de naturalibus judiciis vocẽ meritó collaudat. *ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιεῖ*, doctiſsima natura licet nihil á magiſtro didicerit, tamen quæ conveniunt, efficit. Vocat veró enã Galenus *περὶ ἀρίστης αἱρέσεως*, idem & *κριτήριον* & *κρίσιν* & *ἐπίκρισιν*, & in libro de optima diſciplina, ſophiſtis ſolis ait *κριτήριον σύμφυτον* negari. Ergo qui nos, quia naturalem Dialecticam, naturalem inventionem, naturale judicium, quod appellavimus, theatris & judiciis ſuis irrident & traducunt, qui Galenum nobis objiciunt, Galeni tam veram orationem audiant, & tandem aliquando erubeſcant, imó veró Ariſtotelem ipſum potiús hîc animadvertant, qui docet principia cognoſci *συμφύτῳ δυνάμει*. Quid enim aliud eſt iſta *σύμφυτος δύναμις*, quàm (quod Galenus interpretatur) *φυσικὸν κριτήριον*: quàm (quod Hippocrates ait) *ἀπαίδευτος φύσις οὐ μαθοῦσα*: quàm deniq; (quod Ariſtoteles ipſe in Elenchis ait) *ἄτεχνος διαλεκτική*: Sed id antea ſatis. Attamen cum Ariſtoteles in ethicis virtutes naturales appellat, videtur igniculos & quædam initia à natura repetere: & certé ut virtutum ſic doctrinarum ſemina quædam á natura noſtris animis ingenerata videãtur. Quæres hîc, quum Ariſtoteles octavo capite primi deriſerit Platonis ideas, & appellarit *ἕν τι παρὰ τὰ πολλά*, unũ aliquid præter multa: ſuũ veró univerſale vocaverit illic *κατὰ πολλῶν καὶ ἐπὶ πλειόνων*, de multis & in pluribus, quidnam hîc ſibi vult, cúm appellat univerſale *παρὰ τὰ πολλά*, præter multa? certé ſermonis *ὁμωνυμία* eſt, quam vitare debuerat: rei tamẽ contradictio nulla. Univerſale ſiquidem præter multa, ratione tantùm á multis & ſingularibus diſtinctum eſſe vult, ſed reipſa in ſingularibus illis multis unum & idem eſſe.

Verba veró *περὶ γένεσιν* & *περὶ τὸ ὄν*, platonica ſunt, quibus ſignificatur *καὶ φθαρτὸν καὶ ἄφθαρτον*, caducum quod gignatur & intereat, & perpetuũ quod ſit ſemper uniuſmodi.

QUAPROPTER *neq; definiti habitus inſunt, neq; de aliis habitibus notioribus oriuntur, ſed á ſenſu.*

Concluditur ſolutio quæſtionis primæ, Quare habitus & notio principiorum, non eſt á natura nobis ingenita, neque tamen ex aliis orta principiis, ſed á ſenſu profecta, exq; variarum rerum memoria, ratione & experientia collecta.

VELUT *in prælio fuga facta, ſi unus reſtiterit, reſiſtit alter, tum alius, donec ad principium ventum ſit: anima veró ejuſmodi eſt, quæ ſimiliter afficiatur.*

Similitudo magnifica inducitur ad illuſtrationẽ ſolutionis antecedentis: accepta clade cúm fuſa fugataq; ſit acies, ſi aliquis unus reſtiterit, totã aciem plerunq; reſtituit: Alter enim ejus exemplo & hortatu, protinus ei cõjungitur, tum his tertius & quartus: tandemq; globo facto & expleta phalange, primus & integer pugnæ ſtatus reſtituitur, resq; ad principium vel potiús principatum (utrunque enim *ἀρχὴ*, quo Gręcé Ariſtoteles utitur, ſignificat) priſtinum redit. At in animo velut in campo aliquo ſimile quiddam in notionibus univerſalibus colligendis accidit.

QUOD *veró dictum eſt quidem antea, nec ſatis aperté dictum ſit, iterum dicamus. Nam ſi conſtiterit, indifferens aliquid unum primum quidem in anima univerſale eſt. Etenim ſentit quidem ſingulare, ſenſus veró eſt univerſalis, ut hominis, ſed non Calliæ hominis. Rurſus in his ſtatur, donec impartibilia ſtent & univerſalia, ut tale quoddam animal, donec animal, & in hoc ſimiliter.*

Apodoſis eſt & redditio ſimilitudinis ad clariús exponendum, quod dictum erat. At locus mihi mendoſus videtur, nec illuſtrat propoſitam rem, ſed obſcurat potiús. Ex ſingularibus univerſale, multis unum, differentibus indifferens, diverſis idem, animus per ſenſum, memoriam, ratiocinationem, experientiam conducit. Veré quidem id dictum eſt, ſed quòd propterea ſenſus ſit

universalis,id non veré dictum eſt. Hîc diſtinctiones nõ deerunt interpretibus, ut antea in errore cõſimili capite ſecundo hujus. At diſtinctiones veræ ſeduló audiendæ ſunt: fallaces ſunt rejiciendæ. Locum hunc mendoſum cõfiteri malo.

MANIFESTVM *igitur, quod nobis prima ut inductione cognoſcere neceſſe ſit. Etenim & ſenſus ſic univerſale inſtituit.*

Concluditur diſceptatio primæ quæſtionis, quód principiorum ἕξιν, id eſt, γνῶσιν, cognitio & informatio per ſenſum,inductionem, memoriam, ratiocinationem,experiẽtiam comparatur. Ergo ex Ariſtotelis ſententia habemus á natura principiorum percipiendorum συμφύτους δυνάμεις. at ἕξεις non habemus: quod tamen hîc Ariſtoteles non plané dicit, cúm ſenſum dicat in omnibus animalibus σύμφυτον δύναμιν κριτικὴν, intellectum nõ dicat in homine σύμφυτον δύναμιν,quem tamen potiús dicere debuerat,ut dixi.

QUONIAM *veró circa comprehenſionem habituum,quibus verum dicimus,alij quidem ſemper veri ſunt,alii autem falſum ſuſcipiunt,ut opinio & ratiocinatio: veri autem ſemper ſcientia et intellectus, ac nullum ſcientiá accuratiùs genus aliud,quám intellectus.Principia veró demonſtrationibus notiora ſunt: ſcientia autem omnis cum ratione eſt: principiorum utiq; ſcientia non fuerit: ac quoniam nihil eſt ſcientia verius quám intellectus,intellectus fuerit principiorum.*

Solutio ſecundæ quæſtionis ſequitur brevior ſuperiore,ex ſuperioris libri capite viceſimo ſexto repetita, ſicuti dixi. Quærebatur, an mediatorum & immediatorum cognitio eſſet eadem,an ſcientia utrobiq;,an non,an illic ſcientia, hîc generis alterius cognitio quædã. Nunc igitur reſpondetur,principiorum & immediatorum cognitionem, eſſe τὸν νοῦν, intellectum: mediatorum & concluſionum demõſtratarum cognitionem, eſſe ſcientiam. Habituum autem animi (quibus verũ dicitur) genera quatuor ſunt, opinio,quæ propoſitionis eſt: ratiocinatio, quæ fit ex multis propoſitionibus: utraq; & vera & falſa eſſe poteſt. Intellectus eſt ſimplicium & primarum propoſitionum: ſcientia é primis propoſitionibus deducta:utrum q; ſemper verum. Ergo principiorum & ex principiis concluſorum & demonſtratorum cognitio, non erit opinio,non erit item ratiocinatio. Duæ ſpecies reliquæ ſunt,intellectus & ſcientia,quæ ſemper veræ ſunt. Cumq; principia demonſtrationibus,id eſt, demonſtratis rebus (ſic enim προτικῶς hîc Ariſtoteles locutus eſt)notiora ſint,& intellectus ſit ἀκριβέστερον καὶ ἀληθέστερον, accuratior & verior,quám ſciẽtia: certé principiorum cognitio,ſcientia non erit, ſed intellectus erit. Cognitio veró rerum ex principiis concluſarum & demonſtratarum, ſciẽtia erit. Notabis hîc τῆς διανοίας comprehẽſionis verbũ generale & commune ad opinionem, ratiocinationem, intellectum,ſcientiam, cúm ſecús viceſimo ſexto cap. lib. ſuperioris ſit uſurpatum. *Ratiocinatio.*] Græcé eſt λογισμὸς, & λογισμὸς hîc ab interpretibus appellatur πρακτικὸς λόγος ἢ δύναμις, activus intellectus potentia. Hæc interpretatio nõ placet,ſed λογισμὸς ἀντὶ συλλογισμὸς capitur, ut uno loco quadrageſimi capitis primi libri prioris Analyſeos:& Topici ſexti capite tertio,& ultimo capite ſecundi Phyſici, & in Philoſophia primo capite majoris ἄλφα. Cognitio in probabilibus, ſi per ſe probatur,opinio:ſi aliunde,συλλογισμὸς in neceſſariis,ſi per ſe probatur,intellectus:ſi aliunde,ſcientia dicitur.Hoc diſcrimen nobis hîc Ariſtoteles oſtẽdit: vel placitum ſuum potiús oſtendit. De nomine intellectus & ſciẽtiæ jam antea, ut intellectus id eſſet in animo, quod aſpectus in oculo.

ATQUE *ex his conſyderant etiam, quód demonſtrationis principium non ſit demonſtratio: atq; ita neq; ſcientiæ ſcientia ſit. Quare ſi nullum aliud á ſcientia verum genus habemus, certé intellectus ſcientiæ fuerit, & principium quidem principij fuerit:omnis veró ſimiliter habet ad omnem rem.*

Reliquiæ capitis hujus ſunt valdè cõfuſæ: ſenſus autem videtur eſſe. Patet ex iis principium demonſtrationis nõ eſſe demonſtrationem,id eſt rem demõſtrabilem, neq; ſcientiæ principium eſſe ſcibile: ſic enim προτικῶς videtur Ariſtoteles loqui. Quare ſcientiæ principium intellectus erit, & erit principiũ principii, id eſt cognitio propoſitionis immediatæ:quæ principiũ eſt. *Omnis veró.*] ſcientia,intellige:ſic enim Philoponus hîc: ἡ δὲ πᾶσα ἐπιστήμη. *Similiter habet ad omnem rem.*] ſcibilem, intellige. Hæc ſolutio eſt ſecũdæ quæſtionis.Cognitio principiorum non appellatur ſcientia, ſed appel-

latus

latur intellectus: cognitio demonſtrationum non appellatur intellectus, ſed appellatur ſciētia. Placitum Ariſtotelis hîc idem illud eſt, quod fuit capite viceſimo ſexto ſuperioris libri. placitum dico. Ut enim ſenſus eſt, quo ſentimus omnia, vel oculis, vel auribus, naribuſq́, vel aliis organis fiat id gen⁹, nihil intereſt: ſic intellectus eſt, quo quidvis intelligimus, in rebus per ſe, vel aliunde probabilibus, ad intellectus commune lumen nihil intereſt. Sed de verbis minus erit laborandum, ſi res intelligatur: judicium enuntiati catholici per ſe manifeſti, dicatur νοητικὸν, ſyllogiſticæ conſtitutionis è neceſſariis argumentis additæ διανοητικὸν vel ἐπιστημονικὸν, equidem nihil repugnabo. Tropum igitur Ariſtotelis intelligamus, quo hîc utitur, quia ſine arte, ſine ſyllogiſmo, ſua tantùm luce intellectus, principia concipit: principiorum cognitio dicatur, ſi lubet, intellectus. Verùm illud potiùs dicendum èſt & repetendum, quod ſuperiore libro monui, & quod ab interpretibus Ariſtotelis non adhibitum, ad examinandam Ariſtotelis Philoſophiam eſſe dixi. Univerſalia diſciplinarum principia à ſenſu & inductione, ab experientia, conformata & deducta ſunt, ait Ariſtoteles: Ergo meditemur, quomodo Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicę, Arithmeticæ, Geometriæ, & cujuſvis diſciplinæ principia generaliaq́ dogmata formari atq́ inſtitui debeant. Quid eſt Grammatica? doctrina rectè loquendi. Unde igitur univerſales rectè loquendi regulæ? à ſingularium rectæ locutionis exemplorū ſenſu, inductione, experiētia. Quid eſt Rhetorica? doctrina bene dicendi. Unde igitur univerſales bene dicendi præceptiones informatæ? è à ſingularium bonæ & ornatæ dictionis exemplorum ſenſu, inductione, experientia. Quid eſt Logica? eſt doctrina bene diſſerendi. Unde igitur bene diſſerendi inſtitutiones ortæ? è à ſingularibus bene diſſerentum poëtarum, oratorum, philoſophorum, omnium denique hominum exemplis: eorumq́ ſenſu, inductione, experientia: eaq́ ſenſus, inductionis, experiēnæ via, Arithmeticæ, Geometriæ, ac cujuſvis deníque diſciplinæ principia generalia & univerſalia facta ſunt. Si quod præceptum ſit generale in arte aliqua, non iſta via factum, commentitium eſt, & Ariſtotelis judicio ſpurium & nothum. Matrem experientiam hoc præceptum non habet: non eſt igitur legitimum, dicet Ariſtoteles. Hanc analyſin interpretes non attenderunt, non adhibuerunt: hanc Logicæ examinādæ regulam non tenuerunt: illam denique Platonis, vel potiùs Ariſtotelis ſententiam (ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δὲ ἀπειρία τύχην) legerunt, & in ſcholaſtica ſcilicet altercationum umbra ſpectaverunt: at nunquam in pulverem, in ſolem communis uſus, nunquam in aciem humanorum exemplorum vocarunt. Quamobrem conſyderemus quantam rem hîc Ariſtoteles doceat, & quàm ad omnes artes inſtituendas magnam & neceſſariam. Diſputavi omnibus ſcholarum partibus & locis, uſum dialecticæ artis principiū eſſe, quia ex obſervatione & animadverſione veri & humani & naturalis uſus, generalia Logicę artis dogmata deducenda eſſent. Hoc Ariſtoteles generaliter nōn de ſola arte logica, ſed de omnibus artibus iſto capite præcipit. Ergo fundamētum meum, ariſtotelicum fundamentum eſt. Diſputavi ad eundem illum uſum, tanquam ſummum finem, omnia Logicæ artis ſic obſervata principia & univerſalia præcepta referri oportere, ut via talis artis adjuti, eorum ſimiles efficeremur, quorum veſtigia & exēpla ſectaremur & imitaremur. Grammaticus meritò dici poteſt, qui præcepta Grammaticæ artis in exemplis Ciceronis, aliorum've rectè loquentium vera eſſe perſpexit & exploravit: qui Ciceronis puris & propriis exemplis æmulandis ſeſe diu multumq́ exercuit: qui alterum vel neutrū fecit, Grammaticus non eſt. Ergo eodem & ariſtotelico judicio, quia dialectica documenta in excellentibus exemplis argumētorum, enuntiationum, ſyllogiſmorum, methodorū variis & multis conſyderavit & exploravit: qui ſimiliter & in ſcriptis & dictis diſſerendo, ratiocinādo ſeſe exercuit: & iis authoribus, quos imitatur, ſimilē ſe præſtantiorem've fecerit, Dialecticus eſt: qui horum neutrum, vel alterum non fecerit, Dialecticus non eſt. Quamobrē ariſtotelea iſta lege atque authoritate omnes Ariſtotelis Græci Latiniq́ interpretes, ut ignari Logicæ & Dialecticæ teneantur,

tur, qui Logicæ præcepta qualiacunquè ſibi relicta, nunquã in ſingularibus poëtarum, oratorum, philoſophorum, aut cujuſquam generis hominum exemplis explorarunt: nunquam ad eorum conſilia judiciaq; cognoſcenda, imitanda, æmulandaq; adhibuerunt: nunquam deniq; de regularum ſuarum principio, nunquam de fine cogitarunt. Hoc enim principium eſt, unde ortæ ſunt: ille enim finis eſt, quó referendæ ſunt. Hoc Ariſtoteles ſibi fundamẽtum tam verũ tamq; ſolidum poſuit: fundamentum Grammaticæ, fundamentum Rhetoricæ, fundamentum Logicę, fundamentum Arithmeticæ, fundamentũ Geometriæ, fundamentum deniq; cujuſvis disciplinæ ac philoſophiæ: fundamentum minimè dubium & caducum, ſed certiſsimum & firmiſsimum, à nobis infinité tot annos citatum & allegatum: ſed quia Ariſtotelis eſſe non dicebam, deriſum, & theatrorum fabulis (quod incredibile ſit, niſi iis qui viderunt & interfuerunt) agitatum. Quamobrem, ut regius hiſtrio, ut ariſtotelei judices intelligant, Ariſtotelem noſtro nomine ſpectaculis & judiciis ſuis deriſum atque damnatum eſſe, nunc tandem aliquando ab Ariſtotele perdiſcant, Logicæ artis, imó veró omnis artis ac ſcientiæ generalia & univerſalia documenta à veró præſtantium exemplorum & naturali uſu proficiſci, eorumq; parentem eſſe αἴσθησιν, ἐπαγωγὴν, ἱστορίαν, ἐμπειρίαν. Scholisq; noſtris iraſci deſinant: quia quod approbant, ex Ariſtotelis principiis ap.pbant: quod improbant, ex Ariſtotelis principiis improbant: nec aliud quàm ex Ariſtotelis judicio, ariſtotelica hæc eſſe, illa non eſſe pronuntiant: & ariſtotelici Organi vulneribus non alia, quàm ariſtotelicorum principiorum medicina medentur. Ariſtotelis principium jubet omnẽ doctrinam à primis & illuſtribus prænotionibus inſtitui: At plurima logicarum definitionum & partitionum principia, in Organo logico nulla ſunt: exempla vel nulla ſunt, vel ex ignotis feré poſteriorum diſciplinarum locis petuntur, vel abecedaria, nihilq; omnino ſignificantia, ponuntur: Orationis præterea homonymia, infantia, inopia tanta eſt, ut Ariſtoteles ab Ariſtotelis interpretibus perſæpe propterea non intelligatur. Ex Ariſtotelis igitur principio id animadvertimus, & contraria definitionũ, partitionum, exemplorum, orationis lumina reſtituere conamur. Ariſtotelis principium tribus ſcientificæ materiæ ſymbolis κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου, jubet omnem doctrinam neceſſariis, cognatis, propriis decretis inſtitui? At quædã ſunt in Organo logico falſa, aliena multa, plurima impropria. Ex Ariſtotelis igitur principio id animadvertimus, falſa & aliena rejicimus: ad ſuum quidq; locum remittimus. Ariſtotelis principium jubet omnẽ doctrinam ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας deduci, neq; ſolum κατὰ παντὸς, & neceſſarió affirmatis, ſed tam perſpicuis inſtitui, ut contraria ſint inde clariſsima. At Organum logicum in falſis contrariorum erroribus argutandis & refellẽdis maximam partẽ occupatum eſt. Quid modalium contentiones? quid ſyllogiſticę & reductionis & permiſtionis & poteſtatis argutiæ? á cujus uſus obſervatione & experiẽtia profectæ ſunt? ad cujus uſus utilitatem & prudentiam referentur? Ex Ariſtotelis igitur principio id animadvertimus, refutationes errorum & argutias inanium ſubtilitatum è Dialectica rejicimus. Ariſtotelis principium jubet omnem doctrinam à prioribus natura & notioribus ſic inſtitui, ut unumquodq; præceptum ſuo loco, & tantùm ſemel exponatur. Organum logicum libris ita confuſum eſt, ut ariſtotelicæ methodi tam diſsimile nihil fingi poſsit: idem præceptum infinité repetitum & inculcatum ſit. Ex Ariſtotelis igitur principio tantam confuſionem animadvertimus, ſelecta κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου Logicæ documenta ſic ordinamus, ut naturà prima primo ſint loco, media medio, poſtrema poſtremo: ταυτολογίας omnes & iterationes rejicimus. Ariſtotelis principium, logicæ artis exercitationem maximé requirit, nec artificem ex ſolis artis univerſalibus præceptis, ſed multó magis exemplis, opere, uſu denique futurum prædicit: id que ἁπλῶς καὶ τῷ ἔργῳ ἐπιγίγνεσθαι dicit. Ex Ariſtotelis igitur tanto principio, logicæ artis uſum in ſcholis noſtris ſpretum, imó theatrali ludibrio damnatum repetimus, & in ſcholas reducimus. Quapropter ariſtotelicæ Philoſophiæ ſtudioſi ſcholas noſtras Ariſtotelis tantùm principia

cipia ſecutas, veré ariſtotelicas eſſe percipiant: Dialecticam noſtram (quia Dialectica Ariſtotelis, imó ſólius Ariſtotelis non ſolū quę ſunt in poſterioribus Analyticis, ſed quæ reliquis libris logicis, quæ etiām Phyſicis, Metaphyſicis, Ethicis diſperſa ſunt, dogmata doceāt, & methodo Ariſtoteli probatiſsima doceāt) veram Dialecticam & Logicam, eſſe intelligant: Ariſtotelemq́; legibus Ariſtotelis & principiis conformatum & compoſitum tandē aliquando cognoſcant.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XI. IN PRImum topicum.

CAP. I. QUID TOPICA, ET *quam locorum tautologiam habeant.*

Retexuímus adhuc ad normā ariſtoteleorū principiorum de materia, deq́; forma artis, de rerum veritate & experientia: retexuimus (inquam) ad has ariſtoteleas leges, Categoremata, Categorias, Interpretationem, Analytica de ſyllogiſmo & demonſtratione: & quid Dialecticæ tum inventionis, tum diſpoſitionis in his eſſet, oſtendimus: quid eſſet etiam contrarium diſtinximus: Ariſtotelis deniq́; ſummis illis & ſingularibus imperiis ſtudioſé obſecuti ſumus. Eundem mihi authorem principemq́; in topicis conſtituo: ut tantum contendamus, quantum per illas leges obtineri poterit. Ariſtoteles multis antea locis ſocraticum amorem planê demonſtravit, multa inchoavit, multa elaboravit, conſimilem nobis induſtriam diligentiamq́; commendavit: ac ne quis dubitaret, mādatum ſum definivit: Ergo amorem illum ſocraticū & ariſtoteleum quamvis ſuperbum & faſtidioſum, tamen amemus. Videtur autē hic liber majora nobis ac præſtantiora promittere, quám ſuperiores adhuc præſtiterunt: & Analyticus author plenioris inventionis gratiâ huc nos remittere viſus eſt: & titulus ipſe, inventionis doctrinam pollicetur. Ariſtoteles Dialecticæ inventionis præceptiones, τόπους, id eſt locos nominavit. Ut enim ſi cui aurū, quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare velles, ſigna oſtenderes locorum, quibus cognitis ille ſibi ipſi foderet, & id quod vellet, ſine errore erueret: ſic has Ariſtoteles argumentorum quaſi notas, locos appellavit, quia argumenta quærenti, demonſtrarent ubi eſſent: & ἀπὸ τοῦ τόπου, Τοπικὸν opus appellavit. Locos veró argumentorum intellige præcepta: quomodo & in cæteris artibus locos poſsis appellare. Sic enim Craſſus de elocutionis rhetoricæ præceptis. Si nō ſunt omnes (ait) patefacti: at certé commonſtrati loci. An veró Topica hæc Ariſtotelis platonici vera Topica ſint, cúm Ariſtoteles in Rhetoricis præcepta quædam Topica citet, quæ in his Topicis nulla ſint: cúm Ciceronis, cúm Laërtii ariſtotelea Topica his non reſpondeant, nihil diſputo: cujuſcunq́; ſint authoris ea, qualia ſint, cōſideranda mihi propono, & conſideranda quidem ad illas Ariſtotelis leges: ut tantum probemus, quantum illis conveniet. Quare perge. Topica nobis explicat Topicus magiſter, quiſquis is eſt: utrúm ſolos topos & locos argumentorum explicat? Videtur ſané octavo Topico etiam diſpoſitionem polliceri, ut totam Dialecticam, id eſt inventionis & diſpoſitionis doctrinam complecti videatur: Conſideremus itaque primúm qua diligētia & ſubtilitate partes inventionis diſtribuerit, poſtea diſpoſitionis prudentiam expendemus: Categoremata é cauſsis, formam nomine differētiæ comprehenderunt, ut effecta & adjuncta nomine accidentis proprii & communis: genus & ſpeciem é loco diſtributionis attigerunt, omiſerunt cætera. Categoriæ effectorum, adjunctorum exempla quædā nominibus qualitatis, quantitatis, actionis, paſsionis, ubi, quando, ſitum eſſe, habere, propoſuerunt: oppoſitorum locum multis argutiis involverunt: conjugationis aliquid habuerunt in paronymis: Interpretationis duo libri cōtradictionem incredibili caligine offuderunt: Analytica priora de ſyllogiſmo ad damnādū oppoſitionis & diſtributionis locū, ad adjuncta & definitionē vix appellandū, ad propoſitionis, ſyllogiſmiq́; ſimplicis & cōmunis, nōnullis

etiam

etiam methodi doctrinam obſcurandũ, quid obſcuritatis non habent? Analytica poſteriora, ut demonſtrationem, (cujus neq; materia, neq; forma per rerum naturam ulla poſſet eſſe) nobis inducerent, totam feré inventionem, imó veró totam feré priorem Analyſim conſimilibus tenebris aggregarunt. Topica tandem ſequuntur: quæ de enuntiatione, ſyllogiſmo & methodo aliquid repetũt: Inventionis autem locos per ſpecies de efficiente, forma, fine, effectis, ſubjectis, adjunctis, adverſis, relatis, privantibus, contradicentibus, paribus, majoribus, minoribus, ſimilibus, notatione, conjugatis, toto, partibus, genere, ſpecie, definitione, definito, teſtimonio (de materia enim, diverſis, diſparatis nominatim nihil eſt) trecẽtos ſeptendecim pro paucis illis habẽt, quoties in ſingulis libris eoſdem repeti poſtea docebimus. At per Deum immortalem, quid eſt Ariſtotelis principiis de materia bene inſtitutæ artis contrariũ, niſi hoc eſt? De tãta tamẽ incredibili tautologia Ariſtoteles judex appelletur é ſcholis pythagoreorũ, phyſicorum, logicorumq; reliquorum collecta hæc topica recognoſcat. Generalia (inquiet) generaliter doceto, ſecus ſophiſtica doctrina eſto. Atque (inquam) cõſideratio Logicæ invẽtionis, in cauſis, effectis, ſubjectis, adjunctis, diſſentaneis, comparatis, nominibus, diſtributione, definitione, teſtimonio: diſpoſitionis in enuntiatione, ſyllogiſmo, methodo, tota generalis eſt & communis omnium rerum: & Organicus author errore ſuo id ipſum teſtificatur, qui communia fundamenta enuntiationum omnium ſtatuit in Categorematis, Categoriis, inventione medii: qui enuntiationis, ſyllogiſmi, methodi, communẽ doctrinam omnium rerum facit, ut notavimus antea: deinde eadem tamen omnia repetit ad quæſtionem apodicticam & topicam: quod facere non poſſet, niſi communia eſſent: Quare generaliter & ſemel ea docẽda fuerunt & explicanda, non toties & tam Ariſtoteli dãnatis nugis iteranda. Hęc prima mali & extrema labes, hæc tautologia elẽchum & ſophiſma ejuſmodi continet, quo tota hæc topica nõ parte aliqua corrigi, ſed paucułis illis generibus exceptis tolli penitus é logica arte lex Ariſtotelis jubeat: Sed tautologiam tamen iſtam demonſtremus. Quid igitur Topicus doctor primo capite primi Topici? Videtur initio nobis inventionis doctrinã aliquam definire: veterem, quamvis barbaram, tamen recentiori fideliorem interpretationem ſequamur, nequid propter verba nobis adverſus homines nimium ſeveros periclitetur. Converti caput de futuris contingẽtibus, & pleraq; poſterioris analyſeos capita: at hic eo labore dignũ nihil video, & jam tædet vel potius pœnitet in his ſophiſmatis retexendis diutius eſſe commoratum. Topicus igitur author audiatur.

CAP. II. DE PROPOSITO *topicæ, de ſyllogiſmo, de fructu topicæ.*

PRopoſitum quidem negotii eſt, methodum invenire, per quam poterimus ſyllogizare de omni propoſito problemate ex probabilibus: & ipſi diſputationẽ ſuſtinentes, nihil dicemus repugnans. Proponit topicam, qua de problemate ex probabilibus ita diſſeratur, ut nihil dicatur repugnans. In quo propoſito triplex eſt elenchus, primus quód topica inventio alligatur ad problema, ut poſtea rurſum. Hoc cúm de quæſtione dictum eſt, abſurdum eſſe docuimus: quia Dialectica de omni quæſtione, imó etiam de non quæſtione diſſerit: & ratione utitur etiam in enuntiatis per ſe manifeſtis, ubi quæſtio nulla eſt: non autẽ diſputat ſolúm de problemate: imó veró diſputat, de quolibet & ente & non ente: Hic primus elenchus eſt in hac definitione: tum additur (ex probabilibus:) qui ſecundus elenchus eſt: Dialectica inventio, eſt cõmunis omnium argumẽtorum & probabilium & neceſſariorum: & Topicus magiſter ipſe non minús neceſſaria argumẽta, quám probabilia hîc proponit, genus, ſpeciẽ, definitionẽ, proprium, formam, quæ neceſſaria eſſe exiſtimat: ſeipſum igitur magiſter ſuis pręceptis coarguit. Tertius eſt elenchus, ne quid repugnãs dicatur. In quo duplex eſt error: & quód Dialectica ad ſophiſticas altercationes referatur: & quód Dialectico nihil exiſtimetur ſuſceptę diſputationi repugnãs eſſe dicendũ. Enimveró ſi ſententiã falſam, aliquis defendendã ſuſceperit, an veriſsimis argumẽtis, clariſsima veriſsimæ diſputatiõis luce cõvict⁹, tamẽ in errore pertinaciter hære-

hærebit? Imò verò ſi pertinax non erit, ſententiam deteriorem cũ meliore commutabit: nec pudebit ab errore ad veritatem, ab inſcitia ad certam cognitionẽ converti. Deniq; prudẽtis dialectici fuerit aliquãdo ſibi repugnare, veritati nũquam. Sequitur definitio ſyllogiſmi obſcura (ut Analytico primo declaravi) & alieno poſita loco: ſyllogiſmus enim, eſt diſpoſitionis, quæ diſponendi argumẽti regulas tradit: illic igitur definiatur: non eſt autẽ inventionis, quæ argumenta deſcribit: ne hîc igitur confundatur. Diſtribuitur ſyllogiſmus in demonſtrativum, dialecticum, litigioſum, paralogiſmum: de hac ſyllogiſmorum nugatoria ex remotiſsimis circunſtantiis partitione dictũ jam ſatis eſt, ut nihil litigioſum & ſophiſticum in arte logica docendum, ut demonſtrativi & dialectici generis ars eadem communis eſſet. Caput ſecundum eſt de triplici Dialecticæ utilitate ad exercitatiões, ad colloquia, ad philoſophicas artes & diſciplinas. Quas utilitates ſi præceptis convenientibus perſequeretur magiſter, & apertè demõſtraret, quanvis parum diſertè planeq; tam nobilis diſciplinæ fructum enarraret, tamen nõ laudari quidem maximè non poſſet, quia nihil ferè eſt excellens in dialectica & magnũ, quod his tribus rebus quodammodò non contineatur: Verùm tam ſapiẽs magiſter eſſe nõ vult: retexit paulò pòſt orationem: Dialecticam revocat à colloquiis familiaribus & domeſticis: retrahit à meditationibus omnibus humanis: compingit in problematis ſcholaſticum de accidente, genere, proprio, definitione clamorem.

CAP. III. DE PRO*blemate.*

TErtium caput totam ferè de quæſtione confuſionem continet, ex ipſius quæſtionis & genere, & nomine, & partitione: tria enim hæc in doctoris quæſtione conſyderanda nobis ſunt. De quæſtione ſatis ſuperq; fuerat ſecundo libro ſcholarum dialecticarũ diſputatum: ut tamẽ hos errores apertiùs oſtendamus, grave nobis non erit rem totã minutatim perſequi: Docetur hic, Dialecticum duntaxat de quæſtione diſputaturum, quæ interrogat in utramque partem, hoc modo: Eſtne hominis definitio, Animal greſsibile, bipes, an non? In quo vehemens eſt error: concludam etiam idem ut antea, & diſceptabo generaliter: Omnis quæſtio cujuſcunq; modi ſit, quoq; modo interroget, nihil intereſt, Dialectico propoſita eſt: & ea argumentorum generibus tractanda, diſpoſitionum modis æſtimanda & collocanda eſt: quod veritas Dialecticæ bene deſcripta declarat: una invẽtio communis eſt omnium quæſtionum: una diſpoſitio communis eſt omnium quæſtionũ: totam autem & invẽtionis, totam etiam diſpoſitionis doctrinam Dialectica ſibi vendicat: totam propriam & ſuam ducit, nec eum ulla alia diſciplina communem habet. Videte quomodo contrà concludam:

Quæ diſciplina cõtinet abſolutam facultatem omnis quæſtionis explicandæ, ea propoſitam habet omnem quæſtionem:

Dialectica verò cõtinet abſolutam facultatem omnis quæſtionis explicandæ, inventionem quippe & diſpoſitionem communem & generalem; quibus ſolis omnis quæſtio diſputari tractariq; poteſt:

Dialectica igitur propoſitam habet omnẽ quæſtionem.

Non ago captioſè: apertè & clarè concludo. Neq; jam audiamus quòd aliud ſit Logica, aliud Dialectica, & nunc agi de ſyllogiſmo dialectico: Dixi enim antea de hac vana nominum diſtractione: & totis ſcholis dialecticis docemus, ab Ariſtotele non aliam Logicam, aliã Dialecticam inſtitui, ſed Logicæ, ſed Dialecticæ inventionem & diſpoſitionẽ (quæ duæ partes & ſolæ & omnes ſunt hujus diſciplinæ) confundi, & mille tenebris obſcurari. Et demonſtrabo, artes Topicas hic inſtrui, quibus nõ illa ſolùm duplicis interrogationis, ſed quævis quæſtio poſsit explicari. Quare fallit hæc doctrina in genere quæſtionis Dialecticæ. Placet autẽ ei Dialecticum dũtaxat hac de quæſtione diſputaturũ, quæ ſic interroget in utramq; partẽ, Eſtne hominis genus animal, an nõ? ut poſsit Dialecticus, videlicet utrã velit, quæſtionis hujus partẽ aſſumere. Quaſi verò nõ eadẽ ſit reſpõdẽdi poteſtas & affirmãdo & negando, cùm ſimpliciter ita quæritur, Eſtne hominis genus, animal? Hic elẽchus eſt in

eſt in quæſtionis genere: in nomine veró, par aut etiã major elenchus eſt. Quæſtio hæc appellatur problema: cur, inquam? Non enim rationem ullam, ſaltem falſam aut ineptam quiſquã queat reddere: quare autem ita nominare non debuerit, ipſe dicam. Secundo Topico præcipitur uſum verborũ á populo ſumendum: ſcientiam rerum á doctis & artium peritis hominibus petẽdam. Quis veró extra ſcholam hanc topicam, qui Topicorum iſtorũ author fingitur, quæſtionem ancipitem & irridendam, problematis nomine appellat? Habent Medici problematum nomine quæſtiones, nec tamen duplici modo pronuntiatas: habent Geometræ quæſtiones de conſtruendis formis, problematum nomine, nec tamen iſto modo interrogatas: habet denique Ariſtoteles quæſtiones, problematum nomine inſcriptas, non tamen iſto modo prolatas: Poſtremó in his etiã Topicis, has orationes, problemata nominat:

Omnis voluptas, bonum eſt:
Nulla voluptas, bonum eſt.

Ubi duplex interrogatio non eſt: Ac ſæpe in his Topicis is ſermo eſt, ut jam doctori ipſi problema & quæſtio idem ſit: & doctrinæ vanitas, doctoris uſu, teſtimonio, judicioq́ improbatur. Nomẽ igitur huic quæſtioni temeré, ſine uſu, ſine ratione eſt impoſitũ: imó veró cúm problematis nomen ſæpiſsimé legatur in Organo Logico, locis feré omnibus pro omni quæſtione uſurpatur. Atque hic elenchus eſt & in definitione & in nomine quæſtionis: partitio veró magis etiam abſurda eſt eodem capite, Quód omnis diſputatio Dialectica ſit ex genere, proprio, accidẽte, definitione. Quod diligentiús eſt conſiderandum: problemans igitur diviſionem hanc, & ejus rationem cõſideremus. Omne problema eſt de genere, accidente, proprio, definitione. Quamobrem? hoc enim falſum eſſe contendo, & id neceſſariis rebus addico. Omne problema indicat genus, proprium, definitionem, accidens: Ergo omne problema eſt de genere, proprio, definitione, accidente. Hujus enthymemans ſophiſma meliús in integro ſyllogiſmo percipiemus:

Omnis quæſtio indicans genus, accidens, proprium, definitionem, eſt de genere, proprio, definitione, accidente:

Omne problema, eſt quæſtio indicans genus, accidens, proprium, definitionem:

Omne itaq; problema eſt de genere, accidente, proprio, definitione.

Hujus ſyllogiſmi propoſitio & aſſumptio falſæ ſunt: priús autem de propoſitione dicam. Quæſtionis porró ſpecies ſtulté dividuntur rerũ indicatarum numero: neq; enim verum aut conſequens eſt, quæſtionem ea de re eſſe, quam quolibet modo indicat: Cúm quæro, utrúm homo, ſit animal an nõ? in hac quæſtione multa indico: & animalis nomine, ut ſubſtãtiam & corpus & vitam & ſenſum & motum & colorem & quantitatem, infinitaq́ alia magis, quám generis in eo ſignificationem indico. Item hęc eadem hominis nomine comprehendo: præterea ratiocinandi, ridendi, numerandi, & innumerabilium rerum ſignificationes & indicia præbeo. Quod magiſter Topicus ipſe ſecundo Topico confirmat, ubi ait: Qui dixit unumquodvis, quodammodo multa dixit, eó quód plura ex neceſsitate unicuique conſequentia ſunt: Alienum tamen & abſurdum fuerit, exiſtimare hãc quæſtionem, Utrúm homo eſt animal an non? eſſe de colore aut de numero. Atque hæc de propoſitione ſophiſmatis: ad aſſumptionem venio:

Omne problema, eſt quæſtio indicans genus, proprium, definitionem, accidens.

Interrogent ſcholaſtici aliquem non ſcholaſticum, id eſt liberi judicii virum, non mancipati ingenii ſeruũ, dicet hoc ſibi falſum videri: & exempla manifeſti erroris (ſi opus erit) proferet: ut ſi quæratur, utrúm ædificata ſit Babylon ad tyrannidem principum, an nõ? finis quæritur: nec indicatur aut genus, aut proprium, aut definitio, aut accidẽs: Utrúm natura conſtet ex materia & forma, an non? quæritur de partibus, non de genere, proprio, definitione, accidente: Deinde cúm de tot argumentorum modis genus & definitio duo ſint, proprium & accidens in adjunctis & factis comprehendantur, ut in Porphyrio dictum eſt (niſi forté quód proprium etiam in his Topicis, eſt deſcriptio quædam) quid cauſſæ eſt, cur cætera argumentorum genera, efficiens, materia, forma, finis, ſubjecta, diſſentanea, cõparata, nomina, tributio-

butiōes, teſtimonia (quæ poſſunt quæri & indicari propoſita quæſtione) in his quatuor indicentur? Valdè autē eſt ridiculū, quod hîc affirmatur, differentiam, id eſt formam, ſub genere comprehendi: præſertim cùm ſit generis & differentiæ, ſeu formæ diſsimillima ratio: atq; in iſto libro differentia, velut etiam genere latior, ſit in communibus inſtrumentis poſita, genus autem poſitum nō ſit. Nec minùs ridiculum eſt, quòd ſpeciem dicunt ſcholaſtici, quia de ea nihil hîc præcipitur, à diſciplinis rejici. Singularia præcepta nulla debent in diſciplinis eſſe, ajunt: Eſto, quia ut Ariſtoteles præcipit, omnis ſcientia & diſciplina ex univerſis & generalibus eſſe decretis atque immutabilibus debeat: hoc item valeat, quâvis de ſingularibus aſtris Aſtrologiæ tota ferè decreta ſint: An igitur præceptum univerſale de rebus ſingularibus nullum eſſe poteſt? An non in his Topicis de ſpecie ſæpiſsimè locū tradit, & tamen univerſum? de partibus ſingularibus, & tamē univerſum? Nónne Porphyrius de ſpecie præceptum tradit, & tamen univerſum? Nónne de individuis præceptum tradit, & tamen univerſum? Nónne igitur Topicus magiſter potuit de ſpecie genus quæſtionis inſtituere, & tamen univerſum? Falſum eſt igitur, omni problemate genus, accidens, proprium, definitionem neceſſarió indicari, cùm poſsit indicari cauſſa, ſubjectum, diſſentaneum, comparatū, nomen, totum, membra, ſpecies, teſtimonium. Quare cùm ſophiſmatis hujus & propoſitio & aſſumptio falſæ ſint, quo nā pacto poterit propterea eſſe vera complexio? Eſt igitur non ſolùm falſa Topici problematis partitio, ſed etiā de hac partitione ratio captioſa, planèque ſophiſtica. Sequitur in eodem capite tertio differentia problematis & propoſitionis, quòd problema, ſit in utrāque partem elata interrogatio: propoſitio in unam tantùm. Verùm problema omnis quæſtio: protaſis vel propoſitū, omnis quæſtio, ut verè & naturaliter poteſt, ita dicatur: Hæc ſomnia ſine uſu, ſine ratione, ſine exemplo cum ſint, Ariſtotelis legibus nūquam probabuntur.

CAP. IIII. DE DEFINITIONE, *proprio, genere.*

Quarto capite definitur definitio, ratio quid erat eſſe rei ſignificās: Nos in Dialectica cōverſionem definitionis cum definito, quæ communis etiam eſt diſtributarum partium cū toto diſtributo, communē etiam duorum argumentorum fecimus: ut Ariſtoteles etiā fecit in Analyticis, id hîc omittitur. Sed tamen definitio valdè ſophiſticè hîc inſtituitur: Nam cùm definitio, genus quæſtionis ab eo cōſtituatur, valdè mirum eſt, eā poſtea ad omnes quæſtiones accommodari. Proprium, nullū eſt argumenti genus, ut in Porphyrio & Analytico primo de abundantia propoſitionū dictum eſt: niſi pro deſcriptione ſumatur, ut in Topicis. De genere in argumentis propriè præcipitur: & quæri ſimiliter poteſt, quare fiat quæſtionis modus potiùs, quàm cauſſa: quæ tamē antiquior eſt genere, quia omne genus ſignificat aliquam cauſſam, nō contrà. De generis definitione quemadmodū & falſa ſit, & ad uſum non ſatis accōmodata, in Porphyrio dictum eſt, qui errores hujus definitionis ab hoc loco traxerat. De accidente item ſatis multa in Porphyrio.

CAP. V. DE ACCIDENTE, *& communi inventione.*

Quinto capite diſputatur generis, proprii, accidentis rationes definitiōi poſſe accōmodari: quod ſolidi præcepti nihil eſt: Sequitur locus antea tractatus ac valde diſputatus, qd' non una eſſet communis omnium rerū dialectica inventio: cum ergo facta eſſet illa partitio, objicit ab authore topicorum, non iccirco tamen unam & cōmunem methodum omniū problematum quærendam eſſe, quia nec facilè inveniri poſsit: & ſi inveniatur, omnino obſcura ſit & inſuavis. Hæc cauſſa eſt, qua Organicus author in tantā invētionis Dialecticæ tautologiam delapſus eſt: hęc falſa & fallax ratio doctorem, inquam, decepit, fefellit, induxit: Quare nobis animadvertenda diligenter eſt: Huic errori reſtitimus initio, cū de quæſtione actū eſt: & ad ejus tanti elenchi refutationem confirmandā, quia negaretur hic communem quatuor problematum doctrinā inveniri poſſe, monui antea in Cate-

goremátis, Categoriis, abundãtia propoſitionum, inventione medii, Analyticis poſterioribus, locos invẽtionis confuſos ab Organico magiſtro, non problematum, accidentis, generis, proprii, definitionis proprios, ſed communes eſſe omnium quæſtionum: imò omniũ propoſitionum non dubiarum, ſed etiã per ſe manifeſtarum. Atq; hujus doctrinæ errorem ſatis, vel doctore ipſo judice refutaveram: quia ipſe eas artes cõmunes traderet, quas negaret inveniri poſſe: attamẽ quia bella iſta ratio atq; cauſa in Topicis ponitur, in ſingulis Topicis, hujus fallaciæ majorem mihi refutationem depoſco: docebo enim his Topicis, id eſt, doctoris Topici teſtimoniis, hanc eandem non modò quatuor problematum, ſed omniũ omnino quæſtionum, omnium propoſitionum communem inventionem nõ ſolùm inſtitui, ſed etiam laudari atq; celebrari: Et quidem ab octavo capite primi hujus Topici, uſq; ad finẽ octavi, totus eſt Topicus author in locis illis communibus obſcurãdis, ineptiſsimè iterãdis & repetẽdis, præter enim generales locos decem noſtra Dialectica informatos, dialecticum præceptũ, Dialecticæ inventionis in his Topicis nullum traditur.

CAP. VI. ET VII. DE EODEM, deq; problemate.

SExto capite idẽ tripliciter dicitur, numero, ſpecie, genere: Scholaſticũ hoc commentum eſt: Idem & diverſum eſſe poteſt cauſsis, effectis, ſubjectis, adjunctis, & cæteris argumentis: & hoc præceptum nihil inventionis, nihil diſpoſitionis eſt: quare nihil etiam Dialecticæ: Nec iſto modo dividi idẽ ſexto & nono capitibus quinti libri in Philoſophia: & hoc tamẽ ipſum idẽ per comparationem cum altero ſolum intelligi poteſt, ut duæ res inter ſe ſunt, eædẽ ſpecie vel genere. Verùm in Porphyrio ſatis de hac bella numeri doctrina diſputatũ eſt. Septimo capite diſputatio revocatur de diviſione problematis, quòd omnis diſputatio Dialectica, ſit ex definitione, proprio, genere, accidente: idq; topicus magiſter omnibus concluſionum modis ſe pollicetur addicturũ inductione & ſyllogiſmo, quas ſolas argumẽtationis ſpecies paulò pòſt facit: Verùm in utroq; fallit: inductionẽ nobis conſiderandam relinquit, tanquã manifeſtã: ſed antea multis exemplis falſam docuimus, cùm oſtendimus, non omni quæſtione indicari genus, accidẽs, proprium, definitionem: & valde ſophiſticum hoc eſt, quod ignoretur, quod etiã falſum ſit, tanquam verum & perſpicuũ prætermittere: Sic Categoricus author ſex poſtremas Categorias prætermiſit, quòd diceret eſſe faciles, cùm tamen ab homine perfici nullo modo poſſent. Ad ſyllogiſmũ doctor deinde accedit, & circunſtantiis vaniſsima abſolvit. Revocavit Organicus author Dialecticam ad grammaticã quandã ſermonis accidentiam, quomodo nempe unumquodq; vocabulũ ſignificaret, & quomodo de alio affirmaretur: hinc categoremata, categoriæ, & hîc iterũ categoremata: hinc factæ definitiones generis, ſpeciei, differentię: quomodo de rebus ſibi ſubjectis affirmarentur, cùm tamen Dialecticæ ratio pura & ſimplex eſſet: ſermonis nullã curam, ſi rectè tradatur, habeat. Hinc igitur Topicus magiſter probationem ſophiſmatis, & rationem orditur, & ſyllogiſmum ſe facturum pollicetur: In quo magiſter diſcipulos ſuos decipit: ſyllogiſmi enim ejus, quẽ pollicetur, nullam partem ponit, ſed propoſitionis rationem ex categoriæ diviſione comminiſcitur: Syllogiſmi enim, quem non pręſtat, ſed pollicetur, ejus cõcluſio eſſe debuerat:

Omne categorema eſt genus, definitio, proprium aut accidens:

Omnis diſputatio Dialectica, eſt de categoremate.

Omnis igitur diſputatio Dialectica, eſt de genere, proprio, definitione, accidente.

Hunc ſyllogiſmũ non fecit, ſed neſcio quàm lubrica, quamq; præcipiti oblivione præteriit: cujus propoſitio, Categoriæ partitione valdè ineptè confirmatur: Aſſumptio itẽ falſa eſt, quòd omnis diſputatio Dialectica, ſit de his quatuor categorematis: omnis enim quęſtio Dialectica eſt, & nulla quæſtio niſi dialecticè tractari poteſt. Innumerabiles verò ſunt quæſtiones non de iis ſcholaſticis Topicorum problematum categorematis: doctor igitur nullũ quæſtionis proprium ſyllogiſmum, quem pollicebatur, fecit: Syllogiſmo autem quodã connexo (quem tamẽ ſyllogiſmum eſſe neſciebat,

ſciebat, cùm in eas figuras non cadát, quibus omnes ſyllogiſmorū modos cōcludi Analytico primo docet) cōcludit, & falſò cōcludit omne categorema eſſe de accidente, genere, proprio, definitione: quod ei propoſitum non erat: attamen concludit hoc modo:

Si omne categorema converſim dicitur aut nō cōverſim, eſt de genere, proprio, accidente, definitione:

Quia ſi converſim, eſt propriū aut finitio: ſi nō cōverſim, genus aut accidēs:

Sed omne categorema converſim dicitur aut non converſim:

Omne igitur categorema eſt de accidente, genere, proprio, definitione.

Hic ſyllogiſmus doctoris eſt: cujus propoſitio eſt falſa, quia nullum eſt argumenti genus, quod nō cōverſim dicatur aut nō cōverſim, aut per ſe aut denominanvé, ut antea dixi. At è decē generibus argumentorū, genus, eſt particula diſtributionis: accidens, effectorū & adjunctorū: propriū, de quo agit̃, vel adjunctorum, vel definitionis ſpecies: definitio, locus eſt integer: tot argumēta reliqua, cauſſæ, ſubjecta, diſſentanea, collationes, nomina, totū, membra, ſpecies, teſtimonia in his categorematis quatuor non numerantur, quæ tamen de re propoſita dicuntur: Quare doctoris ſyllogiſmus parte illa principe fallax eſt: totus à quæſtione propoſita alienus eſt: Suſceperat enim topicus author ꝓbandum, omnē quæſtionē eſſe de illis quatuor categorematis: quod nullo modo demōſtrat. Doctor nobis probationem hujus ſophiſmatis per inductionē & ſyllogiſmum pollicetur: credimus: At neq; inductionē, neq; ſyllogiſmū fecit Atque hæc fundamenta ſunt & tertio & ſeptimo capite, de varia illa & falſa problematis partitione in quatuor partes. Eodē ſeptimo capite præcipit̃, ut è categorematis ſumantur probationes harum quæſtionū: Et hîc indicat̃ categorias, locos eſſe quoſdā inventionis communes (contra quàm ejus interpretes illic arbitrantur) unde omnes probationes hauriantur: Sed antea de categoriarū inanitate diximus. Atque his duobus capitibus expoſitis, ad intermiſſam quæſtionem revertor, quā totis Topicis, id eſt, ut dixi, perpetuis hujus doctrinæ teſtimoniis, cōtra doctorē, me demōſtratu-rum recepi. Aſt cōmunem omniū problematū artē reperiri nō poſſe: hoc commentū ſuperioribus omnibus libris falſum eſſe docui: falſum rurſum in his Topicis demonſtrabo.

IN CAP. VIII. ET IX.

OCtavo igit̃ & nono capite quæritur quid ſit propoſitio dialectica & problema dialecticū: item qd poſitio, placita ſcholaſtica ſunt, vel ſomnia potius Eubulidis cujuſpiam, ut oratio qualibet pura eſt Grāmatica, ſic & ꝓpoſitio bene propoſita eſt Dialectica, omne problema Dialecticū, omnis theſis Dialectica. Mirificū autē illud Topici doctoris teſtimonium, quod quærimus, capite octavo in generibus propoſitionis enumerandis incipit: hîc enim propoſitionum, id eſt principū ſyllogiſmi partium genera, ex teſtimoniis ſpectatorum & probatorū hominum, è ſimilibus & contrariis deducit: id eſt magiſter eam inventionē, generalē inſtruit, quam quinto capite negabat inveniri poſſe: nec tamen ſic inſtruit, quin multó maximā partē relinquat. Quid enim ex cauſsis, factis, ſubjectis, adjunctis, reliquis diſſentaneis, cōparatis reliquis, nomine, tributione, finitione? an ꝓpoſitio nulla erit? Cujuſmodi credat eā partitionem eſſe, ubi de partibus decē (quę ſunt argumentorū univerſaliū genera) una integra, teſtimonium: ex generibus collatorū unum, ſimile: ex duobus oppoſitorū generibus unū, adverſum nō explicatur, ſed attingit̃: de cæteris nullū verbum fiat? Hoc igit̃ primum doctoris cōtra doctorē teſtimoniū produco: Teſtimonia, ſimilia, adverſa, loci ſunt communes omniū problematum, quales tamen negabat inveniri poſſe. Pari ferè ſapientia problema dividitur ex fine rerū quæſitarū, ex opinionū diſſidentiū differentia atq; varietate. Ridiculè, ita me Deus amet: & quòd omniū quæſtionū partitio, ut tam multis argumētis initio docui, in Dialectica inutilis eſt, & quòd iſta vanitate liceat mille ſimiles partitionū ineptias affingere. Sed hæc miſſa faciam⁹, ad ꝓbationē revertamur: alia doctrinæ teſtimonia cōtra doctorē ꝓducam⁹.

CAP. X. DE SYLLOGISMO ET *inductiōe, deq; elēcho quadruplicis ꝓblematis.*

DEcimo capite, argumentationis dialecticæ ſpecies duæ ponūtur,

ſyllogiſmus & inductiô: in quo multiplex ſophiſma eſt: omnis & tota & ſola argumentatio, id eſt argumenti diſpoſitio, ſyllogiſmus eſt: inductio nō eſt argumentatio, ut antea docuimus, ſed argumentū ex partibus. Differentia autē ſyllogiſmi & inductiōis valdè ridicula eſt, quòd ſyllogiſmus ſit valentior, clarior inductio. Quaſi inductionis argumentū, quod ex partibus eſt, nō poſsit etiam ſyllogiſmo concludi: ſit enim inductio:

Omnis & homo & beſtia ſentit:
Omne igitur animal ſentit.

Addatur aſſumptio, ut ſyllogiſmus plenus fiat, hoc modo:

Omnis & homo & beſtia ſentit:
Omne animal eſt beſtia aut homo:
Omne igitur animal ſentit.

Utra in parte argumētū clarius & fortius eſt? Illic inductio eſt, hîc ſyllogiſmus: & argumentum idē eſt. Atq; hæc de Topici Dialectici quæſtiōe, id eſt prima Topicorum parte. Ad quæſtionē igitur quæſtioniſq; ſpecies ita deſcriptas, topicus author deinceps inventionis artes accōmodat: ad quas tamē priuſquàm accedā, illud quærendū eſſe arbitror, ſi partitio problematis de accidēte, proprio, genere, definitiōe vera eſſet, quā falſam eſſe (ut eſt) neceſſe eſt: tamē ſi vera eſſet, quorſum ad has quatuor particulas tā lōga tamq; prolixa (quæ eſt in octo Topicis) tautologia inventionis adhiberetur? Proponit magiſter in Analyticis poſterioribus quatuor genera quæſtionū, an eſt, quid eſt, quia eſt, quamobrē eſt: nec tamen ad ea ullā inventionis doctrinam adhibendā privatim putavit. Quæ cauſſa eſt igitur, quamobrē hîc octo Topicis tam obſcurā, tam cōfuſam, tam nugatoriā locorum periſſologiā (ut oſtendā) ad has quæſtioneſq; quatuor aggregavit? quis finis? quis uſus? quod conſilium? Scholaſticos homines hîc jam ſæpius urgeo, ut præceptionū ſuarū fructū doceant: ut rationē idoneā, & legitimā cauſſam proferant, ut caput in has tenebras demerſum, aliquando ſurſum erigant: ut Ariſtotelis ſapientia illa utātur, qua jubet ad ſcientiam cauſſas rerū primas, proprias, neceſſarias inquirendas eſſe: demonſtrationem ab hoc magiſtro requirant inventionis Dialecticæ: quid ſit, quamobrē ad has quatuor partes tota inventio referatur. Nō quæro quamobrem potiùs quatuor inventionis artes ſingulares, quàm una communis: ſed quamobrē omnino inventionis doctrina huc referatur. An iccirco, quia valdè eſſet neceſſaria cognitio accidentis, generis, proprii, finitionis, ideo tā multæ inventionis artes ſunt deſcriptæ, ut cognoſceretur quid accidens, genus, proprium, definitio eſſet? Definias verò diligēter & accuratè, & genus & definitionē, & quicquid in Dialectica ſciri neceſſe eſt: partes & ſpecies ſi ſint, divide, omnes proprietates explica, illuſtra nobilibus exemplis, ut omnino penitúſque percipiantur: ſic enim decet inſtitutiōes artis cujuslibet explicari: Libros autem tam perplexè tamq; nugatoriè conſcribere, ut cognóſcam tātùm quid ſit hoc, quod quatuor accidentis, proprii, definitionis, generis vocabulis ſignificetur, an eſt obſecro te, philoſophi artem perſpicuè breviterq; demonſtrānis? Referre totam inventionē Dialecticam, imò verò totam artē dialecticā (magiſter enim de iis quatuor tantùm problematis cū loqui vult) quæ ad omnes res explicandum reperta erat: referre, inquā, ad quæſtiunculas de quatuor Dialecticæ particulis obſcurandis, an nō ſimile eſt, ac ſi diceres hominē, qui ad cælū terramq; contemplandū, ad colendū deū, & mortalium univerſo generi opitulandū natus ſit, ad quatuor ex omnibus ungues pedum ſuorū arrodendum eſſe genitū, & catenis cōſtrictum ad id opus adigeres? Ex cauſsis omnis eſt omniū rerum vera & firma (ut Ariſtoteles ait) demonſtratio: diſſentaneorū locus tam magnificus eſt, ut ejus una particula contradictio appellet in Philoſophia principiū omnium principiorū: Diſtributio, quā in Dialectica neceſsitatem obtinet? Syllogiſmus, an non eſt ſingularis quædā omnis concluſionis regula? methodus nónne Platonis ſententia donū quoddā eſt deorum? attamen cùm ea ſingula definitionibus eſſent intellecta, cùm omnibus modis clariſsimè eſſent expoſita, quænam iſta deliratio fuerit, ad ea clamanda & altercanda locos permultos inventionis, permultos etiā libros involvere? ac tricis omnibus apiniſq; implicare? Quamobrem Topico doctori, ut hanc quæſtionē concludam, nulla juſta cauſſa fuit dialecticā artē ſic inſtituendi,

ut

ut de quatuor tantúm ſuis pręceptis clamaret. Nullũ inſtrumentũ, nulla ars in ſeipſa exercetur: Grãmatica in poëtis & oratoribus explicãdis, in ſcribẽdo proprié & loquendo exercetur. Geómetria non eſt inventa ut ſe vel ſuas præceptiones, ſed ut res omnes, lõgas, latas, altas metiretur. At Dialectica videtur huic doctori inventa, ut de ſe clamaret: nec de ſe tota, ſed de quatuor ſuæ unius partis particulis. Cõſiderate quicunq; hæc legitis, tam ineptã, tã inſulſam, tã falſam cauſſam, qua inductus eſt doctor, ut ad quatuor quæſtiones Dialecticam alligaret. Sed de quæſtionis & in genere & in nomine & in partibus errore, deq; tam aliena ad problematis altercationẽ inventionis aſtrictione ſatis: leges Ariſtotelis huc appellatæ omnia falſa, aliena, impropria damnabunt, ad inventionis artes veniamus: & in his nõ ſolúm multa neceſſaria obſcurari, multa neceſſaria prætermitti, id eſt Ariſtotelis legẽ de materia veræ artis non ſervari doceamus: communẽ etiam inventionis artem demonſtremus, quã author Topicus inveniri poſſe negaverat. Demus igitur, horum categorematũ maximé neceſſariã cauſſam eſſe, ut inventio ad ea proprié declaranda, doctori deſcribenda fuerit: Quid tum? an id effecit? an proprias artes ſingulorũ problematum, ut polliceretur, inſtituit? Imò veró veriſsimé confirmo, omnibus Topicis tã lõga tot librorũ inventione, nihil præcipué cognitionem horũ categorematum quatuor inſtruí atq; informari, ſed iterari cõmunẽ omnium omnino quæſtionũ inventionẽ. Maximũ fuerit ſcholaſticis, quód hîc dicturus ſum, ſed tamen ne ipſis incredibile ſit, ab Ariſtotele ipſo mihi traditũ. Ariſtoteles in extremo dialectici organi libri Tiſiam, Thraſimachum, Gorgiam, claros quondam rhetoras irridet velut ineptos doctores ac magiſtros, qui ejus artis, quam profiterentur, exempla ſané quidẽ multa, præcepta autẽ catholica & cõmunis doctrinæ nulla traderent: Ut ſi quis (ait) artẽ ſe tradicturum profiteretur, qua pedum dolori mederetur: deinde non artẽ doceret cõficiendorum calceorum, ſed eorũ quædam genera ſuppeditaret, is certé aliquid efficeret, artẽ veró minimé traderet. Hoc Ariſtotelis argumentũ nobile quidem & philoſopho dignũ cõtra hunc doctorẽ aſſumo: dico omnia quæ in Topicis ſunt Dialectica de argumentis præcepta, nõ aliud eſſe, quàm decem cõmunium locorum (quos nos informavimus) decreta: cætera, quæ tã multa ſunt, calceos eſſe, aut ne calceos quidẽ: Generales autẽ argumentorũ locos, id eſt calceorũ faciendorum myſtricolas id eſt typos pedis atq; formas, calceos efficere magiſter hic voluit, & ad certum problematis pedẽ accommodare: contra catholicam Ariſtotelis legem, quæ generalia generaliter in veris artibus & ſcientiis explicãda jubeat: ſed tamẽ nihil tã potuit turbare, quin paucis calceis exceptis, cõmunis doctrina eſſet omnium quæſtionum.

CAP. XI. DE COMMUNIBUS *Inſtrumentis.*

HOc itaq; nunc demonſtrandum & convincẽdum ſuſcipio, ad undecimum primi Topici caput redeo: in quo inventio Dialectica non dividit quidẽ initio, ſed circa finẽ libri primi parte una jã expoſita partitio fit inventionis, in inſtrumẽta & locos: inſtrumenta ſunt omnium problematũ communia. Ergo, inquam, aliqua eſt inventio cõmunis omnium problematum: & hanc tradit, & hanc demonſtrat, is qui negabat inveniri poſſe? Negat verbo communem problematum inventionẽ reperiri poſſe, re cõfirmat. Inſtrumenta igitur quatuor efficit Topicus author, propoſitiones, diſtinctiones ambigui, differentias, ſimilitudines. Hic non moneo doctorem, quód nihil definiat: non genus inſtrumenti, & loci nõ inſtrumentum, non locum: nihil enim definite, nihil ordine partiri, doctoris hujus proprium eſt. Prætereo quód ineptiſsimé inſtrumenta ipſa dividantur in propoſitiones, diſtinctiones, differentias, ſimilitudines. Omnia enim genera argumẽtorũ inſtrumenta ſunt inventionis Dialecticæ: & loci ipſi, inſtrumenta ſunt, ut differẽtiæ, ut ſimilitudinis, quas author ipſe poſtea ipſis in locis numerat, & errorem ſuum demonſtrat. Eſt autem valdé abſurdum, propoſitionem (quæ ſyllogiſmi pars eſt, quæ eſt argumenti diſpoſitio) inter argumentorum ſpecies numerare. Et doctor ipſe errorem ſuum cõfitetur, cúm ait propoſitione cõtineri

& diſtinctiones & differentias & ſimilitudines, id eſt in uno membro quadripartitæ diviſionis cætera contineri, tantus eſt partitionis hujus elenchus. At graviús etiam errat, quám putat: ignorat enim propoſitionem non ſolúm ex reliquis tribus his inſtrumentis, ſed ex omnibus argumentorum locis fieri, ſicut ſyllogiſmum, cujus pars eſt: atque ideirco abſurdiſsimum hoc principium eſt, in inventionis præceptis propoſitionem collocare, quæ pars eſt diſpoſitionis. Secundum veró diviſionis hujus membrum, de diſtinguēdis ambiguis, aliquid habet, quod admoneri poſsit verbo uno; cùm de vitiis inventionis & diſpoſitionis præcipitur, ſi tamen quicquā de vitiis præcipi καθ᾽ αὑτο paniatur: nec inventionis proprium quicquā hîc eſt, ſed ex omnibus feré inventionis argumētis res ambigua diſtingui poteſt: & ambiguum, cúm ſit inventionis vel diſpoſitionis vitium, ut Ariſtoteles inter ſophiſmata id numerans indicat, certé inter argumentorum genera numerari non decet. At de ambiguo dictum antea compluribus locis. Differentiæ & ſimilitudines, duo communia inventionis Dialecticæ membra vera ſunt: Ita de quatuor inſtrumētis duo prima inventiōis Dialecticę nihil omninò ſunt: duo, ſunt partes hujus inventionis communis, quam Topicus author negat inveniri poſſe: Et in hac præclara inſtrumentorum tractatione non dico aliquam laudem deeſſe, ſed omnia ſophiſmata comprehenſa eſſe demōſtro: duo enim membra redundanti multó plura deſiderantur, cúm omnia argumentorum genera, inſtrumenta inventionis communia ſint. Sed tamen iſta omnia prætereantur tam multa vitia.

IN CAP. XII.

Duodecimo capite docetur, unde propoſitio ſumatur: Unde igitur? ex teſtimoniis, adverſis, ſimilib⁹, teſtimoniis rurſum, definitionibus, teſtimoniis tertiùm. Prætereo quód octavo capite idem excepta definitione dictum erat, & quód doctor eodem ſuo teſtimonio, ſed repetito, ſeipſum condemnat: prætereo imperfectā enumerationem argumentorū: poteſt enim propoſitio (ut bis jam dixi) ex omnibus argumentorum generibus, non tantùm ex his quatuor effici. Sed tamē hoc primum inſtrumentum unde ſumitur? quænā ſunt iſta propoſitionum mēbra, teſtimonia, adverſa, ſimilia, definitiones? nónne illa cōmunis eſt inventio, quę dicebatur inveniri nō poſſe? An ulla quæſtio eſt vel accidētis, vel generis, vel proprii, vel definitionis, vel cujuſcunq; rei, ad quā adhiberi non poſsint teſtimonia, adverſa, ſimilia, definitiones? quid eſt hîc, quòd propriè problema accidentis, generis, definitiōis, proprii adjuvet? nō omnes quæſtiones informet? quā cauſſam adhuc habet topicus doctor, ad quatuor categorematū genera, dialecticā inventionem tot modis involvēdi? An obſcura, an inſuavis videtur ei doctrina, quā docet? quā exercet? At etiā in fine capitis hujus celebrat eos cōmunes locos, & collaudat: Sumēdæ ſunt, ais, quā maximé univerſales propoſitiones. Quomodo veró univerſales? an nō ex cōmunibus & univerſalibus locis? Atq; hoc toto capite nihil niſi inventionis ejus (quā negat inveniri poſſe) communes partes attingit. Artificiales ſunt iſtæ calceorum myſtricolæ, quæ pro calceis ad problematis pedem ineptiſsimè aſtringūtur, cùm ſint infinitorum pedū communes; cùm præcipuè problema nihil adjuvēt. Sophiſticè docet (ait Ariſtoteles primó de demonſtratione) qui generale ſpecialiter docet: ut qui tres angulos duobus rectis pares per ſpecies trianguli docet. At hi loci communes ſunt & generales: Sophiſticè igitur in his Topicis ad ſpeciales quæſtiones accommodantur.

IN CAP. XIII.

Sequitur decimū tertiū caput de ſecundo inſtrumento, multiplicis diſtinctiōe. Agé veró, unde diſtinctio hæc petitur? Ex contrariis, ex adverſis & contradicētibus & privantibus, ex conjugatis, generibus, definitionibus, majoribus, minoribus, ſimilibus, differentiis, ſpecie. Artificiales itē ſunt iſtę calceorū formæ cōmunes & generales: nec Topico problemati quicquā præcipuè inſerviunt: Et facilé patior taceri, quód doctor crediderit, ex his argumētis res ambiguas diſtingui: nō intellexerit ex cauſſis, factis, ſubjectis, diverſis, diſparans,

notatio-

notationibus, teſtimoniis: omnibus deniq; argumẽtis diſtinguit: tam multa doctrinæ hujus peccata, tamq; abſurda, ut ſpero, per ſe intelligent: & aliud inſuper urgeo, & cõvincendum mihi propono. Quæ enim iſta præcepta ſunt, quæ ambiguorũ rerũ diſtinctioni ſubjiciunt? Adverſa, conjugata, genera, ſpecies, finitiones, cõparata, an nõ ſunt cõmunis ejus inventionis decreta, quæ negabatur, inveniri poſſe? Quid eſt omnino, cujus cõjugata, adverſa, genera, ſpecies, finitiõnes, comparata requiri nõ poſsint? an hoc non eſt duobus rectis tres angulos pares ſpecialiter doceret?

IN CAP. XIIII.

Decimo quarto capite differẽtia & ſimilitudo reliqua duo inſtrumẽta expediũtur: unus iis locus cõmunis attribuit, in quo reperiant. Multas hujus libri ineptias libenter omitto, quód ſimilia ex generis loco, nõ undiq; ex univerſa rerũ invẽtiõe, ſicut cauſſas, facta, & reliqua argumenta ſumi: quód genus, quód definitionem, capita quæſtionũ faciat, & ea tamẽ ſubjiciat inſtrumentis, horũ nihil eſt nõ contrariũ legibus Ariſtotelis. Neque ei objicio, quód differentiã in hoc primo libro aliquando pro forma & rei cauſſa, per quam res eſt, id qđ eſt, accipiat: aliquando neſcio quomodo immemor, ſimilitudini opponat, ut diſsimilitudinẽ: Recenſet aliquot utilitates tũ diſtinctionũ ad perſpicuitatẽ, ad evitandã de nomine altercationẽ, deniq; ad fallendũ: tum differentiarũ ad ſyllogiſmos de eodẽ & diverſo; ad definiendũ: tum ſimilitudinũ ad inductionẽ, ad ſyllogiſmos, ad definiẽdũ. At inductio, quæ ex multis ſimilibus ſimile cõcludit, nõ eſt inductio ad definitionẽ, quæ eſt capite decimo: quia nõ eſt ex ſingularibus ad univerſale. Propoſitionũ utilitates nullas recẽſet. Atq; hæc duo inſtrumenta differẽtiæ & ſimilitudinis cõmunia ſunt & generalia. Itaq; ſophiſticẽ & cõtra leges Ariſtotelis ad ſpecialẽ doctrinæ quæſtionem adhibẽtur. Quare per Deum optimũ animadvertite, qui hæc legitis, qualẽ Topicã doctrinã & quã legibus Ariſtotelis cõgruentẽ æſtimare debeamus. Negat cõmunẽ omniũ quatuor problematũ inventionẽ tradi poſſe: at antè tradita eſt in Categorematis, Categoriis, Interpretatiõe, abundantia propoſitionũ, invẽtione medii, Analyticis poſterioribus, & octavo capite hujus primi Topici: & deinceps inſtrumenta problematũ cõmunia proponit. At in his inſtrumẽtis etiã alia genera inſtrumẽtorũ cõmunia inſtruit, & quidem repetitione valdè inepta, toties nempe, & hoc ordine cõfundũtur communia argumentorũ decreta, quoties & quo ordine hîc recitabo: Teſtimoniũ, ſimile, adverſum, forma, ſimile, teſtimonium, adverſum, ſimile, teſtimoniũ, definitio, teſtimonium, adverſum, adverſum, adverſum, adverſum, contradicens, privans, conjugatũ, genus, genus, genus, adverſum, definitio, definitio, majora, minora, ſimilia, genus, forma, ſpecies, genus, genus, genus, genus: Quæ tot inſtrumẽta, cõmunia ſunt omniũ quæſtionum, nõ modò quatuor problematum. Quamobrẽ topicũ primũ invẽtionem omniũ quæſtionũ, non ſolùm quatuor problematũ communẽ adhuc informavit, quã negabat inveniri poſſe: ſed informavit, ſine perſpicua finitione, ſinè tributione legitima, ſine exemplis homericis, ſed contrà miſcendo, cõfundendo, iterando, reiterando: Unde cõcludã, Topicam doctrinã, Ariſtotelis catholica lege ſophiſticam eſſe, quia doctrinã generalem non generaliter doceat, ſed tot ineptis modis per ſpeciales quæſtiones repetat. Atque ita quiſquis ſophiſmatis tanti primus author fuit, errorem illum ſuum de cõmuni omniũ quæſtionum inventione coarguit, quód eã tradat inventionẽ, quã negaverat inveniri poſſe, ſed majorẽ etiã culpã ſuam convincit, quód inventionẽ dialecticã ita miſerẽ cõfundit, atq; uſu omni cõtempto ſic in ſcholaſticos clamores abjicit, ut nihil unquam de logicis Ariſtotelis legibus cogitaſſe videatur.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XII.

in ſecundum Topicum.

Atq; hæc de inſtrumẽtis Topicis: loci deinceps Topici nõ pari, ſed majore cõfuſiõe obſcurãt: neq; enĩ cõmunes argu-

argumentorum locis, qui ſequuntur, duntaxat ineptè repetuntur, contra catholicam Ariſtotelis legem, ſed his communibus calceorum faciendorum formis, calceis ineptiſsimis immiſcentur, & pleraque inutilia coria omnibus ſordibus inquinantur: quibus tamen effici non potuit, ut problematum propriæ inventiones oſtenderentur: quin una illa inventio noſtra decem generalibus locis diſtincta & perſpicuè expoſita perpetuò traderetur. Diſtinguam formas communes à calceis, & ab utriſque inutilia coria, id eſt generalia argumentorum & dialectica præcepta & ſpecialia exempla: & quæ nec cõmunia præcepta ſint, nec exempla ſingularia: Et docebo (quod ſcholaſticos homines his nugis nimiùm addictos admiraturos ſpero) his Topicis non ullam doctrinæ formã deſcribi, qua percipiamus quid ſit res, qua de agitur, quæ partes, quæ commoditates: ſed inſipidiſsimam negationũ matæotechniam, qua contentioſi ſophiſtæ in Schola clament non eſſe hoc accidens, genus, proprium, definitionem: ut hæc Topica non Dialecticorum locorum, ſed ſophiſticarum inficiationum inſcribi meritò debeant. De quatuor autem problematis, primum eſt accidens: quod geminũ efficitur, ſimplex & comparatum: de ſimplicis accidentis problemate, ſecundo Topico agitur, quo placet à Dialectico quæri, ſit'ne hujus illud accidens, an non? Hæc materia eſt, de qua ſit ſecundo Topico deliberandum: hoc argumentum technologiæ faciendæ propoſitum eſt, ut artes nobis declaret, per quas intelligamus hanc quæſtionem, an album ſit hominis accidens, an non? & quæſtiones de accidente hoc problematis modo pronunciatas. Adeſte igitur ô doctores & profeſſores hujus diſciplinæ. Qui generale ſpecialiter docet, ſophiſticè docet, ait Ariſtoteles: Qui tres angulos duobus rectis pares oſtendit per trianguli ſpecies, ſophiſticè agit, ait Ariſtoteles. At in hoc ſecundo Topico loci inventionis generales & communes omnium rerũ ad ſpecialem de accidente quæſtionem ſpecialiter docentur, & quidem ſæpius iterantur: Sophiſticè igitur hæc Topica doctrina inſtituitur: nec omnino propriis præceptis accidentis problema inſtituitur, ut meliùs quid accidens ſit, intelligamus, quàm definitione primi Topici fuerat expoſitum. Erigite jam animos, & id quod vobis tam conſtanter objicio, conſtanter percipite: Locos doctoris, & quidem, verbis ſcholaſticis ita percenſebo, ut non ſolùm & formas & calceos & coria ſeparem, ſed etiam doceam, quibus generalibus formis calcei ſinguli ſunt formati. Doctorem igitur ipſum jam audiamus: Unus autem locus eſt, inſpicere ſi quid ſecundùm aliquem alium modum ineſt, ut accidens aſsignavit. Hic primus eſt locus ad deſtruendum problema accidentis, & quidem ferè ſolus: ex duobus enim & quadraginta hujus Topici locis, hic verè ſolus docet, quomodo probes, illud hujus accidens nõ eſſe, quod problema hoc Topico inſtruitur: cæteri verò omnes loci nihil omnino docent accidentis proprium. Quare hunc locum diligenter conſiderent homines noſtri, propter quem ſolum magiſter motus ſit, ut inventionem, quæ tota communis erat omnium quæſtionum, in his Topicis toties iteraret & conturbaret: quia videlicet communis omnium problematum inventio non videbatur ei reperiri poſſe: unus enim locus communis videlicet non erat. Verùm qualis eſt hic locus? quoniam communis forma non eſt, quis eſt calceus? qua forma argumenti generalis informatus? Magiſter, primi Topici capite quarto duas accidẽtis definitiones adhibuit: alteram rejecit, qua dicebatur accidens, quod neque definitio, neque genus, neque proprium eſſet: ex hac damnata accidentis definitione doctor topicam diſputandi de problemate accidentis doctrinam efficit. Atque ita ex oppoſitorum forma ſit iſte ſolitarius & ſingularis accidentis calceus: & tamen inani tautologia repetitus è definitiõe. Ineſt attributum, ut definitio, ut genus, ut proprium: non igitur ineſt, ut accidens. Bone Deus, excita magiſtros hujus doctrinæ, ut hæc attentè & conſideratè perpendant, & intelligant quales deinde loci proponantur, quàm accidentis proprii, ut vel errorem, vel ſtultitiam, vel fraudem doctrinæ ſuæ percipiant: nihil enim eſt proprium in his artibus quatuor problematũ, præter hanc

mataeo-

matæotechniã negationũ: ſi dicitur, ut genus, ut definitio, ut proprium, nõ eſt accidens: Ergo bellæ hujus matæotechniæ gratia topicũ ſecũdum inſtructiõem eſt. Sequentia jam videamus. Alius locus eſt inſpicere ea, quibus ineſſe aut omnib⁹ aut nullis dictũ eſt: & cõſiderare ſecundùm ſpecies, & nõ in infinitis. Hic ſecundus locus jã propriè nihil de accidente diſputat, inſit ne attributũ, ut accidens, nécne, ſed cõmuniter de veritate inquirit, an attributũ verè ſubjecto inſit: quod & exemplis etiã clariùs oſtenditur: ut ſi oppoſitorum (inquit doctor) eandem diſciplinã quis eſſe dixerit, perſpiciẽdum ſi cotũ, quæ ſunt ad aliquid, & adverſorum, & quæ ſecundum privationẽ & habitũ, & quæ ſecundũ cõtradictionem dicũtur, eadẽ ſit diſciplina. Hîc nihil præcipuè admonet de accidente, ſed communiter de veritate, an ſubjecto attributum verè inſit, nõ utrùm inſit ut accidens, nécne. Diſtinctiones nõ defuturas certò ſcio: At pertinacibus (quoniã authoritatem pluris, quàm jura & leges rationum & argumentorũ omnium faciunt) magiſtrũ contra ſophiſticas diſtinctiones opponã: quẽ dico his in locis accidentis, primo illo duntaxat excepto, cùm diſputat ineſſe aut non ineſſe, nõ id agere propriè, ut doceat ineſſe attributum ſubjecto, ut accidens, ſed communiter ineſſe, id eſt, verè affirmari, deniq; totã hanc doctrinam cõmunem & generalem eſſe, non hujus problematis propriã. Magiſtrũ igitur audiamus primo capite ſexti Topici ita de definitione philoſophantẽ: Si igitur non verificatur de quo nomen & oratio, ait, ex his qui dicti ſunt in accidente locis conſiderandum: nã illic utrùm verũ vel non verum, omnis cõſideratio fit: An veró magiſter nobis ab inferis excitandus eſt, ut voce clariore & manifeſtiore ſophiſticas diſtinctiones irrideat, & errorẽ ſuũ fateatur: Dico his locis nõ inſtitui locos, quibus propriè & ſpecialiter accidentis problema inſtituatur, ut intelligatur, an attributũ ſubjecto inſit, ut accidens, ſed cõmuniter, & generaliter de cõmunibus locis præcipi, ut intelligatur, verum ſit, an nõ ſit, quod quæritur. Hoc idẽ magiſter doctrinæ ſuæ immemor non fatetur ſolùm, verumetiã profitetur. Quare jã obtineo, & convinco quod convincendum mihi propoſueram, Topico doctori nullã cauſſam fuiſſe, inventionẽ Dialecticã ad ſingulares problematũ altercationes tam miſerè diſtrahendi, cùm una cõmunis omniũ inventio eſſet: qđ ille negabat: & quòd ſic diſtractæ inventiones nihil præcipuè quatuor categorematum quæſtiones inſtruerent, ſed omnes cõmuniter adjuvarent: ideoq; doctrinã hîc ſophiſticã eſſe, quia generalia præcepta ad res ſpeciales adhibeat, ut ſiquis ſummas illas Ariſtotelis leges ſequi velit, neceſſe eſt, ut talem topicã ab inſtitutione juventutis removeat, & generaliter, ut generalis eſt, inſtitutam interpretetur. Sed tamen perge: ſecundos hic locus partiũ generalis forma eſt, qđ ſpecies, quæ in locis invẽtionis generalibus locũ obtinẽt, ſpectandas eſſe admonet: partim calceus etiã quidam, cùm jubet inſpicere quibus, aut omnibus aut nullis dictũ eſt ineſſe. Tertiũ locũ perſequere. Aliud eſt, definitiones facere accidentis, & ejus cui accidit, aut utriuſq; de utroq;, aut alterios: deinde cõſiderare, ſi quid nõ verum in definitionibus perinde ac verũ ſumptũ ſit. Hîc forma eſt generalis: definitio enim & ſubjectũ quod hîc cõprehenditor magis, quàm explicatur, loci communes ſunt: Videtur autẽ locus hic, calceus proprius eſſe accidentis, ut primus. At vides etiã nominatim in eo quæri verũ & nõ verum: quod eſt commune quæſtionũ omniũ: nihil hîc accidentis eſt peculiare aut propriũ: aut ſi ſit, ſecundus ſit negationum locus. Si definitio accidentis ei non convenit, nõ eſt accidens. Ampliùs problema propoſitionem ſibi facientem inſtare. Hic locus neq; myſtricola neq; communis forma calcei eſt, neq; calceus, ſed putris ſolea. Inſtantia enim ut cõfirmatio, refotatio, atque omnino probatio, nullum argumenti certum genus eſt, ſed argumentis omnibus fieri poteſt: qđ enim eſt argumẽti genus, quo nequeas adverſario reſiſtere: id enim eſt huic magiſtro inſtare. Ampliùs determinare, quę oportet dicere, ut plures & quę nõ. Hîc doctor admonet, populũ eſſe linguæ magiſtrũ: rerũ ſcientiã à doctis & peritis artiũ hominibus petendã eſſe. Calceus eſt, nec tamen ꝓprius ad accidentis pedẽ, ſed cõmunis omniũ quæſtionũ, ubi de verbis agitur argumentum à teſtimonio & authoritate acceptum,

acceptum, qualis populi magna eſt in uſu verborum. Quod præceptum tamē in Organo cùm verè proponitur, obſervandū fuerat, at minimè omniū eſt obſervatū. Nam cū Dialectica tota popularis & maximè naturalis eſſet, & populari imprimis ac naturali ſermone poſſet exprimi, ſophiſticū & bene loquēntibus inauditū ſermonis genus, è Cynicis vel Stoicis ſpineris neſcio unde quæſitū eſt, de quo jam multis locis diſſerui. Ampliùs, ſi multipliciter dicat̃: propoſitū autē ſit, quontā ineſt, aut quontā non ineſt: alterū monſtrare eorū, quæ multipliciter dicuntur, ſi nō utraq; cōtingat. De ambiguitate in categoriis, in interpretatiōe, in primo Topico dictū jam eſt: neq; hîc cōmunis forma calcei, neq; calceus, ſed ſophiſticæ ſordida & putris ſolea eſt. In Elenchis numerantur Hydrę ſophiſticę capita, cùm auditor ambigua propoſitæ rei ſentētia fallit̃: At nunc id faciendū eſſe præcipit, & hac ambiguitatis captione adverſariū non docendū, ſed fallēdū eſſe: quod idē in fine primi Topici docetur. Quod ſequit̃ eſt in eodē ferè genere. Si autē nō lateat, quod multipliciter dicitur, diviſum quotupliciter dicit̃ & intermendū & cōſtruendū: Hîc neq; communis forma, neq; calceus, ſed putris ut antè, ſolea. Rurſus quæcunq; non ſecundū æquivocationē dicunt̃ multipliciter, ſed alio modo: ſimilis ſolea ſuperioribus. Ampliùs transferre ad evidentius nomē: Hîc forma quædam cōmunis eſt definitionis: ſi tamē Topico doctori credimus, qui primi Topici capite quarto hāc nominis clarioris explicationē definitioni ſubjicit. Ad oſtendendū autem, cōtraria circa idē ineſſe, cōſiderandū in genere: Hîc duplex cōmunis locus confuſus eſt: adverſorum enim & generis loci generales ſunt & communes. Rurſum ex ſpecie generi: quæcunq; enim ſpeciei inſunt, & generi: Forma communis eſt à ſpecie, quæ jam ſemel hoc Topico cōfuſa eſt. Quoniam autē neceſſariū, de quibus genus prædicat̃, & ſpecierū aliquā prædicari, & quæcunque habent genus vel denominativè dicuntur à genere, & ſpecierū aliquam habere neceſſe eſt, vel denominativè ab aliqua ſpecierū dici. Generis locus cōmunis eſt jā antè hoc Topico ſemel cōfuſus. Cùm aūt facultas non ſit argumētationis ad poſitionem intendendū ex definitionibus, aut quæ ſunt propoſitæ rei, vel quæ videant̃: & ſi non ab una, etiā à pluribus. Hæc forma definitionis, cōmunis eſt omnium quæſtionum etiā antè duobus locis hoc Topico cōfuſa. Conſiderandū autē in propoſito, quonam exiſtente neceſſe eſt poſitum eſſe, aut quid eſt ex neceſsitate, ſi propoſitū eſt. Hîc doctor jubet neceſſaria & antecedētia & cōſequentia ſpectari: De quo genere confuſionis diximus in abundantia propoſitionū, quòd iis antecedentium & cōſequentium nominibus, ferè cōprehenditur omne genus argumenti: neq; tamen diſtinguitur: Generales autē res in arte ponere, quarum ſpecies cōmodiùs aliis generibus liceat explicare, non eſt perſpicuè docere, ſed turbare & confundere. Quicquid verò antecedentium & cōſequentium nominibus ſignificat̃, id cauſsis, effectis, ſubjectis, adjunctis, diſſentaneis, cōparatis, nominibus, tributionibus, definitionibus, teſtimoniis meliùs & clariùs explicatur: cùm tamen horū è ſingulis quædā neceſſariò & antecedant & cōſequantur. Hic igitur calceus quidē eſt, ſed incertus & confuſus. Ampliùs ad tempus aſpiciendū, ſi alicubi diſſonat. Hic calceus eſt formâ adjūctorū formatus. Ampliùs ſophiſticus modus, ducere ad id, ad quod plurimā habemus argumētandi facultatē. Quid verò jā dubitamus, magiſtérne ſe velit Dialecticū, an ſophiſtā nominari? Nihil habes quod de ꝓpoſito dicas? Si modeſtus eſſe vis, tace, inquam vel diſce priùs, quàm ineptè & ſophiſticè garrias: Imò verò, inquit doctor, turba aliquid, & à propoſito digredere potiùs, quàm taceas. Siccine magiſter diſcipulos tuos inſtituis, ut quod neſciant, malint altercando cōturbare, quàm tacendo & audiendo diſcere? hîc (credo) κύριαι δόξαι ſunt Topici doctoris, quas ſecuti tā pertinaces, ꝓtervi quidā, ut quidvis turbare & cōminiſci malint, quàm verum cōfiteri. Antea docuit magiſter, quomodo poſſemus adverſariū fallere ambigui captione: nunc ſine ulla diſsimulatione ſophiſticā inſtruit. Sed ab hac putri ſolea & abjecta pergamus. Ampliùs omnis qui dixit unūquodvis, quodāmodo multa dixit, eò quòd plura unicuiq; ex neceſsitate conſequentia ſunt. Relabitur magiſter ad conſequen-

tium

tium ſóleam, quam decimoquarto loco conturbarat. Quibuſcunq; autē neceſſarium eſt alterum tantùm ineſſe, vel non ineſſe, ut homini ægritudinem vel ſanitatē: ſi ad alterū facilè poterimus diſputare, quod ineſt vel non ineſt, & ad reliquum facilè poterimus. Hîc communis forma non eſt, ſed calceus formâ oppoſitorum formatus. Amplius argumentari transferendo nomē in orationē, cùm longè magis cōſentaneum viſum fuerit tranſſumere, quàm ut ponitur nomē: ut magnanimum, non fortem, ut ponitur, ſed magnum animū habentem. Hîc cōmunis eſt forma: notatio enim, eſt generale argumenti nomen in Dialectica inventione. Quoniam autem rerum aliæ quidem ſunt ex neceſſitate, aliæ autē ut in pluribus, aliæ verò utrūlibet, ſi quod ex neceſſitate eſt, ut in pluribus ponatˊ, aut quod ut in pluribus ex neceſſitate, aut ipſum, aut contrarium ei quod eſt, ut in pluribus, ſemper dat locum argumentationis. Hîc forma communis argumenti nulla eſt, ſed calceus formâ oppoſitorum formatus. Amplius etſi idē ſibi accidens nomen, ut alterū, eò quòd alterū ſit, poſuerit: quemadmodū Prodicus dividebat voluptates in gaudiū, jucunditatem, & lætitiam. Hîc argumenti cōmunis forma nulla eſt, ſed calceus, qui videtur ad accidentis problema ꝓpriè accommodari, ſed exemplum repugnat: Neq; enim Prodicus hoc exēplo ait voluptati accidere gaudium, ſed eſſe voluptatē, gaudium: Detur tamen hic locus accidētis problemati, ſi placet, ne ad unum problema unus tātum locus adhibitus videatur, & ad matęotechniā negationum tertius hic locus aggregetˊ. Quoniam autem adverſa cōvertuntur quidem ſex modis, contrarietatē autem faciunt quadrupliciter complexa, oportet accipere adverſa quocūq; modo utile fuerit & deſtruenti & conſtruenti. Hîc forma cōmunis eſt adverſorū antea hoc Topico confuſa. Amplius ſi eſt aliquid contrariū accidenti, ſi ineſt ei, cui dictū eſt accidens ineſſe: Tertiò jam confunditur forma adverſorum. Aut ſi quid tale dictum eſt de aliquo: quod cùm ſit, neceſſe eſt contraria ineſſe. Hîc forma communis non eſt, ſed calceus formâ adjunctorum formatus: ubi etiam adverſorū forma quarto loco conturbatur. Rurſus ſi poſitū eſt accidens, cui eſt aliquid contrariū, conſiderandū ſi & cōtrarii ſuſceptivū, quod & accidentis eſt. Hoc loco duplex forma communis conturbatur, & ſubjecti & adverſi. Quoniam autē oppoſitiones ſunt quatuor, conſiderandū ex contradictionibus è converſo ex cōſequentia interimenti & cōſtruenti. Hîc generalis argumenti forma confunditˊ: contradictio ſiquidem, ſpecies eſt adverſorum. Veruntamen eſt operæpretium iſtius loci Dialecticam ſapientiam iſto loco conſiderare: Receperat ſe traditurū artes proprias accidentis, quia communem omnium problematum doctrinā nō putabat inveniri poſſe: Non ſolū reprehendo, quòd illam cōfundat doctrinam communē omnium problematū, ſed maximam negligentiam in hoc Eubulide neſcio quo demonſtro, qui ſyllogiſmorū modos pro argumentis in inventione ponit, quod Analytico primo itidē factū in inventione medii: Nā hic locus, quā doctor vocat cōtradictionis è cōverſo cōſequētiam, ſecūdus modus eſt ſyllogiſmi cōnexi, in quo tollitˊ conſequens, ut tollatur antecedens: hoc nempe modo, quo magiſter ipſe concludit:

Si homo eſt, animal eſt:
Non eſt autem animal:
Non igitur homo,

An hoc eſt invētiōis locos præſcribere, ſyllogiſmi modos pro argumētis ꝓponere? At dicet aliquis (qui æquior eſſe volet, & doctorē Topicū excuſare cupiet) tēpore Ariſtotelis nōdū erāt inventi ſyllogiſmi cōnexi, diſcipuli ejus invenerunt, Theophraſtus & Eudemus. Verùm hoc eſt quod dico, doctorem hunc ignoraſſe ſyllogiſmi formā, quā pro argumento ſtatuit in invētione: Ac in hoc fallitˊ dupliciter, & quòd pro argumēto, ſyllogiſmi formā proponit, & quòd argumentū putat eſſe à cōtradicētibus in illo diſputādi genere. Separa enim quæſtionē ejus argumētationis, quæ cōcluditˊ, tū intelliges nō eſſe cōtradictiōis argumentū: Quæſtio eſt, an homo ſit pro argumento ſumo animal, genus hominis, non contradicens, & ita concludo:

Si homo eſt, animal eſt:
Non eſt autem animal: *Non igitur homo.*

Hoc genere cōcluſiōis, & cauſſæ & facta & cætera argumenta, non contradictio ſolùm concludi poteſt:

Si homo eſt, eſt animal rationale:
Non eſt animal rationale:
Non eſt igitur homo.
Si ignis eſt, calefacit:
Non calefacit: Non eſt igitur ignis.

Nec ſequitur ſi idem negetur & affirmetur, contradictióque ſit in quadam argumẽtationis parte, iccirco argumentum contradictionis eſſe: argumentorũ enim ratio é re metienda eſt, ad quam totam cõparata & teſtimonia pertinent: ad alteram ejus partem, cauſſæ, facta, & cætera argumenta. In adverſis autẽ conſiderandum ſi adverſum, adverſum ſequatur, an contrà ſeipſa conſequentia, an é converſo & interimenti & cõſtruenti. Hic communis forma adverſi eſt, jam ſæpiús, & pari cum proxima feré confuſione. Similiter autem in adverſis & in privationibus & habitibus reſpiciendum. Privantium talis eſt hîc feré confuſio, qualis contradicentium pauló anté forma eſt cõmunis: privantia enim ſunt in oppoſitorũ principe inventionis loco, qualis feré relatorum confuſio ſequitur. Similiter autem habitui & privationi, & in iis quæ ſunt ad aliquid, utendũ. Forma argumenti communis eſt: relata enim é contrariorũ genere ſunt ſub oppoſitis: rurſus in conjugatis & caſibus & interimenti & conſtruenti. Hîc communis eſt argumenti forma: conjugata enim in locis inventionis generalem partem obtinent. Diſtinguit autem doctor conjugata á caſibus, ut conjugata, nomina ſint, ut juſtus juſtitia: fortitudo, fortis: hinc derivata adverbia ſint caſus, velut iuſté, fortiter: Quod diſcrimẽ ridiculum eſt, & á magiſtro, hoc ipſo loco deriſum. Ampliús in generationibus & corruptionibus & effectivis corruptivis, & interimenti & conſtruenti. Cauſſarum efficientium forma communis cũ aliquo oppoſitorum calceo hîc miſcetur: res enim corrumpitur á contrario. Rurſus in ſimilibus, ſi ſimiliter ſe habẽt. Similitudinis verbo hic author abutitur, & ſimilia pro paribus uſurpat. At parium forma hîc eſt, ſicut loco proximo. Conſiderandum autem & in uno & in pluribus, ſi ſimiliter ſe habet. Rurſus ex magis & minús. Hîc forma communis eſt imparium, majorũ nempe & minorum. Ampliús uno de duobus dicto, ſi cui magis videtur ineſſe, nõ ineſt, nec cui minús: & ſi cui minus videt̃ ineſſe, ineſt, & cui magis. Maximé ſunt minorũ & majorũ, ut in proximis locis. Rurſus duobus de uno dictis, ſi quod magis videt̃ alii ineſſe, nõ ineſt, neq; qđ minús: aut ſi qđ minús videt̃ ineſſe, ineſt, & qđ magis. Ampliús duobus de duobus dictis, ſi quod alteri magis videtur ineſſe, non ineſt, nec reliquum reliquo: aut ſi quod minús videtur alteri ineſſe, ineſt, & reliquũ reliquo. Ampliús ex eo quod ſimiliter ineſt, vel videtur ineſſe, tripliciter, quemadmodum in eo quod magis, ut in poſterioribus tribus dictis locis dicebatur. Parium forma communis eſt: Sic veró Topicus magiſter ſimilia dicit, pro paribus: neq; reliquis topicis ulla ſimilitudinis erit mentio, niſi forté octavo topico. Ampliús autem ex appoſitione. Calceus eſt magnificus, ſutoris Eubulidis ingenio, artificióq; coriario digniſſimus, formá adjunctorum formatus. Ampliús autem, ſi id ad quod eſt appoſitum, aliquid facit magis tale, quale erat, & ipſum erit ejuſmodi. Calceus excellentiâ par ſuperiori, effectorum formâ formatus. Rurſum ſi quid magis & minús dicitur, & ſimpliciter ineſt. Calceus eſt formâ comparatorum in qualitate formatus. Eodem autem modo cõſiderandum & in his quæ ſecundũ quid & quando, & ubi. Forma quædam adjunctorum hîc comprehenſa eſt, quãvis parum diligenter expoſita & diſtincta. Atq; hi ſunt duo & quadraginta loci ad problema ſimplicis accidẽtis, in quibus ſingulis intellectum eſt, quám multi eſſent ad hujus problematis inſtitutũ nõ neceſſarii, quám ineptis & ſophiſticis coriis calcei Topico artificio conſuti: Ariſtoteles jubet artium præcepta eſſe per ſe, id eſt homogenea, eſſentialia: Hæc coria tã inepta, non ſunt Dialecticæ Topicæ homogenea & eſſentialia: Præcepta igitur in topicis ne ſunto. Appellemus igit̃ huc ad extremum *καθόλου πρῶτον*, atq; Ariſtotelem ex ſua lege in hac cauſſa judicẽ audiamus. Generalia dicet generaliter explicãda, ſecus in legitima doctrina locus nullus eſto. At (inquã) ſecundũ topicũ generales invẽtiõis locos ad ſpecialẽ accidẽns quæſtionẽ accõmodavit. Imó vix credibili tautologia repetivit: Toties enim & hoc ordine ab hoc doctore ponunt̃, quoties & quo ordine hîc recitabo:

citabo: Itaq; hi ſunt, Species, definitio, ſubjectum, definitio, adverſa, genus, ſpecies, genus, definitio, notatio, adverſa, adverſa, adverſa, adverſa, contradicentia, adverſa, privantia, relata, conjugata, adverſa, efficientia, ſimilia, ſimilia, majora, minora, majora, minora, majora, minora, majora, minora, ſimilia, majora, minora, adjuncta. Quare concludet Ariſtoteles his topicis in legitima Logica nullum locum eſſe, inde generaliter educẽdum quicquid κατὰ παντὸς καὶ αὐτὸ, καθόλου πρῶτον fuerit, reliquũ quidlibet tollendum & abjiciendum.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XIII. IN TERtium Topicum.

De ſecũdi Topici inventione ad ſimplicis accidentis problema compoſita dictum eſt, ad tertium Topicum veniamus. Hic problema comparati accidentis inſtruitur: Primi enim libri capite quarto (nã hoc tertio libro nihil de hoc dicitur) id ita videtur dici, cum dictum eſſet, Annectantur autem accidenti & quæ ad invicem ſunt comparationes quolibet modo ab accidente dictæ, ut utrùm honeſtum, an quod cõfert, expetibilius: & utrùm quæ eſt ſecundùm virtutem, an quæ ſecundũ voluptatẽ, ſuavior vita: & ſi quid aliud ſimiliter his eſt dictũ: in omnibus enim talibus utri magis prædicatum accidit, quæſtio fit. Hic dicitur omnes comparationes accidentis, problemati accidentis ſubjici. Verùm quamobrem ad iſtam accidentis comparati quęſtionem ſeparati loci traduntur? an non qui jam traditi ſunt, ſatis eſſe poterãt? per eos enim omnis eſt veri & falſi cõſideratio, ut jam dictum. Quid igitur? an non poteſt (hoc enim jam expecto) una utriuſq; accidentis & ſimplicis & comparati eſſe inventio? At nos omnium quæſtionum communem inventam eſſe docuimus: at topicus author ſe tradidiſſe penè eſt gloriatus: Omnia igitur Topica reliqua vana & inutilia ſunt: ſed tamen ea conſideremus. Promittuntur artes per quas de omni comparationis quæſtione diſſeramus: quomodo? tradet hoc tertio Topico locos tres & octoginta, per quos diſputetur una quæſtio moralis, de duobus utrũ melius, aut quid de pluribus optimum: nec quicquam præterea. Doctoris hujus novus ſemper aliquis exiſtit error. Secundo Topico pollicebatur ſe traditurum artes proprias ad problema accidentis: dedit communes omniũ problematum, omniumq; quæſtionũ: Tertio pollicetur ſe traditurum artes de comparati accidentis quæſtione: at duntaxat unam moralem (neq; enim omnẽ moralem, quæſtionem inſtituit) utrum melius, quid optimum: de cæteris & moralibus & phyſicis & dialecticis & mathematicis, & innumerabilium rerum comparati accidentis quęſtionibus obmuteſcit: utrum fortius, juſtius, ſapientius, quid fortiſsimum, juſtiſsimum, ſapientiſsimum? utrum calidius, humidius, frigidius, ſiccius, quid calidiſsimũ, frigidiſsimum, humidiſsimum, ſicciſsimum: utrum acutiùs, certiùs diſputatũ, quid acutiſsimè, certiſsimè diſputatum: Denique de tam multis comparati accidentis quæſtionibus, quæ (excepta doctoris una quæſtione morali) in omnibus artibus ac diſciplinis, in omnibus etiam rebus, quæ nulla diſciplina comprehenduntur, fieri moveriq; poſſunt, magiſter obmuteſcit. Magiſter igitur hìc etiam labitur, qui una expetendi & fugiendi cõparatione credit omnes comparati accidentis quæſtiones contineri. Loci ſunt (ut dixi) tres & octoginta pueriliter ad illam quæſtionem expetendi, & fugiendi accommodati, quorum pleriq; ſunt communes loci hìc confuſi, & ad problematis pedem Topico artificio arctati. Non exponam ſingulatim, ut antea, qui non neceſſarii loci conturbentur, cùm totus liber ad nullum dialecticæ inventionis uſum neceſſarius ſit. Legẽ Ariſtotelis tantũ hic appellabo. Qui doctrinã à generalẽ ſpecialiter inſtituit, ſophiſticè inſtituit: At tertii Topici author generalẽ dialecticæ inventionis doctrinã non ſolũ ad ſpecialem accidentis comparati quæſtionem aſtringit, ſed ſæpius etiã repente. Sunt eum locorũ capita hoc modo & ordine iterata. Efficiẽs, per ſe, adverſum, ſubjectum, ſubjectum, ſubjectum, finis, finis, finis, finis, finis, efficiens, adverſum, ſimile, ſimile, ſimile, adjuncta, cõjugata, effecta, par, majora,

minora, adverſum, adverſum, conjugatũ, efficiens, majora, minora, paria, gen⁹, ſpecies. Hæc inquã tautologia eſt tertii topici. Concludet igitur Ariſtoteles hoc topicũ ſophiſticè cõpoſitũ, nec ei locũ in legitima logica ſtatuet. Addamus veró, quod in hoc judicio ſuperioribus libris perſecuti ſumus: Topicus doctor exiſtimavit ſibi tot ſpecialibus ꝓblematis inventionẽ Dialecticam diſpertiendã eſſe, quia cõmunis omniũ quæſtionũ doctrina reperiri nõ poſſet. At ea ut in Categorematis, ſic in Categoriis, Interpretatione, abundãtia propoſitionũ, invẽtione medii, Analyticis poſterioribus, primo Topico, ſecũdo Topico, ſic tertio deniq; hoc Topico cõfuſa eſt: nec ullũ omnino propriũ præceptũ deſcriptũ, ut receptũ tamẽ erat, per quod cõparati accidentis omnis quæſtio tractaretur: quinetiã illa generalis & cõmunis doctrina laudata eſt, quam negaverat magiſter inveniri poſſe. Attẽdamus veró etiam hîc Topici doctoris vocẽ, qua cõmunes loci (quos negat inveniri poſſe) jam invẽti laudantur: Sumẽdi (ait) quàm maximẽ univerſales loci, de eo quod eſt magis & minùs: nã ſic ſumpti, ad plura utiles erunt. Quid autẽ poteſt ad falſam illam tantæ cõfuſionis cauſſam hoc teſtimonio eſſe valẽtius? At laudẽ iſtam geminat, & inconſtantiã ſuã nova teſtificatione condẽnat. Maximé (ait) opportuni & cõmunes loci, qui ſunt ex oppoſitis & cõjugatis & caſibus. Ergo hic poſterior magiſter ſapientior eſt illo priore: Prior enim ille negavit locos omniũ quæſtionũ cõmunes inveniri poſſe: & ſi invenirẽtur, inſuaves fore: At hic poſterior cõmunes locos tradit: licet cõfuſé, tamẽ tradit: Ergo poſſunt inveniri, quia inventi ſunt. Idem poſterior magiſter eoſdẽ locos magnificè cõmendat, & ſumma laude celebrat: Nõ ſunt igitur & inſuaves & injucundi, quia tantopere ab eo celebrati. Concludamus igitur totã hanc de problemate accidentis in ſecũdo & tertio topicis quæſtionem. Doctor propriã accidentis diſputationẽ Dialectico ſuo propoſuit: verùm parũ Dialecticé, quia quæſtio omnis in univerſum, nõ hæc aut illa imó res qualibet & quæ ſit & quæ nõ ſit, Dialectico ꝓpoſita eſt: & de accidẽte in Dialectica præcipi nihil neceſſe eſt. Doctor credidit nullam inventionem omnium problematum communem inveniri poſſe: atq; iccirco ſingulorum problematũ inventiones ſibi neceſſarió tradendas putavit: verùm nequaquam Logicé: nam communis illa inventio ante natum eum invẽta erat, & ab eo ipſo tot jam libris quanvis confuſa, adhibita tamen & laudata, & probata, & celebrata. Doctor proprias artes ſe traditurum recepit, quibus quæſtionem accidentis & ſimplicis & cõparati diſputare proprié & explicare poſſemus, an eſſet hujus illud accidẽs, an non: an eſſet hujus illud de duobus magis accidens, quàm alterum: an de pluribus maximé: centum & triginta locos accumulavit: quorum unus, tres ad ſummũ, magnificam illam negationum matæotechniam declarãt.

Si prædicatur ut genus, non eſt accidens:

Si definitio accidentis ei non convenit, non eſt accidens:

Si eſt idem ſibi, non eſt accidens.

Loci problematis (quod doctor ſibi propoſuerat) ꝓprii nulli præterea ſunt: Cogitemus igitur an aliqua ſit negationum & inficiationũ doctrina: id eſt, quæ nihil ſcire nos doceat, an Ariſtotelis illud κατὰ παντὸς falſum ſit. Tales veró reliquorum Topicorum matæotechniæ feré ſunt ex negans ſophiſmatis, non ex præceptis rem certã & ſolidam inſtituentibus: quæ lectori libero ingenuoq; non dubito quin magnã admirationem ſint allaturã, cum videat publicas omnium gentium ſcholas tot ſæculis tali nugarũ genere occupatas fuiſſe. Et creté nihil adhuc invitius, ingenioq; meo ingratius explicavi, ut nõ ab aliis tantũ, ſed à me ipſo venia penè poſtulãda ſit, quód de tantis ineptiis diutius agam, attamẽ quia cœpimus eſt pergendum.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XIIII IN *quartum Topicum.*

SEquitur ad problema generis, inſignis negationum & inficiationũ matæotechnia, & quidem ex locis ſeptem & octoginta, quorum duo tantùm docent quid ſit genus non nova tamen aliqua doctrina, ſed repetita

generis

generis de primo Topico definitione: hi duo loci numero nonageſimo & nonageſimo primo diſtinguuntur à noſtratibus typographis: in iis ταυτολογία eſt: in cæteris, ſi quid generis proprium continent, negationes ſunt: exceptis paucis quibuſdam locis communibus, quorũ quidam non propriè de genere, ſed ut in accidente, communiter de vero & nõ vero loquuntur: Reliqui loci, inficiationes habent, per quas quid nõ ſit genus, id eſt de genere, beneficio tanto doctoris Topici nihil intelligamus. Atque hic liber & duo proximi Topici libri, negationum meritò queant appellari. Quibus in rebus ſi noſtri homines doctoris Topici ingenium & artificium contemplati fuerint, tum facilè intelligent, ſi ab Ariſtotele è ſcholaſticis hominum imperitorum cõmentariis iſta collecta ſint, tamen ab Ariſtotele ſecundũ leges Ariſtotelis nunquam probata, nunquam æſtimata eſſe. Quod ut intelligant, non multis ad refellendum argumentis, ſed facili & perſpicuo exemplo tãtùm opus eſt, ut res ante oculos ponatur. Sit igitur, qui nunquam fuerit, qui neque (ut ſpero) futurus ſit: ſit tamen (quoniam liberæ ſunt noſtræ mentes, & quidvis facilè cogitantes intuentur) ſit nobis, inquam, Grammaticus aliquis, Donatus (ſi lubet) qui cùm nomen ita definierit, Nomẽ, eſt pars orationis cum caſu, corpus aut rem propriè communiter ve ſignificans: Tum ad ſophiſticam & inanem ingenii oſtentationem glorietur ſe traditurum artem, per quam mirãdum in modum nominis cognitionem aſſequamur: atq; ex definitionis illius particulis ſophiſmata iſta deſcribat:

Si non eſt pars, non eſt nomen:

Si non eſt pars orationis, non eſt nomen:

Si non cum caſu, non eſt nomen:

Si non corpus aut rem ſignificat, non eſt nomen:

Si non propriè aut communiter ſignificat, non eſt nomen:

Si nihil ſignificat, non eſt nomen.

Repetat idem etiam ſæpius, ut magiſter quintum locum in decimo quarto, & efficiat ex duobus unum:

Si non ſit pars orationis cum caſu, non eſt nomen.

Tum verò ad has ineptias augẽdum, ex aliis partibus orationis dicat:

Si eſt pronomen, non eſt nomen:

Si eſt verbum, non eſt nomen:

Si eſt participium, non eſt nomen:

Si eſt conjunctio, non eſt nomen:

Si eſt præpoſitio, non eſt nomen:

Si eſt interjectio, non eſt nomen. Tandem

Si eſt cum caſu, & propriè communiter ve ſignificet corpus aut rem, & pars orationis, eſt nomen:

Et ſimiles undique ineptias colligat. Poſtremò ex tam variarum partium inter ſe repugnantia, locos ſeptem & octoginta conficiat, ut par ſit Topico doctori. At Topicus magiſter iſtam nobis ſophiſticam in hoc Topico præbuit: Definit enim primo Topico genus his verbis: Genus eſt, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in eo quod quid eſt: ſic Donatus nomen definierat. Ex definitionis hujus particulis locos exornavit mirificatũ negationũ: quos ſuis numeris (ut in libris noſtratibus vulgò diſtinguuntur) diſtinguam: Et primùm ex ea particula, quæ ſignificat generi multas eſſe ſubjectas ſpecies, de quibus dicatur:

8 & 79 *Si de nulla ſpecie prædicatur, non eſt genus.*

31 *Si de unica ſpecie prædicatur, non eſt genus.*

2 *Si de aliqua ſpecie ſibi ſubjecta non prædicatur, non eſt genus.*

18 *Si definitio generis nõ prædicetur de ſpecie, non eſt genus.*

9 *Si de pluribus ſpecies, quàm genus dicitur, non eſt genus.*

10 *Si de æqualibus ſpecies et genus, nõ eſt genus.*

Hi loci ac ſimiles obſcurioribus etiã verbis à doctore deſcripti ſunt, ex ea particula definitionis, quę ſignificat, genus ſpecies plures habere, de quibus affirmatur: eadem illa generis definitio primo Topico poſita, declarat non eſſe genus, niſi prædicetur de differẽtibus ſpecie: itaq; doctoris acumẽ hîc elaboravit.

80 *Si non differunt ſpecie, de quibus prædicatur, non eſt genus.*

11 *Si non ſit alicujus indifferentium ſpecie, nõ eſt genus.*

His tricis ſubtiliores longè, quàm ab illo Grammatico fingi potuiſſent, adduntur: per quas (tantus orator eſt hic magiſter, qui ex una definitione librum unum confecerit: qui è re minima maximam fecerit) tamẽ magis probatur nõ eſſe ſpeciem, quàm non eſſe genus.

7,16,21 *Si ſpecies prædicatur de genere, non eſt genus.*

7 *Si de aliquo prædicatur ſpecies, de quo non genus, non eſt genus.*

Eadem illa definitio generis docebat nō eſſe genus, niſi prædicaretur in quid: hos igitur repentè pro ſuo excellenti in ſophiſmatis cōminiſcendis ingenio locos magiſter exornavit: In quibus etiā admiſcuit repugnantiam aliorum categorematum, accidentis & differentiæ, ut Donatus ille, verbi & participii.

3 *Si non prædicatur in quid, ſed ut accidēs, non eſt genus.*

82 *Si eſt in ſubjecta ſpecie, ut accidens, non eſt genus.*

4 *Si definitio accidentis ei conveniat, non eſt genus.*

71 *Si prædicatur ſecundùm quid, & per accidens, non eſt genus.*

Omnes hi loci monſtrant genus non eſſe, ſi prædicatur in quale, ut accidens: Similes ineptiæ ſunt in hoc Topico, quę demonſtrant, genus nō eſſe ratione differentiæ, quæ item in quale, non in quid prædicatur: ſimiles, inquam, ſunt locis permultis (ne ipſe ineptus ſim, doctoris ineptiis tam anilibus ad verbū recitandis) ſimiles, inquā, ſunt numero 23, 24, 76, 92, 93, 94. Conſideremus enim qualis hæc ſapiētia ſit: an ſit ulla diſciplina, quæ nihil definiat, nihil partiatur, nullas generū partes aut ſpecies interpretetur, nullū ſolidæ cognitionis uſum præſtet: Id eſt (ut Ariſtoteles verè docet) quę nullum de omni, per ſe, univerſale primò præceptum habeat: denique omnia illa veritatis juſtitiæ, ſapiēnæ, principia falſa, injuſta, ſtulta ſint: tum aſſumamus Topico quarto non definiri genus aliter, quàm fuerat antea finitum: nullas ejus varietates, nullas differentias, nullum uſum, nullum fructum declarari: nullum denique generis præceptum de omni, per ſe, univerſaliter primò tradi, ſed inauditam Sophiſticam inſtitui. Aggregētur verò ad iſtam Grammatici ſophiſmatis elegantiam in hoc Topico ſolex ab æquivoco, metaphora, poteſtate, potente, paſsione, univoco, pejore: Tum verò concludamus, quàm multi loci nō neceſſarii, hoc Topico confundantur, cùm totum Topicum inutile & vanum ſit. Ariſtotelis ſecundum ſuas leges judicantis judicium ſententiamq; hic attendamus: Qui generalem doctrinam ſpecialiter inſtituit, ſophiſticè inſtituit. At generalis argumentorum doctrina in quarto Topico ad ſpeciale generis problema inſtituitur, & frequēter eadē iteratur, hoc quippe ordine numeroq;. Species, ſpecies, ſpecies, ſpecies, ſpecies, ſpecies, ſpecies, genus, genus, gen⁹, ſpecies, genus, ſpecies, definitio, forma, forma, adverſum, ſpecies, ſpecies, ſpecies, forma, forma, forma, ſpecies, genus, adverſum, adverſum, adverſum, adverſum, adverſum, adverſum, adverſum, adverſum, adverſum, adverſum, cōjugatum, ſimile, efficiens, efficiens, privans, privans, cōtradicens, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, privās, privans, ſubjectum, totum, pars, efficiens, genus, forma, ſpecies, ſpecies, majora, minora, majora, paria, majora, paria, paria, forma. Hi loci communes ſunt quarto Topico nō expoſiti, ſed confuſi: Concludet igitur Ariſtoteles totum hoc Topicum ſophiſticum eſſe, & è legitimæ logicæ finibus exterminandum. Sed tamen primaria illa intentio hic etiam concludatur. Dicebatur quinto capite primi Topici, communem invētionem omnium problematum inveniri non poſſe: At refutatum eſt hoc antea in Categorematis, Categoriis, Interpretatione, abundantia propoſitionum, inventione medii, poſterioribus Analyticis, primo Topico, ſecundo Topico, tertio Topico, & nunc quarto iterum refellitur. Recipiebat iccirco Topicus ſe proprias artes ad problema accidentis antea ſecundo & tertio Topico, nunc quarto ad problema de genere deſcripturum: ſecundo & tertio nihil proprium accidentis præter matæotechniam trium inficiationum: quarto nihil item propriū generis præter inficiationum & negationum non trium, ut antea, ſed ferè perpetuarum vanitatem inauditam, & propè incredibilem propoſuit. Quid ergo hîc amplius contra iſta à me dici neceſſe eſt? Comparemus Grammatico illi delirantem magiſtrum Topicum: & audeamus à nobis ipſis quærere, quorſum iſta diſcantur, quem fructum ſint allatura. Dixi duobus ſuperioribus Topicis, tātam centum & triginta locorū confuſionem inutiliter ad accidētis problema accōmoda-

mo datū eſſe, quia in tota Dialectica verè tradita nihil omnino neceſſe ſit, quid ſit accidens, explicari: & ſi neceſſe eſſet, ad id tāmē artes proprias ab hoc magiſtro non deſcribi. Hic pauló aliter de genere ſentio: generis in Dialectica valdé neceſſariam cognitionem eſſe: ſed eam confirmo & demonſtro, quarti Topici nugatoriis ſophiſmatis nihil adjuvari: imó valdé ac vehementer impediri atque obſcurari.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XV. IN *quintam Topicum.*

Quinto Topico ſequitur problema proprii, cujus nulla eſt in Dialectica omnino neceſſaria explicatio, ut in Porphyrio dixi: nec magis neceſſe eſt in Dialectica præcipi quid proprium ſit, quám quid commune: hoc totum ſenſu communi, & verbi intelligentia populari contētum eſt: quamvis hîc magiſter proprium non exponit ſolúm pro categoremate ſimplici, ut Porphyrius videtur, ſed etiam pro definitionis ſpecie, quam in noſtra Dialectica, deſcriptionē nominavimus: Sed tamē nomine proprii nō decet deſcriptionem confundi: nec magis deſcriptio, quám definitio ꝑpria vel eſſe vel dici debet: & hæc ipſa proprietatis converſio tam eſt totius cum partibus, quám definitionis cum definito. Attamen ut in accidentis (cujus item præceptio in Dialectica nulla neceſſaria eſt) ſic in proprii problemate jactationem ſuam ſophiſticam Topicus doctor habuit, attingam breviter locos non neceſſarios hîc cōfuſos: tametſi totus liber (ut dixi) omnino inutiliter in logica traditur: Principio non definit proprium: genera ejus tria enumerat, quod per ſe & ſemper, quod ad aliquid, quod aliquando: ex tribus propoſitis generibus duo rejicit: & ſe vitioſé partitum eſſe oſtendit, qui in partitione comprehenderit, quod redundaret & amputandum eſſet: tertium retinet, quod per ſe & ſemper ineſt: ad quod pollicetur ſe artem Topicam propriam & certam accommodaturum. At nullum ferè præceptum toto libro de illo proprio, ſed omnia ſunt pené de proprio quodam fictitio ſecundúm quid, & quidem falſo. Locos ſingulos percenſebo, & numeris ut antea, diſtinguam: Principium Topici quinti doctor orditur á ſordibus ſophiſmatum, petitione principii, homonymia, nugis: ſic enim vocātur hæc in Elenchis, cum ex ignotioribus diſputatur, cúm ambigué diſputatur, cúm ſæpiús idem inutiliter dicitur: quorum tamen locorum omnes qui affirmāt, falſi ſunt, ſi abſoluté ſumantur: non enim ſequitur, ſi notius, ſi non ambiguum, ſi non frequenter dictum, ut proprium ſit. Loci alii ſimilis falſitatis ſequūtur, quibus probare vult non bene aſsignatum eſſe proprium:

16 *Si nomen commune in proprio non bene aſsignatum.*

At falſo, ut hîc (Subſtantia, res quæ per ſe ſubſiſtit) bene aſsignata eſt iſta deſcriptio, & non poteſt in ea non eſſe nomen aliquod maximé commune.

18 *Si plura propria proponit.*

At falſum: ſæpe enim res ex multis proprietatibus deſcribitur.

20 *Si eodem utitur cum ſubjecto; aut ejus aliquo.*

At falſum: nam omnis deſcriptió aliquid eſt ſubjecti.

22 *Si utitur oppoſito, aut ſimul naturâ, aut poſteriore.*

At falſum: Sæpe enim deſcribitur res ex adverſis: ſæpe ex relatis (quæ naturâ ſunt ſimul) ſæpe ex adjunctis, quæ ſunt poſteriora.

24 *Si non ſemper convenit.*

Sic Donatus, Si non eſt pars orationis, non eſt nomen: hoc enim fuerat in definitione proprii, ut ſemper & ſoli cōveniret.

26 *Si proprium nunc aſsignans, id non exponit.*

Hoc proprii genus rejecerat primó, & propoſuerat ſe nihil de eo dicturū: hoc falſitatis non eſt, ſed inconſtantiæ & oblivionis.

28 *Si non manifeſtum, niſi ſenſu.*

At falſum: Nam multa rerum ſingularum & ſenſibilium propria ſunt, quæ non niſi ſenſu primúm percipiuntur: & nihil eſt omnino ſenſu perceptū, quod mente apprehendi nequeat.

30 *Si eſt definitio.*

Si eſt pronomen, ait Donatus, nō eſt nomē: Sic magiſter, Si eſt definitio, non eſt proprium.

23 *Si non aliquid, in quid ponit.*

At falſum: Infinitæ enim deſcriptiones ſunt, quæ nullū genus poſsint habere.

Ex oppoſitis autem horum locorum & contrariis locis, id eſt ex affirmationibus, magiſter docet proprium cognoſci ſecundùm loci ipſius rationem: ſed cùm inficiatio ipſa falſa aut inepta ſit, quid poteſt affirmatio cōtraria doctrinæ præſtare? Deinceps autem pollicetur artem communem, utrùm proprium omnino ſit: loci ſunt:

34 *Si nulli convenit, non eſt proprium.*

Sic Donatus, Si nihil ſignificat, nō eſt nomen. Contrarium locum tradit magiſter, ſed falſum: quia definitioni convenit, omni convenire.

36 *Si non converſim dicitur, nō eſt proprium.*

Sic Donatus, Si non eſt cum caſu, nō eſt nomen. Quartus artificii illius ſingularis locus: contrarium locum tradit magiſter ad affirmādum: ſed falſò, quia definitioni convenit.

38 *Si ſubjectum eſt proprij, non eſt proprium.*

Sic Donatus, Si eſt verbū, non eſt nomen: quartus Donati locus. Cōtrarium locum tradit magiſter ad affirmādum, ſed falſò, quia reliquis categorematis convenit.

40 *Si indicat quid eſt, non eſt proprium.*

Sic Donatus, Si nō propriè aut cōmuniter ſignificet, non eſt nomen: fuerat enim in definitione proprii, ut quid eſt, non ſignificaret: & ſimilis fuerat decimus tertius locus capitis antecedētis. Contrarium locum ad affirmādum docet magiſter, Si non quid eſt, indicat, & converſim prædicatur, eſt proprium. Sic Donatus, Si ſit cum caſu, & pars ſit orationis, corpus aut rem propriè communiter've ſignificans, eſt nomē: hæc enim definitio proprii fuerat primo Topico poſita.

42 *Si non ſimul, ſed prius vel poſterius, non proprium.*

At repugnantem & cōtrarium locum poſuit ſuperiore capite: & ſeipſum nunc condemnat: cōtrarium etiam locum ad affirmandū tradit: ſed falſò: ſimul enim definitio eſt cum re definita, non ſolum proprium.

Si ſimul inſit, non terminus, neq; differentia.

Sic Donatus, Si eſt cum caſu, neq; verbum, neq; participium, eſt nomen.

44 *Si eorundem non eſt idem proprium, non eſt proprium.*

Sic Donatus, Si idem non eſt nomen, non eſt idem nomen: locus octavus Donati, cui contrarius additur. Simili ſapientia locus ſequitur:

46 *Si eorundem ſpecie, nō ſit idem ſpecie proprium, non eſt proprium.*

Sic Donatus loco nono, Si eadē ſpecie nomina non ſunt, nō eſt nomen: contrarius item additur.

48 *Si non proprium & ſubjecti & accidentis, non proprium.*

Hunc locum ſophiſticum vocat magiſter: nihil refellamus: ſimus hîc ejus teſtimonio contēti ad ſophiſtam probandum, quem hāc Sophiſticam docere nihil pudeat.

49 *Si quod naturâ eſt, aſsignat per ſemper, non proprium.*

Hic locus eſt ſophiſticus doctori, ſed nobis ridiculus eſt: non enim bipes & rationale ſignificat, quod duos pedes nunc habeat, aut nunc utiq; ratiocinetur, ſed quod naturâ tale ſit: contrarium tradit magiſter ad affirmandum, ſed falſò: definitioni enim id poteſt cōvenire.

51 Proponit deinde doctor difficultatem aſsignandi proprii, & longa ſatis oratione: Tum ſequitur,

55 *Si idem ejuſdem ponitur proprium, non eſt proprium.*

Sic ne Donatus quidem vel ſomniās poſuerit. Contrà verò (ait magiſter) ſi non eſt ejuſdem, & cōverſim dicitur, eſt proprium: verùm id falſò: definitionis enim commune eſt.

57 *Si quod proprium totius dicitur, de ſimilibus partibus non dicitur, non eſt proprium.*

Calceus eſt ex diviſionis loco: Contrarius locus, quem tradit magiſter, falſus eſt, & communis cum definitione. Sequuntur loci undecim cōmunes ex adverſis, relatis, privantibus, contradicentibus, conjugatis, paribus, quos ſi perpetuò ſecutus eſſet magiſter, quanvis artem communem ad hanc ſpecialem proprii quæſtionē inſipienter aſtrinxiſſet, tamē in tam fœdas tenebras nō incidiſſet.

80 *Si quod ſecundum eſſe dicitur, non eſt ejus quod ſecūdum eſſe dicitur, propriū, non propriū.*

Hic calceus eſt doctoris ſutrina digniſſimus, qualis & cōtrarius ad affirmandū.

82 Si

82 *Si ideæ non ineſt, non proprium.*

Calceus minſitus, & dignus qui inter magiſtri Topica calceus princeps habeatur: qualis eſt ei contrarius. Sequuntur deinceps loci ſeptem ex comparationibus parium, majorum, minorum, parium: Oſores videlicet inter corvos. Poſtremi duo ſunt ex potentia & abundantia planè inepti. Atq; hos præclaros de problemate proprii locos non dico falſos, non dico ſine uſu, non dico ſophiſticos, ſed tam ſtupidos, tam ſine ulla communis ſenſus, ac judicii mica cùm conſidero, non exclamare profectò nõ poſſum, Pro ingenii humani pudor, tandiu homines his tricis apiniſq; falli, decipi, hebetari!

O' *curvæ in terras animæ, & cœleſtiũ inanes!*

Hæc ſophiſmata falſa, inania leguntur, clamantur tandiu: veritatem, uſum, utilitatem nemo adhuc tot ſcholis, tot tẽporibus exquiſivit? Excitate vos ſcholaſtici profeſſores, cogitate aliquando, & attentè & dialecticè has Topicas tenebras perpendite: & tandem aliquando de magnificis potius atque æternis legibus ac principiis quàm de fallaci & captioſo nomine cogitate. Ariſtoteles iſta collegerit (quod equidem nõ arbitror, ut initio magnis argumentis propoſui, ſed tamẽ collegerit ex Eubulide aliquo, id non eſt ſatis) conſideremus potiùs, utrum ad ſuas leges æſtimarit & probarit. Sophiſta eſt (inquit ariſtotelea lex) qui generalem doctrinã ſpecialiter docet, at Topicus quinti Topici author docet in quæſtione ſpeciali de proprio generalem dialecticæ inventionis & omnium quæſtionum communem doctrinam. Capita ex nominibus nudis proponãtur, periſſologia & cõfuſio ſic erit: Adverſum, adverſum, definitio, definitio, ſubjectũ, ſubjectũ, ſubjectũ, cõjugata, ſpecies, pars, totũ, pars, totũ, adverſa, adverſa, relata, relata, privantia, privantia, contradicẽtia, adverſa, adverſa, conjugata, conjugata, adverſa, conjugata, adverſa, conjugata, paria, paria, paria, paria, majora, minora, majora, minora, majora, minora, majora, majora, contradicentia, contradicentia, contradicẽtia, contradicentia, contradicentia, minora, paria, paria, paria, paria, paria, paria, ſimilia. Concludet igitur Ariſtoteles magiſtri hujus tam ſophiſticam eſſe doctrinam, & procul à Logica rejiciẽdam. Atq; inde recordemur quã vanus, quàm ſopitus ſit magiſter, q neget cõmunes locos inveniri poſſe, quos ꝑpetua quinq; topicorũ librorũ caligine adhuc ſepelivit.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XVI IN *ſextum Topicum.*

DEfinitionis problema poſtremum eſt, quod (ut accidentis) duplex magiſter facit: aut enim definitio quæritur, aut de eodẽ & diverſo: quod primo Topico placet annexũ eſſe definitioni, ut comparationes connexas eſſe accidenti: De definitione autem ſexto Topico, de eodẽ & diverſo, ſeptimo diſputabitur. Dividit initio ſexti Topici, conſideratio hujus problematis in quinq; partes, ut cõſideretur, ſi definitio vera ſit, ſi nõ cõſtet ex genere ꝓprio, ſi nõ propria, ſi nõ definit, neq; quid eſt, dicit, ſi nõ bene definit. O' partitionem ineptam! Cætera vitia ejus prætermittã: unum hoc duntaxat quærã, quod quinto loco eſt, an poſſit eſſe definitio vera, conſtans ex proprio genere rei definitæ: propriè definiens quidẽ rem, & quid eſt ſignificans: quæ nõ rectè definiat. Quid eſt definitio? Oratio, quid erat eſſe ſignificans, ais primo Topico. At tu hic teipſum refelles, affirmas poſſe fieri, ut definitio non ſit, quanvis vera, quanvis in genere proprio cõſtituta, quanvis propria, quanvis etiã (quod caput eſt) quid erat eſſe ſignificans. Quid eſt igitur? an doctorem, primo Topico falſum doctorem, an hic inconſtantẽ & levem eſſe malimus? Nũquam'ne de ſophiſticis hiſce peccatis & ludibriis liberè cogitabimus? Sed reliqua videamus: Primã hujus præclaræ diviſionis partem ad accidẽtis locos remittit, ut cognoſcatur, vera'ne ſit definitio: Quia (inquit) illic utrum verũ vel nõ verũ, omnis conſideratio fit: quãdo enim quod ineſt accidẽs, diſputamus, quod verũ eſt, dicimus: quãdo autẽ quod nõ ineſt, quod nõ verũ. Hic locus eſt citatus antea à nobis, ut cõmunẽ inventionis doctrinã in Topico ſecundo vel opinione doctoris Topici demõſtraremus.

Quod ad ſecundam & tertiam partem diviſionis de genere, deq; proprio attinet, nos ad generis & proprii locos remittimur: Ac quartam & quintam, partes proprias videlicet, ars deinceps inſtruitur. At negationũ & inficiationum tales nobis artes aperientur, quales in quarto de genere, & quinto de proprio deſcriptæ ſunt. Quintum membrum ante quartum exponitur: & dividitur bifariàm, quòd non bene definiatur, ſi quid obſcurum aut ſupervacuum fuerit. Deus bone, quoties præceptum de ambiguo confunditur in Categoriis, Interpretatione, Analyticis antea? Heu quoties in his Topicis? Initio autem ſuperioris Topici magiſter locos proprii exorſus eſt à ſophiſmatis tribus petiti principiũ, ambiguitatis, nugis frequẽter dicti: quæ vitia ſunt omnium argumentorum communia: hîc prætexit ſimilem telam, ut definitio improbetur, ſi obſcura: quod petitio principiũ eſt: ſi quid redundet in ea, quod eſt omniũ commune vitium argumentorum: Atq; hi loci contexuntur ad declarandum obſcurum, ut rectè definitum negetur, deinde reprehendatur.

6 *Si quid ambiguum, obſcurum.*

At magiſter in Elẽchis duo ſophiſmatum diverſa genera facit, obſcurũ & ambiguum: illud petitionem principii, hoc homonymiam vocat.

7 *Si metaphoram habet, obſcurum.*

At ô magiſter, metaphora clarior eſt plerunq; ſignificatione propria: & multis in rebus nomine carentibus, metaphora uti cogimur: & in poſterioribus Analyticis, analogia nominis concedit.

8 *Si inuſitata nomina, obſcurum.*

Verũ, ſed Grãmaticæ vitiũ hoc eſt, nõ Dialecticæ: & ſæpe antea monui, multa Grãmatica temerè in Logicis cõfundi.

9 *Si non propria nomina, obſcurum.*

Idem cum ſuperiore vitium.

10 *Si nõ manifeſta cõtrarij definitio, obſcurũ.*

Obſcurum eſt in definitione, & vitioſa eſt ipſa (ait) definitio, niſi ex ea, contrarii definitio intelligatur. Atqui ô magiſter, primo Topico definita erat abs te proba & certa, ut ais, definitio: Ex ea igitur vitioſa definitio debet intelligi. Attendite quid hoc loco cum doctore concludam: propoſitionem & aſſumptionẽ ab eo accipio:

Recta definitio vitioſam declarat:

Primo Topico poſita definitio, definitio recta eſt:

Primo igitur Topico poſita definitionis definitio vitioſam declarat.

Quid igitur opus eſt ſexti Topici tot negationũ matæotechnia, ubi vitia definitionis tam multa, laudes novę & virtutes nullæ demonſtrantur?

11 *Si lateat definitum, obſcurum.*

Sic de cæteris argumentis dici poteſt: ſi lateat cujus ſit ſpecies, obſcurũ genus: ſi lateat cujus ſit cauſſa, obſcurus effect⁹. Hæ ſunt doctoris artes de obſcuritate, quales videm⁹: nullã enim doctrinã definiẽdi, ſed matæotechniam negationũ continẽt. Succedit ſecundũ caput de redundantia totidẽ locis diſtinctum, per quos intelligamus aliquid redundare.

12 *Si commune nomen eſt, redundat.*

Locus hic nugatoriè etiã quinto Topico adhibitus eſt.

13 *Si eo ablato integra definitio manet, redũdat.*

Hîc redundantis eſt definitio.

14 *Si pars aliqua non ineſt toti, redundat.*

Hoc verò non eſt redundare potiùs, quàm falſum omnino eſſe.

15 *Si idem frequenter dicitur, redundat.*

Hic locus eſt ſecũdo cõprehẽſus, & hîc redũdat: & quintus eſt quinti Topici, & quo ſe vehemẽter, ut antea, accuſat magiſter, qui dicit idẽ tã frequenter, quàm frequẽter in omnib⁹ Topicis oſtendim⁹.

16 *Si univerſali dicto particulare additur, redundat: ut dubitari nullomodo poßit quantum ſit in diſſerendo vitium tautologiæ.*

Atq; hi ſunt ad redundãs cognoſcendum loci: ita tamen ipſi redundãtes, ut ſi quid eſſet redundãs, ignorares, exemplo te ſuo poſsint inſtruere. Ac his negationibus magiſter pueriliter altercatus eſt, quòd non bene eſſet definitum: quo modo eſſet bene definiendum, nihil omnino docuit. Sequitur poſtremũ caput Topico reliquo mirificis negationibus, & inficiationibus agitatum, an quid eſt, ſignificetur: quod ſolum proprium problematis de definitione inſtituti fuerat: Definitio enim (ut dixi) primo Topico definita eſt ratio, quid erat eſſe ſignificans: ut vel doctoris ipſius judicio ſuperiores decem inficiationum loci ſupervacanei ſint. Varii deinceps loci ſequuntur ſophiſtica altercatione cum ſuperioribus ſimiles, quorum ſeptem proximi

ex iiſ

ex iiſdem illis Lernæ ſophiſticæ capitibus oriuntur: ex petitione nempe principii, ſi ex non notioribus & non prioribus: ſic magiſter hanc præclaram negationũ matæotechniam ex ſophiſmatum coriis ſæpiús conſuit & reſuit. Deinceps autem vanæ confuſionis calcei conſecuti ſunt, ex proprietatibus definiendi primo capite poſitis: quía definitio ad totã rei ſubſtantiam, & quid rès ſit penitús exponendam, conſtare debet ex genere & differentia propria: Magiſter ex duobus vocabulis generis & differentiæ, viginti duos locos effecit: interpoſitis etiã ſoleis quibuſdam & coriis inutilibus, à primo, ab appetitu, idea, complexione, ab ente & bene habente, à cognomine, à compoſitione, & ejuſmodi coriorũ quiſquiliis. Concludamus igitur, vel potius concludentem ſua eadem lege Ariſtotelem audiamus. Generalia generaliter docenda: ſecus ſophiſticé doceatur: ac (inquã) generales invẽtionis loci da ſpecialẽ definitionis quæſtionẽ inſtituũtur, imò ſæpius iterantur, & quidẽ hoc ordine. Genus, forma, adverſa, definitũ, adverſa, adverſa, genus, genus, genus, forma, adverſa, gen[9], ſpecies, gen[9], ſpecies, gen[9], forma, forma, gen[9], ſpecies, forma, forma, forma, relata, relata, ſubjectum, majora, majora, majora, minora, majora, genus, forma, relata, relata, efficiens, effectus, adjuncta, adjuncta, relata, adverſa, adverſa, privãtia, adverſa, privantia, privantia, conjugata, genus, relata, efficiens, partes, totum, partes, totũ, partes, totum, majora, adverſa, partes, totum, definitio. Hæc communis locorum in hoc Topico tautologia tãta eſt: Quare dicet Ariſtoteles totam hanc ſexti Topici doctrinã ſophiſticam eſſe, & è logicis libris tollendam. Doctorem etiã novo doctoris teſtimonio convincimus, quód eos cõmunes locos doceat, quos primi libri quinto capite negabat inveniri poſſe: & illud poſtremum concludimus: Doctoris centum & tribus inficiationibus (tanta eſt enim ejus matæotechnia iſto Topico) nihil omnino doceri, quod ad bene & ſapienter definiendum attineat: Nec hic eodem planè modo loquor, quo de accidente, ſecundo & tertio Topico, de proprio, quinto dixi: de problemate tum accidentis, tum proprii non ſolum ineptas nugas cõfundi, ſed omnino totam & accidentis & proprii conſiderationem, qualiſcunque eſſet, à Dialectica veré tradita rejiciendã eſſe, non idem de definitione nunc dico: eſt enim definitio, pars inventionis Dialecticæ propria: & maximæ utilitatis, ſi rectè fuerit expoſita: ut in Dialectica noſtra interpretamur. At Topicas negationes & ineptias, quibus definitionis doctrinam & artem nullam docemur, valdé ac vehementer improbo.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XVII. IN *ſeptimum Topicum.*

Supereſt de problematum locis appendix definitionis de eodem & diverſo: Res brevis eſt & minús obſcura, quàm antea, & omnibus Topicorum tenebris ad doctorem refellendum aptiſsima. Doctorem jam heu quoties, quám veré doctor, doctoris teſtimonio judicioque refutavit: Attamen & hoc Topico ſeptimo juſtiús, veriús, clariús etiã refutabit: quód iccirco tot Topicas ſalebras ſibi miſcendas eſſe neceſſarió diceret, quia negaret, omniũ problematũ cõmunem invẽtionẽ tradi poſſe: at cúm ſex ſuperioribus Topicis, tum hoc maximé ſeptimo Topico hanc communem invẽtionis doctrinam confudit: Calcei veró hîc paucíſsimi ſunt, ut appoſitionis, ablationis: formæ communes feré ſunt omnes, ut primo Topico: Sed tautologia ſemper eadem Ariſtotelis καθόλου πρῶτον appelletur. Sedeat hic Ariſtoteles & judicet ſophiſticũ eſſe, ſequentia ſpecialiter & ſæpius doceantur. At (inquam) & generales inventionis loci in ſpeciali quæſtione de eodem & diverſo hic & docentur, & ſæpiús docentur: ad cognoſcẽdum enim idem'ne ſit, an diverſum, hos locos communes magiſter conſiderandos eſſe admonet: & quidem toties, & eo ordine, quoties & quo ordine hîc recitabo: Ex conjugatis, contrariis, efficientibus, partibus, ſubjectis, adjunctis, genere, majoribus, ſpecie, genere, adverſis, adverſis, adverſis, adverſis, adverſis, adverſis, conjugatis, partibus, majoribus, partib[9], majoribus,

conju-

conjugatis. Hæc in ſeptimo Topico tautologia eſt: Concludat igitur Ariſtoteles è logicis artibus tantum ſophiſma cum cæteris antecedentibus abjiciendum. Addam etiam communem illam inventionem, maximè extolli à magiſtro Topico. Sunt autem oppottuniſsimi locorum, ait, & qui nunc dicti ſunt, & qui ex caſibus & conjugatis: Quocirca oportet maximè detinere & proprios habere hos: utiliſsimi enim ad plurima: aliorum autem ii, qui maximè ſunt communes: Nam illi maximè reliquorum efficaciſsimi, ut inſpicere in ſingularibus, & in ſpeciebus conſiderare. Hæc doctoris eſt prædicatio de locis communibus: & tam magnifica gloriatio. Deus bone, qualis eſt magiſter ille, qui primo Topico loquebatur? negabat hos communes locos inveniri poſſe: aut ſi invenirentur, inſuaves fore. At magiſter, qui ſeptimo Topico loquitur, quid ait? locos communes omnium problematum non ſolùm inventos eſſe confitetur, ſed docet, adhibet, uſurpat: tantumque abeſt ut inſuaves eſſe exiſtimet, ut quãtò quiſque communior reliquis fuerit, tantò eſſe commodiorem ac utiliorem, altiſsima clariſsimaque voce prædicet: Iccirco & cõjugata & partes & ſpecies verè magnificeque commẽdat: & pari laude cauſſas, effecta, ſubjecta, adjuncta, diſſentanea, comparata, notationem, totum, genus, definitionem, teſtimonia commendare poterat, quia omnes hi loci æquè ſunt communes. Audiamus igitur hunc doctorem tam veracem, tam popularẽ, tam cum veritate hujus diſciplinæ præſtantia, dignitate conſentientem ac penè conſpirãtem: Eubulidem neſcio quẽ captioſum, & fallacem non tantummodò ab uſu & perſpicuitate, & perfectione Dialecticæ, ſed à ſeipſo tot jam locis, tot jam teſtimoniis ſuis abhorrentem rejiciamus. Unum verò eſt, quod magiſter decimo nono, & viceſimo numero admonet: quod prætereundum eſſe nõ arbitror, neminem aut paucos admodum diſputare de definitionibus, ſed eas tanquam principia concedi: quod verum eſt: Itaque ſeptimi Topici author vanitatis & inertiæ authorem ſexti Topici arguit, qui tantum & tam prolixum problema de definitiõe inſtituit. Addit magiſter, alterius eſſe negotii, id eſt Metaphyſici (ut interpretes ajunt) aſsignare & quid ſit definitio, & quomodo definire oporteat. Atqui in tota illa Ariſtotelis Metaphyſica, tametſi quædam eſt altercatio, de definitione 7 & 8 libris: tamen quid ſit definitio, & quot modis, & quibus argumẽtis fiat, nullum præceptum traditur: ſed ſeparatæ ſcholæ metaphyſicæ hac de re pleniùs loquentur.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XVIII. IN *octavum Topicum.*

Topicus magiſter facit tres partes Topici operis: inventionem, diſpoſitionem, elocutionem: inventionem executi ſumus, ſeptem Topicis antecedentibus. Diſpoſitio videtur eſſe prima, quam perſequamur: & eam videtur magiſter octavo Topico velle interpretari, cùm ait: Poſthæc autem de ordine & quonam pacto oportet interrogare, dicendum. Verùm nullum de diſpoſitione aut ſingulorum argumẽtorum, qualis eſt in enũtiationis & ſyllogiſmorum modis: aut variorum, quæ methodus eſt, præceptum ponit: niſi fortè paululùm de occultatione, quod ad methodum poſsit referri: de quo ſuo loco: inventionis etiam quoſdam generales locos hîc involvit novis tenebris, & confundit. Partitio autẽ eſt initio hujus Topici, quam magnoperè conſiderandam eſſe arbitror: Oportet autem (ait magiſter) primùm quidem eum qui interrogare debet, locum invenire, unde ſit argumentandum: ſecundum autẽ, interrogare & ordinare ſingula apud ſeipſum: reliquum verò & tertium, dicere jam eadem ad alterum. Hîc magiſter totum negotium Dialecticum tres in partes dividit, ut dixi, inventionẽ, diſpoſitionẽ, elocutionẽ: Elocutio autẽ, Rhetoricæ pars eſt, nõ Dialecticę: neque hîc ullũ de tropis, figuris, quæ ſunt elocutionis laudes, verbũ eſt. Appelletur huc Ariſtoteles judex ex lege καθ᾽ αὑτό. Dicet logica logicè, rhetorica rhetoricè docẽda, & hãc elocutionis doctrinã dialecticæ nihil eſſe: partitionemque vitioſam in qua mẽbrum unũ redundet. Sed tamẽ Deum immortalẽ! ſpecte-

ſpectemus hanc partitionem invẽtionis & diſpoſitionis: & revocemus in memoriam, quæ initio de Dialecticæ artis partibus diſputavi: prætermiſsionem hujus partitionis, occaſionem organico infinitarum tenebrarum fuiſſe: Nam ſi ad inventionem revocaſſet invẽtionis omnia genera, generumq; partes & ſpecies, ſingulaq; definitionibus & exemplis illuſtraſſet, Categoriæ, abundantia propoſitionum, inventio medii, Analytica poſteriora, tôt Topica ad confundendã & conturbandam invẽtionem nunquã extitiſſent. Lex Ariſtotelis καθόλου πρῶτον generalia generaliter & ſemel expoſuiſſet, infinitã tautologiam cõmunium locorũ evitaſſet: partitio, inquã, hæc omiſſa & neglecta, tantæ caliginis, quantã adhuc expendimus, cauſſa fuit: quã tamen etiam hîc licet cõfuſe, tamen adhibitam eſſe vehementer gaudeo, ut doctoris teſtimonium ad doctorem refellendum, tam proprium, tam paratum, tam denique certum haberemus. At pergamus, & totum hoc Topicum diligentius & accuratius expendamus. Quid igitur hîc magiſter inſtituit? quid diſpoſitionis nomine præcipit? Altercantibus in ſchola de problemate accidentis, generis, proprii, definitionis, arma videlicet ſuppeditantur, ei penitùs inſtituto convenientia, de quo in definitione inventionis, primo capite primi Topici dictum eſt: ne ſcilicet egregii altercatores, in problematis altercatione vincant: Placet enim doctori talem Dialecticũ informari, qui adverſarium omnibus argumentis, veris an falſis nihil interſit, oppugnet: ac ſi fieri poſsit, expugnet. Hîc interrogantis ad hanc Dialecticam finis eſt jure vel injuria, virtute vel fraude vincere. Reſpondentis autem definitur officium reſiſtere forti præſentiq; animo, nec ullo pacto cedere, & paribus artibus interrogãtem tractare, atque ab illo tractatus ſit. His præclaris officiis ornantur diſputatores ad pertinariam, protervitatem, petulantiam, id eſt eximiam & ſingularẽ ſophiſticam: Idq; quod in Martii, idẽ in ſcholaſtici prælii furore ſcilicet valebit:

— Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

Hîc pretioſiſsimum victoriæ premiũ, redargutio (quod doctor in Elenchis caput omnis ſophiſticæ artis efficit) modis omnibus appetitur. Non'ne pulchrum eſt (inquies) vincere? turpe vinci? Nuda iſta ſi ponas, qualia ſint, æſtimari non facilé poteſt: cauſſæ ſi diſtinguantur, facillimé poteſt. Virtute & laude vinci, fortaſſe ſit moleſté ferendum: ſtultitia & vitio ſuperari, prædicabile & gloriandum: ita vincere, nõ pulchrum, & vinci, honeſtum eſſe poteſt. Sed Socratis (ſi lubet) hac de re excellentem ſententiam audiamus, ne nova paradoxa canere videamur: Sic enim Socrates cũ Gorgia apud Platonem: Quód ſi ex eorum numero es, é quorum ſum ego, libenter abs te, quæ inſtitui, perquiram: ſin minús, dimittam. Si quorum ego ex numero ſum, quæras, reſpõdebo ex iis, qui libenter redargui ſe patiũtur, ſi quid falſum ineptum've dicãt: libenter etiam redarguunt, ſi quid minús veré dicatur: quibusq; non minús reprehendi, quám reprehẽdere gratum eſt: tantó enim melius exiſtimo id eſſe bonum, quantó majus bonum eſt, maximo quodã liberari malo, quám alios liberaſſe. Nihil enim tam pernicioſum hominibus eſſe arbitror, quám opinionem falſam, in his videlicet rebus, de quibus præſens à nobis ſermo eſt inſtitutus. Itaq; ſi & te eſſe talem affirmas, agé, diſputemus: ſin veró dimittendũ cenſes, dimittamus jam, cœtumq; ſolvamus. Gorg. Dico profectó ô Socrates, me quoq; ejuſmodi eſſe, qualem modó deſiderabas. Hæc illi: Quamobrem ne pudeat nos, ſi in prava ſentẽtia ſimus, ab adverſario vinci: præſertim cúm idem magiſter, redargutionis illud tam contentioſum ſtudium, ſophiſtæ ſummum finẽ in Elenchis faciat. Verúm has ſophiſticas artes videamus, & excutiamus pauló accuratiús: Interrogantis partes primúm videamus: & quanvis obſcuriſsimè traditæ ſint, aliquo tamen partitionis adhibito lumine diſtinguamus: & tamen ſcholaſticorum verbis, quoad fieri poſsit, exprimamus. Interroganti ſpectãda duo proponit magiſter, orationem & poſitionem, id eſt argumentationem & quæſtionem: argumentationem priús jubet ſpectandam eſſe; deinde quæſtionem: contrà quàm fieri decuit: à quæſtione enim argumenta ducuntur, unde fit argumentatio: Et pauló pôſt magiſter ipſe reſpondentem jubet anté de quæſtione conſiderare, quàm de argumentatione

tiones

tione: nihil adhuc hîc niſi confuſionem & inconſtantiam arguo. Secundo loco præcipit ut interrogâs videat argumentationis & partes & ſpecies. Hîc nova eſt confuſio: mens enim hominis in diſſerendo non incidit in has vias, ſed quæſtione poſita argumẽtum quæritur: quo reperto & expoſito, res ipſa explicatur & expeditur. Fallax igitur eſt iſta præceptio. Partes argumentationis alias neceſſarias, alias aſſumptas inſtituit: Hoc etſi verum eſt, tamẽ eſt ejuſdem erroris, quia non hoc modo progreditur diſputantis cõſideratio. Neceſſariæ argumentationis partes ſunt propoſitio & aſſumptio: verum eſt: quid tum? Hæ non ſtatim præordinandæ, & abeundum ad ſuprema: ſin veró illæ non ponuntur, per inductionem ſumendę: Hîc autem diviſionis argumentum ex partibus ad totum, nomine inductionis confunditur. Aſſumptas ſyllogiſmi partes, magiſter in rationes quatuor dividit, inductionem, occultationem, ornatum, perſpicuitatem: ridicula prorſus & vana diſtributione: Inductio enim ad neceſſarias partes adhibita priús eſt: nunc partibus aſſumptis ſubjicitur: & pauló póſt, quãvis nunc inter argumentationis partes adhibeatur, inter ſpecies recenſebitur, mirifico inconſtantiæ & levitatis ludibrio: Occultationia veró, id eſt κρύψεως, quæ & in Analyticis & in Elẽchis appellatur, utilitatem in Dialectica tradidimus: Occultandæ autem rei gratiâ, quæ ab adverſario impetranda ſit, magiſter duodecim partes facit: quas diſtinguã ſuis præceptis, & verbis exprimam ſcholaſticis:

Ratiocinatione præcolligere, per quæ ſyllogiſmus fiat:

Concluſionem non dicere: ut cùm tandem dicatur, quæratur propter quid:

Non continua poſtulata ſumere:

Definitione ſumere univerſale in conjugatis:

Proponere velut alterius gratiâ:

Per ſimilitudinem interrogare:

Sibimet quandoq; inſtantiam ferre:

Dicere velut uſitatum & tanquã aliud agere:

Ut in ſimilitudine proponere:

Proponere cui ſumendũ eſt ex neceſſitate conſequens:

Ultimò rogare, quod maximé opus ſit: contrà verò ad protervum: Prolongare & interponere, quæ nihil ad rem.

Ex argumentis communibus hîc tria confunduntur, definitio, conjugatio, ſimilitudo: quaſi res é cæteris argumentis occultari etiam non poſsit. Sequitur tertia pars aſſumptarum partium ex ornatu per inductionem & diviſionem, id eſt ex partibus & toto. Hic non dicam quoties jã confundatur inductio in partibus neceſſariis aſſumptis, ſed doctorẽ interrogabo, quid hîc agat: an ad ornãdam & amplificandam diſputationem, diviſionis locus ex partibus & toto ſolus aut præcipuus ſit: non cætera argumentorum genera, non etiã omnes troporum, figurarum rhetoricæ formæ ad augendam & amplificandam quamvis orationem & diſputationem plurimum valeant. Poſtrema pars, aſſumptarum partium perſpicuitas eſt, Ariſtotelis inſtituto planẽ contraria: docet enim proximo loco, quomodo ſit occultanda diſputatio: & ad id perſpicuitatẽ adhibendam exiſtimat. Sed tamen hoc tam ſingulare pręceptum audiamus: Ad perſpicué docendum (ait) exempla ſunt adhibenda nobilia & inſignia, qualia videlicet ſunt apud principem poëtarum Homerum: non obſcura & contempta, qualia ſunt apud viliſsimum poëtarũ Chœrilum. O' vocem non doctore tot ſophiſmatum, & tenebrarũ authore, ſed omnium philoſophorum principe digniſſimam! O' me expeditum plané & explicatum! O' me etiam doctori, magno beneficio obligatũ! Diſputo totis his dialecticis ſcholis, definiẽdum, partiendũ: hoc homines noſtri ægerrimé cõcedũt. Addo ad perſpicué docendum, inſignibus exemplis oratorum & poëtarum utendum eſſe: hîc mihi iraſcuntur ac illudunt, & me diſcipulosq; meos condemnant, quòd logicis præceptis interpretandis oratores & poëtas conjungam: Itaq; magnas gratias ô magiſter, quiſquis es, tibi debeo, qui me teſtimonio tam claro, & authoritate tanta ad tuas tenebras refellendum adjuves. Tu enim tibi veriſsimé præcipienti non obtemperas, nullo inſigni aut populari, id eſt homerico exemplo in tam multis logicis tenebris uteris: omnia perobſcuris, & abecedariis, ſæpe etiam nullis exemplis obſcuras: hoc ex tuo præcepto, ex tua legẽ reprehendo, & æmulis tuis judicium tuũ de teipſo profero. Atq; hæc de confu-

confuſione partium diſputationis & neceſſariarū & aſſumptarū: ſpecies ſequuntur, inductio & ſyllogiſmus: Inductio jā ſæpiùs hîc confunditur: & antea docui non eſſe argumētationis, ſed argumenti ſpeciē, ex diviſionis loco, cúm ex partibus totum concluditur. Octo ſunt Ariſtotelis præcepta ad inductionem, primum, quòd magis ad multitudinem ſit adhibenda, quàm ad Dialecticos. Dixi primo Topico (cum aſſumptione addita, inductio ſyllogiſmus ſit, & idem argumentum inductione & ſyllogiſmo tractari poſsit) perridiculū eſſe inductionis & ſyllogiſmi diſcrimen: nūc veró magiſtri conſilium mirificum audiatur. In Topicis inſtituit diſcipulos de problemate accidentis, generis, proprii, definitionis in ſchola clamantes: & jubet ut inductione potiùs ad multitudinem, quàm ad Dialecticos utātur: quaſi hæc ſophiſmata apud vulgus ſimplex & imperitum, non apud aſtutū ſophiſtam & callidum tractentur. Utrum igitur hoc eſt præcipere, an ſomniare, cúm ſophiſticas ſcholaſtici problematis altercatiōes inſtituas, dictare quomodo ſit ad populum agēdum? Similis eſt de ſyllogiſmo ſapiētia, ut non ad multitudinem adhibeatur: quaſi ſimplex agricola nullos ſyllogiſmos faciat, nullam concluſionis veritatem intelligat: & Dialectica nō ſit naturale Dei donum, quaſi deniq; inductio ſyllogiſmos cōcludi non poſsit. Cætera & inductionis & ſyllogiſmi præcepta planè inutilia ſunt, nec digna quæ refellantur: niſi forté illud de ſyllogiſmi præceptis penultimū, quòd non omnis quæſtio dialectica ſit, ſed quæ quærit in utramq; partem. At de hoc errore ſatis antea dictū eſt primo Topico: Reliqua eſt de interrogātis partibus quæſtio, cujus difficultatem monet magiſter ex primis, poſtremis, principio proximis, nō legitimé definitis ſpectandam, ſed tenebricoſé, non ex Dialectica luce & ratione: Facilis enim quæſtio eſt cujus cauſſę, facta, cæteraq; argumenta clara & nota ſunt: contrà veró difficilis. Quāobrem tota hæc interrogantis præcepta non ſolúm confuſa, ſed inutilia ſunt. Iam reſpōdentis partes conſideremus: in iis magiſter primùm de quæſtione præcipit, & errorem ſuum de interrogantis officiis convincit, in quibus de quæſtione poſteriore loco dixerat. Conſiderare porró neceſſe eſt, quæ res agatur: uerùm nō ad hanc probabilis & improbabilis diſtinctionē Dialectica prudentia reſpicit, ſed ad argumētum, quo oppugnatur: ad argumentationem, qua argumentum diſponitur: id eſt ad invētionem & diſpoſitionem: Tenebræ itaq; omnes hæ ex illarum principum partium inventionis & diſpoſitionis ignoratiōe perfectæ ſunt. In argumentationis partibus (quas ait ſuſtinendas eſſe concedendo, negando, dubitando, diſtinguendo, reſiſtēdo, ſolvendo, prohibēdo) monet magiſter res valde ridiculas, ſi quod agitur, probabile aut improbabile ſit, concedendū: ſi ſit alienum, cur concedendū potiùs, quàm irridendum & rejiciendum, cum ſit ineptum? probabile & improbabile ſi ſit aptum, declinandum: illud, quia propinquum quæſtioni: hoc, quia ſit abſurdū: cur probabile & aptum non ſimpliciter concedēdum? quid aliud omnino concedetur? certum & alienum dandum, aptum ſuſpendendum: cur non utrunq; explodēdum: illud, quia ineptum: hoc, quia nō ſit probabile? Inopinabilis ſuppoſitio fugiēda: ac paulo anté de improbabili poſitione ſuſtinenda præceptum á magiſtro eſt poſitum, ſed hæc in partibus: in argumētatione ipſa quàm ſubtiles præceptiōes, quàm Eubulide quovis dignæ ſunt? Vitioſa oratio eſt (ait) ſi concludat additis aut ablatis quibuſdam: Ergo doctoris judicio, omnis enthymematis & imperfecti & perfecti quidem, ſed amplificati partib. ſyllogiſmi, vitioſa concluſio erit. At omnis ſermo diſputatioq;, oratorum, poëtarum, philoſophorum, omniumq; hominum feré talis eſt: & magiſter in officiis interrogantis, præcepta dedit de ſyllogiſmi partibus non neceſſariis, ſed aſſumptis ad neceſſarias amplificandum. Deinde veró quæ nugæ ſunt iſtæ? quia non concludat, quia non ad rem cōcludat, argumētatio vitioſa dicitur à doctore: & denuó aliis in præceptis propter eaſdem cauſſas falſa nominatur: & aliud tamē repræhenſionem argumentationis per ſe, & falſam argumētationem magiſter facit. Quæ puerilitas eſt iſta? modó repræhenſiones orationis (ſic argumentationem vocat Boëtius) ſecundum ſe facere quinq;: modó quatuor falſæ argumenta-

mentationis ſpecies diſtribuere: modó tres conſiderationes enumerare in univerſum, an concludat, an verũ concludat, ex quibus concludat: An nunquam de tanta inconſtantia cogitabimus? an nõ iſta cumulata potiús quám collecta, nõ dico quám judicata ſunt? In petitione principii damnat magiſter uſum generis, ſpeciei, univerſæ deniq; diviſiõis, & ex illis argumentis probationẽ reprehendendam, & ſophiſticam dicit eſſe. Quám autem falſo? quám etiam inconſtanter? Quoties enim generis, ſpeciei, partium argumẽta in Topicis magiſter commendat? Deinde veró quis horum argumentorum futurus eſt uſus, niſi ut ex toto partes, & partibus totum cõcludatur? At hoc ſummũ vitium docet eſſe magiſter, & in petitione principii pro ſophiſmate numerat. Poſtremó in petitione contrarii qualis & quam inaudita, & quám ridicula atq; inſulſa infantia eſt? Contraria ſunt ſimul naturá; itaq; ſi nõ probent é natura prioribus, non probant tamẽ á poſterioribus. Locis infinitis argumentum é contrariis laudatur & commẽdatur: at nunc ut vitioſum & reprehẽſione dignum notatur: quin ſophiſticum eſſe judicatur. En igit̃ interrogantis & reſpondentis arma ſophiſtica, ſed non minus ſophiſticé deſcripta, ſed tamen huc etiam judex appellatur Ariſtoteles. Dicatq; ex lege καθ' ὅλου πρῶτον generalia generaliter, tum ſubjiciam generales inuẽtiones dialecticæ locos, qui ſeptem ſuperioribus libris tam ſæpe iterati & repetiti, rurſus offundi. Hæc tautologia & hoc ordine eſt, Definitio, partes, partes, cõjugata, ſimilia, ſimilia, partes, totum, definitio, genus, ſpecies, contradicentia, adverſa, totũ, partes, ut jam in Topicis octavo judicio cõcludat Ariſtoteles, tautologiam iſtam plané ſophiſticam eſſe, & é libris dialecticis tollẽdã eſſe. Atq; ut addam poſtremo. Hîc magiſter teſtimonio ſuo octies in Topicis recitato & pronunciato, errorem illum ſuum graviſsimum confitetur: quo negaverat quinto capite primi Topici, inventionem cõmunem omnium problematum tradi poſſe. Diſpoſitionis veró (ad quã tamen vident̃ tam multæ nugę referri) nullũ ſolidum præceptũ Topico octavo eſt, pauculis de methodo exceptis. At jam tempus eſt ut Topicã confuſionẽ cõcludamus: tametſi eſt in ſingulis Topicis accuraté diſputatum, quám nullis propriis artibus, ut magiſter receperat, quatuor problemata ſint inſtructa: tamen idipſum magis eluceſcet univerſa rerum cõparatione: Stellę enim in Topicæ confuſionis tenebris quædã alluxerunt: at nox tamen adhuc eſt. Verũ ſi totam artis noſtræ deſcriptionẽ, cum tota Topicæ matæotechniæ caligine generalem, & univerſum uſum cum abuſu ſummo atq; univerſo cõparemus, nõ jam ſtellarũ diſtincto & finito lumine, ſed ſolis & tota & univerſa & omnia colluſtrante luce, Topicæ noctis tenebras expellemus. Hæc igit̃ peroratio, hîc epilogus nobis addẽdus eſt: in eoq; primũ homines noſtri de ſuis cõmodis amicẽ & familiariter adhortandi ſunt, ut ſe ad naturalis, & ratiõis & uſus (quæ regula ſumma & prima & ſingularis & unica eſt in hujus diſciplinæ perſpicienda veritate) lumen referant. Doctor videtur in octo Topicis univerſam quandã Dialecticæ rationem animo comprehendiſſe: qui de inventiõe, de diſpoſitione Dialecticæ artis his octo Topicis cogitarit: Verũ quia de diſpoſitione feré nihil (nihil enim de enunciatione, nihil de ſyllogiſmo & prima & ſecunda diſpoſitionis regula: puſillum de methodi poſtrema parte) loquutus eſt: ea tantúm, quæ hîc confundunt̃, cum noſtra Dialectica conferemus. Quare agité, hoc expẽdamus & ratiocinemur. Nos Dialecticam artẽ ex imitatiõe naturæ totam deducimus, & ad omnem humanę prudentiæ uſum cõgruenter definimus: Topicus author initio Topici primi ita definit, ut ſingulis definitionis verbis erret ac labatur: ac Dialecticam á cõmuni rerum omniũ uſu ad ſophiſticas otioſæ & inertis ſcholæ altercationes revocet. Nos initio, partimur artem in legitimas partes, inventionem & diſpoſitionem: Magiſter initio nil legitimæ partitionis illius oſtendit: ſed tandem tot tenebris inventione confuſa, redundantem partitionẽ facit in invẽtionem, diſpoſitionem, elocutionem. Nos inventionẽ definimus, diſtribuimus in membra & partes: Magiſter ridiculã diviſionem, cõfuſa tamen anté ipſius una parte, facit inſtrumentorũ & locorũ: cùm & loci, inſtrumẽta, & inſtrumẽta loci ſint. Nos ſingula argumẽtorũ

genera

genera definitionibus & partitionibus tum generatim, tum ſingulatim declaramus: Magiſter, bonū nihil omnino definit legitimè, nil ex ordine partitur, ſed inaniſsima ταυτολογίᾳ & matæotechnia millies confundit: de pleriſq; etiā ne verbum quidē facit: nihil enim de efficientium modis, de materia, nihil item omninò de diverſis, de diſparatis, de tota diſtribuendi ratione & doctrina, de teſtimoniis divinis, in totis Topicis loquitur. Nos, omnes locos definitionibus, partitionibus expoſitos, inſignib. exemplis illuſtramus & ornamus: quibus & doctrina facilior, & doctrinę uſus promptior efficitur: Magiſter octavo Topico ad perſpicuè docendū, homerica exempla jubet adhiberi, non chœrilea: at ne Chœrilea quidē adhibet. Hæc doctoris eſt doctrina, qua Topicas argumentorū cōmunes & generales formas expoſuit: ad quas ſit tot calceos, quot in ſingulis Topicis recēſuimus, ſi tam putres & abjectas ſoleas à voluptate, poſitione, ablatione, metaphora, poteſtate, paſsione, ſenſu, participatione, idea, ſuperabundāna, appetitu, complexione, ente, compoſitione, & ejuſmodi ſophiſticis coriis, deniq; ſi ſophiſmatum ſordes aſſutas & ex æquivocatione, amphibologia, petitione principii, nugatione aggregaveris, horrēdum doctrinæ genus efficies, in qua non modò nihil definiatur, nihil dividatur, nihil exemplis illuſtretur, ſed omnino nihil ferè doceat affirmando, nihil ſolidum inſtituēdo, ſed inficiando & negando nugatoria ſophiſtica, falſa matæotechnia inſtituatur. At Deum immortalē? quāta & definitionū & partitionū & exemplorū luce, dignitate, veritate, tenebras, ineptias, cōmenta iſta vincemus? Tamē nō recuſo quin tanta tamq; iners & ignava confuſio omni ſapiētiæ laude celebretur, niſi tantò omnis & utilitatis & uſus ratione ſuperiores fuerimus, quantò ordine doctrinæ & explicatione clariores & numeris omnibus abſolutiores extitimus. Fingite, doctorē nobiſcū agere, ac magiſtrum ipſum de doctrinæ ſuæ uſu, deq; totis illis quęſtionibus, quas antea attigimus, interrogari: quid hic reſponſurū exiſtimatis? Nonne ut cōſtantiæ ſuæ rationē habeat, idē quod ſcriptis ſuis profeſſus eſt, voce reſpōdebit? Topicā doctrinam inſtitui (dicat) per quā in ſchola Dialecticus diſcat de accidēte, genere, ꝓprio, definitiōe diſputare: & ſcholaſticę exercitationis & altercationis gratiâ, Topica conſcripſi. At ô magiſter, ego te ad cauſſam revoco. Quamobrē Dialectica ad hæc vocabula quatuor obligāt, quę res omnes explicare atque interpretari debeat? Sic enim de ente & nō de ente differere dicitur in philoſophia. Non quæro an problematis falſa partitio, vera ſit: ſed quæ te cauſſa impulit, ut ad hæc vocabula quatuor, inventionē Dialecticā referres? an ſi neceſſaria eſſet quatuor vocabulorū cognitio, non potuit quatuor definitionibus, quatuor exemplis perſpicuè, ꝓpriè, ſuccinctè tota res explicari? quāobrem in ſcholā Dialectica ita cōpingitur, ut nōniſi de ſuis quatuor particulis clamitet? An Grāmatica & Rhetorica in clamore de ſuis præceptis exercēt? At inquies (ſic enim te defendes) cùm probè dialectici fuerint in his quatuor problematis de accidente, genere, proprio, finitione exercitati, facilè de rebus aliis omnibus diſputabunt. Primùm qui poteſt fieri? Nā ſi per quatuor problematū tuorū clamores poſſis de rebus omnibus diſputare, quid reliqua tua Logica opus eſt? quid Categoriis? Interpretatione? Analyticis & prioribus & poſterioribus? quid denique, his quatuor problematis exceptis, tota Logica, tota Dialectica opꝰ eſt? An qui puer mille ſe annos cruciaverit in clamore de nomine & verbo, nullā exercitationem ſcribendi, nullum loquendi uſum addiderit, poterit de rebus omnibus purè & emēdatè ſcribere ac loqui? An in ludo gladiatores aliter edocētur, quàm ſint in arena certaturi? An aliis in rebus hiſtriones exercētur, quàm in ſcena queant imitari? Cur igit̃ alia in ſchola meditamur, quàm ſeriis in reb. ſimus acturi? Exerceatur verò puer non ſolùm in quatuor vocabulis artis ſuę, ſed in totius artis & omniū artis partiū uſu: trāſferat oēs doctrinę ſuæ partes interpretādo, meditādo, declamando, ad ingenii, ad judicii, ad prudētiæ confirmationē. Fabricādo, fabri efficimur, ajūt: at malè fabricādo etiam mali, ut benè boni. Didiceris de quatuor problematis ſophiſticè altercari: ſcies de quatuor ꝓblematis ſophiſticè altercari: nō propterea de

omnibus eleganter, magnificè, ſapiẽter ratiocinari poteris. Nulla fuit igitur doctori cauſſa, quamobrem ad hæc quatuor vocabula Dialecticam invennonem aſtringeret: Sed fac (ut initio dixi) quæ falſiſsima cauſa eſt, eſſe veriſsimã: cur ad hæc quatuor vocabula, tot inventionis matęotechniæ cumulantur? An qa una quatuor horũ vocabulorũ & quatuor problematum communis doctrina inveniri non poterat? aut ſi inventa eſſet, obſcura eſſet & inſuavis, ideo tot tenebræ repertæ ſunt? At Deus Opt. Max. homines noſtros hoc poſtremo loco exuſcita: dona illis miſeræ ſervitutis vinculis ſolutam & liberam mẽtem. Produxi ſingulis octo Topicis non peregrinũ, & qui á ſcholaſticis refelli poſsit, ignotũ aut dubium teſtem: doctorẽ doctori oppoſui: non ambiguè, non captioſè hęſitantem, ſed revera ac veritate locos illos omnium problematum, omnium etiam quæſtionum communes, non ſolum omnibus Topicis uſurpãtem & recitantem, ſed mirifica laudatione prædicantem & celebrantem. Atq; etiam ut omnibus modis afflictam & proſtratam Topicam caliginem penitùs tollamus, fac ad quatuor vocabula, Dialecticam inventionem alligari decuiſſe: fac communes locos inventos non eſſe: inveniri etiam nullo modo poſſe, ut optima ratione ductus ſit doctor ad peculiares ſingulorum problematum locos explicandum: quid, cúm magiſter nullos ad cognitionem accidentis, generis, proprii, definitionis peculiares & proprios locos expoſuerit, ut in ſingulis Topicis docui, ſed perpetuam negationũ & infitiationum matæotechniã confuſis communibus locis, calceis & ſoleis putribus interſutis effecerit: quid eſt jam reliquum, quo tantas, bonæ juventuti tam pernicioſas tenebras tueri quiſquã poſsit? Deniq; una illa dextera manus Ariſtotelis huc adhibeatur: Doctrinam Topicam legitimè ſcribendam & conſtituendam è neceſſariis homogeñeis propriis: Ac tot matæotechniæ tot tautologię non ſunt κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, καθ᾽ ὅλου πρῶτον. In topica igiẽ doctrina ne ſunto. Quin ad ariſtotelearũ legum judicium confirmandũ totúmque hoc judicium ſtabiliendum reliquam uſus quęſtionem, ut fecimus antea, conjungamus: quæramus nũc non quid magiſter pro ſe & doctrina ſua reſpõdeat, quod ad eũ convincendum, maximum videri debeat, ſed quivis ejus ęmulus poſsit reſpondere, quó ſe victum libentiús fateatur: ſi non tãtummodó ipſe nihil veré pro ſe, ſed ne quiſquam pro eo patronus queat dicere: Quæramus non quem uſum Topicorum magiſter docuerit, ſed quis omnino uſus hinc elici poſsit: Componamus fac in literis, fac in variis exemplis verſatum: fac acutiſsimum & diſertiſsimum patronũ cum adoleſcente aliquo ad noſtræ inventionis rationẽ exercitato: conſtituamus deniq; (quod antea in Categoriis fecimus) quæſtionem utriq; communem, in qua declaranda, ſuam uterq; doctrinã exprimat: & quidem ad analyſim primúm aliquid. Sit Veneris oratio ad Iovem: ſit ad ſocios, Aeneæ cõſolatio apud Virgilium utriq; declaranda: Quid hîc patronus doctoris hujus faciet? unde initium hujus explicationis ſumet? Problema nullũ eſt, quia nõ eſt interrogatio in utranq; partem elata: quia non de accidẽte, genere, proprio, definitione: quomodo Topicã & inſtrumentorum, & locorũ, & calceorum, & ſolearum tautologiam & matęotechniam hic adhibebit? quæ prima requiret? quę media ſubducet? Nõ dicã, ut antea de diſcipulo Categorici doctoris dixi, ſic Topici doctoris patronũ hîc ploraturũ: ſed profitebor & prædicabo, faciliús manes Topici doctoris ab inferis excitaturũ, quàm rationẽ hujus explicandæ quęſtionis ex Topica cõfuſione deducturũ. Noſtrum veró Dialecticũ in hac quęſtiõe ſi pariter urgebis, nihil morabitur: eruet primũ id, de quo agit, & quod eſt diſſerenti judicãdum: rationes & argumenta ſubducet, & ad generis ſui fontem referet: cauſſæ ne ſint an effecta: aut quæ de cæteris generibus argumẽta, & ex loci proprietate vim ejus naturamq; ponderabit: conſilium univerſæ diſputationis, hac conſideratione penitùs explorabit: hoc enim didicit, ita ſe exercuit. Poſtremúm veró cúm noſter hic Dialecticus patronũ Topici doctoris in illo Dialectico uſu magnificè vicerit, ad alteram exercendæ artis ſpeciem ſe convertet: geneſim adhibebit: nec verebitur (cúm ſe ſtuddioſè in his meditationum & exercitationum curriculis

culis agitaverit) vel in ſcholaſtico conventu de reliquo dialecticæ invẽtionis uſu liberé & cõſtanter dicere. Quare par idem rurſum producamus: Redeat patronus Topici doctoris ad ſeſe: nec quã vis victus, tamen deſperet, quin viribus collectis acriùs excitetur. Ponite igitur quæſtionem illam eandem, quæ in Categoriis fuit: Theticum de homine eſto, ne nos difficili quęſtione videamur iſtorum hominum nationem terrere ac turbare velle: aut ſi quid in ſchola faciliús erit. Quid hic patronus ex octo Topicorum diſciplina, quàm ſe ingenioſum, quàm ſolertem dabit? Non pono problema de accidente, genere, proprio, definitione, de quo ſit ſcholaſticé clamandum: ſed quæſtionem ſtatuo, de qua ſit Dialecticé diſſerendum. At me Deus ille parens & author hujus rationis Dialecticæ, de qua tantopere aſſeveramus, ſic amet,

Antè leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces,

quàm poſsit patronus Topicus é Topicis tenebris ſic cõfuſis, ſic ad problema relegatis, ſic calceorum ineptiis, ſic putribus ſolearum coriis, ſic ſophiſmatum ſordibus involutus, ullam Dialecticæ lucis ſcintillam excutere. Non iſtis artibus Theophraſtus, non iſtis nugis Eudemus, non iſtis ſophiſmatis, Ariſtotelis diſcipulus ullus, non denique Ariſtoteles ipſe, philoſophus tantus eſt effectus: Non erat iſta imitationis ſcholaſticæ ſolertia: Alia via diſſerenti ineunda eſt, alius ratiocinanti curſus tenendus, aliud iter ad hanc prudentiam contendenti ſequendum. Da mihi contrà, cùm erubueris, aut frontem perfricueris, ô Topice patrone, de homine, de deo, de terra, de cælo, de mundo, de rebus denique omnib. quam voles quæſtionem: propone quicquid animo cõprehenderis, & quære conſilia noſtræ artis & uſum ad hoc explicãdum: cauſſas rerum jubebo te ſpectare, quæ tam multiplices variam ſcientiã afferant, & quãobrem, & unde, & ex quo, & quomodo, & quamobrem res eſt: deinde & facta & ſubjecta, & omnibus modis adjuncta: quę & certas & firmas notas & veriſimiles conjecturas infinitas præſtabũt: tum diſſentanea prorſus admirãdæ conſiderationis, & comparationum tot exornationes & ante oculos ſubjectiões, & verborum notas & cõjugata: é quibus partium varietatem dividamus, & totã naturam definiendo complectamur: Poſtremó doctorum & probatorum hominum ſentẽtias, authoritates, é ſacris etiã literis oracula & vaticinationes: cujus tantæ tamq; incredibilis ubertatis & copiæ doctrinam ſi diſſerendo & diſputando ſequare, nõ ingemiſces, ut Topici doctoris ęmulus in Topica matæotechnia, & ſophiſtica artis ſimulatione: ſed prudentibus conſiliis inſtructus ad ratiocinandum, explicandum, confirmãdum, refellendum, docẽdum accedes. Atque hæc de Topica arte, de Topicæ artis uſu, quem magiſter præceptis inſtituit. Quãobrem cum tam cæcis tamq; atris noctibus tandiu hominum mẽtes ſopitas & ſepultas fuiſſe miſerandum ſit: contra tantam liberalis & ingenuæ diſciplinæ calamitatem, opera, ſtudio, diligẽtia, labore, induſtria, mente, totis deniq; viribus pugnandum eſt & dimicandum: diſtinctionum Hydris (quibus iſtæ tenebræ defendi ſolent) acriter eſt obſiſtendum. Hydram enim Plato non fabuloſum & poëticum monſtrum, ſed captioſum & fallacem ſophiſtam (contra quem diſputavit Hercules) ait fuiſſe: qui cùm ſe victum diſputando ſentiret, aculeato aliquo ſophiſmate tamen integrum certamen renovaret. Amputaveris mendacia & commenta, id eſt capita Topicæ confuſionis, pro uno repẽtè ſeptem diſtinctione aliqua ſcilicet reſtituentur: Herculis conſiliũ contra has Hydras imitemur: igne conſuetudinis & uſus, atq; humanæ prudentię flamma, mõſtra iſta crememus & comburamus: nec enim ardorem tantum naturalis uſus, flammámque tam ſplendidæ tamq; coruſcæ veritatis diutius perferent: flagrabunt & exurentur. Securim illã principiorum ariſtoteleorum, de materia artis, qua ſemper uſi ſumus, qua ſemper utemur, tam idoneã, tam gravem, tam his erroribus amputandis aptam & cõveniẽtem ad radices putridæ falſitatis, ad extremum rurſus adhibeamus: omnes iſtas ſpinas penitùs excindamus.

Finis libri decimioctavi.

P. RAMI DIALECTICARUM SCHOLARUM LIBER DECIMUS NONUS, *de Elenchis inventionis.*

CAP. I. QUID SIT *ſophiſtica.*

SCholarum dialecticarũ reliqua materies eſt in duobus Elenchorum libris: Syllogiſmum triplicem ſibi conſtituit Ariſtoteles, apodicticũ, dialecticum, ſophiſticum: Sophiſtici ſyllogiſmi doctrina in Elenchis poſita eſt, ſed eadem reliquis antecedẽtibus libris ſæpe iterata & repetita: Cui tamen in vera deſcriptione artis, locus eſſe non potest, quia nullum de vitiis præceptũ eſt in virtutis explicatione homogeneum: Imó rectum ipſum, index eſt ſui & obliqui: nec virtutis definitio probãda eſt, niſi ſit hinc etiam manifeſta cognitio vitii, ut antea tam ſæpe ex Ariſtotele citavimus. Ars facta eſt (ait Plin. lib. 33. cap. 9.) denarios probare tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas ſtatuas dicaverit, mirumq́ in hac artiũ ſola vitia diſcunt, & falſum denarii ſpectat exemplar, pluribusq́ veris denariis adulterinus emitur. Hęc Plinius: At Marius multo ſapientiús & utiliús inſtituiſſet, verę quàm falſę monetę artẽ. Ariſtotelis itaq́ duos de vitiis Logicę libros ſubtiliús perſequi ineptum videretur, præſertim cum tautologia, heterogenia, cæteraq́ hîc animadvertenda iis, qui ſuperiores ſcholas legerint, jam ſatis ſuperq́ perſpicua eſſe debeant. Itaq́ commodius fuerit, ut fructus hujus partis, quiſquis eſt, faciliús perſpiciatur, ſeligere ex omnibus libris & in unum recolligere totam Ariſtotelis Sophiſticã, & exemplis illuſtrare, & eam duobus libris diſtinguere. Superiores igitur Organi libri Logicam utcunq́ tradiderũt, oppoſita Sophiſtica deinceps erit. Etenim, (ut eſt primo capite primi Elẽchorum) ſicut in aliis robuſtus quidem corporis ineſt habitus, in aliis veró ſpecies tantúm, cúm ſe ipſos inflent & cõparent φυλετικῶς, more tribulium, qui victimas ſuas, quó pinguiores viderẽtur, ita ſubornabãt: Atque ut alii quidem pulchritudine pulchri ſunt, alii veró fuco tantúm, quo ſe ipſos fucant: quod & in rebus inanimis ſimiliter accidit: In his ſiquidem aliud argentum, aliud aurum eſt revera: aliud veró nequaquam, ſed judicio tantùm ſenſus apparet: ut lithargyrina & ſtannea, quæ argentea: & felle infecta, quæ aurea videntur: ſic in diſputationibus aliæ tales ſunt, quales apparent, aliæ fallaces & captioſæ ſunt, & videntur tantúm διὰ τὴν ἀπειρίαν, propter inexperientiam: Hæc Ariſtotelis mariana, vel Marii ariſtotelea eſt ſimilitudo: Atq́ hinc oritur, ut eſt ſecũdo capite ejuſdem libri, Sophiſtice, ſimulata quidem, at non vera ſapientia: & ſophiſtes, quæſtum faciens é ficta ſapientia, non vera. Vitium igitur logicum, appellatur ab Ariſtotele ſophiſma, ex illa Sophiſticæ definitiõe: hinc σοφιστικὸν καὶ σοφισματῶδες & ἀπάτη, captio: hinc ἀπατητικὸν & παραλογισμὸς, fallax concluſio: hinc παραλογιστικὸν ἔλεγχος σοφιστικὸς, reprehenſio ſophiſtica: hinc ἐλεγκτικὸν καὶ ἐλεγχῶδες, & hoc etiam nomine liber de logicis vitiis præcipiens inſcriptus eſt: ac quanvis elenchus reprehenſionem tam veram, quàm fallacem ſignificet, attamen pro captioſa ſpecialiter ſumitur: & παράκρουσις, dolus, & συκοφάντημα, calumnia: & quia ſophiſtæ iis inter ſe dolis concertare ſolent, ἀγὼν cõcertatio: hinc ἀγωνιστικὸν & ἔρις, contentio: hinc ἐριστικὸν & φιλονεικία & δυσμαχία, injuſtum certamẽ. Neq́ veró hæc omnia, quæ afferunt τὴν φαντασίαν, ſpeciem rei & imaginem, non veritatem, aliud in Logica ſunt, quàm in Grãmatica barbariſmi & ſolœciſmi, ne quis Sophiſticã á Logica, re alia putet eſſe diſtinctam.

Eſt veró ſapiẽtis officium, ut eſt in Elenchis ſecundo capite primi, & primo ſecundi, non ſolúm non fallere, ſed fallentem deprehendere: vitiaq́ iſta noſſe plurimúm conducit, tum ad philoſophiam, ut in ea captiones ejuſmodi facilé vitemus, tum ad noſtras ipſorum meditationes & conſiderationes: nam qui facilé fallitur ab aliis, neque tamen id ſentit, á ſeipſo quoque perſæpe fallatur, neceſſe eſt: poſtremó erit etiam glorioſum, in omnibus verſatum & exercitatum, nec ullius artis expertem aut ignarum videri. Hæc ariſtotelea Sophiſtice commen-

commendatio eſt, in ſpeciem quidem probabilis, cùm (ut antè dictum eſt) ex vera Logica poſsit hæc Sophiſtica percipi. Sed tamen glorioſum ſit nulla in re rudem & ignarum videri: nec enim ſophiſma putādum modò, cùm moleſtus ſit differendo & odioſus altercator ſimilem ſui tabulam in ſchola decceperit: ſed quicquid in artibus & omnibus vitæ actionibus pravè & perverſe judicatur, ſophiſma eſt, ut verè Galenus ſecundo de Temperamentis ait. Et ſic Ariſtoteles 2. cap. 1. Metaphyſ. docet σοφίαν quæ Logica ipſa eſt, eſſe liberam, cum alioqui natura variis ſophiſmatum impoſturis ſeruaſſet, tamq; latè patet, ac latius rationis abuſus, quàm uſus. Hic ſummus & generalis percipiendæ Sophiſticæ finis ab Ariſtotele proponitur: ne fallamus aliū, néve ab alio fallamur. Tum quinque ſpeciales fines vitioſè proponūtur, ἔλεγχος, ψεῦδος, παράδοξον, σολοικισμὸς, ἀδολεσχία: reprehenſio, falſitas, inopinabile, ſolœciſmus, nugatio: Elēchus enim, qui ſolœciſmus eſt, contradictionem propoſiti concludens, falſum concludit, & inopinabile prò falſo habetur: & ſolœciſmus Grammaticæ culpa eſt, eſt, non Logicæ: & ἀδολεσχία, ſicut obſcuritas & reliqua (de quibus dicetur) de vitiis logicis unum eſt, quo deducimur ad falſum, aut avertimur à vero. Hæc itaque partitio ſophiſticorum finium vitioſa eſt, & Sophiſticæ ſummus & ſolus finis eſt τὸ ψεῦδος. quem finē, tum ſophiſtes ad fallendum, tum philoſophus ad cavendum intentis oculis intuetur.

CAP. II. DE GENERIBVS ELENchi, & de elencho inuſitatæ dictionis.

INducendi falſi cauſſas multas variis libris Ariſtoteles propoſuit: nos ſummatim, ut ſtatuimus, colligamus, & generatim componamus. Modi quidē reprehēſionis duo ſunt, alii quidē ſunt circa dictionem, alii veró extrà dictionem, ut eſt in Elenchis tertio capite primi libri. Hæc partitio partē capit à Grāmatica & Rhetorica, partem à Logica: Grammatica enim, ut Rhetorica, doctrina dictionis eſt: Logica autem, rationis tantùm eſt: Itaq; elēchi dictionis, grammatica aut rhetorica vitia ſunt, non logica: vitioſè igitur in Logicis tradūtur.

Cauſſæ captionis circa dictionem, prò dictionis varietate multæ ſunt, aliæ dictionis ſimplicis, aliæ cōjunctæ: Simplicis dictionis elenchi ſunt, inſolentia, homonymia, metaphora.

Inſolētia dictionis impedit rerum intelligentiā, & judicium cōturbat: ideoq; ab Ariſtotele inter peccata problematis ſtatuitur primo capite ſecundi Topici: Uſitatam dictionem contemnere. Peccāt enim, ait, qui alienis nominibus res appellant, ut platanum, hominem: contemnūt enim uſitatam appellationem. Et rurſus præcipitur ſecundo ſecūdi Topici, nominibus ſic res appellādas eſſe, ut vulgus appellarit: item ſecundo capite ſexti Topici. Huius vitii exemplū eſt illud de Siſenna in Bruto Ciceronis: Siſenna autem quaſi emēdator ſermonis uſitati cùm eſſe vellet, ne C. Ruſio quidem accuſatore deterreri potuit, quominùs inuſitatis verbis uteretur. Quidnam iſtud eſt? inquit Brutus, aut quis eſt iſte C. Ruſius? Et ille fuit accuſator (inquit) vetus, quo accuſante Chirtilium, Siſenna defendens dixit quædam ejus ſputatilica eſſe crimina. Tum C. Ruſius: Circumvenior (inquit) judices, niſi ſubvenitis. Siſenna, quid dicas, neſcio: metuo inſidias. Sputatilicia quid eſt hoc? Sputa quid ſit, ſcio: tilica, neſcio. Maximi riſus: ſed ille tamen familiaris meus, rectè loqui, putabat eſſe inuſitatē loqui. Atque in hoc elencho propter obſcuritatem dicendum, Non intelligo, ut hoc Ruſiano monemur exemplo. Et hoc inuſitatæ dictionis vitium à Cicerone notatur, cùm de latinitate præcipit Oratorio tertio.

CAP. III. DE ELENCHO homonymiæ.

HOmonyma, aliquando dicūtur res ipſæ, ut in categoriis primo capite, quarum nomen eſt commune: at ſecundùm nomen, eſſentiæ ratio diverſa: ut homo, & homo pictus, homo dicitur, ſed ratiōe diverſa: Sicq; homo & homo pictus, dicuntur homonyma: quibus ſynonyma ſunt contraria, quæ nomine & nominis ratiōe cōveniunt: Nūc veró homonyma, dicūtur ipſa verba, res diverſis nominibus ſignificātia: ut tertio capite primi Elenchi, μανθάνειν, ſignificat diſcere, quod eſt diſcipulis

& intelligere, quod eſſe poſsit magiſtri. Sic Martialis libro ſecundo de Paulo:

Carmina Paulus emit, recitat ſua carmina Paulus:
Nam quod emas, poßis dicere iure tuum.

Illic poſſeſſor ſignificatur, quód emerit: hîc author, quód fecerit. Sic cũ Sextus Annalis reũ læſiſſet, & inſtaret identidem accuſator Ciceroni, Dic M. Tulli, nũquid potes de Sexto Annali? Verſus autem Cicero, ut Quintilianus ait quarto capite ſexti, dicere cœpit de libro Ennii Annali ſexto:

Quis potis ingentes oras evolvere belli?

Sic Crœſus Lydię rex, ut eſt apud Herodotum libro primo, cúm Apollinem de bello adverſus Cyrum Perſarum regem cõſuleret, oraculo ambiguo falſus eſt: quod ab Ariſtotele citatur quinto capite tertii Rhetorici:

Crœſus Halyn penetrans, magnam pervertet opum uim.

Credidit Crœſus cum Halyn Cappadocię fluuium trajeciſſet, ſe hoſtium magnam vim perverſurũ: pervertit ſuã, ait 2. de Divinat. Cicero. Homonymia propter accentum & ſcripturam frequenter accidit: ut *οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ*, non corrumpitur imbre: Si οὗ ſcribas, erit genitivus, cuſus. Hîc elenchi genus ab Ariſtotele efficitur in Elenchis tertio capite primi: & in arte poëtica: at ſpecies eſt homonymiæ. Ergo Grammaticę etymologia, orthographia, proſodia, in dictione ſimplici faciunt homonymiam: Quę tam frequens eſt, ut philoſophorũ quibuſdam (ait Quinnlianus nono capite ſeptimi libri) nullum videatur eſſe verbum, quod non plura ſignificet. Nec iccirco tamen exiſtimari volo, omnem diſputationem vitioſam, ſed ſi in eadem oratione diſſimiliter idem verbum intelligatur. Eſt veró hic elenchus omniũ ἀφυέστατος καὶ δημοσιώτατος καὶ συνηθέστατος maximé naturalis ac vulgatus & uſitatus, ut eſt in Elenchis primo capite primi, & ſeptimò capite ſecundi: Nam quia fieri non poteſt ut de rebus ipſis propalàm atque ante oculos poſitis diſſeramus, ut eſt primo capite primi, ſed nominum ſymbolis atq; notis pro rebus utimur: quód in omnibus uſuvenit, id quoq; in rebus arbitramur uſuvenire: quemadmodum iis accidit, qui calculis ratiocinantur. At id nequaquam eſt ſimile: nomina ſiquidẽ ſunt finita, & verborum finitus numerus: res autem ſunt innumerabiles & infinitæ: neceſſe eſt igitur eodem verbo ac nomine plura ſignificari. Quemadmodum itaq; à peritis falluntur ii, qui calculos ſubducere neſciunt: ſic in diſputatione qui verborum uim neſciunt, decipiuntur, ſive ipſi diſputent, ſive diſputantes audiant. Atq; ut ſcribitur in Elenchis tertio capite ſecundi libri, adverſus tantam Hydram, remedium diviſionis & diſtinctionis unicum valebit.

——Recitat ſua carmina Paulus:

Diſtingue ſua, vel quæ fecit, vel quæ emit: De ſexto Annali, diſtingue Annali vel teſte vel libro: Opum vim, diſtingue vel Crœſi vel Cyri. Sic neceſsitatis diſtinctione retexuimus Ariſtotelis diſputationem de futuro contingenti. Tali diſtinctione luſit Martialis in Cæcilianum libro primo:

Cúm dixi ficus, rides quaſi barbara verba:
Et dici ficos Cæciliane, iubes.
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci:
Dicemus ficos Cæciliane, tuos.

Atq; hoc etiam homonymiæ vitium, grammaticum eſt, non logicum: & cúm de perſpicuitate orationis præcipitur à Cicerone, de vitãda ambiguitate verbi ſermoniſq; præcipitur.

CAP. IIII. DE ELENCHO *Metaphoræ.*

Metaphora veró, ut docẽt in arte poëtica, eſt nominis allieni illatio, aut á genere ad ſpeciẽ, aut à ſpecie ad genus, aut à ſpecie ad ſpeciem, aut ſecũdum proportionẽ. Hîc Ariſtoteles metaphoræ nomine, ut Cicero in Oratore rectè animadverterit, tropos omnes comprehendit: In iis enim omnibus alienum nomen aſſumitur: ſed certé quatuor illis partibus non ſatis accuraté diviſit: quarũ duæ primæ ſynecdochem, quarta veró metaphoram exprimit: tertia fortaſsis poſsit ironiam & allegoriam comprehendere, quæ contrariam ſpeciem pro contraria ſumunt. At id Ariſtoteles nõ exprimit, nec tropi nomen ullum ſpeciale ponit: ut eius ætate videatur ars troporum nondum extitiſſe. Sed metaphoras, id eſt tropos, Ariſtoteles quinque locis à logica diſputatiõe in Organo reiicit. Tautologia perri-

perridicula,ſed tamē Ariſtoteli uſitata. Cùm igitur dixiſſet in poſterioribus decimoquinto capite ſecūdi,difficiliùs genera,quàm ſpecies definiri, quia in iis homonymiæ magis latent: tum ad eas cavendum,metaphoras ita rejicit. Si verò non differendum ſit metaphoris, ſanè nequaquā definiēdum, neq; metaphoris,neq; per ea quæ metaphoris exprimuntur: differēdum enim metaphoris eſſet. Hîc Ariſtoteles metaphoras, velut homonymiæ latebras rejicit. Secundus eſt locus tertio capite quarti Topici: Cōſiderandum verò etiam an ſecundū metaphoram dictum,ut genus aſsignavit. Metaphoram reprehēdit Ariſtoteles in aſsignatione generis,quia genus nō ſecundum metaphoram, ſed propriè de ſpecie dicitur. Tertius eſt locus ſecundo capite ſexti Topici, Quòd obſcura ſit definitio, ſi ſecundum metaphoram dixit: quidlibet enim obſcurum eſt metaphorà pronunciatum. Accidit autem etiam,ut qui metaphoris utitur, imponat & calumnietur. Hîc metaphoræ culpa oſtenditur, quòd incerta & obſcura ſignificatio ſit. Quartus eſt locus repertus è proximo ſecundo capite ſeptimi Topici: Tum ſi transferendo dixit nomen. Quintus: Tum cujus veritas exquiritur, ſi quis translatis nominibus utatur, in his maximè latebit: Nam qa incertum eſt,utra pars vera ſit, ſophiſticè agere non videbitur: Cumq; ſit ambiguum,neque mentiri videbitur: metaphora ſiquidem diſputationē reprehenſionis expertem præſtabit. Hîc ſuperior illa culpa citatur, & metaphora inter elenchos jam planè numeratē: tametſi metaphora plerūque neceſſaria eſt, cùm verbis propriis caremus: Et metaphora,quæ vera metaphora eſt, ut Ariſtoteles ipſe docet ſecundo capite ſexti Topici, quodammodo quod ſignificatur,notum facit per ſimilitudinē: Et Ariſtoteles in poſterioribus analogiam nominum,id eſt metaphoram hāc probavit: Idēq; in Rhetoricis tales metaphoras imprimis celebravit,quæ ſuaves, ſignificātes, è propinquo ſumptæ eſſent: eiſq; imaginem,amplitudinem orationis, facetias, ſubjectiones ante oculos, proverbia,ſuperlationes ſubjecit. Quid ergo? Certè arbitror Platonis cauſſā ab Ariſtotele tam valdè metaphoram reprehendi, cujus oratio videatur Ariſtoteli, quarto capite ſecundi Politici, redūdantiam habere,& loquacitatem & inſolentiam & affectationem: nam propter metaphoras & tropos Platonis, id (opinor) eſt Ariſtoteli viſum. Quare metaphora licet ab Ariſtotele tot locis reprehendatur, obſcura tamen & inuſitata potiùs videatur, quàm omnis metaphora reprehendi: aut in accurata diſceptatione, verbi proprietati poſtponi: quia propriis verbis, perſpicua fiat oratio,modificatis ornata, ut eſt ſecundo capite tertii Rhetorici: tanquam ad perfectè docendum rhetorica elocutio non conveniat: quamvis ad rudes nec ſatis attentos (quales plerique naturâ ſumus omnes) excitandum plurimùm poſsit. Atque huic elencho diſtinctione ſimiliter eſt occurrendum, ut propria & modificata ſignificatio dividatur. Neque hoc metaphoræ vitiū,quodcunque poſsit eſſe, logicum vitium eſt, ſed rhetoricum.

CAP. V. DE ELENCHO *Amphiboliæ.*

Simplicis dictionis elenchos ſequūtur conjunctæ dictionis elenchi, amphiboliæ & expoſitionis. Amphibolia,eſt ambiguitas orationis,non è verborum ſignificatione, ſed è ſyntaxi deducta: ut,

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.

Qua ambiguitate deceptus eſt Pyrrhus bello adverſus Romanos ſuſcepto: Hîc ſtatuuntur compoſitio & diviſio pro generibus elenchorum in dictione, de quibus tertio capite primi Elenchi: ut, Poſsibile eſt non ſcribentem ſcribere: compone (non ſcribentem) cum (ſcribere:) & tempus utriuſq; compone: ut propoſitionis hujus (poſsibile eſt, non ſcribentem ſcribere) ſit ſenſus (non ſcribēs ſcribit:) propoſitio eſt poſsibilis, aut res eſt poſsibilis ſenſus erit cōtradictionis & impoſsibilis: ſignificabitur, nēpe, quòd qs habet poteſtatē, ut nō ſcribens ſcribat: At diviſio faciet ſenſum facilè, ſi tēpora dividas & diſtinguas: Poſsibile eſt non ſcribētem ſcribere. Significatur enim quòd quis, quādo non ſcribit, habet poteſtatē ut aliquando ſcribat. Hîc igitur, ut in cæteris elen-

chis

chis, per oppoſitũ ſolutio erit, ſicut præcipitur in Elẽchis tertio capite primi: & quia compoſitione temporis, elenchus creatur, diviſione temporis diſſolvetur. Diſſimiles amphſboliæ ſequuntur in Elenchis tertio capite primi:

Quinquaginta virum cẽtũ liquit divus Achilles.

Pone poſt quinquaginta, virgulam, ſenſus erit, Achilles è viris centum liqt quinquaginta: pone poſt virũ, ſenſus erit, è quinquaginta viris Achilles liquit centũ: quod etſi fieri non poteſt, nec ſenſum turbare poteſt, attamen ipſum syntaxeos genus eſt vitioſum, ut etiã Quintilianus annotavit ſecundo capite libri octavi. Item, Ego te feci ſervum liberũ: vel è ſervo liberum, vel contrà è libero ſervum. Quinq; ſunt duo & tria: ergo paria & imparia: compoſitus in antecedente ſenſus verus eſt, quód quinque ſunt duo & tria ſimul juncta: diviſus, falſus: nec enim quinque ſunt duo: nec itẽ quinq; ſunt tria. Hæc compoſitionis & diviſionis exempla, ſunt iccirco vitioſa, quia amphibola: Itaque ejuſmodi orationis compoſitionem & diviſionẽ, amphiboliæ ſubjicio: alia rerum cõpoſitio & diviſio erit, de qua poſtea in diviſionis elencho. Atque amphibolia diviſione ſententiarum ſolvetur, ut homonymia, diviſione ſignificationum:

Aio te Aeacida, Romanos vincere poſſe:

Diſtingue, vel q Aeacides poſsit Romanos, vel q Romani Aeacidẽ. Eſt autẽ amphibolia apd' Aelianũ de re militari cap. 51. feſtinationis cujuſdã militaris, cũ genus præponit ſpeciei, periculũmque fit in ardore prælii ne miles audito genere ſpeciem ſequatur pro ſpecie. Itaq; docet Aelianus ſpeciem præponẽdam generi ſic. Haſtam verſus declina, Clypeũ verſus muta; nõ contrà: ſed amphiboliæ talis elenchus non eſt orationis, ſed temporis. Atq; adhuc tres elenchi ſunt, quib. partitione & diſtinctione ſit occurrendum. Et hoc etiã amphiboliæ vitium grammaticum eſt, & grãmaticæ ſyntaxeos vitium.

CAP. VI. DE ELENCHO *expoſitionis.*

PRæter amphiboliam notat Ariſtoteles pravam expoſitionem, deq; ejus elencho copioſè diſſerit triceſimo tertio capite primi Priorũ: Frequenter autem errare continget, quia non rectè exponantur ſecundum propoſitionem, termini: ut ſi nunc habitus, nunc *dictum*, ſuſcepnivi vocabula ponantur:

Nulla ægritudo poteſt eſſe ſanitas:
Homo eſt ægritudinis capax:
Homo igitur non poteſt eſſe ſanus.

Videtur concluſio ſyllogiſtica eſſe: at fallacia eſt: hujus veró cauſſa eſt, quia non apta dictione, termini exponãtur: qui ſi aptè exponantur, concluſio non procedet:

Nullus æger poteſt eſſe ſanus: Homo eſt æger:
Homo igitur non poteſt eſſe ſanus.

Propoſitio falſa erit: nec verò laborãdum, ut terminos nomine ſemper exprimamus: frequenter enim rationes erũt, quibus nulla ſunt nomina. Hoc præcepto verè monemur tres terminos in ſyllogiſmo ad trium verborum ſimpliciũ ſervitutem revocandos non eſſe: tanq; nullus ſyllogiſmus, niſi ſimplicibus dictionibus efficeretur: eſſetq; idem, ſyllogiſmum tribus terminis, & tribus ſimplicibus vocabulis effici: denique genus illud ſermonis, quo ſæpe Ariſtoteles utitur, ineſſe, & ſimilia, ut attribui, dici, nequaquam eſt ad unã & eandem & perpetuam orationis normam revocandum, ut propoſitionis termini, ſubjectus & attributus, ſint perpetuó nominativi caſus: ut,

Homo eſt animal:

aut alia certa & perpetua formula exprimantur: ſed quot modis verum falſumve exprimi poteſt, tot modis accipiendum eſt ineſſe aut non ineſſe, ſive rectis, ſive obliquis caſibus id fiat: ut,

Omnis philoſophia eſt boni:
Omnis Logica eſt philoſophia:
Omnis igitur Logica eſt boni.

Attributa caſibus obliquis efferũtur, nec res eò minùs intelligitur: attamẽ cũ retexemus & reſolvemus exempla, longioris orationis ambitu expoſita, trãſmutatio nominum & orationum adhibenda erit, cõtrahendáque res brevius, quò facilius æſtimetur, ut docetur triceſimo nono primi Priorum: Verba verò etiam idem valentia pro verbis, & orationes pro orationibus: verbũq; & oratio, & ſemper pro oratione verbũ commutandum: facilior enim fuerit expoſitio terminorũ. Præcepti ſuperioris quædam

quædam eſt interpretatio: quāvis in vero & humano uſu poëtarum, oratorum philoſophorum, omnium denique hominum bene differentium, termini plerunque longis conſtent orationibus, attamen cùm retexentur, quoad fieri poterit, longitudo contrahetur: quantò enim magis compendiaria diſputatio fuerit, tanto cernetur acutiùs, & accuratiùs judicabitur. Eſt tamē conſiderandū quid pro quo ponatur, ac ne commutandis verbis, ſententiæ quoque commutētur: quod exemplo monet Ariſtoteles: Non enim idē eſt, *τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν, ἀγαθὸν, καὶ τὸ εἶναι ἡδονὴν τὸ ἀγαθὸν*, ſicut videtur: nam articulus *τὸ*, cū nomine, *ἀγαθὸν*, ſummum bonum ſignificat. Latinè hęc captio nō latet, ſed apparet: Aliud enim eſt, Voluptas eſt bonū, & voluptas eſt ipſum bonum. In hoc igitur elencho, ſecundū oppoſitum ſolutio erit, & notiore expoſitione deterior corrigetur: & quod inuſitatæ, idem pravæ orationi dicetur, Non intelligo. Atque hæc apud Ariſtotelem adverſus elenchos & paralogiſmos dictionis tum ſimplicis, tum conjunctæ, documenta ſunt: Elenchi extra dictionem explicandi ſunt, qui Logicæ vitia ſunt propria, cùm illa Grammaticę ſint & Rhetoricæ: ideò Ariſtoteles propter dictionem ſtatuit: nō enim ad externū & prolatum ſermonem demōſtratio eſt, ſed ad interiorē animi rationem: quin neque ſyllogiſmus: ſemper enim licet inſtare externo ſermoni: interiori aūt non ſemper licet, ait Ariſtoteles octavo capite primi Poſteriorum. Elenchi extra dictionem, ſunt variè propoſiti toto Organo, ſicut elenchi propter dictionem: ſed invētionis elēchi duobus præcipuè Elenchorum libris: Verùm ut virtutes expoſuimus, ſic vitia velut ex altera parte reſpōdentia proponamus. Duo ſunt igitur communia inventionis vitia, petitio ejus quod erat in principio, & redundantia.

CAP. VII. DE ELENCHO *petiti ejus quod erat in principio.*

Obſcuritas peculiari ſermone Ariſtoteli notatur in prioribus Analyticis decimo octavo capite ſecundi, & quinto octavi Topici: & in Elēchis, quarto & quinto capite primi, item quinto ſecūdi: Petere quod eſt in principio & ſumere, id eſt nō probare propoſitum. Quæſtio aūt ab Ariſtotele appellatur mathematico ſermone, ut antea dixi, quod erat ex principio: vel quod idē eſt, quod erat in principio: Ideoque cum quis obſcurè ratiocinatur, nec intelligētiam ſuam explicat, & tamen ſibi credi vult, petit ſanè quęſtionem, quę poſita initiò fuerat, gratis approbari: & quanvis nihil perſuaſerit, ſibi tamen credi: probationem pollicetur, non perſolvit: ſatiſfacere tamē videri vult: poſtulat igitur debitum, tanquam ſibi condonari. Summa verò petitionis eſt, ſi per ignotiora aut æquè ignota, diſputatio fiat: Manifeſtiſsimè verò & ſtatim petitur, quādo idem prorſus petitur, ut in ſynonymis. Obſcuritatis exemplum nobile eſt apud Ciceronem ſecundo de Divinatione. Quid enim, inquit, mea cauſſa me mones, quod nō intelligam? Quid me igitur mones? ut ſi medicus ægroto imperet, ut ſumat

Terrigenā, herbigradam, domiportā, ſanguine caſſam,

potiùs quàm hominum more, cochleā dicat? Nā Pacuuianus Amphio,

Quadrupes, tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
Capite brevi, cervice anguina, aſpectu truci:
Eviſcerata, inanima, cum animali ſono:

Cùm dixiſſet obſcuriùs, tum Attici reſpondent, Non intelligimus, niſi apertē dixeris. At ille uno uerbo, Teſtudo. Nō poteras hoc igitur à principio, citharista dicere? Obſcuritatem in illis definitionibus Cicero reprehēdi oſtendit: Ariſtoteles tertio capite octavi Topici, hîc dicendum ait, *οὐ μανθάνω*, nō intelligo: Id nempe & Attici illi reſpondent, Non intelligimus. Et illud eſt, quod in verbis inuſitatis & prava expoſitione, quia obſcura eſſet, dicendùm monuimus.

CAP. VIII. DE ELENCHO *heterogeniæ.*

Superuacuum eſt, quo remoto, reliquū nihilominus eſt perfectū: vitiū multis ab Ariſtotele & locis & nominib. expoſitū: In Topicis quarto capite octavi, deſcribitur inter reprehenſiones diſputationis ſecundū ſe: Si ad quæſtionem non fiat ſyllogiſmus. Modò rurſus ſimiliter, ſed alio nomine, inter ſpecies falſæ diſputationis ponitur: Quādo ſyllogiſmus quidē concludit, nō tamen ad

propo-

propoſitum. Et ſeparatim rurſus in Organo notatur, & diviſionis & definitionis & ſyllogiſmi, de quibus commodius antea. Species redundātiæ duæ ſunt inſignes, & ab Ariſtotele vehementer animaduerſæ, ἑτερογένεια καὶ ταυτολογία. Nā ſupervacua res ideo eſt, quia aut aliena eſt ipſa per ſe: aut ſi non ſit, tamen quia ſępiús iterat̃, iteratione ipſa nihil ꝓdeſt.

Alienigenum dicitur, quod eſt diverſi generis, quod interdū Ariſtoteles appellat multa & differentia genere, & externi generis: abſolutè autem accidentia appellat, quæcunque videlicet non ſunt per ſe: Cujuſmodi fuerit ſiquid ſit etiam ad propoſitum, non tamē ſecundum propriam diſciplinam, ut præcipitur quinto capite octavi Topici: quod accidit, ſi non medica diſputatio, videatur eſſe medica, aut geometrica quæ non geometrica ſit, aut dialectica, non dialectica, ſive verum, ſive falſum ſit quod concluditur. Atq; hanc ἑτερογένειαν in Analyticis Ariſtoteles, dum contrariam συγγένειαν commendat, lauſſimé diſſeruit ſeptimo & octauo & nono capitibus primi Poſteriorū. Si Arithmetica geometricē tractes, id eſt ἀνάρρυθμον· ſi geometrica tractes arithmeticé, id eſt ἀγεωμέτρητον. Itaq; ut evitetur hæc ἑτερογένεια, jubet Ariſtoteles arithmetica arithmeticé, geometrica geometricē, mechanica mechanicé, optica opticè, cæteraq; ſimiliter ſuo ꝓbationis genere tractari. Sed hîc τῆς ἑτερογενείας modus eſt ſeverior, & in diſciplinis magis, quám in communibus & popularibus diſputationibus animadvertēdus: & propriè opponitur ſciētificæ notæ per ſe: Ideoq; licet Ariſtoteli dicatur ſecūdo capite ſecundi Topici, ſophiſticus modus eó deducere, ubi argumentis abundemus: in Elēchis duodecimo capite primi, locus ſophiſticus: attamen videtur hanc aliquando digreſſionem concedere, cúm ait quarto capite octavi Topici: Oportet autem bene traducentem, Dialecticē ac nō cōtētioſè traducere. Quapropter oratores & poëtę in rebus popularibus hanc digreſſionis licentiam ſibi permittunt: imò cúm aptè ad reficiendos audientium vel legentium animos fiat, laudis & virtutis loco ducūt. Ergo quod in accurato genere docēdi vitioſum fuerit, id aliquando fuerit in populari laudabile. Hujus vitii feſtivum illud eſt apud Martialem exemplum libro ſexto:

Non de vi, neq; cæde, nec veneno:
Sed lis eſt mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc judex ſibi poſtulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Marioſq;, Mutioſq;,
Magna voce ſonas, manuq; tota.
Iam dic Poſthume, de tribus capellis.

Sic Lycophron ab Ariſtotele reprehenditur in Elenchis decimoquarto capit primi: cui cum propoſitum eſſet ex arte lyrā cōmēdare, in res alienas abiit.

CAP. IX. DE ELENCHO *Tautologiæ.*

Ταυτολογία eſt ſi ſæpiús idem dicitur, ut eſt ſecundo capite ſexti Topici: ἀδολεσχία, nugatio eſt eadem, & in quinto Sophiſticę fine ab Ariſtotele numerata: tantum hoc Ariſtoteli vitium viſum eſt. Ταυτολογία autem interdū obſcurior eſt: ut ſi quis dicat duplum dimidii, bis idem dicit: nam duplum per ſe, eſt dimidii: Itaq; qui dicit duplū dimidii, perinde eſt, ac ſi dicat, dimidii, dimidii duplum, ut eſt in Elēchis decimo tertio capite primi. Eadem veró eſt apertior ſecundo capite ſexti Topici, ſi cúm univerſale dictū ſit, addatur & particulare: ut ſi quis dicat, Medicinam, eſſe ſcientiam ſalubrium animali & homini, qui elēchus longè manifeſtiſsimus eſt, cúm generale quicquā per ſpecies ſæpiús iteratur: Tres angulos duobus rectis pares habere, ſi quis demonſtret ſeparatim, per ſpecies, æquilaterū, æquicrurum, varū, iſoſceles, non demōſtret, ait Ariſtoteles in Poſteriorib. quinto capite primi, niſi ſophiſtico modo. Hæc enī ταυτολογία opponit̃ ſcientificæ notæ, univerſaliter primū. Et Ariſtotelis ratio τῆς ἀδολεσχίας certa eſt: complures enim demōſtrationes, qui ſic demonſtrat, efficit, cúm poſsit de omnibus vna demōſtratione monſtrari. Ac nimirúm in conſtituenda Logica, ſtudii noſtri pręcipuus adhuc labor iſte fuit, ut generalis doctrina variis apud Ariſtotelem locis infinitè repetita, generaliter ac ſemel exponeretur: ταυτολογία itaq; & ἀδολεσχία, fuerit in docendo ejuſmodi vitium: at magnorum etiam ingeniorum

niorum vitiũ, ut Ariſtoteli in logicis artibus perpetuũ, interq; alia, Ciceroni ab Atticis oratorib⁹, qui Romæ dici voluerunt, objectũ, quòd in repetitionibus nimius eſſet, ut ſcripſit Quintilianus libri duodecimi capite decimo. Quod in populari tamen & civili diſputatione, quæ ſemel & pronũciatur & auditur, neceſſariũ interdũ fuerit, ne res prælabatur: & in una re cõmoratione Attico oratores inter virtutes cõſtituũt. At ſecùs eſt, cùm ad attentũ ſua ſpõte & cõſideratũ auditorẽ docendũ, res ſcripto mandatur: Tum enim quanvis ſemel expoſita (ſi prima fortè lectione percepta non ſit) attamẽ quoties lubet, legi ac relegi poteſt. Atq; in hoc toto redundãtiæ Elencho dicendum, Nil ad rem.

CAP. X. DE ELENCHO τὸ ἀναίτιον.

COmmunibus inventionis vitiis expoſitis, propria ſingulorum argumentorũ exponãtur: Fallaces enim cauſſæ & mendaces fingi poſſunt: Itẽ facta & reliqua argumenta falſa pro veris aſſumi poſſunt, ſicut Ariſtoteles ferè nominatim de ſingulis admonuit: ἀναίτιον ὡς αἴτιον, nõ cauſſa, ut cauſſa ab Ariſtotele nominatum dicitur in prioribus Analyticis decimo nono capite ſecũdi: Itẽ in Elenchis quarto capite primi. Sic cauſſa equi fabricati, & in urbẽ recipiendi fingitur à Sinone, Æneidos ſecũdo:

Hanc pro Palladio moniti, pro numine læſo
Effigiem ſtatuère, nefas quæ triſte piaret:
Hanc tamẽ immẽſam Chalcas attollere molem
Roboribus textis, cæloq; educere juſſit:
Ne recipi portis aut duci in mœnia poſſit:
Neu populum antiqua ſub religione tueri.

Idem locus eſt in Rhetoricis viceſimo quarto capite ſecundi, ad non cauſſam, ut cauſſam, quomodo Demades criminabatur Demoſthenis adminiſtrationẽ, omnium malorũ cauſſam, cùm nequaquam tamen fuiſſet. Ariſtoteles hunc elenchum ſuo nomine deſignavit; cujus exemplo ſic cogitare poſſimus, non factum pro facto, & falſa pro veris adhiberi cætera argumenta poſſe.

CAP. XI. DE ELENCHO factorum.

EFfecta plerunq; vitioſa ſimiliter aſſumuntur, tanquam ab aliis profecta cauſſis. Martialis primo libro de rhetore:

Extemporalis factus eſt meus rhetor:
Calphurnium non ſcripſit, & ſalutavit.

Salutare enim quempiã nominatim ac memoriter, extemporalis eloquentiæ effectum nullum eſt: ſed obliviosi hominis memoriã feſtivè Martialis notavit. Quinti Fabii res geſtæ extenuabantur ab inimicis, & oviculæ atq; cunctatoris facta dicebantur, cùm eſſent boni & prudentis Imperatoris.

CAP. XII. DE ELENCHO ſubjectorum.

GRammatici non loquendi modò ſcientiam ſibi vendicant, ſed etiã poëtas enarrandi: quod poſtremum tamen ejus artis alienum eſt: nec ullum in Grãmatica traditur præceptũ, nec tradi debet, de poëtarũ ſententiis interpretandis. Nam ſi quid in poëtis dialecticũ, phyſicum, ethicum, medicum, hiſtoricum fuerit, ex earũ artiũ, non Grammaticæ decretis repetendum erit. Rhetores inveniendi, diſponendi, ornandi, recordandi, pronuntiandi artes, ſuæ diſciplinæ ſubjiciunt, cùm ſit inventio diſpoſitioq; Dialecticorũ: & memoria, ſi quid artis habeat, dialecticæ diſpoſitionis quædam ſit umbra. Generalis argumentorũ doctrina ad ſpeciales quæſtiones variis apud Ariſtotelem libris eſt repetita, ut ſuperioribus libris docui. At generalis doctrina generaliter docenda eſt, ait lex Ariſtotelis, ſecùs ſophiſtica eſt: nec generalis doctrinæ ſubjectũ ſpeciale, ſed generale propriũ eſt. Cæteris ſtudiis artium utinam non tanta reprehenſionis hujus materies abundaret, vel redundaret potiùs.

CAP. XIII. DE ELENCHO adjunctorum.

EX adjunctis frequentior error naſcitur, & videtur ab Ariſtotele nominatim propoſitus: hinc enim oritur elenchus, de quo eſt in Elenchis quarto capite primi, Propter accidens: paralogiſmi ſunt, quãdo ſimiliter quilibet putatur rei accidẽti ineſſe, id eſt ſubjecto & attributo, ut ſi Coriſcus diverſus eſt ab homine, ipſe eſt diverſus à ſe, eſt enim homo. Ariſtoteles hîc obſcurus eſt: exemplũ ejus retexatur: ſic in ſecunda figura concluderetur

Coriſcus diverſus eſt ab homine:
Coriſcus eſt homo:
Coriſcus igitur diverſus eſt á Coriſco.

Atqui ſi propoſitiõis ſenſus, ut videtur, negatus ſumatur, pro, Coriſcus non eſt homo, propoſitio falſa erit, & ex oppoſitis antecedẽtibus, oppoſita ſibi cõplexio efficietur: ſin affirmatus, ex affirmatis concludetur ἀσυλλόγιστως in ſecũda figura: nos apertiús fecerimus, ſi dicamus omnem ex adjunctis accidentibus fallaciam, hujus eſſe loci: hinc etiam, ſed facilior erit elẽchus alter τοῦ ἑπομένου, conſequẽtis, nominatim ab Ariſtotele propoſitus ibidem: Itemq́ quinto & ſexto & ſeptimo capite ejuſdẽ libri: pars enim quædam eſt accidentis conſequens. Hîc veró elenchus accidit, quód exiſtiment converti conſequentiam. Quo è ſophiſmate oriuntur illæ ſenſuum fallaciæ: E felle, mel eſſe ſuſpicamur, quia

Si mel eſt, flavus color eſt:
At eſt in felle talis color:
Iccirco mel videtur.
Si pluit, terra madida eſt:
At eſt madida:
Pluit igitur.

Quod iteratur primi Rhetorici capite viceſimo quarto.

Si magnanimus, contemptor eſt hominum:
At talis eſt Alexander:
Magnanimus igitur.
Si tumidus eſt, fugiet:
At fugit: Tumidus igitur.

Magnas victorias imperatores callidi hac fallaci & inſidioſa ſophiſmatis ſimulatione conſequuti ſunt: Hannibal Romanos ad Trebiã, ad Thraſymenum lacum ſophiſtica illa fallacia circumvenit. Thomyris Scytharum regina Cyrũ cum ingenti exercitu delevit: Hinc pluri mæ in opticis hallucinationes. Hinc ſimulationũ permultarũ ac diſſimulationum involucra naſcunť: Sed tamen nõ omne cõſequens eſt ex adjunctis: poteſt enim genus eſſe, & error par erit: ut,

Si equus homo eſt, animal eſt:
Sed animal eſt:
Homo igitur eſt.

Nec fallacia hæc tantúm argumenti eſt, ſed & argumentationis: De hac igiť rurſus in analyſi ſyllogiſmorum: Quare ut vitiorum genera ſeparemus, fallaciã accidentis & conſequentis hîc capiamus pro fallacia adjuncti non proprii neque neceſſarii, ſed quod re ipſa adeſſe poſsit & abeſſe, & cujus concluſione & conſecutione falli poſsimus.

CAP. XIIII. DE ELENCHO oppoſitorum.

Oppoſitorũ locus captiones acriores habet, ac ſæpe pro oppoſitis ſumũtur, quæ oppoſita nõ ſunt: Martialis libro quinto:

Pinxiſti Venerem, colis Artemidore Minervã:
Et miraris opus diſplicuiſſe tuum?

Hæc ſimul fieri poterant, & tamen opus placere: Oppoſita ſi ſubjiciunť, non faciunt oppoſitionem: ut,

Candor eſt color:
Ergo nigror non eſt color:

Non ſequiť: de oppoſitis ſiquidẽ poteſt idẽ dici: nec oppoſita definiunť, dè quibus dici nõ poſsit idem, ſed quæ de eodẽ non poſsint: Si dicantur nõ de rè ſibi naturaliter affecta, quãvis medio careant, tamen verum & falſum non dividunt: ut ſi de mortuo Socrate dicatur:

Socrates eſt æger,
Socrates eſt ſanus:

Utrumq́ falſum eſt: quín ſi oppoſita tantúm ſint in parte attributi, oppoſitio neceſſaria non eſt: Tibullus libro primo:

At vos exiguo pecori furesq́; lupiq́;
Parcite, de magno eſt præda petẽda grege.

Præda petenda eſt de grege magno: ergo non eſt petenda de grege parvo: non ſequitur.

Socrates eſt leo magnus:
Socrates eſt leo non magnus:

neutrum verũ eſt, quia modus attributi tantúm negatur & affirmatur, non autem etiã attributũ ipſum. Ad hujus loci captionem attinent ex parte quadã plures interrogationes, de quibus in Elenchis quarto capite primi: ut ſiquis de rebus, quarum bonæ quædam ſint, quædã non bonæ, interroget, Utrúm omnes bonæ, an non bonæ? Diſjunctio videtur eſſe vera, quia attributa ſint contradicentia: at cúm generaliter enunciatur utrumq́, nõ neceſſarió verum falſumq́ dividunt, nec pars altera veré reſpondetur: nec omnino ſequitur, Putas ne omnis homo ſapiens eſt? nõ: Omnis igitur homo eſt nõ ſapiens, ut eſt primo capite ſecundi de Interpretatione. Totum

verò oppoſitorum locum videtur Ariſtoteles improbaſſe, & inter vitia diſputationis collocaſſe: & certè contrarium tot modis peti docuit quinto capite octavi Topici, quot modis peteretur, quod eſſet in principio: quaſi cùm oppoſita naturâ ſimul eſſent & æquè nota, fruſtra ad alterius diſputationem alterum peteretur: Attamen etſi ad accuratè demonſtrandum, oppoſita non valent, valent tamen ad refellendum: & ex alterius oppoſitione, alterum attentiùs conſiderādum, neq; oppoſitū cum ſimul natura ſit, docet ex poſteriore: Nec falſò tritum ac celebratum eſt illud axioma è ſecundo & decimo ſeptimo capitibus tertii Rhetorici: Contraria juxta ſe poſita, maximè elucere. Nec tam ſæpe tamq; latè propoſitus ab Ariſtotele locus hic eſſet, pro logico loco, ſi inutilis ei viſus eſſet: nec ἀναπόδεικτον axioma, omnium principiorum principium ab eo factum eſſet.

CAP. XV. DE ELENCHO *comparatorum.*

EX comparatis ſunt etiā ſuæ captiones. Quia quod virum bonum facere oportebat, id loquebatur Nævius: credidit Quintius eum, qui orationem bonorum imitaretur, facta quoq; imitaturum: ait Cic. pro Quintio.

Quòd alpha dixi Codre, penulatorum
Te, nuper aliqua cùm jocarer in charta:
Si fortè bilem movit hic tibi verſus:
Dicas licebit, beta me togatorum. Martialis lib. 5.

Paria videntur alpha penulatorū & beta togatorū, quia ſunt affines alphabeti literæ: cùm illa tamen primum, hac ſecundum aut nihil ſignificemus. Huc pertinet error conſecutionis ad eadem, nominatim ab Ariſtotele propoſitus ſecundo capite ſecundi Topici. Nec enim Ariſtoteli vera fuerit illa Ciceronis diſputatio in quinta Tuſculana: Quidē cùm fatentur ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, nonne fatendum eſt, eandem vim in virtute eſſe ad beatè vivendum? Contraria enim contrariorum ſunt conſequentia: imò ait Ariſtoteles, amica & conſentanea cōtrariorum poſſunt eſſe conſequentia: ut,

Candor eſt color:
Et nigror eſt color:

Nec omnino ſequitur,

Candor eſt color:
Ergo nigror non eſt color.

Hic conſecutionis error in contradicentibus multò frequentior eſt:

Homo eſt animal:
Ergo non homo eſt non animal.

Hic mathematicus elenchus non eſt ignotus: Quæ eidem æqualia; inter ſe æqualia. Ergo quę eidem ſunt inæqualia, inter ſe ſunt inæqualia. Item, Quæ eidē σύμμετρα, inter ſe σύμμετρα. Ergo quæ eidē ſunt ἀσύμμετρα, ſunt inter ſe ἀσύμμετρα. fallit enim utrobiq; parium collatio: ut, 2 & 2 ſunt inæquales ad 5: Ergo ſunt inter ſe inæquales. Item, Duo labra quadrati ſunt ἀσύμμετρα diagonio: Ergo inter ſe ſunt ἀσύμμετρα. Nec in privātibus valet, Videns eſt vivus: Ergo cæcus eſt mortuus, contra præceptum Ariſtotelis in tertio capite ſecundi Topici: ubi affirmat hanc cōſecutionem in relatis & privantibus eſſe perpetuam: Et quidem alienum eſt, è logicis inventionis conſtantiam conſecutionis metiri: Id enim eſt judicii ſyllogiſtici. De quo elencho dicemus ruſum in vitiis ſyllogiſmorū, quia id argumenti & argumentationis commune vitium eſt.

Solvere Pæte, decem tibi me ſeſtertia cogis,
Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi:
Ne noceant oro, mihi non mea crimina: tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem:

Ait Martialis libro undecimo. Sic Cicero ſecundo ad Atticum: Herculè verū ut loquamur, ſubcontumelioſè tractatur noſter Publius: primùm qui cùm in domo Cæſaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem eſſe poterit.

Virgilius quarto Georgico:

——Quid me cœlum ſperare jubebat?
En etiā hunc ipſum vitæ mortalis honorē,
Quem mihi vix frugum & pecudum cuſtodia ſolers
Omnia tētāti extuderat, te matre relinquo.

Humanos honores nō retineo, quomodo divinos aſſequar? ait Ariſtæus ad matrem Cyrenem: At plerunque illud eſt majus, quod pro minore poſuit. Similitudinis fallaciam propoſuit Ariſtoteles tertio, & quinto, & ſexto, & ſeptimo primi, & tertio ſecundi Elenchi, nomine τὴν ὁμοιοσχημοσύνην, ſimilis formæ: ſed hanc ſimilitudinem, ad dictionē videt

retuliſſe: ut, tondere eſt activum, ergo & valere: utrũque enim ſimili forma dicitũ. At iſta ſimilitudo formæ in rebus, ſicut in dictionibus poteſt accidere: quod Ariſtoteles ſuis exemplis indicat decimo tertio capite primi Elenchi: imó præceptis, cum ipſemet doceat, omnes fallacias primo capite primi Elenchi, quadam ſimilitudine fieri.

CAP. XVI. DE ELENCHO *conjugatorum & notationis.*

Conjugata captioſa ſunt, ſed ferẽ aliqua generali cauſſa, ut ambiguitatis: Ovidi⁹ ſecũdo de Arte:

Aurea nunc verè ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos: Auro conciliatur amor.

Quod idem exemplũ Propertius habet libro tertio. Quale & in Ethicis illud, quarto capite ſecundi ad Nicomachum: Iuſta agit, ergo juſtus eſt: Non ſequitur, ait Ariſtoteles, quia juſta res agi poſsit ab injuſto. Notatio elenchos frequentes habet. Hinc Ciceronis illud in accuſatorẽ Balbi, in quo erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat comiter eſſe cõmuniter, quaſi verò priſcũ aliquod aut inſolitũ verbũ interpretaretur. Comes benigni, faciles ſuaves homines eſſe dicũtur, qui erranti comiter monſtrant viam benignè, non gravatè: cõmuniter quidẽ certé non convenit. Sic Quintilianus Varronem deridet, qui agrum ab agẽdo, & gracculos á gregatim volando dici putat: cum alterum ſit græcum, alterum à vocibus avium. Itaq; Galeno etymologia dicitur ἀλάξων μάρτυς falſus teſtis.

CAP. XVII. DE ELENCHO *diſtributionis.*

Elenchus in docendo magnus eſt, diſtributionem nullam adhibere ubi ſit opus. Quod ſophiſma freqũter animadverſum eſt, ut organi logici author artem logicam initio non diſtribuit, ubi diſtribuenda eſſet: ſed in mathematicis elementis hic elenchus eſt admirabilis: In quibus Euclides nullam diſtributionem prorſus adhibuit, forma ſaltẽ & ſpecie diſtributionis: unde obſcuritas incredibilis orta eſt: Hic primus eſt elenchus non adhibitæ diſtributionis, ſecundæ eſt adhibitæ, ſed inelegantèr, cujuſmodi Elẽchus omniũ diviſionum cõmunis, nominatim quidem ab Ariſtotele, ſed obſcurè propoſitus quinto capite ſecundi Topicorum, cùm accidit, aliquid eſſentiæ vel addere vel detrahere vel ſuperare. Eſt igitur in diviſione vitioſum, ſi quid aut deſit aut redundet. Prioris generis exemplum eſt quinto Aeneidos, ubi ludorum genera quatuor proponuntur, claſsis, curſus, ſagittariorũ, pugilũ: quintũ autẽ poſtea, tametſi non propoſitũ, deſcribitur, certaminis equeſtris. Locus ſic eſt:

Prima citæ Teucris ponam certamina claßis:
Quiq; pedũ curſu valet, et qui viribus audax
Aut iaculo incedit melior, leuibusq; ſagittis;
Seu crudo fidit pugnam committere ceſtu:
Cuncti adſint, meritæq; expectent præmia palmæ.
Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis.

Hic ludos tantùm quatuor poëta proponit, præter quos tamen quintum poſtea deſcribit: Atqui partitio hæc, equites certatores deceperit, qui ſibi nullum certamen hac partitione propoſitũ putent: perindeq; peccat qui ſic partitur, atque in dividenda pecunia ſiquis pro partibus quinque, quatuor tantũ proponeret, vnam nempe furari videretur. Secundi generis exemplũ Cicero ſecundo de Finib⁹ notauit in Epicuro: Quomodo autẽ philoſophus loquitur? tria genera cupiditatum, naturales & neceſſarias, naturales & non neceſſarias, nec naturales nec neceſſarias. Primùm diviſit inelegantèr: Duo enim genera quæ erant, fecit tria: hoc eſt non dividere, ſed frangere rem. Qui ſi diceret, cupiditatũ duo eſſe genera, naturales & inanes, naturalium item quoq; duo, neceſſarias & non neceſſarias: confecta res eſſet: Vitioſum eſt enim in dividendo, partẽ in genere numerare. Ad quam diviſionis notam pertinet illa Ciceronianæ partitionis reprehenſio, de qua Quintilianus quinto capite quarti libri: In omni partitione, ait, eſt unq; aliquid potentiſsimum: quod cùm audivit judex, cætera tanquam ſupervacua gravari ſolet: Itaque non defuerunt, qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbarẽt, qua ſe dicturum eſſe promiſit, primùm neminẽ majoribus criminibus, gravioribus teſtibus in judiciũ vocatũ, quàm Oppianicum: deinde præjudicia ab iis

eſſe

eſſe facta judicibus, à quibus condemnatus ſit: poſtremò judiciũ pecunia tentatum, non à Cluentio, ſed cõtra Cluentium: quia ſi probari poſſet, quod eſt tertium, nil neceſſe fuerit dicere priora.

Atq; hæc generalia vitia diſtributiõis, ſpecialia ſunt, & primæ diſtributiõis ꝓpria, cùm ex toto ad partem, aut contrà vitioſè diſputatur: Compoſitionis & diviſionis vitia propriè ſunt, non quæ nominat Ariſtoteles in dictionis elenchis, tertio & quinto & ſexto capitibus primi libri, & tertio ſecundi, ſed quæ ad rẽ pertinent: Compoſitio enim, eſt fraus illa, quæ dicitur in Interpretatione ſecundo capite ſecũdi, compoſitorum cõplexio: Item in Elenchis quarto & quinto & ſexto primi, & quinto ſecundi, ſimpliciter vel non ſimpliciter: ut,

Socrates eſt bonus citharœdus:
Socrates ergo eſt bonus.
Homerus eſt poëta:
Homerus igitur eſt.

Quod idem fit in negatione:

Equus non eſt homo:
Equus igitur non eſt.

Diverſum eſt illud, ſed generis tamen ejuſdem:

Socrates eſt non Italus:
Ergo Socrates eſt:

Non ſequitur, quia nomen infinitum de quolibet dicitur & ente & non ente: & ſingularis enũciationis interrogationem verè negatam affirmatio infinita conſequitur, ut ſecũdi de Interpretatione primo capite docet. Quod genus manifeſtiorem fraudem habet, quando contradictio includitur:

Non ens eſt opinabile:
Ergo non ens eſt.
Socrates eſt homo mortuus:
Socrates igitur eſt.
Pejerãs qui juravit ſe pejeraturũ, bene jurat:
Ergo pejerans bene jurat.

In his omnibus exẽplis videtur à toto ad partẽ diſputari: contraria eſt diviſio:

Eſt citharœdus & bonus:
Ergo eſt citharœdus bonus.

Atq; attributorum & compoſitorum & diviſorum concluſio in eſſentialibus rata eſt: ut,

Homo eſt animal rationale:
Ergo eſt animal & rationalis. & contrà,
Homo, eſt animal & rationalis:
Eſt igitur animal rationale.

Manifeſtior autem fraus eſt, quando ex imperfecta partium inductione totũ concluditur, ut apud Catullum:

Quintia formoſa eſt multis, mihi cãdida, lõga,
Recta eſt: hæc ego ſic ſingula confiteor.
Totum illud, formoſa, nego: nã nulla venuſtas,
Nulla in tam magno corpore mica ſalis.

Sed hæ de toto & partib⁹ fallaciæ ſunt: de genere & ſpecie; una eſt illa inſignis fallacia, ſecũdum exiſtimationem, qua fallimur à genere ad ſpecies aut contrà differendo: Scire enim dicitur, ait Ariſtoteles viceſimo primo capite ſecũdi Priorum, ut ſcientia univerſali, aut ut propria, aut ut actu: propria verò ſcientia & actu, ſcientia eſt ſingularium rerũ: itaque & decipi tot modis accidit: Ergo qui ſcit aliquot ſpecies propria ſcientia & actu, ſi putet univerſum & totum rei genus ſibi notum eſſe, fallitur: ſed multo ſæpius & fœdius fallitur, qui putat, cùm univerſalem ſcientiam habeat, ideo ſcientiam ſibi propriam & actu adeſſe: atqui longè aliud eſt, libros lectitaſſe, & in iis generales & univerſales regulas didiciſſe: aliud in ſingularibus exemplis omni genere meditationis exercuiſſe. Atq; hac differentia primo primi Poſteriorum ſolvitur ab Ariſtotele Menonis quæſtio: Aut ſcis aut neſcis, quod quæris: Si ſcis, fruſtrà quæris: ſi neſcis, inventum tamen nõ agnoſces. Scio, inquit Ariſtoteles, generaliter, & ſpecialiter neſcio: ideoq; non fruſtrà quæro, & adhibito ſtudio, per notam gẽeris, ſpeciem inventam agnoſcã. Paralogiſmus igitur eſt, Scio generaliter, ergo ſpecialiter etiã ſcio: quia generaliter ſciri poteſt, quod ſpecialiter ignoratur. Tantus igitur tamq; inſidioſus elenchus diligenter animadvertatur.

CAP. XVIII. DE ELENCHO *definitionis.*

DEfinitionis elenchus primus eſt; ut diſtributionis, ſi nulla ſit ibi eſſe debeat: quo genere ſophiſmatis infiniti in diſciplinis loci obſitĩ ſunt: ſed per ſpecies hic elenchus etiam dicitur. Definitio falſa omnino interdum reprehenditur. Cicero prima Philippica. Illud magis vereor, ne ignorans verũ iter gloriæ, glorioſum putes plus te unum poſſe, quàm omnes: & metui à civibus, quàm diligi malis: Quod ſi ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Cha-

rum eſſe civē, bene de Rep. mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum: metui veró & & in odio eſſe, invidioſum, deteſtabile, imbecillū, caducum. Ariſtoteles hîc duo cōmunia vitia præcipua notavit, obſcurū & ſupervacuū; quæ tamē communia ſunt. In obſcuritate illud præcipuū eſt, ſi definitio conſtituta per ſe manifeſta nō ſit, cujus ſit definitio: ſed queādmodū veterū pictorū imagines, niſi quis inſcripſiſſet, neſciret qd eſſet earū unaquæq;. Pingendi verò ruditatem illam in antiquis pictorib⁹ Aelianus adnotavit. Sic propter obſcuritatem reprehenſa eſt initio definitio illa,

Terrigenam, herbigradam, domiportam,
ſanguine caſſam.

Ad ſupervacuū referuntur ſequentia: Summatim veró ut dicat, omne ſupervacuum eſt, qiod cúm removeris, reliquo tamē definitū declaratur: ſupervacuū appellatur etiā hîc, quod latiús patet & vanū eſt modi quatuor deſcribuntur, ſi quo utr̄, quod omnibus inſit: aut ſi propriū quidem ſit: eo autē ablato reliqua definitio propria ſit, & declarat eſſentiā: ut ſi definiat homo, Ens animal rationale, diſciplinæ capax: primum latiús patet, & poſtremū vanum eſt: Tum ſi quod nō omnibus ineſt: ut ſi definiat homo, animal gradiēs, bipes, quadricubitū: poſtremū enim omnibus hominibus nō ovenit, ideoq; ſupervacuū: rurſum ſi ſæpiús dixit idē. At pleonaſmus hic antéā dictus eſt, & omnis hæc *πολυλογία*, in accurata definitione quidē reprehendeda: at in deſcriptione non itē.

CA. XIX. DE ELENCHO *teſtimonii.*

E teſtimoniis porró quā multa ſint mendacia, quâm multiplices errores, quâm quotidiana perjuria, qui oratio longior exprimēda eſt? Pro raro autē vitio nō tradenda præcepta, ſed vota facienda ſunt, ut homines potiùs ratiōe & veritate, quâm authoritate teſtimonio ad judicādū moveant: falſi teſtimonii cauſſæ, veri teſtimonii cauſſis oppoſitæ videant. Verū teſtimoniū ſapientia, probitate, benevolētia teſtis perpendit, ut in Dialectica dictū eſt: falſum igit ignorantia, improbitate, malevolentia perpendat: quoniā captionū omniū, ſecundū oppoſitū ſolutio erit, ut eſt tertio capite primi Elenchi.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICARUM LIBER XX.

& ultimus, de Elenchis diſpoſitionis.

CAP. I. DE ELENCHO *enuntiationis falſæ.*

ADhuc inventionis elenchos expoſuimus, ſequitur elenchi diſpoſitiōis: ac primùm enuntiationis: ad cujus partes pertinent elenchi ſingulorum argumentorū: ex iis enim conficitur enunriatio. Cúm veró falſa enuntiatio pro vera probatur, hic elenchus appellatur nono & duodecimo capite Poſteriorū, ignorantia ſecundum negationem, & ſimplex & ex oppoſitis: Secundum negationem veró dicitur, quia negatione refellenda ſit: Neq; hîc concedendum, ut in veris: neq; partiendum, ut in ambiguis: neque dicendum non intelligo, ut in obſcuris: neque eludendum, ut in ſupervacuis, ſed pernegandum, vel ſi theſis vera quidē ſit, falſum autem argumentū dicatur. quod Seneca ait in natura. quæſt. lib. 4. cap. 8. Propoſito accedo, argumento non conſentio: Simplex autem dicitur, quia eſt ſimplicis ſententiæ: Simplicis igitur ſententiæ ſimplex eſt deceptio. Ergo primus hic eſt ignorantiæ, praviq; judicii locus: nec enim argumenta per ſe verā ſententiam faciunt aut falſam, ſed enuntiatio, quæ ex his efficitur. Et ex oppoſitis eadem ratione falſitatis dicitur: quia ſi talis enuntiatio non ſit, non ea probanda eſt, ſed oppoſitum. Ergo ut in primo veræ diſpoſitionis judicio cognovimus bonam magnamq; humani judicii partem contineri, ſic cogitemus ex hoc primo captioſæ diſpoſitionis errore ſummam per ſe ignorantiam creari: Atq; hîc ſummum Sophiſticæ finem falſum conſtitui, eoq; omnes & inventionis & diſpoſitionis elenchos referri: Et hîc nimirum in primam ſcientiæ notam *κατὰ παντὸς*, offenditur, ut meritó prima ac ſimplex ignorantia nominetur: magnaq; nobis conſideratio adhibenda ſit, ne ab ea fallamur & decipiamur.

CAP.

CAP. II. DE ELENCHO ENUNtiationis affirmatæ & negatæ.

ENuntiationis veró elēchus eſt nō ſolùm cùm falſo aſſenſus adjungitur, ſed cùm affirmatio pro negatione, aut generale pro ſpeciali, aut non conjunctum pro conjuncto, aut nō oppoſitum pro oppoſito, contráve ſumitē. Ex affirmationis & negationis elencho irrēpſit in ſcholas error ille, quòd modificata enūtiatio ex ſolo modo negetur: At id nec verum eſt, nec Ariſtoteli probatum: nec enim attributi totius eſt oppoſitio, ſed partis, id eſt finiti nominis & infiniti:

Hominem currere eſt contingens:
Hominem currere eſt non contingens.

Quod mutato modi genere recipiatur faciliùs: ut,

Omnis homo eſt leo contingenter, ut ita dicā:
Aliquis homo eſt leo non contingenter.

Utraq; pars eſt falſa, nec ideo eſt cōtradictio: qualē Ariſtoteles æſtimavit, nec Ariſtoteles toto Interpretationis libro uſquam ait negationē modificati pronuntiati, è ſolo modo, non è verbo etiā pendêre. Hic igitur & conſimilis elenchus evitandus eſt.

CAP. III. DE ELENCHO ENUNtiationis generalis & ſpecialis.

COmmunis propoſitio generaliter aut ſpecialiter intelligitur, licet ſignum generalis aut ſpecialis intellectus nullū ſit. Omnes omniū artium regulæ generaliter intelligūtur, quāvis generalis ſignificationis nota in his nulla ſit. Dialectica, eſt virtus bene diſſerendi: de omni Dialectica intelligitur, non de Platonis aut Ariſtotelis Dialectica. Quando autē commune nomē ſpecialiter accipiendum ſit, uſus loquendi, & Synecdoche tropus Rhetoricus docebit, cùm genus nēpe pro ſpecie ſumetur: Quod ferè fit cùm de ſingulari aliquo facta mentio eſt: Sine dubio perdidimus hominē, magnificeq; vicimus: Generali nomine Cicero Catilinam ſignificavit: attamen quia commune nomen nec generali, nec ſpeciali nota additum, poſsit interdum ab alio generaliter, ab alio ſpecialiter accipi: De hoc genere enuntiationis Ariſtoteles ſæpe monuit, & appellavit ἀδιόριστον, infinitū: de quo præcipit viceſimo octavo capite primi Poſteriorū: Infinito igitᷓ poſito incertū eſt, an ſit univerſalis propoſitio: definito autem manifeſtum: velut ἀδιοριστία, ὁμωνυμία quædam ſit. Ergo cavendū erit, ne hæc ἀδιοριστία decipiat.

CAP. IIII. DE ELENCHO CONjunctæ & oppoſitæ enuntiationis.

ELenchus in enuntiatione copulata vix accidit, ad cujus veritatem, partiū veritas ſufficit: at in diſjuncta & cōnexa nequaquā ſufficit: ideoq; perridiculū eſt illud in ſcholas inductū, ad diſjunctionis veritatem ſatis eſſe, ſi pars una vera ſit: ut,

Aut Deus eſt, aut homo eſt animal.

Ridiculè eñ diſjūgunē, quæ naturâ nō ſunt oppoſita, & ſimul eſſe vera poſſunt.

Hic Elenchus appellatur ab Ariſtotele quarto capite primi Elenchi, ignorātia elenchi: Atq; ad ejus cautionē adhibentur illa in diffiniendis oppoſitis à nobis adhibita, ut oppoſitio ſit ejuſdē & unius nō nominis, ſed rei: & nominis nō ſynonimi, ſed ejuſdē, & ſecundū idē, & ad idem, & eodē modo, & in eodē tēpore,

Socrates diſſerit:
Socrates non tacet:

Non eſt oppoſitio, quia nō eſt ejuſdē.

Socrates diſſerit:
Plato non diſſerit.

Non eſt oppoſitio, quia nō eſt ejuſdē.

Aethiops eſt albus, nempe dentibus:
Aethiops non eſt albus, nempe facie.

Non eſt oppoſitio, quia non eſt ſecundum idem.

Binarius eſt duplus, unitatis nempe:
Binarius non eſt duplus, trinitatis, nempe.

Non eſt oppoſitio, quia nō eſt ad idē.

Dormiens videt: nempe potentiâ:
Dormiens non videt, ut actu:

Non eſt oppoſitio, quia non ſimiliter.

Socrates eſt malo corporis habitu: nempe cùm ægrotat:
Socrates non eſt malo corporis habitu: nempe cùm valet:

Non eſt oppoſitio, quia non eodē tempore. Ex hoc errore natæ ſunt cōtingentium & purorum & miſtorū captiones, ut antea docuimus: ideoq; inter oppoſitiones accepta eſt ſubcontraria oppoſitio, quæ dicitur in ſcholis:

Aliquis homo ambulat:

Aliquis homo non ambulat:

quia poteſt utraq; parte ſimul eſſe vera; nec ideo ſubjectum, res eſt eadem numero, de qua oppoſita dicantur. Etenim illud idem non genere aut ſpecie, ſed numero dicit Ariſtoteles: ut,

Nullus equus eſt rationalis:
Aliquis homo eſt rationalis:

Oppoſitio nõ eſt, licet ſit ejuſdē generе.

Socrates diſſerit:
Plato non diſſerit:

Oppoſitio non eſt, licet ejuſdē ſit ſpeciе. Numero itaq; intelligendum, & ejuſdem, & ſecundum idem, & ad idē: & cùm generaliter opponitur aliquid: ut,

Omnis homo diſſerit:
Nullus homo diſſerit:

Idem numero negatur & affirmatur: & ſpecialiter,

Omnis homo diſſerit:
Aliquis homo non diſſerit:

Aliquid idem numero, quod affirmatum erat, negatur: & cùm propriè: ut,

Socrates diſputat:
Socrates non diſputat.

Quarè ex ignorantia elēchi irrepſit in ſpecies oppoſitionis ſubcõtraria illa oppoſitio: verèque Ariſtoteles ait decimoquinto capite ſecundi Priorum, verbo tenus hîc tantùm oppoſitionē eſſe: cùm tamen in omni oppoſitione jubeat idē nõ ſolùm verbo, ſed re opponi: alioqui ignorantiam elenchi creari: Ideoq; ait abſolutè non eſſe oppoſitionem: & icirco è generibus oppoſitionis rejicio, quia non affirmet & neget eandem rem numero. Apud Ariſtotelē quidē duodecimo primi Elenchorum, & octavo primi Poſteriorum nominatur *ὑπεναντίωσις καὶ ὑπεναντίον*, tanquam dicī videat, ſubcontrarietas & ſubcontrarium, ſed longè ſecùs: nempe pro ſimplicibus *ἐναντίως καὶ ἐναντίον*. In hujus oppoſitionis ſignificationem, quod animadverterim, nunquam in Organo nominatur. Multò ineptius eſt ſubalternum quod dicitur, oppoſitionis genus.

Omnis homo eſt juſtus:
Aliquis homo eſt juſtus.
Nullus homo eſt juſtus:
Aliquis homo non eſt juſtus.

cum ſumma ſit generis cum ſpecie conſenſio. Nec hujus varietatis ulla in toto Ariſtotelis Organo vel obſcura ſignificatio eſt.

CAP. V. DE PARALOGISMO
ſyllogiſmi ſimplicis.

Elenchus ſyllogiſmi ſequitur: Ab Ariſtotele autē ſic deſcribitū duodecimo capite primi Poſteriorū: Ignorantia autem non ſecundum negationem, ſed ſecundum diſpoſitionē dicta, eſt quidem per ſyllogiſmū facta deceptio. Appellatur autem propriè *παραλογισμὸς*, captioſus & fallax *λογισμός*. Sic enim *παρὰ* interdum ſignificat in compoſitis verbis præpoſterū quiddam & perverſum: & *λογισμὸς* in compoſitione, *ἀντὶ συλλογισμὸς*, valuit.

Ordinis in generibus magna cautio & proviſio eſſe debuerit: hinc enim paralogiſmi cauſſæ ſunt in omnibus ſyllogiſmorum generibus. Et Ariſtoteles hãc etiam partem nominatim inſtruxit: Frequenter enim fallimur, ut docetur triceſimoquinto cap. primi Priorū, propter ſimilitudinem diſpoſitionis terminorū. Et hîc apud Ariſtotelē propriè eſt ignorantia ſecundum diſpoſitionem. In ſyllogiſmis ſimplicibus & communibus duæ ſunt theſeos fallaciæ communes, ut eſt viceſimo cap. primi Priorū: Tum verò in omnibus categoricum quendã terminum oportet eſſe, & univerſaliter ineſſe. Pro lege Manilia eſt hic paralogiſmus. Summus imperator eſt deligēdus ad bellum mithridaticū. Pompejus eſt ſummus imperator, deligendus igitur. Itaq; Catulus & Hortēſius concedebãt totū antecedens, negabant tamen cõſequentiã. Quia non quilibet ſummus eſſet deligendus, ſed qui nõn toties jam electus eſſet: Ergo elenchus eſt è propoſitione non generali: Ex omnibus enim ſpecialib. aut negatis nullꝰ cõmunis ſyllogiſmꝰ in ulla figura ſimplici cõcluditū.

Nullus equus eſt rationalis:
Nullus homo eſt equus:
Nullus igitur homo eſt rationalis.

Eſt *ἀσυλλόγιστον*, quia propoſitiões ambæ negantur, & mediū nuſquã eſt categoricum. Idem eſt in reliquis figuris:

Aliquod animal eſt irrationale:
Aliquis homo eſt animal:
Aliquis igitur homo eſt irrationalis.

Eſt *ἀσυλλόγιστον*, quia medium nuſquã eſt catholicum: Idemq; in reliquis figuris accidit.

Atq; hę trium figurarum communes fallaciæ

fallaciæ ſunt; ſingularum propriæ ſunt, quæ ſequuntur. Ariſtoteles in ſingulis multos ἀσυλλογίστους modos propoſuit, q tamen brevius contrahi poſſunt. In prima figura (quæ eſt Ariſtoteli tertia) nullus eſt ſyllogiſmus ex aſſumptione negata: ut,

Omne animal ſentit:
Aliquod animal non eſt homo:
Aliquis igitur homo non ſentit.

In ſecunda figura ex omnibus affirmatis aut propoſitione ſpeciali concluditur ἀσυλλογίστως.

Quod ratione utitur, id melius eſt, quàm quod ratione non utitur:
Nihil autem mundo melius:
Ratione igitur mundus utitur.

Itaq; hoc ſophiſma meritó à Cotta deridetur apud Ciceronem tertio de Natura Deorū: Hoc ſi placet jā efficies, ut mundus optimé legere librū videatur. Zenonis enim veſtigiis hoc modo rationem poteris concludere: Quod literatū eſt, id eſt melius, quàm quod non eſt literatum: nil autem mūdo eſt melius: Literatus igitur eſt mundus. Iſto modo etiam diſertus, & quidē mathematicus, muſicus, omni denique doctrina eruditus, poſtremó philoſophus erit & mundus. Clarius autem vitium cōcluſionis ejus ſic intelligetur:

Quod utitur ratione, eſt optimum:
Mundus eſt optimus:
Mundus igitur utitur ratione.

Quod nō ideo eſt ἀσυλλόγιστον, quia nunquā ſic veré concludat: Vera enim concluduntur aliquando diſpoſitione fallaci: ut apud Perſium Satyra quinta:

An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam
Cui licet ut voluit? Licet ut volo vivere: non ſum
Liberior Bruto?——

Sed ἀσυλλόγιστον dicitur, quód aliquādo ex veris falſum cōcludat: iſta ratione, ut,

An quicquam eſt aliud homo, niſi quód animal eſt?
Equus autem animal eſt:
Equus igitur homo eſt.

Fallax eſt concluſio: Sic Cæneus ἀσυλλόγιστον dicebat, ut eſt apud Ariſtotelem nono capite primi Poſteriorum:

Quod analogia fit multiplici, generatur celeriter:
Ignis generatur celeriter:
Ignis igitur fit analogia multiplici.

Tale eſt & ſophiſma iſtud vulgo jactatū: Quiſquis dicit hominē eſſe animal, dicit verū. Quiſquis dicit te aſinum eſſe, dicit hominem eſſe animal. Ergo qui dicit te aſinum eſſe, dicit verū: Hic enim ex affirmatis concluditur in ſecunda figura. Atq; hoc in ſecunda figura primæ fallaciæ ſophiſma eſt: ſecūdæ é propoſitione ſpeciali eſt illud objectū Diogenis:

Quod non amiſiſti, habes:
Cornua non amiſiſti:
Cornua igitur habes.

Sic enim retexendum:

Cornua habet quiſquis ea non amiſit:
Diogenes non amiſit cornua:
Diogenes igitur habet cornua.

Propoſitio ſi ſit univerſalis, falſa eſt: ſi ſpecialis, ἀσυλλόγιστον facit.

In tertia figura (quæ Ariſtoteli prima eſt) nullus ſyllogiſmus fit é propoſitione ſpeciali vel aſſumptione negata: ut,

Aliquod animal eſt equus:
Omnis homo eſt animal:
Homo igitur eſt equus. Item,
Omnis homo eſt animal:
Nullus equus eſt homo:
Nullus igitur equus eſt animal.

CAP. VI. DE PARALOGISMO *connexionis.*

Connexis quibuſdā ſyllogiſmis, quanvis non congruentibus ad conſtātiam ſpeciemq; doctrinæ, multùm tamen utimur. Utile eſt igitur admonere, incōnſtantes eas concluſiones eſſe, quales ſunt in utroq; modo. Primus igitur mod⁹ eſt ἀσυλλόγιστος, cùm tollitur antecedens, ut tollatur conſequens. Terentius in Adelphis:

Dem. Ceterùm,
Placet tibi factum Mitio? Mi. non ſi queam
Mutare: nūc cùm non queo, æquo animo fero.

Cicero pro Murena: Etenim ſi largitionem factam eſſe cōfiterer, idq; recté eſſe factum defenderem, facerem improbé, etiam ſi alius legem tuliſſet: Cùm veró nihil commiſſum eſſe contra legem defendam, quid eſt quód meam defenſionem latio legis impediat? Ovidius ſecundo Triſtium:

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Juppiter, exiguo tempore inermis erit.
Nunc ubi detonuit, ſtrepituq; exterruit orbē,
Purum diſcuſſis aera reddit aquis.
Jure igitur genitorq; deûm, rectorq; vocatur:
Jure capax mundus nil Jove majus habet.

Cæſar

Cæſar apud Salluſtium: Si digna pœna pro factis eorũ reperitur, novũ conſilium approbo: ſin magnitudo ſceleris, omnium ingenia exuperat, his utendum cẽſeó, quæ legibus cõparata ſunt. Quãvis enim falſa non ſint omnia generis hujus exempla, iiſdem tamen veſtigiis falſum effici concludiq́ poteſt: ut,

Si arbor equus eſſet, viveret:
Sed arbor equus non eſt:
Non igitur arbor vivit.

Propoſitio aſſumptióque veræ ſunt, complexio autem falſa: Proprium autẽ ſyllogiſmi eſt, certam diſpoſitionem, & nunquã fallentem præſcribere, ut antecedentibus poſitis conſequentia neceſſaria concedenda ſint. Et hoc nimirúm genus eſt elenchi, de quo in partibus ex Ariſtotele monuimus: Eſt enim hæc ad eadem cõſequuntó è contradicentibus.

Si homo, animal:
Non homo:
Ergo non animal.

Rarum eſt vitiũ connexi ex cõſequentis aſſumptione: incidit tamen aliquando: Ovidius quarto Metamorphoſeos:

Quem ſi cura Deûm tam certa vindicat ira:
Ipſe precor, ſerpens in longam porrigar alvũ.
Dixit, & ut ſerpens in longam tẽditur alvum.

Ratiocinatio igitur ſic habet:

Si Dii ſtatuerunt vindicare Cadmum, fiat ſerpens:
Sed fit ſerpens:
Ergo Dii ſtatuerunt vindicare.

Fallax eſt iſta concluſio: dic enim:

Si arbor, equus eſſet, viveret:
Sed vivit arbor:
Ergo arbor equus eſt.

Veris partibus antecedentibus falſa complexio efficitur. Hunc paralogiſmũ Ariſtoteles notavit in Elenchis, nomine conſequentis, ut jam dixi: & tamẽ argumentationis hoc vitiũ potiús eſt, quám argumenti: Nam hic error accidit, ut eſt in Elenchis quarto capite primi, quód arbitremur converti conſequutionem: quando enim hoc poſito ex neceſsitate, illud eſt, putant & alterum eſſe ex neceſsitate: ut ſi (quale antea poſuimus) de felle diſputes.

Si cygnus eſt, albus eſt color:
Sed albus eſt color:
Cygnus igitur eſt.

Talem in Meliſſo paralogiſmũ reprehendit Ariſtoteles quarto capite primi Elenchi:

Si quid factum eſt, habet principium:
Ergo ſi principium habet, etiam factum eſt.

Non ſequitur, ait Ariſtoteles: non enim ſi omne quod factũ eſt, habet principium, etiam quicquid principium habet, factum eſt: neq́ conſequentia convertitur. Idẽ exemplum paulo ſecus eſt 3 c 1 Phy. Idẽ vitiũ notat quarto capite ſecundi Priorum, ut antea jam dictũ eſt. Ariſtoteles in arte poëtica ait ab Homero primum hunc paralogiſmum monſtratum eſſe: ut quia cõſequens eſſet, antecedẽs eſſe videretur: Theophraſtus autem & Eudemus docuerunt, in cõnexo antecedentis nullũ negati & conſequentis affirmati tolli poſſe antecedẽs, ut tollatur conſequens: & conſequens retineri, ut retineatur antecedens: in quo genere etſi rarus error eſt, eſt tamen aliquando: ut, Si nullum animal eſt, irrationale, omnis homo eſt rationalis, ſed aliquod animal eſt irrationale. Ergo aliquis homo non eſt rationalis: Item, Sed omnis homo eſt rationalis: Ergo nullũ animal eſt irrationale: In utroque exemplo conſequens eſt falſum, antecedente vero. Itaq́ elenchus eſt, nõ ſyllogiſmus: Hoc ſophiſma tardiſsimè deprehendimus, poſt annos ferè quatuor & viginti, quám philoſophiã profiteri cœpim⁹.

CAP. VII. DE PARALOGISMO *disjunctionis.*

Niſi partes omnes diſjunctionis affirmentur, primus modus diſjunctus fallax erit: ut,

Aut duo poterunt, aut unus non poterit:
Sed unus non poterit:
Ergo duo non poterunt.

ἀσυλλόγιστον eſt: Sic in negãtia copulationis eſt ἀσυλλόγιστον, ſi tollat, ut retineas: ut,

Homo non & leo eſt & equus:
Sed non eſt equus:
Ergo eſt leo.

Propoſitio aſſumptióque veræ ſunt, complexio falſa.

CAP. VIII. DE ELENCHO *methodi.*

Elenchi ſyllogiſmi dicti ſunt, elenchus methodi ſequitur, qui tantó elenchorum omnium eſt graviſsimus atque periculoſiſsimus,

quantó

quantò methodus eſt omniū logicarū virtutum præſtātiſsima: Diſputationes igitur Poëtarum, Oratorū, Philoſophorum ad hanc methodi legē ſunt retexendæ, ſiquid ὕστερον πρότερον, poſterius prius perſequantur. ὑστερολογία ſiquidem, ſumma eſt methodi dogmaticæ & didaſcalicæ fallacia, quæ cognitionem & judiciū longioris diſputationis impediat & fallat. In hac enim verſatur imprimis petitio quæſtionis, cùm progrediatur ab obſcurioribus explicatio. Sed τῆς ὑστερολογίας vitium illud valdè eſt ab Ariſtotele notatum & animadverſum, cùm progreditur à ſpecialibus ad generalia: tū enim neceſſe erit ἀδολεσχίαν καὶ ταυτολογίαν incidere. Neceſſe enim eſt aut univerſalia prius dicere, aut ſæpius idem dicere, ut eſt quarto capite primi de partibus Animalium. In eodem τῆς ὑστερολογίας vitio eſt, partes non eodē ordine perſequi, quo propoſueris: obeſt enim perſpicuitati plurimùm, cujus tamē cauſſa ordo & diſpoſitio laudatur: in quod vitiū Cicero pro Dejotaro incidit: Reliqua pars ait, accuſationis duplex fuit: una, regē in ſpeculis ſemper fuiſſe, cùm à te animo eſſet alieno: altera exercitū, eū contra te magnū comparaſſe: De exercitu dicā breviter, ut cætera. Hîc partē poſteriorē priore loco exequitur: Sic oratorio primo. Cæteros nō dubitabo, primū inertiæ cōdemnare ſententia mea, pòſt etiā impudentiæ: & tamen cùm ita partitio fuiſſet, de impudentia priori loco agitur. Eodem modo Virgilius in exemplo partitionis imperfectę paulò antè poſito lapſus eſt: tertiū enim & quartum membrum conturbato ordine tractavit: tertium quippe quarto, & quartū tertio loco. Diſsimile ὑστερολογίας vitium eſt illud, unam partem expediri, deinde partitionem generalem ponere, ut 2 Philippica Tullius, cum & ſe tueri, & Antonium lædere ſtatuiſſet, primó de perfidia violatæ amicitiæ reſpondet, deinde cauſſam partitur: Sed cùm mihi P.C. & pro me aliquid, in M. Antoniū multa dicēda ſunt. At illud antecedēs etiā in eadē Ciceronis apológia erat. Hæc cōfuſio frequēs in Homero notatur: ut jā hoc Homerico tāquā ſané bello & ſpecioſo vitio, Cicero per jócum in epiſtola quadam ad Atticum utatur: ubi cùm duas res ita propoſuiſſet, Quæris ex me quid acciderit de judicio, quod tam præter opinionem omnium factū ſit: & ſimul vis ſcire, quomodo ego minùs quàm ſoleam, præliàtus ſim. Cùm, inquam, duas res ita propoſuiſſet, ait, Reſpondebo tibi ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς. tū priore loco declararat, quod poſteriore fuerat ab eo propoſitū. Videndum etiam diligenter erit univerſum illud alieni vitium: tam enim eſt in vitio, qui reſiſtētē, aperta, quàm qui ſua ſponte ſequentem, occulta via ducit.

COROLLARIVM DE EXERcitatione Dialecticæ artis.

ATq; hi ſunt dialecticæ & inventionis & diſpoſitiōis elenchi per varios Ariſtotelis libros diſperſi, iterati, & cōtra ariſtotelea de materia artis principia cōfuſi, vel potius omnino traditi: nec enim principia Ariſtotelis, ullā vitiorū doctrinam in verā artis traditionem accipiunt, ſed è veritatis præceptis falſitatem oppoſitā jubent intelligi. Sed tamen artis veriſsima methodo inſtitutæ utilitas nulla futura eſt, niſi exercitatio recta adhibeatur: de qua multis jam locis locutus ſum, & ad extremum rurſus eſt agendum. Ergo Logica ſtudioſè pueris cognoſcēda & memoriter ediſcēda eſt: atq; ad cognitionem memoriāq; ejus confirmandam, mutua condiſcipulorum de præceptis ejus & regulis altercatione diſceptanda: ſed exercitatio major eſt adhibenda, quæ doctrinam, interea dum cognoſcetur & memoriter ediſcetur ac diſceptabitur, in verum uſum ſenſim, atque actum paulatim deducat. Appellatur ab Ariſtotele in Topicis γυμνασία, πεῖρα, διατριβὴ, μελέτη exercitatio, experientia, conſuetudo, meditatio. In qua quantum inſit ad bene diſſerendū momenti, dici poſſe equidem vix arbitror. Siquis enim eximiæ pulchritudinis animalia in aulæis picta ſpectaret, atque in ipſa ſpectandi admiratione cùm eſſet, ea repentè excitata proſilirēt, quanta jam eſſet, & quāto perfuſa gaudio ſpectāti lætitia? Ita ſiquis artis tam nobilē, tamq; humanitatis propriam deſcriptiònem contemplatus, uſum aliquem viventemq; actum deſideret, atq; in ipſo deſiderio, doctrinæ velut artus animari, ſuàque ſponte moveri aſpiciat: protinùſque ita comparari, ut Palladis ali-

cujus

cujus inſtar occultiſsimas res aperiat, cōſulentibus ſumma prudentia reſpondeat, res controverſas diſceptet, perturbatis ordinē afferat: qua voluptate hæc ipſa contemplantis animus geſtiet? qua lautitia exultabit? Hæc porrò miracula exhibebit exercitatio: languentes & ſopitos artis ſenſus excitabit: calore viventis ſanguinis, motuq́ ratiocinantis ſpiritus animabit. Summa igit ac propè ſola differendi virtus eſt in exercitatione. Itaque Ariſtoteles verè ait primo primi Poſteriorum, item viceſimo primo capite primi Priorū, ut antea jam ſæpe diximus, generalibus artis præceptis eruditum, καθόλου ſcire: in ſingularium uſu verſatū & exercitatū, ἁπλῶς καὶ ὡς τῷ ἐνεργεῖν, abſolutè & actu ſcire: & univerſaliter ſciri poſſe, quod ſpecialiter ignoretur: in uſuq́ ſingularium rudem eſſe poſſe, qui univerſalia artis præcepta didicerit. Atque hinc ſecundum exiſtimationē fallaciam oriri. Noris ergo tota Logicæ præcepta, & quādiu voles, diſputaris: in ſingularibus hominum bene diſſerentium exemplis nō exercueris, eorū more diu multumq́ non diſſerueris, ſi te Logicū eſſe opinaris, opinione tua falleris, ait Ariſtoteles: Nec enim Logica, ſola conſtat artis cognitione, ſed multò magis exercitatione: tametſi generalia documenta edidiciſti, attamē quia humanū in ſingulis exemplis uſum neſcis, abſolutè Logicā neſcis. Itaq; ut eſt in Philoſophia octavo capite noni, etiā fieri nō poteſt, ut ſit ædificator, qui nihil ædificarit: neq; cithariſta, qui nihil cithara cecinerit. Itaque quemadmodū doctores cùm diſcipulum operantem oſtenderint, putant ſe ſummam perſolviſſe: Nam ſi ſecùs fuerit, Paſſonis Hermes erit: inectumq́ fuerit intùs foris ne ſcientia fuerit: quemadmodum & ille: In illa ſiquidem ſtatua cùm nulla foris inæqualitas, ſed undiq;, ut in ſpeculo, levitas ſentiretur, Mercurius intus eſſe videbatur: contrà cùm junctura nulla cerneretur, non videbatur includi potuiſſe, ut interpres Alexander ait. Deniq; quid aliud magis Logicæ exercitationem, quàm ſingulare illud Ariſtotelis eulogium nono capite decimi ad Nicomachum, commendare poteſt: In agendis rebus, finis non eſt percepiſſe & noſſe ſingula, ſed potiùs hæc agere. Neq; ſanè ſatis eſt ſcire quid ſit virtus, ſed ut habeamus & utamur, eſt enitendum. Dialecticæ ſubjectum circa quod exerceatur, ab Ariſtotele in Philoſophia definitum eſt ens: quo nomine omnia ſine exceptione comprehenduntur: attamen quia nunc de ſcholaſtico tyrocinio & rudimento loquimur, quo logicus uſus paratur (exercitatiō ſi quidem, ut eſt quinto capite octavi, facultatis eſt gratiā) ex omni numero ſeligendi authores ſunt, quorum in ratiocinando quidem ſimiles eſſe volumus: & qui res ſic ſibi propoſitas explicāt & diſputant, ut explicare & diſputare cupiamus: Sed initio, ſicut in formandis grāmaticis diſcipulis fieri ſolet, dum præcepta audiuntur, unà facillimi & jucundiſſimi authores adjungendi ſunt, in quibus Logicæ & inventionis & diſpoſitionis exempla perſpiciamus, perſpectaq́ imitemur, & in aliis ſententiis exprimamus. Tales verò ſunt multis operibus poetæ & oratores, qui res familiares tractant, quia ſui ſermonis elegantia & ornatu delectant: deinde cùm in iis manſuetioribus muſis Logica verſata primùm & exercitata fuerit, & ad mathematicas ac phyſicas artes puer deducet, nō ſolùm Dialecticis legibus, eorū argumēta judiciaq́ pleniùs intelliget, ſed accuratiore exercitationis materia Dialecticas ipſas leges ubertiùs exercebit: neque tātùm propoſitas artes Logico lumine perfectiùs aſpiciet, ſed hoc ipſum logicū lumen quātò majoribus in rebus & majore ſtudio adhibebit, tantò clarius & ſplēdidius efficiet. Species logicæ exercitationis duæ ſunt, altera in exploratione diſputationis jā factæ, altera in novæ cōpoſitione & effectione: Illa nominatē ἀνάλυσις ab Ariſt. 33. cap. primi Priorum: hæc γένεσις aut σύνθεσις, Ariſtotelis ſaltem verbis appellari poteſt effectio & cōpoſitio: cùm γένεσιν & ἀνάλυσιν opponat ibidem: Item ἀναλύειν καὶ συνθεῖναι in Elenchis primo capite ſecūdi: quin utraq; verbis Ariſtotelis διαίρεσις καὶ σύνθεσις dici poſsit, cùm hæc Ariſtoteles frequenter opponat: per analyſim cognoſcimus diſputationis propoſitæ virtutes vitiaq́: per geneſim, virtutes imitamur, vitia fugimus: Sic grammatica analyſi puritatem propoſiti ſermonis examinatus, grammatica ſyntheſi in alia ſententia effingimus: ſic omnis artis exercendæ ratio duplex

plex erit, agnoſcere in ſpectatis exẽplis artem, & agnitam imitari. Analyſis itaq; dialectica, retexta ars quædã erit, & per eoſdem progreſsionum omniũ gradus repetita, quæ ſpectare jubebit velut architectura, operis confecti ſpeciem: omnibus ne locis ad legem conveniat, & ideam præceptis monſtratã penitùs exprimat, omnibusq; omnium partium numeris abſolvat. Nomẽ ἀπὸ τοῦ ἀναλύειν, à retexẽdo, quód hæc exercitatio, quaſi Penelope contextam jam telam retexat: pro quo διαλύειν καὶ ἀνάγειν, diſſolvere & reducere in Analyticis dicitur: Accidet veró, unà & ſuprà dicta confirmari & illuſtrari, quód ejuſmodi ſint, per ea quæ modó dicẽtur, ait Ariſtoteles triceſimo tertio primi Priorum, expoſita inventione & diſpoſitione, cúm & analyſim accederet. Et certè inventio diſpoſitioq; factę diſputationis verè tum confirmatur & illuſtratur, imó etiam judicatur, cúm retexitur, & penitùs perſpicitur: ob eamque cauſſam tantum Ariſtoteles analyſi tribuit, ut libros, in quibus non ſolùm Analytica documenta, ſed tum inventionem communem & ſciẽtificam, tum diſpoſitionem & propoſitionis & ſyllogiſmi & methodi traderet, Analyticos inſcripſerit: quaſi fruſtrà diſputatio & inveniretur & diſponeretur, niſi inventa & diſpoſita retexeretur & examinaretur: imò quaſi nullus eſſet futurus Logicus, niſi priús eſſet Analyticus, id eſt in excellentium & omnis generis diſputationum explicatione & examine diligẽter & aſsiduè verſatus. Analyſis igitur meritó habeatur & inventionis & diſpoſitionis illuſtratio & confirmatio. Nec hic ars ulla nova eſt: virtutes inventionis & diſpoſitionis in exemplo propoſito retexat: vitia etiam, ſi qua ſunt ex Elenchis cognita, perpendat: virtutes imitetur, vitia fugiat. Geneſis, non eſt inſpectio propoſiti exempli, ut analyſis, ſed effectio novi operis: quæ meditatio unam & eandem viam in ſcribendo dicendoq; ſequitur, & utilitatẽ logici ſtudii ferè totam complectitur. Etenim ut in cæteris artibus, ſic in Logica, celeritas agendi, non analyſi, ſed geneſi comparatur. Itaque ſiquid per analyſim nobis apertum manifeſtumq; fuerit, in opere autem ἀμελέτητοι, inexercitati ſimus, ſæpe commoditatibus & opportunitatibus privamur. Accidit autem interdum hîc, quod in lineamentorum deſcriptionib⁹: etenim illic ſæpe cûm retexuimus, componere iterum non poſſumus: ſic in diſputando fit, ut licet intelligamus, unde ratiocinatio fiat, convertere tamẽ & componere ratiocinationem nequeamus: atq; analyſi Hermes fortaſsis egregius, ſed certè Paſſonis Hermes efficiatur: Veruntamen ut jam diximus, neq; ſatis eſt ſcire quid ſit virtus, ſed ut habeamus & utamur, eſt enitendum. Quare ut logica virtus habeatur, geneſis aſſumatur: cujus via cõmunis etiam analyſeos duplex eſt, ſcriptura & vox: quod Ariſtoteles triceſimo tertio capite primi Priorũ illis verbis, ἢ γράφοντες, ἢ ἐρωτῶντες, aut ſcribentes, aut interrogantes, quodammodo comprehendit: ſic idem ipſe Logicam exercuit, non ſolùm voce docendo, & omnibus modis ratiocinãdo, ſed infinitos de Philoſophia & omnib⁹ artibus libros ſcribendo. Utriuſq; exercitationis & vocis & ſcripturæ, communis forma duplex eſt, altera perpetua, conciſa altera: Plato conciſam in dialogis amavit, eoq; genere philoſophiam compoſuit: Ariſtoteles perpetua diſputatione diſciplinas ſuas explicavit: attamen idem propoſitionẽ non ſolùm dialecticam & ſophiſticã in Topicis & Elenchis, ſed apodicticam in Analyticis interrogationem facit nono capite primi Poſteriorum: ut videatur Ariſtoteli placuiſſe, etiam artium inſtitutiones dialogo tractari, ut doctor interroget, diſcipulus reſpondeat: aut contrà, quia ſit ignorantis interrogare: nam & ideo Socrates interrogabat, ait Ariſtoteles octavo capite ſecundi Elenchorum, non autem reſpondebat: profitebatur enim ſe neſcire: Quapropter ἀγὼν ille, qui voce fit interrogando reſpondendoq;, itemq; perpetua diſceptatio, logicis exercitationibus inſerviat: nam & illa animi præſentiam acrimoniamq; vehementer excitat, & hæc non minimùm confirmat: & utrunque genus valdè ſeriis in rebus, cùm è ſchola diſceſſeris, profuturum eſt, modò non ſit temerarium, ſed analyticum & artis deſcriptæ viis directum & jactatum non in præceptis altercandis tantùm, ſed multó magis in exemplis ſeriarum rerum, quas in vita tractaturi ſumus: in qua enim materia Logi-

eam exercueris, in eadem promptam ejus & expeditam facultatem habebis. Quanvis autem vox ad docẽdum multó valentior ſit ſcriptura, ac vox mentis ſit index, vocis ſcriptura, ut eſt primo capite primi de Interpretatione: & vox naturâ prior ſit, quàm ſcriptura, attamen ſcriptionis exercitatio prudentior eſt & tempore prior: cujus excercẽdæ non alia via eſt, quàm Rhetores tradiderũt exercendæ civilis eloquentiæ: quę Logicam & Rhetoricam præterea in elocutione & actione comprehendit. Quamobrem, ut Craſſus ait primo de Oratore, in iſtis ipſis exercitationibus etſi utile eſt etiam ſubitó ſæpe dicere, tamen illud utilius, ſumpto ſpatio ad cogitandum, paratiús atque accuratiús dicere. Caput autem eſt, (quod ut veré dicam, minimè facimus: eſt enim magni laboris, quem plerunque fugimus) quamplurimùm ſcribere: Stylus optimus ac præſtantiſſimus, ut dicendi, ita diſſerendi effector ac magiſter: Nam ſi ſubitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilé vincit, hanc ipſam profecto aſſidua ac diligens ſcriptura ſuperabit. Cúm igitur per analyſim in propoſiti nobis ad imitandum authoris virtutes cognoverimus, quæſtio aliqua conſimilis earum rerum, quæ ab illo tractantur, proponetur: ſcribendoq́ primùm, tum etiam dicendo explicabitur: quàm maximé ad veritatem & ſimilitudinis expreſſionem accommodaté. Ita enim inventionem acuemus, & confirmabimus diſpoſitionis prudentiam: imó comparatum ſuperioribus Grammaticæ & Rhetoricæ ſtudiis, orationis fructum gratis augebimus: cúm, ſicut accidit in ſole ambulãtibus, licet res alias meditentur & agant, tamen intereà imprudentes & inſcientes colorantur: ita nos in diſertis & eloquentibus authoribus, licet artificium tantùm logicum de induſtria conſectantes, attamen conjunctus & alligatus orationis ornatus, vel imprudentes ſequetur: & cúm eorum more diſſerere conſueſcemus, eorum etiam more dicere, ſine labore unà conſueſcemus. Ergo diſertorum Logicorum imitatio hũc gratuitum fructum etiam dabit: Deinde cúm præſtantes authores hac ſcriptionis dictioniſq́ diligẽtia diu multumq́ imitati fuerimus, imitatione dimiſſa quæſtionẽ liberam ſumemus de bonis rebus & malis, de jucũdis & utilibus, deq́ omnibus communi hominum judicio ſubjectis, & induſtria propria explicabimus: omnes inventionis artes excitabimus: nullum intentatum argumenti genus relinquemus: quæſtionis utranque partem per omnia argumentorum genera deducemus: argumenta ipſa non uno, ſed vario modo proponemus & cõcludemus, proq́ natura rerum, ſecũdum artis aut prudentiæ methodum diſponemus. Talis fuit Ariſtotelis diſciplina tot locis á Cicerone celebrata, qua diſcipulos ſuos non ſolúm ſubtiliter diſſerere, ſed ornaté dicere docuit: Nam cúm Grammaticæ & Rhetoricæ jam cognitæ fructum & uſum illum gratuitum cum Dialecticæ exercitatione conjungemus, loquendi dicẽdiq́ proprietatem & ornatum cum diſſerendi ſubtilitate conjungemus. Ariſtoteles igitur, ait Cicero prima Tuſculana, vir ſummo ingenio, ſcientię copia, cúm motus eſſet Iſocratis rhetoris gloria, dicere etiam cœpit, adoleſcentes docere, & prudentiam cum eloquentia jungere. Et in Oratore, cúm de theſi loquitur: In hac Ariſtoteles adoleſcentes, non ad philoſophorum morẽ, tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam Rhetorum in utranq́ partem, ut ornatiús & uberiús dici poſsit, exercuit. Atque hanc magnificam Ariſtotelis exercitationem Cicero teſtificatur à ſuis præceptoribus ſervatam. Itaq́, ait ſecunda Tuſculana, mihi ſemper Peripateticorũ Academiæque conſuetudo de omnibus rebus in contrarias partes diſſerendi non ob eam cauſſam ſolùm placuit, quòd aliter non poſſet, quid in unaquaque veriſimile eſſet, inveniri, ſed etiam quód eſſet ea maxima dicendi exercitatio, qua princeps uſus eſt Ariſtoteles: deinde eum qui ſecuti ſunt. Noſtra autem memoria Philo, quem nos frequenter audivimus, inſtituit alio tempore Rhetorum præcepta tradere, alio philoſophorum. Ariſtoteles igitur Rhetoricæ ſtudium, cum philoſophiæ ſtudio conjunctum diſcipulis exercendis habuit: Et nos ejus exemplo atq́ inſtituto faciliús etiam tenemus: Ille enim duas artes eodem die docebat, nos diſtinctis temporibus docemus, Rhetoricam primó, Logicam ſecundó:

cundo: ſed antecedentis jam perceptæ & cognitæ uſum, & quidem, ut dixi, gratuitum in conſequentis exercitatione conjunctum retinemus: quodque Ariſtoteles ſecutus eſt, idipſum via etiam magis compendiaria ſequimur. Atque etiam cùm multæ ſint Peripateticæ philoſophiæ laudes, nulla tamen eſt tam egregia, tamque propria: de divina Theophraſti eloquentia, deque cæterorum Peripateticorum ſuavitate & copia aliás dictũ eſt. Cumque in hac parte tantùm boni ſit, magnus labor, magnum ſtudium eſt adhibendum, ut inde rerum abundãtiam quàm ampliſsimam, & ad omnem diſputationem promptiſsimam facultatem hauriamus. Atque ut analyſim, ſic ſcriptionis dictioniſque geneſim poſsimus per omnes artes deducere: Quis enim alienum vel incommodum putabit, ſi non ad alios docendum, certè ad ſtudiorum fructum augendum, commentarios artium ſingularum, de quibus in ſchola audiamus, dialectica iſta ratione conficere? Imò verò quoniam tota hominis vita nil aliud eſſe, quàm rationis meditatio & exercitatio debet, ſic Dialecticam, id eſt rationis naturalis artem, quanquam breviter & paucis annis in ſchola meditatam & exercitatam, tota vita tamen in rebus omnibus meditemur & exerceamus: nec ab hominis vita dialecticum uſum ſeparemus: nec hominem ab animali dialecticō & rationali diſtinctum & diverſum faciamus: tandem certé ut in cæteris artificiis omnibus, ſic in hoc univerſo & omnia alia complectente, veriſsimum illud eſſe percipiemus, Artem non tam præceptis, quàm exercitatione cognoſci: multaque quæ otioſi in ſcholis pueri jejuna atque arida putabamus, in hoc uſu diligentiſsimè verſati mirabimur: atque ipſe ſenſus conſuetudine & exemplis & multiplici uſu informatus, aliquid oſtendet, quod quieta cogitatio, quanvis acutiſsima, non poterat intelligere: uſus denique ſcientiam univerſalem, faciet abſolutè ſcientiam: Paſſoniſque Mercurium non ſolùm intùs cælatum & inſignem, ſed foris apertum atque tractabilem exprimet. Quamobrem, quantus erit exercitationis labor, tanta erit artis non ſolùm utilitas, ſed ſcientia prudentiaque.

Atque hæc de exercitatione dialecticæ diſpoſitionis, cujus ars non ſolùm adjudicandum, ſed ſi qua hîc omnino ars eſſe poteſt, ad recordandum valet: Enunciationis ordo ut minor eſt, ſic ſubſidii minùs habet: Syllogiſmi collocatio percepta, plus adjuvabit: Res igitur exemplo declaretur. Sit puer, qui querimoniam Penelopes apud Ovidium epiſtola prima de Ulyſsis abſentia poſt everſam Trojam, memoriæ cõmendare velit.

Sed mihi quid prodeſt veſtris diſjecta lacertis
Ilios, & murus, quod fuit ante ſolum:
Si maneo, qualis Troja durante manebam,
Virque mihi, dempto fine carendus abeſt?
Diruta ſunt aliis, uni mihi Pergama reſtant,
Incola captivo quæ bove victor arat.
Iam ſeges eſt ubi Troia fuit, reſecandaque falce:
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta virûm curvis feriuntur aratris
Oſſa, ruinoſas occulit herba domos.
Victor abes, nec ſcire mihi quæ cauſſa morãdi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quiſquis ad hæc vertit peregrinam littora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.
Quamque tibi reddat, ſi te modo viderit uſquã,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleia Neſtoris arva
Miſimus, incerta eſt fama remiſſa Pylo.
Miſimus et Sparten, Sparte quoque neſcia veri,
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes.
Utilius ſtarent etiam nunc mœnia Phœbi:
Iraſcor votis, heu levis ipſa meis.
Scirem ubi pugnares, et tantùm bella timerem:
Et mea cum multis juncta querela foret.
Quid timeam, ignoro, timeo tamen omnia demens,
Et patet in curas area lata meas.
Quæcunque æquor habet, quæcunque pericula tellus,
Tam longæ cauſſas ſuſpicor eſſe moræ.

Hunc totum locum cùm viderit puer primo connexo ſyllogiſmo comprehenſum, partes ſingulas notabit, earumque præcipuas exornationes: Propoſitionẽ igitur aſpiciet initio in quatuor primis verſibus poſitam:

Sed mihi quid prodeſt veſtris diſjecta lacertis
Ilios, & murus, quod fuit ante ſolum:
Si maneo, qualis Troja durante manebam,
Virque mihi, dempto fine carendus abeſt?

Deinde ſequitur aſſumptionis ſententia, At tu abes: & amplificatio ex adjunctis ruinis everſæ Trojæ: ubi ſex ſunt verſus:

Diruta ſunt aliis, uni mihi Pergama reſtant,
Incola captivo quæ bove victor arat.
Iam ſeges eſt ubi Troja fuit, reſecandaq; falce
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta virûm curvis feriuntur aratris
Oſſa, ruinoſas occulit herba domos.

Dehinc repetitur aſſumptio, & augetur á majori: Non modó abes, ſed ita abes, ut ſcire nequeam ubi lateas: Quod exaggeratur factis Penelopes, Interrogo, ſcribo, mitto in omnes orbis partes, nec quicquam de te audio. Decem ſunt hîc verſus:

Victor abes, nec ſcire mihi quæ cauſſa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quiſquis ad hæc vertit peregrinam littora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.
Quamq; tibi reddat, ſi te modó viderit uſquã,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleïa Neſtoris arva,
Miſimus, incerta eſt fama remiſſa Pylo.
Miſimus et Sparten, Sparte quoq; neſcia veri,
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes.

Concluſionis ſententia tandem viceſimo primo ſecundoq; verſibus per contrarium ſignificatur:

Utilius ſtarent etiam nunc mœnia Phœbi:
Iraſcor votis, heu levis ipſa! meis.

Sed & ipſi cõcluſioni amplificatio accedit ex adjunctis: ſex ſunt verſus:

Scirem ubi pugnares, et tantùm bella timerem:
Et mea cum multis juncta querela foret.
Quid timeam, ignoro, timeo tamen omnia demens,
Et patet in curas area lata meas.
Quæcunq; æquor habet, quæcunq; pericula tellus,
Tam longæ cauſſas ſuſpicor eſſe moræ.

Quamobrem cùm hac interpretationis diligentia puer totam ſententiam diſtinxerit, vel á diligenti præceptore diſtinctam acceperit, & ex octo, & viginti verſibus quatuor propoſitioni, ſexdecim aſſumptioni, octo cõcluſioni tribuerit, hac ſyllogiſmi deſcriptione non ſolùm partes, ſed partium quoq; ſententiam ſibi repræſentabit: Nam cûm ſcierit hîc primo loco propoſitionem, ſecũdo aſſumptionem, tertio concluſionem eſſe, ſciet itidem ex cognitis ſyllogiſmi legibus quæ vis cujuſque partis eſſe debeat: quinetiam hac ratione facillimè φαντασίας animo cõcipiet, per quas, imagines rerum abſentium ita ſubjiciet animo, ut cernere oculis ac præſentes habere videatur. Ut in hoc exemplo õccurrẽt antiquæ urbis ruinæ, agricolæ, oſſa, nautæ, mulier ſolicité interrogans, tabellarii, bella, naufragia, cædes. In longioris autem orationis & diſputationis ambitu, præſertim ſi methodus ſervata ſit, memoriæ ſubſidiũ præcipuum erit. Exemplum de noſtra Dialectica commodiſſimum erit, ut Dialectica ſui ipſius imprimis memoriã cõfirmet, quæ aliis opem confirmandæ memoriæ polliceatur. Figuretur igitur hîc primis rerum notis, artis Dialecticæ ſumma & univerſa partitio, quæ quod dicimus, oculis etiam ſpectandum proponat.

Dia.

- Dia.
  - Invent. arg.
    - Inſ.
      - P.
        - S.
          - Conſ.
            - Abſo.
              - Cauſſ.
                - Eff.
                  - 1
                    - Procre.
                    - Conſer.
                - Mat.
                  - 2
                    - Sola.
                    - cum alijs
                - Form.
                  - 3
                    - Per ſe
                    - Per accid.
                - Fin.
              - Eff.
            - Quo.
              - Subi.
              - Adjunc.
          - Diſſ.
            - Diver.
            - Oppo.
              - Diſpa.
              - Contr.
                - Aff.
                  - Relat.
                  - Adverſ.
                - Neg.
                  - Privant.
                  - Contradicent.
        - C.
          - Quant.
            - Paria.
            - Imp.
              - Majo.
              - Mino.
          - Qual.
            - Similia.
            - Diſsimilia.
      - O.
        - Conjugata.
        - Notatio.
        - Diſtributio ex
          - Cauſsis.
          - Effec. ubi
            - genus
            - ſpecies.
          - Subject.
          - Adjunct
        - Definitio
          - propria.
          - Deſcriptio.
    - Aſſ.
      - Divini.
      - Humani.
  - Judic.
    - Enun.
      - Aff.
        - Ver.
          - Conting.
        - Falſ.
          - Neceſſ.
      - Neg.
      - κατὰ π.
      - καθ' αὑ.
      - καθό.
        - S.
          - Gen.
          - Spec.
            - Infini.
            - Prop.
        - Comp.
          - Cong.
            - Copula.
            - Connex.
          - Diſ.
            - Diſcret.
            - Diſjunc.
    - 2
      - Syll.
        - Ant.
          - Pro.
          - Aſſ.
        - Complex.
        - S.
          - Aff.
          - Neg.
            - Ge.
            - Spe.
              - 1.
                - 1.
                - 2.
              - 2.
            - Pro.
        - Comp.
          - Connex.
            - 1.
            - 2.
          - Diſjunc.
            - 1.
            - 2.
      - Metho. á generalibus ad ſpecialia.

Itaq; propoſitis hoc modo diſtributisq; rebus, ut verborum quoq; contextus faciliús ediſcatur (qui ab arte auxilii nihil admodũ capit, niſi forté quód res ordine diſtributæ ſua vocabula ſecum rapient:

Verbaq; proviſam rem nõ invita ſequentur:) accedat, ſi placet, meditatio, ut per partes paulatim memoria ducatur: quinetiam modica voce in meditando animus excitetur, ut duplici motu dicendi & audiẽdi memoria juvetur: tum ſi qua ratio memoriam poſsit adjuvare, illa diſpoſitionis admonitio juvabit: licebitq; philoſophis & oratoribus, qui locis & imaginibus artem quandam memoriæ confinxerunt, per nos quidem valere: nihil enim pollicentur, quod non uberiús multó faciliusq; teneamus: Ajunt enim ordinem prodeſſe memoriæ, ſed externis & commentitiis eam ſignis & ſimulacris inſtruunt: nos ordinis rebus ipſis inſiti doctrinam certiſsimam, & veros locos pro rerum gradibus & generibus diſtinctos, rerũq; veriſsimas imagines adhibemus: illi verborum memoriam infinitate formarum conturbant, dum propter ſingula verba ad ſingulas ſpecies eſt reſpiciendum: Nos hanc partem, rerum compoſitione & collocatione (quantum natura fert) adjuvamus. Quapropter quicquid eſt, quod ad confirmandam memoriam doctrina poſsit efficere, id totum dialecticæ diſpoſitionis doctrina præſtabit.

Sed perorandi jam tempus eſt. Pro duobus libris in Elẽchos Ariſtotelis deſtinatis, elenchos & invẽtionis & diſpoſitionis collegimus, & artis via quadam digeſsimus. Ariſtoteles perorationem operi logico addidit, nos in hujus perorationis conſideratione perorabimus. Hîc Ariſtoteles ſe nõ partis alicujus, ſed univerſæ Logicæ primum authorem, & modo quodam ſummum perfectorem eſſe glorioſé magnificéque prædicavit. Syllogiſmum Ariſtotelis hac de re, judiciumq; totum & integrum è Græco convertam ac latiné proponam: & quó faciliús intelligatur, apertiús retexã. Cúm igitur in logici operis epilogo dixiſſet Ariſtoteles (Quod igitur perfecta ſint atque abſoluta quæ propoſuimus, hinc eſt manifeſtum:) deinceps hunc ſyllogiſmum concludit:

Primi artium inventores valdé laborarunt:

Ariſtoteles eſt primus artis dialecticæ inventor, imó etiam perfector:

Valdé itaq; laboravit.

Propoſitio eſt primo loco, aſſumptio ſecundo, complexio poſtremo. Propoſitio igitur ita primúm comprehẽditur, & ornatur artium diſsimili inventione & amplificatione, quód illa difficillima ſit, hæc facillima. Quid veró in hoc opere contigerit, non eſt nobis ignorãdum: ex omnibus enim quę inveniuntur, partim quidem ab aliis ſumpta priús, paulatim elaborata & exculta, á ſucceſſoribus augentur & amplificantur: partim veró ab initio primúm reperta, modicos quidem primúm progreſſus, conſequentibus tamen amplificationibus multó commodiores & excellentiores facere conſueverunt: Principium ſiquidem fortaſſe plus toto, ut dicitur: itaque etiam difficillimum: quantó enim facultate maximum eſt, tantó mole & amplitudine minimum, cognituq; difficillimum: Ac eo invento, facile eſt addere atq; augere reliquum. Propoſitionis ad huc ſententia fuit, propoſitionis exornatio, quód artium prima inventio difficillima ſit, conſequens amplificatio facillima. Sequitur propoſitæ diſsimilitudinis exemplum de rhetoricis artibus, quas Ariſtoteles appellat hîc civiles diſciplinas, ſicut ſecũdo capite primi Rhetorici, partem politicæ, Rhetoricam facit. Quod quidem in civilibus cæteriſq; propemodum diſciplinis accidit, quarum principia qui repererunt, perpuſillum quiddam promoverunt. At nunc his artibus excellentes á multis veluti ſucceſsione paulatim colligentibus inſtructi ſic auxerunt: Tyſias primis ſucceſsit, Tyſiæ veró Thraſymachus, huic autem Theodorus: aliiq; permultas partes contulerunt, ut artem uſq; adeó creviſſe, mirum nihil eſſe videatur. Exemplum ſic eſt de Rhetorica: Aſſumptio deinde ſequitur:

At Ariſtoteles eſt primus invẽtor Dialecticæ: quæ ſua quoque collatione illuſtratur. Quemadmodum Gorgias, ſic ſophiſtæ & Dialectici veteres, artis opera quidem multa, at nulla præcepta tradiderunt: id eſt artis uſum, non artem tenuerunt: artemq; exercuerunt, non docuerunt. Hujus veró operis non hæc quidem pars erat,

erat,illa autẽ non erat inſtituta, ſed omnino nulla erat:Etenim mercede contentioſas artes docentium inſtitutio, Gorgiæ operi ſimilis erat : orationes enim hic quidem ad dicendum,illi veró ad interrogandum ediſcẽdas proponebant, in quas utriq; mutuis ſermonibus incidere ſolebant : Itaque facilis quidem ab iis & expedita, ſed inartificiales inſtitutio diſcipulis tradebatur: nec enim arte, ſed artis operibus & exemplis tradendis,ſe peritiam tradere opinabãtur. Adhuc ſimilitudo Gorgiæ & veterum ſophiſtarum ſeu Dialecticorum fuit,quòd utriq; exercitatores artis, non doctores fuerint.Idemq; ſimilitudine calceolariorum plenius declaratur. Quemadmodum ſi quis profiteatur ſcientiam ſe traditurum,qua pedes non doleant, deinde ſuendi artem quidem non doceat, nec unde facultas ea compareretur, ſed multa calceorum variorum genera ſuppediret:hic enim ad uſum,adjumentum attulerit, artem tamen nequaquam tradiderit. Aſſumptionis ſententia & exornatio ſic eſt:ubi conſiderabis quod Ariſtoteles dicit,Logicę artis exempla à Logicis veteribus tradita juventuti fuiſſe, artem traditam non fuiſſe: calceos denique, non calceorum faciendorum artem : qui locus in Topicis frequenter à nobis citatus eſt : & Topicus doctor,talis calceolarius ſæpe demonſtratus eſt. Repetitur deinde propoſitũ antea Rhetoricæ exemplum,eiq; Dialecticæ exemplum diſsimile comparatur,quòd Rhetoricæ præcepta quidem jam multa fuerint inventa, Logicæ autem prorſus nulla : & complexio colligitur. Ac de Rhetoricis quidem fortaſſe permulta & antiqua documenta fuerunt : de ratiocinando autem & argumentando nihil omnino prius aliud dicere potuimus, quàm uſu & exercitatione quærendo, longi temporis labores exhauſimus. Atque hæc complexio eſt, in qua diſsimilitudinem Rhetoricæ & Logicæ conſiderabis, & qualis Ariſtotelis ratio ſit: nam ſi de Rhetorica, multa jam præcepta ac dicta erant,certé de Logica etiam multa præcepta ac dicta erant : Ariſtotelis enim tempore, ut ex ipſius Rhetoricis conſtat, Rhetorica nihil fuit, niſi inventio & diſpoſitio : puſillum de metaphoris & de numero : de reliquis elocutionis ornamentis nihil, nihil item de actione, cùm Ariſtoteles ipſe primũ ſe actionis authorem eſſe profiteatur: ut hæc confirmatio, ſuæ quæſtionis refutatio ſit. Et quo argumento Ariſtoteles probare vult, ſe primum Logicæ inventorem fuiſſe, eodem intelligatur multos doctores habuiſſe. Poſtremò petitur merces operis, eiusq; perfectio ſignificatur. Quamobrem ſi veſtro judicio, præſertim cùm principium ejus antè nullum fuerit, doctrina præ cæteris per acceſsiones amplificatis perfecta & abſoluta eſſe videatur, reliquæ veſtrûm omnium, vel eorum qui audierint, partes erunt, omeſsis quidem doctrinæ partibus, veniam, inventis autem multam gratiam impertiri. Hîc igitur Ariſtoteles pro tantis laboribus futuros eorum judices obteſtatur : atque adeò audacter, ut Alexander notavit, perfectionem hîc & abſolutionem loquitur: planeq; & apertè loquitur, Logicam, non ſolùm à ſe primùm inventam, ſed tandem præ cæteris prius inventis perfectam atq; abſolutam : Quæ ambino tamen tot teſtimoniis tamq; locupletibus primo libro conſtricta & convicta eſt, ut jam dubia eſſe non poſſit: Et ſanè (ſiquid excuſari poſsit iſte gloriæ tantus amor, atque hæc laudum immenſa cupido) Ariſtoteles mihi videatur hæc profiteri, elatus non alia veriùs, quàm à ſe conſtitutæ methodi & collocationis opinione : ut Ariſtoteli, qui Logicam aptè collocarit, Logicam primus invenerit & perfecerit:tanquam Logicæ artis, niſi aptè & ordine collocatæ, nullus futurus eſſet uſus. Quamobrem Ariſtoteli methodum tantoperè probatam & laudatam, ſed methodum in Organo Logico non ſatis adhibitam,ſtudioſè conſectamur, ut Ariſtotelis opinione propemodùm ſeducti, primum Logicæ compoſitorem & ordinatorem, primum quoque Logicæ inventorem & perfectorem, imò primum Logici uſus authorem arbitremur : nec ullam omnino Logicam, niſi methodica ſpecie formatam judicemus : Omnesq; idcirco, qui ubicunque terrarum ſint,philoſophos, quod initio fecimus, rurſus in extremo, debilitatis humanæ bene memores & imprimis nobis conſcii, ad hanc laudem cohortamur:

Cc 4 nec

nec eos ut Ariſtoteles, omiſsi veniã poſcimus, ſed ut Apelles à prętereuntibus, errati notitiam & medicinã flagitamus: ut ab iis omni ſtudio ac ſeveritate in noſtram Dialecticã animadvertatur, quid verbis ſit inuſitatum, ὁμώνυμον, durius immutatum, ἀμφίβολον, pravé expoſitũ: quid ſententiis obſcurum, alienum, falſum, ἀσυλλόγιστον, nequid iis impedimentis, artis uſus retardetur: ſed multó maximé quid perverſum aut præpoſterum (illa eſt enim, illa palma nobilis, Ariſtoteli longé pulcherrima, nulliſq; vel Olympicis palmis comparanda: palma tamen pertinax & ſuperba, quæ vel graviſsimorum laborum ponderi facilé nõ cedat) quid, inquã, perverſum aut præpoſterũ: quid Ariſtotelis principiis contrarium: an γενικώτατον quodq; primo, ὑπάλληλον medio, εἰδικώτατον poſtremo loco poſitum: an nihil ὕστερον πρότερον cõfuſum ſit. Idq; cûm deprehenſum fuerit, ád illum ipſum, toties jam nobis cantatum uſum: ad illa Ariſtotelis principia toties appellata congrué & apté corrigatur & emendetur, ut Logica tandem aliquãdo principiis Ariſtotelis conformata, & ad uſum humanitatis inſtituta teneatur. Imó veró te Deus Optime Max. (à te enim principiũ, tibi deſinet) oro & obſecro, ut hominũ mentes exuſcites ad laudẽ gloriamq; nominis tui cognoſcendam: Neque enim cæci, neq; ſurdi laudare poſſunt ea, quæ nũquam viderunt, nunquam audierunt: ſic pulcherrima nobiliſsimaq; mentis humanæ bona, quibus abs te donati homines dotatiq; ſunt, qui nunquam providerint, qui ab intelligẽtibus audire percipereq; aut noluerint, aut non potuerint, gratiam tibi pro tanto munere nullam habebunt: Verúm qui tantum lucis ſplendorem perſpicient, qui admirabilem Dei hominumq; ex rationis mentisq; communione ſocietatem cernent, hi ſingularem tuam erga homines pietatem ex animo vereq; complectentur, & ſyncero veroq; cultu venerabuntur. Quare per infinitam bonitatem tuam perge, ac potiús propera ſolis hujus tui lumen excitare, ut tot orbis terrarũ gymnaſiis perſpiciatur, ametur, colatur.

P. RAMI SCHOLARUM DIALECTICArum *lib. xx.*

FINIS.

P. RAMI SCHOLARUM PHYSICARUM LIBRI OCTO, IN TOTIDEM ACROAMATICOS *libros Ariſtotelis.*

PRAEFATIO IN SCHOLAS *Phyſicas.*

ARiſtotelis auſcultatio phyſica eodem illo inſtrumẽto diſceptanda nobis eſt, quo adhuc antecedentes artes diſceptatæ ſunt. Logicæ leges illæ de materia formaque artis ante oculos habẽdæ ſunt, ut materia omnis ſit *κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, καθ᾽ ὅλου πρῶτον*· de omni, per ſe, univerſaliter primum. Prima lex eſt veritatis, ne ullũ ſit in arte documentũ, niſi omnino neceſſarioq; verum. Itaq; non modó falſa, ſed fortuita tollentur. Secunda lege cavetur amplius, ut artis decretum ſit non tantũ omnino, neceſſarioq; verum, ſed homogeneum, & tanquam corporis ejuſdem membrum: nec in Arithmetica ſit quicquã geometricũ: nec in Geometria arithmeticũ, ſecús geometricum, in Arithmetica fuerit *ἀνάριθμον*, arithmeticum in Geometria *ἀγεωμέτρητον*. Sic logicũ in Phyſica tam fuerit *ἀφύσικον*, quám phyſicũ in Logica ſit *ἄλογον*. Hinc falſi erroris refutationes etiam veræ, tamen ex arte tollentur, quia inſcientiam tantúm dedoceant, ſcientiam ipſam non doceant. Hæc juſtitiæ lex eſt ad regendos artium fines, & ſuum cuiq; tribuendum, juſtiſsima. Tertia demum lege ſancitum eſt, ut artis præcepta nõ ſint duntaxat omnino neceſſarioq; vera, nec homogenea tantum, ſed propria partibus reciproca: neq; generale ſpeciei, aut ſpeciale generi tribuatur, ſed generale generaliter, ſpeciale ſpecialiter exponatur. Si doceas rectas nõ cõcurrere: in æquicruro tres angulos duobus rectis æquales eſſe: analogiam in numero & magnitudine, generalem affectionem ſpeciei tribuis, cum parallelíſmus, etiam obliquis, æqualitas rectorum omnibus triangulis, analogia rebus omnibus conveniat. Si doceas æqualitatem duorum rectorum in figura, ſpecialem affectionem generi attribues, ideoque ſophiſticé docebis. Hæc tertia lex eſt ſapientiæ. Hæ tres leges *νοητικὸν* de principiis & per ſe claris enuntiatis judiciũ complectuntur: de dubiis enuntiatis ſyllogiſticum judicium minimé cõtroverſum eſt. De artificioſa & methodica enuntiatorum vel *νοητικῶς* vel *συλλογιστικῶς* judicatorum diſpoſitione & forma lex unica eſt, ut abſoluté notius & clarius antecedat: quæ tametſi verbis paucíſsimis eſt contenta, uſu tamen & fructu eſt omnium

nium

nium maxima. Hæc ſunt Ariſtotelis de materia formaq; artium logicæ leges, communes omnium temporum, locorum, hominum, nullis exceptionibus conſilii, voluntatis, occaſionis cujuſquam aſtrictæ. Peccaveris in Grammaticæ leges minimum, ſyllabamq; longam breviter enuntiaris, ſibilo audientium peccatum tuum corrigetur. In dialecticas autem leges, id eſt cujuſvis doctrinæ principes ac dominas, vel quidlibet offendere, quanto gravior offenſa, quantoque minus ferenda fuerit? Vna eſt erroris infiniti magiſtra, anticipata multis ante ſeculis opinio, catholicis inſtituendæ doctrinæ legibus adverſaria, academiarum & publicarum cathedrarum variis privilegiis, amplis etiam præmiis, & honoribus armata, quibus acroaſis phyſica, ſicut Ariſtotelis opera reliqua, ſancitur. At in logica civitate logicos judices ſpero me habiturum eſſe, qui catholicas ſuæ civitatis leges quantumlibet inveteratæ captionis exceptione majores, quantumlibet approbati privilegii ſanctione ſanctiores exiſtiment. Enimvero ſi quis architectum regiæ cujpiam conſiderandę in conſilium advocet, interrogetq; quibus inſtrumētis opus ſit illud examinaturus, proferat (opinor) regulam, perpendiculum, normam: ita ſi quis interroget quibuſnam machinis aut ferramētis confiſus ad tantam ariſtotelei mundi fabricam expendendum accedam, ariſtotelearum de materia, formaque artis legum inſtrumenta videlicet illa proferam: Ariſtotelis enim philoſophia eſt omnium qui ante fuerunt philoſophorum bibliotheca quædam, permultis locis collectas ſententias potius, quam judicatas complexa, eaſq; Apelliconis tineis & blattis corruptas & depravatas, ut alias propoſui. Itaque comparandi ſunt eadem de re omnes ariſtoteleæ philoſophiæ loci, tum delectus legibus illis catholicis conſentaneus eſt adhibendus. Nulla enim philoſophiæ ſententia illuſtris ferè eſt, cujus contradictionem aliquam in Ariſtotele non reperias. Itaq; controverſi Ariſtotelis interpretem ac judicem, ariſtoteleis legibus, id eſt Ariſtotelis graviſsimis & accuratiſsimis judiciis, quem potiorem aut præſtantiorem requiramus? Quamobrem philoſophi omnes, quicunque hæc lecturi, audituri, cognituri eſtis, animos per Deum naturæ (qua de hic agitur) erigite. Scripſimus antea & pro logica veritate, & contra ſophiſticam falſitatem philoſophica libertate beatis quondam & florentibus philoſophiæ ſtudiis, non ſolum permiſſa philoſophis omnibus, ſed ad legitimé philoſophandum propoſita, ac præſcripta: Ergo jam præmium tali virtuti uſitatum protinus non á noſtris tantum popularibus, ſed toto terrarum orbe ſumus adepti: probra & maledicta ab hominibus é ſophiſtica illa, tanquam é ſolida doctrina laudē ſectantibus, qui tamen legibus, qui cōparationibus, qui argumentis noſtris nihil iraſcerentur, ſed maledicerēt legum vindici, comparationum

ſecun-

ſecundum leges & argumentorum authori: Neq; enim noſtri phi-
loſophi ad illam æquitatem adhuc adduci potuerunt, ut ſecundum
Ariſtotelis leges ariſtotelea philoſophia judicaretur: nec adhuc in
tot maledictorum plauſtris ſyllogiſmum illum deprehendere po-
tui, vel pro Ariſtotele hoc modo: Præceptum artis κατὰ παντὸς, καθ'
αὐτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον, naturaque prius antepoſitum eſt legitimum:
Ariſtoteleæ philoſophiæ præceptum quodlibet ejuſmodi eſt: Ita-
que legitimum. vel contra nos hoc modo: Præceptum legitimum
eſt κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον, naturaque prius antepo-
ſitum: P. Rami præceptum ejuſmodi nō eſt: Non igitur legitimum.
hunc (inquam) logicum ſyllogiſmum, hoc logicum judicium ad-
huc in nullo P. Rami adverſario deprehendere potui: Id nimirum
eſt. O' philoſophe, ſi philoſophiæ legibus judiceris, actum eſt, ilicet,
periiſti: Itaque effrænatam maledicentiam, & infinitam exceptio-
num ſophiſticam tantum adhuc audivi: hic item non tantum ſingu-
li profeſſores, ſed ſcholæ totæ phyſica Ariſtotelis celebres, cúm eru-
ditionis ſuæ fama ſpoliari ſibi videbuntur, non dubito quin proti-
nus tanquam adverſus prædonem quempiam & latronem quiri-
tentur. tanta eſt apud pleroſq; etiam doctos, etiam de religione pié
ſentientes (quod perſæpe admiratus ſum) de philoſophi hujus ſcri-
ptis opinio, ut vel de Moſe, deque Chriſto potius, quám de Ari-
ſtotele dubitent. Verumtamen cúm pertinacia tantiſper poſita, ju-
dicioque ſynceriore adhibito perceperint, ſuis opinionibus longé
diſsimiles libros acroamaticos eſſe, tum faciliores pauló atq; æquio-
res erunt. At enim ſi quis animo in ſupremam mundi regionem
elatus cælum & terras, omniaque iis comprehenſa penitus perſpi-
ciat, ad Ariſtotelis acroaſim converſus perſpiciet in octo phyſicis li-
bris nullam rei cujuſquam naturalis notam, ſed logica ſophiſmata
de cauſsis & principiis primo ſecundoque libro, de effectu cauſſa-
rumq; & motu tertio, & quinto, de ſubjecto loco, adjunctoque tem-
pore, quarto: tertii parte, ſextoque toto infinitatis: totiſque item ſe-
primo, & octavo æternitatis monſtra quædam & portenta per-
ſpiciet, non ſolúm ingenuæ diſciplinæ prorſus aliena, ſed veræ
pietati ac religioni contraria. Ac neſcio quo animo Chriſtiani ho-
mines ferent ab ariſtoteleis interpretibus Ariſtotelis impia com-
menta defendentibus, Moſem tanquam fabulatorem Aegyptium
irrideri: Chriſtianosque modó ignaros idiotas, modó τελχῖνας
tanquam ſceleſtos, furioſoſque appellari. Ariſtotelem nempe ma-
jores illi noſtri tanquam Jovem aliquem inſanorum interpretum
more non colebant, ſed ejus fraudes manifeſtis & illuſtribus ar-
gumentis convincebant: his tamen argumentis adverſus Ari-
ſtotelem non admodum uti, ſed logicis, mathematicis, phyſicis,

a. id eſt

id eſt philoſophicis armis philoſophicum certamen certare conſtitui. Itaq; valde ſpero cognitores hujus controverſiæ, judiceſq; converſis animis immortales gratias nobis habituros eſſe. Et quidem ut fructus iſte publicé omnibus & mihi privatim maturius cōſtet, Platonicam peregrinationem decurſo reliquarum artium ſtadio in eas regiones meditor, ubi noſtratia hæc ſtudia exerceri celebrariq; audio. Britanniam ut Pariſienſis Academiæ parentem exoſculor: Germaniam ut mathematum altricem animo complector: Italiam veró omnium laudum, virtutumq; velut officinam quandam admiror & ſuſpicio, in eaq; Bononiam (quæ tam longinquo locorum intervallo nobis primariæ in doctiſsima academia profeſsionis honorem, referente Angelo Papio jureconſulto clariſsimo honorificé detulit) præcipué viſendam, omniq; ſtudii & officii genere colendam: præcipueq; Papium mihi complectendum propono: Itaq; commilitones mei (ubicunq; terrarum noſtræ hujus militiæ ſtipendia meremini) ne vos imparatos offendam, interea conſiderate, quid de liberalium artium inſtitutione, quam perſequimur, corám reſpondendum judicetis, quales veſtro judicio ſint Ariſtotelis auguſtæ & ſacræ leges illæ, quibus artes & diſciplinas regendas eſſe profiteor.

—hic murus aheneus eſto.

Et certé adverſus calumnias omnes adhuc aheneus fuit, & erit in æternum: Neq; enim ſophiſmate ullo diruetur unquam. Conſiderate (inquam) qualis ſit hic murus, qualis ſit Ariſtotelearum variis élocis ſententiarum ad leges comparatio, qualis deniq; ſit ex iis & legū & comparationum antecedentibus noſtra cōſecutio & complexio. Atq; hoc loco Italos in primis exhortor & moneo, ut de ſuis virtutibus pauló magnificentius ſentiant, quám ut placitis philoſophi cujuſquam tam humiliter demiſſeq; ſerviant. Etenim (Deum immortalem) doctores hi ſingularibus naturæ dotibus eximié præſtant atq; excellunt, diligentiam induſtriæ conſtantiamq; tractandis & explicandis artibus ex omnibus omnium linguarum comparatis interpretibus admirabilem adhibent. Sum enim cupidior, & fortaſſe curioſior de cujuſque doctoris pauló clarioris dignitate & exiſtimatione. Nec tamen editos libros avidé perlego, ſed ſi quis doctrinæ ſtudiis deditus, é diſcipulis vel amicis vel quomodocunq; notis hominibus ex Italia redierit, ſciſcitari, percontariq; ſubtiliter ſolitus ſum de celebritate Academiæ cujuſq;, de nobilitate profeſſorum, de genere docendi, atq; facultate: inde cætera quidem omnia in Italis philoſophis abundé comperiebam, ſed in pleriſque omnibus animadvertebam præpoſteræ cujuſdam perſuaſionis opinionem valdé contrariam: doctoris nempe veluti laudatoris officium videri, authoris propoſiti ſententiam non ſolum perſpicué & intelligenter interpretari, ſed

qualiſ-

qualiſcunq; ea ſit, arctè tenere, ac mordicus tueri. Enimverò (inquã) ſi de Iſocrate aliquo aut Simonide loqueremur, officium doctoris illud fortaſſe probaretur: At longè alius eſt Panegyricus, aut Melicus alienæ laudis mercator ille, alius hic noſter doctor, non ſolùm virtutum exornator, ſed judex cenſorq; vitiorum. Nam ſi grãmaticus vel rhetor grammaticas, vel rhetoricas laudes in authore quãlibet egregio interpretandas ſumpſerit, quid aliud ad hoc interpretationis judicium ſibi præponet, quàm ut ejus virtutes grammaticis rhetoriciſq; legibus congruas diſcipulis ſuis commendet, & imitandas eſſe prædicet? vitia autem contraria demonſtret, fugiẽdaq; moneat? Sic in philoſopho quantumlibet excellenti explicando, quid philoſophiæ doctor prius & antiquius philoſophicis habere debeat, adaccuratè ſyncereq; philoſophandum? & quid in quaq; re verum, falſumq; ſit exiſtimandum? Id enim eſt ſcire, rẽ per cauſſam cognoſcere. At cauſſa rectè & legitimè philoſophandi eſt in philoſophiæ legibus, & principiis: vagæ autẽ & ſophiſticæ opinionis umbra tantum eſt in philoſophi nomine atq; authoritate. Vtinam verò philoſophicam libertatẽ ſummis philoſophiæ legibus duntaxat obedientem, Italiæ philoſophis propediem gratulari poſsim, ut velit quiſq; Ariſtotelis ita diſcipulus eſſe, ut Platonis Ariſtoteles fuit: imò verò velit eſſe ille ipſe Ariſtoteles, vel Ariſtotele præſtantior, ut Ariſtoteles alter Plato eſſe voluit, atq; adeò Platone excellentior. Etenim, ſumme Deus, iſta libertate duce omnes omnium generum artes vel uno ſeculo à talibus artificibus & inveniri, & abſolvi poſsint: quæ tamen neſcio quot ſecula poſteaquam ſervilis inertia in ſcholas noſtras invaſit, vix ac ne vix quidẽ parte milleſima intelliguntur. Quapropter ubi'nam ſunt animi illi nobiles & generoſi, non ſolum ex illa tranſmarina platonici & ariſtotelei, ſed ex iſta magna Græcia pythagorei, qui ſervitutem hanc non ſecùs ac perniciem artium aliquã averſabantur? Vbi'nam Cæcus ex Itala gente Appius, qui hunc noſtrum philoſophorum ſenatum ſenatoria illa ſeveritate coarguat,

Quò vobis mentes (rectæ quæ ſtare ſolebant
Antea) dementi ſeſe flexere ruina?

Quamobrem per Phyſicas muſas (quarum numen in iſto judicio periclitatur) ad antiquam illam gravitatem cõſtantiamq; redeatur, malitq; quiſque noſtrûm, philoſophus, quàm philoſophi ſervus eſſe. Atque hac ingenuitate ad acroamaticos libros cognoſcendum & retexendum accedatur.

IN TITVLVM OPERIS.

ἈΚΡΟΆΣΙΣ φυσική, auſculta tio naturalis, titulus ferè eſt octo librorũ: quod dun taxat auditores ſelecti, ut eſt apud Gellium libri 20. cap. 4. ad hanc Philoſophiam audiendum admitterentur, & libri inde ἀκροαματικοὶ putantur eſſe dicti, de quibus Alexander ad Ariſtotelem hoc modo:

Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ πράττειν.

Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκδοὺς τοὺς ἀκροαματικοὺς τῶν λόγων. τίνι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' οὓς ἐπαιδεύθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν.

ALEXANDER ARISTO- *teli ſalutem.*

Non rectè feciſti, qđ auſcultatorios libros edideris. Etenim qua re tandem cæteris excellemus, ſi diſciplinæ, quibus eruditi ſumus, communes fiant omniũ? Ego verò rerũ optimarũ peritia, quàm potentia ulla præſtare maluerim.

Ἀριστοτέλης Ἀλεξάνδρῳ εὖ πράττειν.

Ἔγραψάς μοι περὶ τῶν ἀκροαματικῶν λόγων, οἰόμενος δεῖν αὐτοὺς φυλάττειν ἐν ἀπορρήτοις. ἴσθι οὖν αὐτοὺς ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους. ξυνετοὶ γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν.

ARISTOTELES ALEXAN- *dro ſalutem.*

Scripſiſti ad me de libris auſcultatoriis, exiſtimans in arcano cuſtodiendos fuiſſe. Scito igitur ipſos editos & nõ editos eſſe. Cognoſci enim percipique ab iis tantùm poterũt, qui nos audierint. Hæc diſcipulus Alexander, & magiſter Ariſtoteles de libris acroamaticis. quos plerique phyſicæ auſcultationis libros exiſtimant. Plutarchus in Alexandro διδασκαλίας ἀπορρήτους, βαρυτέρας, ἀκροαματικὰς, ἐποπτικὰς diſciplinas, arcanas, graviores, auſcultatorias, ſpeculativas appellat. Sed primam Philoſophiam nomine ἀκροαματικῶν interpretatur. Doctis autem hominibus nonnulis in earum rerum judicio ſagacibus ſuſpectæ ſunt hæ epiſtolæ: attamen pro veris & legitimis ſunto. atq; huc afferatur quod Alexander Ariſtoteli talẽta octoginta, ob Phyſicam animaliũ dono dederit, ut Athenæus libro nono author eſt: neq; minore liberalitate reliquã doctoris ejuſdem Philoſophiam proſecutus ſit. ut inde conjicere liceat, quã charos Ariſtoteleæ Philoſophiæ theſauros habuerit. Indeq; ſit illa tanquã de profuſis gazis querimonia: ad quã conſolandum Ariſtotelis epiſtolam demulcẽdo juvenili regis animo Plutarchus ſcriptã arbitratur. Aliam igitur conſolationem Alexandro paulò juſtiorem & pleniorẽ meditemur, ne poſthac libros acroamaticos editos eſſe conqueratur.

P. RAMI SCHOLARUM PHYSICARUM *Liber I.*

IN CAPUT I.

PROOEMIUM acroaſeos totum eſt logicum: cauſamq; inde eſſe ſuſpicor, quod bibliothecam phyſicorũ innumerabiliũ ex omnibus nationibus collectorum Ariſtoteles aſſecutus, de ordine explicandæ & illuſtrandæ tantæ varietatis cogitarit. Duo ſunt hac de re ſyllogiſmi. prior de logica methodici ordĩ his lege, Omnis ſcientia conſtans principiis ab eorum explicatione primùm deducenda eſt, quia hinc ſciẽtia oritur. Phyſica eſt ſcientia conſtans principiis: Ab eorum igitur explicatione primùm deducẽda eſt. Aſſumptio ſyllogiſmi hujus ab Ariſtotele prætерita eſt: propoſitio etiam & complexio in unum enunciatum comprehenſa & confuſa. Syllogiſmi tamen hujus, quamvis enthymematici, judicium eſt cõſtans & firmum, & Ariſtoteleæ de methodo artium philoſophiæ conſentaneum. Secundus ſyllogiſmus eſt ad prolepſim quandam, Quid ſi principia ipſa obſcuritatis aliquid habeant: ad eamq; ſyllogiſmo altero ita reſpondetur. Notiora nobis adhibenda ſunt ad principia declarandũ,

quæ

quæ natura ſunt notiora : Singularia ſunt notiora nobis . Singularia itaque ſunt adhibenda ad principia declarandum . hic ſyllogiſmus in Ariſtotele plenus eſt: &, ſi tam claré & perſpicué propoſitus eſſet, philoſophia capitis hujus lumen aliud nullum requireret. At propoſitio nominatim nõ exprimit theſim, quod modus in principiis artium declarandis quæratur: deinde partitionem illã á nobis in logica de methodo diſputatã repetit, quod alia ſint γνώριμα ἡμῖν, καὶ τῇ φύσει, nota nobis & natura. Enimvero duplex cognitionis humanæ via eſt, ſenſus & intellectus : ſenſu primùm ſingularia judicantur, deinde univerſa intellectu cõcipiuntur. ſed illa ἀμυδρῶς καὶ φαύλως, infirmé & imperfecté cognoſcũtur: ἢ μικρὸν, ἢ οὐδὲν ἔχει τοῦ ὄντος, ac puſillũ aut nihil entis; id eſt, (ut Alexander interpretatur) veritatis, habent . hæc autẽ ὅλως ἁπλῶς, omnino abſolute percipiuntur. Deniq; γνώριμον ἡμῖν καὶ τῇ φύσει dicitẽ ab Ariſtotele bis 5. capite hujus, itemq; alibi ſæpius κατὰ τὴν αἴσθησιν καὶ κατὰ τὸν λόγον, ſecundũ ſenſum & ſecundũ rationem: quod totum ampliſsimé ex omnibus ariſtoteleæ philoſophiæ partibus diſputatum eſt á nobis in dialectica in capite de Methodo. Ergo talis eſt proſyllogiſmus propoſitionis: quam de principiorũ deductione ſic intelligendã eſſe Græci interpretes etiam monuerunt: *Nunc vult dicere quis ſit modus cognitionis principiorum*, ait hoc loco Philoponus de Ariſtotele. Itaq; ne quis hic hallucinetur, & methodicam diſponendæ artis viam putet ab Ariſtotele ſecundã informari, propoſitio ſyllogiſmi ſecũdi nobis hæc eſt : Ad principia, quæ natura ſunt clariora, declarandum, notiora nobis adhibenda ſunt. Aſſumptio deinde ſequitur, Singularia ſunt notiora nobis. Aſſumptio hæc nominatim non appellat ſingularia, ſed τὰ συγκεχυμένα μᾶλλον, confuſa magis, quia, ut Græci interpretes aiunt, ἀορίστως καὶ ἀδιαρθρώτως, indefinité & indiſtincté concipiuntur : hæc igitur eſt obſcuritas in ſecundi ſyllogiſmi aſſumptione. ſed major eſt in complexione: Nam pro eo, *Quare ſingularia adhibẽda ſunt ad principia declarandum*, totum contrá concluſum eſt. Διὸ ἐκ τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα δεῖ προϊέναι. Itaq; ex univerſalibus ad ſingularia oportet procedere. Quo loco velut attonitos interpretes animadverto. At Philoponus unus hic repugnantiã Ariſtotelis perſenſit, καθόλου ἐνταῦθα λέγει, οὐ τὸ καθόλου κυρίως, ἀλλὰ μερικὸν καὶ συγκεχυμένον, διὰ τὸ πλείοσιν ἐφαρμόζειν: univerſale hic dicit nõ univerſale proprié, ſed particulare, & confuſum, quia multis convenit. Neq; tamen Philoponus hic ſatisfacit. quia μερικὸν & particulare nõ idẽ facit qđ τὸ καθ᾽ ἕκαστον ſingulare : ſed μερικὸν, ut *Quidam homo eſt animal*, facit univerſale quoddam, quod multis poſsit convenire, itaq; in nube & umbra quærit manifeſti elenchi excuſationem. Generalia principia ſunt notiora τῇ φύσει, ὅλως, ἁπλῶς. Itaque ſi quid obſcuritatis habeant, principiis aliis explicari non poſſunt: ſpecialibus igitur uti neceſſe eſt. ea ſint ne μερικὰ ἢ καθ᾽ ἕκαστα, ad rem præſentẽ nihil facit: & Ariſtoteles hoc ipſo loco non opponit τῷ καθόλου, illud Philoponi τὸ μερικὸν, ſed τὸ καθ᾽ ἕκαστον: neq; τὸ μερικὸν, ἀλλὰ τὸ καθ᾽ ἕκαστον κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερόν ἐστι, ut hic tamen Ariſtoteles loquitur. Quãquã Ariſtoteles τὸ μερικὸν καὶ τὸ καθ᾽ ἕκαστον ſæpe pro eodẽ ſumit, ut in fine quinti capitis cum genera notioris diſtinguitur, & ſæpe aliás. Quare Philoponus excuſando magiſtro, excuſatiõe ipſe potius egeat. Ego veró ſi philoſophum excuſare velim, dicam equidẽ nihil ſervile aut illiberale, ut feré vulgus interpretum perpetuó ſolet in explicando Ariſtotele. Sed ſi quis ita velit, concedam potius ſphæram æneam dormitanti philoſopho in ſubjectã pelvim nõ excidiſſe: vel certe locũ Appelliconis tineis mendoſum ac depravatũ eſſe, ubi tanquã pro albo nigrũ, ſic pro legitimo proprióque verbo contrarium ſit poſitum, & univerſale pro ſingulari, ſingulareq; pro univerſali calamo lapſum. Denique quidlibet anteá experiar ac tentabo, quám philoſophiæ honorem dignitatẽq; philoſophi cujuſquã gratia violem. Quinetiã complexionẽ ipſam, niſi exempla repugnarent, facerem libenter primi ſyllogiſmi repetitam cõplexionẽ. Quamobrem aſſumptio ſecundi ſyllogiſmi obſcura eſt, ſed cõplexio præpoſteré perverſeq; contrariis nominibus collecta eſt & cõcluſa. Deinde veró ad proſyllogiſmum aſſumptionis illius, *Quod ſingularia ſint notiora nobis*, aſſumitur totum eſſe ſenſui notius, univerſale eſſe

totum: quæ & altera eſt confuſio. quia verè univerſale, totum quidem eſt, ſed mentis, ut hic de exemplo definitionis & definiti declaratur: quod ideo ſingulari & ſenſui convenire non poteſt. neq; enim circuli generalis notio ſub ſenſum cadit. alterum autem de pueris exemplum etiam alienum eſt: &, quod pueri ſpeciali patris & matris nomine viros ac mulieres omnes, id eſt rem generalē, nominant, abutuntur quidem illi notiore nobis, ſed tamen neque patris neque matris notio generalis ſub ſenſum cadit. pueri autem falluntur ſimili virorum & mulierum ſpecie. Quare totum caput primum re logicum eſt, non phyſicum: & ita tamen logicum, ut eam logicā logicæ Ariſtotelis leges ferre nequeant. de methodo enim, deq; modo generalia ſpecialibus declarandi præcipere logicorum eſt. ab iis igitur ea doctrina perdiſcatur, ait lex *καθ' αὑτὸ*: falſa autem repugnantiaq; lex *κατὰ παντὸς* nūquam tolerabit.

IN CAP. II.

Atq; id eſt auſcultationis Phyſicæ proœmium. partes duę ſunt principes, altera de cauſſis, altera de cauſſatum motu & effectu. De cauſſis & principiis duo ſunt primi libri. primus, tribus proximis capitibus, contra veterum phyſicorum decreta diſputat: reliquis magis ſpeciem doctrinæ quādam inſtituit. Dimicationis autem illius arena prima eſt de principio uno & immobili: altera de principio materiali & mobili. Meliſſus igitur & Parmenides primo impetu de principio unico & immobili oppugnantur: cujus nomine theologiam quandam celebraverāt, ſtatuentes unum & immobile eſſe principiū rerum omnium: Meliſſus infinitum, Parmenides terminatū: ut Ariſtoteles iiſdē verbis proponit. Simplicius ſentētiam utriuſq; ex eorum ſcriptis plenius attulit. Meliſſus igitur (ait Simplicius) in libro de Natura ita ſcriptum reliquerat,

ὅτι τοίνυν οὐκ ἐγένετο, ἔστι τε, καὶ ἀεὶ ἦν, καὶ ἔσται, καὶ ἀρχὴν οὐκ ἔχει, οὐδὲ τελευτήν, ἀλλ' ἄπειρόν ἐστι.

Quod igitur non eſt factum, illud & eſt, & ſemper erat, & erit, & principium non habet, neq; finem, ſed infinitum eſt. Hęc Meliſsi theologia erat. Parmenidis autē poëtæ theologia conſimilis fuit in libro quem de veritate inſcripſerat.

ὡς ἀγένητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστι,
οὖλον μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀτέλεστον.
Ut ingenitum ens & ſine interitu eſt,
Totum unigenitum & quietum atq; ſine fine.

Hæc igitur utriuſque philoſophi philoſophia ab interprete illo hoc modo proponitur: contra quam quemadmodum Ariſtoteles moveatur, quæſo qui hæc legitis, diligenter attendite. Sunt enim vix credibilia, & tamen pleriſque deinceps omnibus ſimilia. Ac ſi Ariſtoteles oratoris perſonam nō philoſophi ſuſcepiſſet, eloquentia quævis, potius quàm ulla philoſophia, laudaretur. Proœmium ſatis eſt amplum: contentio deinde ſequitur. Etenim proœmio philoſophos iſtos, veluti ſuo congreſſu indignos, duplici argumento dedignatur. Non eſt, ait, diſſerendum contra tollentem principia: neque Geometres Antiphontis tetragoniſmū refutabit poſtulantis multangulum in circulo tot angulorū, ut latera peripheriæ congruant. Id enim contrariū eſt principio magnitudinis ſemper dividuæ, de quo poſtea amplius diſſeretur ad 1 cap. 6 phyſ. ubi mirandum fuerit, quod hic principium appellatur, & ſumitur poſtea tam ſolicite probari. Reſpondebit autem Hippocratis Chii tetragoniſmo, lunulam quidem per principia dimetientis, ſed inde tamen captioſe concludentis totam circuli dimenſionem. Quo loco Simplicius ſe valdé ſimplicem in geometria atq; imperitum oſtendit, ut poſtea ad 9. cap. 2. lib. Quid tum deinde? Non ſit diſſerendum cōtra tollentem principia: Nec enim id illi philoſophi recuſarent. At Meliſſus & Parmenides tollunt principia, cùm ajunt principium unicum eſſe & immobile: quia principium eſt alicujus aut aliquorum, & quia ſit hypotheſis phyſica, Aut omnia aut nōnulla moveri. Hæc aſſumptio eſt Ariſtotelis: qualis omnino eſt rurſus 3. cap. 8. phyſ. eaq; aſſumptionis duplex ratio ambiguæ ſanè ancipitiſq; fidei. Etenim Meliſſus & Parmenides reſponderent Ariſtotelem ipſum potius *παραλογίζεσθαι*. neq; Phyſica rerum & ſecunda principia tolli, ſi unū immobile primum ſtatuatur, non alicujus tantùm vel aliquorum, ſed prorſus omniū, quo, licet immobile ſit, attamen moveantur reliqua omnia. nec inde propterea

pterea phyſicus motus tollit. Hæc enim ipſa prorius & eadem Ariſtotelis Phyſica eſt 5. & 6. cap. 8. Phyſici. Itaq; paralogiſmus Ariſtotelis hoc modo convinceretur. At Ariſtoteles altero argumento excitatur, Non eſſe differendum contra abſurdas theſes, ut Heracliteam, Cōtraria ſimul eſſe vera. Neq; contentioſis altercationibus eſſe reſpondendū, qualis ſit utraq; & Meliſsi & Parmenidis diſputatio: cum uterq; aſſumat falſa, ſitq; ἀσυλλόγιστος, id eſt, toto enūtiati ſyllogiſmiq; judicio aberret ac labatur: magis tamē Ariſtoteli videtur inſolens & inepta Meliſsi ratiocinatio, qui & ideo ἀγέννητος appellatur, 5. c. 1. phil. Hæc Ariſtotelis ſecūda eſt aggreſsio, propoſitione gravis, debilis aſſumptione, ut ſuperior proxima. Neque enim objecta vel falſitas vel ἀσυλλογιστία uſquam probatur. Atq; hæc prooemii tanquā proluſio fuerit. Cōtentio deinceps erit, tum in utrumq; rerum cōmunis & promiſcua, tum propria ſingulorum. Agedum (ait Philoſophus) Quoniā quidem de natura, tametſi nō naturales dubitationes afferunt, alienū fortaſſe non fuerit adverſus utrūq; paucis agere: habet enim conſideratio iſta Philoſophiam quandā. Ergo Ariſtoteles Philoſophos jam dedignari deſiit, & ad eorum falſitatem & inconſequentiā demonſtrandum accedit. Intereaq; pro principii nomine, abutitur per totā diſputationem nomine τοῦ ὄντος καὶ ἅπαντος entis & univerſi. Falſitatē igitur primó duobus ſyllogiſmis aggreditur é generibus entis & unius. Res obſcuriſsimé & ſpinoſiſsimé á Philoſopho differitur. Itaque clara & plana via nobis eſt contra progrediendum. Si ens (ait Ariſtoteles) eſſet unum, eſſet eſſentia una, aut quantitas una, aut qualitas una: nō autem eſt eſſentia una, ut unus homo, aut equus unus, aut animus unus: Nō qualitas una, ut albor, calor, aut ejuſmodi quidpiā: Neq; ſimul eſſentia & quātitas & qualitas, quia multa eſſent: Neq; quātitas vel qualitas ſola, quia accidētia eſſent ſeparata: Deniq; non ſubſtātia ſola, quia nō eſſet infinitū Meliſsi principiū, cùm infinitas ſit quantitatis. Non igitur eſt unum principium. Hic primus eſt ab Ariſtotele objectæ falſitatis ſyllogiſmus. At primum rogaretur, cur diſputator á theſi principii, ad alienam entis theſim digrediatur. quāvis enim principium vel ens communione quadam finitima ſint: aliud tamen eſt affirmare eſſe principium unum & immobile, aliud ens unum & immobile. deinde rogaretur qualis nam eſſet diviſio entis in tria genera: decem enim genera fiunt entis in categoriis: ſeptimo capite hujus libri fiunt præter eſſentiam, quinq;, quantitas, qualitas, ad alterum, quando, ubi: tertii phyſici capite primo fiunt quatuor: quinti phyſici capite primo fiunt octo, ut in Philoſophia libri ſeptimi capite primo: quænam igitur iſta eſt partitio, ab authore ſuo præſertim, tam varié tamq; multipliciter, ne dicam ſophiſticé & inconſtanter, mutata atque inverſa? Verúm partitio licet tam debilis, tamē eſto firmiſsima: quid aſſumptio? Nónne Philoſophi illi ad eam dicerent, principium de quo loquuntur, eſſentiam eſſe unam, non hominem, vel equū, ſed animum unum: talem nempe, qualem noſter poëta verſibus his expreſsit:

Principio cælū, ac terras, campoſq; liquētes,
Lucentemq; globum lunæ, titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit: totamq; infuſa per artus
Mens agitat molē, & pleno ſe corpore miſcet.

Itaq; Ariſtotelis oppugnatio prima labaſcet hoc reſponſo repulſa, ſingularemq; vanitatem demonſtrabit. Verúm perge: qualis eſt ſyllogiſmus alter? Si principium immobile eſſet unum, eſſet unum continuum, aut individuum, aut definitione: Nō autem cōtinuum, quia eſſet partibus multa: non individuum, quia non eſſet infinitum, ut Meliſſo, neque terminatum, ut Parmenidi placet, cùm infinitio & finitio ſint quantitatis: neque definitione, quia ſequeretur contradictionis indifferentia, idem eſſe bonum & malum, hominem, & equum, & ejuſmodi cætera. Hic alter eſt falſitatis delator ſyllogiſmus. At pro reis illis quæreretur de unius diviſione qualis eſſet. Etenim ſi unum dividendum ſit, dividendum utique fuerit, ut unum pro eodem (ſicut Ariſtoteles ſæpe aliás intelligit) intelligatur, quo duo plurave dicuntur unum, id eſt, idem: neque unitas jam numeri, ſed cōparationis nomē erit. Si igitur unū, unitatis, & tanquā diceres identitatis iſto ſenſu dividendū eſſet, eſſet utiq; dividēdū é primis ſimplicibus cōſentaneis logicæ invētionis lo-

cis, Cauſsis, effectis, ſubjectis, adjunctis: & ſic ab Ariſtotele ipſo in Philoſophia primo capite libri decimi, unum dicitur eſſentia & definitione: & ſexto capite quinti, unum effectu, ſubjecto, affectione. quibus quatuor ſolis primis & ſimplicibus modis res plures dici poſſunt unum. At unitatis diviſio tam eſt inconſtans per totas ariſtoteleæ philoſophiæ partes, quàm fuit entis: tum bifariã, unũ ſubjecto, vel ſpecie: tum trifariam, unũ genere, ſpecie, numero: tum cõtinuatione, forma, definitione: tũ, ut in 1. cap. 10. Philoſophiæ, unum per ſe, per accidens: per ſe, cõtinuatione, ſubjecto, definitione, effectu, affectione, eſſentia: tũ Unum & Ens idẽ ſignificare, & utriuſq; differentias eſſe cõmunes, ut conſtat in Philoſophia é ſexto capite quinti libri, & primo ſecũdoq; decimi, quæ capita in hac bella, Unius, Philoſophia cõſumũtur. Ergo videmus qualis ſit ariſtotelei ſyllogiſmi propoſitio; & quot laqueis irretita. aſſumptio jam cõſideretur. Principium illud immobile non eſt (ait Ariſtoteles) unũ: neq; cõtinuum, neq; individuum, neq; ratione. Imó veró (diceret uterque reus) principium noſtrũ eſt unum continuum, quia neq; principiũ neq; finem habet, quia nunquam genitũ, nunquã interitum: idemq; eſt individuum, & ratione, forma, eſſentiaq; ſemper idẽ. neq; continuum vel individuũ mathematicè à nobis intelligi potiús quàm logicè neceſſe fuit. Neq; quia principiũ primũ, eſt unum, ut animus, ſicut antea dictum eſt: ſequitur quód entia omnia ſint unũ. Huc Ariſtoteles etiam incluſit totius & partium comparationẽ quãdã, ſed obſcuritate eadẽ, qua capita Philoſophiæ primæ 25. 26. 27. lib. 5. de partibus & toto, cõſumpta ſunt. Ideoq;, ut ad entis & unius, ſic ad partis & totius diviſiones, prima illa philoſophia idẽtidẽ revocat.

IN CAPUT III.

Atq; ejuſmodi Phyſica eſt ſecundi capitis, in duobus ſyllogiſmis: quibus rei Meliſſus & Parmenides promiſcué ita tractati ſunt ab Ariſtotele, quod uterq; falſum ſumeret: cũ falſitatis culpa multo inſignior penes actorẽ ipſum reſideat. Quid tũ poſtea? De falſitate perſpectũ eſt: paralogiſmus objectus audiatur. παραλογίζεται (inquit Ariſtoteles) uterq;, Meliſſus præcipuè. Spinæ antea ſpinoſæ admodum fuerũt: ſed longe ſunt deinde ſpinoſiores. primùm in quadruplici paralogiſmo: quorum primus eſt, Si quid factum eſt, habet principium: ergo ſi factum non eſt, non habet principium. Hîc veró paralogiſmus eſt manifeſtus, ex oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequẽtis, ut patet é primo modo ſyllogiſmi connexi. At Philoponum hoc loco puduit Ariſtoteli patrocinari. *Meliſſi (ait) potius ſyllogiſmus nullus eſt: ſed illud quidem ſuppoſuit, quod ens eſt ſine principio.* & Meliſſi ſanè verba á Simplicio propoſita ſyllogiſmũ hunc nullum habent. Itaque Ariſtoteles (ut libuit) problema ſibi comminiſcitur, contra quod, pro arbitratu argumentetur. Sed alios Meliſſi paralogiſmos attendamus. hic enim Philoſophus adnotavit: ſed ita, ut divinãdi ſint. neq; enim Ariſtotelis oratio exprimit, neque interpretum diligentia citare potuit locum Meliſſi, ubi nominatim iſta cõcluderentur. Itaque interpretes affingunt Ariſtoteli paralogiſmos, quos in Meliſſo reprehendat. Sed tamen tanquam dixerit Meliſſus, Ens non habet principium: Ergo eſt infinitum. Non ſequitur (ait Ariſtoteles) quia principium in primo paralogiſmo erat temporis, & generationis: hic autem rei & magnitudinis. ſequeretur autem infinitum eſſe, ſi nõ haberet principium magnitudinis. Verum, inquam, ſi ita concluſiſſet Meliſſus, nullum principium habet, ergo eſt infinitum: attamen cum neq; mathematicé neq; phyſicé loquatur, ſed logicé & theologicè, nulla in conſequentia veré notaret. Tertius paralogiſmus eſt, tanquam cõcluſerit Meliſſus, Eſt infinitum, ergo immobile. Eſt ἀσυλλόγιστον (ait Ariſtoteles) quia totũ moveri poſſet, ut loco per partes, ut aliquo alterationis motu. At, inquam, Meliſſus, cum immobile diceret ipſum ens, ita loqueretur ut poſtea Ariſtoteles ipſe loquitur 5. & 6. & 10. cap. 8. phyſici, & multis præterea locis: nempe quod à nullo alio moveatur, ſitq; prorſus impatibile. Poſtremus paralogiſmus ſequitur: Eſt infinitum, ergo unum. Non ſequitur, ait Ariſtoteles: quia etiamſi eſſet unum materia, eſſet tamen forma multiplex. At, inquam, diceret Meliſſus, ſuum principiũ

non

non materia (quamvis id illi nonnunquã Ariſtoteles impoſuerit, 4. c. 1. phil.) unum eſſe, cũ omnis materiæ ſit expers. id enim theologo, qualẽ Meliſſum hic Ariſtoteles eſſe vult, coveniat: ſed forma ſimplex & unum eſſe. neque hic Meliſſus (ut etiam ajunt interpretes Græci) loquitur περὶ τῶν φυσικῶν, ἀλλὰ περὶ τῶν ὄντων. Quapropter ariſtotelea iſta paralogiſmorum reprehenſio commenta Ariſtotelis tanto philoſopho indigniſsima tantùm demonſtrat. Verumenimvero elẽchos Meliſsi retexuimus: retexamus, & in Parmenide cõſimiles elenchos. Falſa ſumit (ait Ariſtoteles) quia ſumit ſimpliciter ens unũ: quod tamẽ multis modis dicitur. Atqui (inquã) reſponſio iſta non eſt paralogiſmi objecti, ſed falſitatis. contra quam Parmenides diceret in iſto enuntiati judicio entis crimine ſe damnari, cũ nomine principii eſſet accuſatus: & tamen ens illud poſſe intelligi, quod reliquis entibus eſſentiæ cauſſa eſſet, ut Ariſtoteles ipſe loquitur 6. cap. 8. Sed ut Meliſſus factus eſt ἀσυλλόγιστος, ita denique ſit Parmenides ἀσυμπέραντος: vitioſe ille ratiocinari, & hic vitioſe cõcludere dicitur. Quomodo, inquam? Meliſsi de quatuor accuſatis paralogiſmis unus ab Ariſtotele confictus eſt, reliqui ab interpretibus ſomniati: omnino autem nullus eſt demonſtratus. Hic veró nullus omnino ab Ariſtotele proponitur. In philoſophia autem 5. c. 1. lib. Ariſtoteles de Parmenide ita loquitur: Nã præter non ens nihil poſtulans eſſe, ex neceſsitate unum putat eſſe ens, & aliud nihil. Hæc Ariſtotelis verba ſunt: quæ interpretes ita ſunt interpretati, ut hic ex eo loco paralogiſmum invenirent, tanquam concluſiſſet Parmenides, Nõ ens eſt nihil: at præter ens eſt non ens: Præter ens igitur eſt nihil. unde denique concluſiſſet Parmenides, Unum igitur ens. At divinatio & ſomnium potius eſt illis ſuperioribus ſimile: & quidem à diverſis interpretibus valde diſsimiliter ſomniatum. Neque enim præſentia Ariſtotelis verba huc detorqueri poſſunt. Quapropter Ariſtotelem è præſentibus Ariſtotelis verbis potius expendamus: promiſſum paralogiſmũ examinemus. Simile Albi exemplum interpretes quidam pro Entis exemplo hic adnotarũt: Si album ſignificaret unum, omniaque entia eſſent alba, non ſequeretur (ait Ariſtoteles) album unum eſſe. Quid tum? diceret Parmenides: quid iſta albi contra me ſignificatio? Nec enim id unquã loquutus eſſe Parmenides dicit. Quid tum deinde? Sentes ac ſpinæ continuantur. bipertita eſt diviſio Unius ſecundum continuum, & ſecundum rationẽ, ridicula & inepta, cum fuerit antea tripertita, & modis quotlibet aliis inconſtans & varia. Ergo, ut Meliſsi commentitius ille ſyllogiſmus fuerit inſolentior per oppoſitum antecedentis ad appoſitum conſequentis, ſane ſimile paralogiſmi ſophiſma in Parmenide non reperietur. In reliqua nempe contra Parmenidem contentione Ariſtoteles paralogiſmos, licet objectos, obliviſcitur: in theſim, non in ſyllogiſmi inconſequentiam invehitur. Bene igitur res habet. actoris beneficio reus paralogiſmi crimine ſolutus ac liberatus abeat. Sed tamen ſuperior ille falſitatis elenchus revocatur, quod ens nõ ſit unum, quia ſignificaret accidens aut eſſentiam. ac ſi primum verum ſit, eſſentia non erit ens, & erit aliquid non ens, quod eſt abſurdum: Ens igitur non erit accidens. Si ſecũdum verum ſit, ſitq; ens album: ſic ens erit non ens, aut multa, non unum, ſignificabit. Hæc Ariſtotelis eſt aculeata, ut ipſi videtur, complexio. At Parmenides primam partem totam concederet, cum de animo loquatur: ad ſecundam autem liberius etiam reſponderet, Ariſtotelem contraria poſtulare, & eſſentiam ſolam eſſe ens, & tamen eſſe album. Quare non jam tanta eſt Ariſtoteli cum Parmenide, quanta Ariſtoteli cum Ariſtotele pugna atque contentio. Eſſe autem diceret ens ſubſtantiam, cùm dicat Deum eſſe, ut qui propriè ens dicitur, unde cæteris entibus eſſe tribuatur. Verùm cõſimiles ſpinæ ſparguntur: ſed inani tautologia repetitæ unitatis ſecundum continuã magnitudinẽ, ſecundũ definitionẽ, quod ens nempe non ſit unũ continuatione, neq; definitione: nõ continua magnitudine, quia ſecta in partes faceret entia diverſa: non itẽ definitione, quia ens definitionis partibus multiplex eſſet: ut unus homo eſt animal, eſt bipes. animal enim & bipes duo erunt entia, nõ autem accidentia. Ad explicandum

igitur quod animal & bipes nō ſint accidentia, eheu qui calles, & quibus ſentibus obſiti? equidem pudet iſta dicere: attamen quia ſuſcepi, dicẽda ſunt. Duo velut axiomata philoſophus ſtatuit: primum quod accidẽs ſit ſeparabile, ut ſedere homini: aut inſeparabile, in cujus definitione ſit ſubjectum, ut ſimitas naſo. Axioma alterum eſt, definitio totius non eſt in definitione partium definientium, neq; particularum è quibus partes definiunt. his poſitis axiomatis philoſophus argumentatur: Si bipes eſſet accidens hominis, ſepararetur ab homine, aut homo eſſet in ejus definitione: utrumq; abſurdum: unde concluditur bipes, ideoq; animal, non eſſe accidens. O philoſophi labores Philoſophiæ inanes! Quis enim id negat? aut quorſum obſcuritas tam ſophiſtica? quod conſilium, ſi conſilio ullo unquã ſuſcepta eſt, aliud habere potuit, quàm turbandæ & obſcurandæ veritatis? Sed tamẽ perge. reliquũ caput attendamus. Tandẽ Ariſtoteles tanquam Meliſſo Parmenideq; magnificé victis (ut interpretibus ænigma quoddam hic interpretãtibus placet) inſultat Platoni magiſtro & Xenocrati diſcipulo, quod Plato Parmenidis, quod Xenocrates Zenonis theſim retexere non potuerit: cum Plato ens diſtinguere, Xenocrates individuas magnitudines (de quibus poſtea 4.cap. 1. & 4 cap. 3.& 1.cap. 6.phyſic.) negare debuerit. Deniq; paralogiſmus Parmenidis, quo vitioſé cõcluderet principium immobile unũ eſſe, licet tam verboſé jactatus, re ipſa tamen nullus adhuc apparuit. de falſitate diſputatũ eſt tãtùm. Sic Ariſtoteles rem aliã proponit, aliã agit: nec interea paralogiſmi, quem tã multiplicem facit, notã veretur. Quamobrem hæc valida eſt Ariſtotelis adverſus Meliſsi Parmenidisq; theologiam dialectica: qua primo ut everſores principiorũ, ut abſurdarum theſium authores, falſa calumnia inſectatus eſt: deinde ut argumentis falſos & argumentationibus captioſos. attamẽ in hunc utrumq; ſophiſmatis elenchum ſeipſum interea vehementer induit, cùm tam falſis propoſitionum & aſſumptionum enũtiatis abuſus ſit, cùm tot interea paralogiſmis ἀσυλλόγιστος καὶ ἀσυμπέραντος deprehenſus ſit. Verùm agite cõſolemur Alexandrũ, ne moleſtius ferat theſauros acroamaticos in vulgus editos eſſe. theſauri hic nulli ſunt, niſi ſophiſmatum inertium. Etenim ſi ſola illa quæ adhuc attulim', pro vetere illa theologia reſponderentur, pręclaré tamen ab omni falſitatis & paralogiſmi labe defenderetur. At Ariſtotelem ex aliis locis comparemus: ſophiſmatum præſentium latebras longe ſecùs explicabit. Enimvero de principiis phyſicis inſtituta eſt primum Ariſtoteli quæſtio, quomodo tractanda eſſent & illuſtranda. hunc igitur legem καθ' αὑτὸ appellemus: phyſica in phyſicis ſola teneamus. Quid igitur an Ariſtoteles Meliſſum & Parmenidem judicavit de principiis phyſicis philoſophatos eſſe, ut phyſicus cum phyſicis logicé & legitimé, id eſt phyſicé, diſſereret? Imó veró ſua ipſe voce contrarium, & hoc ipſo capite, & deinceps permultis aliis profitetur. Quamobrem hæc Ariſtotelis de Ariſtotelis judicio, teſtimonia producantur. Primum eſt initio ſecundi capitis, Si principium ſit unum, eſt immobile, ut inquiunt Meliſſus & Parmenides: aut mobile, ut phyſici. Hoc primo teſtimonio Ariſtoteles Meliſſum & Parmenidẽ non phyſicos, ſed phyſicis oppoſitos efficit. Secundum teſtimonium ſimile eſt primo, ad finem capitis tertii. Quod igitur ſic unum eſſe ens ſit impoſsibile, manifeſtum: ut autem phyſici dicunt, modi ſunt duo. Hic rurſus Meliſſus & Parmenides phyſicis opponuntur. Itaque & Græci interpretes admirati philoſophum phyſicũ adverſus philoſophos non phyſicos, tanquã de phyſicis principiis, tam impenſe commoveri, etiam admonent, Meliſſum Parmenidemq; non de phyſicis, ſed de intelligibilibus, agere: quod jam notatum eſt. & rurſus Ariſtoteles (ait Simplicius) Meliſſum & Parmenidem non de phyſicis rebus exiſtimat diſſerere, ſed ἐνηγεῖν, tãquam diceretur theologari, aut de rebus aliis agere, ſententiamq; ideo ipſorum benigné interpretandam fuiſſe: ut pudorem paulo liberaliorem videantur in hac Ariſtotelis contentione deſiderare. Quare manifeſta jam & ab Ariſtotelis interpretibus conceſſa Ariſtotelis calumnia tenet. Verũenimvero (dicet aliquis) idẽ Gręci interpretes Ariſtoteli excuſationẽ comparãt, Theologos idcirco cõfutari,

ne

ne quis opinarerẽ illos de principiis phyſicis præcipere, neve authoritate perſonarũ in errorẽ induceretur. Sic Ariſtotelis hoc in loco logica à ſuis excuſatẽ. At, inquàm, iſta ſpecioſa ratione quam artem aut ſcientiam, quam ſententiam ac veritatem accuſare non poteris? accuſabis enim hac licentia non modo theologorum, ſed geometrarum principia, ne quis putet homines earum artium dè phyſicis principiis agere. Sed tamen mitte non phyſicos pro phyſicis exerceri. Quid ſi Ariſtoteles ipſe, etiam in ſua phyſica, Meliſsi Parmenidiſq́; phyſicam, licet non phyſicam, attamen ſequatur, & principium phyſicæ auſcultationis primarium faciat? utrum tandem talis excuſatio cuiquam probabitur? Audiamus igitur 7. cap. 2. phyſi. quid loquatur? Duo autem ſunt principia phyſicè moventia, quorum alterum eſt non phyſicum: tale autem eſt, quod movet, neque movetur, velut omnino immobile, & omnium rerum primum. Quid igitur hic Ariſtoteles ait de Meliſſi Parmenidiſq́; principio? Phyſicè movet, ait, quamvis nõ ſit phyſicum; quia ipſum immobile eſt, omniumq́; rerum principium primum. Perge, & adjunge quæ primo de cælo de Meliſſo & Parmenide dicuntur. Tametſi cætera præclarè ſentiunt, attamen non phyſicê ſentiunt. Eſſe enim quædam entia ingenita & omnino mobilia, potius eſt diverſæ & antiquioris conſiderationis; quàm phyſicæ. Ergo jam hic nominatim collaudantur ii, qui antea, ut ſophiſtæ & argumento & argumentatione inſolentes & putidi, rejiciebantùr. Sed tamen laus iſta ad philoſophiam præſtantiorem & nobiliorem refertur: ad theologiam nempe. Huc igitur ab Ariſtotele provocati veniamus. Parmenides (ait Ariſtoteles in philoſophia 5. cap. 1. lib.) in univerſum cælum intuens, unum eſſe ait ipſum Deum. & in fine duodecimi philoſophiæ, unitatem principii Homerico verſu illo concludit, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω. Non bona res multorum principatus: rex unicus eſto. Hoc Ariſtotelis clariſsimum & locupletiſsimum eſt teſtimonium, principium immobile unũ indignis calumniis primo phyſico accuſatum eſſe: quod Ariſtoteles ipſe poſtea ſequatur, quod vindicet ac tueatur, quod dènique ferat in cælum, omniumq́; rerum primũ, & unicum principium prædicet. Ut Ariſtotelis confeſsione, imò profeſsione atque aſſertione, principium Parmenidis immobile & unicum, intelligamus Deum, ſummum ac primum opificem authoremq́; rerum omnium, ſingularem atque unum. Enimvero extorqueatur etiam interpretibus ſophiſtica illa excuſatio: principiumq́; & immobile & unum, etiam phyſicum eſſe principium Ariſtotelis ipſius teſtimonio judicioque doceamus. Agedum, interrogato Ariſtotelem, quænam phyſica generandis rebus phyſicis principia, vel in hac ipſa acroaſi, doceat. quid reſpondebit? Reſpondebit (opinor) ſi ſuam legem à ſe ipſo ſæpe propoſitam ſequi velit, non ſolùm materiam & formam principia eſſe generatæ rei, ſed omnium primum principium eſſe reſpondebit, principium primo movens, immobile, unum, æternum, ut poſtea 5. & 6. cap. 8. phyſici præcipue reſpondebit. Quamobrẽ ſi hanc arcanã magiſtri Ariſtotelis philoſophiam Alexander penitus animadvertiſſet, ecquid hanc vel ſophiſticam, vel ambitionem, vel malitiam, quo animo pertuliſſet? Tu rem eandem alteri vitio dabis, tibi laudi duces? Tu in Meliſſo & Parmenide phyſicam vituperabis, quam tibi poſtèa glorioſam exiſtimes? Philoſophiam prorſus eandem de principio uno, immobili, æterno, primus liber aeroaſeos improbat: octavus fert in cælum. mutatum tàntum nomen Ariſtotelis pro Parmenide. Ergo Ariſtoteles eandem philoſophiam, mutato tantum philoſophi nomine, modo fatuam & ſophiſticam, modo ſynceram, præclaramq́; cuiquam probabit? At logicæ Ariſtotelis leges Ariſtoteli, opinor, tam extraordinariam, tamq́; intolerandam judicandi licentiam nunquã permittent, nunquam concedent. neque quemquam interpretum quamvis ſervum, quamvis judicio occæcatum, ubi tantam repugnantiam perviderit, permiſſurum vel conceſſurum cõfido: & tamẽ fortaſſe miraturum quid cauſſæ ſit, cur Ariſtoteles in theologiam veterum tam iniquus fuerit. Nùllumne Phyſicus iſte Deum putavit in naturã rerum eſſe? At theologiã eandẽ poſtea prædicabit?

Quid

Quid igitur? Equidem ex Alexandri diſcipuli animo, non mala (ut opinor) conjectura, doctoris Ariſtotelis animū metiar. Magno uterque atque elato ani mo fuit. Alexander principatum inter homines imperiumq; non eſſe noluit: ſed Alexandri eſſe voluit. ſic Ariſtoteles Deum quidem in natura nullū eſſe prorſus minimè ſtatuit: ſed Deum illum ariſtoteleum optavit eſſe, non Meliſſeum, non Parmenideum.

IN CAP. IIII.

Atque hæc Ariſtotelis prima lucta fuit adverſus phyſicorum veterū theologiam, aut potius theologi eam phyſicam: Hoc enim phyſicæ artis principium phyſicum eſt, & ab Ariſtote le ipſo, tā vafre tamēq; aſtutè in alienas laudum poſſeſsiones irruente, octavo phyſico phyſicis rebus præcipue attributum. Secunda lucta eſt de principio mobili & materiali: de quo ſolo ſæpe teſtaē Ariſtoteles veteres phyſicos philoſophatos eſſe, ut 2. cap. 2. phy. 1. cap. 1. de partibus, 1. c. 1. phil. Etenim, ut 3. cap. 1. phil. plurimi è primis philoſophis omnium rerum principia in materiæ ſpecie tantùm ſita eſſe crediderunt. Ex quo enim univerſa fiunt entia, & in quod ultimum diſſolvuntur, eſſentia ipſa permanente, tātùm affectionibus commutata: id elementum ipſum entiū & principium ajunt eſſe. Ergo hac de cauſſa Phyſici ad unum principium adducti ſunt, indeq; denſitate & raritate omnia conficiunt, tanquam hæc duo contraria, exuperantia & defectu, omnia moliantur. Sed unum principium conſideratur modis duobus. alii enim corpus unum aliquod ſubjectum faciunt, velut aquam, cujus Philoſophiæ Thales Mileſius princeps atq; author fuit, quia humor eſſet rerum & ſemen & alimentum: unde Theologi quidam & Oceanum & Thetin & Styga conſecrarunt. hæc igitur fuit prima Phyſica, aquam operum Phyſicorum eſſe principium: alii autem Phyſici aërem maximè ſimplicium corporum principium fecerūt, ut Anaximenes & Diogenes. Hæc ſecunda ſententia fuit. Tertia tribuit igni principatum, cauſſamq; phyſicarum rerum: Hippaſus enim Metapontinus, & Heraclitus Epheſius ignem, hoc nomine, celebrarunt. Terræ verò vulgus hominum principium tribuit: & Heſiodus ait terram primam corporum factam eſſe, ut eſt 7. cap. 1. phil. & ſic terra parens & mater à poëtis etiam noſtris appellatur. At Philoſophorum poſteriorum nullus terram principium eſſe cenſuit, quod nempe debeat eſſe τὸ μικρομερέςατον καὶ λεπτομερέςατον partium minimarū, & ſubtiliſsimarum. Itaque terra διὰ τὴν μεγαλομέρειαν magnitudinem partium, elementi ſolius, principiiq; laudem in Philoſophia non habuit: cùm tamen quodq; trium reliquorum invenerit aſſertorem & vindicem quempiam, ut eſt 7. cap. 1. phil. Attamē Pherecydes apud Laërtium ait, Juppiter etiā Saturnus unus erat & Tellus: Tellus autem nomine terra erat. & Sextus Empiricus hujus elementi authorem Pherecydem nominavit. Quin Ariſtoteles 1. cap. 2. phyſici, cùm diſputat materiam dici naturā, Itaq; ait, alii terram, alii autem ignem, alii verò aërem ajunt eſſe, alii aquā. Hic Ariſtoteles terram nonnullis rerum ſingulare principiū viſum eſſe ait, ſed authorem nominatim non appellat. Quidam etiam, ſine nomine elementum aliud ſingulare, corporeum & materiale commenti ſunt: ut Anaximander igne denſius, aëre rarius. At alius itē quiſpiā corpus denſius aëre, rarius igne principium exiſtimavit. Empedocles tolerabilior Ariſtoteli quandoque viſus eſt, è quatuor elementis omnia opera naturæ conficiens. Atque hanc tot capitum, tamq; variam de unico principio Phyſicam Phyſicus noſter contempſit, neq; ſermone longiore dignam judicavit. Contra principes unici principii immobilis authores Meliſſum & Parmenidē Ariſtoteles antea certavit: hic ex omnibus mobilis & materialis principii authoribus, unum Anaxagoram athletam dignum cenſuit, cum quo de iſta palma contenderet. Etenim Anaxagoras Clazomenius Philoſophus magni nominis magnæq; authoritatis habitus eſt: neque tantùm opibus, ſed animi quoque virtute magnus, ut qui patrimonium ſuis totum, liberioris philoſophiæ deſiderio, condonarit. inſimulatusq; veluti inertiæ, quod rē & privatā & publicā contēneret, quamobrē natum ſe

ſe putaret interrogatus: cæli, reſpondit, contemplandi gratia. Ergo nobilis huius philoſophi Phyſicam ex Ariſtotele audiamus. Materialia igitur elementa rerum phyſicarum feciſſe dicitur, primo ita permiſta inter ſe & cõfuſa, ut omnia ineſſent in omnibus: deinde ὁμοιομερῆ ſimiliũ partium: vulgo ſimilaria in ſcholis appellantur: deniq; infinita. Hæc capita ſunt Anaxagoreæ materiæ μῖγμα, ὁμοιομέρεια, ἄπειρα, confuſio, homiomeria, infinitas. de quibus ſingulis jam conſideretur. ἦν ὁμοῦ τὰ ἅπαντα· erant ſimul univerſa dixit Anaxagoras in primo Phyſico, ut Ariſtoteles & Ariſtotelis interpretes ajunt. Chaos videlicet á poëtis celebratum, μῖγμα illud fuit:

Ante mare & terras, &, quod tegit omnia, cælum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis, indigeſtaq; moles,
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaq; eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Atque in iſtam confuſionis opinionem, Anaxagoram Ariſtoteles interpretatur, phyſico illo axiomate, adductũ, quod ex nihilo nihil fieret: tanquam Anaxagoras ita ratiocinaretur, Omnia fiunt ex ente aut non ente: Non fiunt ex non ente: igitur ex ente. Ergo res ipſa ibi inerat unde ſecernitur. Itaque πᾶν ἐν παντὶ quodlibet eſſe in quolibet: ſed propter parvitatem inſenſibilia hæc eſſe: differre autem atq; appellari á præcipua exuperantia: neque purum aut ſyncerum quicquam eſſe. hanc Anaxagoræ μῖξιν ſic Ariſtoteles interpretatur: deinde contrá ita diſſerit. Etenim (ait) ſi omnia eſſent in omnibus, omnia quoque fierent ex omnibus: at minima res Phyſica dari poteſt, finitumque omne finiti detractione tandem ad minimum redigitur, unde præterea nihil excerpi vel ſecerni poſsit: aut minimo minus daretur, aut in magnitudine finita, æqualia finita innumerabili multitudine ineſſent, denique alia infinita ineſſent in aliis infinitis: quæ ſunt impoſsibilia. Quare non omnia ſunt in omnibus. Tum veró quod Anaxagoras ſenſiſſe dicitur, nunquam omnia ſecretum iri, veré quidem, ſed inſcienter factum Ariſtoteles argumentatur: quia accidentia quãtitatum & qualitatum nunquam ſeparabuntur á ſubjecto. Sic Ariſtoteles τὸ μῖγμα Anaxagoreũ veré quidem logiceq; premit: ſi tamen Anaxagoras (ut interpretatur Ariſtoteles) dixerit re ipſa & actu formaque omnia in omnibus ineſſe. At Ariſtotelis interpretatio hic nonnihil ſuſpecta eſt: ut nihilo religioſior in Anaxagoram quàm in Meliſſum & Parmenidem fuerit. Neque enim tam furioſa cogitatio videatur in hominis ſobrii, ut Anaxagoras poſtea videbitur Ariſtoteli, ſenium cadere: ut dicat re ipſa ac ſpecie in nuce eſſe hominem, arborem, leonem, cæteraque alia omnia. Secundo loco ὁμοιομέρεια diſſeritur, quod Anaxagoras non recté res Phyſicas componat ἐκ τῶν ὁμοειδῶν, id eſt, ut Alexander interpretatur, ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν. Sic enim Ariſtoteles ſã loquitur, ut ὁμοιομέρεια Anaxagoræ ſit idem quod Ariſtoteli ὁμοειδῆ καὶ ὁμογενῆ. Partes aquæ ſunt aqua, aëris aër, ſanguinis ſanguis, carnis caro. Talia igitur homiomera dicuntur, é quibus, ut ex ramentis aurum, ſic omnia naturæ opera componuntur. Hæc Anaxagorea σύγκρισις, id eſt compoſitio Ariſtoteli non placet, quia aqua ex aëre, viciſsimq; aër ex aqua fieri poſsit, quæ tamen ſunt heterogenea, non alterum ὁμοιομερὲς uel ὁμοειδὲς alteri. Verúm Anaxagoras huic Ariſtotelis argumentationi ire potuit obviam, vel Ariſtotelis authoritate atq; ſententia, qui 5. cap. 1. de gene. pro Anaxagora ſentiens, ait unumquodq; gigni ὑπό τινος ὄντος ἐντελεχείᾳ ὄντος ἢ ὁμογενοῦς, ἢ ὁμοειδοῦς ab aliquo quod actu ſit ſimilis aut generis aut ſpeciei, ut ignem ab igne, hominem ab homine. Atq; hoc modo, logica Ariſtotelis veriore & ſolidiore, præſens objectio refelleretur. Neq; vera eſt Ariſtotelis Philoſophia, E' contrariis contraria fieri, ut mox apparebit. & ſi vera ſit, ab Ariſtotele tamen ipſo in præſenti capite convincet: quia Anaxagoras elemẽta ſua licet ὁμοιομερῆ, attamen ἐναντία etiã conſtituit, ut cum de Anaxagora ſic loquitur, ἄπειρα τά τ' ὁμοιομερῆ καὶ τἀναντία. Anaxagoras igitur, Ariſtotelis teſtimonio, res phyſicas ſimilaribus, non ſolúm conſentaneis toti, ſed contrariis inter ſe conſtituebat. Sed Ariſtotelis locus eſt 12. cap. 4. Meteo. valde inſignis ad homiomeriã vindicandũ: ubi affirmat fieri ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν ὡς ὕλης, τὰ δ' ἄλλα ἔργα τῆς φύσεως, ex homiomeris

meris tanquam é materia, tota naturæ opera. Ergo Anaxagoræ homiometria periculo reprehenſionis ariſtoteleæ ſalva eſt & libera. Supereſt anaxagoreæ materiæ caput tertium ἀπειρία, quod Anaxagoras elementa ſua fecerit, non ſolùm miſta & ſimilia, ſed etiam infinita. Adverſus hãc ἀπειρίαν Ariſtoteles, duobus ſyllogiſmis invehitur. Primus eſt, Infinita multitudine, & ſpecie non poſſunt animo comprehendi, illa quanta, hæc qualia ſint: At Anaxagoræ principia ſunt infinita multitudine & ſpecie: Quare cognitione cõprehendi non poſſunt, neq; propterea phyſicum opus ullum é talibus elementis compoſitũ percipitur, ſi quidẽ ea cognoſcuntur, quorum principia tenẽtur. Itaq; talis Anaxagoræ Phyſica nihil, niſi meram Phyſicæ ignorantiam videatur inducere. Hoc á Philopono ἐπιχείρημα ἐντρεπτικὸν dicitur, quod erubeſcere cogat adverſarium. Secundus ſyllogiſmus eſt, Si pars infinité poſsit augeri minuiq;, & totum perinde poterit: at Phyſica res omnis definita eſt, & magnitudine & parvitate, ut neq; maj. r neq; minor effici poſsit. Atque (ut ait) numeroſus poëta,

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines:
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Maximus homo gigas, minimus pygmæus fuerit. at nemo tantus erit unquam, ut capite contingat cælum: neq; tam parvus, ut pulici fiat æqualis. ſic os & caro, & quodlibet naturæ opus quantitate definitum eſt. Quare neq; pars infinité augeri minuiq; poteſt. hic ſecundus eſt Ariſtotelis ſyllogiſmus. cui, ut ſuperiori, quid Anaxagoras reſpondeat non video, ſi tamen ἀπειρίαν iſtam actu fecerit, ut Ariſtoteles feciſſe arguit. Nam ſi infinitatem potentiæ intellexiſſet, non aliud Anaxagoras ſenſiſſet, quàm Ariſtoteles ipſe ſentit. Sed tamen axioma Phyſicum notetur: quo ſicut Ariſtoteles Anaxagoram oppugnavit, ita de infinitæ imperatis errore ipſe meritó moneri poterit. Sed hactenus de materia, quam ſolam pro omni naturæ principio Ariſtoteles ait Anaxagoræ propoſitam fuiſſe. Verumenimvero mirabilis eſt iſta Ariſtotelis adverſus Anaxagoram cõtentio. De materia argumenta illa ſpeciem aliquam habuerint. verùm Anaxagorã inſimulare, quód unicam de cauſsis materiam attigerit, reliquas rerum cauſſas, principiaque præterierit, παράδοξον, vel quolibet Stoico paradoxo παραδοξότερον videatur. Etenim τὸν νοῦν mentem rerum opificem ab Anaxagora tantopere celebratam, utrum Græci homines, utrum etiã aliis in locis Ariſtoteles ignoravit? an Græcis hominibus res quæpiã inaudita aut inſolita eſt? Appellato igitur Timonem, & attendito quid reſpondeat:

Καὶ τὸν Ἀναξαγόρην φασὶ ἔμμεναι ἄλκιμον ἥρω
Νοῦν, ὅτι δὴ νόος αὐτῷ ὃς ἐξαπίνης ἐπεγείρας
Πάντα συνεσφήκωσεν, ὁμοῦ τεταραγμένα πρόσθεν.
At Anaxagoram ajunt eſſe fortem heroem
Mentem: quoniam mens illi fuit, quæ repenté excitans
Univerſa compoſuit, ſimul confuſa prius.

Heros appellatur Anaxagoras heroicæ cujuſdam virtutis ergó, & mẽs: quia divinam illam mentem in naturæ operibus tantopere celebravit, mentem, inquam, mundi opificem atq; authorem. Appellato Græcos interpretes Ariſtotelis hoc loco: majora etiam & illuſtriora ex Anaxagoræ phyſico opere recitabũt: ὁ νοῦς δέ ἐστιν ἄπειρον καὶ αὐτοκρατὲς, καὶ μέμικται οὐδενὶ χρήματι, ἀλλὰ μόνος αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ ἐστί, mens infinitum quiddam meri imperii plenum, nulliq; rei commiſcetur, ſed ſola in ſe ipſam tota converſa eſt. Item, ἐστὶ γὰρ λεπτότατόν τε χρημάτων πάντων καὶ καθαρώτατον, καὶ γνώμην γε περὶ παντὸς ἴσχει, καὶ ἰσχύει μέγιστον. Eſt enim res rerum omniũ ſubtiliſsima & puriſsima, ſcientiãq; univerſi mundi obtinet, & poteſt longé plurimum. item πάντα διεκόσμησε νοῦς καὶ τὴν περιχώρησιν, ἣν νῦν περιχωρεῖ τά τε ἄστρα καὶ ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη καὶ ὁ ἀὴρ καὶ ὁ αἰθὴρ οἱ ἀποκρινόμενοι. Mens diſtinxit & ornavit univerſa atq; hunc circuitum, quẽ nunc circumeunt aſtra & ſol & luna & aër & æther ſeparati atq; diſcreti. hæc Simplicius nominatim repetit é primo Anaxagoreorum Phyſicorum: unde quid aliud quã Parmenideum illud unum rerum principiũ intelligas, cui præſertim opificiũ mundi, providentia adminiſtratioq; rerum omnium, ſummo cũ imperio, conjuncta ſit? Quid Ariſtoteli, an mens iſta tam mirabilis inaudita vel incognita fuit? minimé: imó veró in hoc ipſo capite appellatur per ludibrium ὁ νοῦς ἄπειρος

νοῦς τὰ ἀδύνατα ζητῶν, mens abſurda, quæ conetur ea quæ fieri nequeunt, quod ſeparare velit omnia, cúm tamen pleraq; ſeparari non poſsint. eodemq; ludibrij genere rurſus 4. c. 1. Phil. exercetur, cúm Phyſicos ait Ariſtoteles logica principiorum & cauſſarum deſtitutos fuiſſe. Imperfèctè (ait) ac nihil apertè, ſed velut in pugnis ἀγύμναστοι inexercitati pugiles faciunt. Ut enim hi huc & illuc impulſi præclaras plagas frequenter imponunt, ſed non ex arte: Sic illi non videntur intelligere quæ loquuntur. fere enim principiis & cauſsis nil utuntur, niſi per puſillum. Anaxagoras enim μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιίαν tãquam machina aliqua, ſic mente abutitur ad ædificandum mundum. At quando dubitat propter quid ex neceſsitate res eſt, huc eam trahit: in cæteris autem quidlibet aliud potius quàm mentem cauſſatur. Hic Ariſtoteles rurſus mundo componendo Anaxagoræ mentem, velut in tragœdiis pægmatis alicujus machinã cavillatur. attamen cavillatio iſta tandem aliquãdo faceſcet, & Ariſtotelis Philoſophiam graviorem ac ſplẽdidiorem nobis aperiet. Accedamus igitur ad 4 cap. 3. phyſici. Atqui primo principium eſſe oportet generationis: Ipſum autem eſt unum, quod appellat mẽtem. ac ibidem Ariſtoteles ait hanc mentẽ ab Anaxagora vocari ἄπειρον, ἀγέννητον, ἄφθαρτον, ἀνώλεθρον, θεῖον, ἀθάνατον, infinitam, ingenitam, incorruptibilem, interitus expertem, divinam, immortalẽ: καὶ ὅτι περιέχει ἅπαντα, καὶ πάντα κυβερνᾷ, & quod cõprehendit univerſa, omniaq; gubernat. Ariſtoteles igitur non ignoravit mẽtem in principiis & cauſsis ab Anaxagora conſtitui: Redeamus ad 5. cap 8. phy. Ariſtotelem prorſus Anaxagoreum comperiemus. Itaque (ait) Anaxagoras rectè ſentit, dum ait mentẽ eſſe impatibilẽ, ſminimeq; permiſtam: quoniã quidẽ motus principiũ ipſam eſſe conſtituit: ſic enim ſolũ moveat, cúm ſit immobilis, & vincat cum pura ac ſyncera ſit. Hæc ariſtotelea ſunt Anaxagoreæ mentis eulogia præconiaq; imprimis illuſtria atq; magnifica. quibus etiam ſimilia ſunt in libris de cælo, & in Philoſophia. Quamobrem paradoxa iſta tam contrariæ vituperationis, laudationisq; conſideranti, quid aliud videatur quàm Anaxagorã Parmenidem alterum eſſe factum: vexatum primo modis indigniſsimis, deinde commendatum & exornatum: deq; laude Ariſtotelis judices iniquos eſſe, qui Philoſophiam ipſius ex uno loco, non ex omnibus eadem de re collatis & comparatis locis, & ad ſummas Ariſtotelis leges examinatis, differendam, ſegregandam, conſtituẽdam arbitrantur. Ariſtoteles Philoſophiæ Ocean⁹ eſt quidam, piſces omnium generum bonos, malos amplexus: ſed palato opus eſt ad ſuavitatem atq; guſtum. Collecta ſemel iſta ſunt de multis & magnis infinitorũ authorum & operum vigiliis: recognita nuſquam poſtea ſunt. Ex hoc tamen capite maximus poſtea nobis prorſusq; ſingularis fructus erit, adverſus omniũ, quæ libris octo acroamaticis continentur, fœdiſsimũ ſophiſma teterrimumq;.

IN CAP. V.

VErumtamen Phyſicæ alienæ reprehenſio adhuc fuit, ſequitur confirmatio ariſtotelea quinq; reliquis primi libri capitibus. Principium Phyſicum Ariſtoteli nõ fuit principium Meliſsi & Parmenidis unicum & immobile. principium Phyſicum Ariſtoteli non fuit neq; homiomeria, neq; mens Anaxagoræ: inſcientia tantúm Phyſica fuit, non Phyſica ſciẽtia. & Phyſicam tantúm dedocuit Ariſtoteles. Phyſicã deinceps docere inſtituit, triaq; principia Phyſica demonſtrare, materiam, formam, privationem: materiam ſubjectam, cõtrarias inter ſe formam & privationem. Sed de contrariis major eſt Phyſica, pręcipueq; de privatione, quàm Ariſtoteles tum comminiſcebatur. Atq; hæc etiam reliqua primi libri Phyſica, quinto, ſexto, ſeptimo capitibus, præcipuam de tribus illis principiis confirmationẽ quandam habet: toto tamen ſexto capite refutationibus etiam conſumpto. Reliqua duo capita octavum & nonum multó magis in refutatione conſumũtur. Itaq; ut priora illa prius expediantur, quinto diſſeritur principia Phyſica eſſe contraria, & quidem argumentis duobus. primum eſt è Phyſicis qui ita ſentiant. Age dum Phyſicos contrariorum principiorum authores attẽdamus. Parmenides (ait Phyſicus) principia facit ignem & terram: alij denſum & rarum: Democri-

meris tanquam é materia, tota naturæ opera. Ergo Anaxagoræ homiomeria periculo reprehenſionis ariſtoteleæ ſalva eſt & libera. Supereſt anaxagoreæ materiæ caput tertium ἀπειρία, quod Anaxagoras elementa ſua fecerit, non ſolum miſta & ſimilia, ſed etiam infinita. Adverſus hãc ἀπειρίαν Ariſtoteles, duobus ſyllogiſmis invehitur. Primus eſt, Infinita multitudine, & ſpecie non poſſunt animo comprehendi, illa quanta, hæc qualia ſint: At Anaxagoræ principia ſunt infinita multitudine & ſpecie: Quare cognitione cõprehendi non poſſunt, neq; propterea phyſicum opus ullum é talibus elementis compoſitũ percipitur, ſi quidẽ ea cognoſcuntur, quorum principia tenẽtur. Itaq; talis Anaxagoræ Phyſica nihil, niſi meram Phyſicæ ignorantiam videatur inducere. Hoc á Philopono ἐπιχείρημα ἐντρεπτικὸν dicitur, quod erubeſcere cogat adverſarium. Secundus ſyllogiſmus eſt, Si pars infinité poſsit augeri minuiq;, & totum perinde poterit: at Phyſica res omnis definita eſt, & magnitudine & parvitate, ut neq; major neq; minor effici poſsit. Atque (ut ait) numeroſus poëta,

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines:
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Maximus homo gigas, minimus pygmæus fuerit. at nemo tantus erit unquam, ut capite contingat cælum: neq; tam parvus, ut pulici fiat æqualis. ſic os & caro, & quodlibet naturæ opus quantitate definitum eſt. Quare neq; pars infinité augeri minuiq; poteſt. hic ſecundus eſt Ariſtotelis ſyllogiſmus. cui, ut ſuperiori, quid Anaxagoras reſpondeat non video, ſi tamen ἀπειρίαν iſtam actu fecerit, ut Ariſtoteles feciſſe arguit. Nam ſi infinitatem potentiæ intellexiſſet, non aliud Anaxagoras ſenſiſſet, quàm Ariſtoteles ipſe ſenſit. Sed tamen axioma Phyſicum notetur: quo ſicut Ariſtoteles Anaxagoram oppugnavit, ita de infinitæ impietatis errore ipſe meritó moneri poterit. Sed hactenus de materia, quam ſolam pro omni naturæ principio Ariſtoteles ait Anaxagoræ propoſitam fuiſſe. Verumenimvero mirabilis eſt iſta Ariſtotelis adverſus Anaxagoram cõtentio. De materia argumenta illa ſpeciem aliquam habuerint. verùm Anaxagorã inſimulare, quòd unicam de cauſsis materiam attigerit, reliquas rerum cauſſas, principiaque præterierit, παράδοξον, vel quolibet Stoico paradoxo παραδοξότερον videatur. Etenim τὸν νοῦν mentem rerum opificem ab Anaxagora tantopere celebratam, utrum Græci homines, utrum etiã aliis in locis Ariſtoteles ignoravit? an Græcis hominibus res quæpiã inaudita aut inſolita eſt? Appellato igitur Timonem, & attendito quid reſpondeat:

Καί πῃ Ἀναξαγόρην φασὶ ἔμμεναι ἄλκιμον ἥρω
Νῦν, ὅτι δὴ νόος αὐτῷ ὃς ἐξαπίνης ἐπεγείρας
Πάντα συνεσφήκωσεν, ὁμοῦ τεταραγμένα πρόσθεν.

At Anaxagoram ajunt eſſe fortem heroem
Mentem: quoniam mens illi fuit, quæ repenté excitans
Univerſa compoſuit, ſimul confuſa prius.

Heros appellatur Anaxagoras heroicæ cujuſdam virtutis ergò, & mẽs: quia divinam illam mentem in naturæ operibus tantopere celebravit, mentem, inquam, mundi opificem atq; authorem. Appellato Græcos interpretes Ariſtotelis hoc loco: majora etiam & illuſtriora ex Anaxagoræ phyſico opere recitabũt: ὁ νοῦς δέ ἐστιν ἄπειρον καὶ αὐτοκρατὲς, καὶ μέμικται οὐδενὶ χρήματι, ἀλλὰ μόνος αὐτὸς ἐφ᾽ ἑαυτοῦ ἐστι, mens infinitum quiddam meri imperii plenum, nulliq; rei commiſcetur, ſed ſola in ſe ipſam tota converſa eſt. Item, ἔστι γὰρ λεπτότατόν τε χρημάτων πάντων καὶ καθαρώτατον, καὶ γνώμην γε περὶ παντὸς ἴσχει, καὶ ἰσχύει μέγιστον. Eſt enim res rerum omniũ ſubtiliſsima & puriſsima, ſcietiãq; univerſi mundi obtinet, & poteſt longé plurimum. item πάντα διεκόσμησε νοῦς καὶ τὴν περιχώρησιν, ἣν νῦν περιχωρεῖ τά τε ἄστρα καὶ ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη καὶ ὁ ἀὴρ καὶ ὁ αἰθὴρ οἱ ἀποκρινόμενοι. Mens diſtinxit & ornavit univerſa atq; hunc circuitum, quẽ nunc circumeunt aſtra & ſol & luna & aër & æther ſeparati atq; diſcreti. hæc Simplicius nominatim repetit é primo Anaxagoreorum Phyſicorum: unde quid aliud quã Parmenideum illud unum rerum principiũ intelligas, cui præſertim opificiũ mundi, providentia adminiſtratioq; rerum omnium, ſummo cũ imperio, conjuncta ſit? Quid Ariſtoteli, an mens iſta tam mirabilis inaudita vel incognita fuit? minimè: imò veró in hoc ipſo capite appellatur per ludibricum ὁ νοῦς ἄπο-

ρος

νοῦς τὰ ἀδύνατα ῥητῶν, mens abſurda, quæ conetur ea quæ fieri nequeunt, quod ſeparare velit omnia, cùm tamen pleraq; ſeparari non poſsint. eodemq; ludibrij genere rurſus 4.c.1. Phil. exercetur, cùm Phyſicos ait Ariſtoteles logica principiorum & cauſſarum deſtitutos fuiſſe. Imperfectè (ait) ac nihil apertè, ſed velut in pugnis ἀγύμναστοι inexercitati pugiles faciunt. Ut enim hi huc & illuc impulſi præclaras plagas frequenter imponunt, ſed non ex arte: Sic illi non videntur intelligere quæ loquuntur. fere enim principiis & cauſsis nil utuntur, niſi per puſillum. Anaxagoras enim μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιίαν tãquam machina aliqua, ſic mente abutitur ad ædificandum mundum. At quando dubitat propter quid ex neceſsitate res eſt, huc eam trahit: in cæteris autem quidlibet aliud potius quàm mentem cauſſatur. Hic Ariſtoteles rurſus mundo componendo Anaxagoræ mentem, velut in tragœdiis pægmatis alicujus machinã cavillatur. attamen cavillatio iſta tandem aliquãdo faceſcet, & Ariſtotelis Philoſophiam graviorem ac ſplẽdidiorem nobis aperiet. Accedamus igitur ad 4 cap. 3. phyſici. Atqui primo principium eſſe oportet generationis: Ipſum autem eſt unum, quod appellat mẽtem. ac ibidem Ariſtoteles ait hanc mentẽ ab Anaxagora vocari ἀπαθῆ, ἀγένητον, ἄφθαρτον, ἀνώλεθρον, θεῖον, ἀθάνατον, infinitam, ingenitam, incorruptibilem, interitus expertem, divinam, immortalẽ: καὶ ὅτι περιέχει ἅπαντα, καὶ πάντα κυβερνᾷ, & quod cõprehendit univerſa, omniaq; gubernat. Ariſtoteles igitur non ignoravit mẽtem in principiis & cauſsis ab Anaxagora conſtitui: Redeamus ad 5. cap 8. phy. Ariſtotelem prorſus Anaxagoreum comperiemus. Itaque (ait) Anaxagoras rectè ſentit, dum ait mentẽ eſſe impatibilẽ, ſ mini meq; permiſtam: quoniã quidẽ motus principiũ ipſam eſſe conſtituit: ſic enim ſolũ moveat, cùm ſit immobilis, & vincat cum pura ac ſyncera ſit. Hæc ariſtotelea ſunt Anaxagoreæ mentis eulogia præconiaq; imprimis illuſtria atq; magnifica. quibus etiam ſimilia ſunt in libris de cælo, & in Philoſophia. Quamobrem paradoxa iſta tam contrariæ vituperationis, laudationiſq; conſideranti, quid aliud videatur quàm Anaxagorã Parmenidem alterum eſſe factum: vexatum primo modis indigniſsimis, deinde commendatum & exornatum: deq; laude Ariſtotelis judices iniquos eſſe, qui Philoſophiam ipſius ex uno loco, non ex omnibus eadem de re collatis & comparatis locis, & ad ſummas Ariſtotelis leges examinatis, diſſecandam, ſegregandam, conſtituẽdam arbitrantur. Ariſtoteles Philoſophiæ Ocean⁹ eſt quidam, piſces omnium generum bonos, malos amplexus: ſed palato opus eſt ad ſuavitatem atq; guſtum. Collecta ſemel iſta ſunt de multis & magnis infinitorũ authorum & operum vigiliis: recognita nuſquam poſtea ſunt. Ex hoc tamen capite maximus poſtea nobis prorſusq; ſingularis fructus erit, adverſus omniũ, quæ libris octo acroamaticis continentur, fœdiſsimũ ſophiſma teterrimumq;.

IN CAP. V.

VErumtamen Phyſicæ alienæ reprehenſio adhuc fuit, ſequitur confirmatio ariſtotelea quinq; reliquis primi libri capitibus. Principium Phyſicum Ariſtoteli nõ fuit principium Meliſsi & Parmenidis unicum & immobile. principium Phyſicum Ariſtoteli non fuit neq; homiomeria, neq; mens Anaxagoræ: inſcientia tantùm Phyſica fuit, non Phyſica ſciẽtia. & Phyſicam tantùm dedocuit Ariſtoteles. Phyſicã deinceps docere inſtituit, triaq; principia Phyſica demonſtrare, materiam, formam, privationem: materiam ſubjectam, cõtrarias inter ſe formam & privationem. Sed de contrariis major eſt Phyſica, præcipueq; de privatione, quàm Ariſtoteles tum comminiſcebatur. Atq; hæc etiam reliqua primi libri Phyſica, quinto, ſexto, ſeptimo capitibus, præcipuam de tribus illis principiis confirmationẽ quandam habet: toto tamén ſexto capite refutationibus etiam conſumpto. Reliqua duo capita octavum & nonum multó magis in refutatione conſumũtur. Itaq; ut priora illa prius expediantur, quinto diſſeritur principia Phyſica eſſe contraria, & quidem argumentis duobus. primum eſt é Phyſicis qui ita ſentiant. Age dum Phyſicos contrariorum principiorum authores attẽdamus. Parmenides (ait Phyſicus) principia facit ignem & terram: alij denſum & rarum: Democritus ſo-

tus ſolidum & vacuum. At, inquã, ignis & terra contraria non ſunt, ſed alterum eſt pro materia, alterum pro efficiente: neque Democritus ſolido vacuoq́ principia rerum, ſed adjumenta ſecunda tribuit, ut neque Phyſici reliqui raro denſoq́. Quare primum hoc argumentum Ariſtotelis paralogiſmum duntaxat oſtendit: conceſſumq́ theſim tamen nihil offendit. Quid ſecundum argumẽtum, quale eſt? Contraria prima ſunt, quæ neque ex aliis, neque ex ſeipſis, ſed ex quibus omnia alia fiant: talia autem ſunt principia: Itaq́ contraria, unde concluditur omnia è contrariis fieri. At ſecundi argumenti ſyllogiſmus, vel potius paralogiſmus in ſecunda figura, partes habet mirificas. Propoſitio enim, Contraria prima ſunt, quæ neq́ ex aliis neq́ ex ſe ipſis, ſed ex quibus ſunt alia omnia, prima & tertia parte falſa eſt. Contraria enim quælibet cauſſam habent & principium ex aliquo genere, cui nempe ſubjecta ſunt. Quod Ariſtoteles proximo capite teſtabitur. una (inquiet) eſt contrarietas in quolibet genere: falſum igitur eſt contraria prima non oriri ex alio ullo: deinde falſum & illud, ex contrariis fieri omnia, quia (ut jam citavimus ex Ariſtotele) fiũt ex homogeneis & conſentaneis. Quare duplex hic elenchus eſt in propoſitione. Aſſumptio autem (Sed principia neque ex aliis, neque ex ſeipſis fiunt, ſed ex iis omnia:) partibus omnibus eſt falſa. Principia enim Phyſica principium aliud habent, illud nempe unicum & immobile, ut Ariſtoteles tandem confitebitur, cùm ab illo cætera omnia moveri diſputabit. neq́ principia ipſa Phyſica una ſunt: ſed à primis ſecunda, ab iis tertia, & ſic deinceps moventur, ut à primo movente cælum, à cælo elementa inferiora, ab iis compoſita afficiuntur. quod etiam apparet in eadẽ ſpecie: ut enim homines vivi à mortuis geniti ſunt, ſic à vivis poſteri gignentur. Quare quot tandem modis antecedentia ſyllogiſmi hujus ruinoſa erunt? Sed tamen architectatur hinc Ariſtoteles axioma magis etiã ruinoſum, Quicquid gignitur, è contrario gigni, & quicquid corrumpitur, in contrarium corrumpi: & ad axiomatis demonſtrationem advocat pictores, muſicos, architectos, ſtatuarios. hinc enim συγγένεια τῶν ἐναντίων cognationes cõtrariorum, λευκὸν μέλαν, ἐσχηματισμένον ἀσχημάτιστον, μουσικὸν ἄμουσον, ἡρμοσμένον ἀνάρμοστον, οἰκία οὐκ οἰκία, ἀνδριὰς οὐκ ἀνδριάς· Album nigrum, formatum informe, concinnum incõcinnum, conſonum diſſonum, domus non domus, ſtatua non ſtatua. quæ omnia falſa planè ſunt, vel Ariſtotelis ipſius judicio, qui pauló antè inter conditiones contrariorum poſuit contraria non eſſe ex ſeipſis, ut alterum ex altero poſſit effici. Et illa nimirum Ariſtotelis Philoſophia verior eſt ad 5. ca. 1. de gene. unumquodque fieri ex eo quod actu ſit ejuſdem generis, aut ſpeciei. illa, inquam, Philoſophia in Metaphyſicis toties iterata, unũ quodq́ fieri ex homogeneis: vel, quod idem eſt, è ſynonimis, ut imprimis libro ſeptimo. Hanc veró tantam tamque manifeſtam in Phyſico magiſtro repugnantiam Philoponus animadvertit, & interpretatur ἐξ ἀλλήλων, ἀντὶ μετ' ἄλληλα, ex ſe ipſis, pro, poſt ſe ipſa, ὥσπερ καὶ ἐκάλεσε Πλάτων κυριώτερον, quomodo appellavit Plato magis propriè. Ergo Philoponi judicio Plato dixit melius quàm Ariſtoteles, unumquodq́ fieri poſt ſuum contrarium. Ariſtotelis Phyſicam videlicet poëta ille ſequutus eſt, cùm dixit:

Si fortuna volet, fies de rhetore Conſul:
Si volet hæc eadem, fies de Conſule rhetor.

Sic igitur excuſatur Phyſicus. at Phyſica interea periclitatur: Etenim excuſationis hujus fucus retexatur, & intelligatur unumquodq́ fieri poſt ſuum cõtrarium. quid intelligetur? nõne poſt principium rem fieri, nõ autem è principio, tanquam è materia & forma, conſtitui? Itaque tam ridicula eſt erroris hujus excuſatio, quàm error ipſe ridiculus fuit. Et tamen Ariſtoteles ipſe, Zenonem videlicet alium quempiam ſequutus, hoc etiam Platonicum nominatim interpretatur 24. c. 5. Metaphyſ. Ex aliquo fieri interdum dici μεθ' ὃ τῷ χρόνῳ, οἷον ἐξ ἡμέρας νύξ, καὶ ἐξ εὐδίας χειμών. ὅτι τοῦτο μετὰ τοῦτο. Poſt quod tempore fit, ut ex die nox, & ex tranquillitate tẽpeſtas: quia hoc poſt illud. quod iteratur ibidẽ 5. c. 8. li. Quare bellum illud axioma prorſus eſt abſurdum, nõ ſolum non Phyſicum. quod ſi Ariſtoteles à Phyſicis, quàm à pictoribus, muſicis, architectis, ſtatuariis exempla ſumere maluiſſet, axiomatis fucus apparuiſſet. neq́ enim ex beſtia hominem, vel

nē, vel ex homine beſtiam fieri cuiquam perſuaſiſſet. Ad finem capitis hujus ſtatuitur differentia philoſophorum phyſicorum, de contrariis differentiis principiorum: quod alii ſequantur cōtraria notiora ſecundum rationem, univerſalia quippe, ut magnum & parvum: alii notiora ſecundum ſenſum, nempe particularia, ut denſum & rarum. quo loco rectè dicitur, ut antea primo capite, univerſale notius ſecundū rationem, & particulare ſecundum ſenſum. At ut exemplū magni & parvi eſt generale, ſic denſi & rari. quamvis hoc denſum & illud rarum ſit ſenſibile. Verumtamē heus phyſice præſtantiſsime, quid agis? Cur logicam de contrariis in Phyſicam nobis inducis? Neq; enim ſecundum tuas leges καθ' αὑτὸ & καθ' ὅλου πρῶτον juſtius fuerit quærere, utrū principia Phyſica ſint contraria, quàm utrum ſimilia an diſsimilia, utrum generalia an ſpecialia, utrum enūtiato, ſyllogiſmove judicari poſsint. Logica è logicis præceptis perdiſcenda eſt, uſus cæteris in rebus, præceptis in arte relictis, exercendus eſt. Quamobrē nihil offendatur Alexander à gazis regiis theſauros iſtorum ſophiſmatum abeſſe.

IN CAP. VI.

SExto & ſeptimo capite altercatio plixa eſt & odioſa de numero principiorum, quod nō unicum, quod non infinita, quod nō quatuor, ſed tria principia ſint. Primo igitur quod non unum: quia contraria ſaltem ſunt duo. At docuimus principia non eſſe contraria: & Ariſtoteles octavo phyſico faciet principium primo movens unicum. Secundo quod nō ſint infinita, quia eſſent ignota: quia in unoquoq; genere, ut in eſſentia, eſt contrarietas unica: quia finitum eſt melius: quia contraria omnia eſſent principia. at, inquam, primum illud fuit adverſus ἀπειρίαν Anaxagoreæ materiæ argumentum. Secundum argumentum eſt verum, quia genus dividitur in ſpecies, vel differentias cōtrarias, ut ſæpe Ariſtoteles teſtatur: ſed quanquam verum eſt, tamen ex axiomatis illius errore deductum, quod contrarietas ad doctrinam principiorum neceſſaria videbatur. finitum autem in natura præſtare infinito, ſæpius in Phyſicis Ariſtoteles repetit. ſic in fine quarti capitis Empedocles Anaxagoræ præpoſitus, quia finita principia faceret, & ſic 6. cap. 7. phy. diſſeretur finitum in natura infinito melius eſſe. Quapropter & unitas & infinitas principiorū ita diſputatur. Binarius deinde ſimiliter agitatur, quia ſolus contrariorum binarius non ſufficiat ad ortus rerum, cùm eſſentiæ nihil ſit contrarium: ideoq; videretur eſſentia non ex eſſentiis fieri. At, inquam, cur nō dicimus, eſſentiam contrariam eſſentiæ. Hoc enim falſum eſſe in Logica docui logico argumento, quia tota Logica ſit generalis, & communis entium & non entium. Itaq; ἐναντίωσις, quæ pars eſt Logicæ inventionis, communis erit eſſentiarum, accidentium, entiumq; omninò omnium, imò etiam non entium. Scio interpretes hic dicere eſſentiam eſſentiæ contrariam eſſe ratione formæ, & nō materiæ. at, inquam, ut duabus formis Phyſicis, ſic duobus accidentibus, ac multò magis, ſubjectum ſuum eſſe neceſſe eſt, & tamen accidentia propterea non deſinunt eſſe contraria: at formæ κυριώτατα καὶ μάλιστα præcipuè & maximè, ut Ariſtoteles ipſe teſtatur 2. ca. 2. Phyſici, ſunt eſſentiæ: Quare eſſentia erit eſſentiæ contraria. Sed tamen in capite præſenti Ariſtotelem potius audiamus, ubi pauló ante dixit, una eſt in omni genere cōtrarietas, eſſentia autem unum eſt genus. Conclude igitur, ſi logicus es: ergo in eſſentia cōtrarietas eſt. Interpres quidam ait iſto capite, excuſandi manifeſti erroris gratia, philoſophiū diſputativè procedere per propoſitiones apud antiquitatem famoſas. Hæc enim ipſius verba ſunt. Enimvero interpres iſte ſi tam ſanctū Philoſophiæ, quàm religioſum philoſopho, ſtudium præſtitiſſet, pro Logica, qua diligentius inſtructus fuit, majorem fructum publicis commodis attuliſſet. Sed illi, ut cæteris interpretibus, philoſophus pluris, quàm philoſophia ulla fuit. Verùm agite cauſſa iſta diſceptetur accuratius. Contrarietas eſt in eſſentia, contrarietas non eſt in eſſentia, contradictio & repugnantia manifeſta eſt: & utra ſententia verior ſit & commodior, æſtimetur è phyſica veritate & cōmoditate. Cōtrarietas duobus hiſce capitibus aſſeritur tanquā ad conſtituendum rerum phyſicarū principia, ad earumq; vires, motus, facultateſq; totas inſtituendum maximè neceſſaria. Docebit Ari-

bit Ariſtoteles 4.cap.de cælo,contrarietatem converſionũ cæleſtium,contrarietatem elementorũ, ortus rerum Phyſicarum atq; interitus cauſſam & principiũ eſſe. Libri duo præcipue de ortu interituq; rerum Phyſicarum conſcripti ſunt. At,inquam,res hæ Phyſicę ſunt eſſentię. Itaq; ſi tantũ poteſt contrarietas in phyſicis rebus, poteſt in eſſentiis. Ergo hæc phyſica utilitas Ariſtoteli tãtopere propoſita, Ariſtotelẽ inducat ad cõtrarietatem in eſſentiis retinendum. Neq; veró quidquam detrimenti uſquam acciderit,ſi eſſentias cõtrarias eſſe dixeris, niſi fortè detrimentũ putes verum falſo præponi, & ſcholaſticum Zenonis alicujus commentũ tolli, quale erit quinto phyſico,& 2. de gener. Cõtraria definiantur logicè,ut in logica definita ſunt à nobis ex Ariſtotelis philoſophia: tota res communis erit & eſſentiarum & non eſſentiarum. Quamobrem non ſolùm logica, ſed phyſica veritas utilitasq; convincit contrarietatem eſſe in eſſentia.Sed tamẽ pergamus, unitas, infinitas, binarius principiorum & cauſſatũ Ariſtoteli non dum placuerũt: quis tandem numerus placebit? Ternarium meditatur: quem Plato attigit in magno & parvo, & in idea, ſed verbo tãtum: re ipſa binarium eſt ſequutus. nam magnum & parvum pro materia ſunt: idea pro efficiente. Reliqui Philoſophi ternarium impleviſſe videntur Ariſtoteli,unitate ſubjectæ materiæ & binario oppoſitarum differentiarum. Enimvero Phyſicus noſter hoc unum valdè inconſtanter aſſumit, cum Phyſicos & de unico,& de infinitis principiis tantopere agitarit: tum etiam falſò,cum materiam & efficientem,ut Parmenides,Anaxagoras,Plato,cogitarint potius, quàm formæ & privationis contrarietatem Ariſtoteli modo propoſitã. Major deinde ternario numerus reprehenditur, quia ſi duæ contrarietates eſſent,altera vacaret:cùm contrarietas prima ſit in quoq; genere. At,inquam, etiã ſi contrarietas unica fuerit,nõ ideo principiorum phyſicorum numerus major nõ erit. Etenim quoties Ariſtoteles ipſe non ſolum in logica, nõ in Philoſophia prima,ſed in Phyſica ipſa,quatuor genera cauſſarum,efficientem,materiam,formam,finem cõſtituit? Quid liber ſecundus totus,nonne in his quatuor principiis & partiendis,& phyſico ad res phyſicas explicandum proponendis conſumitur? Tandem verò capitis hujus concluſio Phyſici noſtri hæſitantiam valde demonſtrat dubitantis, utrum principium unum, an plura duobus. Horum verò utrum (ait Phyſicus) magnam dubitationẽ habet. Ecquid magiſter, nondum tibi perſuaſiſti de numero principiorum, quæ tot argumentis anteà perſuadere voluiſti? aut quamobrem tandem cùm ternarius principiorũ tibi propoſitus eſſet, ſophiſtica iſta jactatione opus fuit, ut diſcipuli tui perdiſcerent non eſſe unicum principium, non duo, non quatuor,non infinita: an niſi negationes iſtas omnes falſas perſequutus eſſes, verum quod arbitrabare, conſtitui non potuit?

IN CAP. VII.

ADhuc igitur Ariſtoteles diſputaſſe magis,quàm quidquã demonſtraſſe videatur. Septimi capitis initio proponitur methodus illa primi capitis initio ꝓpoſita.Eſt enim(ait Phyſicus) ſecũdum naturam, ut communia primũ exequi,deinceps ſingularia conſideremus. hoc ſecundum eſt in Ariſtotelis Phyſica ſingulare methodicæ legis eulogium.Atq;,ut illud cõmendare merito & collaudare poſſis, ita valde profecto mirabere ad theſim nihil attinentes quiſquilias partitionũ tam verboſe colligi,de geneſi ſimplici,compoſita,de formulis orationis, quibus geneſis exprimatur,quod hoc fiat illud,aut ex hoc illud: ſubjecto modo manẽte,modo non manente.Intereaq; μουσικὸν καὶ ἄμουσον vicies minimum reſonare: tanquam in tota rerũ natura nulli gemmarii,aurifices, libratores,olitores,piſcatores,aucupes, opiliones,bubulci, equiſones, medici, hominis etiã ipſius & generandi & conformandi curatores, nulli deniq; Phyſici eſſent,à quibus exempla rerum naturalium vera potius aſſumerentur,quàm emendicarentur aliena. Sed tamen tandem quid agitur iſto capite? Diſquiritur ternarius principiorum:primoq; de materia, tum de contrariis forma & privatione. Diſſeritur igitur primum duobus argumentis, in omni geneſi materiam ſubjectam eſſe, primo per genera entium, quæ ſex hic Ariſtoteles enumerat eſſentiam,quantum,quale, ad alterum,&

rum, & quando, & ubi: cúm decem feciſſet in categoriis: cum ſecundo capite adverſus Parmenidem tria tantúm diviſiſſet, eſſentiam, quãtitatem, & qualitatem: cum cęteris deinde locis tam varié genera iſta deſcripſiſſet. & tamen ad aliquid, Quando, ubi, quamnam Phyſicam materiam ſubjectam habebunt? Categoriæ enim illę ſubjectam Phyſici generis materiam habere nullam poſſunt. Quare argumentum hoc valde fatuum eſt, diſputare phyſicam materiam generibus omnibus ſubjectam eſſe, per ea quæ materiam illam capere nequeant. Verúm perge: In eſſentia Ariſtoteles utitur Phyſicis plantarum & animaliũ & ſeminis exemplis, quæ perlibẽter hic audio præ muſicis & pictoribus. Atq; hoc primum fuit argumentum. Secũdum eſt per ſpecies motus, μετασχηματίζειν, προσθεῖν, ἀφαιρεῖν, συντιθέναι, ἀλλοιοῦν, trãsfigurationem, additionem, ſubductionem, compoſitionem, alterationem: quæ partitio tam inconſtans eſt in Ariſtotele, quàm fuit entis illa diviſio: longè enim alia genera ab Ariſtotele motus efficientur poſtea. Ex his igitur partitionibus tam ſophiſticis, concluditur in omni geneſi, ſubjectam eſſe materiam, eamque duplicem, ſubjectum nempe & oppoſitum, & oppoſiti nomine privatio intelligitur, quæ nempe oppoſita eſt formæ: privatio tamen nondum nominata eſt. Tandem igitur partus ipſe tantopere parturientis philoſophi expromitur, & στέρησις privatio contrariis variarum privationum differentiis exprimitur. Contrarium affirmatum eſt μορφὴ, σχῆμα, μουσικὴ, ἁρμονία, τάξις, forma, figura, muſica, cõcentus, ordo: contrarium privatum eſt ἀμορφία, ἀσχημοσύνη, ἀμουσία, ἀναρμοστία, ἀταξία, privatio formæ, figuræ, muſicæ, harmoniæ, ordinis. His enim contrariis differẽtiis cõtraria hæc duo principia Ariſtoteles exprimit, ternariumq; principiorum materia, forma, privatione concludit. Sed tamẽ materiam & formam longe alia principia efficit, quàm privationem. Illa enim per ſe principia ait eſſe: privationem autem & oppoſitionem per accidẽs: ſed materia re & numero una: ſpecie autem & ratione duplex efficitur: Materia enim (ait) ex ſeſe eſt ἀριθμητὸν numerabilis, & tanquã demonſtrabilis digito. Itaq; modo quodã principia duo tantúm ſtatuuntur, materia & forma, quæ per ſeſe inſint: modo alio tertiũ additur, privatio: quę ſit principium per accidens: modo item quodã principia fiunt cõtraria, ut privatio & forma: tum modo quodam nõ contraria, quia contrarium à contrario pati non poſſit, quæ poſtrema ratio plané falſa eſt: Nihil enim patitur, niſi à contrario, & quicquid corrumpitur, á ſuo contrario proprié corrũpitur. ut erit nono capite hujus libri, & octavo capite octavi phyſici. Hic igitur labor eſt phyſici noſtri per tot labores, ac difficultates cauſſam privationis & principiũ parturientis, & inter cauſſarũ genera, principiorumq; privationem ſtatuentis. At Deus bone! privatio iſta quidnã eſt omnino? aut unde in phyſicã inducta? fabuloſum enim ſomnium eſt. Itaq; phyſici profeſſores attendite, quæ cõtra dictur' ſim. Etenim cúm Ariſtoteles privationẽ contrariã formæ efficit, ſi ſpeciem cõtrarietatis requiras, quid invenies? utrum erunt adverſæ an relatæ? nequaquam: affirmata enim hęc utraq;. utrum igitur contradicentes an privantes? Privantes videntur, at forma eſſet ἕξις habitus, ejusq; habitus negatio in ſubjecta materia, eſſet privatio. Privatio autẽ hæc phyſica non eſt in ſubjecto talis ſuccedens oppoſitio formæ, qualis eſt cæcitas privatio viſus in oculo: ſed antecedens negatio potius advenientis formæ affirmationi cõtraria, quod Grãmaticus hic veré adnotavit, & Ariſtotelis phyſica diligentius animadverſa plané demonſtrat. Atq; huc nempe illa ſuperiora omnia pertinent, Non quodlibet agere in quodlibet, neq; quodlibet pati à quolibet: hinc λευκὸν ἄμουσον, ἡρμοσμένον, ἀνάρμοστον, ἐσχηματισμένον, ἀσχημοσύνην, quæ huc magis proprié conveniunt, non autem λευκὸν καὶ μέλαν, quæ adverſa ſunt. Enimvero ſic poſtea tertio, quinto, ſexto libris definientur generatio & corruptio ſecundũ contradictionẽ, ut affirmatio & ens ſit terminus generationis, negatio & nõ ens ſit terminus corruptionis: Ergo privatio ariſtotelea eſt pars cõtradictionis: nec aliud eſt dicere privationẽ eſſe principiũ phyſicum, quàm negationẽ eſſe principiũ phyſicum. Genus igitur ipſum diſſentaneorũ cõtradicentium, cúm genere conſentanearũ cauſſarum comparetur, tum rerum & verborũ

fœda prorſus & abſurda repugnãtia deprehẽdetur. Nam cùm dicis privationẽ eſſe principium, eſſe cauſſam, ut Ariſtoteles hoc ipſo in capite loquitur, quid aliud loqueris quàm mortẽ eſſe vitam, frigus calorem? Cauſſa enim ſtatus eſt rei ſalusq́; : privatio autem eſt pernicies ac ruina. Illud enim eſt κακοποιὸν maleficium privationis, quod dicetur poſtea Ariſtoteli capite nono hujus libri. Quare qui privationem principium facit, & rerum & verborum repugnantia turpiſſima implicatur. Itaque Ariſtoteles & in logica, & ſecundo phyſico, ubi genera cauſſarum & per ſe & per accidens partitur, privationẽ iſtam oblitus eſt, neq́; inter ſpecies cauſſarum, & principiorũ per accidẽs commemoravit. Tum verò ſi privatio cauſſa vel principium diceretur, quia contrarium quiddam eſſet formæ advenienti: attamen nõ aliud hic intelligeretur, quàm poſt privationem generari formã, ſic enim ἐξ ἀλλήλων jam declaratum eſt μετ' ἀλλήλων. Age verò uſus commentitii hujus principii per totam Ariſtotelis phyſicam conſideretur: ampliſſimum ſophiſmatis teſtimoniũ perhibebitur. E tribus phyſici operis fundamentis unum in privatione conſtituitur. Attamen Ariſtoteles univerſæ naturæ velut architectus nihil unquam iſto principio ædificavit, nihil cõſtruxit. Perluſtra regiones phyſicarum rerũ, orasq́; omnes meteororum, lapidũ, metallorũ, fontium, hortorũ, paſcuorum: veræ phyſicæq́;, materiæ & formæ infinitum perpetuũq́; uſum reperies: privationis principium omni phyſico uſu privatum reperies: Ad cæteras omnes artes Grãmaticam, Rhetoricam, Logicam, Mathematicam, & quamlibet aliam ſeu diſciplinam, ſeu rẽ omnino ullã quæſtio transferatur: magnus uſus materiæ & formæ intelligetur, novi hujus & inſolentis inter principia principii inaudita conſideratio fuerit. Intelligimus è duobus principiis & duabus cauſsis materia, formaque res omnes cõſtare, privationem ad rem cõſtitutam nihil attinere, ut Ariſtoteli etiam placuit ad conſtituendum nihil poſſe: imo obſtare potius venienti formæ, cùm ei contraria fingatur, neq́; formam materia recipi poſſe, niſi privatio ante expulſa ſit. Quamobrem tam fabuloſum commentum è phyſica tollatur.

Quid verò deinde? Sequitur extremo capite ſeptimo modus intelligendæ materiæ κατ' ἀναλογίαν ſecundum ſimilitudinem, utq́; æs ſit ad ſtatuam, lignum ad lecticã, ſic materia ſit ad formam. Platonis verò, aut potius Pythagorei Timæi commentum hoc eſt, Plato quidẽ iſtam cognoſcendæ materiæ difficultatem copioſè in Timæo propoſuit, quod materia ſit δύσφραστον, καὶ θαυμαστὸν difficilis explicatu, atq́; mirabilis: μετ' ἀναισθησίας ἁπτὸν, λογισμῷ τινὶ νόθῳ μόγις πιστόν. Sine ſenſu perceptibilis, ratiocinatione quadam ſpuria vix credibilis. deniq́; tota materię cognitio Platoni eſt ὥσπερ ὀνείρωξις καὶ φάντασμά τι; veluti ſomniũ & viſum aliquod. adeoq́; duplex cognoſcẽdæ materię modus inſtituitur, alter quẽ Ariſtoteles hic propoſuit, κατ' ἀναλογίαν, unde à Platone dicitur ἐκμαγεῖον παντὶ αἰσθητῷ, μήτηρ, τιθήνη, ὑποδοχὴ, πανδεχὲς, χώρα, ἕδρα τῶν γεννητῶν, Omni fictioni ſubjecta, mater, nutrix, receptaculum, omnicapax, locus, ſedes genitorũ. Tum declaratur amplius analogia, ab unguentariis, qui unguenta ſuaviter redolentia confecturi materiam odoris omnis expertem præparãt: item à fictoribus, qui mollibus in rebus figuram aliquam impreſſuri nullam in iis ſpeciem reſidere patiuntur: ſic illud quòd omnium generũ ſimulacris commodè figurandum ſit, formis omnibus ſua natura carere debeat, cujuſmodi Ariſtotelis exẽpla illa brevia fuerunt de ære ad ſtatuam, ligno ad lecticam. Secũdus modus intelligẽdæ materiæ Platonicus eſt ἀφαίρεσις detractio. Itaque materia, ait Plato, non eſt ignis, non aër, non aqua, non terra, non deniq́; de tot rerum generibus ſpecies ulla, ſed omnibus ſubjecta materia. Appellatur itaq́; ἄποιον, ἄμορφον, ἀόρατον, ſine qualitate, ſine forma, inviſibilis. Hæc magiſter Plato, quæ ferè eadẽ in his capitibus Ariſtotelis recognoſci poſſunt. Illud etiam à Simplicio huc allatum eſt ab Aegyptiis primæ vitæ, quã συμβολικῶς appellabãt aquam ὑποστάθμην tanquam fecem, materiam eſſe nominatam. Ergo philoſophus uterq́; materiã primam nõ niſi ſimilitudine aut inficiatione comprehenſibilem arbitratur. Veruntamẽ difficultas cognitionis hujus rhetoricè nimiũ videtur ab utroq́; philoſopho exaggerari. Cur enim materia, & forma, nõ poterit definitione ſua comprehen-

prehendi? aut quid aliud à philoſophis iſtis nobis eſt tot verbis & argumentis explicatū? Etenim roga utrumq; quod ſit materiæ genus, quæ materiæ differentia. Genus (dicet uterque) eſt cauſſa vel principiū, differentia ſeu forma, ex quo res eſt. Itaq; materia definitur ab utroq;, Cauſſa ex qua res eſt. Etenim quamvis materiæ phyſicæ nulla ſit Ariſtoteli forma phyſica, eſt tamen forma aliqua per quam eſt id quod eſt, & à cæteris rebus diſtinguitur. Jam veró in Ariſtotelis neſcio quot paginis, an adjuncta ipſi materiæ atq; aſſociata formæ qualitas, infinitaq; omnium generum capacitas & tanquam hoſpitalitas omnium quamlibet peregrinarum formarum, innata etiam eidem & ingenerata privatio tanquam faſtidium vel odium potius advenientis formæ, alienæq; ſpeciei ſemperq; diverſæ inſatiabile deſiderium, entisq; nō vi facultas æterna, an hæc, inquam, materiā nō omnia multó copioſius, quám illa ſtatuarum & lectícarū analogia declaravit? Quare materia perceptibilis eſt illa quidem per analogiam, ſed aliis etiam argumentis copioſius & uberius explicabilis. Neq; veró materiæ cognitio difficilior eſt quám formæ, ſed facilior & promptior. Etenim undenam eſt illa Ariſtotelis in phyſicos veteres tanquam rudes in logica cauſſarum, principiorumq; ſcientia planeq; agreſtes tot locis iterata reprehenſio? quod de quatuór cauſsis unicam materiā præcipue cognoverint? de forma vix ac ne vix quidem ſint ſuſpicati? Quid hoc ſeptimo capite, nonne id Ariſtoteles etiam nominatim profitetur? Materiam enim vocat ἀριθμητὴν numerabilem & tanquam digito demonſtrabilem: item τόδε τι μᾶλλον hoc aliquid magis, quia permaneat perpetuo, quia formam ſuſtineat, ut Græci interpretes hic adnotarunt. Quapropter hoc loco Platonis & Ariſtotelis eloquentiam admirari fortaſſe poſsim, philoſophiam equidē complecti nullo modó poſsim.

IN CAP. VIII.

Atque hæc de principiis phyſicis Ariſtotelea doctrina eſt: deinceps refutationis ſophiſtica renovatur. Sequitur enim octavo & nono capite, de phyſicis veteribus omnibus, deq; magiſtro Platone ariſtoteleus quidam triumphus: quód illis iſta principiorū phyſica fuerit ignota. ideoq; cúm veritatem phyſicarum rerum inveſtigarent, velut in aliam viam abducti propter imperitiam deflexerunt & aberrarunt, ait Ariſtoteles. Ecquænam, inquam, imperitia iſta fuit? Imperitia hæc dialectica fuit, ait Philoponus, qua deſtituti perverſè ratiocinabantur. Tollebant enim (ait Ariſtoteles) ortum interitumq; rerū ſyllogiſmo captioſo inducti. Si quidquam fit, id utiq; fit ex ente aut non ente: ex ente non poteſt, quia jam eſſet: ex non ente item non poteſt, quia nihil fit ex nihilo: Quare nihil omnino fit. Syllogiſmus hic veterum (ut Ariſtoteles interpretatur) fuit genere concluſionis rectus, aſſumptione Ariſtoteli fallax: quia diſtinguendum fuit per ſe aut per accidens, actu aut potentia: quæ utraq; differentia ex efficientis cauſſæ Topico logico orta eſt, ut Ariſtoteles ipſemet in philoſophia docet: ſed in hac theſi ab Ariſtotele nequaquam legitimé uſurpata. Prior igitur Ariſtotelis diſtinctio prius animadvertatur. Ex privatione, quæ per ſe eſt non ens, quæq; non ineſt, fit res phyſica (ait) per accidens. Hic Ariſtotelis ſermo etiam Ariſtoteli ipſi durus viſus eſt. Mirabile autem (ait) hoc atq; impoſsibile videatur ſic quicquam ex non ente fieri. At Platoni mirabile atque omni antiquitati non videatur tantum, ſed revera ſit impoſsibile, ſic quicquam fieri é principio quod per ſe ſit non ens. Hic Ariſtoteles non eſt obſcurus. privationem ait eſſe principium generandæ rei, & principium per accidēs, quamvis ipſa ſit per ſeſe non ens; quamvis etiam non inſit, quamvis (ut mox dicet) nihil omnino ſit. At iſtud revera nō ens, quomodo per accidens efficiet? Nā caſus & fortuna, quæ cauſſæ per accidēs poſtea appellantur, ſunt in rerum natura aliquid, quamvis improviſum nobis & inopinatum, ut poſtea dicetur. Salinatori, qui amiſſo oppido fugerat in arcem, glorianti atq; ita dicenti, Mea opera Q. Fabi Tarentum recipiſti. Certé, inquit Fabius ridens. Nam niſi tu amiſiſſes, nunquam recepiſſem. Sic Ariſtoteleæ privationi naturæ principiū cauſſamq; vindicāti merito per conſimilem riſum dicatur à forma, niſi locum deſeruiſſes, nō ſucceſsiſſem. Sed perinde ridi-

cula in utroq; genere cauſſa reperietur. Quare quod Ariſtoteles ait videri mirabile & impoſsibile, id ipſum neceſſe ſit logico homini & libero nō mirabile, ſed inſomnii ſimile, neque videri, ſed planè judicari. Sed pars aſſumptionis illius ita ſolvitur, quod ex per ſe non ente fiat aliquid per accidens. Pergit igitur Ariſtoteles, & docet aliquid ex ente fieri, ſed per accidens, nón per ſe. Exemplum Ariſtotelis hic valde improprium eſt: ut ſi fiat (ait) canis ex equo, fiet ex equo per accidens, per ſe autem ex non cane. Itaque Græci interpretes ex equo veſpas, vel ex tauro apes, pro exemplo commodiore maluiſſent. Primus igitur ſolutionis modus é diſtinctione per ſe & per accidens eſt; quod aliquid per ſe fiat, ex per accidens non ente: ut é materia. item quod aliquid per accidens fiat ex per ſe non ente: ut é privatione. Attamen modus ille quod canis ex equo fiat per accidens, falſus eſt. Propriè enim & per ſe dicitur homo gigni ex homine, & leo è leone, & illud, canem ex non cane gigni, nō aliud eſt, quàm poſt canem gigni: ſic Caſtoris occaſus gignet Pollucis ortum: viciſsimq; Pollucis ortus, Caſtoris occaſum. Atq; hæc eſt ſolutio prima antiqui elenchi per diſtinctionem entis per ſe & per accidens. Secunda eſt per diſtinctionem entis actu & potentia: unde concludit Ariſtoteles ex ente potentia, qualis eſt materia, aliquid per ſe fieri: ex actu ente vel non ente aliquid per accidens fieri, ut ex animali animal, per accidens: item ex privatione quæ actu eſt nō ens, fit aliquid per accidens: cujus diſtinctionis amplior cognitio ad primam philoſophiam remittitur: in qua prolixum caput quinti libri duodecimum, item totus liber nonus de potentia & poſsibili, nihil aliud docent, quàm logicam cauſſæ efficientis qualitatem quandam, ſicuti plenius ea ipſa de re alias à nobis in ipſo opere diſſeretur. Sed tamen quod Ariſtoteles ait materiā potentia ens eſſe & non actu, tam falſum eſt quā fuit materiam analogia ſola cognoſci. At enim dicet Ariſtoteles, unumquodque eſt id quod eſt per ſuam formam, formaque actus eſt rei: Concedo, inquam, & confiteor, ſed formam iſtam differentiamq; actum eſſe dico ejus, cujus eſt forma, & ſic Ariſtoteles materiam definit. At verò falſum eſt formam leonis, eſſe formam leoninæ materiæ, aut formam hominis eſſe formā humanæ materiæ: ſed in utroque cōpoſito & materia & forma eſt leonis, eſt hominis: materiaq; comparata formæ eſt tanquam ſubjectum, formaq; comparata materiæ eſt quaſi adjunctū. materia autem formaq; & genera & vocabula ſunt cauſſarū, non ſubjectorum, non adjunctorum. Quapropter præclara iſta diſtinctio actu & potentia (cujus ignorantiam veteribus Ariſtoteles tantopere hic objicit) non ſatis conſideratè ad geneſin phyſicarum rerum ab Ariſtotele applicata eſt; falſumq; omnino eſt quicquam fieri niſi ex eo quod actu ſit veterumq; decretum illud, ſi tamen veteres hoc modo quicquam decreverint, ex ente nihil fieri, quia jam eſſet, falſum eſt. eſſet enim aliquid, ſed non id, quod inde eſſet futurum. Gignuntur enim liberi á patre, & matre, & ex ſemine: quæ omnia actu ſunt aliquid, non id tamen quod ex iis ſit futurum. Sed de materia ariſtotelea pauló póſt accuratius. Quāobrem duplex iſta cauſſæ efficientis differentia, per ſe per accidens, actu potentia, eſt illa quidem vera & logica: at neque verè neque logicè ad veteres phyſicos, atque imprimis ad magiſtrum Platonem ignorantiæ arguendum ab Ariſtotele inducta.

IN CAP. IX.

Ut verò ignoraverint phyſici veteres materiam eſſe non ens actu, ens autem potentia: quid tum? ignoranda ignoraverint: quæ & Ariſtoteli præſtitiſſet ſimiliter ignoraſſe. Quid ſequitur? Plato deinde toto capite nono vellicatur, primo quod ignoraverit privationem, aut certè non ſatis explicarit. Agedum Platoni, in juſta præſertim & æqua contentione patrocinari liberale nobis honeſtumq; fuerit. Cur igitur ab Ariſtotele inceſsitur? quia fatebatur (ait Ariſtoteles) ſecundum Parmenidis ratiocinationem aliquid ex nō ente fieri, neq; privationem à materia diſtinguebat. at utrumq;, inquam, ô phyſice, falſum eſt: Primum illud é Parmenide, ſecundum è Timæo percipitur: neq; Græci interpretes id diſsimulare potuerunt. Quare faceſſant incurſiones ejuſmodi Sed tamen Ariſtoteles probat materię & privationis differentiā magnam eſſe. Ma-

eſſe. Materia eſt (ait) non ens per accidens, privatio eſt non ens per ſe: materia propemodum eſt eſſentia, privatio nullo modo eſt eſſentia, Plato autem nomine magni & parvi non ens efficit, privationem omnino prætereſt. Hæc in Platonem directa eſt petitio, quã liceat cuivis Platonem tuenti vel leni brachio repellere. Etenim mirabile ſane videatur Platonem ab Ariſtotele reprehendi vel ignorantiæ, vel negligentiæ in eo uno, in quo magiſter ille & ſcientia & diligentia longiſsimè diſcipulum ſuperarit: materiam enim, materiæq; privationẽ tam copioſè in Timæo, tamq; magnificè Plato propoſuit, ut in Ariſtotele nihil hic ſplendidum, niſi Platonicum appareat. Materia eſt non ens (ait Ariſtoteles) ſed per accidens. Cur, inquam, materia ſit ens per accidens potius, quàm forma? Materia enim ſubjectum eſt formæ permanẽs, ideoq; & tẽpore & natura prior, & ut forma ens actu appellatur, quia ſit in rerum natura, ſic & materia ens actu dicenda eſt, Materia eſt propemodum eſſentia. Cur (inquam) non omnino, ut forma? materia enim ſubjectum eſt, ut dixi. Sed tamen Plato in principiis privationem prætereſt. ſane: nec inter genera principiorum cauſſarumq; numeravit, neq; de nõ ente per ſe omninoq;, ut Ariſtoteles loquitur, non ente, omnium entium generandorum principium numerare debuit: neq; aliud eſt Platonem reprehendi, quod phyſicam privationem, quam quod phyſicam ignorãtiam ignorarit. Plato in principiis phyſicis δυάδα dualitatẽ magni & parvi pro materia ſeparatim, deinde alterum pro effectrice cauſa ſtatuit: trinitatem igitur longe diverſam ab Ariſtotelis trinitate efficit, quia privationem prætereſt. Verùm, inquam, præterit, neque principium, uti dixi, naturalium rerũ nihilũ efficit. Quapropter quis iſtas phyſici noſtri delitias ferat? continuatur tamen: deinde ab Ariſtotele differẽtia materiæ & privationis, quia materia permanens συναιτία τῇ μορφῇ, tanquam diceres concauſſa, forma velut mater: privatio autem, maleficium ejus diligenter intuenti οὐδὲ εἶναι τὸ παράπαν, nihil omnino eſſe videatur: forma eſt res quædam divina, bona, expetenda, quamq; ideo materia ſuapte natura tanquam fœmina marem appetat atq; deſideret. Itaq; ſi materia & privatio nõ differrent, privatio appeteret formam, id eſt, ſui perniciem atq; interitũ, φθαρτικὰ γὰρ ἀλλήλων τὰ ἐναντία: Corruptiva enim ſui ſunt inter ſe contraria. Hæc in Platonem contorta tela ſunt: at è pharetra Platonis accepta. Comparationes enim iſtæ inſignes, quod materia ſit συναιτία formæ, quod tanquã mater, quod forma res divina ſit, ideoq; materia formam tanquã fœmina marẽ expetat, totæ ſunt Platonicæ: tãtum abeſt, ut Plato privationem ignorarit. At privatio principium phyſicum à Platone nuſquã efficitur: Verũ eſt, Plato tale ſomniũ neq; ſomniavit, neq; verò, niſi plane delirare vellet, ſomniare debuit, ut dixi. Etenim Ariſtotelis ingeniũ prorſus eſt hoc ipſo loco ſingulare atq; mirabile, cùm materiæ ὄρεξιν καὶ ἔφεσιν appetitũ & deſideriũ formarum tribuit, neq; hic alterã ἐναντίωσιν multò veriorem (ſi quid ἐναντίωσις huc afferret) agnoſcit, ex appetitu alienæ formæ, velut odio præſentis: quam è cõmentitia privatione advenientis formæ. Erat enim multò congruẽtius & luculentius principium conſtituere ex re vera atq; affirmata, quæq; ineſſet, quàm ex illa per ſe omninoq; non ente privatione rem incredibilẽ fabulari. Sed per Deum immortalẽ naturæ univerſæ, qua de agimus, opificem philoſophia Ariſtotelis jam verior & ſolidior Alexandrum conſoletur. Quod enim & quam ſingulare axioma ad totam illam privationis fabulam explodendum nobis exhibuit? Antea fundamentum fuit privationis inſtituẽdæ & ſtabiliendæ, falſum illud & abſurdum axioma, γεννητικὰ ἄρα ἀλλήλων ἐναντία, effectiva ſui inter ſe ſunt cõtraria. Etenim totis quinq; capitibus nihil ferè, niſi principatus privationis ſtabilitur: veteres phyſici deniq;, & magiſter Plato ignorantiæ arguitur, quod beatã illam privationẽ aut neſcierit, aut prætereſit, aut nõ ſatis ſplẽdide exornarit. Tot millia hominũ tot ſeculis in Ariſtotelis ſchola conſeneſcentium iſtud nihili & omnino & per ſe non entis principium, magna meliorum ſtudiorum privatione attoniti ſuſpiciunt. At jam Ariſtoteli gratia magna debeatur ac perſolvatur, qui tandem veritatis inſtituendæ & ſtabiliẽdæ præclarum & prævalidum axioma præbuerit. φθαρτικὰ ἄρα ἀλλήλων ἐναντία,

ἐναντία,Corruptiva ſunt ſui inter ſe contraria. Quid tum? Contraria igitur non é contrariis gignuntur, ſed à contrariis corrumpuntur: at privatio eſt contraria formæ, aſſumit Ariſtoteles. Itaque etiam concludit Ariſtoteles idem. Ergo privatio κακοποιὸς malefica formæ ſuapté natura divinæ, bonæ, expetendæ (ſic enim Ariſtoteles θεῖον, ἀγαθὸν, ἐφετὸν hic appellat) inimica eſt atque contraria, quippe ex ſeſe mala, fugienda, execranda. Quapropter ſi cõtrarietas in principiis phyſicis locum eſſet habitura, haberet potius appetitus novæ formæ, & ſtatus ingeneratæ quàm privatio advenientis ejuſdem & informatio. At ἐναντιώσει, vel appetitus, vel privationis ad interitum tantúm, ad ortum nil attinet: falſumq́ axioma illud eſt γεννητικὰ γὰρ ἀλλήλων ἐναντία. verum autem eſt, φθαρτικά ἐστιν ἀλλήλων ἐναντία. Neque huc per ſe & per accidens diſtinctio ulla revocetur, quandoquidem præter omnia jam diſputata, leges Ariſtotelis illæ nobis juratæ ſancitæ que in præceptis artis non modo nihil per accidens, ſed ne κατὰ παντὸς quidem, aut καθ᾽ αὑτὸ, niſi etiam καθ᾽ ὅλου πρῶτον admiſſuræ ſint. Sed quid hic tantopere laboramus? Ariſtoteles ipſe ad finem 1. cap. 2. phyſ. totum hoc privationis inſomnium penitus é rebus phyſicis exterminabit. Verum à privatione iſta ſecedamus, ne nos meliorum rerum fructu privet amplius. Quid igitur in hoc capite reliquum eſt? Diſſeritur à philoſopho materiæ æternitas, quod quatenus ſubjicitur, ſecundum hoc gignatur, & corrumpatur: ſic enim in Græco κατ᾽ αὐτὸ ſecundum hoc, non καθ᾽ αὑτὸ per ſe legendum eſt. Ex ſeſe autem & ſua vi ſit ἀγέννητος, ἄφθαρτος: neque generabilis, neque corrupnbilis: quia ſi gigneretur, ex alia materia gigneretur: ſi corrumperetur, in aliam materiam corrumperetur. Itaque genita eſſet, antequam gigneretur: & poſteaquam corrupta eſſet, iterum corrumperetur: quod utrumq́ abſurdum ſit. Itaque eſt æterna. Sic Ariſtoteles de materiæ æternitate cum Platone argumentatur. Plato enim materiam etiam ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον affirmavit in Timæo, & ſimilibus poſtea ſophiſmatis de motus, temporis, mundique æternitate toto octavo phyſico argumẽtatur. at tum reſpondebitur illis argumentis: præſentibus modo reſpondeatur. Materiã igitur Ariſtoteles gigni per accidens aut corrumpi, dicat ſi lubet, ratione non ſolum privationis, ſed formæ, ſed quantitatis, ſed qualitatis, cujuslibet deniq́ accidentis: per ſe autem neq́ gigni neq́ corrumpi equidem valde ac vehementer inficior: neque tamen ſcholaſtica diſtinctione ulla hic abutor quod aliud ſit creare aliud generare (ut ſcholaſtici theologi loquuntur) mundum creatum ex nihilo divinitus, generatum autem nequaquam. Verborum commentum extra ſcholas inauditũ valere ſino: phyſica Ariſtotelis adverſus Ariſtotelẽ contentus ſum, phyſicisq́ argumentis duntaxat uti inſtituo. Etenim ſi materia gigneretur (ait phyſicus) ex alia materia gigneretur, quæ cùm loquitur, phyſicè debuit loqui: & ſic intelligere. Si materia phyſica gigneretur, gigneretur ex alia materia phyſica. Cur, inquam. Connexi enim conſequẽtiam probari & demonſtrari velim: quia (ait Ariſtoteles) materia, eſt ſubjectum primum, ex quo inſito ſit aliquid non ſecundum accidens, & ſi corrumpatur aliquid, in hoc abibit ultimum. Erit, inquam, materiæ definitio iſta vera, ſi de logica materia intelligatur. Per hãc enim intelligimus quod ſit ex hac primum ſubjecta fieri: tum ſi corrumpatur facti entis forma, ultimam denique materiam ſupereſſe. Sic é logicis definitionibus intelligimus quid forma, quid finis, quid adverſum quid relatũ, quid genus, & cętera logica. Id, inquã, totũ logicum eſt, phyſici generis nihil eſt propriũ. Sed tamẽ dicat Ariſtoteles, ſi phyſica materia gignatur, gignetur ex alia phyſica materia: item ſi materia corrumperetur, in aliam materiã corrumperetur. Id enim pernegabo, neq́ jã conſenſum phyſicorũ & concurſum verebor, qui dicãt ex nihilo nihil fieri, eoq́ Ariſtoteles clypeo ſeſe tueatur. Id enim axioma falſum eſt, ejusq́ falſitatem maximo é phyſica Ariſtotelis & illuſtriſſimo exemplo convinco. Reſpondeat igitur Ariſtoteles ſimili contra Ariſtotelem argumento. Si forma phyſica gigneretur, ab alia phyſica forma gigneretur: de mente hominis nihil hic loquor, quã Ariſtoteles nominatim ꝓfitetur extrinſecus advenire, neq́ putat ab humana mente gigni, de phyſicis formis, & entiũ

phyſico-

phyſicorum loquor: deque iis Ariſtotelem in libris de cælo, tanquam cæleſtem prophetam aliquem audio. De ſummo enim Deo ita vaticinatur, *ἐκεῖθεν τοῖς πᾶσι τὸ εἶναί τε καὶ ζῆν, τοῖς μὲν τρανώτερον, τοῖς δὲ ἀμυδρότερον*. univerſis (ait rebus) & eſſe & vivere illinc attribuitur: aliis quidẽ manifeſtius, aliis autem obſcurius. eademq; de cauſſa pauló antè forma *θεῖον ἀγαθὸν ἄριστον* dicta eſt, atque hoc idem multó etiam magnificentius metaphyſicæ ſcholæ loquentur, ſecundum Ariſtotelem formas ex nihilo divinitus creari inſtar momentorum. En igitur philoſophum ſplendidum & illuſtrem, à divino rerum opifice non modo in viventibus vitæ, ſed in omnibus omnino entibus eſſentiæ cauſſam principiumq; repetentem: ut omnis omniũ entium naturaliũ forma, materiæ præcultæ ac præparatæ divinitus inſpiretur. Neq; *κρᾶσιν* temperamentoq; ſubjectæ materiæ formarum creatio expreſſioq; tribui poteſt: Ut nec citharæ quamlibet egregio, idoneóque artificio compoſitæ fabrica ſtructuraq; harmoniam velut animam queat efficere, ſed citharœdus fidibus canendo eam creet neceſſe eſt. Neque juſtum verumq; id ſit quod deterius eſt, melioris cauſſam ſtatui: formam porro quibuſvis formæ inſtrumentis præſtare. Quapropter formæ ſunt ex opificio ſummi Dei. Hæc Joannes Grammaticus Philoponus argumenta perſpexit, concluſitq;. Si formæ è nihilo fiant à Deo, materiam quoque ab eodem opifice ex nihilo creari poſſe. Verùm alio ex ejuſdem Ariſtotelis phyſica firmiore argumento theſim eandem premo urgeoq;. Etenim ſeptimo capite 3. de cælo axioma longe præſtantius inſtituitur: *δεῖ γὰρ ἴσως τῶν μὲν αἰσθητῶν αἰσθητὰς ἀρχάς, τῶν δὲ ἀϊδίων ἀϊδίους, τῶν δὲ φθαρτῶν φθαρτὰς εἶναι τὰς ἀρχάς, ὅλως δὲ ὁμογενεῖς τοῖς ὑποκειμένοις.* Neceſſe enim fortaſſe fuerit ſenſibilium ſenſibilia principia, æternorum æterna, corruptibiliũ corruptibilia eſſe principia, omninoq; homogenea ſubjectis. Hæc verè Ariſtoteles philoſophatur, nam ſi partes totũ cõſtituentes ſint æternę, æterna erunt ipſa tota: ſi caducæ, caduca. Aſſumatur igitur vel è præſentis capitis fine. At res phyſicæ ſunt corruptibiles, & phyſica tales tantùm formas cõſiderat. Concludatur igitur ſyllogiſmus totus.

Res corruptibiles habent corruptibilia principia. Res phyſicæ ſunt corruptibiles: habẽt igitur corruptibilia principia. De formis nõ dubitat Ariſtoteles, quin affirmat per ſe omnino & gigni & corrumpi, neque item dubitare quidquam debuit, quin per ſe omninoq; & materia gigneretur corrumpereturq;. Enimveró materiæ æternitas è tota Ariſtotelis in hoc primo libro phyſica cõſideretur accuratius: materiam Ariſtotelis primam non æternam; ſed quod multó longeq; majus eſt ad totam hãc quæſtionem terminandum, nullam prorſus in phyſicis rebus materiam eſſe dico. Etenim phyſice præſtantiſſime (te enim de materia differentem attentè & accuratè conſideravi) quamnam materiam phyſicam nobis interpretaris? Ais 7. c. 3. de cælo, *τέλος δὲ τῆς φυσικῆς τὸ φαινόμενον ἀεὶ κυρίως κατὰ τὴν αἴσθησιν.* Finis autẽ eſt phyſicæ quod propriè ſecundum ſenſum appareat: ais deniq; per totam phyſicam phyſico propoſitum eſſe, *σῶμα ἁπτὸν* corpus tangibile tactuque tractabile, manuque palpabile: Secundo libro diſputas phyſicum à mathematico differre: quod mathematicus abſtrahat quæ mentè contempletur, phyſicus nihil abſtrahat, ne definitione quidem, poſtremo phyſicum nullum, niſi oculatum, niſi auritum, uno tactus organo ſemper inſtructum, nequè jam ſolum ratione, ſed ſenſu & ſenſuum quidem craſſiſſimo ſenſu res ſibi ſubjectas definientem, partiẽtem, concludentem. hæc igitur propoſitio noſtri ſyllogiſmi ſic Ariſtotelis authoritate fundata ſit. aſſumamus ab eodẽ philoſopho & partem alterã. Quid igitur, Qualem materiã interpretatur Ariſtoteles? *ἄμορφον, ἀειδῆ, ἄποιον, ἀναίσθητον*, ſine forma, ſine ſpecie, ſine qualitate, inſenſibilẽ. Imò veró vix *ἐπιγνωστὴν κατ' ἀναλογίαν* proportione & ſimilitudine comprehẽſibilem. Quamobrem ſyllogiſmus totus cõcludatur. Res phyſico propoſita eſt ſenſibilis, materia prima non eſt ſenſibilis: non igitur phyſico propoſita. Tum veró addatur & illud è 1. cap. 4. phyſici. *ἔτι δὲ τὰ μὲν τῶν αἰσθητῶν σωμάτων στοιχεῖα σώματα.* Sũt veró ſenſibiliũ corporũ elementa corpora. Res aũt phyſica corpus eſt: elementa igiť ipſius erũt corpora: materiaq; ideo erit corporea & ſenſibilis. Sed enim fabulas iſtas penit' explodam': Age igiť,

coroľ

corollarium (ſi placet) addatur: Omnia rerum phyſicarum genera ſubducãtur, cælum, ignis, aër, aqua, terra, ſydera, meteora, lapides, metalla, herbæ, plantæ, arbores, aves, piſces, pecudes, homines: in nulla prorſus mundi parte talem corporis phyſici materiam deprehendemus, crucem igitur phyſicæ doctrinæ ſtudioſis erectam graviſſima veriſſimaq; tot rationum veritate affligamus, diſturbemus, atq; in æternum conteramus: Alexandrumq; veriſſima cõſolatione conſolemur, nec interea tamẽ vereamur ne octoginta talenta repetat, conduplicabit enim potius præmium, ſi doctrinæ fructum ampliorem perceperit. At veró nos ipſi Alexandri ſimus, nobis ipſi gratulemur, cũ nos graviſſimis erroribus liberatos videamus, noſq; ſentiamus illuſos tota diſputatione de materia, multoq; etiam impenſius illuſos, cùm materies iſta commentitia, quæ nuſquam ſit, etiam æterna, neq; generabilis neq; corruptibilis efficitur. Certè neque generabilem, neque corruptibilem eſſe confiteor, ſicuti nihilum neque generabile, neque corruptibile eſſe concedo: quia nihil eſt: æternam tamen propterea materiam atque immortalem eſſe, neque confiteor neque concedo. Itaque operæpretium ſit phyſicum noſtrum demirari, qui mordicus tueatur iſtud, Ex nihilo nihil fieri, & tamen duplici in phyſica nihilo materiæ primæ & privationis, totam univerſi mundi naturam machinetur & conſtruat. Verumtamen de primo nihilo privationis, deque altero nihilo materiæ ſatis ſuperque diſputatum eſto. Quid eſt igitur iſto capite reliquum? Ariſtoteles de privatione plurima, de materia prima non tam multa, de forma pauciſſima diſſeruit: de efficiente, deque fine nominatim nihil: ternarius ariſtoteleorum principiorũ nominatim non expreſſit duo hęc genera. Plato εἶδος appellarat ſpeciẽ, vel ideam, vel formam illam divinam opificem rerum. περὶ τῆς κατὰ τὸ εἶδος ἀρχῆς, de principio ſecundum ſpeciem (ait Ariſtoteles) accuratius definire ad primam philoſophiam attinet: de formis corruptibilibus ſolum in phyſica deinceps agemus. Verumenimvero princeps illa & primaria cauſſa ab Ariſtotele ipſo in phyſica libro præcipuè octavo, & in libris de cælo, repetita ſubinde eſt & celebrata copioſius, quám in illa prima philoſophia. Nam de quatuordecim libris philoſophiæ primæ, quinque tantùm capita duodecimi libri, & ea quidem non tota primam iſtam ſpeciem proponũt, neque ferè quicquam proponunt, niſi de phyſicis iſtis repetitum. Quare quid de Ariſtotelis ingenio tam ancipiti, tamque verſatili judicandum ſit, malo equidem in aliorum libertate atque arbitrio relinquere, quám odioſum auribus cujuſquam moleſtum've pronuntiare. Ingenium ſanè fœcundum, multiplicis variæque ſapiẽtiæ plenum ſuſpicio: quod velut exercẽdi ſui gratia εἰς ἑκάτερον tam mirificè moveatur: nec ideo ſit uno aliquo articulo metiendum, comparandæ ex omnibus locis variæ hominis ſententiæ á Meliſſo, Parmenide, Pythagora, Empedocle, Anaxagora, Zenone, Democrito, Leucippo magnis laboribus collectæ, talentaque octoginta meritæ, ſed tamen collectæ magis, quám judicatæ: ideoq; ad Ariſtotelis leges catholicas referendæ. Philoſophum hunc velut equum generoſum quidẽ, ſed acrem atque alacrem animadverto: legibus igitur illis tanquam frenis cohibẽdum. Toto primo libro exagitatur unitas Meliſsi Parmenidiſq;, mens Anaxagoræ deridetur, ſpecies Platonis & idea alió rejicitur, id eſt, Deus é mundo tollitur, nec omnino Dei nomen in tota octo librorum acroaſi ab Ariſtotele nominatur. At philoſophus idem alias nihil magis admiratur ac veneratur, id eſt, Deũ non Parmenideum, vel Anaxagoreum, vel Platonicum, ſed ariſtoteleum in phyſica eſſe voluit. Nos igitur phyſicum iſtum Deum non ſolùm Parmenideum, Anaxagoreum, Platonicum, ſed etiam Ariſtoteleum, imó verò, ut optimum maximumque rerum omnium parentem in Phyſica ſynceris animis agnoſcemus, & colemus. Ariſtoteles elementa Parmenidis duo, quatuor Empedoclis: homœomera Anaxagoræ vexavit libro primo: locis aliis collaudat, id eſt, talem materiam in phyſica non Parmenideam, non Empedocleam, non Anaxagoream, ſed Ariſtoteleam eſſe voluit. Nos igitur etiam hanc materiam, & Parmenideam, & Empedocleam, & Anaxagoream, & Ariſtoteleam complectemur, ſed ca-

ſed catholicis Ariſtot. legibus regemus: hîc ſecundus fructus erit. Ariſtot. cum Platone formam rerum phyſicarū quiddam bonum, expetendū, divinū agnovit. Plato etiam Deum ipſum opificem perſpicuè & luculenter effecit. Formas igitur phyſicas à Platone & Ariſtotele divinitùs in generatas agnoſcemus. Ariſtoteles duplex nihilū in phyſica complexus eſt, alterum privationis, alterum materiæ primæ, nihilum hoc utrumque nihili faciemus: Ariſtotelē deniq; Ariſtotelis virtutibus & legibus metiemur.

Finis primi libri.

P. RAMI SCHOLARVM PHYSICARUM LIBER SEcundus.

IN CAPUT I.

PRimus liber logicam materiæ & formę doctrinam diſputavit: ſecundus repetit eandem logicā, tautologia mirabili. Atq; ad hunc elenchum excuſandum, ex interpretibus, alii dicunt actum eſſe libro ſuperiore de principijs rerum phyſicarū: ſecundo agi de principijs ſcientiæ naturalis, quo nihil poteſt eſſe pictius: alii actum priore libro præcipuè de materia, ſecundo agi de forma. par eſt elegātia ſuperiori. Revera autem de cauſſarū generibus & modis toto libro agitur. hæc igitur ad libri confuſionē illuſtrandum, bipertita diſtributio nobis erit. De generibus cauſſarū tria ferè capita tota ſunt. Primo igit. capite, nomine naturę, tria cauſſarum genera, efficiens, materia, forma proponuntur. Quatuor enim ſignificationes Naturæ declarātur, quarum tres primæ, ſunt tria cauſſarum genera, efficiens, materia, forma: quibus additur generatio. Atq; hæ ſignificationes ſunt omnes in philoſophia 4. cap. lib. 5. quibus additur eſſentia naturā entium, quæ res eſt phyſica & compoſita, ut natura ſignificet etiā corpus naturale, materia, formaq; comprehēſum. Sic igitur, per ſpeciem Naturæ & nomen, de cauſſis phyſicus philoſophatur. Atq; ad occaſionem primæ ſignificationis, partitio inducitur, quòd entia alia ſint natura, alia non natura: natura dicuntur eſſe elementa, plantæ, animātes, cæteræq; phyſicæ eſſentiæ: non natura, ſunt entia artificialia, ut lectica, veſtis. At, inquam, in phyſicis lex καθ' αὑτὸ, nihil niſi phyſicum eſſe patietur: nec Ariſtoteles in phyſicis hanc alteram diviſionis hujus partem perſequetur. Hanc tam ineptam diviſionē ſubſequitur prima ſignificatio & definitio Naturæ. Natura, eſt principium & cauſſa motus & quietis, in quo ineſt primùm, per ſe, & non ſecundum accidens. hęc prima eſt apud Ariſtotelē Naturæ ſignificatio & definitiò, ex effectis inſtituta. neq; omnino aliter Natura toris poſtea phyſicis definietur. In hac tamen definitione, principium motus ad rem tantùm facit: cætera ſunt ſupervacua. Nam quietis ratio hic nulla eſt neceſſaria, cùm facultas eadē ſit contrariorum. ut, quæ eſt facultas loquēdi, & tacendi eadem eſt. Reliqua ad differentiam artificialium temerè adhibita ſunt. Illud enim (in quo ineſt) quid propriè neceſsitatis habeat, horologia ſiquidem & αὐτόματα habent ex arte principium ſui motus in ſe ipſis, quatenus artificialia ſunt: & cum artificium defierit, definet artificioſus motus. Nec, quia naturam ars imitatur, nullus eſt artis motus, falſoq; definirentur artes loquendi, dicendi, diſſerendi, numerandi, metiendi, canēdi, medēdi, niſi in ſe ipſis haberent artifices, artis beneficio atque auxilio, facultatem talis motus & effectus. Quin Ariſtoteles ipſe in philoſophia δύναμιν, potentiam & facultatem præcipue artibus attribuit. Sed Ariſtotelis hinc natus eſt error; motū ſoli phyſicæ rei tribuentis, cum κίνησις καὶ ποίησις, motus & effectus, ſit prorſus idem, etiā in his Ariſtotelis libris, ut tertio libro præcipuè convincetur. Vacat etiam in eadem prima ſignificatione (Primum) quia lex καθ' ὅλου πρῶτον, nil in arte recipit, niſi quod inſit primum. Per ſe autem, nò per accidens, in definitione item ridiculum eſt. Poſsit enim in omnib. definitionibus differentia *per ſe, non per accidens*, ſimiliter adjungi, cum tamen lex καθ' αὑτὸ, generaliter & ſemel imperet, ne decretū ullum ſit in arte per accidēs, ſed

per ſe tantùm. Tùm verò etiam primò complectebatur reliquam differentiam per ſe & non per accidens: ut eſt 4. cap. 1. Poſt. Quamobrem tota hæc in Naturæ vel definitione vel ſignificatione *Quietis, in quo ineſt primum per ſe, & non ſecundum accidens*, ridicula ſunt & inepta: & tamen hæc definitio (quę pro univerſę totiuſq; naturæ definitiōe vulgó ſumitur) non omni naturæ & cauſſæ, ſed efficienti tantum moventiq; convenit: materiæ non convenit: formæ, quatenus forma eſt, non convenit: fini non convenit. quæ ſingula è ſuis poſtea ſignificationibus & definitionibus percipiētur. Sequitur, *habere naturam*: pro eodem quod *eſſe natura*. Verba hic tātùm ſunt, res phyſica nulla. item *ſecundum naturam eſſe, ut per ſe accidentia*: ubi etiam verba tātùm ſunt. Nam quæ ſecundum naturam fiunt, etiam Ariſtoteli ipſi dicuntur ſecūdum naturam entia, ut 9. cap. 2. phyſ. Sequitur præcipuè ex toto capite, imò ex tota acroaſi phyſica, animadvertēda digreſſio in fatuum phyſicū, qui demōſtraret, Naturā eſſe, quia res per ſe claras rebus dubiis obſcuraret, *καὶ ὥσπερ τυφλὸς περὶ χρωμάτων συλλογίζοιτο*, ac tanquā cæcus de coloribus ratiocinaretur. Etenim in tota acroaſi phyſica, Ariſtoteles diſputās de logicis rebus, non ſolùm phyſicorū entium, ſed quorumlibet & entium & non entium communibus, quæ per ſe claræ manifeſtæque ſunt logico ad phyſicas artes venienti: Ariſtoteles, inquā, diſputans de talibus principiis per ſe claris & manifeſtis, pee argumenta rerum obſcuriſſima, quid aliud quàm cęcus de coloribus judicat? Quapropter ingentis beneficii gratia Ariſtoteli debeatur, qui cæcitatē mentis phyſico objicit, à quo res pee ſe clara, rebus minimè perſpicuis doceatur. Verùm perge. Sequitur altera Naturæ ſignificatio. Primum inſitū unicuiq; *ἀῤῥύθμιστον* incompoſitum per ſe ipſum. Quæ definitio & ſi rudior eſt, quia *incompoſitum & per ſe*, nihil ſunt neceſſaria ad iſtius ſignificationis eſſentiam & explicationem: tamen materiam illam primam planè ſignificant, quæ primo libro declarata eſt, & *ἀῤῥύθμιστον* iam nunc eſt illud *ἄμορφον, ἀνάρμοστον, ἀσχημάτιστον, ἄποιον, ἄμορφον, ἀειδές*. Tautologia igitur inanis eſt, & quidē ſupervacuis reb. cumulata, quia materia perfectè definitur, Cauſſa ex quā res eſt: ut perſæpe ab Ariſtotele definitur. Quare *primum, & incompoſitum & per ſe*, inania ſunt. Atq; huic materiæ definitioni, ſi qs volet illam primā Naturę definitionē, tanquam ſpeciali generalē, accōmodare: cōparet, ſemotis nominibus, & cōjungat definitiones hoc modo, Materia eſt principium motus & quietis, in quo ineſt primū, per ſe, & non pee accidēs primum inſitum unicuiq;, incompoſitum, per ſe: ſentiet elēchum ſtupidum. Quid tum poſtea? Sequitur tertia ſignificatio Naturę, forma & ſpecies, quā dicimus definiendo quid eſt. hæc logicæ forma eſt proprietas. forma enim, eſt cauſſa per quā res eſt id quod eſt, unde diſtinguitur á cæteris rebus. Eadem tautologia eſt quæ priùs: logicam formam, etiam priore libro propoſitam, pro phyſica repetere. Addit Ariſtoteles ſpeciem hanc non eſſe ſeparabilē: ut formas phyſicas intelligamus, quas in fine libri ſuperioris corruptibiles dixit eſſe. tautologia eſt altera de hoc genere. Addit & illud, formam magis eſſe naturam quàm materiam, quia forma ſit *ἐντελέχεια*, actꝰ: materia autē, *δύναμις*, potentiā. Et illud mirum eſt, quod in philoſophia ait nomine naturæ propriè ſignificari formā, cætera *μεταφορικῶς*. attamē 7. c. 1. phyſ. Ariſtoteles ait materiā eſſe magis hoc aliquid: & revera materia eſt ſubjectū formæ, & corrupta forma, tanquā accidente aliquo, incorrupta (ut putat Ariſtot.) permanet. denique ſi materia & forma ſunt ſpecies naturæ & cauſſæ, nō magis huic quàm illi genus communicatur. Tandem quarta Naturæ ſignificatio aſcribitur: Præterea autem natura, quę dicitur ut generatio, via eſt ad naturam. hęc ſignificatio in philoſophia proponitur: & à *φύω*, id eſt, gen..:o & produco; jam nihil tā propriè ſignificat, quàm *φύσις*, tametſi minimè omniū ſit uſitata talis ſignificatio. Natura igitur appellata eſt cauſſa, & efficiens, & materialis, & formalis: tandem etiam appellatur *γένεσις*, generatio, quæ ſpeciem motus, vel potius omnem motum effectumq; hîc ſignificat, ut ſignificat initio 7. cap. 1. phyſ. Atque hæc de naturæ ac *φύσεως* ſignificationibus quatuor: unde tamen nulla ſignificatio cōmunis & generalis accipi poteſt, qua natura & naturalis philo-

philoſophia definiatur. Ad extremum etiam forma dupliciter dicitur, quia privatio ſit etiam ſpecies & forma quædam: quod ipſa privatione incredibilius etiam commentum eſt. Privatio per ſe nihil eſt: forma, vel ſola vel præcipua natura eſt: & tamen privatio quædam, forma hic efficitur. Addubitat deniq; Ariſtoteles, utrum in ſimplici eſſentiarum ortu ſit privatio & contrarium, idque rejicit in quintum phyſicum, & in ſecundum librum de generatione: quibus in locis, affirmabit eſſentiæ nihil eſſe contrarium: nec ideo privationẽ eſſe ullam. hæc tamen eſt contrarietas ſuperiore libro tantopere diſputata. Et veró hęc dubitatio valde Ariſtoteleũ ingenium depingit. Ariſtoteles pené primum librũ conſumpſit, ut privationem faceret rerũ naturalium, id eſt, eſſentiarum principium, in eoq; tam magnificé, de ſuo iſto privationis commento ſenſit, ut imperitiam & ignorantiam phyſicis omnibus, etiam magiſtro Platoni, propterea objecerit: & tamen hic addubitat, an ſit aliqua privatio in generatione eſſentiarum: imó veró poſtea confirmat nullam prorſus eſſe. Quid igitur de Ariſtotele ſentias, qui privationem, tanquam filiolam chariſsimam antea ſic amplexatus & oſculatus erat, ut é ſinu deponere non poſſet & tamen hic jam faſtidire ac dedignari incipit: neque póſt unquam, ut rei naturalis principium, appellabit? Eant igitur jam nunc Alexandri & Simplicij: privationemq; Ariſtoteleam pertinaciter tueantur, hanc retineant, cúm Ariſtoteles ipſe ſic aſpernetur, ſic é phyſico regno exterminet.

IN CAP. II.

Capitis ſecundi partes duæ ſunt. prima, diſputatur differẽtia mathematici á phyſico: ſecunda, ꝙ ſit phyſici, materiam, formam, finemq; cõſiderare: Prolepſis igitur initio eſt gemina. Primúm, cúm mathematicus & phyſicus cõſiderent puncta, lineas, plana, ſolidaq;: quomodo differunt? deinde utrum aſtrologia ſit diverſa, an pars phyſicæ: cúm phyſicus conſideret aſtrorum & mundi naturam figuraſq;? Hæc prolepſis eſt utraq;: ſolutio primæ primó ſequitur, ꝙ mathematicus cõſideret figuras mente abſtractas á motu & materia ſenſibili: ſed phyſicus, res phyſicas conſideret cum materia ſenſibili cõjunctas, ut é definitionibus utriuſq; generis apparet. In quo Ariſtoteles, rem quidem magnam videtur dicere, cúm tamẽ novi nihil dicat. Hæc enim differentia geometræ & phyſici, tã inepta eſt, quám eſſet logici & phyſici de cauſſis & oppoſitis. Nam ſi phyſicus conſideret cauſſarum & oppoſitorum ſpecies in phyſicis rebus, conſiderabit ut Logicus: perinde omnino atque ſi nomina & verba rerum phyſicarum declinaret, aut conjugaret, declinaret unique, & conjugaret non phyſici, ſed grammatici facultate. Sic omnino geometria docet figurarũ ſpecies & affectiones, quib. phyſicus in phyſicis rebus utitur, non tamẽ ut phyſicus, ſed ut geometra: neq; tum phyſica, ſed geometrica facultate utitur. In reliquis, quæ vulgo etiam mathemata dicuntur, aſtrologia, optica, harmonica, Ariſtoteles nutat. dubitat utrum aſtrologia ſit pars phyſicæ, neque aliter diſſolvit, quám ut aſtrologiam, opticã, harmonicam τῶν μαθημάτων φυσικώτερα, é mathematicis magis phyſica nominet: atq; ab iis geometrica quidem, ſed phyſicé conſiderari: ut geometria conſiderat magnitudines phyſicas, ſed geometricé. quæſtionemq; magis implicat, quám diſſolvit: at facillima res ſit, ſi mathematũ nomine Arithmetica tantúm, geometriaq; comprehenderent, ut revera comprehendunt. Harmonica ſonos ſpectat, eorumq; genera & differentias: optica lucidum, umbroſum, rarum, dẽſum ſibi proponit, quę qualitatum phyſicarum & ſenſibilium principes ſunt. Aſtrologia autem, non modó pars eſt phyſicæ, ſed prima ſummaq; pars: imó reliquarum omnium partium longiſsimé princeps & domina, earumq; cauſſas, principia, viciſsitudines, ortus, interitus, mutationeſq; ſuo ſinu gremioq; complexa. & quidem ut terra cæli inſtar punctum eſt quoddam, ſic phyſica, quæ dicitur, Aſtrologiæ inſtar minimũ quippiam fuerit. Sic igitur iſta quæſtio diſſolvenda eſt: & diſtinctio talis, magnam artium lucem clarumq; (ſi quando revera extiterit) eſt allatura. Ut autem exiſtat aliquando, eruditorũ præclaris artibus hominum ingenia (ut

ſpero) contendent atque elaborabunt. Nos quidẽ diſputans octo phyſicæ auſcultationis, & quatuordecim primæ philoſophię libris, magna animi alacritate, eó curſum dirigemus. Ergo matheſis ſui numeris & lineamentis latam habet differẽtiam ab Harmonica, Optica Aſtrologia, Phyſica: ſubjectis enim rebus (quæ ſingulæ interpretantur) plurimum differunt. Sed iſta comparatio, licet egregia de re, nobiſcum chariſsima, attamen iſto loco valde eſt aliena. mathematicum nihil proximé neque antèceſsit, neque ſequitur. Cœptum erat agi de cauſſis: agitur deinceps de cauſsis: ut nulla talis comparationis occaſio, ſaltẽ probabilis appareat, ad initium phyſicæ de cælo, ea theſis apnor occurriſſet. poſtremô differentia hæc á ſeipſa refellitur. Nam ſi phyſici tantùm ſit, conſiderare res ſenſiles: cur in phyſicam inducitur comparatio inſenſilium? Enimveró differentiæ ejuſmodi, infinitum in libris Ariſtotelis ſophiſma continent. Didiceris grammaticam & rhetoricam: ſcies è rebus deſinins, quæ ſit earum differenna. definitio enim, non ſolùm rem explicat quid ſit, ſed etiam definit & diſtinguit tanquam finibus & terminis, á cæteris rebus. Sed aſtrologia tum rudior érat, neque Græcis adhuc valde nota, ut poſtea patebit in libris de cœlo. & quod aſtrologia ſit pars phyſicæ, dicetur rurſum ſeptimo capite hujus libri: Sed in hac eadem comparatione, duo conſideranda inciderunt. alterum eſt, nullum éſſe mendacium mathematicorum, quãvis á ſubjectis & ſenſilibus abſtrahentium: quod ab Ariſtotelé reperitur 39. cap. 1. Priorum, 8. cap. 1. Poſteriorum, & in philoſophia, 3. cap. 13. lib. & 2. cap. 14. lib. At huic abſtractioni, ut perpetuæ magnitudinis diviſioni διεμάχετο πλάτων, ὡς ὄντι γεωμετρικῷ δόγματι, adverſabatur Plato, ut cuidam geometrarũ placito, ut eſt 7. cap. 1. Phil. Nec ſané aliter geometrès magnitudinem abſtrahit, quám Apelles colorem, ſi de colore artem cõficiat. imó veró, artium omnino omnium id eſt commune, ut res generales præceptis comprehendant, quarum tamen ſola in rebus ſingulis exempla ſint. ut etiam plenius docetur 3. cap. 13 metaphyſic. quód ſi geometres aliam magnitudinẽ abſtrahat, quám in exemplo vero & ſenſili repræſentare queat falſo abſtrahit & mentitur, quoniam cogitatio mẽtis, eſſentiæ ac veritati rerum non reſpondeat. Sed hac de re iterum tertio & ſexto phyſico diſſeretur amplius. alterum hic conſiderandum eſt de Ideis, quarum nomine Plato & Socrates perſtringuntur. de quibus tamen varia variorum locorum calumnia vexatis, idem Ariſtotelis judicium erit, quod de Meliſſo & Parmenide, deq; Anaxagora fuit. In philoſophia enim 6. c. 3. lib. & 3. c. 13. li. Plato & Socrates egregié vindicantur. Socrates quidem, ait Ariſtoteles, univerſalia ſeparabilia nõ faciebat. Sed locos omnes illos legito in dialecticis, amplius á nobis diſputatos in categoria de genere & ſpecie. Quamobrem prima pars capitis hujus ita eſt: ſecunda, poſt hanc cõparati mathematici digreſsionem, revertitur ad genera cauſſarum, quas phyſicus cõſiderare debeat: ſed eadem illa naturæ ſpecies prætexitur, tanquam de natura ageretur, non de cauſſa. Primó igitur natura dupliciter dividitur, in materiam & formã: quæ tamen primó capite quadrifariam ſecta erat. Tum veró, quid ſequitur? Phyſici eſt cõſiderare materiam formámque (ait phyſicus) primó, quia veteres phyſici cõſiderarũt utrãq;, quamvis formã parcius, ſic 1. phyſ. & 1. phil. veteres ab Ariſtotele exercentur, tanq̃ gnari materiæ rerum, ignari cæterarum cauſſarum. ſecundó, quia ars imitatrix naturæ, materiam formámque conſiderat. Eſto quid tum? Cõſiderat etiam phyſicus finem & cujus gratia? quia & ars etiam finem ſibi proponit. Fateor, inquam, at iſta cauſſa in ternario cauſſarum, primo libro prætérita eſt: prætérita eſt primo capite hujus in quatuor ſignificationibus naturæ. prætérita eſt in hoc capite in duobus generib. naturę. An veró finẽ conſiderat phyſicus, tanq̃ formam? Hic veró Ariſtoteles formam finė, aut finem potius forma comprehendit. quod apertius dicet capite ſeptimo, de trium cauſſarum concurſu in unam: At pręter ipſam rei formã finis etiam appellat uſus formatæ perfectęq; rei. Sic enim phyſicus loquitur, utimur, veluti ſint noſtri gratia, omnibus quæ ſunt. Sumus enim & nos quodãmodo finis. Dupliciter enim dicitur id cujus gratia.

gratia. Hic, Ariſtoteles finem duplicem facit: primó formam, quam cúm res adepta ſit, finita perfectaq́ dicitur: deinde uſum rei factæ. Remittit autem Ariſtoteles cognitionem duplicis finis ad philoſophiam, ubi tamen nuſquam nominatim dupliciter illud exprimitur. quinto libro, finis in principiis & cauſis conſilii & electionis numeratur, & forma item finis comprehēditur. nono etiam libro, finalis uſus ille proponitur: qui locus modó uidetur appellari: ſed illic obſcuré loquitur Ariſtoteles ἔσχατον, extremū, modó χρῆσιν, uſum, id eſt, formam & actum (ut Alexander interpretatur) modô eſſe ἔργον, opus: conſimile quiddam eſt 7. c. 12. metaphyſ. de fine, cui & cujus, ſed obſcurius etiam quám antea. Sed hæc partitio manifeſté 4. c. 2. de anima ita exprimit̃ dupliciter cujus gratia: illud quidem, cujus: at hoc, cui: Hęc Ariſtoteles, ut forma domus, eſt finis cujus gratia architectus ædificat: poſſeſsio & uſus ædificatę domus, eſt domino finis. Simplicius & Philoponus, cúm partitionem iſtam in philoſophia non invenirent, dixerunt, nomine philoſophiæ, Ethicam intelligi. Itaque Ariſtoteles fallit, fallituŕq;, dum librum alium pro alio ſumit. Philoponus tamen illud veré admonet, uſum rerum, abſolutiſsimum finem eſſe. At finis, modó qui forma dicitur, licet finis ſit cauſſæ efficienti materiam dolanti ac præparanti, non eſt tamē forma eadem finis rei formatæ ac perfectæ, tantumq́ eſt ὁμωνυμία verbi: ſpecies finis nulla nova proponitur. unaq́ definitio finis. *gratia cujus*, utrique fini ſic conſiderato convenit. de fine autem rurſus proximis capitibus. Sed tamen diſputat philoſophus, materiā, formam, finem, phyſico cognoſcendas eſſe: efficientem verô, cur obliviſcitur? Fuerat enim prima naturæ ſignificatio primo capite. Verum eſto id μνῆμα oblivionis ἁμάρτημα, quid eſt deinde? Comparatio eſt obſcurior de arte duplici, quarum altera faciat omnino materiam, poliâtve tantúm: altera, formam ſpeciemq́ perſpiciat. illa ποιητική, hæc ἀρχιτεκτονική dicitur. In phyſicis aūt, materies ineſt, quæ dicitur ad aliqd: formæ nempe varię varia eſt. Hæc diſsimilitudo, blattas Apellíconis redolet, ut comparatio proxima, quód phyſicus formam ſpeciemq́ conſiderat, quatenus medicus nervum, æs ærarius. Nihil enim admodum hic explicatur: niſi forté formas inſeparabiles & corruptibiles placet intelligi. quod etiam additur ad extremum, eas ſpecies phyſico proponi, quæ ſeparabiles quidem ſunt cogitatione, in materia tamē. Illæ nimirum corruptibiles formæ repetuntur, & tamen ſeparabiles hæ formæ, quæ tantopere iterātur, quomodo ęterno Ariſtotelis cælo, æternis Ariſtotelis elementis convenient? Separabile enim ratione Ariſtoteli nunc idem, quod corruptibile, cauſſaq́ additur, quód homo & ſol, hominem generant: quæ res ſunt phyſicæ & ſenſiles. Separabiles autem formæ, quæ re ſeparantur, ad philoſophiam primam rejiciuntur, ut in fine libri primi. Quamobrem pars altera ſecundi capitis, logicam materiæ, formæ, finis ita neceſſariam docet eſſe, elencho infinité per totam Ariſtotelis philoſophiam diſſeminato. Cognitio trium cauſſarum & reliquarum dialecticæ partium neceſſaria eſt in reliquis omnibus artibus: non ideo tamen artium reliquarum præceptis logica præcepta protinus includenda ſint. Lex illa *juſtitiæ* καθ' αὑτήν, fines artium longé ſecus regendos imperat.

IN CAP. III.

AT jam de cauſsis non alieno Naturæ nomine agitur: nō efficiens, materia, forma ſolúm, ut primo capite: nō materia, forma, finis ſolúm, ut ſecundo, neceſſariæ phyſico dicūtur: ſed ſuo & proprio cauſſarum nomine, tota quatuor genera, efficientes, materiæ, formæ, finis phyſico conſideranda ſunt (ait Ariſtoteles) quia hinc cognitio ſciētiaq́ rerum eſt. Concedo, inquam. ſic primo capite primi libri, ais á cauſsis incipiendum, quia hinc eſt omnis cognitio: ſic primo capite ſecundi, proponuntur efficiens, materia, forma phyſico: ſic ultima parte ſecūdi capitis proximi, ꝓponitur materia, forma, finis phyſico. Verumtamen quouſque nos elenchus iſte fatigabit? uſus cauſſarum per totam phyſicā ſicuti per aliā quamvis diſciplinā ſummus eſt, ut hic coactus repeto. At doctrina cauſſarum, logicæ artis unius eſt: neque aliter efficiens, materia, forma, finis

hic definitur, quâm definitur in logicis. quid uero eſt leges & καθ' αὑτὸ & καθ' ὅλου πρῶτον violare, quid eſt logica phyſicé, generalia in ſpeciali arte cōfundere, putidaq́; tautologia iterum iterúmque repetere, niſi hoc eſt? Sed ſatis de prima ſecundi libri parte in cauſſarum generibus: ſequitur libri pars altera de modis cauſſarum: qui ab Ariſtotele complures deſcripti ſunt admodum inconſtanter & varié. Primó enim, modi decem dividuntur, quód é cauſsis homogeneis, alia dicitur prior, alia poſterior: alia per ſe, alia per accidens, eáque remotior vel propinquior: alia potentia, alia actu: alia ſimplex, alia compoſita. Partitiones iſtæ leviculæ ſunt admodum, & ab authore etiam hîc improbatæ. Itaque modi decem ad ſex etiam nōnihil variatos revocātur, quód é cauſsis alia ſit ſpecialis, alia generalis, alia accidens, alia genus accidentis: alia ſimplex, alia compoſita: quæ ſingulæ deinde dividuntur actu & potentia. Ita pro decem illis modis, fiunt duodecim. At γενναιότατε philoſophorum omnium philoſophe, quam nam logicam in phyſica nunc adhibes? Rem alienam tractas, logicam in phyſica: non eſt ſatis. repetis differentiam veteribus phyſicis ſuperiore libro exprobratam: per ſe, per accidens: actu, potentia. Deinde é modis primis decē, cur prior, poſterior: per ſe, per accidēs: remotior, propinquior indidem tollūtur? utrū minus generales ſunt, quâm accidēs & genus accidentis? Si ſophiſtici, & fallaces, cur abs te propoſiti? an ut te ipſum ſophiſticum & fallacem probares? Quare nulla legū ariſtotelearū, partitiōes tam leves & incōſtantes tolerare poterit.

IN CAP. IIII.

TRia proxima capita, ſpeciem item, aut nomē Naturę nequaquā comminiſcuntur: ſed aperté loquuntur circumſtantiam cauſſæ efficiētis, nec eam tamen integram. Circumſtantia eſt efficiēntis cauſſæ, efficere per ſe vel per accidens: per ſe, τὸ ἀφωρισμένον ἕνεκα τοῦ ἢ κατὰ προαίρεσιν, ἢ κατὰ φύσιν· definitū gratia alicujus aut conſilio, aut natura. In utriſq́; enim, per ſe & gratia alicujus, Ariſtoteles conſilium & naturam ſtatuit quinto & ſexto capitibus, ut aliás ſæpe. Per accidens autem efficiēns, eſt caſus, in quo eſt & violenta neceſsitas. Violēta neceſſitas hic omittitur: proponitur autem undecimo capite primi poſteriorū. Caſus igitur & fortuna, tribus proximis capitibus diſſeruntur. Quarto capite triplex opinio phyſicorum de fortuna explicatur. primi tollunt fortunam, quia omnium rerū certa cauſſa ſit. quos Ariſtoteles videtur improbare ex apparentibus, & ipſorum teſtimoniis, qui fortunam etiam in libris ſuis & caſus temeritatem appellant. hos tamē ſequetur poſtea ad finem capitis quinti, & toto octavo: ne totum Ariſtotelis judicium unico loco teſtimonióve comprehenſum putes. Secundi fortunam collocant in cælo dominam: quibus Ariſtoteles acrius reſiſtit, objecta providentia rerum ante oculos poſitarum: quod nō é quolibet ſemine arbores, beſtiæ, homines oriantur: ſed é plantis plantæ, é beſtiis beſtiæ, ex hominibus homines: abſurdumq́; ideo ſit, in cælo nullum finē ſtatuere, præſertim cum hic etiam caſus aliquis appareat: illic contrá, ſempiternus ordo. quæ refutatio, plenius octavo capite toto diſſeretur: Naturā quippe fruſtra nil agere. Tertiis phyſicis videtur aliqua eſſe fortuna, ἄδηλος δὲ αἰτία ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ, ὡς θεῖόν τι οὖσα καὶ δαιμονιώτερον, ſed incerta humanæ intelligentiæ, tāquam divinum quiddam ac beatum. hæc ſententia, Platonem potius quâm Ariſtotelem redoleat. hanc tamen Ariſtoteles non refellit, imô laudat & ſequitur ad finem quinti capitis. Sic Ariſtotelem Platonicum cernimus tanquam fortuna (quæ dicitur ab hominibus) nihil ſit, ſed Dei ſint opera, quæ fortuita videant, quem tamen antea velut ἄθεος quidam Ariſtoteles viſus eſt deſpexiſſe. Sic unitatē Parmenidis, mentem Anaxagoræ, Platonis ſpeciem averſabatur. At nimirum illud eſt, Deum Ariſtoteles in phyſica aliquē præfectū eſſe cupit, ſed Ariſtotelis tanq́ manu & authoritate præfectum. qualis aūt ſit iſta manus & authoritas, jam capite hujus libri octavo apparebit.

IN CAP. V.

DEfinit fortuna, cauſſa per accidēs in reb', quæ neq́; ſemper, neq́; frequēter, ſed raró eveniūt, ſuſceptis tamen

men alicujus gratia. Quæ definitio poſſit etiam violentiæ & neceſsitati exteriori convenire. Deinde fortuna ſuis epithetis á phyſico, tanquã à poëta aliquo depingitur, appellaturq́ ἀόριστος, ἄδηλος, παράλογος, ἀβέβαιος, infinita, incerta, inopinata, inconſtans: quæ tertia phyſicorum opinio de fortuna fuerat. tum nominis adjuncta quædã declarantur, qd ſit τύχη ἀγαθὴ καὶ φαύλη, εὐτυχία, δυστυχία, fortuna bona & mala, proſperitas, adverſitas. Hæc doctrina eſt capitis hujus, è logico fortuitarum cauſſarum loco.

IN CAP. VI.

SExto capite differentia traditur caſus & fortunæ: quòd caſus ſit cauſſa per accidens in iis quæ raró ſunt, ſive conſilium interceſſerit, ſive non: fortuna autem, ſit in iis quæ conſilió aguntur. Itaq; in rebus inanimis, beſtiis, pueris eſſe caſum: fortunam in hominibus ætate maturis. Atqui, inquã, diſcrimen hoc totũ cõmentitium eſt, nec ab Ariſtotele obſervatum aut judicatum. ſæpe enim fortunam & caſum pro eodẽ ſumit: quod etiã hic innuit cùm ait, metaphora & ſimilitudine dici à Protarcho lapides fortunatos, è quibus aræ fierent, qua colerentur: latinis veró hominibus fortunæ & caſus differentia ejuſmodi inaudita prorſus & ridicula ſit. Zeno aliquis aut Parmenides, phyſicis commentariis hanc bellam differentiam comprehẽderat. Ariſtoteles collegit: ad ſuas leges nõ examinavit. Quare & nos è cauſſarum ſcientia & doctrina commentum ſcholaſticum ſuſtulimus, interea tamen adnotemus, quod philoſophus ait, caſum eſſe in reb. inanimatis, in beſtiis & in pueris. Equus (ait) cùm caſu redierit, ſervatus eſt: & tripes caſu lapſus, aptè ſedit: quia eo fine neq; equus redierat, neque tripes ceciderat. his exemplis docet caſum in phyſicis rebus eſſe. Ad finem capitis, reducitur fortuna caſusq́, ad ſpeciem cauſſæ efficientis: quod initio quarti capitis propoſui. & probatur quadripartita cauſſarum partitio: quia interrogati propter quid, poſſumus per ſingulas cauſſas reſpondere, per formam, efficientem, finem, materiam: quod de poſteriorib. analyticis 11. cap. 2. libri, eſt inani & ſophiſtica tautologia repetitum: ubi ſimiliter docet, per quodlibet genus cauſſæ poſſe demonſtrari. At logica iſta in phyſicis contra leges & καθ' αὑτὸ & καθ' ὅλου πρῶτον, & primo & ſecundo & tertio & ſexto capite, quoties iterature?

IN CAP. VII.

CAput ſeptimum, tam inepto vinculo proximis antea & poſtea propoſitis rebus cohæret, quàm cohærebat capitis ſecundi pars prima. De cauſsis per accidẽs actum eſt tribus antè capitibus, & agetur duóbus extremis reliquis: hoc autem capite, de omnibus cauſsis in univerſum, ut actum eſt tertio capite. Sed tautologia illa triplex hic nova eſt, quòd modò cauſſæ ſint cognoſcendæ phyſico. Revocatur igitur initio, quod propoſitum eſt ſecunda parte ſecundi capitis, quod iteratum eſt initio tertii capitis, phyſico recognoſcẽdas eſſe cauſſas, materiam, formam, efficientem, finem. At ego tautologiam tam infinitam in Ariſtotele perpetuãq; toties adnotare, vereor propemodum ne id etiam ταυτολογεῖν eſſe videatur. ſophiſma hoc unum eſt in totis Ariſtotelis libris odioſiſsimum. Pergamus igitur. Quid tum? Tres autem cauſſæ (ait Ariſtoteles) in vnum ſæpe conveniunt, forma & finis & efficiens. At, inquam, de forma & fine jam diximus, quomodo verbi elencho falleremur, & quòd forma & finis, idem & ejuſdem rei non diceretur. Forma, eſt finis dolanti materiam & præparanti. At eadem non eſt & forma & finis rei formatæ. Quare vel Ariſtoteli aliud eſt forma hominis, aliud finis: neque unquam duæ cauſſæ iſtæ confundentur: ergo in duabus primis cauſsis, id primo falſum eſt. Nec minus etiam falſum, quòd efficiẽs idem ſit quod forma finisq́. Nec Ariſtotelis probatio id concludit: ſed ait, efficientem ſpecie idem eſſe cum forma & fine, quòd homo generat hominem. At, inquam, homo qui efficiens cauſſa hominis conſideratur, nõ eſt forma ejuſdẽ hominis: nõ eſt finis ejuſdem hominis. Nec omnino verum eſt, ab omni ſufficiente cauſſa, vel Ariſtotelis judicio, ſimilem ſpeciem gigni. Sol & homo, dixit antea, generant hominem: non etiam ſolem. Quare totus hic locus, captioſi

ſophiſmatis & inſulſi plenus eſt. Quid tum poſtea? Sequitur tria eſſe moventium genera: quędam immobilia, quædã mobilia, tum incorruptibilia, tum corruptibilia. primũ genus, á phyſica rejicit, ad theologiã nempe: ſed elencho ſingulari, q in ſe neq; motum, neq; motus principiũ habeat. At, inquã, quomodo movet, ſi principium & cauſſam motus non habeat? Equidem in hoc & in ſimilibus ſexcẽtis erroribus tam manifeſtis, interpretũ judicia admiratus ſum. Non habet principium motus, ajunt, quia non movetur. At, inquam, utrum in illa efficiente definitione, principiũ motus, nomen motus, paſsivè tantùm intelligitur? utrum natùra antea tantùm dicebatur id quod moveri poteſt, non autẽ quod aliud moveret? Verùm multò melius & elegãtius philoſophabitur tertio libro Ariſtoteles, cùm dicet, eundem motum eſſe ποίησιν, actionem in agente, & πάθησιν, paſsionem in patiente: fabuloſumq; interpretum commẽtum planè refutabit, demonſtrabitq; elenchum loci hujus. Sed tamen de tribus propoſitis generibus, unum tãtùm phyſico Ariſtoteles eripit, immobile. mobile quodlibet, ſeu incorruptibile, ut cælũ, ſicut ipſe arbitratᷣ: ſeu corruptibile, ut cętera cælo ſubjecta, phyſico concedit. & quod dubius anxiuſq; ſecundo capite in differentia mathematici & phyſici ſuſpenderat, utrum aſtrologia, pars eſſet phyſicæ, jam apertius confirmat. Verùm, quid deinde agitur? Revocatur elenchus toties oblatus, toties refutatus, quòd ſit phyſici conſiderare materiam, formam, efficientem, finem. Verum ſi ſurdos, ſi obliviosos, ſi ſenſu communi deſtitutos doceremus, tautologia tamen iſta putida fuerit. Equidem de Ariſtotelis ingenio non ſatis verecundè eos ſentire arbitror, qui hæc ab eo judicata iterum, potius quàm ſemel collecta exiſtimant. Leges illæ á philoſopho promulgatæ, longè aliam ipſius philoſophi mentem profitentᷣ. Ecquid tamen hoc miramur? ecce idẽ rurſus iteratur, paucis interjectis verſiculis, an verbis? quòd phyſicus conſideret materiam & formam & efficientem. Verùm id prętereatur: conſiderentur conſequentia. Repetitur illud, paulò antè diſputatũ, movens immobile non eſſe phyſicum. Duplicia ſunt principia phyſicè moventia. alterum nõ phyſicum, velut illud omnino immobile & omniũ rerum primum. Ecquid? inquam: cur hoc principium, omnium primum & immobile, omnia phyſicè movens, non erit phyſicũ principium? Cauſſa eadem quæ prius redditur, quia non habet in ſe principiũ motus. Verum enimvero, quódnam illud eſt principium phyſicè movens, & tamen non phyſicum? aut cur tandem octavo phyſico tantopere poſtea celebratum? An deriſi Parmenidis, Anaxagorę, Platonis conſcientia quædam hic etiam reſidet? Movet omnia primum illud principium, & tamen nõ habet principium motus? movet omnia phyſicè, & tamen non eſt phyſicum? Complexio verborum, ita me Deus amet ille, de quo loquimur, anxietatem ſtomachi, laboremq; non concoquentis oſtendit. Sed ab elencho iſto diſcedamus. Per genera cauſſarum omnium phyſicum demonſtrare, tertiùm philoſophus in hoc capite diſſerit. quam tautologiam pudet equidem toties refellere, quoties occurrit. Interea autem Ariſtoteles comparat materiæ neceſsitatem, concluſionis ex antecedentibus neceſsitati: quod nono capite poſtea repetetur copioſius.

IN CAP. VIII.

SEptimi capitis digreſsio ejuſmodi fuit: regreſsio eſt, deinceps ad fortunã: cui diſputatio neceſsitatis, quæ in fine ſuperioris capitis attingitur, deinde eſt annexa. Ergo hoc utrunque Ariſtoteles proponit initio, quòd Natura nihil temerè faciat: quòd materiæ neceſsitati, veteres phyſici omnia naturæ opera ſubjecerint. Etenim ſi aliam præterea cauſſam appellarint, ut hic concordiam & diſcordiam, ille mentem: attamen ubi leviter attigerint, tum protinus eam valere ſinunt. Sic veteres phyſici primo libro, ſic libri ſecundi capite ſecundo, tanquam materiarij phyſici efficiuntur, qui unicam de cauſsis materiam norint, cæteras ignorarint: & mens Anaxagoræ jam ſæpius vellicatᷣ. Sed illa nimirum ambitio phyſici principatus, hæc ab Ariſtotele toties expreſsit. Veruntamen ſeparatim capitis octavi ἀκρίβειαν audiam*, quòd natura nihil temerè

meré faciat. quæ videtúr adverſus Empedoclem, unum dirigi. Etenim veró philoſophia Ariſtotelis & eloquentia, in hac declamãda theſi, gravis in ſpeciem & ſingularis enituit: dum & ipſa theſis confirmatur ſuis firmamentis, & á contraria oppugnatione defenditur. ad leges tamen illas, omnis doctrinæ principes & judices relata, longé diſsimilis apparebit. Etenim prima lex illa κατὰ παντὸς, non modó temeritatem nullam fortunámve, ſed ne conſtantiam quidẽ, niſi neceſſariam ullam in artibus patieť. at phyſica eſt φύσεως pictura & ars quædã. Quare non potius in phyſicis, quàm in grammaticis aut Arithmeticis diſſerendum ſit, utrum caſui & temeritati locus ſit ullus. Sed Ariſtotelis declamatio audiatur. duplex in ea proleplis explicať. Etenim (ajebat Empedocles) cúm Jupiter pluit, augetur aliás, aliás ueró corrumpitur frumentũ: quamvis pluviæ cauſſa alia fuerit. ita, nihil prohibet, Naturæ opera caſu & fieri & cõſervari: ut é dentibus, anteriores acutos, maxillares latos eſſe: ut mõſtra illa hominum, quæ Empedocles appellat βουγενῆ καὶ ἀνδρόπρωρα, bovigena & viriprima, centauros videlicet & minotauros. Hæc enim Empedoclea phyſici caſus argumentatio eſt: Similitudo autem illa Iovis á Cicerone pro Amerino uſurpatur ad excuſandũ Syllæ dominationem. At cõtra ſimilitudinem hanc, Ariſtotelis argumẽta cõſideremus. Reſpõdet igiť phyſicus noſter: Caſus & fortuna tantũ dominať in iis, quæ raró ſunt: res aũt omnes naturales eveniunt aut neceſſarió aut frequenter. Hoc primũ eſt Ariſtotelis argumẽtum, ſed infirmum: quia quæritur, utrum natura etiam rara hæc monſtra faciat: nec logica probabilis fuerit, αἰτεῖσθαι τὸ ἐν ἀρχῇ, petere quod in principio eſt, & quæſtionem pro argumento poſtulare. Age igitur, ſecundum attendatur. Tum veró (aſt phyſicus) ubi antecedentia conſequentiaq; ad unum referuntur, ibi eſt alicujus gratia. Atqui ſicut ab arte, ſic (ſi nihil impediat) á Natura res agitur, ut ſi natura domiciliũ architectaretur, aut ars arborem vel animantem moliretur, eadem prorſus ratio utrinque teneretur. Ars veró aliás perficit, quæ Natura nequeat abſolvere: aliás; autem, in rebus Naturam tantúm imitatur. Quare ſi finis arti proponitur, proponitur & Naturæ. hoc ſecundum eſt argumentũ: quo tantùm concludi poteſt, Naturæ finem frequenter eſſe propoſitum, non ſemper. & ſimilitudo artificis hic convenientior fuerit, quàm artis. Agedũ, comparatio artis omittatur, & in tertio argumento, naturalium rerum genera (ait Ariſtoteles) potius ſpectẽtur: & quidem earum, quæ tametſi neque arte, neque conſilio moventur ullo, mente tamen nonnullis præditæ videantur. Etenim aranea telam texit, formica annonã congerit, hirundo nidulum conſtruit: ac ſi longius progrediare ad plantas, comperies certo fine cuncta conſtitui & ordinari: radices deorſum, ſuggẽdi alimẽti: frondes ſurſum, fructus operiẽdi gratia. Hoc tertium eſt Ariſtotelis argumentum: ſingulare quidẽ, & philoſopho dignum: ſed tamen quo non aliud, quàm ſuperiore, concludi poſsit, Naturam ſæpé agere alicujus gratia, non ſemper. Quartum veró argumẽtum eſt ineptũ: Natura (ait Ariſtoteles) eſt tum materia, tum forma: forma autem, finis eſt, cujus gratia. Verùm in iſto argumento, forma pro fine incongrué & inepté ad præſentem quæſtionem appellatur: neq; enim radicibus uel foliis forma, ſuus finis eſt: multoq; verior eſt finis ille in ſuperiore argumento ab Ariſtotele deſcriptus in alimento excipiendo, in fructu tegendo. Hęc adhuc ad prolepſim primam confirmatio fuit. At βουγενῆ καὶ ἀνδρόπρωρα obijciuntur: neque iis adhuc reſponſum eſt. Verùm (ait Ariſtoteles) peccatum id Naturæ fuerit, non finis. Siquidem aliquando etiam ab arte ſimiliter peccatur: quæ tamen omnia certo fine ſuſcipit. Nam Grãmaticus barbariſmũ facit, & Medicus non apté potionẽ præbuit. quid igitur bovigena, cẽtaurorum monſtra, corrupto aliquo ſemine naſci mirum eſt? At Ariſtoteles mirifice, quid agis? diſſeris argumento ſecũdo, artem temeré nihil agere: at nunc artificis peccata iſta, quænam ſunt? utrũ per ſe Grãmaticus ſolœciſmum, vel Dialecticus elenchũ faciat? an potius per accidens, & aliquẽ imprudentiæ caſum? Erravi (inquit orator ille deprecando culpam) temeré feci, veniã peto. ita Grammaticus vel Logicus de peccato ſuo appellatus, culpam ſuam excuſaret. Quapropter

Ariſtotelis

Ariſtotelis hoc argumentum, Ariſtotelē ipſum refellit. Mōſtra fiunt, inquam: Ergo ab aliqua cauſſa fiūt: nec ea per ſe & fine certo id agēte: quia peccata ſunt: ergo per accidens & per caſum. & tamen Ariſtoteles in phyſicis poſtea, nullā phyſicam aliquam mōſtrorum cauſſam proferet. tam plumbeis argumentis modó præliatur. Sed tamen pergit oppugnare phyſicum caſum. Tum veró (ait) Naturę progrediens ordo cernitur in generatione rerum, ubi ſemen eſt imbecillius primó, deinceps οὐλοφυὲς, tanquam totigenum, perfectū, abſolutumque ſemē, tandem animal naſcitur. Atque in plantis in quibus vis naturæ minor eſt, temeritatis conſimilis occaſio, ne ab Empedocle quidem fingeretur: ut quemadmodum eſſent βουγενῆ καὶ ἀνδρόπρωρα, ὅτως ἀμπελογενῆ καὶ ἐλαιόπρωρα, ſic & vitigena & oleoprima. Denique utrum eadem poſsit in ſeminibus temeritas animadverti? Atqui utrumque ridiculum. Hæc Ariſtotelis argumenta, Empedoclis caſum refellerent, ut prima illa, quibus cōcluditur, Naturam frequēter alicujus gratia, non ſemper agere. Argumentum poſtremū eſt, quód Natura ſit principium motus, ideo temeré nihil faciat. Sed ſyllogiſmus hic etiam valde eſt ἀσυλλόγιστος. Nec enim quicquid agit aliquid, illius agit gratia. Hæc prolepſis prima fuit longior: brevior altera eſt. At nō videmus, dicat Empedocles, Naturæ deliberationem atque conſilium: Ergo non agit alicujus gratia. Non ſequitur, reſpōdet Ariſtoteles: Non enim artifex deliberat, attamen agit alicujus gratia. Atqui natura tam ſimilis eſt arti, ut ſi in arbore ineſſet ars ædificādę navis, aut in homine natura recuperandæ valetudinis: utraque ſimiliter & navem faceret, & valetudinem curaret. Hoc Ariſtotelis ſimile, revera eſt diſsimile: artifex enim ſine conſilio judicioque artis nihil efficit. forēſi quidem aut civili more non conſultat, at é regulis artis ſuæ judicat quod agit: ſecús, nō artificioſe, ſed temeré ageret. Quod autem natura nō deliberare á philoſopho dicitur, deliberationem phyſici noſtri mentemque neſcio quam oſtēdit, nullam divinæ providentiæ micam iſto nomine Naturæ intelligentis. Nec enim vel Parmenidis unitas, vel mens Anaxagoræ, vel ſpecies Platonis, omnia ſuo conſilio regens & adminiſtrans, modó cogitatur: ſed natura cujuſque vel lapidis vel arboris vel animalis, nullo conſilio utentis attenditur. Quamobrem hic manus Ariſtotelis & authoritas illa, de qua ſæpius agimus, cognoſcitur, qua Deum phyſicis rebus ita præficit, ut res ipſæ nutu quodam ſuo, ſine conſilio, ſine deliberatione, ſuos motus ſuáſque actiones exequantur: ſed hæc eadem authoritas poſtea luculentius apparebit. Nunc Ariſtoteleam caſus é phyſicis rebus ejectionem & excluſionem, ex Ariſtotele ipſo pauló plenius expēdamus. Etenim cujus argumenti ſunt Ariſtotelis exempla illa capite ſexto, de equi reditu, & tripodis lapſu? nónne ut jā prę notavi, in phyſicis caſum demonſtrāt? & quid aliud tū Ariſtoteles egit, quám ut doceret, caſum in phyſicis rebus, ſolo naturæ nutu, ſine deliberatione ulla impulſis inveniri? Quamobrem tam prolixa diſputatio, nullum in phyſicis caſum verſari (ut caſus definitur) fallax & captioſa eſt, & refutata infinitis per totam phyſicam exemplis: quibus conſtat, per accidens plurima fieri. Sed tamen infinitæ de reliquis per ſe cauſſis, tautologię ſpecies illa fortaſſe fuerit, quod utilitas phyſicis rebus inde permagna affertur. At per inane vanumque fortunæ caſusque numen, quæ ſpecies, quis color, quatuor in hoc libro capitum, quarti, quinti, ſexti, octavi reperietur? Hinc enim nulla utilitas, nullus uſus, nullus fructus phyſicis entibus accommodatur: & certé non aliud actum eſt tam prolixa phyſica, quám ut nullam in tali cauſſa phyſicam ſtatueremus. Quare plané quatuor capitum de caſu diſputatio, in phyſicis & re & ſpecie eſt inaniſſima.

IN CAP. IX.

Refutati ſunt aſſertores temeritatis & fortunæ prolixius: brevius aūt refutantur deinceps (quæ altera de duab. propoſitis quęſtio erat) aſſertores neceſsitatis, qui neceſſario rē quālibet naturalem gigni arbitrentur. perridiculé quidem, ait philoſophus: perinde ac ſi dicerent, neceſsitate domū extrui, quia gravia fundamenta deorſum, materies levior ſurſum ſtatuatur. Hæc ad rem eſt Ariſtotelis reſponſio: Tum veró

veró pergit, & ait neceſsitatem in rebus phyſicis nullã eſſe, niſi ex hypotheſi materiæ, nẽpe ſine qua, talis forma finiſve non eſſet, qualis neceſsitas eſt in mathematicis é principiis concluſionis. Nam ſi ſit rectus angulus, trianguli tres anguli duobus rectis æquantur: & ſi nõ hoc, neq; illud. In phyſicis autem, ἔμπαλιν, contrà. ſi finis eſt, materiam eſſe neceſſe eſt: at ſi materies non ſit, neq; finis erit. Finis autem, principiũ eſt ἡ τῶν πράξεων, ἀλλὰ τοῦ λογισμοῦ, nõ actionis, ſed ratiocinationis. Hæc comparatio valdè obſcura eſt. Eſt enim valde remota illa cauſſa trium duobus rectis æqualium, é recto angulo: qui tandẽ adhibetur, cùm quæritur ad 13. p. 1. cur recta in rectã inſiſtẽs, faciat æquales rectis. Atq; hæc cauſſa tã remota ſyllogiſticæ demonſtrationis ex cauſſa propria exemplum Ariſtoteli afferre nullum potuit, ut vulgo pleriq; interpretes arbitrantur. Grammaticus hic eſt pauló γεωμετρικώτερος: at Simplicius, dum rectilinei octo angulos quatuor rectis æquales facit, planè ſe ἀγεωμέτρητον oſtendit: æquãtur enim rectis duodecim: & tamen hic geometres tam accuratus, Grammaticum octavo phyſico, ut interim & omnis doctrinæ imperitum inſectabitur. Deinde quid iſta ſyllogiſticæ conſecutionis neceſsitas ad geneſis objectam neceſsitatem? Reſpondere autem debuit Ariſtoteles Democrito vel cuicumq; phyſico, neceſsitatem rebus phyſicis imponenti: Et ſi modó dicatur neceſſarium, quod perpetuum ſit & immutabile, ut verum neceſſarium opponitur vero contingenti: neceſsitatem abſolutam refutaturus, contingentiam demonſtrare debuit. At hoc non fecit: imó octavi capitis initio diſputat Naturam nihil agere temerè: quia entia phyſica, aut ſemper ſic fiunt, aut frequẽter, ut noni capitis phyſica falſa ſit, quæ docet, in phyſicis rebus nullam eſſe neceſsitatem, niſi ex hypotheſi materiæ. perpetui enim & neceſſarii ſunt, Ariſtotelis judicio, globorũ cæleſtium motus: eadem neceſsitate gravia deorſum, levia ſurſum moventur. Quamobrem Ariſtoteles aliam ſibi theſim propoſuit, aliam diſceptavit.

—— Amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur urceus exit?

Quód ſi diſputaſſet Ariſtoteles, ut temeritatem, ſic neceſsitatem, id eſt violentiam, in phyſicis rebus nullam eſſe: theſim ſuperiori theſi cõſentaneã diſſeruiſſet, docuiſſetq;, quód aliàs perſæpe profeſſus eſt, Violentum naturæ inimicum & contrarium eſſe: aut ſi docuiſſet neceſsitatem, tanquam fatalem aliquã legem, in phyſicis rebus nullam eſſe, ſed omnia imperãtia Dei cõſilio judicioq;, conſtanti quidem illo neque vario, nõ tamen ulla fatali neceſsitate coacto, regi & adminiſtrari, divinam providentiam comprobaſſet. At neceſsitatem hanc, ſeu violẽtam ſeu fatalem, nullam hic cogitat: ſyllogiſticam tantùm meditatur, quæ ſit non ἁπλῶς, ſed ἐξ ὑποθέσεως, neq; divinam providentiam hic ullam cogitat. Quare neceſsitas neq; logicè, neq; accuratè in hoc capite tractata eſt. Tum veró, quid eſt illud, finem eſſe principium λογισμοῦ, cùm ſuperiore proximo capite, phyſicus attribuerit omnibus Naturæ actionibus finem? βουλὴν, id eſt conſilium non attribuerit? ubi enim poteſt eſſe λογισμὸς, ſi βουλὴ detrahatur? Finem autem appellari principiũ λογισμοῦ, eſt genus pro ſpecie audacius affirmare, illud eſt enim cujus gratia, capite quinto hujus libri à philoſopho diviſum in conſiliũ & naturã. Sed Ariſtoteles, dum Parmenidis unitatem, Anaxagoræ mentem Platonis ſpeciem divinam tam mirificis modis transformat, incidit in eas difficultates, unde explicari nõ poteſt. Naturam enim non deliberare: & Naturam certo fine, ideóque λογισμῷ, agere repugnantia fuerint. Quare poſterior hic locus, ſi ſuperior ille verus eſt, falſus erit: aut de ſolo Deo hominéque, non de omnibus phyſicis verus erit. Quamobrem non omnis finis, eſt principium λογισμοῦ, cùm finis phyſicus, neque βουλὴν, neq; λογισμὸν habeat. Verùm pergamus. Ariſtoteles materiã phyſico propoſitam eſſe vult & finẽ, quia utraq; in phyſicæ rei definitione adhibeatur: ſed finem multó magis: quia finis ſit cauſſa materiæ, non cõtrà. O phyſici diligentiam admirabilem! quoties enim jam, quoties cauſſarum utilitas in hoc libro iterata? Ergo ejuſmodi capitis noni phyſica eſt. Sed tamẽ de cauſſis totus liber ſecundus adhuc fuit, alienę in phyſica doctrinæ: eſt enim dictũ in organo logico propriè de cauſſis: Et Ariſtoteles

les 3. cap. 4. phil. Ariſtotele iſto longe accuratior eſt,ubi nominatim phyſicos reprehendit,qui communia argumentorũ axiomata de oppoſitis cõparatis, toto,parte,in phyſicis tractarint:Cõmunia illa (inqt) & cauſſæ imprimis ad magis univerſalem ſcientiam attinent. Eſt autem τὸ φυσικοῦ τι ἀνώτερον, aliquid phyſico ſublimius.Ergo Ariſtoteles ille nominatim Ariſtotelis hujus elenchum reprehendit.Sed lex ipſa Ariſtotelis καθ' αὑτὸ, & hunc & omnes ſimiles elẽchos reprehẽdit.Imperat phyſicus phyſicis cognitionem cauſſæ,qã ſine cauſſa ens phyſicum nullum futurum ſit:at cauſſarũ doctrina communis eſt omnium rerum:In arte igitur omnium rerum cõmuni tractanda fuerat,id eſt in logica: imperaret igitur logicus ſuo jure:hoc idem cõmuniter omnibus arithmeticis,geometris, ethicis; & omnium artium hominibus univerſis,juſto legitimoq́ imperio imperabit.Imperium enim generale eſt, & commune: itaq́ generaliter & communiter omnibus erat una voce legéque imperandum.

Sed jam prima mei pars eſt exacta laboris.

Phyſicę ſiquidẽ acroaſeos partem primã de principiis & cauſsis,duobus primis libris agere, teſtati initio ſumus: principiorum veró ipſorum,cauſſarũq́ ipſarum adhuc phyſicam retexuimus, quam per Deum optimum maximum, O phyſici omnes,jam ad extremum recognoſcite,& quod á phyſico quærẽdũ fuerat,quærite; Quid eſt phyſica? quot ſunt partes phyſicæ? id modó non reperietis, quod precipuum eſſe debuerat. Quid igitur? nulláne cujuſquã generis & modi utilitas duobus tãtis libris cõtinetur? phyſica certê prorſus nulla:nulla phyſicæ legib. Ariſtotelis deſcriptæ propria: logicæ inventionis decreta ſunt de cauſsis,efficiente,materia,forma, in his duobus libris utilia & fructuoſa, & tamen contra leges Ariſtotelis, logica in phyſicis temerẽ & inconſideratė confuſa.Verumtamẽ ad hęc logica (quæ pauculis verbis contenta erant) in phyſicis iteranda, dic mihi Ariſtotelis patrone Themiſti, Porphyri, Simplici, quid ſexcentis tautologiis ejuſdem rei toties poſitæ ac repoſitæ,iteratæ ac reiteratæ opus fuit? an diſcipulorũ patiẽtiam vel tentari,vel exerceri tam importunis elenchis lex Ariſtotelis ulla præcipit? jam veró, ut auditor intelligeret,phyſico logicam de principiis & cauſsis neceſſariam eſſe, quid opus fuit Meliſsi, Parmenidis, Anaxagoræ,Platonis,veterumq́ phyſicorum reprehenſione? Nulla enim lex Ariſtotelis jubet artem ullam in falſis, alienis,impropriis refellendis occupari,ſed in veris,cognatis,propriis informandis exerceri.Et tamen qualiſnam,Deus bone,reprehenſio illa fuit? Mitto leviora illa,Platonẽ,& phyſicos veteres reliquos ignaros phyſicæ judicari, quod privationem naturæ principium eſſe ignoraverint, mitto in phyſicis rebus nullum eſſe caſum,monſtrumve: Illa autem robuſtioris fraudis capita miſſa facere nõ poſſum, de materia & prima & ęterna: Quod mens illa mundi opifex abſurda ſit,& ridicula. Quod naturę principiũ unum & immobile cõſtituere, ſophiſtæ ſit falſa fallaciq́ judicio, concluſa diſſerentis: Hac enim bella phyſica quales phyſicos factos arbitramur? & hic, videlicet phyſicus,fructus eſt,propter quem juventus in ſcholis tam impenſé tamq́ exercitė retinetur? Neq́ veró ſi logicé leges tanti ſint in philoſophię judicio, quanti ſunt grammaticæ leges in ſermonis arbitrio,audiẽdæ jam ſint exceptiones interpretis cujuſquam,quod Ariſtoteles hic voluerit, illic noluerit,quód alia tempora res aliæ,alię occaſiones fuerint:Etenim ameo Deo,pro amo Deum barbariſmus eſt & ſolœciſmus , nulla prorſus excuſatione excuſabilis, quin in Grammaticam error cõmiſſus eſſe videatur.Quid igitur? Sacroſanctæ loquẽdi leges erunt: ridiculæ autem philoſophandi,& omnibus exceptionibus obnoxię philoſophicę leges philoſophis ipſis erunt? At nobilis illa in Analyticis legum iſtarum ab Ariſtotele promulgatio longė aliã ſanctionẽ ſancivit.Quamobrem legibus Ariſtotelis obtemperemus,iiſq́ Ariſtotelis logicas laudes á ſophiſticis elenchis diſtinguamus. O' patres de liberis educandis naturali cura ſolliciti, animadvertite, quæ veſtrę juventutis educatio,tali doctrina proponatur? O' doctores artium liberaliũ, de vera ſolidaq́ diſciplina, veræ ſolidæq́ laudis fructu excitati, conſiderate quę moneo: quibus argumentis inveteratas in animis hominũ,penituſq́ inſitas opinio-

opiniones evellere ſtudeo: Appellavi ſæpe antea leges Ariſtotelis, & ſæpe deinceps appellabo: ſed vereor ne homines plerique, qui longis ætatibus in falſa de Ariſtotelis ſcriptis opinione conſenuerint, parum æquis & attentis animis iſta percipiant. Cúm damnatus Machætes quidam à Philippo rege dormitante, appellare ſe diceret: Ad quem igitur (inquit rex) appellas? Ad Philippum (reſpondit ille) expergefactum: Judicem quippe non mutabat, ſed requirebat judicis majorem attentionẽ, atque prudentiam. Nõ abſimile admodum nobis eſt. Infinitis judiciis opprimar, ſi Ariſtotele dormitante controverſia noſtra diſceptetur. Verúm Ariſtotelem non quemlibet judicem poſtulo, ſed Ariſtotelem æneæ ſphæræ ſonitu excitatum, & experrectum, planeque attentum, & ad ſummas Ariſtotelis & juſtiſsimas leges toto animo, totaque mente converſum. Hoc enim judicio ampliſsimé vincimus: & quidem judicio Ariſtoteli, ſi jam reviviſceret, longé ſpectatiſsimo & probatiſsimo: cúm ea philoſophica induſtria, & libertate libros ſuos á nobis obſervari & conſiderari perſpiceret, qua libros Thaletis, Meliſsi, Parmenidis, Anaxagoræ, Empedoclis, Heracliti, Democriti, Leucippi, Platonis imprimis obſervarit & conſiderarit: cúm leges ſuas nobis tam ſanctas tamque anguſtas eſſe cognoſceret, cúm nos denique ariſtoteleæ non linguæ vel manus, ſed mẽtis amantiſsimos & obſervantiſsimos eſſe perſpiceret. Et quidem hac conſolatione, hac, inquam, conſolatione cõſolandus erat Alexander, ne libros acroamaticos editos quereretur, ſed ſpinas incredibiles é phyſicis ſublatas eſſe lætaretur.

P. RAMUS TEMPORE SAEVISSIMAE TEMPESTATIS HAEC MEDITABATUR APUD REGIUM MONTEM BARNABAE FAIOLLII HOSPITIO LIBERALITER ACCEPTUS. Anno ſalutis 1562.

P. RAMI SCHOLARUM PHYSICARUM

liber tertius, in tertium Phyſicum.

IN CAPUT PRIMUM.

Libri duo phyſicæ auſcultationis primi, primam acroaſeos partem in prima logicæ invenrionis categoria de cauſsis, valde ſophiſticé quidem tractarũt: at libri reliqui reliquam & ſecundam acroaſeos partem in inventionis categoria de cauſſarum effectu, motuque, multó σοφιστικώτερον tractabunt, primó in motus definitione & partitione: ſecundó in motus infinitate & æternitate: Hæc enim reliquæ acroaſeos capita ſunt: in quibus Alexandri conſolatio longé ubertima ac pleniſsima capietur. Cauſſarum doctrina per nomẽ phyſicorum principiorum, perque ſpeciem Naturæ, in naturalem philoſophiam venit: effectus & motus per idem nomen, perque eandem ſpeciem in phyſicam veniet. Interroga phyſicum Ariſtotelem, cujatem putet eſſe cauſſarum doctrinã, phyſici generis eſſe reſpondebit: Interroga phyſicum eundem, cujatem putet eſſe doctrĩnam: effectus & motus, phyſicam item reſpondeat, quia parentes phyſicos eſſe reſponderit: At ſi logicum Ariſtotelem interroges, cujatem cenſeat eſſe cauſſarum artem, logicam ſine dubio confirmabit: Interrogato igitur eundem de genere, & tanquam de natione motus: an parenti aliam patriam, aliam ſoboli fœtuique aſsignabit? Sed iſta quæſtio tertio capite commodius agetur. Color igitur & ſpecies Naturæ ad motus doctrinam phyſicis attribuendum, initio repetitur ab Ariſtotele: Motus fuit in definitione Naturæ: ergo in philoſophia naturali de motu præcipiendum. Atqui, inquam, phyſice nobiliſsime, ſi cauſſa efficiens, cauſſæ efficientis nomine expoſita eſſet, motus fuiſſet in definitione cauſſæ: ergo ubi de cauſſa præcipitur, fuerat etiam de motu præcipiendum. At ſi natura phyſica & ſenſilis, quæ que phyſicæ proprié ſubjicitur, bene & ex ordine definita eſſet, nequaquã principium motus eſſet appellata: Quapropter color iſte de motus doctrina in phy

ſicam inducenda, fallax eſt, & fallacia tertio capite magis deprehendetur. Pari veró ſophiſmatis elencho doctrina infiniti, loci, vacui, temporis in phyſicam includitur: quia hæc generalia ſunt & rebus phyſicis neceſſaria: A generalibus autem procedere ad ſpecialia cõveniat. Equidem, inquã, neceſſaria illa eſſe confiteor, ut ſæpe aliás confeſſus ſum: Sed ſuis temporibus ac locis propriè percipi volo: infinitum in logica vel mathematica, locum in logica, cúm de ſubjecto agitur, tempus in adjunctis logicis: aut ſi motus cæleſtis attendatur, in aſtrologia: Id enim leges Ariſtotelis imperant. Quare avara iſta utilitatis cogitatio Ariſtotelem & hîc & ſexcentis aliis in rebus fefellit. Interea veró methodicæ diſpoſitionis ariſtoteleam legem tertio in phyſicis loco ab Ariſtotele cõſignatam recognoſco: De generalibus illis & communibus ante præcipiendum. Cognitio enim propriorum, poſterior eſt cognitione communium. Tertiumq; hoc Ariſtotelis teſtimoniũ, a methodis quibuſdam magiſtris propoſitum eſſe cupio. Verùm hoc totũ capitis hujus prooemium; quód in phyſica de motu, infinito, loco, vacuo, tempore præcipiendum ſit, prætereatur. Quid ſequitur deinde? diviſio, motus & definitio: at definitio é methodica lege debuit antecedere, diviſio ſequi: ſed elenchus iſte prætereatur. Dividitur autem motus quadrifariam, ſecundum genera quatuor entium: Entium (ait Ariſtoteles) genera ſunt quatuor, eſſentia, quantitas, qualitas, locus: at genera motus ſunt æqualia generibus entium: Ergo motus genera ſunt quatuor. Ariſtoteleæ partitionis ratiocinatio ejuſmodi eſt, cujus antecedens in propoſitione & aſſumptione, phyſici philoſophi quæſo mecum diligenter animadvertite. Genera entis ſunt quatuor, ait tertii phyſici phyſicus. At phyſicus primi phyſici, capite ſecundo, tria tantúm fecit, eſſentiam, quantitatem, qualitatem: at phyſicus primi phyſici, capite ſeptimo, ſex genera fecit, eſſentiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, quando, ubi: At phyſicus quinti phyſici, capite primo, octo fecit, eſſentiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, Agere, Pati, quando, ubi: At logicus Ariſtoteles decem entis genera in logicis categoriis fecit: eſſentiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, Agere, Pati, ubi, quando, ſitum eſſe, habere. In philoſophia etiam aliter eſt partitus. Quemnam igitur de tam multis Ariſtotelibus potiſſimum audiam? an poteſt ejuſdẽ partitionis numerus ternarius, quaternarius, ſenarius, octonarius, denarius, ſimul eſſe verus? Denique ens ipſum multó elegantius in philoſophia 2. cap. 4. lib. & 5. c. 11. lib. dividitur ſecundum genera argumẽtorum logicorum in conſentaneum, diſſentaneum, æquale, inæquale, ſimile, diſſimile, & cæteras: illic enim primas entis ſpecies & differentias ea primarum notionum categoremata nominat, cùm diſſerit eſſe ſcientiam unam, quæ conſideret ens, quatenus ens: conſiderandi autem entis inſtrumenta facit cauſſas, oppoſita, comparata, cæteraq; illa organa logica. Quare cúm in iſta ſyllogiſmi propoſitione, magiſter ipſe ſibi non aſſentiatur: quis pudor eſt, poſtulare, ut diſcipulus aſſentiatur? Sed quatuor generum binas differentias operæpretium ſit ab Ariſtotele percipere: eſſentiæ, formam & privationem: qualitatis, album, nigrũ: quantitatis, perfectum, imperfectum: lationis, ſurſum, deorſum, aut leve & grave. Etenim quando forma & privatio tales erunt eſſentiæ vel ſpecies vel differẽtiæ, quales album & nigrum, ſunt quantitatis? Privatio autem, quomodo ſubſtantiæ vel ſpecies vel differentia dicetur? Philopono privatio eſt hic contrariorum pejus tanquam ellipſis aliqua, forma autem exuperantia: at commentum eſt joculare. Tum veró perfectum & imperfectum, cur quantitati potius quám eſſentiæ, quám qualitati, quám reliquis entibus attribuitur? Deniq; cur cætera illa genera, qualitas, quantitas nominantur pro genere: latio autem, pro lationis loco nominatur? cur item leve & grave potius differentiæ loci, quám qualitatis efficiuntur? Quapropter propoſitionis ejuſdem etiam iſta bella tot ſophiſmatum exornatio eſt. Agedum, ſpectetur aſſumptio. At genera motus ſunt æqualia generibus entis: Si Ariſtoteles primas illas entis ſpecies & logicas differentias antea cogitaſſet, & jam aſſumendo, motũ logicum, communem entis etiam non entis cogitaret, ut co-

ut cogitat in logicis effectum, & ſignificaret ab omni re aliquid moveri atq; effici, vel rem omnem moveri atque effici, audirem hoc æquius & facilius: neq; tamen prorſus acquieſcerem, neq; genera motus vel effectus tot facerem, quot modi quilibet eſſent cauſſarum, unde orirentur: vel ſubjectorum, in quibus exercerentur. At phyſicorũ & ſenſilium corporum motum Ariſtoteles tantum cogitat: effectus Dei mentiſq; nullos motus eſſe arbitratur. Itaque entia illa, quæ prima veriſsimaq; entia ſunt, Ariſtoteleos motus nullos habent, nec genera motus ideo æqualia erunt generibus entiũ. Imó veró vera genera motus nulla omnino ſunt: ſed motus ut effectus, una ſola & generali & logica definitione conſideratus, ſatis ſuperque omni & enti & non enti ſufficiet: ut materia, forma, finis: ut relatum & adverſum, ut genus & ſpecies ſemel definita ſufficiunt: nullæ ipſorum diviſiones aliæ diſcernũtur aut differuntur. Forma, materia, genus, ſpecies rerum grammaticarum, rhetoricarum, arithmeticarum, geometricarum, phyſicarum in artibus ipſis per generales illas & logicas definitiones, nulla formæ, materiæ, generis, ſpeciei nova inſtitutione conſiderantur: uſus adhibetur tantùm. Ita, doctrina motus & effectus, ex illo in univerſum cauſſarũ fœtu partuq; intelligendus in omni ente & non ente, in omni arte & non arte: exempla uſuſq; latiſsimé per omnes regiones diſperſus & diſſeminatus apparebit: in Grammatica, declinandi, conjugandi, legendi, ſcribendi, bene deniq; loquendi: in rhetorica, modificandi verbi, figurandæ orationis, agendi, pronuntiandi, id eſt bene dicendi. In logica, cauſſandi, efficiendi, ſubjiciendi, adjungendi, opponendi, comparandi, notandi, partiendi, definiendi, teſtificandi, enuntiandi, concludendi, ordinandi, id eſt bene differendi: In phyſica, motus cæli & elementorum, cõverſim, ſurſum, deorſum: miſtio ipſorum, ortus, interitus, coitio, juventus, maturitas, ſenectus, vita, arteriarum pulſus, viſus, auditus, odoratus, guſtatus, tactus: illi nempe motus omnes phyſici ſunt: & ſimiliter in cæteris artibus ſui propriique motus explicantur. Omnis enim ars, eſt vis aliquid agendi & movendi, nulla eſt inertis & nihil agentis otii: nec in alio ſunt artes occupatæ, quàm in actionum motionumq; ſuarum proprietatibus. Genera autem motus (quæ phyſici, unde Ariſtoteles collegit, vocabulorum ſpecie & varietate decepti, phyſica exiſtimarunt) é logicis & primis entis vel potius rationis, argumentique differentiis conficta ſunt. Cum cauſſæ omnes concurrunt ad efficiẽdum hominem, lineam, colorem & rem quamlibet aliam: geneſis eſt, ſive novam ſpeciem gigni, ſeu veterem corrumpi conſideres. Sic Ariſtoteles 7. cap. 1. phyſ. & 1. cap. 2. γένεσιν, pro omni motu, ut ſæpe aliás, uſurpavit. Sic in philoſophia 7. cap. 7. lib. vocat geneſin, omnem motum, facitq; κινεῖν ἢ ποιεῖν, intelligentiam vel actionem. Corruptio præcipuè eſt é topico contrariorum, ubi & axioma illud eſt propriũ, Contrarium á contrarió corrumpi. & tamẽ ipſa corruptio, etiam geneſis eſt. & ſic Ariſtoteles 3. cap. 8. phyſ. nominatim ait omnem motum eſſe generationem aut corruptionem: cùm dicit, Ferè autem etiam moveri, fieri quippiam & corrumpi omnibus videtur. Accretio & diminutio, é majorum & minorum Topicó oriuntur: & ut duæ res quælibet inæquales, logicé dicuntur majores vel minores: ſic augeri minuiq; logicé & communiter dicentur, non ſolùm linea, ſuperficie, corpore, ſed vi qualibet & facultate: & hæc ipſa accretio diminutioq;, geneſis etiam de quacumq; re ſimiliter dicetur: ſimiliter ut alterum, de omni ente & non ente, ſic & alteratio dicetur: & alteratio ipſa geneſis erit. Locus, eſt entis & non entis: ideoque & loci mutatio. quin localis motus ſpecies efficiuntur accretio & diminutio, 4. ca. 4. phyſ. Neque in horum motuum vocabulis quicquã phyſicæ proprium eſt: totum eſt logicum, id eſt generale communeq; entis & nõ entis. Quamobrem & propoſitionis & aſſumptionis elenchus é dialecticis, neq; rectè neq; ex ordine perceptis, ortus eſt. Itaq; Theophraſtus Ariſtotelem magiſtrum nequaquã in illa quadripertita motuum diviſione probaverat, ſed contrà diſſeruerat, ubicunque potentia & oppoſitio eſſet, ibi quoque motum eſſe, ut Simplicius recitat. atqui tamen in hac ſalebra Simplicius valde ſimpliciter hæret: tametſi enim errorem manifeſtum videt, atta-

men ita loquitur: Καὶ οἶδα μὲν, ὅτι προπετὲς εἶναι δοκεῖ, τὸ τὴν ἐναντίαν ἀφιέναι τῷ Ἀριστοτέλει φωνήν. atqui protervum eſſe videatur, Ariſtoteli contrariam vocem proferre. O' ſimpliciſsime Simplici, & Ariſtotelis magiſtri diſsimillime, cujuſnā philoſophi ſimplicitas iſta eſt! Amicus enim Plato, amicus Socrates Ariſtoteli: magis tamen amica veritas. Itaq; tot'is phyſicis, quantum certamen eſt Ariſtoteli, non dico quàm verum, ſed quàm liberum, contra Meliſſum, Parmenidē, Anaxagoram, Empedoclem, Platonem, omnem deniq; antiquitatem? Ergo Ariſtotelis libertatem legibus Ariſtotelis conſentientem, Simplicii bonitati & ſimplicitati nequaquam poſtponamus, & moneamus Simplicios ignaviæ & imperitiæ ſuæ, ut in philoſophia philoſophos omnes pro ſuo quemq; merito laudent & ament: omnibus tamen philoſophis veritatem & philoſophiam longiſsimé anteponant. Theophraſtus unus Ariſtoteli ſucceſsit, qui non timidè à magiſtro philoſophiæ cauſſa diſſentiret: at ſi Ariſtoteli alter Ariſtoteles ſucceſsiſſet, noſtris jam ſcholis nihil eſſet opus, tota tes longè aliter eſſet expoſita. Neque veró jam id attendimus, ut motus utilitas minuatur, ſed ut augeatur partibus infinitis & amplificetur, & pro modica iſta in phyſicis rebus commoditate, immenſa atq; infinita per omnes artes utilitas & commoditas percipiatur. Motum putat Ariſtoteles in phyſica eſſe neceſſarium: aſſentior & laudo, ſed aſſumo inſuper magna cum gratia, quod octavo phyſico phyſicus poſtea nobis largitur. in omni quoq; arte alia vel ſciētiæ vel opinionis neceſſarium eſſe. Quid multa? pedem unū Ariſtoteles motui aſſerit: Ego Ariſtotele eodem locupletiore authore, corpus univerſum do, dico, addico. Speciei uni aſsignavit, univerſo omniū entium artium, imó etiam nō entium non artiū generi condono. Et tamē id ipſum principe, judice, authore Ariſtotele ipſo facio, qui ſua lege καθ' ὅλου πρῶτον, generalia generaliter inſtitui jubet: doctrina autem motus eſt generalis: generaliter igitur, non ſpecialiter doceatur.

IN CAP. II.

Atque hæc de partitione motus: definitio ſequitur ὕστερον πρότερον, eaq; non minus prolixa atq; ambigua. Nec Ariſtoteles laborem & anxietatē animi ſui diſsimulavit: tribus enim hoc capite locis, definiendi motus difficultatem profitetur: Non facilé definire, ait, quid ſit motus. Itē, Propterea ſané difficile ipſum ſumere quid eſt. ac pauló póſt, cum dixiſſet, motum eſſe ἐνέργειαν addidit, difficilem quidē cognitu. Itaq; teſtificatio difficultatis hujus, triplici teſtimonio teſtificata, teſtificatur in primis philoſophi ſolicitudinem, non aſſequentis, quod ſibi propoſuerat. Quid igitur eſt motus? aut quæ tam difficilis ejus definitio? ea triplex eſt in hoc capite, verbis differens, re conſentiens. Prima, τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ᾗ τοιοῦτον κίνησίς ἐστιν. Potentiâ entis actus, quatenus tale motus eſt. Hîc primúm de genere requiro, quid ἐντελέχεια ſit. Grammaticus, eſt hic accuraté grammaticus. τὸ μὲν οὖν (ait) τῆς ἐντελεχείας ὄνομα, σημαίνει παρὰ τῷ Ἀριστοτέλει, τὴν ἐνέργειαν, καὶ τὴν τελειότητα· σύγκειται γὰρ τὸ ἐν, καὶ τὸ τέλειον, καὶ τὸ ἔχειν. ὅταν οὖν ἕκαστον ἔχει τὴν ἑαυτοῦ τελειότητα, ἐντελέχεια λέγεται εἶναι. Entelechiæ nomen ſignificat apud Ariſtotelē actum & perfectionem: componitur enim ex ἐν, id eſt in, & τέλειον, id eſt perfectum, & ἔχειν, id eſt habere: Quādo igitur unumquodq; habet ſuam perfectionem, entelechia dicitur eſſe. Hęc eruditus interpres ille, Ariſtotelem imitatus, apud quē ἐντελέχεια, τελείωσιν & formam ſignificat: quo ſenſu ἐντελέχεια καὶ δύναμις per totam Ariſtotelis philoſophiam opponuntur. Hæc veró Philoponi interpretatio, ridiculam grammaticorum concertationem oſtendit, modó per τ, ἐντελέχειαν· modó per δ, ἐνδελέχειαν, ſcribentium: quāquam & Luciani tempore jam id percrebuerat. attamen ad pręſentē Ariſtotelis ſententiam, quám ſit apta entelechia, cōſideremus. Tota enim definitionis difficultas eſt ex hoc uno genere. Nam ſi ἐντελέχεια, perfectionem rei, id eſt formam ſignificat: nō poteſt motui, quo forma ipſa formatur, convenire. Sin veró ἐντελέχεια, formationem ipſam, & á privatione progreſsionem ad ipſam formam ſignificat: cedo, quænam erit iſta motus definitio, motus eſt formatio potētiâ entis, quatenus tale. vel motus, eſt potentiâ entis, quatenus tale: progreſsioq; à privatione ad formā. Formatio enim vel progreſsio, vel aliud quidlibet ſimile, ſpecies erit motus,

motus. aut ſi omnino entelechia, idē ſit quod motus, definitio erit ejuſdem per idem, Motus, eſt motus entis in potētia, quatenus tale. At entelechia ſignificat vel formam, vel formæ formationem & impreſsionem. Unde, inquies, id habes? Equidē ab eodē illo bonorū malorūq́; ferê omnium his in artibus authore habeo: etenim ſic Ariſtoteles 3.ca.9.metaphy. ait, ἐνεργείας nomen ad ἐντελέχειαν, & cætera alia ex motibus perveniſſe: videtur enim ἡ ἐνέργεια, μάλιστα ἡ κίνησις εἶναι, maximé motus eſſe: & Alexander hoc loco ait, ἐνέργειαν dupliciter dici, modó ipſum motum, ut dealbationem: modó finem motus, ut ipſum album: quos fines (ait) ἐντελεχείας Ariſtoteles appellat. O^ magnificum philoſophum! ô philoſophi interpretem philoſopho ipſo hac philoſophia nihilo inferiorem! macti ambo eſtote tantæ veritatis tamq́; nobis exoptatæ vindices! Veſtræ enim vocis beneficio ſine cōtroverſia jam concludo, Entelechian genus motus eſſe nō poſſe, neque motum ſpeciem eſſe entelechiæ: nec omnino motū eſſe entelechiam. Sed hęc definitio motus prima eſt, quæ ab Ariſtotele declaratur per ſpeciales motus, quos phyſicos exiſtimat, ortum, interitum, accretionem, diminutionem, alterationem, lationem: ſed declaratur etiā per exempla artificialium motuum, ædificationis, medicationis, volutationis, ſaltationis: ab architectura, medicina, hiſtrionia, chironomia: ut Ariſtotelis teſtimonio, videamus artiū artificioſos non ſolùm naturæ naturales eſſe motus: atq; inde intelligamus, motum non eſſe proprium rerum phyſicarum, ſed communem omnium. Quid tum deinde? Inſeritur axioma, Movens phyſicè, etiā movetur: Item, Agens phyſicè, etiā patitur. ſed id tertio capite commodius explicatur. Sequitur altera motus definitio, obſcurior & involutior ſuperiore. κίνησις δὲ τῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ὅταν ἐντελεχείᾳ ὂν ἐνεργῇ, ἢ αὐτὸ, ἢ ἄλλο, ᾗ κινητὸν, κίνησίς ἐστι. Motus, eſt potentiâ entis actus, quādo actu agit aut ipſum, aut aliud, quatenus mobile. Enimvero qualis eſt iſta definitio? quidnā illud eſt? Motus eſt actus quando actu agit? utrum ἐντελέχεια, hic forma eſt ipſa perfecta? quomodo enim ageret actu, niſi forma perfecta eſſet? Sed tamē, quænā iſta eſt oratio? Motus eſt actus, quādo actu agit. Ergo motus movetur? ergo filius ipſe ſibi pater eſt? nec entelechia ipſa modó impreſsio formæ, vel informatio ſpeciei, ſed ſpecies, ſed forma eſt? Deinde quid eſt illud, Ipſum aut aliud? Motus igit̃ ſeipſum agit aut aliud? Hic Græcos interpretes valde anxios & ſolicitos perſpicio, literā variā è variis exēplaribus appellantes. At mehercule, ſi blattas Apelliconis & tineas obteſteris omnes, nunquā tamē elenchū tam ἄλογον expedies, ut entelechiā, verū genus phyſici motus poſsis efficere. Quare fallitur Empedocles aut Zeno aut phyſicus ille, quiſquis Ariſtoteli talē motus definitionē præbuit. Nec entelechia, genus eſt motus, ſive forma, ſive formatio dicatur. Forma quæcunq; ſit, movet: non eſt tamē motus. Quare definitio hæc altera, motū multó etiā definit ineptius. Perge, quid poſtea? declaratur ab Ariſtotele particula definitionis ᾗ, quaten⁹: ut motus ad potentiā referatur: aliudq́; ſit ſubjectū actu, aliud potentia. unde & tertia mot⁹ definitio oritur, τῦ δυνατοῦ ᾗ δυνατὸν, ἐντελέχεια κίνησίς ἐστι. Motus eſt actus poſsibilis, quatenus poſsibile: quæ declaratur eodē iſto ædificationis exēplo, quo prima definitio declarata eſt: ut intelligamus etiā artificioſos motus, Ariſtotelis definitione iterū iterumq́; comprehēdi: neq; motū, rem eſſe phyſicam, potius quàm omnium rerū communē. Tum veró genus motus efficitur ἐνέργεια, id eſt actio vel actus: motus nēpe, vel certé ſpecies motus. Sic Ariſtoteles inquirēdo genus motus, incidit rurſus in ſpeciem. Sed tamē definitionem motus ita cōſtitutam Ariſtoteles modis omnibus obfirmare nititur. Tota mali labes eſt in vitioſo genere entelechiæ: Id Ariſtoteles perſentit: genera motus ſex alia præter entelechiam diſputat. Verùm (ait) non melius alii phyſici, motum definierunt: neq; genus aliud invenire potuerūt. Nā quód phyſici quidam, genus motus putant eſſe ἑτερότητα καὶ ἀνισότητα, καὶ τὸ μὴ ὂν, diverſitatem & inęqualitatem, & non ens: errant (ait) nec eorum quicquā motus eſt. Errorem tamen hunc Ariſtoteles ipſe excuſat, quia phyſicis illis, motus ita nominatus eſt, tanquam eſſet quiddam ἀόριστον, indefinitū, cùm motus abſoluté neq; δύναμις, neque ἐνέργεια ſit, ſed energia imperfecta. Denique generis in-

dagatio huc redit: ut de tribus abſolutè aliquod unum motus eſſe videatur, aut privatio, aut potentia, aut energia. at horum abſolutè nihil eſſe. Ergo adhuc dè ſeptemplici genere motus, entelechia, energia, diverſitate, inæqualitate, non ente, privatione, potentia, nullum abſolutè Ariſtoteli probatum eſt. Quid igitur eſt motus, ſi nihil iſtorū eſt? Motus (ait Ariſtoteles) non eſt ſimplex, ſed imperfecta energia. Enimvero ſi energia formam ſignificat, neque etiam forma quamlibet imperfecta, motus unquam fuerit. ſi formationem ſignificat, formatio, ſpecies motus erit, nō genus, uti jam dictum eſt. Quare poſtremum hoc, nihil definitionem motus adjuvat: & Ariſtoteles protinus hanc etiam imperfectam energiam obliviſcitur. Secūda definitio motus per mobile repetitur elencho etiam manifeſtiore. Motus eſt entelechia mobilis, quatenus mobile. Eheu, quid hic agitur? per mobile motus definitur: & tamen entelechia non imperfecta, ſed abſoluta & ſimplex exprimitur, contra quam nunc nuper negatum eſt? O' præcipites ſoliciti fruſtra & exerciti animi anguſtias! Motus eſt entelechia entis potētiâ, quatenus tale eſt: Eſt entelechia mobilis, quatenus mobile: Eſt entelechia poſsibilis, quatenus poſſibile. Quapropter motus per entelechiam tribus definitionibus ita definitus eſt. Ulcus acte ſuberat de forma, motus principio & cauſſa. Itaq; retexit orationem philoſophus: Motus (ait) nō eſt abſolutè entelechia, neque energia, ſed imperfecta entelechia, ſed imperfecta energia: at falſum, inquā. Motus enim, forma neq; perfecta, neq; imperfecta eſt; neq; formatio perfecta vel imperfecta, genus motus eſſe poteſt. Quemnam igitur modum hic invenias? Definiendum motum, tanquam phyſicarum rerū magnum in primis magnopereq; propriū adjumentum philoſophus ſuſcepit: ſuſcepti oneris pondere & gravitate preſſus, velut exclamat, Non eſt facile definire motum: difficile eſt, quid ſit motus aſſignare: Genus motus, cognitu obſcurum eſt. Et certè definitionis principiū, id eſt genus motus, toto iſto capite inveniri non potuit. Veteres tria pro uno ſtatuerant, ἑτερότητα, ἀνισότητα, μὴ ὄν. Ariſtoteles quatuor propoſuit, στέρησιν, δύναμιν, ἐντελέχειαν, ἐνέργειαν: nullū abſolutè probavit, ſed entelechiam & energiam imperfectam videtur approbare: Neq; tamen in definitione ſequente adhibet imperfectam vel entelechiam vel energiā, ſed abſolutè dicit, motū, eſſe energiam mobilis, quatenus mobile. Quamobrē in tam alto graviq; ſomno, ſphæra decidat, pelvis altè reſonet. expergefactus Philippus, machæram amplius audiat. Hic non diſputo legem aliquam Ariſtotelis violari, cæteras ſervari: ſed ſani prorſus nihil animadverto: totæ definitiones tres fallaces & captioſæ. tollātur igitur è phyſicis.

IN CAP. III.

SEd ariſtotelei ingenii fœcūditatem & ubertatē antea negavimus uno loco totam contineri: multa multis locis variè ab eo diſputari, comparandaq; ideo eſſe rerū momenta: quod potiſsimum legibus Ariſtotelis congruet, id ab Ariſtotele potiſsimum judicatum & probatum judicemus & probemus. Caput igitur tertium cum duobus proximis ſuperioribus conferamus, & ab Ariſtotele ipſo medicinam & allevationem petamus. ſuccurret utiq;, docebitq; motum, eſſe logicam rem, nō phyſicam. Quid igitur hic Ariſtoteles ait? Motum unum re & eundem eſſe ait in movente & mobili, ſed ratione differre: ut enim idem eſt intervallum unius ad duo, & duorum ad unum: idemq; locus acclivis & declivis: eadēq; via Thebis Athenas, quæ Thebas Athenis: ſic mot⁹ unus & idē eſt motivi & mobilis, activi nempe & paſsivi: ſed in movente agenteq;, actio: in mobili & patiente, paſsio. ut in docendo, motus eſt unus: ſed in magiſtro, δίδαξις, in diſcipulo, μάθησις. Atque hanc quæſtionem, ἀπορίαν λογικὴν appellat Ariſtoteles, id eſt ἀξίαν τινὸς λόγου, dignam conſideratione, ut Grammaticus interpretatur. vel potius logicæ artis propriam, ut Argyropylus ſenſit: quia è decem Topicis categoriis una ſit actionis & paſsionis. Atq; etiam in capite hoc toto, Ariſtoteli, ἐνέργεια, ἐνεργεῖν, ἐνεργητικόν, ſunt idē quod κίνησις, κινεῖν, κινητικόν. Agedum, capitis hujus phyſicam conſideremus attentius, & jam Ariſtotelis voce, Ariſtotelis meliorem de motu philoſophiam audiamus. Syllogiſmus unus, ſo phiſmata illa perverſè motus & definiti

& diſtri-

& diſtribui, é phyſicis ejiciet. Hunc igitur ſyllogiſmum expẽdamus, & æſtimemus, quanti ſit in hac quæſtione. Actio & paſsio ad logicam attinet, ut Ariſtoteles in logicis & categoriis & Topicis perſpicuè teſtatur: at motus idem, eſt actio paſsioq́: in movente, actio: in mobili, paſsio, ut in capitis hujus philoſophia Ariſtoteles idem profitetur: neque aliud eſt κίνησις, quàm ποίησις, ut jã notavimus antea locis aliquot, & infinitis præterea in Ariſtotele locis animadverti poteſt. Motus igitur, Ariſtotele authore & aſſertore, logica res eſt: ideoq́ à phyſicis ad logicam remittatur. Verum judicium hoc Ariſtotelis illuſtre eſt, non ſolùm ex iſto capite, ſed é logica, ſed é philoſophia prima: Etenim & motus genera in categoriis ſeparatim caput habent, & quot ſint, & quid cuique ſit contrarium: in Topicis veró, locus effectorum nunquam nominatur (nominatur autem ſæpe) niſi geneſis nomine. Quare motus clariſsimo iſto Ariſtotelis teſtimonio, logica res erit, non phyſica. Tum veró philoſophia prima (quam Ariſtoteles etſi diverſam à logica facere videatur, attamen logicæ ſubjecto parem efficit) teſtimonium hoc multó locupletius habet, ubi nono capite libri undecimi, eadem prorſus non ſolùm ſententiis, ſed verbis deſcribuntur, quæ tribus primis tertii phyſici capitibus de motu differuntur. Interrogetur igitur Ariſtoteles & logicus & philoſophus, cur iſtam de motu doctrinam in logica, cur in philoſophia collocarit: cauſſam reſpondebit unam, quia ſit generalis, quia ſit cõmunis omnium rerum. Et quidem tantæ veritatis tamq́ adhuc inauditæ lucem, laudemq́ Ariſtoteli acceptã, ſyncerè atq́ ingenuè referemus: neq́ philoſophũ merita gloria fraudabimus. Ubinã igitur, inquies, iſta eſt Ariſtotelis philoſophia? Attende igitur, inquam, quæ 3. cap. 8. phyſ. ſcripta ſunt, ad eos refellendum, qui omnia quieſcere arbitrarentur. Hoc (inquit Ariſtoteles) affirmare, impotentia quædam mẽtis eſt, dubitatioq́ de toto quodam, non de parte: neq́ ſolùm adverſus phyſicam, ſed etiam adverſus omnes artes, ut breviter dicam, & adverſus omnes inſtitutiones, quoniã omnes utuntur motu. En, inquam, Ariſtotelis philoſophia illa in primis ſuſpiciẽda & admiranda, qua tenebrę & nugę de phyſicis artibus maximæ & importuniſsimæ tolluntur. Motus (ait) res non eſt phyſicorum propria, ſed communis omnium artium & inſtitutionum. Et quidẽ Ariſtotelis iſta logica de motu omnium entium communi, logica Platonis eſt, qui in Sophiſta, in Parmenide, in locis præterea compluribus, exquirens genera entis communia, numerat motum & ſtatum. Itaq́ revocatus ad legem καθόλου πρῶτον, idem etiã quod antea reſpõdebit, quia ipſius motus intelligentia & ſcientia ſit generalis & communis, in generali & communi diſciplina inſtituẽdam eſſe, removendamq́ é phyſicis. Quamobrem Ariſtoteli hæc etiam gratia debeatur, quód ejus & teſtimoniis & legibus tanta obſcuritate, phyſica auſcultatio liberetur. Ad finẽ capitis, videtur Ariſtoteles, cùm motum ita nihil definiendo, definierit, velle ſimili definitione ſpecies motus definire: Alteratio (ait) eſt entelechia alterabilis, quatenus alterabile. Hic entelechia rurſus non imperfecta, ſed abſoluta exprimitur: & tamẽ ſi genus eſſet motui, non potuit eſſe proximũ genus cuilibet motus ſpeciei. Alteratio autem melius definiretur motus alterabilis, quatenus alterabile. Sed entelechia (ut Cicero indicat) ab Ariſtotele in philoſophia novatum verbum erat. Itaque ut antea privatio, principatus authoritate, ſic entelechia, ſua motione atque agitatione vehementiùs authorem parentemque ſuum movit atq́ obſectavit: multó etiã vehemẽtius entelechia. Hinc forma Ariſtoteli eſt entelechia: hinc motus Ariſtoteli eſt entelechia: hinc anima Ariſtoteli eſt entelechia: hinc quinta natura Ariſtoteli eſt entelechia: hinc Deus Ariſtoteli eſt entelechia: hinc regnum denique phyſicum, entelechiæ veluti dotis loco attributum. At entelechiæ ſuæ Ariſtoteles nimium conceſsit, nimium indulſit. Genera ſpecieſque generalibus ſpecialibuſque differentiis diſtinguenda ſunt. motus, anima, Deus, cælũ, entelechiam propinquitate generis ac neceſsitudine contingere nõ poſſunt. Quamobrem ut privationẽ é generibus cauſſarum atq́ principiorũ ſuſtulimus, & ad logicũ cõtrariorum Topicũ remiſimus: ſic entelechiam aut formã cujuſq́ ſimpliciter aut motum ſimpliciter, generi vel cauſſarũ

tantùm, vel effectorum tantùm ſubjiciamus: ambiguitatis fallaciam miſſam faciamus. tam effrænatam ambiguitatis licentiam leges Ariſtotelis nunquam patientur.

IN CAP. IIII.

MOtus igitur adhuc ita definitus & diſtributus eſt: qualitates adjunctæ ſequuntur, infinitas & æternitas: ea nempe ſunt ariſtotelex ſubtilitatis inventa duo, fraudis infinitæ atque æternæ, & tãquam arietis cujuſdam cornua ad phyſicam Platonis de mũdi creatione ſubvertendum. Sed fraudes tam cornutorum ſophiſmatum inexpiabiles latius in animos impiorum pervaſere, ut inde quoq; & Moſes & Chriſtus, Porphyrio, Proclo, Simplicio, Moſiſq; & Chriſti ſectatores τελχῖνες habeantur. Quamobrem phyſici, per muſas phyſicas, imò verò Chriſtianas, de utraq; theſis impietate differentem, diligenter auſcultate, & conſiderate, quàm graves & moleſti aculei & ſcrupuli ex animis imperitorum & ſimpliciũ hinc evellantur. Ariſtoteles æternum mundum hac infinitatis machina machinatus eſt: & nos Chriſtiani theologi ſic accepimus, ut Ariſtotelem Deo penè parem faciamus: tanquam ſacræ literæ divinam mundi creationem quandam nobis incomprehenſibilem proponãt: Ariſtotelis autem monimẽta, neceſſariis argumẽtis ipſam æterni mundi veritatem interpretentur. Quapropter tã diris & inexpiabilibus ſophiſmatis conſtanter acriterq; eſt obſiſtendum. Agitedum: phyſicum de infinito differentem attendamus. Theſis una de infinito ab Ariſtotele variis locis variè declamatur: Sex capita ſunt primi poſteriorũ de infinitate argumentorum & mediorũ 3.15.16.17.18.19: poſtea primo de cælo, quinq; capita erunt, 5.6.7.8.9: tãdem etiam in philoſophia, 2. & 3. cap. 2. lib. Quin caput unum decimum libri undecimi, iiſdem non ſententiis, ſed verbis repetit, præcipua capita præſentis in hoc tertio libro diſputationis: quod idem paulò antè factũ de motu diximus. Ilias, ita me Deus amet, fuerit, ſi novemdecim capita de infinito cõponantur. Sic infinitas infinitum philoſophi noſtri caput, octodecim capitibus infinitè exercuit. In hanc igitur theſim unam, Ariſtotelis ingenium latiſſimè redundavit, longiſſimeq; extra terminos omnes ſeſe effudit. Sũmas tam immenſæ profuſionis tantùm differemus. Agedum, quid philoſophus de infinito ait? Rhetorica ſanè eſt nõ vulgaris, prooemium magnificum: Infiniti conſiderationem phyſicis eſſe propriam, non ſolùm quia unumquodque ſit infinitum vel finitum, ſed multò magis, quia nobiliſſimus quiſq; phyſicus, Pythagoras, Plato, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, Heraclitus, Anaximander, de infinito differuit: adeo ut infinitũ, ſit ſuis authoribus principium ingenitum, incorruptibile, ſine interitu divinum, atq; immortale. Hæc igitur, quæ non ſua ſpecie excitaret oratio? At primò, finitum illud vel infinitum eſſe, è logica comparatorum, vel è mathematica numerorũ & magnitudinum eſt: non eſt è phyſica. Itaq; phyſicus pompa iſta aliena & contra legem καθ' αὑτὸ, tam fucata nos decipit. Deinde totus iſte tamq; gravis philoſophorum chorus, quid aliud eſt per totã phyſicam Ariſtoteli, quàm de errantibus & deceptis hominibus triũphus? Neque lex Ariſtotelis κατὰ παντὸς, infiniti diſciplinam phyſicis hoc argumento adjudicabit. Poſtremũ illud, infinitum dici à ſuis authoribus principium æternum, immortale, divinum, phyſico noſtro valde contrarium eſt: argumentoq; certo eſt, Deũ infinitæ potentiæ, non corpus ſenſibile (ut illis imponitur) à phyſicis celebrari: & Anaxagoræ mentem in primis, falſa calumnia antea vexatam eſſe: cùm hic etiam mens ipſa, nominatim fiat illud infinitum divinumq; principium. Et hic locus eſt, tum etiam à nobis ad Anaxagoræ defenſionem productus. Quamobrem tres prooemii rationes, ſunt tres Ariſtotelis elenchi, Ariſtotelem planiſſimè atq; apertiſſimè convincentes, infiniti doctrinam non eſſe phyſicorum propriam. En igitur phyſicæ declamationis prooemium: ex quo velut ex ungue leonem, ita reliquam diſputationẽ jam licebit æſtimare. In prooemio autẽ ipſo, mathematicum exemplum includitur, quòd circumpoſitis gnomonibus circa unam & ſeparatam ſpeciẽ, aliàs diverſa ſpecies oriatur, aliàs eadem. Græci interpretãtur quadratum ſervari, ſi impar proximus addatur: mutari autem, ſi par. ut 1 & 3 conſtituunt 4 quadra-

quadratum: 1 & 2 conſtituunt 3 gnomonem. Quod verum quidem eſt: at ternarius gnomon, additus 4 quadrato, mutat etiam ſpeciem. Quare locus ille in categoriis capite de motu, quòd gnomon circumpoſitus augeat, neq; mutet ſpeciem, falſus erit, niſi intelligatur de gnomone proximo majori. Perge, quid deinde? Theſis εἰς ἑκάτερον declamatur. Attendamus igitur utramq; declamationis partem. Eſt infinitum, ait Ariſtoteles, ut patet argumentis quinq;, à tempore, ſectione, generatione, termino: quinto, ex intelligentia, numero, magnitudine, vacuo extra cælum, & loco. Hæc pro infinito argumēta ſunt breviter propoſita, neq; refutata hoc capite à philoſopho: falſa tamē omnia, & refutata tandem capite octavo. at logica methodus, poſtulabat ut protinus iis argumentis obſiſteretur, neq; ſolutio tam longè differretur. ſed tamen refutatio plenior & uberior, promiſcuè & generaliter inſtituitur, cujusq; gratia, infinitum quinque modis dividitur: primò, quod impoſſibile ſit pertranſire, cùm per ſe non ſit tale: quæ negatio eſt, ut vox dicitur inviſibilis: ſecundò, τὸ ἀδιέξοδον ἔχον ἀτελεύτητον, quod tranſitum habeat, ſed cujus finis inveniri nō poſſit, ἀδιέξοδον, ἀδιαβίτητον, ἄπειρον μεγέθει, ἐσχάτοις, ἐντελεχείᾳ, ſine exitu, ſine tranſitu, infinitum magnitudine, extremis, actu. tertiò, quod vix permeari poſſit, ut labyrinthus. quartò, quod non habet exitum, quanvis habere poſſit, ut circulus. quintò, quod additione vel diviſione vel utraq; ſit infinitum. Atqui, inquam, partitio hæc valdè ſophiſtica eſt, de cujus quinq; membris, duo tantùm ad rem pertineant, ſecundum & quintum. Itaq; etiā poſtea rotundior eſt partitio infiniti actu & potētia: atque id infinitum duplex, totis poſtea quinq; capitibus diſſeretur, tanquā ſubjectum motus: unde ipſe motus infinitus poſtea concludetur: hoc igitur refutationis primū eſt ſophiſma. Sed enim Ariſtoteles legis καθ' αὑτὸ hic meminit, & logicam refutationē ſolidamq; pollicetur: Infinitum actu, aliud geometricum, aliud phyſicum fuerit: itaq; phyſicus bis in hoc capite proteſtatur, ſe de phyſico infinito diſputaturum. Maximè eſt (ait) phyſici, cōſiderare ſiqua magnitudo ſenſilis ſit infinita. & paulò pòſt, multò etiā clarius & evidētius, idem præfatur. Sed fortaſſe (ait) ipſa quidem magis univerſalis inquiſitio, utrùm accidat infinitū & in mathematicis & intelligibilibus & in nō habentibus magnitudinem: Nos autem conſideramus de ſenſilibus & de iis diſputationem inſtituimus. Hæc igitur Ariſtotelis duplex eſt præfatio atq; præcautio: ut videlicet intelligatur, cùm phyſica tota ſit ſenſilium rerum, phyſicū modò extrà terminos ſuæ profeſſionis non egredi, cùm de phyſico & ſenſili infinito philoſophetur. Quamobrē adverſus hoc actu infinitū ſenſile corpus, argumenta quidē non obſcura Ariſtotelis diriguntur. Cur igitur infinitum phyſicum nullū eſt? Quia (ait phyſicus) tale corpus, neq; ſubſtantia eſt, neq; accidēs, idemq; cōtinuatur λογικῶς, quia neq; magnitudo ſit, neq; numerus. Equidē Ariſtotelem jam planè agnoſco, & de theſi poſita accuratè differentem. Nullus numerus phyſicus eſt actu infinitus, ait: nulla magnitudo phyſica eſt actu infinita. Concedo, inquam, & probo hæc omnia. Tum pergit, neq; jam λογικῶς argumentis communibus argumētatur. φυσικῶς (ait) etiā ſe cauſſam propriis rebus addicturū: primò, quia de quatuor elementis ſimplex nullū ſit infinitum, neq; compoſitū è multis: ſecūdò, quia locus phyſicus, corpus ſenſile infinitū capere non poſſit, neq; homogeneum, neq; heterogeneum, neq; ſpecie infinitū: præſertim cùm loci ſpecies & differentiæ ſurſum, deorſum, prorſum, rurſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, definitæ ſint & terminatæ, nō ſolùm theſi quo ad nos, ſed etiā in ipſo univerſo, quod ad futurā de loco doctrinam diligētius obſervandum nobis eſt. Atq; hæc argumenta ſunt Ariſtotelis, tum logica tum phyſica, ut ſummatim ſubducā, quibus omnino vereq; cōcludit, nullū in natura ſenſile actu infinitum eſſe. Sed enim (inquies) adverſus quos iſta infinitatis refutatio declamatur? adverſus Pythagoreos putatur ab interpretibus quibuſdam Ariſtoteles hic invehi. At in hoc capite, Pythagoreos Ariſtoteles diſtinguit à phyſiologis & phyſicis: tanquam illi mathematici, aut ſublimioris doctrinæ magiſtri fuerint. Ac ne quis nos potius quàm Ariſtotelem iſta dicere exiſtimet, excitetur magiſter ipſe è ſeptimo capite

in pri-

in primo philoſophiæ libro, dicatq́ de Pythagoreis apertius, quæ modo diximus. Qui igitur Pythagorei vocantur, ait, principiis & elementis utuntur indecentius, quàm phyſiologi. Cauſſa verò eſt, quoniam ipſa non è ſenſilibus aſſumunt. Et cauſſam addit ibidē, Quia mathemata (quibus utuntur) ſunt ſine materia & motu. & pauló pôſt Pythagorei reprehenduntur, quòd de igne, aëre, aqua, terra, omninoq́ de ſenſili corpore nihil dixerint. Quare Ariſtoteles fictā de induſtria theſim, exercendi ingenii gratia, prudens & ſciens commentatur, tanquam phyſicis rebus materia deſit, quæ ſerió doceatur. Fabuloſæ inſcientiæ ludus agitur, & quod à nullo phyſico unquam dictum eſt, id á noſtro tam ſolicitè refellitur. Circa finem capitis, Anaxagoræ mens vellicatur: quæ ſententia Anaxagoræ quieſcit, ideo quia ſe ipſam ſua vi ſtabiliat, ſitq́ tota in ſeipſam converſa, nec ab alio cōprehendatur. Quid igitur Ariſtoteles adverſus iſtas Anaxagoreæ divinæq́ mentis (ſic enim pauló antè mens, principium infinitum, & divinum dicebatur) laudes, & quidem laudes antea à Simplicio propoſitas, argumentatur? Transfert ad ὁμοιομέρειαν, id eſt, ad materiam tanquam corpoream, quod de incorporea mēte dictum erat. Sic enim interpretes Ariſtotelis gratia interpretantur. Simplicius tamen obſtitit, & de intelligibili ſententiam Anaxagoræ interpretari maluit: τὰ δὲ ἀμερῆ καὶ ἀδιάστατα ἐν ἑαυτοῖς ἐστι καὶ στηρίζεται ὑφ' ἑαυτῶν συνεχόμενα. impartibilia autem & ſpatio carentia ſunt in ſeipſis, & ſtabiliuntur à ſeipſis colligata & connexa. Quapropter in hac diſputatione, ut Pythagoras, ſic & Anaxagoras, animi cauſſa videlicet, ab alacri & ſuis argumentis excitato declamatore declamantur.

IN CAP. V.

Refutatum igitur eſt actu infinitū phyſicum: quid ſupereſt deinde? Cōcluſam, inquam, rem putabas ac confectam? ſecus eſt: judicium enim ſuſpenditur, & cauſſa velut ampliatur: quia videatur infinitum aliquid eſſe: ſecus, principium & finis eſſet temporis, & magnitudo non dividua in magnitudines, & numerus non infinitus, ut modo quodam infinitum & eſſe & non eſſe videatur. Hic Ariſtoteles infinitum potentia proſequitur, & in eo reliquam diſputationem conſumit. Quid ergo? Dirimendæ controverſiæ cauſſa, infinitum duplex, actu & potentia, efficitur. Certè, inquam, dichotomia iſta fatuam illam quinq́ membrorum diſtinctionē egregiè tefellit. Tum veró actu infinitū tollitur, retinetur infinitum potentia, additionis nempe & diviſionis. Nam lineæ individuæ, ut 3. cap. 1. phyſic. magnitudines individuæ: ut 4. cap. 1. phyſici, ἐλάχιστον μέγεθος minima magnitudo, ut hic rejiciuntur, & pro principio poſtulatur, quod ante poſtulatum eſt adverſus Antiphontem magnitudinē inſinité dividuam eſſe. Sed hujus probationis & demōſtrationis librum Philoponus ait ab Ariſtotele conſcriptum fuiſſe adverſus Anaxagoram, & Simplicius citat itē Ariſtotelis librum contra lineas individuas: qui tamen is eſſe nō poteſt, quem inter Ariſtotelis opera legimus, ut patet ex ipſius lectione: ubi Ariſtoteles ipſe appellatur. Argumentum autem Philoponi & Simplicii, é 10. p. 1. (Datam rectā bifariam ſecare) rem quidem adjuvat, ſed & pleraq́ alia collecta à nobis ad 10 p 1. Et Simplicius tertio loco ſe rurſus valde ἀσύμμετρον oſtendit, cùm citat é decimo elementorū propoſitionem Euclidis, quæ eſt 10 p 6. Verumtamen phyſice mirifice, quid agimus? Infinitum iſtud potentia, mathematicum eſt, non phyſicū: & magnitudo ſemper dividua, non eſt phyſica: mathematica eſt. Cur igitur propoſitum nobis definitumque problema de magnitudine ſenſili, obliviſcimur? cur ad inſenſilem egredimur? phyſicum agrum nobis colendum ſelegimus, duplicíq́ teſtificationis pignore recepimus phyſico diſſerēdum de infinito ſenſili: cur ad inſenſile & geometricum modó digredimur? Interea veró é libris Ariſtotelis recordemur Democritum, Anaxagoram, Xenocratem, Platonem, individuarum magnitudinum authores Ariſtoteli oppoſitos eſſe. Sed in 1. cap. 6. phyſ. theſis iſta differatur, illic enim demōſtrationem infinitatis admirabilē phyſicus depromet. Perge verò, rem alienā attēdamus, & phyſici noſtri oblivionē ſequamur. Quid igitur? Phyſicus phyſicū infinitū oblitus, ab eoq́ delapſus ad mathematicū, quid ait?

ait: Definit mathematicum infinitũ potentiâ, quæ nunquã actum habitura ſit: quod aliud ſemper atq; aliud aſſumat: finitum tamen actu atque terminatum: quomodo dies & ludi infiniti dicuntur, quibus aliis ſemper alii ſuccedunt: cùm tamen interea præſentes & dies & ludi finiti ac terminati ſint. Sic igitur Ariſtoteli eſt mathematicum infinitum potentiâ, actum infinitatis ſuæ nunquam habitura: Idq; additione in numero, diviſione in magnitudine, cui utriq; id commune ſit, quòd ſemper aliud finitum ac terminatum aſſumatur. Nam ut additione, toti numero aliud additur: ſic diviſione, è tota magnitudine aliud ſecernitur. differentiam tamen hic Ariſtoteles mirabilẽ inſtituit, magnopereq; conſiderandam. Magnitudo minima dari non poteſt (ait) quin diviſione facias minorem: at poteſt dari maxima, qua major eſſe nulla poſsit, ut mundi & cæli magnitudo: ideoq; phyſici errant, qui extra cælum, corpus ullum ſomniant. Contra, numerus ſemper augeri poteſt additione, neq; maximus erit unquam: minui verò infinitè non poteſt: unitas enim erit minimus numerus. Hæc Ariſtotelis eſt philoſophia de mathematico infinito potentiâ, non ſolùm inconſtans, ſed omnino falſa. Eheu logicæ leges, effrænatam infinitatis ſophiſticam refrænate, atq; inconſtantiam primùm conſtringite: Etenim phyſice vigilantiſſime, receperas te dicturum de phyſico infinito: delapſus es ad mathematicum, neq; tamẽ in eo permanes: relaberis ad phyſicum. nondũ dormis planè, ſed certè dormitas. Infinitũ potentiâ eſt in numero ſecundum additionẽ, ais: neq; maximus numerus dari poteſt, quo major cogitari non poſsit: minimus tamen numerus dari poteſt, unitas nẽpe, qua minor numerus nequeat cogitari. Hic tibi conſtas, & permanes in numero mathematico: Nam ſi phyſicum numerum cogitares, ut arborum, pecudum, hominũ, maximus etiam dari poſſet: alioqui innumerabilibus Democriti mundis eſſet opus ad numerũ arborum, pecudum, hominum comprehendendũ: Ergo hactenus conſtantia phyſici noſtri integra eſt: In magnitudine autem periclitatur. Etenim de mathematico infinito præcipiens phyſicus, ait magnitudinem dari poſſe maximam, minimã non poſſe: maximam, ut eſt magnitudo cœli & mundi: at enim magnitudo cæli & mũdi eſt phyſica & ſenſilis: nõ eſt mathematica & inſenſilis. Quare phyſici noſtri inconſtantia magna hic deprehẽditur, pro mathematico infinito, phyſicum proponẽns: ideoq; Simplicis ænigma indiſſolubile à magiſtro hic poſitum eſt: ut magnitudo eadẽ ſenſilis ſit & inſenſilis, id eſt phyſica & mathematica: Sed inconſtantiam doctoris miſſam faciamus: falſitatẽ doctrinæ potius urgeamus: doceamus falſum eſſe, magnitudinẽ mathematicam dari poſſe maximam. Agitedum, numerus mathematicus infinitè poteſt augeri, phyſicus nõ poteſt: & ſic, inquam, magnitudo mathematica, id eſt ſola mente concepta, infinitè poteſt augeri: phyſica nõ poteſt: Etenim magnitudo illa mundi, non eſt maxima, quam poſsis animo concipere. Appello huc primùm phyſicos illos pauló antè ab Ariſtotele reprehenſos, qui corpus infinitum ſupra cælum ſtatuerent. Statuebant, inquam, corpus infinitum ſupra cælum, nõ dico verè, ſed tamẽ ſtatuebant. ergo cogitabãt. Appellarem huc Democritum, Leucippum, & phyſicos innumerabiles alios: ſed artifices ipſos ac magiſtros geometras præſtat appellare, quorum problematis continetur ad ſphæram non tantùm inſcriptio reliquorũ quinq; corporum mundanorum, ſed etiã circumſcriptio. Atq; ea ratione cogitare licet mundi ſphæram tetraedro, hexaedro, octaedro, dodecaedro, icoſaedro inſcriptam. Sed enim cur phyſicos aut geometras huc appello, cum pictoribus & poëtis etiam liceat? qualis enim eſt Atlas ille, qui

Axem humeris torquet ſtellis ardẽtibus aptũ?

nonne cælo major? Ergo licet magnitudinem aliquã cogitare majorem mundi & cæli magnitudine. Quare ut numerus, ſic magnitudo maxima cogitari nulla poteſt, quin ea major etiã cogitetur. Falſum igitur, magnitudinẽ mathematicã dari poſſe maximã. Redeamus igitur ad Anaxagoræ infinitatẽ, quam firmo illo & ſtabili axiomate ſubvertebat Ariſtoteles. Si verò impoſsibile eſt (aiebat) animal aut plantã quantamlibet eſſe ſecundum magnitudinẽ aut parvitatẽ: manifeſtum,

feſtum, quod neque partium ullam neceſſe eſt quantamlibet eſſe: & mox, Manifeſtum igitur, quòd impoſsibile eſt, carnē aut os, aut aliud quidpiam quantumlibet eſſe magnitudine, aut in majus, aut in minus. Hæc, ô Ariſtoteles, tua vox, hæc oratio tua, hæc philoſophia tua adverſus Anaxagoræ infinitum, antea veriſsima fuit: & jam adverſus authorem ſuum, parem veritatem obtineto. Res ſenſilis eſt finitè dividua, minimumque habet aliquid & individuum: At quælibet magnitudo phyſica eſt res ſenſilis, nullaque in rerum natura tantùm intelligibilis eſt magnitudo, ut ad finem libri Ariſtoteles ipſe profitebitur. Magnitudo igitur phyſica eſt finitè dividua, minimumque habet aliquid & individuum. Hunc, inquã, ſyllogiſmum meditentur interpretes Ariſtotelis, credereque deſinant, infinitam potentiâ in phyſica magnitudine diviſionē ullam eſſe. Enimvero quantò luculentior eſt Ariſtotelis philoſophia 3. cap. 8. phyſ. ubi diſſerit, errare graviter eos phyſicos, qui omnia vel quieſcere, vel moveri ajunt? Senſui (inquit Ariſtoteles) hi phyſici cõtraria ac repugnantia loquuntur. Uſurpemus igitur axioma idem, dicamusq; Ariſtotelem de magnitudine ſemper dividua in phyſica diſſerentem, abſurdum eſſe, ſenſuiq; contraria ac repugnantia dicere. Enimvero quantò etiam conſtantior eſt Ariſtotelis philoſophia 3. cap. 8. phyſ. ubi docet magnitudinis extremum aliquid eſſe, quo longius iri non poſsit? Philoſophum igitur, philoſophiæ ſuæ teſtimoniis illuſtrioribus & locupletioribus de tanto errore moneamus, veracemque Ariſtotelem huic captioſo & fallaci Ariſtoteli præponamus, totamq; phyſicæ magnitudinis infinitatem è medio tollamus: magnitudo autem geometrica geometricè tractetur & doceatur, quæ ipſa mente abſtrahitur, revera tamen eſt in ipſa phyſica magnitudine. Etenim (ait Ariſtoteles 8. cap. 3. phyſ.) ad demonſtrandum illo modo nihil intererit: eſſentia autē erit in magnitudinibus quæ ſunt. item loco alio: Intelligimus exuperantiam & defectum quantumlibet. non idcirco tamen exuperantia & defectus eſt in re. Addo etiam illud è 1. cap. 4. phyſ. Ex intelligibilibus elementis nulla fit magnitudo. Itaque Ariſtotelis tam claris teſtimoniis conſtat, ut hominem & leonem, ſic magnitudinem cogitari quidem, ſed hominem in Socrate, leonem in hoc leone, magnitudinem in hac magnitudine eſſe: intelligentiam univerſalem, eſſe mentis: veritatem ſingularem, eſſe ſenſus: neque omnino cogitationem veram eſſe, cujus exemplum ſingulare nullum revera poſsit exhiberi. Neq; tamen geometria, inanis quædam & phantaſtica tantùm cõtemplatio eſt, ſed ars artium reliquarum ſimilis eſt ſolida quædam res & expreſſa: & metiendi denique ars, non eas magnitudines, quæ tantùm cogitentur, nuſquam autem ſint, ſed eas, quæ ſenſibus percipiantur, & revera ſint. Neque geometres, eſt contemplator quidam iners, ſed actor navus & induſtrius: neque tantùm concipit animo ſectiones, productiones, æquationes magnitudinum, & ex iis, figuratum, dimenſiones deniq; longitudinum, latitudinum, altitudinum quaslibet, ſed reipſa ac veritate metitur: regula deniq;, perpendiculo, norma utitur: neq; omnino potētiâ magnitudinis, ex potentia animi geometrici, ſed ex quantitatis natura, magnitudini inſita & ingenerata eſt. Quapropter valeat à phyſicis rebus infinita illa perpetuæ diviſionis potentia, atque in meris inſomniis habeatur: ſed fraudulentis tamē inſomniis, & gravium poſtea ac peſtiferorum errorum principiis, ut à geometrica magnitudine theſis ad phyſicam transferatur, mathematica magnitudo mente ſola concepta perpetuo dividua eſt. Ergo phyſica magnitudo perpetuo dividua erit, non magis conſequens fuerit Ariſtoteli logicas Ariſtotelis leges attēdenti, quàm ſi diceretur, Ariſtoteles judicavit hominum genus æternum eſſe: Ergo judicavit Platonem immortalē eſſe. Atqui hoc acroama pleriſque phyſicis in acroaſi phyſica novum & inſolitum nō ignoro futurum, attamen verum, attamen conſtans, attamen rationibus, quæ refelli nullo modo poſsint, affirmatum ac judicatum. Quæſtio iſta in Ariſtotele confuſior & obſcurior fuit, ideoq; explicationis illuſtrioris gratia, quædã à nobis præterita ſunt: ut de Platonis parvo magnoq;, in quo Ariſtoteles à ſuis, ut Platonis calumniator accuſatur.

IN CAP. VI.

ITaq; totum caput ſextum falſum eſt, quód infinitum ſit, extra quod ſemper aliquid liceat aſſumere: totaque comparatio infiniti ridicula eſt, cum toto, cum perfecto, cũ parte, cũ materia: cũ infinita phyſicæ magnitudinis potentia nulla ſit. Interea vero eadẽ æquitate carpitur Plato de magno & parvo, qua prius: tanquam Plato dixerit, magnum & parvum, materam infinitam, quæ comprehenderet omnia: cùm tamen cõprehendatur potius à forma.

IN CAP. VII.

EAdem ruina ſeptimum caput corruet, quod infinitum potentia, nõ ſit additiõe magnitudinis, ſed numeri: contrá veró, ſit diviſione magnitudinis, non numeri: maximaq; magnitudo dari poſsit, non poſsit minima: contraq; minimus numerus dari poſsit, maximus non poſsit. tota, inquã, infinitas potentiæ ridicula & commentitia fuerit in phyſica magnitudine, ſimileq; (quod eſt ad finem capitis) commentum erit, quód infinitas magnitudinis, motus, temporis, ſit ſecundum prius ac poſterius, per ſe nempe in magnitudine, inde in motu per magnitudinem, tandẽ per motum in tempore. Nam ſi nulla ſit infinitas ſenſibis in phyſica magnitudine, neq; actu, neq; potentia, in motu & tempore undenam fuerit? Atq; hoc portentum eſt infiniti motus & temporis, quod multis ſubinde locis iterabit, ſed præcipué toto ſexto phyſico diſſeretur.

IN CAP. VIII.

VErùm perge. Ariſtoteles altiſsimũ ſomnum & arctiſsimum edormivit: Receperat ſe dicturum de infinito phyſico & ſenſili, nullum id neque actu, neq; extremis, neq; magnitudine uſquam eſſe, & revera demõſtravit: dormitare cœpit, & theſin oblivisci, & primó miſcere infinitum phyſicum cũ mathematico: deniq; plané dormiens, affirmavit potentiâ diviſionis phyſicã magnitudinem infinitam eſſe, unde etiam motus & tempus infinita eſſent. At iſto capite, videtur ſphæra in pelvim decidiſſe: aliam enim potentiam geometricam interpretatur. Geometra (ait) infinitã lineam non aliter poſtulat, quám quanta ſatis ſit. & ſic poſtea 10. cap. 1. de cœlo, diagrammata poſtulantur διδασκαλίας χάριν, diſciplinæ cauſſa. Atqui hoc geometricum infinitũ, quod modó Ariſtoteles interpretatur, eſt verum, vereq; ab Ariſtotele explicatum. Atque hoc modo, infinitũ in mathematicis erat explicandum, non comminiſcendum phyſicæ infinitatis ænigma prodigioſum. Et ſané ſic in elementis, poſtulatur in quibuſdam propoſitionibus Euclidis infinitum, quanto videlicet ſit opus. Itaq; (ait Ariſtoteles) quod antea citavimus, ad demonſtrãdum illo modo nihil intererit: Eſſentia autem erit in magnitudinibus, quæ ſunt id eſt, ut Simplicius veré interpretatur, quamvis demonſtratio fiat in magnitudinibus intellectis: attamen ὀργανικὰ σχήματα nõ ſunt in magnitudinibus intellectis, ſed in iis quæ revera ſunt. Hinc igitur meminerimus infinitum geometricum, non nunc appellari infinitum potentia, ſed quantũ fuerit neceſſe. Tandem veró ad finẽ octavi capitis, ſolvuntur argumenta quinque, infinitum, initio quarti capitis confirmantia, é quibus non ſequitur infinitum actu in rerum natura eſſe. Primó, non ſi geneſis rerum perpetua ſit, ideo infinitum actu neceſſe ſit eſſe: quia unius ortus, ſit interitus alterius. Et tamen perpetuam generationem falſó ſibi concedit Ariſtoteles, é falſo potentiæ principio: & huic errori plenius obſiſtet octavo phyſico. Secundó, non quia unumquodq; ſuo termino terminatur, eſt infinitum: aliud enim eſt tangi, aliud terminari: tactus aliud exigit, cui contiguũ ſit, terminus eſt in re terminata. Tertiũ eſt argumentũ, quod antea citavimus, Nos intelligimus exuperantiã, aut defectum quantumlibet: nõ idcirco tamẽ exuperantia & defectus eſt in re: Nec enim quia egens melancholicus aliquis, cogitat ſe hominem fortunatiſsimũ eſſe: idcirco Crœſus aut Craſſus erit, ſed quia res eſt, idcirco accidit. Quartó & quintó, tempus nõ permanet, & magnitudo, ne intelligibili quidem neque decremento, neq; incremẽto, actu infinita ulla eſt. Quamobrem concludere jam Ariſtoteli liceat, tam prolixa quinq; capitũ altercatione, infinitum non ſolùm actu ἀδιέξοδον καὶ ἀδιεξίτητον, ſed etiã potentiâ, nullũ in natura rerum eſſe, nihil

phyſicum, ac ſenſile infinitum eſſe: ſed omne phyſicum ac ſenſile, eſſe finitum, finiteq́ dividuum, totamq́ illam Geometricā magnitudinis ſemper dividuæ potentiam, ad Phyſicam magnitudinē, ad Phyſicum motum, ad Phyſicum tempus traduci, & tamen Ariſtoteli immortalis etiam gratia debeatur, quód non malum duntaxat excogitavit, ſed mali quoq́ remedium, accuraté intuentibus oſtenderit. Hac enim una ſophiſmatis peſte, nulla unquam religioni Chriſtianæ capitalior, cum libris Ariſtotelis in ſcholas noſtras irrepſit. Sed tamen ingentem animo lætitiam atque alacritatem inde ad reliquas acroaſeos partes animo concipio, quód hoc infinitatis cornu retuſum, vel potius contuſum penitus eſt: cætera n. ludos & jocos, præ hoc uno impietatis portento, dixeris fuiſſe.

P. RAMI SCHOLARUM PHYSICARUM *Liber IIII. in quartum physicum.*

IN CAPUT I.

TERTIUS liber phyſicæ auſcultationis habuit aliquid logicum in motu, ſine tamen doctrina: in infinito, fructum phyſicæ doctrinæ nullum habuit: habuit tamen fructū illū duplicē: primùm, quód infinitum in natura rerum & phyſicum nihil eſſe didicimus, neq́ actu, neq́ potentia: alterum, quód è talis erroris principio æternitas mundi poſtea nulla nobis metuēda ſit: quartus liber, logicum aliquid habebit de ſubjecto entibus loco, deq́ adjuncto tempore: ſed per montes & valles aſperitatum variarū, id ipſum nobis erit quærendum. Rhetoricæ pompæ magnarū in utramq́ partem declamationum, ac ferè perpetuarum refutationum erunt: quinq́ prima capita de loco, quatuor proxima de vacuo, reliqua de tempore. Ariſtotelem igitur, velut Iſocratem aliquem de loco perorantem auſcultemus. Initio primi capitis, procemiū brevius eſt, quo Ariſtoteles, legis ſuæ *κατ' αὐτὸ*, videlicet nō immemor, propriam in phyſica de loco diſputationem teſtatur, ne quis alienæ profeſsionis elenchum obſiciat. Quamobrem, inquam, propria eſt phyſicæ? Eſt enim locus, logica res, entisq́ & non entis cōmunis. Quia, inquit, entia ſunt in loco: Quia præcipuus motus eſt in loco: & ſic motus localis gratiā, dicetur 4. cap. 4. phy. de loco agi in phyſicis. At, inquam, & domus eſt in loco: attamen non ideo fuerit architecturæ, præcipere de loco. Elenchus iſte valde familiaris eſt Ariſtoteli: quicquid ſcitu neceſſariū phyſicus noſter arbitratur, ejus doctrinam protinus arbitratur phyſicorum eſſe propriam. ſed proprietatis hujus poſſeſsio, ad docilitatem quandam ſic eſt, ad majorē veró attentionem, ſequitur de loco multas ambiguitates eſſe: neq́ tamen de eo quicquam à veteribus phyſicis expoſitum. attentio hæc, mirificé tota quinque capitū theſi retinetur, quód ſit loci admirabilis vis quædam, omniumq́ rerū prima. Ideoq́ videatur eſſe difficile ſtatuere quid ſit locus: tum quód locus arduam cōtemplationem habeat, ideoq́ difficultatis & ambiguitatis cauſſam diligentius exquirendam. deniq́ magnū & arduum eſſe, ſtatuere quid ſit locus. Toties magnitudo ſuſceptæ quæſtionis, & amplitudo, quatuor primis capitibus à phyſico noſtro repetitur & iteratur. Equidem dolores animi, angoresq́ ingenij graues agnoſco, rem non modó difficilem, ſed impoſsibilem aggredientis! Plato, vel potius ante Platonem, omnis antiquitas, imó communis hominū ſenſus, locū ſtatuit eſſe ſpatiū locati, & omnibus locati partibus exæquatū: ſic corporis locus, eſt ſpatiū trifariā dimēſum: dimenſione quippe longitudinis, latitudinis, altitudinis: & cûm menti locū volumus, has dimēſiones metimur. Locus ſuperficiei, eſt ſpatiū duplicis dimenſionis: Locus lineæ, eſt ſpatiū unius dimenſionis: Locus puncti, eſt ſpatiū dimēſionis expers. Attamen, ut poſtea ex Ariſtotele patebit, locus eſt etiā Dei, ut ex eodē oſtēdetur. Nec intereſt, utrū locus ſit corporeus, an incorporeus: ut lucis locus eſt aër, aqua & quodvis lucidū corpus: corporis contrà, locus eſt incorporeus, & animó tantū cōprehenditur. Hanc loci veritatē oppugnandam Ariſtoteles ſuſcepit: Itaq́ velut onus Aetna gravius ſuſtinētis, vox illa eſt difficultatis toties iteratæ. In qua tamē, ingenti ambitio par apparet. Democritꝰ, Leucippus, Anaxagoras,

goras, Pythagoras ab Ariſtotele appellantur in diſputatione de loco: Plato & Zeno reprehenduntur: & tamen Ariſtoteles, amplificandæ laudis ſuæ cauſſâ, ait ab aliis nihil de loco neque prius inventum eſſe, neq; ſuppeditatum. Sed agé, tanti conatus, tantæq; ambitionis declamationem audiamus. De loco ſibi declamandum Ariſtoteles propoſuit: Quid nam: utrũ ſit (ait) & quid ſit. Verúm, inquã, quærere utrũ ſit locus, quid ab eo differt, quærere utrum natura ſit? Phyſicus ille ab hoc noſtro deriſus eſt, & cæco de coloribus diſſerenti cõparatus. Par jam, ſi lubet, pari referatur: & hic noſter, ab illo phyſico, comparetur cęco de coloribus diſſerenti. Sed tamen quoniam Ariſtoteli vitia ſua pulchra ſunt, quæ deridenda videntur in aliis, auſcultemus hãc acroaſin, utrum ſit locus. Eſſe (inquit Ariſtoteles) locus videatur, argumentis quinq;: primũ eſt, ἐκ τῆς ἀντιμεταστάσεως, è mutua rerum tranſmutatione: quia ubi aqua nunc eſt, ibi erit aër. Hæc veró ἀντιμετάστασιν, in primis eſt animadvertenda: θέσιν, ſtatus loci: ἀντιμετάστασιν locatorum veré ab Ariſtotele probatᷣ & probabitur poſtea: ut ſi elemẽta ſurſum deorſum permutentᷣ omnia, corrupniſq; locatis, locus tamẽ idẽ permaneat, dicetᷣ totis quinq; proximis capitibus: ut jam hic intelligatur, locũ, eſſe rem logicã, ſolaq; mentis cõſignatione conſtantem: licet aliquando adjuncto ſit corporeus. Interea veró adnoto, quod Ariſtoteli, ὁ τόπος καὶ ἡ χώρα, locus & ſpatiũ pro eodem ſit, quod poſtea ſibi adverſus Platonem tantopere refellendũ propoſuit. Secundum argumentũ, quod ſit locus, eſt latio corporũ naturaliũ ſurſum deorſumque, in quo Ariſtoteles reperit dictũ ad 4. cap. 3. phyſici, de differẽtiis loci, quas appellat loci partes & ſpecies: docetq; non ſolúm ſitu quo ad nos, ſed ut antea in univerſo, ita nunc ἐν τῇ φύσει in natura, unumquodq; horum eſſe definitũ: quod laudo, & ad illã loci θέσιν aggrego: ut locus, ſit quiddam permanens, lociq; differẽtiæ in natura ipſa fixæ ac permanentes. Tertium argumentum eſt, de mathematicis, quæ ſitum, quó ad nos habeant, ut verticem, baſim, dextrum, ſiniſtrum: quod verum eſt. At Ariſtoteles mathemata in loco tamen eſſe negat: quod eſt falſum. Etenim vera eſt Ariſtotelis contraria pleriſque locis philoſophia: primó in categoriis, quæ docet magnitudinis proprium eſſe, partes alicubi ſitas habere: ſecũdó ad 3. cap. 5. phyſici, quæ docet ſimul eſſe, quæ ſunt in uno loco: & tangere, quorũ extrema ſunt ſimul. Itaq; cúm peripheria rectam, aut peripheriam tangat, duo puncta Ariſtoteli erunt in eodem loco: ternó ad 1. cap. 6. phyſ. quæ docet continui partes loco ſeparatas eſſe. Denique Ariſtoteles aliquando ad geometras, id eſt legitimos judices, quæſtionem iſtam retulit, ut 6. cap. 1. de generat. Etenim (ait) ſecundũ mathematicos de tactu & loco ſtatuendum. At, inquã, mathematici nõ ſolúm mathematis locum tribuunt, ſed ſolis mathematis occupari & repleri phyſicũ locum profitentur. Hinc Ariſtoteli tam frequens axioma, etiã in hujus libri capitibus 1. 3. 4. 5. ſæpeq; alias, duo corpora ſimul non eſſe: item duas magnitudines ſimul non eſſe, 5. cap. 1. de gener. Itẽ in categoria quãtitatis nominatim de linea, ſuperficie, corpore præcipitᷣ partes habere θέσιν ſitũ, ut dici poſsit, de qualibet ubi ſit. Hinc figuræ ſimiles ſimiliterq; poſitæ tam frequẽter appellantur in geometricis rebus. Hinc ſcripta geometrarum de figuris complentibus locum, ut in planis, triangulo, quadrãgulo, ſexangulo: in ſolidis, pyramide & cubo, quod etiam ad 8. cap. 3. de cælo Ariſtoteles adverſus Platonem arripuit. Hinc nobiliſsimũ illud infinitæ per totam geometriam potẽtiæ axioma, congruentes magnitudines æquari. Quare locupletibus Ariſtotelis teſtimoniis adhuc patuit, locum eſſe mathematicis rebus & corpori & ſuperficiei & lineę, imó etiam puncto: Quin decimo capite octavi phyſici Ariſtoteles idẽ primo motori quẽ facit ſine parte, ſine magnitudine, locum attribuit in ſuprema mundi regione: & 3. cap. 1. de cœlo repetit, conſenſu gentiũ, ſupremum mundi locũ attributũ eſſe Deo. Quare falſa eſt iſta Ariſtotelis phyſica, quæ negat mathemata in loco eſſe: tanquam locus ſit tantúm corporum: neq; locus, phyſica res eſt, ut dixi, ſed logica: ideoque & entis, & non entis. Verum agé: quænam ſunt argumenta, quartum & quintũ, quód ſit locus? Phyſici quidam vacuum eſſe cenſent, id eſt locum corpore deſtitutũ. Heſiodus

chaos primum facit, deinde terram: tanquam oportuerit ſubeſſe χώραν τοῖς οὖσι, locum entibus. Sed quartum poſtea diſſeretur. in quinto, χώραν rurſus adnotavi, ut antea: quia poſthac Ariſtoteles labefactare conabitur. Verum enimvero declamationis inſtitutæ pars altera adhuc fuit. eſſe locū, ut ἀντιμετάστασις locatorū, latio corporū, mathemata, vacuū, Heſiodus indicant: Non eſſe autē locū, quomodo differitur: infinitū enim ſic antea in utramq; partem diſputatum eſt. Prætermittitur, inquam, inficiatio: differtur protinus quæſtio altera, quid ſit locus: vel potius quid non ſit: Sic enim inſcientiam phyſicā pro ſcientia phyſica à phyſico docemur. Quintuplex autē eſt inficiatio, prima, quòd locus nō ſit corpus, quia corpus eſſet in corpore: id, quia verum eſt, Ariſtoteles obtineto. Secunda, quòd non χώρα ſeu διάστημα, quia eſſet locus ſuperficiei, & aliorū terminorū. Hic Ariſtoteles putat abſurdū id eſſe, quod jam antea putavit. Sed Ariſtotelis verā philoſophiam huic falſæ oppoſuimus, docuimusq;, locum eſſe non ſolúm magnitudinis cujuslibet, ſed etiam puncti, ſed etiā Dei: ubi neq; magnitudo, neq; pars ulla eſt. Quare ſecundum hoc loci genus falſó refellitur. quin ab Ariſtotele, etiam hoc ipſo τῆς χώρας nomine comprobatur jam antea duobus locis, & infinitis poſtea cōprobatur: ut ingenii mira quædam vis in iſto philoſopho appareat. Sed χώρα multó etiam amplius in hac theſi tractabitur. Reliqua igitur perſequere. Tertío igitur, locus non eſt elementum: quia non eſt corpus. Hoc tertium Ariſtoteli cōcedatur, vel potiús ab eo quæratur, cúm docuerit, locū non eſſe corpus, quid neceſſe ſit, diſputari, non eſſe elementū: ex illo enim generali, hoc ſpeciale ſequebatur. Quarto, locus non eſt cauſſa: neq; enim materia, neq; forma, neq; movens, neq; finis. Quorſum, inquam, iſte in logicū agrúm incurſus? De movente enim & fine ſuſpicio nulla ſuberat, de materia & forma poſthac agetur. Quintó & poſtremô, locus nō eſt ens, quia eſſet in loco: quod Zeno dubitavit: quia creſcēte corpore, creſceret: qd' veró locus Ariſtotelí nō videtur ens, accipio hactenus, ut corporeū nihil intelligatur: eſt enim διάστημα ἀσώματον, uñ dictū eſt. De Zenone autē reſpondebitur ad tertium & quintum caput. Atq; hæc argumētatio eſt, & altercatio capitis primi, qua nullā de loco doctrinam adhuc percepimus. Rhetorica declamatio fuit, eſſe locum, & locum de quinq; generibus nihil eſſe.

IN CAP. II.

Perge igitur Rhetor, & propera theſim iſtā declamare. Locus eſt communis multorū locatorū, aut proprius unius: eſto. Si locus eſt primū cōprehendens (ais) unumquodq;, terminus utiq; fuerit. Ariſtoteleum, inquā, hîc genus eſt, quòd locus ſit terminus: itaq; (ait) videatur eſſe forma. At quatenus videtur eſſe χώρα καὶ διάστημα, ſpatiū & intervallum, videbitur utiq; materia eſſe: quomodo Plato materiam vocat χώραν, quia ſit quiddā μεταληπτικὸν καὶ μεθεκτικόν, quod ſuſcipiat & participet. huc igitur cauſſæ, duorū philoſophorū opinionibus æmulę, recurrunt: forma, terminum Ariſtotelis: materia, διάστημα Platonis imitatur: Itaq; locus utraq; videatur: Attamen ἀντιμετάστασις (ait Ariſtoteles) tū materiā, tum formā refellit, quia locus á locato ſeparatur: materia formaq; á materiato & formato non ſeparantur: quia res non feruntur ad locū, & quia locus eſſet in re, corruptoq; locato, corrumperetur locus. At quorſum hæc iterata materiæ formæq; diſputatio, cúm jam dictū ſit, locū non eſſe cauſſam? Inſeritur etiā brevior refutatio, quòd locus, neq; pars ſit locati, neq; habitus. Quãobrē? quia locus ſeparabilis ſit á locato, tanquam vas aliquod. Vaſis ſimilitudo poſtea repetetur. Hic igitur ἀντιμετάστασις eadē quę materiam formamq; refellit, eadem partem & habitum refellet. Atq; adhuc genera loci propoſita ſunt octo, corpus, ſpatium, elemētū, cauſſa, ens, terminus, pars, habitus: ſeptem rejectis, ſolus terminus non eſt refutatus, neque tamen approbatus. Sed Ariſtoteli tamē genus illud erit poſtea.

IN CAP. III.

Quid igitur tandem erit locus? mirificæ enim rhetoricæ eſt iſta ſuſtentatio. dicendū eſt antea (inquit phyſicus noſter) aliquid in aliquo, novē διαιρέσεσι, modis eſſe, ut partes in toto, totū in partibus, ſpeciē in genere, genus

genus in ſpecie, formã in materia, in efficiente, in fine, in vaſe, in loco. Atqui, inquam, in hac tam arithmetica enumeratione, phyſicus arguitur à ſuis interpretibus, quód duos modos ſit oblitus, Eſſe in ſubjecto, & in tẽpore: tanta ſubtilitas iſtorũ hominũ ingenia exercuit. Enimvero cõſentanea argumentorũ genera duo ſunt, cauſſa & effectus, ſubjectũ & adjunctum, deq; iis ſola adjuncta proprié ſunt in ſubjecto, reliqua improprié: diſſentanea autẽ, é reliquis ſimplicibus categorematis, alterũ in altero dici nõ poteſt, quia ſimul eſſe nõ poſſunt, quare vel novẽ, vel undecim tales modi valde ridiculi ſunt, qui nihil aliud tamẽ ſint, quám de quatuor illis unus aliquis. Sed tamẽ ariſtotelei ingenii indefatigatã & inexhauſtã in cumulandis phyſicorũ veterũ placitis diligentiã cõſiderate. Quærit̃ reliquo capite quæſtio Zenonia prorſus & nugatoria, ſed tamen valde obſcura, Utrum ſit aliquid in ſeipſo, differiturq;, per aliud eſſe poſſe: cũ partes totius ſint cõtinens & contentũ: ut doliũ vini eſt in ſeipſo, quia doliũ & vinũ duæ ſunt partes in dolio vini: alioqui nihil eſſe in ſe ipſo neq; per ſe, ut patet in ſignificatis enumeratis. Atqui, inquã, falſum etiã illud eſt, per ſe nihil eſſe in ſeipſo. Nam ſignificatũ ſecundũ fuit, totũ eſſe in partibus: quo modo doliũ vini eſt in ſeipſo: ac quoties cõtinens & contentum ſunt partes totius, tũ totum eſt in ſeipſo per ſe: ſi quidẽ novẽ διωρισμένοι per ſe ſint, ut eſſe inductione ſua Ariſtoteles declarat, neq; per accidẽs, quia corpora ſimul eſſent. Atenim qualiſnã iſta phyſica eſt, aut quid ad propoſitã loci naturã definiendũ attinet? An deliciæ ejuſmodi, ſuis autoribus tam charæ fuerunt, ut poſt[illegible]itati cognoſcendæ ac perdiſcendæ proponerent? Sed tamẽ ad finẽ capitis, quæſtio Zenonis é primo capite ſolvitur, quód locus primus nõ ſit in alio loco, ſed in corpore ſubjecto: & hũc modũ oblitus erat Ariſtoteles in illis novẽ modis. tandemq; cõcluditur, locum neq; materiã, neq; formam eſſe.

IN CAP. IIII.

Diſputatum eſt adhuc, eſſe locum: de ſeptemplici tamen genere nullum eſſe, novem modis aliquid eſſe in aliquo, & quomodo aliquid in ſeipſo eſſe diceretur. Quid tandem igitur locus erit? Euclides vel Archimedes aliquis jam factus Ariſtoteles eſſe videatur: Poſtulamus (ait) locum eſſe & terminum, & æqualem locato, & ſeparabilem, & ſurſum deorſumq; habere. Enimvero (magiſter excellentiſsime) cur illud primũ poſtulas cõtra magiſtrũ Platonem, quod argumento demonſtrare verum non poſsis? Platoni atque omni antiquitati veré poſtulanti, locum eſſe ſpatium locati, nõ aſſentitis: Cur igitur ſine argumento, ubi vis diſſentaneum concedi? Equidem cur tibi meritó negetur, iſtud á Platone, tertium tuum poſtulatum efficit, quo repetis antea propoſitam & in loco & in loci differẽntis στάσιν, & in locans, ἀντιπεριστάσιν. Nam ſi locus eſſet terminus corporis continentis, mutato corpore contiuente (ut continens aër, in aquam, vel aqua in aërem commutari poſsit) mutaretur etiam locus: cúm aquæ ſuperficies cum aliqua aëris ſuperficie eſſet locus terræ, & terra viciſſim cum aliqua aëris ſuperficie locus eſſet aquæ. At terra non fertur ſuapte natura ad ullum aquæ aëriſve terminum, ſed ad centrum. Denique locum appellare terminum comprehẽdentis corporis, perinde ſit, ut eſt apud Simplicium, atque pallium, hominis locum dicere; quod poëticis metaphoris vix permitteretur: res enim locata terminat ſibi locum, non autem terminatur á loco: locuſque eſt menſura ſitus eorum quæ locantur, ut tempus, eſt menſura motus eorum, quæ moventur: ut Damaſcenus apud Simpliciũ acuté diſſerit. Hoccine igitur eſt Euclidis vel Archimedis more, rem per ſe claram manifeſtamq; poſtulare? Poſtulas locum æqualem locatò & ſeparabilem: & quidem Platone aſſentiente utrumq; impetrato: Hæc enim duo vel Euclides, vel Archimedes meritó poſtularet. poſtulas deniq; in omni loco ſurſum deorſum. Equidẽ animi cauſſa libenter aſſentiar: attamen tu tibi ipſi aliquando non aſſentiris, neq; tui tibi interpretes Simplicius & Grammaticus aſſentiuntur: tanquam in orbe nil proprié ſurſum deorſumve, ſed converſio & circumactio, vtſque illa mirabilis, quam loci differentiis antea videbatis attribuere, ridicula ſit: neque enim loca ulla potentia, levia ſurſum, gravia

que deorſum feruntur, ſed Naturæ inſtituto atq; lege. Operæ veró pretiū ſit Philoponi & Simplicii ſcripta, magnorum inſtar voluminū adverſus iſtam Ariſtotelis doctrinam de loco perlegere, qui alioquin huic magiſtro ſunt addictiſſimi. Verum ab iis poſtulatis abeamus, quorum ultimum, ſed primū præcipuê negaretur. Ariſtoteles inde ſperat quicquid de loco dubitari poſſit, hinc diſſolvi poſſe. Spes vana & inanis eſt. Tum veró ait locum in primis tantopere diſputari, propter localem motum: indeq; cælum in loco intelligi. at id perinde eſt: locus enim propriè eſt adjūctorum: ferantur autem, aut quieſcant, nil ad loci naturam: neq; locum cæli metimur ex ipſius motu, ſed ſpatio, in quo eſt. Hinc differentiæ illæ, ſurſum, deorſum. Atq; hic etiam notabile eſt, quod Ariſtoteles ait, accretionem & diminutionem, ſpecies lationis eſſe: ut appareat, é quatuor illis commentitiis motus generibus, ſecundum quarti ſpeciem eſſe. Sed iſta nō curanda prætereatur, ut nihil ad rem partitio motus per ſe, per accidens infinité toties phyſicis iterata: item quód pars ſit in ſuo continuo, non ut in loco, ſed ut in toto: prætereatur & tautologia illa, quód locus ſit æqualis locato. Sed heus phyſice loci definitor, quid eſt locus? quouſq; ſuſtentationis hujus rhetorica producetur? Quid enim ſit locus, nondum habemus. Locus (ait Ariſtoteles) eſt vel materia, vel forma, vel medium inter extrema ſpatium, vel terminus: Ecquid igitur? Nónne primum poſtulatum fuerat, locum eſſe terminum? quænam iſta utrum oblivio, an diffidentia? Oblivionis veró ſuſpicio de repēte nulla probabilis appareat. Diffidentia nimirum eſt philoſophi poſtulantis ab aliis, quod á ſeipſo poſtulare vereatᷣ. At (inquit Ariſtoteles) locus nihil eſt è tribus primis, neq; materia, neque forma, neq; ſpatiū: non materia, quia neq; continet, neque ſeparatur: ἀντιμετάστασις huc etiam recurrit. Non forma, quia forma, eſt terminus comprehenſi: locus, eſt terminus comprehendentis. hic tamen terminus aliter in forma, aliter in loco ab Ariſtotele uſurpatur. illic enim, rei ratio interior & definitio: hic veró, externa comprehenſio ſignificatur. Veruntamē qualis eſt iſta de materia formaq; tautologia Ariſtotelis? Primum enim fuit, Locus non eſt cauſſa, neq; materia, neq; forma, &c. Secundum, locus, neq; materia, neq; forma, ut locatorum ἀντιμετάστασιν indicat. Tertiū fuit, locus nō eſt neq; materia, neq; forma, propter ἀντιμετάστασιν, quia res nō ferretur in ſuū locum, & & locus eſſet in re, & corrupto locato corrumperetur locus. Quartum deniq;, nō eſt forma, quia nō eſt terminus comprehenſi, ſed comprehendentis, non eſt materia, quia cōtinet & ſeparatur. Quāobrem quis Ariſtotelis bene ſtudioſus, relectas unquam & recognitas talium ſophiſmatum tautologias exiſtimabit? Ergo locus, neque materia eſt, neq; forma: Sequitur tertium é tribus, quód neque item ſit ſpatium. Attamen locus (ait Ariſtoteles) quia comprehenſum & diviſum perſæpe mutatur manente comprehendente, ut aqua in vaſe: interdum ſpatium, velut quiddam præter translatum corpus eſſe videatur. Revócatur igitur ſecundó χώρα ſeu διάστημα. Ariſtotelis argumentum primo capite fuit, locū non eſſe ſpatium, quia locus eſſet ſuperficiei, lineæ, puncti. quod eſſe verum, ex Ariſtotele ipſo ampliſſimè docuimus: nunc eadem theſis oppugnatur argumentis duobus: Cédó, quibus? Primū eſt, quód loca eſſent infinita, ut infinitæ ſunt partes corporis comprehenſi. At argumentum hoc primum & captioſum eſt, & tam Ariſtotelis termino cōtrariū, quám Platonis ſpatio: Nam neque corporis comprehenſi partes continuæ & in toto unæ, locum niſi continuum & unum poſtulant: & ſi diviſæ vel contiguę cōſiderentur, tot terminis terminari neceſſe ſit, quot ſpatiis opus fuerit comprehendi. Quare hoc argumentum & falſum eſt, & tamen etiam authori ſuo contrariū. Secundum igitur audiamus. Simul autem & locus mutabitur, & erit loci locus alius, & multi loci ſimul erunt. hoc Ariſtotelis argumentū ſecundū eſt admirabilius etiam ſuperiore: διάστημα ſiquidem incorporeum manet mutato locato: At ſi locus eſſet terminus cōprehendentis, mutato comprehendente, tū veré mutaretur locus: itaq; loci τάσις & ἀντιμετάστασις locatorum, διάστημα Platonis valdé confirmat: Ariſtotelis autē terminum aperté refellit. nec veró potius multa loca ſimul erūt, ſi locus ſit ſpatiū, quám

quàm ſi eſſet terminus. Ergo ſic ab Ariſtotele, Platonis de loco philoſophia emendatur, ſyllogiſmusq́ Ariſtotelis cõcluditur: locus, eſt materia, vel forma, vel ſpatium, vel terminus: At trium priorũ nihil eſſe ita cõſtitit: Quare cõcluditur ab Ariſtotele, locum eſſe terminũ comprehendentis corporis. At cõcluſio iſta ſimilis eſt ſuis axiomatis, antecedente dupliciter falſo: & quòd negatur ſpatiũ, & quòd de loco affirmatũ terminus. nec tamen huic ſyllogiſmo nimiùm Ariſtoteles confidit. Itaq; difficultas definiendi loci ſexto loco reperiẽ. Videtur arduum quidpiam atq; difficile eſſe, quia (inquit) & materia & forma videaẽ, & quia in quieſcente cõprehendente tranſmutatio fiat ejus quod fertur. Videtur enim fieri, ut locus ſit διάστημα μεταξὺ ἄλλο τι τῶν κινουμένων μεγεθῶν, ſpatiũ aliud quiddam inter motas magnitudines mediũ. Sic materia formaq́, quia per totũ ſunt locatum, Ariſtotelem exercent, ſed διάστημα Platonis vehementius angit, quia τάσις & ἀντιμετάστασις, materiæ & materiato, formæ & formato non conveniunt, ſpatio & ſpatium occupanti conveniunt. Hoc igitur ulcus urit hominẽ vehementius. Quid hîc Ariſtoteles Platõis διάστημα, aliud agendo, planè confirmat. Videtur (ait) non ſolùm terminus, vaſis eſſe locus, ἀλλὰ καὶ τὸ μεταξὺ ὡς ὂν κενόν, ſed etiam intermedium velut vacuum. hîc anxietas eſt incredibilis, niſi accuratè conſideranti. tam prolixa tamq; verboſa diſputatio inſtituitur ad refellendum Platonem: & tamen non re tantûm per imprudentiã diſputationis, ſed oratione confirmatur: itẽ, ἔστι δὲ ὥσπερ τὸ ἀγγεῖον, τόπος μεταφορητός: οὕτως ὁ τόπος, ἀγγεῖον ἀμετακίνητον. eſt aũt ut vas, locus mutabilis, ſic locus, vas immutabile. Hoc verò totũ eſt à Platone, quia διάστημα Platonis eſt immutabile: terminus Ariſtotelis eſt mutabilis. Hinc tamen cõcludit Ariſtoteles ſuã definitionẽ, quòd locus, ſit primus & immobilis terminus cõprehendentis. At, inquam, falſa definitio per ſe eſt: quia terminus ipſe, moto terminato etiã movetur. Verumenimverò alio præſenti teſtimonio Ariſtotelis, multò etiã manifeſtius refellitur: quod idcirco diligenter animadverti cupio. Ac idcirco (ait Ariſtoteles) medium cæli & extremum circularis lationis, maximè omnibus propriè videtur eſſe, quo ad nos, ſurſum ac deorſum: quòd illud quidem ſemper manet, circuli verò extremum, ſimiliter habẽs maneat. Itaq; quoniam leve quidẽ eſt, quod ſurſum natura fertur, grave autem quod deorſum: terminus comprehendens, ad mediũ, eſt deorſum, & ipſum mediũ: ille autem ad extremum ſurſum, & ipſum extremum. hæc Ariſtotelis de mundi loco ſurſum & deorſum phyſica inſignis eſt, ad Platonis διάστημα ab omni calumnia vindicãdũ: Etenim tam ſæpe repetita θέσεις, localiũ differentiarum, & hic in mundano loco medii & extremi loci differentia appellata, quid aliud, quàm τριχῇ διάστατον διάστημα, trifariam dimenſum ſpatium, totis mundani corporis dimenſionibus uſquequaque exæquatum demõſtrat? Mundi locus (ait Plato) eſt ſpatium totius mundi ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, antè, ponè, differentiis æquatum. Ariſtoteles contrà verbis multa argutatur, dum ait, locum eſſe terminum tanquam pallium quo corpus comprehenditur: at tãdem reipſa, illud ipſum Platonis διάστημα profitetur, aitq́, locũ corporis à medio ipſo corpore ad omnes ejus partes pertinere, dum mundi medium locum deorſum, extremum ſurſum conſtituit. Et revera hanc Platonici διαστήματος lociq; logicam, aſtrologia tota dimetiendis cæli ſpatiis & locis ſequuta eſt, ſola mẽtis deſignatione parallelos, meridianos, horizontes, coluros, lõgitudines, latitudines, altitudines dimetiẽdo: nec unquã pro loco, ſuperficiariũ Ariſtotelis terminũ, ſed incorporeũ Platonis ſpatium ſemper uſurpavit: Neq; omnino geometra quiſquã dimetiendis corporum locis, terminos exteriores, ſed tota intus ſpatia dimetienda ſibi propoſuit. Quare tandem Ariſtoteles veros definiendi loci magiſtros geometras imitatus eſt, Platonicusq́ factus eſt, ut Parmenideus & Anaxagoreus antea, quamvis tam multa cõtra Parmenidem, contra Anaxagoram diſputaſſet: ſerioq; jam mundanum locũ metitur, non exteriore mundani globi termino, ſed toto interiore ſpatio, cujus medium appellat centrum: extremum, peripheriam ultimã: Quamobrẽ philoſophia legitimè conſtituendi ac definiendi loci, Ariſtotelis etiam philoſophia

erit: neq; doctore alio ferè opus eſt ad ullam nobilem philoſophiæ partem diſceptandum, ſed è collectis ab eo cumulatiſq;, non quidlibet protinus arripiendum: momenta rerum ſingularum ponderanda, alia cum aliis comparanda, referẽda ad Ariſtotelis ſummas leges, æſtimanda deniq;, & pro ſuæ veritatis qualitate judicanda Philoſophiam de loco, hæc tot capita demonſtrant, longè pluris Ariſtoteli fuiſſe, quàm vulgò reputãtes ignari homines arbitrentur. Quare & nos diligentiam philoſophi tam diligentis imitati, verũ hujus philoſophiæ ſolidumq; fructum ſeligamus.

IN CAP. V.

Capitis quinti diſputatio explet falſis rebꝰ: Primò cõſectaria ſunt quædam è falſa loci definitione: Corpus in loco eſſe, extra quod ſit aliud corpus: In loco eſſe potentia partes continui, actu ipſum continuũ: Per ſe, ut corpus mobile: per accidens, ratione ſubjecti: Cæli ultimũ terminũ eſſe locũ ſummum omniũ corporũ. Atq; hæc cõſectaria ſunt de loci definitione: unde cõſtat, phyſico res phyſicas tam largè laxeq; locatas eſſe, ut mundo nihil loci relinqueretur. Nec enim per Ariſtotelis definitionem, cælum aut per ſe, aut per partes, in loco erit, cùm neq; totum, neque partes ullam ſuperiorem ſuperficiem habeãt, à qua contineantur. En igitur, mundus de ſuo phyſico conqueratur, tanta quinque capitum de loco phyſica id actũ eſſe deniq;, ut mundo, in quo tamen locarentur omnia, nullus locus attribueretur. Secundò ſunt ſolutiones antecedentium quæſtionũ item falſæ: quarum prima eſt, quòd creſcente corpore, non creſcat locus, ut dubitavit Zeno ad primũ caput. At ſive ſpatium Platonis, ſive terminus Ariſtotelis, locus ſtatuatur, creſcente corpore, locum etiã creſcere neceſſe erit: ridiculaq; Ariſtotelis eſt iſta cõtra ſpatium Platonis ſolutio. Secũda eſt de puncto, quòd punctum fuerit in ſpatio Platonis, non in termino Ariſtotelis. quod verum quidẽ, ſed in hac theſi fruſtra ab Ariſtotele formidatum. Tertia ſolutio eſt, duo corpora ſimul eſſent, ſi locus eſſet ſpatium. quod item falſum eſt: nec enim incorporeũ illud ſpatiũ, duo corpora capiet, potius quàm Ariſtotelis terminus. Quarta, quòd locus ſit in loco, tanquam terminus in terminato, ut punctum in linea, linea in ſuperficie, ſuperficies in corpore: qui error è definitionis errore naſcitur: Nã διάστημα exæquatur locato, ut lumen illuminato, calor calido: ſic locus puncti, pũcto: lineæ, lineæ: id eſt uni dimenſioni lõgitudinis: ſuperficiei, id eſt duplici, lõgitudinis & latitudinis: corpori, id eſt triplici, longitudinis, latitudinis, altitudinis æquatur: propriéq; tũ locus eſt διάστημα τριχῆ διαστατόν. Quare ſolutiões iſtæ nihilo plus ſolvunt, quàm definitio definivit. Additur ad extremum, Quodlibet ferri in ſuũ & propriũ locum, & in eo manere. Verùm motus in orbẽ & ignis & aëris & maris, Ariſtotelẽ refutabunt. Quapropter caput hoc totũ è fallacibus & conſectariis & ſolutionibus compoſitum eſt.

IN CAP. VI.

Sed hactenus de loco quinq; capita quarti phyſici fuerũt, quatuor proxima ſunt de vacuo. Locus autẽ (uti docuimus) eſt ſpatiũ locatæ rei, per ſe autẽ cõſideratus, plenus eſt aut vacuus: Itaq; ſi loci differentias legitimas Ariſtoteles perſequi voluiſſet, de pleno pariter, ut de vacuo, differendũ fuerat, & ſic Ariſtoteles mox ait plenũ, vacuum, locum, idẽ videri. Sed de vacuo phyſicis præcipiendum, Ariſtoteles inde argumentatur, quia de loco præceptũ eſt: Etenim (ait) ſimilem habet diſſuaſionem & ſuaſionẽ. Legem καθ' αὑτὸ hic etiã Ariſtoteles meditatur, ne quis ἑτερογένειαν objiciat. at de loco phyſicis præcipiẽdũ non fuiſſe docuimus: quare neq; de vacuo: Verùm perge. Plenũ, dicitur hic Ariſtoteli locus plenus corpore: vacuum locus privatus corpore. & tamen de pleno, nulla ſeparatim theſis eſt: de vacuo tota erit. Quid igitur? quænã eſt de vacuo theſis? quæ theſeos ipſius declamatio? Trifariã dividitur: Quòd nõ ſit vacuũ: quòd ſit vacuũ, & quæ de vacuo cõmunis opinio ſententiaq; ſit. Agedũ, ἀκρόασις cõtra vacuũ attendatur. Anaxagoras (ait phyſicus noſter) vacuũ refellit exẽplo primo utriũ antè cõtractorũ, & poſtea vento inflatorũ, ut contrahi interea cõprimiq; nequeãt: ſecundo clepſydrarũ, in quas, ore ſuperio obturato, infero aperto, in aquam demiſſas, aqua tamen non

non ingreditur: at ſimulatq; ſuperū os apertum ſit, ingreditur. At (inquit Ariſtoteles) iſta Anaxagorea vacui refutatio, errorē vulgi, aërem, corpus nullum judicantis refellit: non refellit autē Democritum & Leucippū & pleroſq; alios phyſiologos, qui vacuū ſtatuebant eſſe ſpatiū continuū ſine corpore, quód corpora invicē ſepararet, quodq; aëri medio eſſet diſperſum: Nō refellit Pythagoreos, qui extra mundū ſtatuebāt, itē vacuum quoddā continuū. Quare Anaxagoras nō videtur κατὰ θύρας πρὸς τὸ πρόβλημα, pro foribus adverſus problema occurrere. Atq; hæc diſſuaſio fuit vacui: ubi vacui authores, non ſolùm Democritus & Leucippus, ſed pleriq; alii phyſiologi ab Ariſtotele proponunt: Sequitur ſuaſio probatior, è quinq; argumentis: primùm, quôd ſine vacuo, motus localis nō eſſet: ſecundū, quód vinū vaſi cū utre tantū infundit, quantū infunderet ſine utre: quod de themeto tātùm Philoponus approbat: tertiū, quôd accretio nulla eſſet. ubi accretio rurſus efficit ſpecies latiōis, ut antea quarto capite: quartū, quôd vas oppletū cinere, tātundem aquæ capiat, quantum vacuū caperet: quintū, ex authoritate Pythagoreorū, quorū ſentētia, vacuū ex infinito ſupra cælum ſpiritu in mundū & mundi reſpirantis partes ingrediebatur ad corpora ſeparandum. tanquam vacuū, eſſet χωρισμὸς καὶ διάκρισις, ſeparatio & ſejunctio quædā, quæ primùm in numeris appareat. His igitur argumētis quinq;, de vacuo fides quæritur. Atq; ita diſputare, utrū vacuū ſit: phyſico ne illi fuerit quærere, utrū natura ſit? an potior hic quædā occaſiō fuerit inquirendi? At natura illa eſt: vacuū hic Ariſtoteli nil omnino videt eſſe. Quare inquiſitio illa fuerit tolerabilior, quàm iſta: potiuſq; hic cæcus de coloribus dicatur.

IN CAP. VII.

VErùm cæcos de colorib' ſinamus agere: Quid deinde? quomodo vacuū definitur? hæc enim pars eſt altera. docet Ariſtoteles, vacuū duo ſignificare: eoq; modo vacuum definit: primo, in quo nihil eſt: non tamen rectè (ait) uſurpatur hæc ſignificatio, quia ſic eſſet punctū, vacuū: ſed vacuū primò diceretur melius locus, in quo nullū eſt corpus tangibile. Ergo, inquā, phyſicus, ſignificatum vacui tale cōminiſcitur: non proponit quale phyſicis uſurpatum ſit, quia ipſe pro arbitrio fingit & corrigit. Secūdo (ait) vacuū ſignificat id, in quo nihil corporeū ſit. quod enā videret materia, niſi ἀντιπερίστασις refelleret: & tale vacuū refellit iiſdem argumētis, quibus ſpatiū, loci definitione refutatū eſt. Secundo hoc ſignificato primū continet, & Ariſtoteles cōtra vacuum deinde tam multa diſputās, neutrū ſignificatū refutabit: ſed nominatim diſputabit contra vacuū ſeparatum & diſperſum: ut iſtam ſignificationū enumerationē phyſico judicio valde vacuā & inanē eſſe appareat. Atq; interea etiā illud animadvertendū eſt, quód Ariſtoteles iiſdem affirmat argumentis vacuū improbari, quibus ſpatiū locale improbatū ſit. At improbatū, inquā, non eſt antea ſpatium illud argumentis Ariſtotelis, ergo nec vacuū modò improbari cōveniet: Neq; ſolum ſpatiū illud dimenſionibus locati æqualiter dimēſum, ſed ſpatii differentias, plenū & inane, ex Ariſtotelis philoſophia demonſtrari: & ſi vacuū definitione legitima definiretur, ut in ſolida doctrina res definiri cōvenit, utq; ſe facturū phyſicus ſecunda parte receperat: enumeratio taliū ſignificationum ſupervacua eſſet. Quare totū hoc caput planè ſophiſticū & nugatoriū eſt, neque ad inſtitutā definitionis theſin reſpondet. Verùm progrediamur: audiamus quæ ſit cōmunis opinio de vacuo: hæc enim tertia pars fuit inſtitutæ de vacuo diſputationis. Vacuū igitur nullū eſſe diſſerit Ariſtoteles, neq; ſeparabile, neque inſeparabile, neque veras eſſe rationes, quibus erat cōfirmatū vacuū. Motus enim (ait) per cauſſam vacui nullus eſt, neque alteratio, neque cōverſio. Cætera argumēta obſcurius diſſerunt, de accretione, de vino cū utre in dolium infuſo, de cinere.

IN CAP. VIII.

SEd præcipuum certamen eſt adverſus phyſicos, vacuum ſtatuētes ad corpora diſtinguendū: duo itaque ꝓxima capita cōtra duo illa (quæ dixi) vacui genera, conſumuntur: octavum, contra vacuū ſeparatum: nonū, contra vacuū diſperſum inter corpora, & diſſeminatū. Sed prior ἀπορίαι illa prius audiatur.

diatur: quæ talis eſt, qualis antea fuit diſputatio contra Pythagoreos de infinito: Neq; enim Pythagorei infinitum illud ſtatuebant, quod ab Ariſtotele oppugnatur: neq; modó vacuum ſeparatū in mundo ſtatuunt, ſed ut Ariſtoteles ipſe nos docuit capite ſexto, extra mundum atq; cælum. Ergo theſis ſcholaſticè conficta & declamatoria eſt, qua declamat Ariſtoteles, vacuum illud nullā cauſſam eſſe neq; motus, neq; quietis: quin per vacuum, tolli motum omnino omnem, non ſolúm naturalem, ſed violentum, & projectionem, quæ per antiperiſtaſin fieret: ut aër primo propellatur à fronte, deinde recurrat à lateribus, deniq; redditus & reſtitutus loco, telū repercutiat à tergo: ut in prælijs ſubſidiariæ cohortes ſolent. tāquam aër bis terve reciprocante motu moveatur moveatq;: Hunc enim aëris triplicem motū, antiperiſtaſis indicat: ex qua ſanè videretur projectionis motus in perpetuum continuari. hanc Platonis opinionem quidam interpretes Ariſtotelis aiunt eſſe, ad 10. cap. 8. phyſici: ſed falſó, ut tum dicetur. Itaq; Philoponus vehementer obſiſtit, acuteq; movetur cōtra tanquā commentitiam cauſſam motus à projectione orti: cauſſamq; lationis eſſe à vi projicientis projecto impreſſa, intermedio etiam vacuo nonnihil adjuvante. Videmus enim (ait) ex coloribus ἐνεργείας τινάς, actus quoſdā incorporeos exire: ut ſicubi per colorata vitrea ſolaris radius projectus, ſolido corpori per vitreum coloratum acciderit, tum colorat objectum corpus, perinde ac vitreum ipſum coloratum fuerit. Hic igitur Philoponus ait projecto ἐνέργειαν quandam à projiciente imprimi. quæ facilius in vacuo, quàm in pleno permeet: & projectionis argumento, magis vacuum confirmari, quàm refutari, projectumq; ex analogia medii longé facilius per vacuum, quàm per plenum ferri: ut enim facilius aqua quàm terra, & aër quàm aqua penetratur, ita ſi quid omnino dimenſionis expers fuerit, facillimé omnium celerrimeq; penetrabitur, ut poſtea etiam ab Ariſtotele dicetur in hoc capite. Quin iſorropicū theorema eſt medio impediri motum, & tanto vehemētius, quāto fuerit ſolidius denſiusq;. Itaque vacuo adjuvaretur motus: & tamē analogia in mobilibus conſtaret é levitatis & gravitatis momento. Veruntamen antiperiſtaſin hanc Ariſtoteles non ſequitur 2. cap. 7. phyſici, neq; 10. c. 8. phyſ. ut appareat hanc ei ſententiam probatam nō fuiſſe. Attamen Ariſtoteles ipſe 32. 33. 34. problemate mechanico αἴτιον [illegible] eandem videtur complecti, & cū illa impreſsionis cauſſa conjungere. Atque huic antiperiſtaſi valde cōſentanea eſt Vitruvii philoſophia illa de voce li. 5. cap. 3. vox autem eſt ſpiritus fluens, & aëris ictu ſenſibilis auditui. Ea movetur circulorum redundationibus infinitis, uti ſi in ſtantem aquam lapide immiſſo naſcantur innumerabiles undarū circuli creſcentes à centro, & quàm latiſsime poſsint vagantes, niſi anguſtia loci interpellaverit, aut aliqua offenſio, quæ non patitur deſignationes earū undarū ad exitus pervenire. Itaq; cum interpellentur offenſionibus, primæ redundantes inſequentiū diſturbant deſignationes. Eadem ratione vox ita ad circinū efficit motiones. Sed in aqua circuli æqua planitie in latitudinem moventur: vox & in latitudinem progreditur, & altitudinem gradatim ſcādit. Igitur ut in aqua undarum deſignationibus: ita in voce cum offenſio nulla primam interpellaverit, non diſturbat ſecundam, nec inſequentes, ſed omnes ſine reſonantia perveniunt ad imorum & ſummorū aures. Ergo hæc Vitruvii philoſophia de voce antiperiſtaſin quādā indicat, quā eandē de orbibus factis in aqua Seneca lib. 1. cap. 2. ſequit̃, & docet multó facilius in aëre fieri. Sed in ariſtotelea diſputatione prolixitatis pene odioſæ, jucundū tamen fuerit analogiā intelligere de cauſsis tardioris & velocioris motus é medio molliore & duriore, é mobilis levitate aut gravitate: ſed in primis é figura: ut hinc etiā intelligamus phyſicis rebus adjumenta motus à geometria figura ſuppeditari: ut rotūda facilius, plana difficilius perrumpunt, quod ſecundo libro Scholarū mathematicarū latius expoſuimus. In fine aūt capitis etiam notabile illud eſt, quodq; ariſtotelicę hujus phyſicę fructū pręcipuū cōtinet, Corpora ferri moveriq; loco, ἐν τάξει καὶ μεταγάσα, ceſsiōe & permutatiōe corporū aliorū aliis cedentiū: Neq; tamen argumētū Ariſtotelis hîc multū valeat, Cubus ligneus

ligneus (aiſt) in aqua tantum loci occupat, quantum prius occupabat aqua: in vacuo autem, nihil occuparet: Quid? diceret vacui defenſor, an in ſolitudine nullum ideo locũ occupes, quia & aliis vacet locus? tũ μετάστασις aut ἔκστασις vacuum videtur approbare. Quomodo enim cedere venienti queas, ſi nihil vacat, quò liceat ſecedere? Quamobrem tanti capitis, quantũ adhuc nullũ fuit, diſputatio, quod ad Pythagoreos attinet, inani ipſo, de quo agitur, inanior eſt: Neq; enim Pythagorei in illo extra cælũ inani immenſo, motum ullũ phyſicum cõmentantur, ubi nullum corpus eſſe conceſſerint.

IN CAP. IX.

Diſputatum eſt cõtra vacuũ ſeparabile, cujus authorem phyſicum neminẽ Ariſtoteles protulit, uti dixi: ſed ingenii exercendi cauſſa, Ariſtoteles declamandũ ſibi propoſuit, ut ludicras à phyſicis oblectationes peteremus: Capite nono res agitur adverſus Democritũ, Leucippũ, & alios phyſiologos, qui vacuũ ſtatuebant ſpatiũ continuũ à corporibus diverſum, neq; ſeparabile, neq; actu ens, quod ipſa corpora ſepararet. quod vacuũ Philoponus appellat diſperſum & inter corpora diſſeminatũ: quo fieret nẽpe, ne cõtinuæ res in mũdo oẽs eſſent, ſed contiguæ: Quæ ſententia, raritans argumento præcipuè (ut Ariſtoteli placet) innitebatur: tanquam vacuum ſit, quod multas partes inanes habeat. Verum (inquit Ariſtoteles) vacuũ iſtud ſeparatũ nullũ eſt: nec ideo diſperſum hoc erit: & cauſſam motus nullam, niſi ſurſum, afferet: & tamen ſine proportione: quanto enim rarius medium, tanto celerius mobile. Itaq; rariſsimum (ut ſit inane) celerrimum faceret. quæ argumenta, nulla ſunt contra theſin de vacuo diſperſo, ſed tantũ contra vacuum ſeparatũ. Sed tamen Ariſtoteles raritatis argumento reſpondet rarum id non eſſe, quod multas partes vacuas habeat, ut ſpõgia, aut ejuſmodi aliquid: ſed eandẽ materiã duorũ eſſe contrariorũ, raritatis & denſitatis: ut caloris & frigoris, humoris & ſiccitatis, magni & parvi. Itaq; ut eadem cera congelata ſpiſſatur & denſatur: ſic calefacta & emollita, rareſcit: nõ quòd partes ullas inanes aut vacuas habeat, ſed quòd extendatur & dilatetur, quod cõpreſſum contractumq; fuerat. Sic materia aquea minor eſt: cõverſa autẽ in aërem, major: Sic grave & durum, denſa videantur: leve & molle, rara. Quare ratione raritatis, concludit Ariſtoteles vacuum nihil eſſe. Atqui, inquam, Democritus & Leucippus, ac pleriq; illi phyſici de vacuo ſeparandis corporibus diſſeminato refelluntur rectè & logicè, ſi veteres illi phyſici ita de vacuo ſenſerint. At ariſtoteleus phyſici imperii amor, in aliorum ſententiis interpretandis mihi legitimis antea de cauſsis ſuſpectus eſt. Et tamẽ interea notabis rarum & denſum primas phyſici corporis differentias fieri, ut ad 4 c. 8 phyſici, ut poſtea fient 7. cap. 8. phyſicis quod differetur amplius ſecundo capite ſecundi de generatione. Quamobrẽ duæ partes quarti phyſici adhuc ita fuere, de loco, deq; vacuo: logicum de ſubjecti topico fructum nonnullum complexæ, ſed aliena in arte, ſed alieniſsimo docendi modo, & omnibus Ariſtotelis legibus maximè contrario confuſum & obſcuratum.

IN CAP. X.

Reliqua phyſici quarti capita ad tertiam diſtributionis partem attinẽt de tempore, ἀκροάσεως prorſus mirificæ, de infinito, loco, vacuo & ſi diſputatio ſpinoſa fuit: è ſpinis tamen, roſas quaſdã extulit: at de tempore diſputatio tã verboſa, nihil aliud admodum adferre queat, quàm ſui ſophiſmatis intelligentiã: attamẽ durate, qui hæc legetis, & reliqua acroaſeos myſteria attẽdite. quibus editis Alexãder magiſtro ſuccenſere nihil debuit, tanquã regios theſauros vulgo diripiendos permiſiſſet. Quid igitur? Quænã phyſica eſt de tempore? quas habet partes? Equidẽ tres animadverto: primã, utrum ſit tẽpus: ſecundã, quid ſit tẽpus: tertiã, in circũſtantiis tẽporis quibuſdam. Enimvero (ut pars prima, uno loco expediatur) diſputatum eſt εἰς ἀνάτρεψιν de infinito, de toto & vacuo in unam partẽ, ut nunc initio de tempore, quòd tempus nõ ſit, quia ejus pars nulla ſit, neq; præteritũ, neq; futurũ, ſed neq; dividuũ, neq; permanẽs: ſecùs ſimul eſſent ſexcenta annorũ millia: Sic declamatur tempus non eſſe, διὰ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων, ut Ariſtoteles loquitur,

loquitur, per argumenta probabilia & popularia, ut Ciceró quinto de finibus, & Græci interpretes hoc loco. tanquam ἐξωτερικὸν καὶ [illegible] opponantur. áſtamen hæc ipſa argumenta de Nunc individuo & fluxo, e media præſentis quæſtionis acroaſi petuntur: Verùm declamatum ita eſt, nõ eſſe tempus: ut [illegible]. Perge, prima illa luctatio ſit, tempus non eſſe: quid ſequitur? Quid ſit tempus, ſecũda quæſtio eſt: vel potius quid non ſit: ſic enim inſcientia antè ab Ariſtotele dedocetur quàm ſcientia doceatur. Tempus videtur nonnullis motus cæli, ait Ariſtoteles: ſed falſò: quia tã multiplex eſſet tempus, quàm multi ſunt cæleſtes globi: Videtur aliis itẽ ſphera cæleſtis: ſed ineptè. Itaque [illegible] ſtultius Ariſtoteli videtur, quàm ut refelli debeat. Authorẽ primæ opinionis nullum Ariſtoteles appellat, neq; ſecundæ: & confictã eſſe theſin veriſimile ſit à rhetore: Tertiò videtur aliis eſſe motus quidã: ſed falſò itẽ, quia tempus eſt ubiq;, nõ motus: & motus eſt velox aut tardus, nõ tempus: Horatius tamen eleganter ait,

Sic mihi tarda fluunt ingrataq; tempora.

& tempus alatum poëtis fingitur.

IN CAP. XI.

HAec in ſcientia phyſica eſt decimi capitis: ſequitur undecimo, tempus non eſſe ſine motu: quia qui dormierunt diutius, ut Heraclidæ Heroës illi apud Sardiniam, tempus nõ ſentiant. Atqui tamen experrecti gravi ſomno beneq; recreati, temporis fluxũ inde metiuntur. at ſi quis, inquam, ebrioſus non perſentiat: quid mirum, cùm mẽtis ſtupor id impediat? Progredere, magnitudo per ſe continua eſſe dicitur, motus per magnitudinem, tempus per motũ: ſic 7. cap. 3. phyſici, magnitudini tributa eſt infinitas per ſe, motui per magnitudinem, tempori per motum. at ut illic Ariſtoteles deceptus eſt, ita hic fallitur: neq; motui, vel tempori, cõtinuitas illa quantitatis tribuitẽ potius per magnitudinẽ quàm calori, quàm luci, quàm cuilibet qualitati: quę perinde eſt nõ in magnitudine, ut Ariſtoteles arbitratẽ, ſed in re ſenſibili quanta: Elenchus Ariſtotelis in hac de tempore theſi ſæpius iterabitẽ.

Sed tamen hic etiam aliud ἐξωτερικώτερον aſſumit: Prius eſſe ac poſterius in loco primum, atq; in magnitudine, indeq; in motu: unde tempus tandem definitur, Numerus motus ſecũdum prius ac poſterius: & numerus quidem numeratus, non numerans. Enimvero Simplicius magnum librum adverſus ea comparavit: de quo tamen nihil hic aſſumo: ſed Ariſtotelem Ariſtoteli comparo, comparatumq;, ad ſuas leges refero: Nec tempus ab Ariſtotele, ſed temporis menſuram, eamq; de plurimis unã definiri cõfirmo. Etenim tempus, logica res eſt, entisq; ideo & non entis communis: ſic Ariſtoteles é categoriis decẽ, unam tempori & quando attribuit: & durationem nimirum intelligit omnibus rebus convenientem: & ſic æternitas, temporis immenſitas quædam intelligitur, antequã motus cæli ullus eſſet, poſteaquam etiã motus cæli deſierit. At durationis hujus inſtrumẽta & horologia multa ſunt, cæleſtia, aquea, pulverulea, ſolaria. Cælũ, eſt horologium univerſi mundi, multis & variis ſtellis, tanquam horarum notis diſtinctum: horologiũ palatii in pariſienſi urbe Regii, eſt horologiũ Senatus: parochiarũ ſingularũ ſua ſunt horologia: privatis in ædibus horologia pleraq; ſunt pulverulea, ſolaria etiã in parietibus permulta. At numeratus horologiorum iſtorum ſonus, vel lapſus, vel numerata é radiis umbra, non appellatur tempus, ſed menſura temporis: Et ſi muta eſſent omnia tintinnabula, ſi motus, ſi umbræ omnes ceſſarent: non ideo tempus nullum eſſet, ſed menſura temporis ceſſaret. Et certè ſic geometræ, ut Archimedes, in volutis tempus intelligunt nõ cæleſtis motus, ſed durationis. Quare definitio logici temporis ex uno duntaxat inſtrumento phyſico non ſatis accuratè univerſam illam logicã temporis naturam interpretatur. atque hæc tẽporis definitio fuit. Pars tertia, varias quiſquilias, tanquam temporis circunſtantias colligit. Iteratur cõtinuitatis cognatio in magnitudine, motu, tempore, quòd magnitudinem, motus: motũ, tempus conſequatur. At ſophiſma & ſophiſmatis taurologia jã quoties cheu, quoties reponitur? Itaque prætereatur. Quid deinde? Caput reliquum in Nũc, conſumitur: quòd copula quædam ſit

præteriti

præteriti & futuri: ideoque ratione duplex, re tamen unum: & tanquam punctum, partis alterius initium, alterius finis: tempusq; ſit, non ut lineæ mediæ punctum, non ut pars lineæ, ſed ut extremum.

IN CAP. XII.

HAec phyſica eſt ἀκρόασιν capitis undecimi. initio duodecimi, ſtatuitur tempus eſſe minimum numero, ut teſtū numeratarum omnium: non minimum magnitudine, quia magnitudo ſit infinité dividua. At iſta magnitudinis phyſicæ infinitas, jam tertio libro refutata eſt, & refutabitur 1. c. 6. phy. Quid tum poſtea? Tempus non dicitur velox aut tardum, ſed multū, paucum, longum, breve. de velocitate & tarditate tautologia eſt inanis: id enim jam capite decimo ſemel dictum eſt: repetitur veró cognatio magnitudinis, motus, & temporis: nec ſophiſmatis quamlibet putidi odioſique pudor eſt ullus: triaq; hæc fiunt mutuæ ſui inter ſe menſuræ: tandemq; additur, ea eſſe in tempore, quæ cadunt in temporis menſuram: nec ideo æterna in tempore eſſe, ſed corruptibilia tātúm: quæ manifeſta eſt Ariſtotelis adverſus Ariſtotelem repugnantia: Nam ſi tempus æternum eſt, ut Ariſtoteles poſtea captioſis argumentis efficere conabitur: cur æternitatis menſura, æterna quoq; nō metiętur? æternum enim æterno fit æquale: menſuraq; ideo dimetiendæ rei æqualis & idonea. Et mirum eſt, á philoſopho de tempore philoſophāte, præcipuam temporis partem, vel potius temporis primum fontē ita repudiatum eſſe. Eſt enim æternitas, potius totum tempus, quám pars temporis aliqua. & Plato multó rectius, dum tempus hoc é mundano motu dimenſum, imaginem quandā facit illius æterni temporis: rectiusq; adverſus Proclū Grammaticus in oratione quinta diſſerit τὸν αἰῶνα, æternitatem, talem æternorum menſuram eſſe, qualis motus cæleſtis ſit menſura caducorum: intelligitur enim æternitatis nomine, παράτασις ὁμοιομερὴς καὶ ὁμοειδής, parte ſpecieq; ſimilis extenſio. At tempore cuncta tabeſcunt (ait phyſicus) ſeneſcunt, delentur: nihil diſcitur, nihil novum pulchrumve efficitur. Atqui, inquam, tempus tanquam falcarius quidam, ſua falce omnia demetens á poëtis fingitur. ſed metaphoris poëticis illud eſt coudonandum: ſolidæ & ſeriæ acroaſi non idem permittendum. In tempore, res quidem corrupnbiles corrumpuntur: at tēpus, corruptionis principium nec antea poſuit, nec poſtea ponit Ariſtoteles. Senectute deformamur, ais. At, inquam, juventute etiam decoramur: & tam eſt juvētus in tēpore, quám ſenectus. Tum veró poſtea generaliter affirmas omnem omnino motum eſſe in tempore: Nec enim ſi Roſcius irraucuerit in ſcena, ſcenæ locus raucedinis cauſſa fuerit: ſed antecedens gravior aliquis motus & labor. In continente, multa ſunt, quorum continens ipſum nulla omnino cauſſa fuerit. Quæ corrumpuntur, in tēpore corrumpuntur, ais: & ideo tempus, eſt interitus rerum. At, inquam, quæ gignuntur, in tempore etiā gignuntur: ergo tempus, eſt ortus rerum: Par enim cōcluſionis judiciiq; logica utrinque fuerit. Denique capite iſto concluditur, tempus eſſe menſuram motus per ſe, quietis per accidēs. At tam per ſe tempus eſt durantis quietis, quám durantis motus: neque tempus hujus potius, quám illius.

IN CAP. XIII.

EQuidem hoc capite Ariſtoteli miratus ſum tātum â phyſicis rebus otii ſupereſſe, etiam ut Grammaticam de adverbiis temporis in ἀκρόασιν phyſicam includeret: quid eſſet νῦν, ποτὲ, ἤδη, ἄρτι, πάλαι, ἐξαίφνης, nunc, quando, jam, nuper, olim, repenté: In quibus tamen illud ἀεὶ, ſemper, præcipuum temporis adverbium oblitus eſt. At quid Grammatico citatus ſua lege καθ' αὑτὸ Ariſtoteles reſpondeat? Repetitur malefica illa temporis natura ἐκστατικὴ, delēs deſtruensq;. Itaque cúm Simonides in Olympiis laudaret tempus ut ſapientiſſimum, cujus beneficio diſciplinæ & artes perciperentur: tum præſens Pythagoreus quidam, reſpondit potius ἀμαθέστατον, indoctiſſimum eſſe: quia obliviſceremur omnia tempore. Hāc ἀκρόασιν ita Simplicius refert ex Eudemo: nec illi παρὸν nomen eſt proprium, ſed participium pręſens. Quapropter Ariſtoteli Pythagoreus probabilior eſt Simonide: attamen etiā Simonides, beneficium

 tempo-

temporis in gignendis rebus tam extulit, quàm Pythagoreus maleficium in corrumpendis: in eoque par utriuſque cauſſa fuit.

IN CAP. XIIII.

AGedum, cætera temporis ἀκρίβεια attendatur. Omnis motus fit in tempore, ait phyſicus noſter. At veró quoties in hac theſi dixiſti, tempus eſſe menſuram motus? quid igitur tautologia iſta nobis opus eſt? Et hic locus illam temporis præcipuã corruptelam præcipué traducit: Nec enim corruptionem ſolam in tempore, ſed omnẽ prorſus motum conſtituit: & tamen κίνησις ἀθρόα γίνεται πολλάκις, motus ſæpe ſimul efficitur, ut antea fuit, & erit poſtea 3. c. 8. phyſic. de cõgelatione. Sed palmarium temporalis ἀκρασίας, problemate conſequente continetur. Quærit Ariſtoteles, quoniam tempus definitum eſt per numerum, ſi numerans anima nulla ſit, utrùm tempus ſit futurum. Saxum Siſyphi, mediusfidius, hic agnoſco. Cælum, naturâ eſt quolibet ente alio corruptibili & caduco prius & antiquius: & ſi homines nulli eſſent, cælum nihilominus converſiones & motus ſuos conſtantes & ratos haberet. Phyſicum igitur ſcrupulus hic angit. ſola ψυχὴ, anima numerat: utrum igitur affectio illa cæleſtis ex hac tot gradibus inferiore natura pendebit? Hæret igitur phyſicus in ſalebra, neq; poteſt explicari. itaq; reſpondet nõ futurum tempus, ſed motũ tempori ſubjectum. O philoſophe præſtantiſsime, ubi eſt illud alioqui ſummum acumen tuum? Tempus æternum meditaris animo, & temporis æterni mundum æternum: & tamẽ tempus ita definis, ut particulam tantum temporis complectare, ut etiam ſi arithmetica homini detrahatur, nullum ſit omnino futurum. Quæſtio altera ſuccedit par pené ſuperiori, Cujus motus numerus tempus ſit. omnis motus, reſpondet: generationis, corruptionis, alterationis, accretionis, diminutionis, lationis: ſed præcipuê cæleſtis motus. Atenim argumẽtabatur Ariſtoteles initio decimi capitis, tempus, non eſſe motum cæli: quia quot orbes cæleſtes eſſent, tot eſſent tempora. At, inquam, ſi tempus ſit numerus motus cæleſtis, tot etiam tempora fuerint, quot globi: & certé alii tempus metiũtur motu Lunæ, alii Solis, alii ſtellæ cujuslibet motu metiri poſſunt: Etenim Copernicus aſtrologus ætatis noſtræ ſummus, cælo detraxit omnẽ motum, tempusq;, ſolo terrę motu longé exactius metitur, quàm Aſtrologus adhuc ullus dimẽſus eſt. Quamobrem phyſicæ ariſtoteleæ defenſores, patroni, interpretes, ariſtoteleorum toto quarto phyſico ſophiſmatum elẽchos recolligite: de loco, vacuo, tempore, in phyſica legibus Ariſtotelis deſcripta, locus nullus eſſe poterat. At quatuordecim capitibus, locus per ſophiſticam unliratis ſpeciem invẽtus eſt. Locus & tempus, ſi, quid eſſet, quæreretur, paucis verbis tota veritas erat contenta: Locus, eſt ſpatiũ locati: Tempus, eſt duratio rei. Heu labores ſophiſticarum declamationum! heu ſudores nugatoriarum commentationum! quem modum philoſopho tandem præſcribetis? Iſocrates, mediusfidius, de Marathone aut Salamine panegyricum iſta licentia componere nunquã audeat: religioſas & teretes populi Athenienſis aures, deliciarum iſtarum judices pertimeſcat. At nos toleramus, imó veró laudamus & probamus, ac pené veneramur: Hinc enim primordia divinæ pietatis ac religionis theologi plerique ordiuntur.

P. RAMI SCHOLARUM PHYSICARUM

liber quintus, in quintum phyſicum.

IN CAPUT PRIMUM.

VErûm ad reliqua pergam^9. Motui ſubjicitur magnitudo, tanquam materies mobilis, in qua motus exerceatur: locus, hoſpes mobilis magnitudinis efficitur: tempus adjungitur, quo motus ſecundum prius & poſterius numeretur: Quid tum poſtea? quemnam tãdem ſophiſmatis ſuis modum motus inveniet? Motus eſt definitus definitione nihil definiente: diſtributus eſt in ſpecies quatuor, quæ ſpecies omnino non eſſent: ſubjecta magnitudinis loci q;, adjuncta etiam temporis diſputata: quid jam reſtat deniq;? repetitur quinto & ſexto phyſicis phyſica tertii libri: quinto, de motu: ſexto, de infinito. Sed duos acroaſis libros præcipué admi-

admiratus ſum, quintum & ſeptimum: quintum, qui tertii: ſeptimum, qui octavi acroaſin tantùm ferè inani tautologia contineret: de ſeptimo, Græci interpretes ſatis liberi fuerũt: de quinto, prorſus muti. Sed tamen quoniam Ariſtotelis patientiam juravi, jurisjurandi fides exolvenda eſt. Ariſtoteles, Zenonis, Empedoclis, & cæterorum phyſicorum nugas atque ineptias omnes devoravit, ut inde iſta breviora, credo, & contractiora colligeret: & nos igitur animo pari, reliquias iſtas devoremus. Agedum, quid interpretatur quintus hic liber? Corrigit phyſicam tertii phyſici de motus generibus: phyſicam neſcio quam de continuis, contiguis, & ſimilibus exponit: logicam deniq; colligit de unitate & oppoſitione motuum. Hæc tria ſunt quinto in libro præcipua: de quibus brevius & ſuccinctius agendum. de motus generibus capita duo prima ſunt: Primo capite duę ſunt partitiones ſingulares maximè, maximeq; mirabiles, ab Ariſtotele confictæ primò, deinde ab Ariſtotele improbatæ: & ambæ ad obſcurandam motus doctrinã, quæ tertio phyſico continetur: & quidem elenchis aliis ſuper alios incredibilem in modum cumulatis: Nihil enim adhuc in acroaſi phyſica minus ab Ariſtotele conſideratum & judicatum animadverti. Ergo partitiones duas cõſideremus. Primà, dividitur mobile trifariam, per accidens, per partem, per ſe primùm: Item movẽs ſimiliter per accidẽs, per partem, per ſe primùm. Partitio autẽ hæc eſt è duabus temerè conſarcinata, per ſe, per accidẽs: partitio primo ſecundoq; phyſico propoſita, & iterata nunc quinto in libro valde nugatoria iteratione. Per partem autem, neutri generi opponitur, ſed per totum: quæ tamen partis ac totius differentia in tam multis motus differentiis antea propoſitis adhuc nulla fuit. Hic primus eſt elẽchus primæ partitionis. Quid deinde? Ad motum, quinq; requiruntur à phyſico noſtro, Movẽs, mobile, tempus, terminus à quo, terminus ad quem. Atqui in phyſica motus doctrina, tertius liber, movens & mobile adhibuerat in motu; tria reliqua prætererat. At (inquiet philoſophus) hic quintus liber emendator erit & corrector tertii. Verùm, inquam, doctor eximie, non tibi ſatis eſt errores aliorum tam longa via perſequi, niſi & tu novos ex te comminiſcare, quibus refellendis, diſcipulos tuos fruſtra fanges & exerceas? quem enim ſophiſtam, quẽ ἀσυλλόγιστον, niſi teipſum cõvincis? An iſta tibi καινοποιΐα placet ea demũ, cujus conſequentibus ædificiis antecedentia fundamenta revellantur? Nonne melius & ſummo philoſopho dignius fuerat, legibus tuis obſequi, omniaq; phyſicæ acroaſeos dogmata καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, ſic interpretari, ut ſciẽtiam inde phyſicam juventus ediſceret, non autem & aliorũ, & tuos etiam elenchos abs te ipſo præſertim inventos primùm, deinde reprehenſos & improbatos attenderet? Agedum, dic in quibus antea erraſti: diſſeruiſti 3. cap. 3. phyſici, motum eſſe in mobili. id modo repenis, & ais motum non eſſe in termino ad quem: quẽ nominas εἶδος καὶ πάθος, ſpeciẽ & paſſionem. Eſto: addis à termino ad quẽ magis motum nominari: quod eſt tamen ad tuam doctrinam falſum. Nam corruptio & diminutio nominãtur à termino à quo, & in reliquis non commune nomẽ eſt utriq; termino: attamen quòd affirmas τὰ πάθη ἀκίνητα, affectiones immobiles eſſe, in conſtantia magna eſt, cùm in his ſolis eſſe motũ poſtea diſputaturus ſis. & certè ſi neq; qualitas, neq; quantitas mutaretur, neq; locus relinqueretur, alteratio, accretio, diminutio, latio nulla eſſet. Tum verò quid eſt illud, quod dicitur? album mutari in colorem? & colorem in album? quinam ſunt iſtorũ motuũ, quæſo, termini? quòque modo inter ſe contrarii? an ſpecies generi, genusq; ſpeciei adverſum eſt? aut quomodo mutatur in colorem, quod jam antè coloratũ ſit? aut quomodo color in alborẽ, cùm color in albore ſit. Hoccine eſt ſuperiora corrigere & emẽdare? Perge, quæ phyſica deinde ſequuntur? Rejicitur è motibus phyſicis motus per accidens: ſed argumẽto ſingulari, quia ſit in omnibus: motus autẽ non per accidens, non item: ſed in contrariis & eorum mediis & contradictione. At, inquã, logica iſta cauſſæ tam per ſe, quàm per accidẽs, antea communis omnium rerum fuit, & revera eſt: unde igitur iſta reſtrictio? aut cur rejicitur motus, quia ſit cõmunis? Heus phyſice phyſici ſuperioris emendator, quid argumentaris? Et tamen hoc etiã utrũq;

falſum eſt. Nam per accidens motus in phyſicis rarior eſt, quàm per ſe: denique ſi motus per accidens è doctrina motus rejiciendus ſit, cur huc attuliſti? cur ſpeciem motus inſtituiſti? an ut errorem tuum poſtea corrigeres? Si Pythagoram vel Empedoclem vitioſæ partitionis authorem iſto modo reprehenderes, tamen ad leges tuas ferendus non eſſes. quid igitur te futurum cenſeas, qui ſophiſmata talia comminiſcare, quæ poſtea ipſe rejicias? Quis hic accuſatur? Ariſtoteles: à quo accuſatur? ab Ariſtotele: Phyſice mirifice, quamobrem tibi bellum hoc tam infeſtum indixiſti? Sequitur deinde phyſica par & eadem de contrariis, deque contrariorum mediis. Cur enim logica iſta in acroaſin phyſicam includitur? Quòmodo ad legem καθ' αὑτὸ defendetur? Sed adhuc prima partitio motus fuit per accidēs, per partem, per ſe, tot elenchis & ſophiſmatis ornata, & notis ariſtotelei nominis inuſta: altera ſequitur quadripertita, ſecundum oppoſitionis differentiam: ubi Ariſtoteles novo nomine (quod non negaté, ſed affirmaté ſignificabit) appellat ſubjectum. Mutabile (ait) mutatur modis quatuor, á ſubjecto in ſubjectum, á non ſubjecto in non ſubjectum, á non ſubjecto in ſubjectum, á ſubjecto in non ſubjectum. At ſancte Deus, quænam iſta quatuor membra ſunt? Ex non ſubjecto (ait Ariſtoteles) in non ſubjectum, nulla mutatio eſt, quia non eſt contrariorum, neq; contradicentium. Sed reliqua audiantur. Mutatio á non ſubjecto ad ſubjectum, eſt generatio: á ſubjecto ad non ſubjectum, eſt corruptio, ait. ſed utramque Ariſtoteles è motus generibus eximit. Quid ita? Duo hic Ariſtotelis adverſus generationem argumenta ſunt: primum eſt valde Zenonium & ſpinoſum. Poſsibile oppoſitum enti, actu non movetur: quod generatur, eſt poſsibile oppoſitum enti actu: non igitur movétur. Atqui, inquā, ariſtotelei ſyllogiſmi, ut propoſitio taceatur, aſſumptio falſa eſt: Nam quod generatur, non eſt prorſus non ens actu: neq; quicquam ſimul corrumpitur, & generatur, ſed ſenſim & in tempore, ut patuit in phyſica temporis: paulatimq; ut forma vetus expellitur, nova ſubinde ſuccedit: neque inter privationem formæ, & formā, vacuum tempus intercedit, ſed ut in locali, ſic in iſto motu, ἐφεξῆς καὶ μεταξὺ deinceps efficitur. hoc igitur argumentū primum falſum eſt: alterum Ariſtotelis argumentum ex elencho priore eſt ortum, Non ens, non eſſe in loco, ideoq; non moveri. At nō ens illud, actu omnino nullum eſt, uti jam patuit. Quamobrem falſis argumentis generatio é phyſica motuum ab Ariſtotele rejicitur: atque eodem hoc ſophiſmate, corruptio ex eadē motuum phyſica ab Ariſtotele tollitur: quia motus ſit contrarius motui aut quieti. Corruptio autē, neq; motui, neq; quieti contraria ſit, cúm generatio, cui ſit cōtraria, nihil ejuſmodi ſit. Verùm, inquā, falſum illud eſt, generationem, motum nō eſſe: & hic poſterior elenchus ex illo priore naſcitur. Sed tamen diſputatio noſtri phyſici contra generationē & corruptionē mirifica eſt. Generatio & corruptio, non ſunt motus, ait: quia non ſunt á ſubjecto ad ſubjectū. At diſputator acutiſſime, tuó præſenti teſtimonio, utraq; mutatio, motus eſt a ſubjecto ad ſubjectū: eſt enim à privatione ad formam, vel à forma ad privationem, ut primo libro tam copioſé diſſeruiſti. Privatio autem, hic tibi ſubjectum eſt & cōtrarium. Etenim, ais, privatio eſto contrarium, & affirmatione declaretur. Hæc Ariſtotelis adverſus Ariſtotelem vox & oratio tam clara eſt, ut ii magnam ſummo philoſopho notam negligentiæ inurere videantur, qui vel Apelliconis tineas, vel æneæ ſphæræ ſilentiū, vel quidlibet aliud non anté fateantur, quàm hæc æſtimata & à tanto Logico judicata prædicēt. Quamobrem cúm antea libro tertio generatio & corruptio motus veré ab Ariſtotele factus ſit, Ariſtoteles quinti phyſici falſis argumentis temeré inductus eſt, ad tertii phyſici Ariſtotelem reprehendendum: neq; jam quintus liber, eſt verus judex tertii, ſed falſus accuſator. Atqui tamen in hac bella emēdatione concludit phyſicus noſter quadripartitæ diſtributionis laudem. Quatuor ſunt ſpecies mutationis, ait, quarum una à non ſubjecto ad non ſubjectum, mutatio nulla eſt: altera á non ſubjecto ad ſubjectum, id eſt generatio, motus non eſt: tertia à ſubjecto ad non ſubjectum, id eſt corruptio, motus non eſt: Itaq; de quatuor generibus mutationis, unicum genus Ariſtoteli

ſtoteli eſt verum. Verùm, inquã, doctor eruditiſsime, tu partiendo, quatuor eſſe dixiſti: an igitur tibi catholicum aut legitimum docẽdi genus eſſe videatur, vitioſas & mendaces partitiones fingere, ut ſophiſmatis tuis refutãdis, ingenium tuum oſtentes? Quænam obſecro, pugna iſta eſt, cujus victoria victori ipſi cladem afferat? Prima tripartita partitio vitioſè conficta eſt, ut pars prima rejiceretur: & ſic modò quadripartita fingitur, ut de quatuor membris tria rejiciantur. O' logicam logicæ liberalis & ingenuæ vel diſsimilem vel expertem! Sed tamẽ μεταβολὴ καὶ κίνησιν, mutatio & motus, vocabula tibi modò diverſa ſunt, quæ antea ſemper eadem fuerant, & erunt perſæpe poſtea: motum tamen antea & mutationem pro eodem definieras, neque modò aliter definis: ut novus novæ doctrinæ ſenſus intelligatur. Quid igitur? his ænigmatis qualem tandem acroaſin futuram ſperaſti? Motus ſunt quatuor genera, dixiſti libro tertio, in ſubſtantia, generatio & corruptio: in quantitate, accretio & diminutio: in qualitate, alteratio: in loco, latio: Nunc genera mutationis quatuor fiũt, quorum unum á non ſubjecto ad nõ ſubjectum, mutatio nulla tibi eſt: alterum & tertium, generatio á non ſubjecto ad ſubjectum, & corruptio á ſubjecto ad non ſubjectum, non ſunt motus. Quare de quatuor propoſitis generibus mutationis unicum tibi motus eſt. At, inquam, ad motus definitionem tertio libro triplicem; generatio & corruptio motus ſunt: nulla lex novæ definitionis nova prohibet, quin adhuc motus habeantur. Quid igitur? utrum phyſicus noſter aliam quandam motus definitionem meditatur, quàm exprimere dicendo nequeat? Difficultatem prioris illius definitionis amplo teſtimonio teſtatus eſt. O' phyſicam auditionem mirabilem, in qua pro ſolida rerum naturalium hiſtoria, nugæ tales audiantur! Equidem vellem mihi per interpretes hic liceret hunc librum é phyſica acroaſi tollere: diſplicet enim vehementer, & pudet, ab Ariſtotele Ariſtotelem tot ſophiſmatis, tam ſtupidis infamati. Itaq; Ariſtotelis nomen in reliquis libri ſordibus ejuſmodi poſthac non audietur. Pergat igitũ quiſquis hic eſt phyſicus, novam phyſici motus hiſtoriam contexere, aut ſuperiorem potius tertió phyſico contextam retexere. Illic é generibus categoriarum Ariſtoteles generà motuũ metiebatur: Hic phyſicus ex iiſdem categoriis longè ſecus metitur. Illic genera motus quatuor, categoriarũ generibus quatuor æqualia fiebãt: Hic categoriæ fiũt octo, eſſentia, qualitas, ubi, Quando, ad aliquid, quantitas, Agere, Pati: inconſtantia categoriarum illa eſt, de qua tertio phyſico diſſerui: quód in Logica categoriæ fierent decem, in phyſicis modó tres, modó quatuor, modó ſex, modó octo fierent. ut ſomnii ſimile videatur, tam levi atq; inconſtanti fundamento velle ullam diſciplinæ gravitatem conſtantiamq; confirmare.

IN CAP. II.

SEd phyſicus hic aliter ratiocinatur: Categoriæ ſunt octo: At in eſſentia, relatione, actione, paſsione, non eſt motus: Ergo motus eſt tantùm in quantitate, qualitate, loco. Utrùm veró ſyllogiſmum, an paralogiſmum hic eſſe dicam? Prima pars eſt falſa: ſecunda pars eſt falſa: & tamen utraque poſita & conceſſa, quæſtio non concluderetur: de falſitate primę partis, actum eſt antea ſatis: ſecũdæ falſitatem doceamus. Motus nõ eſt in eſſentia (ait Ariſtoteles) quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium. Enimverò, qualis eſt iſta quæſtio? ſubſtantiæ phyſicum motum nullũ eſſe? Imó, inquam, penè ſolius eſt eſſentiæ phyſicus motus: eadem ſiquidem oritur, interit, creſcit, decreſcit, alteratur, fertur, ut antea dictũ eſt 5. cap. 1. phyſic. Qualis veró quæſtionis eſt ratio, motum non eſſe in eſſentia, quia eſſentiæ nihil ſit contrariũ: Etenim cur ſubſtantiæ nihil eſt contrarium? Id veró jam primo libro refutatũ eſt. nonne generis in ſpecies & differentias diviſio, eſt in partes contrarias? & ſic contraria ab Ariſtotele ipſo definiuntur, quæ ſub eodem genere plurimùm differunt. utrũ nullæ ſunt in eſſentiis ſpecies? nullæ differẽtiæ? Nonne Ariſtoteles ipſe poſtea ignẽ aquæ contrariũ efficit? Utrum interpretes phyſicum excuſandi gratia, ſubſtantias dicent eſſe cõtrarias formis tantùm, nõ ſubjectis, ut Simplicius ait? Dicunto, inquam: at album nigrumq; formis ſuis tantùm contraria ſic erunt, non ſubjectis. Itaque ſi tali argumento

eſſentiæ non ſint contrariæ, neque accidentia contraria erunt. Utrum autẽ non formis, ſed qualitatibus cõtraria dicent eſſe ignem & aquam? At contrariarum etiam qualitatum cauſſas eſſe cõtrarias, neceſſe eſt: cauſſæ porrò qualitatũ, erunt ipſæ formæ. Quid igitur? Interpretibus difficultas hic ingens eſt propoſita, reputantibus omnia phyſici hujus dicta, quovis Apollinis oraculo certiora. & tamen manifeſtam falſitatem ante oculos habent. Phyſica eſt præcipuè de eſſentiis & generandis & corrumpendis: & libri hoc nomine duo præcipuè ab Ariſtotele conſcripti, ut antea jam dictum eſt. generatio & corruptio, principes motus antea facti ſunt: nunc tolluntur prorſus hi motus, argumento falſo. quid ergo? deſerendus author tantus, & inertiæ atque ignorantiæ condemnandus? minimè gentium: minimè interpretibus tantum facinus ſuſcipiendum videatur: ſed tentanda prius atq; experienda omnia. Et verò quidam interpretes impẽſè iſto loco deſudarũt. Exuperantia & defectus (ut 4. c. 1. phy. apparuit) ſunt termini oppoſitionis, à quorũ altero ordinatè proceditur ad alterum: ut contraria ſint maximè diſtantia quidẽ, ſed ordinatis mediis diſtantia: Inter formas autem ſubſtantiales, non eſſe maximam diſtantiam, neq; mediis diſtinctis ordinatam eſſe ajunt: ut materia, dum exuitur una forma, poſsit indifferenter aliam abſq; ordine capere: atque ipſum eſſe in ſubſtantiis, momento indiviſibili effici: unde concludunt, in eſſentiis oppoſitionem nullam eſſe. At, inquam, magno & manifeſto ſophiſmate interpretes hi falluntur & fallunt: maximam in contrariis differentiam, diſtantiamq; eſſe verum eſt: falſum eſt autem, in eſſentiis nõ eſſe: ſed multò eſt abſurdius illud, quòd in ortu eſſentiarum, materia quamlibet formam promiſcuè & ſine ordine poſſit accipere: certis enim organis inſtructa prius ac præculta ſit, neceſſe eſt, ad hanc formam, nõ aliam ſuſcipiendum. Neque enim (ut antea docuit Ariſtoteles) è ſemine bovis, leo, arbor, homo, promiſcuè gignetur. Studium philoſophi defendendi intemperatum & immoderatum in interpretibus fuit: veritatis amor, & ſtudiũ ariſtotelearum legum, ariſtoteleæ libertatis atq; induſtriæ mallem fuiſſet: philoſophiã enim jam multò lautiorem & illuſtriorem teneremus. Quamobrem præſtantiſsimas Ariſtotelis laudes illas, potius quàm ſerviles iſtas interpretum ſordes imitemur: politicis legibus illis politiam phyſicam adminiſtremus. Sed pro generationis & corruptionis genere ſatis dimicatum, quòd oppoſitum ſit aliquid eſſentiæ, nec ideo oppoſitionis argumento, è motuum phyſica tollendæ. Quid relatio peccavit, ut motus in ea nullus ſit? Accidit altero mutato alterum eſſe verum nihil mutatum, ait phyſicus. Falſum, inquam: relata ſiquidẽ ſimul naturâ ſunt, nec poteſt qualitas patris gigni vel aboleri, quin reciproca filii qualitas ſimul gignatur aut corrũpatur. Ecquid? actio & paſsio, cur motus non erunt? Nonne 3. cap. 3. phyſi. Ariſtoteles verè docuit, motum re unum & eundem, ratione duplicem eſſe, in agente, actionem, in patiente, paſsionem? At actio, nõ eſt actionis, ais: neque paſsio, paſsionis. Falſum, inquam, eſt: poteſt enim motus primus, eſſe cauſſa ſecundi, & ſecundus, tertii: ac tum primus, cauſſa movens ſecundi, & ſecundus, tertii conſideratur: Neque verum, actionem & paſsionem ſenſilia motus ſubjecta non eſſe. Quid enim tam ſenſile, quàm motus vulnerum plagarumq;, frigoris, algoris, & reliquarum actionum paſsionumq;, quibus ſenſus animantium in primis excitantur? Eſt verò ſex argumẽtorum magna in hanc theſim phyſici diſputatio. Sed totum id inſulſius eſt, quàm ut refutationem mereatur. Tandem cõcludit phyſicus, cùm motus neq; in eſſentia, neque in relatione, neq; in actione & paſsione ſit, in tribus tãtùm generibus relinqui, in quantitate, qualitate, loco: repentèq; dicta illa prius in qualitate, nomen alterationis utriq; contrario commune eſſe: in quantitate, commune nomẽ nullum eſſe, ſed ſpecialia accretionis & diminutionis nomina. In loco autem, nomen neque proprium, neque commune eſſe: Nam φορὰ, latio, in iis eſt quæ non ſuo, ſed alieno motu feruntur ſecundum locum. Adduntur duo ad extremũ: primum, quòd motus ſecundum majus & minus, alteratio ſit: ſecundum, quòd immobile dicatur duobus modis, quod omnino ſit impoſsibile moveri, & quod vix & ægrè movea-

moveatur. Atq; ita ſecundum caput in partiendis motuum generibus concluditur. Verùm ut concluſio hæc ad extremum tota percipiatur, qualis eſt phyſici noſtri ſyllogiſmus? Genera motus è categoriis metienda ſunt: in ſubſtantia autem, relatione, actione, paſsione, motus nullus eſt: Ergo motus eſt tãtùm in quãtitate, qualitate, loco. Verùm ad corrigendum tertii phyſici phyſicam, qualis iſta logica eſt? Propoſitio falſa eſt, ut antea diſſerui: neq; genera motus, è ſubjectis rebus ſunt metienda: deinde aſſumptio falſa item, quòd in eſſentia, relatione, actione, paſsione, nullus ſit motus: ac ſi quàm maximè vera eſſet propoſitio & aſſumptio, attamẽ conſequens eſſet ἀσυλλόγιστον καὶ ἀσυμπέραστον: Tres enim categoriæ ab hoc doctore in categoriis enumerandis hîc prætetitæ ſunt, Quando, Situm eſſe, Habere. Quamobrẽ phyſici philoſophi, quicumq; iſta lecturi vel audituri eſtis, aliquando per ſanctũ philoſophiæ numen, expergiſcimini, & in Ariſtotele explicãdo, Ariſtotelem ipſum ſui interpretem, judicemq; facite: Phyſica tertii phyſici de motus definitione & partitione, nullam phyſicam habuit, ſed logicam contra leges Ariſtotelis temerè & inconſideratè in phyſica ἀκροάσ. permiſtam: Motus intelligẽtia magna prorſus & in omnibus artibus, atq; adeo nõ artibus neceſſaria, ſed è phyſica vel tertii vel quinti phyſici, nullam doctrinam præcipuam requirit. Omnes artes vel ſcientia, vel opinione tantùm comprehenſæ, motus ſuos habent, ut nos Ariſtoteles 3. c. 8. phy. admonet: Hæc Ariſtotelis gloria eſt, ut antea monui: ne nobis alienas laudes arrogemus. Logica ſemel admonuit, ut de movente cauſſa, ſic de motu: Singulares deinde artes admonent de ſingulis ſuæ profeſsionis & moventibus, & motibus. At tota motus genera exquirere, nullius ſingularis eſt diſciplinæ: & ſi cujus eſſet, quò quæq; eſſet magis cõmunis & generalis, eò ſibi munus hoc potius aſſumeret, ut Grammatica, quàm Rhetorica: ut utraque, quàm Arithmetica vel Geometria: & omnes illæ omnino, potius quàm Phyſica. At, dicet fortaſſe aliquis, quamobrẽ in quinto phyſico, tertii phyſici doctrinã reprehenſam tantopere commoveris? Nonne philoſopho pulchrum eſt, nõ aliena tantũm, ſed etiam ſua reprehendere? O me cenſorem nimis ſeverum, ac nimis acerbum! qui in philoſopho philoſophi gloriam tam iniquè condemno. Verùm quiſquis hoc nobis objicies, audi, quidnam tibi reſpõdeam. Equidem vocem iſtam philoſophi de alienis ac ſuis præcipuis erroribus emendandis in primis admiror, & in cælum fero. At errorem pro doctrina: at erroris emendationem; pro doctrina, in eadem ſimul arte proponi, equidẽ ferre nullo modo poſſum. Magnis viris id ſępe accidit, nõ modo nobis minimorum minimis, ut priores cogitationes poſterioribus emendarent. At ſi Ariſtoteles unus & idẽ ſcripſit tertium & quintum phyſicum, cùm ad quarti finem perveniſſet, ſenſiſſetq; tertii doctrinã ſophiſticam & perverſam eſſe, nonne rectius & brevius fuit, aliter & alium tertium librum reſcribere?

Membranis intus poſitis, delere licebit
Quod non ediderit. neſcit vox miſſa reverti.

An oblitus erat quinto in libro, quæ tertio commentatus erat? Et tamẽ gravius multò eſt, quod in hac emendatione deprehendo: phyſica tertii libri, quamvis definiẽdo motu nihil legitimè definiat, quamvis partiendo, partes legitimas nihil integrè partiatur: attamen ad iſtam ſophiſticam comparata legitima phyſica videatur. definire aliquid voluit: hîc nulla definitio tentata eſt. illic principes phyſici motus pręcipuo loco numerantur: hîc tolluntur è toto numero. Quare ſi patronus ad Ariſtotelis cauſſam advocatus eſſem: librum hunc nothum & ſpurium eſſe libentiſsimè confirmarem: Ariſtotelis legitimum partum eſſe pernegarem. Itaque Ariſtotelis interpretes, ſpinas tam ineptas tamq; nomine tanti philoſophi indignas, imò legibus Ariſtotelis tam contrarias atq; adverſas, ex agro phyſico procul amandate: tribulis iſtis & carduis, ingenuam juventutẽ falſa ingenuæ artis ſpecie, ne diutius paſcite. Nec Alexandri ſtomachum pertimeſcite. ipſe enim querimoniam illã ſuam, ſi hæc audierit, protinus abjurabit.

IN CAP. III.

ATq; hæc prima pars fuit è tribus quinti libri partibus: quid habet altera? Definit ſeptem vocabula tertio capite, ἅμα, χωρὶς, ἅπτεσθαι, τὸ μεταξὺ,

τὸ ἐφεξῆς, τὸ ἐχόμενον, τὸ συνεχές. Simul, Seorſum, Tangere, Inter, Deinceps, Contiguum, Continuũ: quæ tota doctrina, cõmodius (ſi tamen cõmodi quicquã habeat) explicata eſſet in phyſica loci libro quarto: quia differentias locales feré cõplectitur: neq; toto iſto libro definitionibus iſtis eſt opus: appellabuntur autẽ initio ſexti libri, Simul eſſe dicũtur, quæ ſunt in eodem loco primo. Seorſum autem, quæcunque ſunt in diverſo. Atqui prima illa definitio, ad phyſicam Ariſtotelis libro quarto falſa eſt: ubi proprius locus & primus eſt idem: & duo corpora, quæ ſola dicuntur eſſe in loco, ſimul eſſe non poſſunt. Perge: Tangere dicuntur, quorum extrema ſunt ſimul. Atqui, inquam, tertia hęc definitio, Geometrię non ſemper congruit: Geometris enim interdum nõ tangit recta rectam, quamvis cohæreat, ſed tangit, cúm producta non ſecat: quod tantum poteſt accidere peripheriæ ad rectã & ad peripheriam. Ergo hæc definitió tertia itẽ vacillabit. Inter, id eſt, ad quod, quod mutatur, antea perveniat, quám ad extremum, quo mutatur ſecundum naturam continué motum. In tribus autem eſt minimum: extremum nempe mutationis & contrarium. Cõtinué veró movetur, quod minimum quidem rei, temporis autem nihil intermittit: Cõtrarium autem ſecundum locum, eſt quod ſecundum rectam plurimúm diſtat. Hæc definitio quarta prolixa eſt, & cõtinui motus contrariiq; localis definitionem ſine ulla neceſsitate complexa. Poteſt enim vel in quieſcẽtibus, eſſe τὸ μεταξύ. Nec ad contrarii definitionem, diſtantia loci major minorve quicquam facit. nec minus contrarii motus ſunt in exiguo circulo diametri, quám in maximo. Nam ſi duo motus, contraria ſint affirmata: quæ é regione perpetuó adverſentur, adverſi erunt: quám longinquis terminis diſtent, nil ad rem. una contrariorum logica definitio ſufficit intelligẽdis & judicandis omnibus contrariis, & cauſsis, & motibus, & locis, & omnibus denique entibus, & non entibus. Agedum, definitio quinta ſuccedat. Deinceps autem id ſequitur, quod ſit poſt principium duntaxat aut ſitu, aut natura, aut alio quodam modo definitum, nihil medium intereſt in eodem genere inter ipſum, & id quod ſequitur. Sic linea poſt lineã, unitas poſt unitatem, eſt deinceps, inter quas nulla linea, nulla eſt unitas. Hæc definitio, licet obſcurior, præ cæteris tamen tolerari poſsit. Sexta definitio, Cõtiguum eſt, quod cúm fuerit deinceps, tangit. Atqui definitio iſta non recté connectit deinceps & tangens, ut definitiones utriuſq; declarant: niſi deinceps dicantur etiam partes & tangentium & continuorum. Inſeritur huc vitioſa partitio oppoſitorum in adverſa & contradicentia. Nam relata & privantia, perinde ſunt oppoſita. Perge: iſta ſunt huic phyſico leviſsima. Poſtrema igitur definitio eſt, Continuum, eſt quiddam contiguum. Hæc definitio eſt falſa: Nam contiguum ipſum per deinceps & tactũ definitur: quæ continuitati convenire nõ poſſunt. Eadem definitio clarius exponitur in categoria quantitatis: quód continuum ſit, cujus partes uno communi termino cõtinentur: Sic linea, continuum quiddam eſt: Sumi namq; communis terminus, quo partes lineę copulẽtur, punctum poteſt. Tolerabilior autem in phyſicis pars illa eſt, quę continua ait eſſe, ex quibus unũ ſit ſecundum contactum: & ſic 13. cap. 4. phyſici, συνέχεια dicitur σύναψις, tanquam diceres, unitio, quod repetetur 1. cap. 6. phyſ. Quapropter ejuſmodi logica eſt in definitionibus ſeptem: quarũ quinta ſola tolerari poſsit: cæteræ, lege κατὰ παντὸς excuſari nullo modo poſſunt. Atque hæc etiam ſecundæ partis ſophiſmata, ſpurium nothumq; librum, & auribus phyſicis indignum, magis ac magis arguunt. Et tamẽ ſophiſmata hæc, φιλοσοφήματα tanti ponderis Proclo fuẽre, ut duos libros de phyſico ex tota acroaſi collecto motu, definitionibus continuorum & contiguorum deinceps poſitorum, præcipué deduxerit. Tam inſana Ariſtoteleorum interpretum de ſuo doctore credulitas fuit: falſæ & captioſæ definitiones Ariſtotelis, ſunt illis axiomata, quibuſvis geometricis axiomatis certiora.

IN CAP. IIII.

TRibus proximis capitibus, quarto, quinto, ſexto, logica eſt de unitate & oppoſitione motuũ, leviſsima prorſus, indigniſsimaque phyſicæ nomine. Quarto capite, primúm docetur idem tripliciter dici, genere, ſpecie, numero.

numero. Verúm quicquid enuntiatur, generale eſt aut ſpeciale. tertia iſta numeri differẽtia nulla eſt: ut in logicis copioſius eſt à nobis demonſtratum: & legibus Ariſtotelis contrarium eſt, generalia logicæ decreta, de differentiis ejuſdẽ, in ſpeciali diſciplina repetere. Unitas autem numeri, abſoluté unitas à philoſopho dicitur: in eaque, tria requiruntur, ut ſit idẽ & mobile, & locus, & tempus: deinde requiruntur & tria altera, continuitas, perfectio, æqualitas. At, inquam, imperfectum & inæquale, cur unum dici non poterunt? Imperfecta pictura fuit Apellis in Venere, attamẽ numero una. Inæquabilitate montium, vallium, fluminum, terra eſt inæqualis, & tamẽ una eſt. Verumenimveró, quid iſtas infinitis locis quiſquilias iã curioſé perſequor? unum & ens, de omni dicuntur, ut patet in philoſophia, ubi de uno, ſextum caput 5. libri, docet unum eſſe ſecundum accidens, aut per ſe: per ſe, ſpecie, genere, definitione, continuitate, numero. Item primum & ſecũdum caput decimi libri, docent nominatim κατηγορήματα τὰ καθόλα μάλιστα πάντων, categoremata maximé omniũ generalia, & univerſalia. Sed ſuo tum loco diſſeretur de capitibus illis, & in logicis iſta nobis jam diſputata ſunt, Unum, quatuor ſimplicibus modis dici poſſe, cauſsis, effectis, ſubjectis, adjunctis: ut vanitas iſta per logicã, phyſicam, & metaphyſicam tam immenſé repetita, deridenda plané ſit, & indigna ſané, quæ refellatur.

IN CAP. V.

Est veró logica quinti capitis admiranda, planeque par logicæ primi capitis: illic, partitiones membrorum neſcio quot factæ, unde quotlibet abjicerentur: huc eadem ſapientia revocatur, ad motuũ oppoſitionem. Motus contrarii (ait philoſophus) ſunt vel ex eodem in idem, vel ex contrariis, vel in contraria, vel ex contrario ei qui eſt in contrarium, vel ex contrario in contrarium ei qui eſt ex contrario in contrarium. Atq; ut intelligeremus, quám ſubtiliter eleganterque phyſicus diviſiſſet, ait: οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως ἀντιτίθεσθαι· non enim licet aliter opponere. At, quæ eſt iſta partitionis ſubtilitas, aut quæ tanta partiendi elegantia? Dichotomia enim ſola, partitionis abſolutam laudẽ ſibi vendicat, à qua tribus gradibus abeſt iſta quinq; partium partitio. Tum veró, quomodo à phyſico noſtro opponuntur, quæ nullam oppoſitionẽ faciunt? Etenim, quod prorſus in hac ſophiſtica mirabile eſt, duos oppoſitionũ iſtarum modos, nullam oppoſitionem ipſemet partitor eſſe docet, quartum ex contrario in contrarium, ut ex ſanitate motus, ei qui eſt in morbum, contrarius non eſt, ait. & veré quidem ait, cúm motus ſit unus & idẽ: docet deinde ſecundum ex contrariis, quia deſinere poſſunt in mediũ, & contraria potius ſint metiẽda à terminis ad quos, & magis ex illa parte motus nominatur. Hæc phyſici triplex eſt ratio, ut excludatur ſecundus modus, ſed falſa: neque motus uterque unquam poterit ſimul in idem ſubjectũ cadere. Duos tandem modos approbat, duobus illis improbatis, Tertium in cõtraria, quintum ex contrario in contrarium ei qui eſt ex contrario in contrarium: re que ait eoſdem eſſe, ſed nomine differre. Quænam igitur, ô partitor eximie, iſta eſt ἀντίθεσις, propter quam partitio tam glorioſa tibi videbatur? Tum veró modus primus qualis tibi eſt? neque enim eſt improbatus cum duobus quarto & ſecundo: neque probatus: in multitudine & confuſione bellæ partitionis delituit: & tamen re ipſa eſt idem cum tertio & quinto. An reſervatus eſt hic mod° mutationibus? Cur igitur in contrariorum motuum diviſione abs te eſt adhibitus? Equidem partitiones varias & vario genere emendabiles, frequẽter animadverti: nullam tamẽ ſophiſmatis tanti adhuc animadvertere potui. Quinque modos, ô phyſice, quiſquis es, λογικώτατε, una diviſione complecteris, tãquam bene oppoſitos. At duos nil oppoſitionis habere dicis, duos conſentire: quintus effluxit interea. En igitur, gloriare aliter oppoſitiones contrariorum motuũ conſtitui non poſſe: obtineasq; partiẽdi laudẽ, quamcumque iſta logica merueris. Equidem verba jam me deficiũt, ut interpretes de tam putido fatuoq; ſophiſmate admoneam: Et tamen capitis reliqui ſophiſtica, de contrariis mutationibus, non minus eſt admiranda. Generationem & corruptionem initio capitis dixerat phyſicus eſſe contrarios motus, ut qui

eſſet

eſſet ex eodem in idem: tandem contrariam quidem generationem corruptioni facit, ſed motus negat eſſe, eodem illo videlicet negationis jure atq; argumento, quo primo ſecundoq; capite negaverat. Verùm quænam iſta hominis hujus religio eſt, in ſubſtantia motus non ponere, quia ſubſtantiæ nihil ſit contrariũ: & tamen ſubſtantię mutationes contrarias facere? Deniq; etiam oppoſiti motus á mediis ad extrema per eandem logicam definiuntur.

IN CAP. VI.

Sed ſophiſtica in reliquũ caput continuatur. Motus (ait phyſicus) non motui ſolùm, ſed etiam quieti contrarius eſt. quies enim, eſt privatio motus. Eſt autem, ut etiam privatio contraria dicatur. ſic primo capite hujus fuit; Privatio, eſto contrarium. unde & phyſico idem repono, quod antea, cùm in ſubſtantia ſit privatio & habitus: erunt igitur contraria & termini contrarii, motus in ſubſtantia facient, ut in quantitate, qualitate, loco: totaq; de differentia mutationis & motus ſophiſtica perridicula apparebit: Colligit etiam phyſicus (credo ne ullas Zenonis quiſquilias oblitus eſſe videatur) motum, eſſe contrarium quieti, quæ ex eodem termino in eundem: deinde quietes eſſe contrarias, quæ ſunt in cõtrariis terminis. Ejuſdem logicæ eſt, quod phyſicus ait generationis & corruptionis mutationi non quietem, ſed ἀμεταβλησίαν, mutationis vacuitatem oppoſitam eſſe. Verebatur videlicet phyſicus, ne mutationes, motus eſſe confiteretur, ſi contrarium in his eſſe diceret: & mox tamen ἀμεταβλησία iſta dicitur ἐναντία, contraria mutationi: imò verò corruptio corruptioni, non ſolùm generationi contraria efficitur. Tanta eſt huic homini nõ cum rebus ipſis ſolùm, ſed ſecum pugna atq; contentio. Sequitur ad amplificandum ſophiſma de contrariis motibus & quietibus, quæſtio triplex: prima, quòd in omni genere motus quietisq; ſit ſecundum & contra naturam: unde & quælibet generatio generationi, & corruptio corruptioni, & quælibet omnino mutatio quieſq; violenta ſit oppoſita naturali. Hæc quæſtio, longa inductione totã paginam explevit. Secunda, quòd non ſit generatio quietis: quia violẽta quies generaretur: quia ſtare & ferri in naturalem locum, eſſet idem. Atqui, inquam, quid alienum fuerit, & ſecundum naturam, & pręter naturam, quietem gigni? Prima enim quæſtio id habuit: & ferri in locũ naturalem non idem eſt, quod in eo quieſcere. Itaq; utraq; hæc ratio falſa eſt. Tertia quæſtio eſt quòd quies in loco, contraria eſt motui ab eodẽ loco: quæ qualis ſit, per me quidem talis habeatur. Atq; caput ſextum in oppoſitionẽ motus & quietis ita conſumitur, ut quintum conſumptum erat in oppoſitione motuũ. Verumenim verò incredibilem Ariſtotelis (ſi quis tamen hunc librum Ariſtotelis eſſe velit) patientiam, quinto præſertim in libro ſubiit admirari. Credibile eſt, innumerabiles veterum phyſicorum commentarios his ſpinis tricisq; refertos fuiſſe, unde etiam præcipua tantùm collecta ſint. Sed per Deum immortalem, Ariſtotelis mens huc adhibeatur, conſidereturq;, quàm neceſſaria fuerit Ariſtotelis induſtria ad reliqua perpurgandum. Etenim quis tãdem erit modus legis καθόλου πρῶτον violandæ ac perſtringendæ? Primus ſecundusq; liber, generalem & logicam cauſſarum principiorumq; doctrinam, ſpecialiter contra legem illam catholicam in phyſica tam verboſé diſperſit: Tertius & quintus liber, generalẽ & logicam motus doctrinã in phyſica tam obſcurè tamq; nugatoriè repetivit: Liber primus, duobus capitibus, quinto & nono, & nũc quintus, tribus ultimis, generalem & logicam contrariorum doctrinam, ineptiſsimis ſophiſmatis permiſcuit: & ſi veniſſet ſapiẽtibus illis phyſicis in mentem, parem phyſicam de genere phyſico, de ſpecie phyſica, de ſyllogiſmo phyſico, deq; cæteris logicę decretis conſcribere, phyſico huic videlicet ſomnia quoq; & deliramenta illa ſomnianda fuiſſent & delirãda: liberq; phyſicus aliquis de tam nobili phyſica conſcribendus fuiſſet. Etenim Ariſtotelem de ſcriptis phyſici hujus judicem appellemus, legem καθόλου πρῶτον audiamus? Generalia ait, generaliter & ſemel explicanda ſunt: Atqui, inquã, doctrina contrariorum eſt generalis rerũ omnium: imò etiam nõ rerum communis: & tam multis ab Ariſtotele in organo logico præceptis inſtituta: Quare generaliter & ſemel explicanda fuit. Et verò generalis &

lis & una cõtrariorum definitio ſufficit omnibus omniũ tóiũ generibus explicandis. utrùm meteora, lapides, metalla, plantæ, animalia cõtraria ſint, definitio illa oſtendet. Quamobrem nobiles iſtæ ingenuorum animorum cruces affligantur, evertantur, tollantur: Cruciarunt veteres phyſicos horum dogmatum doctores. At ſi Ariſtoteles iſta omnia per ætatem recognoſcere, & legibus logicis expendere potuiſſet, neminem in poſterum cruciaſſent: ipſe ſine dubio afflixiſſet, evertiſſet, ſuſtuliſſet. Et tamen affligendi, evertendi, tollendi argumentum & beneficium ariſtotelcum eſt: legibus enim & argumentis Ariſtotelis, philoſophia tam importunis impedimentis per nos liberatur.

P. RAMI SCHOLARUM PHYSICARUM

liber ſextus, in ſextum phyſicum.

IN CAPUT PRIMUM.

Atque hæc quinti libri é tertio libro phyſica admodũ agreſtis fuit: ſexti libri phyſica ex eodem tertio, tertia feré parte eſt prolixior, de infinitate magnitudinis: unde deducitur infinitas motus, mobilis, temporis, ſtatus, quietis: ut meritó liber hic infinitatum poſsit inſcribi: & tamen phyſica hæc multó eſt agreſtior ſuperiore: imó veró tetrior atque infeſtior. Infinitatem magnitudinis primó ſubtilius pleniuſque diſſeremus, ut inde inſania reliquarum infinitatũ facilius intelligatur. Primo igitur capite revocatur tanquã dubia theſis de magnitudine infinite dividua, quæ tanquam indubitatum principium cõtra Antiphontẽ 2 cap. 1 phyſ. ſumitur: revocatur (inquam) huc tanquã dubia theſis, majoreq́; appararatu conatuq́; demõſtratio tantæ quæſtionis exornatur. Adeſte igitur animis, phyſicæ auditionis auditores, & rẽ mentibus penitus accipite. Hanc infinitatis theſin receperat Ariſtoteles 3. & 4. cap. 1. phyſici, & rurſus 4. cap. 3. phyſici. Illi enim διχοτομίας ἄτομα, & ἐλάχιστον μέγεθος: hic ἀτόμους γραμμὰς labefactare cœperat. Magnis veró & gravibus adverſariis in hac cauſſa phyſicus noſter opponitur. Adverſus Anaxagorã (ut antea jam é Philoponio patuit) Ariſtoteles librum de lineis individuis conſcripſerat. Democritus & Leucippus, atomorum authores, 4. cap. 3. de cælo appellantur: Pythagoras & Plato 8. cap. 3. de cælo, in hoc idem judicium citãtur: & Plato ſeparatim appellatur 7. ca. 1. Phil. de linea individua. Xenocrates etiam primo libro huc aggregatus eſt. Quare contra mathematicę philoſophię proceres, Anaxagoram, Democritum, Leucippũ, Pythagorã, Platonem theſis ab Ariſtotele de perpetua magnitudinis diviſione informatur. Illi omnes uno conſenſu, magnitudinẽ minimam dari poſſe profitebantur: Ut Ariſtoteles nobis author eſt, ſed tamen eo ipſo valde ſuſpectius, quod antea principiũ in ſchola geometrica adverſus Antiphontem fecerit. Nunc veró tanquam à mathematicis improbatum probare contendit, ſed tamẽ illi magnitudinem minimam profitentur. Ariſtoteles inficiatur, & pollicetur ſeſe demonſtraturũ, diviſionem magnitudinis ultimã nunquam fore. Agite dum, tãta de re tantam contentionem diligenter attendamus. Nihil enim eorũ præſtabit Ariſtoteles, quæ pollicetur: & ſi præſtaret maximé, nihil tamen phyſicum, & de phyſica magnitudine, & phyſicæ acroaſi conſentaneum præſtaret. Magnitudinem geometricam infinite dividuã eſſe, geometris principium eſto, ideoq́; indemonſtrabile: conſideretur igitur quomodo ab Ariſtotele demonſtretur, & quomodo veterum error refellatur. Quid igitur? unde primùm orditur Ariſtoteles? Mathematicum morem retinet, principia præponit, é tribus definitionibus antè tertio capite libri quinti præpoſitis, Cõtinua eſſe, quorum extrema ſunt unum: Tangentia ſeu contigua, quorum extrema ſunt ſimul: Deinceps poſita, inter quæ generis ejuſdẽ nihil eſt interjectum. Prima definitio clarior eſt in categoriis: ſecũda geometris fallax eſſet: Tertia præcipue probabilis eſſe videatur. ad quæſtionem tamẽ magnitudinis ſemper dividuæ, nihil neq; ſecunda, neq; tertia definitio: nihil cõtigua, nihil deinceps poſita facient: de cõtinuis quęritur, non de contiguis, non de poſitis deinceps. Sed tamen ἀκρόασις tota audiatur. Theſin ſtatuit Ariſtoteles, quam demõſtrare vult. Ἀδύνατον ἐξ ἀδιαιρέτων εἶναι τὸ συνεχές. Impoſsi-

poſsibile eſt, ex individuis eſſe quicquam continuum: quod, ut dixi, principiū eſt geometris, Ariſtoteli jam demonſtrabile. Hoc igitur attendatur. Primò theſis ipſa non generaliter demonſtratur, ſed traducitur ad ſpeciem unicam, id eſt lineam. Atqui, inquā, quod in ſpecie concluſeris, non fuerit legitimum de genere concludere. Nec Archimedi vel Euclidi juſta demonſtratio hæc videretur: imò verò in primis Ariſtoteli legem ſuam καθόλου πρῶτον cogitanti. Attamen eſto: Si demonſtretur impoſsibile eſſe, ex indiviſibilibus conſtare lineam: demonſtratum ſanè eſto, nullum ex individuis continuum conſtare: analogiam ſpeciei pro genere liberaliter accipiam. Argumentum igitur Ariſtotelis attendatur. Punctum eſt individuū, inquit: neq; unum ſunt extrema punctorū: quia non eſt hæc quidem alia pars, illa verò alia individui. Concedo, inquam, id totum. Jam ſi lubet, conclude ſyllogiſmū, quem potes inde cōcludere, & experire utrùm hinc efficias, nullā lineam ex individuis conſtare. Continua ſunt (inquies) quorum extrema ſunt unum: Punctorum extrema non ſunt unum: Ergò puncta nō ſunt continua. Hæc ſumma eſt ariſtoteleæ demonſtrationis: tanquam authores atomorum affirmēt puncta ad illam definitionem eſſe continua in unam lineam. At, inquam, id neq; Anaxagoras, neq; Pythagoras; neq; Plato, neque Democritus, neq; Leucippus patrono ſuo ſenſiſſe unquam viderentur. Plato enim (ut ex Ariſtotele jam citavimus) punctū in natura rerum nihil eſſe ſtatuebat, ſed dogma geometricum. Quare ſi adverſus Platonem rectè Ariſtoteles argumētari vellet, debuit demonſtrare, dividuū ex individuis componi non poſſe: non autem ad illam communis puncti continuitatem continuari. Verùm à theſi generali ad ſpecialem lineæ hypotheſin deſcendit, neq; tamen concludit: ſed omiſſa lineæ quæſtione, cōcludit puncta non eſſe continua. Ita à continuo ad lineam, à linea ad punctum demonſtratio delabitur: aliudque promittitur, præſtatur aliud. Itaque ſi Platoni vivo hæc ab Ariſtotele objecta eſſent, quid Platonem reſponſurum arbitramur? nonne diſcipulo dicturum, quum ſyllogiſmi ſuperioris elenchum retexuiſſet, aliam in omni rerum genere naturam eſſe compoſiti, aliam partium? Compoſitum, ſemper eſſe dividuum in partes, é quibus componitur: partes, nō neceſſariò dividuas ſemper eſſe? Oratio dividitur in dictiones: dictio, in ſyllabas: ſyllaba, in literas: litera individua eſt. Argumentatio dividitur in enuntiata: enuntiatum, in argumenta: argumētum, eſt individuum. Octonarius dividitur in quaternarios: quaternarius, in binarios: binarius tandē in unitates: unitas individua eſt. Sic decempeda dividitur in pedes: pes in digitos: tandemq; ad mēſuram minimam pervenitur, quam Ariſtoteles etiam minimam appellat 4. cap. 2. de cælo. Et ſic Ariſtoteles in fine primi Topici, multò verius & elegātius philoſophatur, cùm ait, Quod punctū eſt in linea, id unitas eſt in numero: ἑκάτερον γὰρ ἀρχή: utrumq; enim principium. Atq; illud etiam Ariſtotelis nimirum eſt 5. cap. 7. phyſ. adverſus Zenonem, qui ſingulis milii granis ſonitum tribuebat, quia milii modius deorſum cadens ſonitum ederet. Errat Zeno (ait Ariſtoteles) neque pars in toto eſt quicquā niſi potentiâ. Tale eſt nobiliſsimum illud ab Ariſtotele 3. 4. cap. 3. meteor. exemplū de iridis nube, quæ quamvis conſtet ipſa ex guttulis ſpecularibus individuis & inviſibilibus, eſt tamen dividua & viſibilis: & ſic Euclides 3 th. 1. opticæ poſtular angulum minimum: & ſic Vitellio 5 d 2 lib. minimam lucem accipit, quæ ſi diviſa intelligatur, non habeat actum lucis. Quamobrem promiſſa Ariſtotelis illa magnifica ubi ſunt? En marmorea, vel etiā ſtultorum & fatuorum hominum judicio, pluſquā adamantina fundamenta, quibus temporis mundiq; æternitas à philoſopho conſtruitur! Equidē cùm reputo, quantum huic philoſopho nō tantùm à ſuis, id eſt paganis & impiis, ſed à theologis Chriſtianis, propter iſtas nugas attributum ſit, exhorreſco, totaq; mente commoveor, eò ſimplicitatis & credulitatis doctos & eruditos homines prolapſos eſſe: valdeq; ſpero, perlectis & perſpectis, quæ contrà modò differuntur, talem ἀκρόασιν longè alio judicio audituros, & diſcipulis expoſituros eſſe, vel potius nunquam expoſituros eſſe. Quapropter ad reliqua pergamus. Differuit Ariſtoteles, puncta non eſſe continua,

diſſe-

diſſerit deinde non eſſe contigua, non eſſe deinceps poſita: Hæ ſiquidem de tribus definitiones duæ ſuperſunt. Puncta (ait) non ſunt cõtigua, quia eorũ extrema, quæ ſimul eſſe poſsint, nulla ſunt. Quod cùm Plato conceſſerit, irridebit meritò diſcipulũ in re quæ minimè controverſa ſit, demonſtrãda ſic occupatũ: Neq; enim quiſquã ſomniavit unquã, punctis cõtiguis lineã continuari: Ergo pars illa ſupervacua, heterogeniam ſuam prodit. Quid tum deinde? Eandem demonſtrationem de cõtinuis contiguisq; phyſicus repetit: tanquam tautologiam laudabilem exiſtimet. Neceſſe eſt (ait Ariſtoteles) pũcta, ex quibus continuum ſit, eſſe continua aut contigua: continua non eſſe, patet é dicta ratione: contigua veró ſi eſſent, eſſet utiq; contiguum totum toti, aut pars parti, aut pars toti. At punctum eſt impartibile: Itaq; totum toti contiguum eſſet: totum autem punctum toti puncto contiguum nõ erit: neq; cõtinuum, quia continuum habet partes alias atq; alias, in quas dividitur, diverſas & loco ſeparatas. Hanc Ariſtotelis tam ignavam tautologiam Plato miſeraretur, punctiſque punctis neq; continua, neq; contigua eſſe, diſcipulo concederet: nec ideo tamen ſequi diceret, ut nulla linea ex individuis lineis cõſtaret: conatum ariſtotelei ingenii magnũ quidẽ agnoſceret: at in eo judicium valde deſideraret. Atq; hæc é ſecunda definitione, demõſtratio eſt. Conſimilis eſt tertia Ariſtotelis demonſtratio, é tertia definitione. Puncta non ſunt (ait) deinceps poſita, ut ex iis linea ſit, tanquam ex multis Nunc, tempus: quia inter duo puncta quælibet, eſt aliqua linea: ut inter duo quælibet Nunc, eſt aliquod tempus. Hæc Ariſtotelis aggreſsio tertia eſt, quę ſimili cõmiſeratione exciperetur à Platone: qui nunquam cogitaſſet lineam é punctis deinceps poſitis cõtinuari: cùm punctũ in linea media nullum actu ſtatuiſſet unquam: imó qui punctum, placitũ illud geometricũ dixiſſet, pro linea minima & individua: & Ariſtotelẽ diceret valde audacter poſtulare, quod in quæſtione eſt, pro quæſtionis argumẽto. quæſtio enim ipſi eſt, Utrùm linea continuetur punctis: & tamen poſtulat, inter duo puncta quælibet lineam intercedere. Hoccine veró eſt promiſſam fidem liberare? hoccine eſt ſatisfacere? Omnes ſané obærati, decoctores, ære alieno obruti, ariſtotelica iſta fide, creditoribus omnibus, nullo negotio ſatisfacerent: ſi poſtularent condonari ſibi, quod ab eis peteretur: Tale eſt argumentum proximum, quód ſequetur, continuum dividi in individua. At, inquam, magiſter, problema id eſt tibi propoſitum, quod pro problematis argumento velut abſurdo, reponis. Definitio erat continui, quam ſi ſumpſiſſes cum geometris & poſtulaſſes, ſimplicius egiſſes: at cum demonſtrare vis, neq; tamen afferas præterea quicquam, ineptus es. Quid deinde? Triplicatur rurſus elenchus idem, ponitur q; pro abſurdo, quód continuum ſit in impartibilia dividuum. At (diceret magiſter Plato) id ubi iã cupidé diſputanti eſto abſurdum & falſum: Anaxagoræ, Pythagoræ, Democrito, cæteriſq; mathematicis eſt (ut tute ipſe de illis ais) perſpicuum & verum: & á magiſtro non ſatis æqua videris poſtulare: poſtulas enim tertio loco theſin propoſitam pro theſeos ipſius argumento. Atqui memineſſe debuiſſes, quám ſophiſticum, quámque pudendum ſit, petere, quod in principio ſit. Hæc igitur Plato reponeret Ariſtoteli. Verùm, demonſtrationis ariſtoteleæ exitum audiamus: Etenim ex tis tam multis ſemperq; novis ſophiſmatis, quæſtio tandem ſumma illa & generalis concluditur, Quare omne continuum, eſt dividuum in ſemper dividua. Nova etiam demonſtratio é tertia definitione colligitur: Nam (ait Ariſtoteles), ſi divideretur in individua, eſſet individuum individuo contiguum: unum enim extremum & contiguum cõtinuis. Hoc poſtremum eſt Ariſtotelis abſurdum: Si continuum dividatur in individua, fore ut individuum ſit dividuo contiguũ. Atqui, diceret hic Plato, totũ cõtrà eſt: Nã ſi partes ſint individuæ, individuũ individuo tantùm contiguum erit. En igitur λογικώτατον Ariſtotelẽ, interdũ omni logica deſtitutum: En dialecticam, ad fundamentũ æterni motus, æterni temporis, æterni mundi ſtabiliendum: dialecticam veró tot elenchis & ſophiſmatis confectam: ut jam non defendendus Plato adverſus Ariſtotelem, ſed Ariſtotelis neſcio quæ miſerabilis ambi-

tio deploranda ſit, quæ ingenium alioqui excellens & maximis dotibus ornatũ, in eas anguſtias præceps egerit. Dũ enim divinam Platonici mundi fabricã demoliendam ſibi propoſuit, videmus quales ineptias nugaſq; moliatur. Magnitudo geometrica eſt geometris infinite dividua: Id principium eſto: Ariſtoteles demonſtrare vult, neque tamẽ demonſtrat quicquã. Et ſi maximè demonſtraret, à magnitudine tamen geometrica ad phyſicam ſophiſtica eſſet infinitatis iſta deductio. Agitedum, ab iſto erroris infinito principio diſcedam' ? Quid deinde ſequitur? ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τἄλλα συμβαίνει, dixit adverſus Meliſſum & Parmenidem Ariſtoteles: quod juſtiſſimè modò poſſit adverſus Ariſtotelem uſurpari. Perpetua magnitudinis diviſio, fons inſani furioſiq; ſophiſmatis Ariſtoteli fuit ad novam novi mundi ſpeciem ſomniandum: totus liber ſextus reliquus, ut poſtea totus octavus, ex iſto infinito infinitatis ſophiſmate deducitur: reliquo igitur capite primo ſtatuitur infinitum alterum in motu, tertium in tempore ejuſdẽ eſſe rationis, magnitudinem, motum, tempus ex individuis conſtare, dividiq; in individua, aut contrà conſtare è dividuis, dividiq; in dividua: Itaq; cùm demonſtratum ſit, magnitudinem ex dividuis conſtare, dividiq; in ſemper dividua: motum quoque & tempus è dividuis conſtare, dividiq; in ſemper dividua, demonſtratum eſſe. Hæc conſectaria duo fallacia ſunt, neq; enim infinitas magnitudinis geometricæ ad magnitudinem phyſicã pervenit? Iſta nimirum cognatio fuit ad 7. cap.3. phyſici: Infinitũ dicebatur in magnitudine, motu, tẽpore, ſecundũ prius ac poſterius: quia magnitudo per ſe infinita diceretur: motus per magnitudinẽ, in qua fieret: tempus autem per motũ, cujus numerus eſſet: Eadem cognatio fuit ad 11. cap. 4. phyſici, quòd magnitudo eſſet continua, & motus continuus, propter magnitudinem continuã: tempus deniq; continuum, quia cõtinuus motus eſſet. & iterum eodem capite, Magnitudinem ſequitur motus, motũ tempus. Iſta cognatio eadem fuit ad 12. cap. 4. phyſici iterata, quòd magnitudinem motus, motũ tempus ſequatur, ut ſunt & quanta, & continua, & dividua. Nam quia magnitudo eſt talis, eadẽ accidunt motui, & per motum tempori. Hæc Ariſtotelis eſt philoſophia toties iterata & repetita: tanquã tautologia, magna aliqua in docendo virtus eſſet. Sed urgendus Plato videlicet omni ſophiſmatum genere, premenduſq; fuit: nec potuit logica veritas, niſi ſophiſtica falſitate oppugnari. Sed tamen, quãtò propius accedimus ad illud horrendæ impietatis ſophiſma, de æternitate mundi, motus, tẽporis, ex iſta magnitudinis, motus, tẽporis commentitia affinitate, tantò diligentius obſiſtendũ eſt fraudi, fallaciaq; accuratius detegenda. Quid igitur Ariſtoteles? Demonſtrandũ ſumit, primùm magnitudinis & motus in infinitate affinitatem: ut ſi magnitudo ſit infinitè dividua, motus etiam ſit infinitè dividuus. Hoc alterum eſt infinitum in motu, ex illo ſummo magnitudinis infinito. Et demonſtratio videlicet per analogiam velocitatis & tarditatis pluſquam Euclidea vel Archimedea, nihil intelligentibus eſſe videatur. Verumenimverò telis aranearum tam ſimpliciter illaqueari muſcæ deſinant. Etenim quo nomine cõmodius appellem Alexandros, Porphyrios, Ammonios, Proclos, & cæteros Ariſtotelis interpretes, alioqui magnos prorſus & excellentes homines, tamen in philoſophia iſta fatuè ſtupidoſq; credulos? Analogia enim illa nihil omnino demõſtrat, ſed obſcurat potius, ne tẽpus in refutando cõſumamus. Sed conſtantiore argumẽto reſiſtamus: Magnitudo eſt infinitè dividua (ait Ariſtoteles) neque minima magnitudo dari poteſt. Negant (ut ipſe ais) Anaxagoras, Democritus, Leucippus, Pythagoras, Plato, & de phyſica magnitudine veriſsime negent: cauſſam negationis ex Ariſtotelis etiã philoſophia neceſſariam, ſyllogiſmo illo invictiſsimo confirmavi: Res ſenſilis, eſt finitè dividua: magnitudo, phyſica, eſt ſenſilis: magnitudo phyſica igitur eſt finitè dividua. Hoc antea libro tertio docui: & nũc tandem ſexto phyſico doceo, ab Ariſtotele pro fundamẽto maximæ & graviſsimæ quæſtionis, nihil niſi ſophiſmata fatua inertiaq;, fatuis & inertibus ſophiſmatis aggregari: quid tum? utrùm deinde etiam Platoni perſuadebit, motum infinitè eſſe dividuum? Enimverò cohiberi

animo

animo in tanta indignitate vix poſſum. Attamen res quietè moderateq́ agẽda eſt. Magnitudo, quę infinitè dividua ab Ariſtotele dicitur, eſtne intelligibilis tantùm, an ſenſilis? Intelligibilis tantùm, reſpondet Ariſtoteles ipſe tertio phyſico: quia ſenſile nihil eſt potentiâ infinitum. Bene res habet, inquam: & incipio reſpirare. Sed iterum rogo de motu eandem rogationem. Motus (de quo modo loquitur Ariſtoteles, & loquutus eſt antea) eſtne intelligibilis tantùm, an ſenſilis? Senſilis planè, reſpondeat Ariſtoteles: & hoc uno diſcrimine differt Mathematicus à Phyſico, quòd Mathematicus mente magnitudines abſtrahat à motu: Phyſicus, rerum ſenſilium, planeque tangibilium motus tractet. Ecquid igitũ, inquam, quomodo ſenſilem motum, è magnitudine duntaxat intelligibili infinitè dividuũ efficies? Quomodo tantus alioqui tamq́ mirabilis artifex, ſpectatoribus tuis in hac phyſica & ſenſibili ſcena, [illegible] illa, quæ omnem ſenſus aciẽ effugiant, repræſentabis? quomodo motum ſenſilem in magnitudine intelligibili demõſtrabis? quomodo denique infinitatẽ ſenſili motui ex intelligibili magnitudine vindicabis? Phyſicus, nihil niſi ſenſile, imò niſi tangibile conſiderat: quomodo igitur illa duntaxat intelligibilia cõſiderabit? ubi lex eſt [illegible]? Cur non geometrica geometricè, phyſica phyſicè doceantur? Ariſtoteles verò tertio phyſico longe accuratior, lõgeq́ magis legis ſuæ memor fuit, cùm duobus in locis teſtatũ illud profeſsionis ſuæ teſtimonium relinqueret, de infinito phyſico duntaxat in phyſica eſſe differendum: geometræ ſuũ ſibi infinitum interpretarentur. Deniq́ (quod caput rei eſt) an res ſenſilis in ſubiecto duntaxat intelligibili verſari exerceriq́ poterit? Hæc igitur, phyſici profeſſores, quicunq́ & ubicunq́ eſtis, per Deũ naturæ omnis authorẽ moderatorẽq́, attentè conſiderate. Motus phyſica res eſt Ariſtoteli: imò Naturę merus partus fœtusq́: phyſica aũt res nulla, niſi phyſicè, niſi ſenſiliter, imò tangibiliter cõſiderari poteſt. Quare differentiam illam Mathematici & Phyſici ſubducite: habeat Mathematicus magnitudines infinitè dividuas: Phyſicus, nihil habeat, niſi finitum, niſi finitè dividuum, niſi in phyſico corpore & ſenſili & tangibili & finito & finitè dividuo: proptereaq́ motus phyſicus à magnitudine intelligibili & geometrica infinitam cõtinuitatem ducere nullo modo poteſt. Definite igitur tantis impoſturis in poſterum fidẽ adhibere: Magnitudo ſiqua eſt infinitè dividua: eſt, utique geometrica mẽte duntaxat intelligibilis: neque motus phyſicus & ſenſilis in tali magnitudine fieret. Sed tamen hic aliud etiam argumentũ meditor & animadverto. Ariſtoteles jã toties motum magnitudini analogum efficit: quid igitũ iſtud, aut quale eſt, motum in magnitudine fieri? utrũ magnitudines, tanquam funes erunt: motus ipſi, veluti funambuli? At, inquam, ridiculum iſtud eſt & deridendum: neq́ enim motus in magnitudine, ſed in re phyſica magna efficitur: neq́ magnitudo ſola, ſed res phyſica magna, ſubjectum eſt phyſici motus. atqui infinitè antea jam patuit, magnitudinem phyſicam finitè eſſe dividuam, minimáq́ dari poſſe. Quare undenam motus infinitas ſomniari poterit? Tum verò funes illi, cuinam motui ſubeiũt? Etenim in generatione, corruptione, accretione, diminutione, alteratione, funes ipſi nulli antè ſaltaturis motibus prætenduntur: ſed unà cum motu, magnitudo (ut cætera eſſentiæ accidentia, unà cũ eſſentia ſubjecta) creſcit & minuitur? & ſic Ariſtoteles 1. cap. 8. metaphyſ. docet unã omnibus motibus eſſentiã ſubjici. Quid igitur? quis motus in magnitudine, nõ jam dico geometrica & intelligibili, ſed phyſica & ſenſili exercetur? Utrùm latio ſola erit? Huic enim locus antè paratus, & ſubſtrata via eſt, per quam feratur: & Ariſtotelis exempla huc omnia redeũt. Quare nugas à tertio uſq́ phyſico in totam ἀπειρίαν reliquam productas intolerabiles agnoſcim⁹, de infinita magnitudine motuque propter infinitam magnitudinẽ infinito: cùm de motu quolibet id intelligi non poſsit, ſed de motu locali tantùm. Verumtamen ſi locus etiam continuus non eſſet, an localis motus propterea continuus eſſe deſineret? Hic enim actus ultimus ſupereſt, ut fabula peragatur, & Plaudite, dicatur. Utrùm, inquam, loci cõtinuitas ad localẽ motũ continuũ neceſſariò attinet? Ariſtoteles hac de re 3. c. 5. phyſici audiatur,

& ariſtoteleæ philoſophiæ corrigendæ beneficium, Ariſtotelis proprium eſto. Hic igitur continuè moveri docet Ariſtoteles, quando temporis omnino nihil, rei autem (in qua fit motus) aut nihil, aut minimũ intermittatur: quia rei, in qua fit mot[9], nihil prohibeat aliquid interrumpi: ſicut in fidibus fieri poteſt, ut poſt primam, repentè ſonet ultima. Hæc Ariſtotelis definitio, docet localem motum, quamvis locus ipſe disjunctus ſit, tamen continuari poſſe. Quamobrẽ concludatur, Neq; phyſicam magnitudinem infinitè dividuam eſſe, neq; motum propterea infinitè eſſe dividuum: neq; omninò motum in magnitudine continua continuari: totúmq; Ariſtotelis tot librorum ſophiſma, ad divinam Platonis coſmopœiam ſubvertendum, perverſum prorſus ac præpoſterũ eſſe: quotq; Ariſtotelis argumenta huc diriguntur, tot inanes & vanos elenchos deprehendi.

IN CAP. II.

At latius erupit infinitas ſophiſticæ diviſionis: Hinc enim deducitur infinitas motus, mobilis, temporis, ſtationis, quietis: de quibus ſigillatim idcirco nobis erit differendũ: temporis autem infinitas confuſius ſecundo capite anticipatur. Hic igitur magnitudinis & tẽporis diviſiones æquales & reciprocæ efficiũtur: ut ſi magnitudo ſit dividua, ſit & tẽpus dividuum: & ſi tempus dividuum, magnitudo ſit etiam dividua: ad eamq; rem, velocitatis & tarditatis eadẽ analogia, demonſtrationes imperitis admirabiles habet. At, inquã, ſi magnitudo dividua ſit, non propterea magis erit dividuus numeratus motus, quàm numeratus color vel calor. Cauſſa quidẽ ſectionis cõtinuæ, eſt à magnitudine in phyſicis reb[9], ut Ariſtoteles ipſe ſæpe aliàs, ſed quarto & quinto capite hujus profitetur: neq; tamẽ reciprocatur de tempore, non quidẽ potius quàm de colore. Nugæ ſunt moleſtæ bene intelligentibus, & odioſæ: præſertim cùm tẽpus ab Ariſtotele tã ſophiſticè ſit antea definitum: menſuraq; tẽporis pro tempore ſit accepta: tẽpuſq;, res logica, tam ineptè cũ magnitudine geometrica comparetur. Dimidia pars capitis hæc eſt de diviſione magnitudinis & tẽporis: Altera eſt, quòd infinitas æqualis, item & reciproca in magnitudine & tẽpore: ut ſi magnitudo ſit infinita, vel extremis vel diviſione, tẽpus infinitũ ſit extremis vel diviſione: contraq;, ſi tempus ſit infinitũ extremis vel diviſione, magnitudo pariter ſit infinita: ita germaniſsimæ res ſimilimæque efficiuntur magnitudo & tẽpus. Verùm cùm Ariſtoteles tot antea locis profeſſus ſit, magnitudinem per ſe eſſe dividuã & infinitã: per magnitudinem, motum: tẽpus per motum: abſurdæ admodum & ſtupidæ ſunt hæ reciprocationes, toties præſertim in hoc libro iteratæ & inculcatæ. Et tamen quodnã eſt hoc conſectariũ? Magnitudo eſt infinita: Ergo tẽpus eſt infinitum. Etenim cujuſnã ſenſus ſophiſma hoc eſt? Magnitudo eſt infinita: quomodo? Diviſione, reſpondeat Ariſtoteles: Tempus autem, quomodo infinitum? an diviſione, ſicuti magnitudo? ſic enim conveniebat à parente ſimilẽ prolẽ procreari. & verò primo capite ita reſpõdit Ariſtoteles, an igitur ut magnitudo maxima, ſic tempus longiſsimum dari poterit? At Ariſtoteles id nequaquam videatur eſſe reſponſurus: quia æternum facit. Quomodo igitur tempus erit infinitum? Additione opinor, & ſucceſsione. Quid igitur ambiguitate hac illudimur? Tẽpus accipit à magnitudine infinitatem additionis, cùm tamẽ magnitudo, additione finita maximaque dari poſsit? Ex hac porrò infinitate ultimorũ & diviſionis, ſolvitur Zenonis ratio, Quòd finito tempore, liceat ſpatiũ diviſionis potentiâ infinitũ pertranſire. Hic infinitum bifariã diſtribuitur, ut aliud ſit infinitum extremis, aliud diviſione: tanquam idem non eſſet antea diſtributum libro tertio. Sophiſtica pompa conſimilis eſt, quòd actu infinitum, finito tempore tranſiri nequeat: neq; finitum actu ſpatiũ, in tempore infinito: ad eãq; oſtentationem, analogia velocitatis & tarditatis revocatur.

IN CAP. III.

Phyſica hujus capitis levicula eſt ex occaſione infiniti tẽporis arrepta, Nunc eſſe individuum, & in eo nihil neq; moveri, neq; quieſcere. Probet, inquã, Geometra punctũ eſſe individuum: eandẽ & partem logicam oſtẽderit,

&

& tamen hæc tam bella phyſica, de Nũc individuo; quodq; cuncta fiant in tempore, nihil in Nunc fiat, jam 1t. cap. 4. phyſici dicta primum, deinde repetita eſt 13. & 14. capitibus ejuſdem libri. tam chara ſunt Ariſtoteli ſophiſmata. Et tamen ſi de tali tempore, id eſt motus cæleſtis numero, dicendum fuit; in cæleſti doctrina dicendum fuerat. Quinetiam quædam momẽto fieri videntur, ut lux ſolis ſupra horizontem; nõ parte prius alia, alia poſterius; ſed ſimul omnibus illuceſcit, ut eſt in Opticis.

IN CAP. IIII.

PErge veró: dixiſti de infinitate motus, de infinitate temporis: quæ ſequitur nova & tertia infinitas? Nulla adhuc nova informatur; ſuperior illa motus infinitas revocatur, quód motus eſt dupliciter dividuus: primó, ſecũdum partes rei mobilis: ſecũdó, per partes tẽporis. In primo modo, Ariſtoteles miſerè prodit ſophiſma de motus infinitate: Nam ſi motus eſt dividuus ſecundum partes rei mobilis, res autẽ mobilis, ſit dividua finité (ut res omnis phyſica finitè dividua eſt) motus quoq; finitè erit dividuus: tandemq;, ut res mobilis in rem minimam & individuã ſolvetur, ſic & motus: Notetur igitur in medio capitis ariſtotelea concluſio, Neceſſe eſt omnis rei partibilis hãc eſſe diviſionem. Quapropter Ariſtotelis etiã vera Logica, putidam hãc ſophiſticã refellet; beneficioque Ariſtótelis & argumẽto, intelligemus motum non eſſe infinitè dividuum. Secundo modó diviſionis (quo motus per partes temporis dividitur) Ariſtotelis phyſica ſingularis eſt, & ſingulariter animadvertenda: Quantum (inquit Ariſtoteles) eſt dividuum per ſe: quale autem, per accidens. quod verũ quidẽ eſt, ſed addit Ariſtoteles ad finẽ, omnia pariter & dividua & infinita eſſe: Conſequitur maximé (ait) omnia dividi, & infinita eſſe á mutabili: protinus enim ineſt mutabili & dividuum & infinitum. Hic veró ſyllogiſmus phyſici noſtri valdé eſt admirabilis: Mutabile eſt dividuũ & infinitũ. At, inquã, omnis quãtitas, qualitas, omniſq; omnino phyſica res, mutabilis eſt: Igitur dividua & infinita. Atqui, inquã, phyſice divine, quid agis? Quia motus ſit dividuus & infinitus, quia tempus ſit dividuũ & infinitum: concludis poſtea motum eſſe æternum: tempus eſſe æternum. Ecquid igitur? tuis iſtis veſtigiis, utrúm verè concludere licebit, Omnis res phyſica, eſt dividua & infinita: Ergo æterna. Nihil igitur in natura rerũ erit caducũ, nihil corruptibile: nulla generatio, nulla corruptio, nulla accretio, nulla diminutio, nulla alteratio. At id minimè gentium unquam cogitaſti. Videant igitur Ariſtotelis ſectatores & æmuli, quæ commentorum monſtra peperit commentitia ariſtotelea infinitatis phyſica.

IN CAP. V.

AGedũ, quid poſt iſtas motus infinitates atq; æternitates ſequitur? Phyſicus in motu commoratur, & motus infinitatẽ exornat tribus corolariis: primũ eſt, Omne mutatũ, eſt in termino ad quem: ut patet in motu locali, & in omni omnino motu. At hoc primũ vulgare: quod autẽ ſequitur, ſingularis eſt ſapiẽtiæ: Mutatum primó & per ſe, eſt mutatum in individuo, id eſt terminũ motus non eſſe in tẽpore. Sed tertiũ plané παράδοξον eſt, Id in quo primó mutatum eſt, dupliciter dicitur, in quo vel deſiit, vel cœpit: mutationiſque eſt revera finis, principiũ nullũ eſt omnino: ἄπειροι γὰρ αἱ διαιρέσεις, diviſiões enim infinitæ. En igitur ſomnia ex illo infinito ſophiſmate perpetuó dividuæ magnitudinis phyſicæ ſomniata. Primum principiũ motus nullũ eſt, ait Phyſicus noſter: neq; motus cœpit unquam. Verum eſt, ſcilicet: nec primúm Ariſtoteles de phyſica actoaſi diſſerere cœpit unquã: actoaſis fuit ab æterno. Itaq; nugas ſophiſmatũ omnium & ineptias ſic facies æternas. O' lepidã & jocularem Phyſicã! Quid enim vis aliud de tam fatua inſulſitate dicã? Sed tamẽ ne paradoxũ id ſolum putes, additur ex eadẽ ſapientia, Neque mobilis, neque temporis eſſe quidquam primum. At monſtra inſomniorum procul abigant: & quidem vel præſenti Ariſtotelis doctrina abigãtur. Etenim hoc ipſo in capite ad finem Ariſtoteles docet, quanta per ſe dividua eſſe: & in his nihil eſſe primum: Reliqua per accidẽs eſſe dividua, & in iis eſſe individuum & primum. Ex hoc igitur ſolidiore verioreque theoremate, concluditos

& ariſtoteleæ philoſophiæ corrigendæ beneficium, Ariſtotelis proprium eſto. Hic igitur continuè moveri docet Ariſtoteles, quando temporis omnino nihil, rei autem (in qua fit motus) aut nihil, aut minimũ intermittatur: quia rei, in qua fit mot⁹, nihil prohibeat aliquid interrumpi: ſicut in fidibus fieri poteſt, ut poſt primam, repentè ſonet ultima. Hæc Ariſtotelis definitio, docet localem motum, quamvis locus ipſe disjunctus ſit, tamen continuari poſſe. Quamobrē concludatur, Neq; phyſicam magnitudinem infinitè dividuam eſſe, neq; motum propterea infinitè eſſe dividuum: neq; omninò motum in magnitudine continua continuari: totumq; Ariſtotelis tot librorum ſophiſma, ad divinam Platonis coſmopœiam ſubvertendum, perverſum prorſus ac præpoſterũ eſſe: quotq; Ariſtotelis argumenta huc diriguntur, tot inanes & vanos elenchos deprehendi.

IN CAP. II.

At latius erupit infinitas ſophiſticæ diviſionis: Hinc enim deducitur infinitas motus, mobilis, temporis, ſtationis, quietis: de quibus ſigillatim idcirco nobis erit diſſerendũ: temporis autem infinitas confuſius ſecundo capite anticipatur. Hic igitur magnitudinis & tēporis diviſiones æquales & reciprocæ efficiũtur: ut ſi magnitudo ſit dividua, ſit & tēpus dividuum: & ſi tempus dividuum, magnitudo ſit etiam dividua: ad eamq; rem, velocitatis & tarditatis eadē analogia, demonſtrationes imperitis admirabiles habet. At, inquã, ſi magnitudo dividua ſit, non propterea magis erit dividuus numeratus motus, quàm numeratus color vel calor. Cauſſa quidē ſectionis cõtinuæ, eſt à magnitudine in phyſicis reb⁹, ut Ariſtoteles ipſe ſæpe aliàs, ſed quarto & quinto capite hujus profitetur: neq; tamē reciprocatur de tempore, non quidē potius quàm de colore. Nugæ ſunt moleſtæ bene intelligentibus, & odioſæ: præſertim cùm tēpus ab Ariſtotele tã ſophiſticè ſit antea definitum: menſuraq; tēporis pro tempore ſit accepta: tēpuſq;, res logica, tam ineptè cũ magnitudine geometrica comparetur. Dimidia pars capitis hæc eſt de diviſione magnitudinis & tēporis: Altera eſt, quòd infinitas æqualis, item & reciproca in magnitudine & tēpore: ut ſi magnitudo ſit infinita, vel extremis vel diviſione, tēpus infinitũ ſit extremis vel diviſione: contraq;, ſi tempus ſit infinitũ extremis vel diviſione, magnitudo pariter ſit infinita: ita germaniſsimæ res ſimilimæque efficiuntur magnitudo & tēpus. Verùm cùm Ariſtoteles tot antea locis profeſſus ſit, magnitudinem per ſe eſſe dividuã & infinitã: per magnitudinem, motum: tēpus per motum: abſurdæ admodum & ſtupidæ ſunt hæ reciprocationes, toties præſertim in hoc libro iteratæ & inculcatæ. Et tamen quodnã eſt hoc conſectariũ? Magnitudo eſt infinita: Ergo tēpus eſt infinitum. Etenim cujuſnã ſenſus ſophiſma hoc eſt? Magnitudo eſt infinita: quomodo? Diviſione, reſpondeat Ariſtoteles: Tempus autem, quomodo infinitum? an diviſione, ſicuti magnitudo? ſic enim conveniebat à parente ſimilē prolē procreari. & verò primo capite ita reſpõdit Ariſtoteles, an igitur ut magnitudo maxima, ſic tempus longiſsimum dari poterit? At Ariſtoteles id nequaquam videatur eſſe reſponſurus: quia æternum facit. Quomodo igitur tempus erit infinitum? Additione opinor, & ſucceſsione. Quid igitur ambiguitate hac illudimur? Tēpus accipit à magnitudine infinitatem additionis, cùm tamē magnitudo, additione finita maximaque dari poſsit? Ex hac porrò infinitate ultimorũ & diviſionis, ſolvitur Zenonis ratio, Quòd finito tempore, liceat ſpatiũ diviſionis potentiâ infinitũ pertranſire. Hic infinitum bifariã diſtribuitur, ut aliud ſit infinitum extremis, aliud diviſione: tanquam idem non eſſet antea diſtributum libro tertio. Sophiſtica pompa conſimilis eſt, quòd actu infinitum, finito tempore tranſiri nequeat: neq; finitum actu ſpatiũ, in tempore infinito: ad eãq; oſtentationem, analogia velocitatis & tarditatis revocatur.

IN CAP. III.

Phyſica hujus capitis levicula eſt ex occaſione infiniti tēporis arrepta, Nunc eſſe individuum, & in eo nihil neq; moveri, neq; quieſcere. Probet, inquã, Geometra punctũ eſſe individuum: eandē & partem logicam oſtēderit.

& tamen hæc tam bella phyſica, de Nūc individuo; quodq; cuncta fiant in tempore, nihil in Nunc fiat, jam ii. cap. 4. phyſici dicta primum, deinde repetita eſt 13. & 14. capitibus ejuſdem libri. tam chara ſunt Ariſtoteli ſophiſmata. Et tamen ſi de tali tempore, id eſt motus cæleſtis numero, dicendum fuit, in cæleſti doctrina dicendum fuerat. Quinetiam quædam momēto fieri videntur, ut lux ſolis ſupra horizontem, nō parte prius alia, alia poſterius; ſed ſimul omnibus illuceſcit, ut eſt in Opticis.

IN CAP. IIII.

PErge verò: dixiſti de infinitate motus, de infinitate temporis: quæ ſequitur nova & tertia infinitas? Nulla adhuc nova informatur; ſuperior illa motus infinitas revocatur, quód motus eſt dupliciter dividuus: primó, ſecūdum partes rei mobilis: ſecūdó, per partes tēporis. In primo modo, Ariſtoteles miſerè prodit ſophiſma de motus infinitate: Nam ſi motus eſt dividuus ſecundum partes rei mobilis, res autē mobilis, ſit dividua finitè (ut res omnis phyſica finitè dividuā eſt) motus quoq; finitè erit dividuus: tandemq; ut res mobilis in rem minimam & individuā ſolvetur, ſic & motus: Notetur igit̄ in medio capitis ariſtotelea concluſio, Neceſſe eſt omnis rei partibilis hāc eſſe diviſionem. Quapropter Ariſtotelis etiā vera Logica, putidam hāc ſophiſticā refellet, beneficioque Ariſtotelis & argumēto, intelligemus motum non eſſe infinitè dividuum. Secundo modo diviſionis (quo motus per partes temporis dividitur) Ariſtotelis phyſica ſingularis eſt, & ſingulariter animadvertenda: Quantum (inquit Ariſtoteles) eſt dividuum per ſe: quale autem, per accidens. quod verū quidē eſt, ſed addit Ariſtoteles ad finē, omnia pariter & dividua & infinita eſſe: Conſequitur maximé (ait) omnia dividi, & infinita eſſe á mutabili: protinus enim ineſt mutabili & dividuum & infinitum. Hic verò ſyllogiſmus phyſici noſtri valdè eſt admirabilis: Mutabile eſt dividuū & infinitū. At, inquā; omnis quātitas, qualitas, omniſq; omnino phyſica res, mutabilis eſt: Igitur divi dua & infinita. Atqui, inquā, phyſice divine, quid agis? Quia motus ſit dividuus & infinitus, quia tempus ſit dividuū & infinitum: concludis poſtea motum eſſe æternum: tempus eſſe æternum. Ecquid igitur tuis iſtis veſtigiis, utrúm verè concludere licebit, Omnis res phyſica, eſt dividua & infinita: Ergo æterna. Nihil igitur in natura rerū erit caducū, nihil corruptibile: nulla generatio, nulla corruptio, nulla accretio, nulla diminutio, nulla alteratio. At id minimè gentium unquam cogitaſti. Videant igitur Ariſtotelis ſectatores & æmuli, quæ commentorum monſtra peperit commentitia ariſtoteleæ infinitatis phyſica.

IN CAP. V.

AGedū, quid poſt iſtas motus infinitates atq; æternitates ſequitur? Phyſicus in motu commoratur, & motus infinitatē exornat tribus corolariis: primū eſt, Omne mutatū, eſt in termino ad quem: ut patet in motu locali, & in omni omnino motu. At hoc primū vulgare: quod autē ſequitur, ſingularis eſt ſapiētiæ: Mutatum primó & per ſe, eſt mutatum in individuo, id eſt terminū motus non eſſe in tēpore. Sed tertiū planè παράδοξον eſt, Id in quo primó mutatum eſt, dupliciter dicitur, in quo vel deſiit, vel cœpit: mutationiſque eſt revera finis, principiū nullū eſt omnino: ἄπειροι γὰρ αἱ διαιρέσεις, diviſiōes enim infinitæ. En igitur ſomnia ex illo infinito ſophiſmate perpetuó dividuæ magnitudinis phyſicæ ſomniata. Primum principiū motus nullū eſt, ait Phyſicus noſter: neq; motus cœpit unquam. Verum eſt, ſcilicet: nec primúm Ariſtoteles de phyſica acroaſi diſſerere cœpit unquā: acroaſis fuit ab æterno. Itaq; nugas ſophiſmatū omnium & ineptias ſic facies æternas. O' lepidā & jocularem Phyſicā! Quid enim vis aliud de tam fatua inſulſitate dicā? Sed tamē ne paradoxū id ſolum putes, additur ex eadē ſapientia, Neque mobilis, neque temporis eſſe quidquam primum. At monſtra inſomniorum procul abigant̄: & quidem vel præſenti Ariſtotelis doctrina abigātur. Etenim hoc ipſo in capite ad finem Ariſtoteles docet, quanta per ſe dividua eſſe: & in his nihil eſſe primum: Reliqua per accidēs eſſe dividua, & in iis eſſe individuum & primum. Ex hoc igitur ſolidiore verioreque theoremate, conclu-

dito: Per accidens, dividua habent primum & individuum: At motus & tempus, per accidens (per magnitudinem nempe, ut jã toties patuit) quanta ſunt: imò verò quid tota illa tertii phyſici diſputatio, (quòd nullum extremũ eſſet infinitum) aliud fuit, quàm ſophiſmatis hujus, quod in magnitudine, quod in motu, quod in tempore nihil primũ ſit, refutatio & improbatio? Motus igitur & tempus habent aliquid primum & individuum: ſomniaq; iſta (nihil eſſe primum in magnitudine phyſica, nihil in motu: nihil eſſe primum in mobili, nihil eſſe primum in tempore) non dico jam dira & execranda, ſed miſeranda, & planè fabuloſa deprehenduntur. Equidem iſta ab Ariſtotele, & in Ariſtotelem differens, mirabiliter obſtupeſco: tantã rerum nõ jam dico fraudẽ, ſed repugnãtiam & ſtupiditatẽ, tandiu tolerari potuiſſe. Et tamẽ novi generis ſophiſma ſemper aliquod affertur: Etenim quodnam hoc deliramentum eſt? In omni motu (dixit Ariſtoteles 1. c. 5. phyſ.) quinque ſunt, mobile, locus, tempus, terminus à quo, terminus ad quem. Ergo, inquam, in omni motu, eſt aliquid primum, quia primus eſt terminus. At in hoc capite, de duobus illis terminis, Ariſtoteles primum tollit, inquies. Ecquid igitur, inquã, utrùm ſi effrænatam cujuſcunq; levitatis inconſtantiam tibi permiſeris, idcirco in natura rerum minorẽ conſtantiam fore ſperaſti? Poſuiſti antea, tollis poſtea: affirmaſti antea, negas poſtea. utrùm propterea Naturæ veritas immutatur, non proditur inconſtantia tua?

IN CAP. VI.

NOva ſophiſmatũ paradoxa continuantur. Ecquid (inquies) poteſt abſurdius tot ſophiſmatis cogitari? Equidẽ ipſe vix mihi meis oculis iſta credere audeo: ſed tamen ita ſunt in libro. Nihil eſt in tempore primũ, dixit Ariſtoteles capite quinto: nihil mutatur in tẽpore primũ, ait ſexto capite Ariſtoteles idẽ: unde concludit, Quicquid mutatur, prius jã mutatũ eſſe. Quamobrem, inquã? Quia (reſpondebit Phyſicus) infiniti, quale tẽpus eſt, nullum eſt principiũ. Enimverò quouſq; inſanus phyſicæ infinitatis elẽchus iſte phyſicũ noſtrũ exercebit? Sed tamẽ exercet etiã vehementius & ſolidius, quàm antea. Nec enim infinitas tantùm à magnitudine ad motũ, mobile, tempus, ſed etiã ad quælibet non continua traducitur. Eadem enim (ait) demonſtratio in nõ continuis. Ergo jam Ariſtotelis ſomnia illa ſuperiora redeunt, Qualitatẽ & accidentia quælibet eſſe dividua & infinita, propterea, inquam, omnia, cujuſcunq; modi entia, erunt æterna. O' magnitudines, ô motus, ô tempora, ô non continua etiam, quælibet infinita atque æterna! quænam vel pelves, vel ſphæræ, vel Apelliconis uneæ, iſtã phyſicam excuſabunt! Sæpe jã profeſſus ſum, collectas eſſe ab Ariſtotele varias de veterũ commentariis commentationes: nõ æſtimatas, non judicatas. At unum in locũ tam multas, imò tam fatuas, tamq; deliras nugas, quomodo jam excuſare valeã? & cæteros errores quoſvis facilius ferre poſſum: impietatẽ verò æterni motus, æterni temporis, æterni mundi, per ejuſmodi deliramenta affectari, equidẽ ferre nullo modo poſſum: neq; viri boni eſſe duco, tanta tantæ fraudis indignitate non commoveri: nebulonemq; improbum ſtatuo, qui prudens & ſciens nebulas tam impias tueatur.

IN CAP. VII.

SEd tamen morbum non jã æternitatis ſolùm in Ariſtotele ſuſpicor: ſymptoma aliud etiam ſubeſt. Morbus in Græcia popularis fuit, & pleriſq; philoſophis etiam penè è cõtagione & natura cæli ingeneratus, ut ſibi ſatis eruditi nõ viderentur, niſi libros quamplurimos edidiſſent. Libros igitur, libros, inquã, Ariſtoteles parturit. Ergo infinitatis ſophiſma in librũ integrũ continuatur: Repetitur (quamlibet odioſè & putidè, jam ab Ariſtotele, logicam omnem prorſus oblito, nihil intereſt) repetitũ (inquã) cognatio magnitudinis & temporis è ſecundo capite. Si magnitudo finita, & tempus finitum: & cõtrà, ſi tempus finitum, magnitudo quoq; finita. Tum eadem finiti, infinitiq; ratio repetitur in mobili & tempore: deniq; etiam in motu. Equidem infinitis iſtis ſophiſmatis refellendis defeſſus ſum: & niſi nugas tã putidas nugari Phyſicus noſter deſierit, refutare equidem deſinam.

IN

IN CAP. VIII.

ET quidem patiĕtia jam omnis me plané deſtituit. Infinitas magnitudinis, infinitas motus, infinitas mobilis, infinitas tĕporis expoſita eſt: duplex infinitas adhuc ſupereſt exponĕda, infinitas ſtatus, infinitas quietis. Quod ſiſtitur, quãdo ſiſtĭt, (ait hic infinitatis architectus) neceſſe eſt moveri. Eſto: Primũ nihil fuit in motu: primum nihil in mobili: primũ nihil fuit in tĕpore: primũ nihil fuit etiam in non continuis: primũ deniq; jam nihil eſt in ſtatiõe: Quin etiã ad quietĕ ſophiſma pervenit, ut in quiete, ne primũ quidĕ reperiatur: deniq; iſta incredibili Ariſtotelis ſapientia, quód ſemel quievit, in ſempiternum quievit: neq; quietis habuit unquam principium. O' miſeros ariſtoteleæ phyſicæ phyſicos, quibus iſta anilia deliramĕta tanti ſunt, ut cúm ſemel dormire cœperint: æternum ſibi ſomnũ credant anteceſsiſſe! Ecquid mirũ eſt, tam graves lethargos ſtertentibus, ſenſus ſopitos eſſe? neq; quicquã de tot tantiſq; ſophiſmatis adhuc deprehĕdere potuiſſe? Equidĕ arbitror omnia omniũ, qui uſquã fuerunt, delirorũ phyſicorũ deliramenta, in hanc infinitatis theſin congregata eſſe. Infinitas tertio in phyſico, magnitudini geometricæ & intelligibili dũtaxat attribuebatur. At iſto in libro, attribuitur primó magnitudini, deinde per magnitudinem motui, mobili, tempori, non cõtinuo cuilibet, item ſtationi, quieti. ecquid in mentem denique venire potuit, cui non iſta infinitas ab Ariſtotele cõmunicata ſit? Credo tũ formicas, & papiliones, & muſcas infinitas fuiſſe futuras, ſi ad iſtum infinitatis largitorem in tempore acceſsiſſent. Ecquid formicas aut muſcas loquor? cúm philoſophus ipſe, uno continuorũ & non continuorum homine omnia ſine exceptione, complexus ſit? O' Prodigũ infinitatis philoſophum! ô philoſophũ ſui prorſus immemorĕ, diſsimilimũq;! Etenim quid tota contra infinitũ extremis, tertio phyſico diſputatio diſputavit, quám hoc, ſine principio infinitum nihil eſſe? Et quidem ex omnibus abſurdis (quibus Ariſtoteles uti ſolet) hoc ordinarium perpetuumq; feré eſt, Res abiret in immenſum, Res progrederetur in infinitum: iſtumq; infinitatis ſcopulum maximé omnium reformidavit: ut né Deo quidem infinitam potentiam concederet, diceretq; omnino in natura finitum infinito melius eſſe, ut octavo phyſico diſſeretur.

IN CAP. IX.

VErùm quid huic phyſico faciaſ? ab infinitate diſcedere nõ poteſt: reliquias etiã à Zenone perſequitur, unde videĭ & nugas ſuperiores trãſtuliſſe: Zeno igitur, infinitatis argumĕto argutabatur nullũ eſſe motũ: primò nõ localĕ, quia fieret in Nũc: unde quippe tempus conſtaret, & fieret per infinitum. at Ariſtoteles negat tĕpus ex Nũc conſtare: & ait infinitũ potĕtiâ pertranſiri poſſe. Secundó, non ſecundum eſſentiam, quia in neutro eſſet termino. At (reſpondet Ariſtoteles) imperfecté & modo quodã eſt in altero, cúm aut ens eſſe deſinit, aut incipit ens eſſe. Tertiò, non in orbem, quia eſſet in eodem loco: at per partes eſt in diverſo loco. Sic Ariſtoteles, Zenonis argutiis reſpondet: non tamen definitioni ſuæ congruenter reſpondet, orbem per partes in diverſo loco eſſe, quia cæli partes in nullo omnino Ariſtotelis loco ſunt, cûm ſuperior ſuperficies nulla ſit. Partitur tamen Ariſtoteles Zenonis rationes de locali motu inepté quadriſariam, cum de infinito una ſit: quamvis Zenoni altera, Achillea appelletur, tanquam omnium fortiſſima, & apparet Zenonem in hiſce nugis, jactationem aliquam habuiſſe, quã Ariſtoteles adamarit. διχοτομία, quæ fuit ad 3. cap. 1. phy. huc etiam repetita eſt: & πεπραγματευμένον, quod appellat Ariſtoteles, magnum aliquid ipſius judicio fuit, Ariſtotes quod videlicet imitaretur.

IN CAP. X.

DEcimo capite, infinitatis reliquiæ quædam ſunt adverſus Democritũ & Heraclitũ, ut interpretibus quibuſdam videtur. Prima itaq; pars capitis eſt, quód impartibile nõ movetur per ſe: cúm tamen Democritus faciat atomos mobiles per ſeſe. At, inquã, mens ſuos etiã motus habet, cogitare, judicare, meminiſſe: neq; cauſſa movĕs, motũque cæteris tribuĕs, ipſa in ſeſe eſt otioſa, & nihil agĕs movenſq;. Secũda pars capitis eſt, quód nulla mutatio infinita

ſit: quia eſt inter duos terminos. quãvis Heraclitus cenſuerit omnia infinitè moveri. Hic Ariſtoteles excipit localem motum, tanquã terminis nõ ſemper utrinque terminatũ. O' phyſicæ infinitates, phyſicum iſtũ defugite. perniciem jam vobis atq; exitiũ afferet. Imò verò phyſicæ ſtudioſi omnes, ingentes Ariſtoteli gratias agite, ut qui jam infinitatẽ illam mutationis & motus tã inſulſè inſaneque, tot antea capitibus jactatam, refellat. Et quidem hæc ad extremum librũ clauſula, bene reputanti, aptiſsimè collocata videatur: ut ſit antecedentis tam inſanæ, tamque dementis diſputationis emendatio atq; correctio. Quamobrem ſi quis jam dubitet, utrùm motus ſit infinitus, mobile infinitum, tempus infinitum, ſtatus infinitus, quies infinita: Ariſtoteles hîc extremum reſpondebit, nullam motus infinitatem eſſe: neque ideo mobilis, neque temporis, neque ſtatus, neque quietis eſſe infinitatem: ſummamq; libri ſexti vanitatem atque inanitatẽ iccirco deridendam eſſe Longeq; alia diſcipulum Alexandrum conſolatione cõſolabitur, libros nõ editos nihil cauſſabitur: ne putet Alexander regios theſauros eſſe dilapidatos: ſed infinitarũ nugarũ ac vanitatum fumos demonſtrabit ventis condonatos eſſe.

P. RAMI SCHOLARUM PHYSICArum Liber VII. *in ſeptimum Ariſtotelis phyſicum.*

IN CAPUT I.

HACTENUS liber infinitatũ finitus eſt, quem ſanè, ſi veræ tot infinitates fuiſſent, infinitum quoq; eſſe cõveniebat. Sed ſuperis atque Ariſtoteli gratia, infinitates illæ commentitiæ & fabuloſæ deprehenſæ ſunt: arieſq; cornu illo truncatus & mutilatus eſt: alterumq; æternitatis cornu reliquis duobus phyſicis erigitur: cui jam nobis eſt obſiſtendum, ne quicquam feriat. Atq; uti cœpimus, ſigillatim agatur. Septimus igitur ſequitur, par & phyſica & phyſicæ elegãtia quinto phyſico. Sed de quinto ne leviſsima qdẽ ſuſpicio interpretũ fuit: de ſeptimo fuit maxima. Duo ejus exemplaria Grçcis Interpretibus fuerũt, nonnihil diverſa, adeò ut ſpurius liber nothuſq; nonnullis videatur. & certè magna ex parte amputatus eſt à Themiſtio, & ab Eudemo omnino præteritus, ut è Simplicio licet cognoſcere. Verũtamen cùm tot antea quiſquilias, omnis generis nugarũ atq; ineptiarum collegerit Ariſtoteles, non intelligo, ſi priores libri omnes Ariſtoteli tribuantur: quamobrẽ & ſeptimus tribui non poſsit. Attamen Themiſtium hîc potius imitabor, quàm Eudemum: & dicam potius quædam, quàm omitiã prorſus omnia. Theſis autem ſeptimo libro triplex explicatur: prima, de primo movente: ſecunda de ſenſilium qualitatũ alteratiõe: tertia de comparatione motuum. Prima pars igitẽ primo capite differit, quicquid movetur, ab alio moveri: ut indè primum movẽs aliquod eſſe appareat. At quod movetur, movetur etiã externo motu: itẽ quod interiore, licet nõ appareat, ut cùm forma corpus movet. Hæc Ariſtotelis ratio, formis motũ abſurdè eripit: Nec enim forma tãtùm movet materiã compoſiti, ſed cõpoſitum totũ, ſed ſeparatim etiã ſeipſam: ut anima cogitando, judicando, reminiſcendo. & ſic 3. cap. 8. phyſ. elegantius Ariſtoteles philoſophatur, diſputans non omnia quieſcere, licet motũ ſenſus non deprehendat: quia anima ſuos interiores motus habeat: *ἡ γὰρ φαντασία καὶ ἡ δόξα, κινήσεις τινὲς δοκοῦσιν εἶναι.* Viſio enim & opinio, motus quidã videtur eſſe. Sed alia phyſici ratio nihilo probabilior ſequitur: Si aliquid quieſcat, mobili alio quiſcente, id ab alio movetur. Id enim Alexandro ſuſpectũ eſt: mihi etiã planè alienũ. Sed hæc phyſica erit rurſus uberior quarto capite octavi. Sequitur eodem capite è motis ab alio, primũ movens eſſe aliquid ab alio immobile: de quo erũt duo capita octavi, quintũ & ſextum. Sed in hac theſi demõſtranda, Ariſtoteles valdè lubricẽ pgreditẽ: itaq; etiã ſophiſmatis ſui lapſum indicat & corrigit: neq; tamen multum efficit, ut doceat ex illis omnibus motis & moventibus unum motum fieri.

IN CAP. II.

ITaq; ad demonſtrationis continuationem, aſſumitur inter movens &

& motum nihil eſſe medium: idque longiſsima omnium motuum inductione declaratur. Primùm tribus motuum generibus factis quinto libro in quantitate, qualitate, loco: tanquam generatio & corruptio, motus non ſint. Sed in locali motu ſumit phyſicus quædam à ſeipſis moveri: & imprudens refellit primã theſin, dum hanc ſecũdam meditatur: quũ motus ab alio orti genera quatuor efficiens, ἕλξιν, ὦσιν, ὄχησιν, δίνησιν, tractionẽ, pulſionem, vectionem, volutionẽ planè demõſtrat, animaliũ progreſſus, motus eſſe per ſe, nõ ab alio. Atque interea inter hos motus externos, projectio annumeratur á philoſopho: nec antiperiſtaſis tamẽ illa adhibetur, de qua fuit ad 8. cap. 4. phyſici, & ſic ſine antiperiſtaſi explicabitur motus projectionis 10. cap. 8. phyſici, & tamen ut ad 8. cap. 4. phyſ. dictũ eſt, ἀντιπερίστασιν etiã ariſtotelea eſt 32. 33. 34. problemate mechanico. Atque interea etiam quatuor generum diviſio improbatur, & duo poſtrema genera duobus primis ſubjiciuntur: ut elegãtia partitionum 1. & 5. cap. 5. phyſ. referret: tanta ſophiſmatum & elenchorum generis omnis licẽtia huic philoſopho ferè perpetua eſt.

IN CAP. III.

Atque hæc prima pars eſt Phyſicæ ſeptimo phyſico comprehenſæ: qualis eſt deinde phyſica partis ſecundæ? Categoria qualitatis in hoc caput penè tota includitur, quòd alteratio fit qualitatibus ſenſilibus & patibilibus, non formis & figuris, non habitu & diſpoſitione: quod otioſi & inertis ſomnii placitum eſt. nec enim minùs alteratur, qui ex indocto eruditus, ex improbo probus, & contrá efficitur, quàm qui è ſano ægrotus, é debili validus, & è calido frigidus: totum enim illic é forma juſtiùs, quàm hîc é materia nominabitur. Verũtamen phyſica hæc de alteratione, quorſum huc irrepſit? quid cum antecedente phyſica, quid cum ſequente conjunctum aut commune obtinet? Et tamẽ, heus Phyſice, quiſquis es (quoniam Eudemus Ariſtotelem, quem magiſtrum tamen multos annos audierat, hic authorem noluit agnoſcere) qualenam hoc tuum recens placitum eſt? aut tuæ phyſicæ quomodo conſentaneum? ſtatuiſti in quantitate, qualitate, loco motum: quantitatem nullam excepiſti, locũ nullum excepiſti: quænã judicii levitas iſta eſt, de quatuor qualitatis generibus unum tantũ alterationi relinquere, neque id quidem totum? Quatuor entis generibus, quatuor motuum genera, primò æquaveras: detraxiſti primũ in eſſentia: nunc tandẽ etiam qualitatis portiunculã tãtùm relinquis alterationi: utrũ id eſt philoſophari, an ludificari?

IN CAP. IIII.

Sed tertiam ſeptimi phyſici phyſicã audiamus: Logica eſt deinceps reliquis duobus capitibus talis de cõparatis, qualis fuit quinto de cõtrariis. Didiceris in Logica doctrinam comparationis in quantitate, æquali, inæquali: in qualitate ſimili, diſsimili: ſcies quæ res notæ phyſicæ ſint comparabiles: iſtã de comparatione Logicam minimé deſiderabis. Elenchus in Ariſtotele graviſſimus eſt, doctrinam generalem in ſpeciali repetere. Lex καθόλου πρῶτον, minimè ſophiſma tantum tolerabit. Sed tamen quid Ariſtoteles hîc philoſophatur? quãnam comparationis doctrinã repetitè argutatur εἰς ἑκάτερον, Verùm omnia omnibus ſint cõparabilia: & decernit, ὅσα μὴ ὁμώνυμα, quæcunque non ſunt homonyma & ambigua: iſta verò Ariſtotelis ὁμωνυμία, eſt Euclidis ὁμογενῆ: in Logicis Ariſtotelis συγκρίσεις ad legem καθόλου πρῶτον ampliſsimè celebrata: ut conſtet, omnia comparabilia eſſe, quæ generis ejuſdem fuerint.

IN CAP. V.

Specialia comparationũ & proportionũ exempla phyſicus adhibet: unde putant interpretes quidã, generales analogias deduci poſſe: at fallũtur: analogiæ regulas non habent alias, quàm quæ in Logicis & mathematicis cõparationum axiomatis doceantur: in quas etiam Ariſtoteles incidit, de diviſis & compoſitis potentiis. In iis autem analogiis, eſt iſta Zenonis analogia, quam de toto partibuſque adverſus Ariſtotelem initio ſexti adhibuimus. Totus modius milii cadens, ſonitum efficit: Ergo (ait Zeno) granũ quodlibet efficiet. Nõ ſequitur, ait Ariſtoteles. Hæc igitur Logica eſt motuũ analogia, nullis ſolidis

&

& catholicis theorematis ornata, ſed Zenonia tantúm elenchis inſtructa: & quidem elenchis jejunis & aridis, qui vix ac ne vix quidem lectionem, nedum refutationem mereantur.

P. RAMI SCHOLARUM PHYSICArum Liber VIII. *in octavum Ariſtotelis phyſicum.*

IN CAPUT I.

HACTENUS de duobus ariſtoteleæ phyſicę prodigiis, alterum (ut ſpero) expiatum eſt, de motus infinitate: alterum ſequitur, ſpecie ipſa multó horribilius de motus æternitate. Hoc enim fuit ariſtoteleæ machinæ cornu alterum: Itaq; liber octavus, erit liber æternitatum, ut ſextus liber, fuit liber infinitatum. Octavo igitur libro diſceptatur æternitas præcipué motus, deinde moventis. atq; è decem capitibus, quinque ſpectant ad æternitatem motus, quinq; ad æternitatem moventis. Sed inter omnes Chriſtianos, quorum quidē ſcripta extent, Grammaticus fortis bellator & egregius hîc fuit. Libros ſeparatim quinque adverſus ariſtoteleam cæli æternitatem cōſcripſerat: ſextúm etiam contra præſentem ariſtotelei motus æternitatem: cujus quædam è Simplicio conſiderabimus. ſcripſit etiā libros decem & octo adverſus Proclum in eodē argumento: ideoq; hîc velut fanaticus & ſceleratus à Simplicio exagitatē: imó veró ut indoctus καὶ παρακουσμάτων τινῶν, ἐν ἀτυχῶς ἰδὼν ἀγνωμόνως ἀπὸ φιλοσοφίας μετέχων ex quadam perverſa doctrina, neque feliciter, neq; legitimé philoſophia imbutus. Sic à Simplicio Grammaticus omni doctrina ſpoliatur: Homerus videlicet à Zoilo. Etenim jam antea locis aliquot Simplicium planê ἀγεωμέτρητον deprehendimus: cúm tamen Grammaticus, mathematica diſciplina cæteris interpretibus præſtiterit: & cauſſa præſens diligenter animadverſa demonſtrabit, tantū hic inter Grāmaticum Simpliciumq; intereſſe, quantū inter ſervū ſophiſtā, & ingenuum philoſophū intereſſe poſsit. Agitedū, æterni motus philoſophum auſcultate. De motus æternitate, capita duo prima: tria poſtea rurſus erunt, ſeptimum, octavum, nonū. ſed ordinē Ariſtotelis ſequemur. Quærit igitē Ariſtoteles primo capite, Utrúm motus aliquando cœperit, & aliquādo deſinet: an ſemper fuerit, ſemperq; ſit futurus. Reſpondet, à phyſicis motū diſſimiliter accipi: ab aliis æternum, quos nō nominat. Democritum autē & Leucippū videtur indicare: ab aliis nō æternū. Idq; dupliciter: primó, ſemel omnino cœpiſſe, cúm antea quieſcerent omnia. quomodo Anaxagoras ait, divina mēte ordinata & cōpoſita eſſe omnia, cúm antea infinito tempore quieviſſent: Secundó ex parte, quód res aliás moveantur, aliás quieſcant: quomodo Empedocles ait concordia rem modó unā ex multis: modó diſcordia, ex una multas efficit interjectisq; temporum periodis, quietem intercedere. Veruntamen prooemiū hoc rhetoricum eſto, cōmune præſertim partis utriuſq;, nihil præcipué theſin æterni motus adjuvans. Quid deinde? prooemii excitatio continuatur. Operę pretium ſit (ait phyſicus) veritatē quæſtionis hujus accuratius animadvertere, non ſolúm phyſicæ, ſed philoſophiæ primæ gratiâ. Hic locus, theologiam indicat Ariſtotelis in hac theſi futuram: quæ prorſus eadē iteratur, duodecimo libro primæ philoſophiæ: & ex acroaſi tota, id ſolum videtur eſſe, quod in verā phyſicā transferri poſsit: ſi tamen legitimé poſsit: Ariſtoteles Deum aliquē hîc videtur agnoſcere, quē in Parmenidis unitate, & Anaxagoræ mente deriſerat: quem à phyſicis formis in philoſophiā rejecerat ultimo capite primi, & ſecundo capite ſecundi: quem ſeptimo capite ſecundi, principium phyſicé movens omnino immobile, & omnium primum dixerat: principium tamen phyſicū eſſe negaverat, quia principium motus in ſeſe non haberet. Verúm perge: excitatus jam plané eſt auditor, atque erectus ad hanc acroaſin ſeu phyſicæ ſeu philoſophiæ primæ audiendum. Dicat igitur philoſophus acroaſin, quam meditatē: quibusnam argumētis æternū motum concludit? quomodo contrariis argumentis reſiſtit? Duo equidem confirmationis argumenta ad motus æternitatē ſumma deprehēdo. à definitiōe mot⁹, à definitione

definitione temporis. O' phyſice, æterni motus architecte! quid vis tibi? definitio hæc utraq; ſophiſtica, planeq; nugatoria & ridicula jam tibi demonſtrata eſt: & tamen nugarum manifeſtarum ſophiſmatis tantum problema conficies? Veruntamen robuſta hæc & valida motus & temporis argumẽta, ad motus atque temporis æternitatem audiamus: ac motus primùm. Plato igitur dicat primùm aliquando motũ extitiſſe in phyſicis & ſenſilibus rebus, cùm antea nullus omnino fuiſſet. Quid tu contrà? Motus (ais) eſt entelechia mobilis quatenus mobile: ergo antequam fuerit motus, fuit mobile. Atqui diſcipule arguntiſſime (dicat Plato) quid iſtis tuis veſtigiis concluſo ſyllogiſmo reſpondebis? Motus eſt entelechia mobilis quatenus mobile: ergo cælum mobile antè fuit, quàm cæleſtis motus eſſet. Iamne ſentis tuo te gladio jugulari? Hac Platonis exceptione ariſtotelea petitio non retunditur tantùm refelliturq;, ſed retorquetur in petitorem, plaga longè fœdiore. ut ſi verum ſit Ariſtotelis argumentum, convicta ſit Ariſtotelis intentio: motus, eſt entelechia mobilis quatenus mobile, ait Ariſtoteles: ergo antequã motus ſit, erit mobile. At, inquã, definitio iſta inepta & ridicula eſt: & ſi legitima ſit, id tamen quod vis, non concludet: quia materia mobilis unà cũ motu primo gigni potuit: & ſi concluderet, attamen motũ nativum non perpetuum concluderet: tot in primo ariſtoteleæ demonſtrationis congreſſu ſophiſmata reperiuntur. Atq; hoc de Grammatici contra Ariſtotelem argumentis unum eſt: unde judicari jam atq; æſtimari poteſt, qualis & quantus philoſophus Simplicius fuerit, qui Grammaticum appellat indoctum & furioſum, alicubi etiam impiũ. Sic enim σκαιὸν ἀσεβῆ Grammatico objicit. Attamen huic indocto & furioſo doctus iſte vir & ſapiens reſpondere nõ poteſt: appellat Hebræos & Chriſtianos idiotas & ſtupidos, ſine ſenſu, quibus Grammaticus probabilis appareat: Attamen idiotæ iſti & ſtupidi, ſenſum paulò διαλεκτικώτερον, bene judicantibus facilè probabunt. Sed quid Simplicius ad iſtam Grammatici inſtantiã reſpondet? Ait mobile æterno motu etiã prius eſſe, ſed per partes: ut Sol, dũ eſt in Ariete, eſt mobilis ad Taurũ. & ſic mobile eſt ante motum: quem locum ſumpſit ex 8. c. 9. metaphyſ. ubi Ariſtoteles illud ait: & Alexander nominatim hoc exemplũ protulit. Verùm, ô beate Simplici, theſis eſt, utrùm motus, non per partem, ſed motus omnino cœperit: & Ariſtoteles adverſus Platonem ſumit, ſi motus aliquando nullus omnino fuerit, fuiſſe tamen mobile & motivum ſine ullo omnino motu. Itaq; de univerſo univerſi cæli motu interrogat Grammaticus, utrùm univerſum cælum fuerit, antequam ullo prorſus motu moveretur univerſum: de particula cæli, & ſtella nõ interrogat. Interrogat utrũ corpus univerſum antẽ fuerit, quàm motus eſſet univerſi corporis. Tu de pollice reſpondes: & tamẽ falſum exemplum cõminiſceris, quia mobile non affers ſine motu, neq; Sol tuo judicio quievit unquam: nec ideo in Ariete eſt mobile ante motũ. Quare Simplicii, vel Alexandri, vel etiam Ariſtotelis iſta reſpõſio, ſimplicitatem judicii & ignaviam, non tãtùm malitiam & fraudem prodit. Attamen acroaſin æterni motus reliquam audiamus. Diſſeruimus jam primo libro, Ex nihilo, ut formam rerum, ſic materiam à Deo gigni potuiſſe: argumentiſq; Ariſtotelis, æternitatem materiæ nullam concluſam eſſe docuimus. Sed paralogiſmus iſte prætereatur, & ab Anaxagora atq; à Platone Ariſtoteli condonetur. Mobilem ſiquidem uterque infinito antè tempore materiam confuſam atq; inordinatam fuiſſe cẽſuit. Fuerit igitur mobile, quod moveri poſſet: fuerit etiã motivũ, quod movere poſſet. Idq; Anaxagora & Platone conſentientibus, Ariſtoteles obtineat. Quid deinde? Admirabilem ſyllogiſmum phyſici conſiderate! Hic enim Ariſtoteli, demonſtrandæ æternitatis Achilles fuit. Si ante primum motũ (ait) mobile & motivum fuerint, aut facta ſunt aliquando, cùm prius non fuiſſent, aut ſunt æterna. Equidẽ, ut pro Platone ſpondeã, dilẽmatis connexum, & ſyllogiſmi propoſitionẽ cõcedo. Perge ad aſſumptionem, & utrumq; (ſi potes) remove. Atq; huc etiam mihi videris accedere, quòd neq; facta, neq; æterna ſint. Nõ facta primùm diſputas, quia neceſſe eſſet primo motu priorem motum exiſtere. Obtineto id, inquã, ſumma

ma vel Anaxagoræ, vel Platonis voluntate: uterq; enim æternam materiam, æternū Deū confitetur ac prædicat. Quid ad ſcholam alterā affers? Cur neq; mobile, neq; motivū, æterna ſunt? Id enim erat caput rei: quomodo demonſtras? ἄλογον μὲν φαίνεται, καὶ αὐτόθεν ἐπισκοποῦσιν, abſurdū (ais) iis qui rem per ſeſe cōſiderabunt, id eſſe videatur. O' ſingularem æternitatis aſſertorem & demonſtratorē! Siccine pro omni quæſtionis argumento, quæſtionem ipſam affers? & ais rem per ſe cōſideratam, abſurdam eſſe? Pergamus: de tribus ſyllogiſmis ad æternitatem motus affirmandum, primus ejuſmodi fuit: Secundus ſequitur, pari logica concluſus, quo Ariſtoteles etiam abſurdiora minitatur. & quænam abſurdiora iſta ſunt? Si mobile (ait) & motivum aliquādo quieverint, neceſſariò anteceſſerit & motus, cujus privatio quies illa fuerit: quia quietis aliqua fuit cauſſa: ita motu primo prior motus erit. Cōſequens abſurdū: antecedens igitur. At, Ariſtoteli reſpōdeat Plato, abſurdius nihil objicis: ſed eandem cramben reponis. Etenim qualenam hoc primū eſt argumentum, quòd motus anteceſſerit quietem, quia quietis aliqua cauſſa fuit, quieſq; ſit privatio motus? Utrùm igitur viſus cæcitatis: auditus ſurditatis: aut habitus deniq; privationis cauſſa fuerit? atqui naturam antea formāq; docuiſti eſſe principium & cauſſam nō ſolùm motus, ſed etiam quietis. Itaque quid mireris Deum quem motus authorem primum facis, cauſſam primæ quiens eſſe? utrùm habitum privationi iſti (quam appellas) neceſſariò putas antecedere? Atqui pueri utero matris incluſi nō vident, & tuo judicio quieſcūt à viſu: in cunis vagientes non ambulāt, ſed tuo judicio quieſcunt ab ambulatione. Itaq; tuo iſto ſyllogiſmo concludes & vidiſſe & ambulaſſe, antequam viderint aut ambularint unquam. Quid igitur hanc Platonis reſponſionem, quid, inquam, niſi Ariſtotelis pudor cōſequatur? Me quidem, tametſi adverſus tā capitales humano generi fraudes juſtiſſima de cauſſa ſeveriorem eſſe deceat, attamen tantæ ignaviæ pudet tædetq;: & niſi à paganis Simpliciis per hæc impia ſophiſmata, vera religio, tanquam fabuloſa derideretur, vix ulla reſpōſione digna exiſtimarem. Verùm perge: tertium ejuſdem complexionis ſyllogiſmum attendamus: Hic verò ſyllogiſmus prolixus & confuſus magis eſt, quàm periculoſus aut formidandus. Summa verò eſt: Poſſibilia, potentiam propinquam inter ſe & finitimam habent, ut alterum moveat, alterū moveatur: ut in relatis, neceſſe eſt, ut relationis potentia ſit, aut utrumq;, aut alterū propinqua relationis potentia affici: quod 7. cap. 9. metaphyſ. enam plenius reponitur. At illa ſæculis ante conditū mundū innumerabilibus quieſcentia, talē potentiæ propinquitatē non habebant: Itaq; non erant poſſibilia, ſed prior aliquis motus neceſſariò anteceſſit primū motū. Enimverò (dixerit magiſter Plato) diſcipule, quid ais? aut cur te iis argumētis is perditum? an minus pater eſſe poteras adoleſcens, ſi ſenex uxorem poſtea duxeris: quàm ſi tum quoq; duxiſſes? An ſi mille annos, imò ſexies millenos, occulti lapides in terræ viſceribus delituerint, unde hodie regium palatium ædificatur, tum ad annos illos, tā multis antè temporibus præteritos, minus apti ad ædificandum erant, quàm ſunt hodie? an deniq; primus ille motor, & prima illa tibi ingenita materia, ab æterno potentiam eandem nō habuerunt, ut ille moveret, ut hæc moveretur, quàm habeant hodie? utrùm tibi Deus alius eſt hodie, aut materia prima hodie alia eſt, quàm infinitis antea ſæculis fuerat? utrùm deniq; æternorum non eſt æterna quoq; potentia? utrùm verò æternorum nulla eſt potentia? Id enim Ariſtoteles 6. cap. 12. metaphyſ. affirmabit. At id falſum eſt, ut tum ſuo loco plenius & commodius agetur. Quamobrē cōcluderet Plato, triplicem Ariſtotelis complexionem (quòd primo motu prior aliquis eſſet) malitioſam & fraudulentā eſſe: ſed malitia tamen & fraude, ſolis Simpliciis & ſerviliter impiæ ſophiſticæ addictis pernicioſa. Attamen Ariſtotelem de primo motore philoſophantem, Ariſtoteli nullum primum motum ſomnianti comparemus: Quid igitur? quo modo philoſophatur, motorē aliquē primū eſſe? Impoſſibile eſt enim (ait) in infinitum ire movens, & ipſum ab alio motum. Diſputas iſto loco philoſophe, aliquē eſſe motorem primum, quia abitio eſſet in infini-

infinitum? Valeat igitur in primo motu cauſſa eadem: & jam ſimili judicio utere, Primus eſt aliquis motus, ſecús abitio eſſet in infinitum. Prima eſt aliqua magnitudo, ſecús abitio eſſet in infinitum. Hoc mehercule argumẽto, omnes quarti libri infinitates evertent! Eſt aliquod primum mobile, ſecús abitio eſſet in infinitum: eſt aliquod primum tempus, ſecús abitio eſſet in infinitum: eſt aliquis primus ſtatus, ſecús abitio eſſet in infinitum: eſt aliqua prima quies, ſecús abitio eſſet in infinitum. Videmus igitur ut poſteriorib. Ariſtotelis ſophiſmatis priora refellantur? O ſingularem Ariſtotelis & prædicabilem philoſophiã, quæ tãtum bonorum malorumq́ delectum ſuppeditet! Agitedum, motus Ariſtotelis per motus argumentum, æternus eſſe non poteſt: videamus quomodo per argumentũ temporis, æternus eſſe poſſit. Attendite igitur, quicunque hæc legetis vel audietis, alterum æterni motus argumẽtum. Si tempus ſit æternum (ait Ariſtoteles) motus eſt æternus: cúm tempus, ſit numerus motus ſecundum prius ac poſterius. Tempus autem eſt æternum, ut ómnes phyſici, præter unũ Platonem confitentur: & Nunc, præteriti futuriq́ temporis medium, idem etiam probat. Quare motus eſt æternus: Hic ſyllogiſmus in Ariſtotele totidem partibus inſtituitur. Citetur igitur reus Plato, cauſſamq́ adverſus iſta dicere compellatur. Quid ad propoſitionis rationem dicturus eſt? Equidẽ dicturum arbitror, quod in Timæo ſcriptum reliquit: Tẽpus hoc, quod appellatur, imaginem tantúm æternitatis eſſe: vel potius non tempus, ſed mẽſuram temporis. Itaq́ tempus, motu quolibet lõgé eſſe prius atque antiquius: neq́ tempus cũ motu reciprocari: ſed ſi motus nullus eſſet, mens tamen divina extenſionem durationis ſecundum prius & poſterius numeraret. Sed tamen Ariſtoteli ex ſua definitione reſpondeatur: condonetur ei propoſitionis connexũ: Si tempus ſit æternum, motus eſt æternus. Aſſumptio retexatur: At tempus eſt æternum. Quid ita? requiret Plato. Hic Ariſtotelis ad iſtam aſſumptionẽ elenchus duplex egregius eſt: Primus, Semper fuit prius & poſterius: ergo tempus æternum. At huic captioni jam itum eſt obviam, cúm extẽſionem durationis, tempus eſſe diximus. Hinc Democritus non omnia genita eſſe demonſtrat, quia tempus ſit ingenitum: attamẽ Democritus, æternum tempus cogitans, Platonicum illud temporis exemplar æternum cogitare potuit, & nihil Ariſtotelis cauſſa dicere. Sed tamen phyſicos omnes Ariſtoteles opponit uni Platoni. Tempus eſt æternum, quia omnes phyſici, excepto Platone, ita ſentiũt. Enimveró, inquam, Platonem ab Ariſtotele tanti ſophiſmatis impudentia opprimi non feram, nõ patiar, nõ ſinam. Plato ſolus (ait Ariſtoteles) tempus generat. Ecquid, inquam, phyſice? nonne dixiſti paulo anté hoc ipſo in capite (ne oblivionis elenchum longius repetamus) ab Anaxagora, ab Empedocle, motũ primũ inſtitui? nõne 10. cap. 1. de cælo, & 1. cap. 3. de cælo, poſtea docuiſti, á primis phyſiologis omnia generari? Nonne poſtea tertio metaphyſico docuiſti, ab Heſiodo theologiſq́ omnibus deos rerũ principia conſtitui, & á diis generari reliqua omnia tũ immortalia, quæ nectar & ambroſiã guſtaſſent, tum mortalia, quæ non guſtaſſent? ab iis, inquam, omnibus docuiſti generatum eſſe mundum, generatũ eſſe motum, generatum eſſe tempus. Nonne 8. cap. 9. metaphyſ. eoſdem phyſicos rurſus appellaſti, de motus temporiſq́ fine? Et tamen nunc affirmare audes, á ſolo Platone tempus generari? Heu pietas! heu priſca fides! quamobrem tandem phyſicum noſtrum tam miſeré deſeruiſtis? Ecquid? ſi Demoſthenes pro Harpalo, aut Tullius pro Numatio, illã mentiendi licentiam ſibi ſumerẽt? quis Areopagus, quis Romani fori cõſeſſus, mores iſtos ferret? attamen aliud etiam in iſto ſophiſmate ſophiſma eſt. Solus Plato cenſuerit tempus eſſe genitum: an ut in foro, ſic in philoſophiæ ludo, cauſſas multitudine teſtium dijudicabis? At Ariſtoteles alibi multó ſapientior eſt, cúm authoritatis argumẽtum ἄτεχνον & ſine arte, judicat: cum propter noſtrum affirmare ac negare, judicat in re ipſa nihil immutari. Quare præter inverecundum antecedentis mendacium, etiam complexionis ἀσυλλογιστίας, paralogiſmũ refellit. Etenim ſyllogiſmus Ariſtotelis in Ariſtotelem retorqueatur, quid reſpondebit? ſolus Ariſtoteles in omni

philoſophiæ parte contra philoſophos omnes innumerabilia decreta innovavit: ergo lapſus eſt, erravit, temeré fecit. Hunc opinor ſyllogiſmum Ariſtoteles contra ſe nequaquam ἀναλυτικῶς judicaret. Nequaquam igitur ego cõtra Platonem judicabo. Et tamen ſi authoritatis potius, quàm rationis momenta; in tanta quæſtione quærẽda ſint, magiſter Plato unus (ut de ipſo Antigenidas poëta quondam dixit) multorum millium inſtar eſſe debuit. Hic enim Homerus philoſophorum, & tanꝗ Deus habitus eſt. Quare altera iſta æterni tẽporis ariſtotelea demõſtratio, bona cũ gratia dimittatur, valereq́; jubeatur. Sed Simplicius (ut Porphyrius, Jamblicus, & plerique ſemiplatonici ſemiq́; ariſtotelei) iſto loco pacificator prorſus eſt humanus: diſſenſionem Ariſtotelis à Platone æquo animo ferre non potuit: recõciliare itaq; conatus eſt, unius verbi diſtinctione, totam hanc diſcordiam. Genitũ (ait) aliás opponitur æterno, aliás per ſe ſe & ſua vi conſiſtenti: Ariſtoteles primo modo, Plato ſecũdum negat eſſe genitum: Itaque re conveniũt, verbis tantúm diſcrepant. O nugatorẽ, non jam dico ſimplicẽ & fatuum, ſed petulantem & protervum! Etenim Platonis Timęus legatur, in manibus eſt hominũ: utrum Plato mũdum, ideoq́; & motum & tempus gignat: cum priús non fuiſſent, an ſola tantúm cauſſa, ut Ariſtoteles, genitum confiteretur, velut à cauſſa ſuperiore dependens. Quæſtio enim Platonis illic manifeſta eſt, Utrúm mundus ab aliquo tẽporis principatu ortus ſit: tum ſyllogiſmo iſto rem conficit. Omnia corporata ſenſumq́; moventia, oriuntur certo tempore & intereunt: At mundus corporatus eſt ſenſumq́; movet, cerniturq́; & tangitur: Quare mundus tempore oritur atque interit. Hic Platonis ſyllogiſmus eſt evidentiſsimus & clariſsimus, ſi quis verum confiteri velit: Itaque etiam Plato, poſt mundani corporis, mundanæq́; animę machinationem & molitionem, Mundus (ait) ea conſtructus proportione, ita cohæret, ut diſſolvi nullo modo poſsit, niſi ab eo, à quo eſt colligatus. Itaq; Platonis ſententia, mundus à Deo fabricatus eſt, & à Deo eodem diſſolvi corrumpique poteſt. Et tàmen Simplicius, ut Ariſtotelis elenchos & ſophiſmata mordicus tueatur, nebulas ridiculæ diſtinctionis de genito duplici, ſui ſimilibus Simplicijs offundit, ne verum cernatur. At nebulo in luce collocatus, à nebulis ſuis deſtituetur aliquando, fallereq́; deſinet. Quare Plato non docuit tempus æternum eſſe, ut interpres iſte fabulatur: idq́; invito Ariſtoteli ad Ariſtotelis errorem excuſandum imponit. Quamobrem primus Ariſtotelis elenchus de temporis æternitate, deprehenſus & convictus eſt: ſecundum audiamus. Si impoſsibile eſt vel eſſe, vel intelligi tempus abſque Nunc, neceſſe eſt ſemper eſſe tempus: Atqui impoſsibile eſt tẽpus intelligi ſine Nũc: quoniam nunc, eſt medium temporis, initium futuri, finis præteriti: & ideo neceſſe eſt ipſius in utramque partem ſemper eſſe tempus: Quare tempus eſt æternum. Hoc ſecundum Ariſtotelis judiciũ ita concluſum eſt. Verúm retexatur in partes, & ſubtilius conſideretur. Quid? propoſitio illa qualis eſt? Si impoſsibile eſt vel eſſe, vel intelligi tempus abſq; nunc, tempus eſt æternũ. Quamobrem inquam? id enim falſum eſt Platoni: cui cúm mundus creatus eſt, Nunc, fuit initium futuri, finis præteriti (quod antea nullum fuerat) eſſe non potuit: nec ideo medium. Item cúm mũdus deſinet, Nũc illud, erit finis temporis præteriti, futuri autem initium non erit: quia poſtea nullum futurum eſt. Quamobrem Ariſtotelis altera demonſtratio (quòd motus ſit æternus, quia tempus ſit æternum) non demonſtravit problema propoſitum, ſed Ariſtotelis elenchos in Platonem, ac ſophiſmata expoſuit, ac propalam collocavit. Veruntamen alacritas Ariſtotelis in hoc contra Platonem certamine permagna eſt: videtur ſibi concluſiſſe, motum eſſe æternum: neque dum tamẽ ſibi ſatisfacit: cõtrarium etiam diſputat eodem argumento, Motum corruptibilem non eſſe: quia mobile & motivum iterum moveretur & moveret, aut æterna ſic permanerent: primũ falſum, quia ut illic, motu primo prior, ita hic poſtremo poſterior accideret, ſi poſtea quàm corruptio facta fuerit, ſupererit & corruptibile, quod denuo corrumpi, & corruptivum, quod corrumpere poſsit. Secundum item falſum, quòd æterna permaneant. Hoc Ariſtotelis ſomnium

fuit

fuit 9. cap. 1. phyſici, de materia æterna: hoc idē fuit inito capitis hujus, de motu ingenito, ſed ut inquit poëta ille,

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte.

& fallacis ſomnii cauſſas abundè jam refutavimus: morbus idem eodem remedio curetur. Verum enimvero adverſus omnes conatus noſtros, una eſt Simplicii admirabilis defenſio: cùm enim multitudine ſophiſmatum ariſtoteleorum á Grammatico detectorum obrueretur, ad hoc aſylum refugit: Hæc ab Ariſtotele *νοερῶς καὶ θείως εἰρημένα*, intelligenter & divinè eſſe dicta: Ariſtotelémque dialecticæ artis & inventorem & perfectorem eſſe: neque ideo eſſe veriſimile, tantum artificem cōtra ſuam artem toties, tam fœdè tamq́ turpiter commiſſurum fuiſſe. Talis autea religio Simplicii fuit, pro omni logica, adverſus Ariſtotelem hiſcere, nefarium ſcelus eſſe! At mancipio iſti quid facias, veram religionem Aegyptiorum fabulis comparāti, & nunc Ariſtotelem primum logicæ inventorem & perfectorem prædicanti? Nam ante Ariſtotelem natum, logicorū tot libri fuerūt, quot primo ſcholarum logicarum libro recenſuimus: & tot ſophiſmatis obruta eſt Ariſtotelis logica, quot in ejus organo demonſtravimus. Et quidem in iſtius impietatis fraude, Simplicius præ theologis quibuſdam Chriſtianis ferendus fuit: homo quippe ethnic⁹ & paganus: & philoſopho huic, tāquam philoſophiæ Deo, á magiſtris, Ammonio, Porphyrio, & ejuſmodi profanis doctoribus initiatus. At noſtri homines, cur tantùm á maioribus ſuis degenerarunt? Illi, ſophiſmata Ariſtotelis valde ac vehementer oppugnabant: hi mordicus tuentur, obſtinatéque defendunt, & nugatoriis ſolutionibus res inenodabiles & indiſſolubiles tamen diſſolvere ſibi videntur: alii Ariſtotelem cenſent velut ingenii exercendi gratiâ, theſin hanc *εἰς ἑκάτερον* diſſerere: nihil affirmare: alii de motu, tanquā de Deo agere: ideoq́ motum æternum inſtitui: alii quòd ea parte nihil repugnet fidei, qua dicit, motum ſempiternum fore: quia ſecundum fidem mundus nunq̄ deſinet: alia autem parte (quòd motus nunquam cœperit) ajunt progredi ſecundum viam naturæ, non autem á rebus de novo productis, quomodo nempe Moſes philoſophatus ſit: tanquā Moſis ea creatio, cum Ariſtotelis æternitate convenire poſſit: alia alii quælibet comminiſcuntur, ut é pagano Ariſtotele, perſonatum Chriſtianum efficiant. Quamobrem per verum æternúmque Deum; commentitia iſta motus & temporis æternitas, tandem aliquando diligentius á philoſophis attēdatur, á theologis verè Chriſtianis animadvertatur, & conſideretur, quânam tandem mentis imbecillitate, quanam judicii infirmitate atque impotentia, nugæ tam inſulſæ atq́ ineptæ, imò tam execrabiles atq́ impiæ, in publicas Chriſtianorum ſcholas inductæ ſint. Atheos ætas noſtra multos extulit: ſed his ſophiſmatis Ariſtotelis, tanquam demōſtrationibus pluſquam geometricis ſeductos. Equidem meminiſſe pudet, horrétque, cùm annos abhinc quinque & viginti adverſus Ariſtotelis alia quædam ſophiſmata diſſeruiſſem, præcipuum criminis erga nos excitati argumentum fuiſſe: quòd Ariſtotelis enervata authoritate, theologiæ quoque authoritas enervaretur. O tempora! ô mores! Primi Chriſtiani ariſtotelearum fraudum oppugnatores, à paganis ariſtoteleis, ut fanatici, ut furioſi, ut impij vexabantur: En ſurſum deorſumq́ corruptis depravatíſque hominum Chriſtianorum judiciis, contumeliæ rurſus eædem redeunt, primiq́ Chriſtiani á Chriſtianis poſtremis, ariſtoteleo paganiſmo afflatis, ut fanatici, ut furioſi, ut impij vexantur: Sed modus aliquando finisq́ ſit ſophiſticis inſaniendi, aliúdque ſit, rem veram libero veritatis pondere perpendere, aliud, errores magnorum authorum, ſophiſtico ſervilis opinionis examine probare & laudare.

IN CAP. II.

SEd æternitas motus quemadmodū adhuc confirmata ſit, animadvertimus: jam conſideremus quomodo defendatur á contrariis argumentis: Hoc enim capite refutatio tractatur. Ecquid igitur? quomodo Anaxagoræ, Empedoclis, Platonis ſententia refutatur? *πλάσματι*, commento & figmento ab Ariſtotele comparat: quia nulla ipſius cauſſa, neque per inductionem, neque per

 demon-

demonſtrationem reddatur, ſed poſtuletur ἀξίωμα ἄλογον, poſtulatum abſurdum: præcipuè verò deridet Anaxagorę inordinatũ illud μίγμα, quod infinito tempore quieverit, qa nihil naturæ tam proprium ſit, quàm ſeries & ordo rerũ: Empedoclis autem phyſica tolerabilior Ariſtoteli videtur, concordia res phyſicas efficientis, corrumpentis oppoſita diſcordia. Atque hîc regnum Simplicii ab Ariſtotele fuit, inſtare & urgere, quãobrem mens Anaxagoræ infinito tempore quieviſſet, tandemq́ veluti ſomno experrecta eſſet: aut quæ tandem nova ædificandi mundi conſilia cepiſſet: quæ cauſſa denique tam diuturnæ confuſionis antea fuiſſet: & nunc tandem repentini hujus ornatus cultuſq́ extitiſſet. Atque iiſdem interrogationibus etiã Plato & Moſes, ut πλασματώδεις fabuloſi urgentur. Veruntamen ſummi illi heroës, pro ſuo jure reſponderent, divina conſilia Deo præclarè nota eſſe, nec, ſi homũculis ſint ignota, protinus ea nulla eſſe. Ariſtoteles & Ariſtotelei, tã multa ignorantiæ ſuæ ſophiſmata, quàm multa adhuc oſtendimus, deprehendere non potuerunt. Ariſtoteles 1. cap. 2. metaphyſ. docet ſapientię tantam difficultatem eſſe, ut ejus particulam nemo pro dignitate ſit adhuc aſſecutus. Ecquid igitur Ariſtoteli & ariſtoteleis mirũ fuit, ſi æternam infinitamq́ Dei ſapientiã cõprehẽdere nequeant? Et tamen Ariſtoteles durius & violentius hęc Anaxagoram interrogare videatur: Etenim interrogetur Ariſtoteles ipſe, Cur Deus levia ſurſum ferri, gravia deorſum labi voluerit: quam vel inductionis, vel demõſtrationis cauſſam huc afferet? aut nihil afferet, ut cõſtabit proximo capite, aut principia dicet eſſe, quorũ cauſſa nulla requirenda ſit. Ecquid igĩ principii omnium principiorum primi cauſſam conſiliũq́ ab Anaxagora requiris? Verum enimvero lubet Ariſtotelẽ Ariſtoteli reſpõdentem, interroganti ſubjicere. Deus (inquit Ariſtoteles 7. & 9. cap. 12. metaphyſ.) ſui ipſius intelligentia & contemplatione perpetuò fruitur, in eoq́ actu, optimã ac beatiſsimam vitam ævo ſempiterno degit. Quapropter etiã ante creatũ conditumq́ mundũ, otioſus & nihil agẽs Deus ab Ariſtotele argui non poteſt. Quid tum verò? Democritus hîc etiam ab Ariſtotele, velut æterno motui adverſarius vellicatur, quód principium faciat quicquid ſit æternum, tùm multorum æternorum certę ſint cauſſę. Attamen Democritus primò capite, ęterni temporis author productus eſt. Quamobrem viderint Ariſtotelis interpretes, cur inter hos reos modó referatur. Sed redeamus ad Anaxagoræ & Platonis πλάσματα καὶ ἄλογα ἀξιώματα, ſine inductione, ſine demonſtratione. Etenim cujuſnam phyſici ſunt rationes, nativum motum concludentes, quas ſibi refellendas deindè Ariſtoteles proponit? vel potius quas refellere nõ poteſt? Anaxagoræ ſcripta, an Platonis ἄγραφα dixeris? Certè valdè πλάσματα illa & ἄλογα ἀξιώματα, rationibus iſtis approbãtur. Audiamus igitur acroaſin iſtam, Ariſtoteleæ æternitati inimicam atq́ contrariam, & ariſtoteleam ſolutionem attendamus. Contraria his ſolvere, non eſt difficile, ait Ariſtoteles. Bene igitur res habet: neque nobis difficile erit intelligere. Prima autem ratio ſic eſt: Omnis mutatio (dixerat aut Anaxagoras, aut Plato, aut iſtorum conſors aliquis) eſt ab aliquo termino ad aliquem terminum. Verum, inquam, axiomatis illius in mentem venit: confirmatum enim eſt 1. cap. 5. phyſ. & confirmatum rurſus id 10. cap. 6. phyſ. quòd nulla mutatio eſſet infinita, quia eſſet à termino ad terminum. Hîc jam meritò Ariſtoteli ſua doctrina reponitur: Omnis motus eſt finitus, à termino nempe ad terminum: nullus igitur infinitus, nullus æternus. Quomodo, inquam, huic ſuæ phyſicæ Ariſtoteles reſpõdet? nihil reſpõdet, ſed pollicetur poſtea planum ſe facturum, quomodo motus aliquis, nullis terminis cohibitus, poſsit æternus eſſe. At dicat Plato, diſcipule mi, qd hic tumultuariè diſputaſti tertio libro, infinitum extremis in rerum natura nihil eſſe: omnia actu eſſe terminata: Docuiſti antea omnem motũ terminis duobus concludi: quomodo igitur ſi vera ſit prior illa phyſica, poſterior iſta falſa non erit? & quód præſtare per naturam rerum non potes, id tamen facile tibi eſſe gloriaris? Hæc igitur, ô phyſice doctiſsime, meritò tibi magiſter ille reponeret. Jam verò, quemnam poſtea motum ſine terminis efficies? circularẽne? At proxima tua tam gravis argumentatio,

mentatio, de motus æternitate, non ad circularem motum tãtùm, ſed ad omnẽ motum generaliter attinebat: & definitio motus communis omnium motuũ adhibita ideo eſt. Neq; credis, ſolum cæli motum æternum eſſe, ſed generationẽ hominum, pecudum, arborum, aliarũq; rerum naturalium omnium: item corruptionem, alterationem, accretionem, diminutionem, lationem æternam eſſe: Quare etiam ſi motum cęli ęternum poſtea probares (quod tamen probatu tibi ſit impoſsibile) attamen non efficeres in phyſicis rebus æternum motum, neque homines, pecudes, arbores, cæteráſque omnia ſemper fuiſſe, ſemperq; fore. En igitur Ariſtoteles apud Alexandros & Simplicios ſuos Platonis phyſica derideat, ut πλάσματα καὶ ἄλογα ἀξιώματα. Jactet etiam contrariorum ſolutionem difficilem non eſſe. Et veró, juſta illa fuit affirmatio ariſtotelea rationis hujus non eſſe difficilem ſolutionem: Eſt enim facilis, quámvis ea facilitas Ariſtotelem latuerit: nec enim ſi ſigillatim finitus motus eſſet, ideo tamen motus in univerſum æternus non eſſet: ſic enim genus hominum facis æternum, & rerum ſpecies æternas, quamvis ſingula caduca & mortalia confiteare. Sed tamen alterã motus incipiẽtis & deſinẽns rationem multó etiam conſtantiorem audiamus. Si partes mundi (dixerat Anaxagoras, vel Plato, vel ejuſdem ſententiæ adſtipulator aliquis) aliás moveãtur, aliás quieſcant, etiam mundus totus aliás movebitur, aliás quieſcet: εἰ γὰρ ἐν μικρῷ κόσμῳ γίγνεται, καὶ ἐν μεγάλῳ· ſi enim fit in parvo mundo, fit etiam in magno. Hîc ariſtoteleus cõnexæ propoſitionis eſt proſyllogiſmus. Tum ſequitur aſſumptio, At partes mundi aliàs moventur, aliàs quieſcũt, ut in naturis tum inanimatis, tum animatis apparet. Hæc aſſumptio eſt in Ariſtotele, & aſſumptionis per inductionem proſyllogiſmus. Conclude igitur, Quare mundus totus aliás movehitur, aliás quieſcet. Hęc igitur ſecunda vel Anaxagoræ, vel Platonis ἀπόδειξις, ab Ariſtotele nobis ſuppeditatur: ne Ariſtoteles prior ille temeré calumniẽ, ab iſtis philoſophis τὰ πλάσματα tantúm καὶ ἄλογα ἀξιώματα proponi. Agite veró, Alexander, Porphyri, Simplici, ariſtoteleã ſyllogiſmi hujus analyſin mecum attendite, & conſiderate, quomodo magiſter veſter magiſtro ſuo ſatisfaciat. Quid igitur ad illam propoſitionem reſpondet? Si partes mundi oriantur & intereant, totus etiam mundus oritur & interit. Nihil reſpondet, & tacito ſilẽtio videtur illam parvi magniq; mundi analogiam confiteri. Tota autem cura eſt Ariſtotelis adverſus aſſumptionem, Quod partes mundi non aliás oriantur, aliás intereant. Ad primam inductionis partem, de naturis inanimatis, Ariſtoteles acqeſcit, quód aliquãdo quieſcant, aliquando moveantur: quia movens externum modó abſit, modó adſit. Ubi Ariſtoteles profiteri videtẽ, animata moveri tantúm ab externo motore: quod jam primo capite ſeptimi viſus eſt dicere, quodque repetet quarto hujus libri capite: & nos tũ cõmodius eam theſin differemꝰ. Sed tamen docet Ariſtoteles cauſſam, quamobrem inanimata aliquando moveantur, aliquãdo quieſcant: propoſitæ aũt inductionis partẽ primam nõ diſſolvit, ſed plané confirmat, planeq; πλάσμα καὶ ἄλογον ἀξίωμα in ſuis, nõ in Platonis phyſicis oſtendit. Perge, quid ad ſecundã inductionis partẽ de naturis animatis Ariſtoteles reſpondet? Phyſicus hîc magis eſt anceps dubiuſq;, quã antea fuerat. falſum ait eſſe, quód motus in animali incipiat novus ſine alio antecedente motu: & cúm poſt quietem animal progreditur, negat animal progreſsionis hujus cauſſam eſſe, ſed τὸ περιέχον, cõprehẽdẽs aërem (puto) hîc ſignificat. & ſic ſexto capite hujus, τὸ περιέχον, efficiẽ cauſſa phyſicorum motuum, accretionis, ſomnii, & ſimilium: & paulo póſt, Animal (ait) ſeipſum movet: non tamen omni motu, ſed ſecundum locum. multi præterea motus ſunt animalis ὑπὸ τοῦ περιέχοντος, á comprehendente: quorum alii moveant τὴν διάνοιαν, ἢ τὴν ὄρεξιν, cogitationem vel appetitum: alii totũ animal: ut quo dormit, aut excitatur é ſomno. Hæc eſt ſolutio noſtri Phyſici ad ſecundã aſſumptiõis partẽ, valdé lubrica, & authori ſuo periculoſa: Etenim quomodo defendetur hæc ἀντίφασις? Animal, non eſt ſibi cauſſa motus localis: Animal eſt ſibi cauſſa motus localis? Deinde quænã iſta phyſica eſt? Animalis motus ἀπὸ τοῦ περιέχοντος fieri, aliiſq; διάνοιαν ἢ ὄρεξιν moveri, aliis totũ animal? Animali tribuit

phyſicus τὴν διάνοιαν· quæ tamẽ propria ſit hominis. & iſta bella motuum diſtributione, nullum animali motũ ab interiore animalis proprioq; principio videtur relinquere: denique Phyſicus noſter, Platonis illa πλάσματα ridicula, & ſine inductione, ſine demonſtratione ἄνευ γε ἀξιώματος, quæq; facillima ſolutione prædicabat, diſſolvere non poteſt. O' phyſicum in oppugnãda Platonis phyſica, phyſicis armis inermem atq; nudũ! Ergo nullus eſt jam Ariſtotelis præſenti judicio, motus ab interiore forma, ſed omnis motus omnino eſt ab externa cauſſa, in naturis nõ ſolùm inanimatis, ſed etiam animatis. O' Ariſtotelem factum prorſus Zenonem! Argutabatur Phyſicus ille, nullum in natura motum: ſophiſticis quidem argumentis, ſed tamen argutis: Ariſtotelisq; logica refellẽdis. At præſentia Ariſtotelis ſophiſmata qualia ſunt? Inanimata (ait) moventur externo tantùm motu: animalia etiam moventur non ſuo, ſed externo tantùm motu. Ergo, inquam, phyſice, phyſicam tuam vehementer oblite, natura rebus inanimatis fruſtrà inerit: natura rebus animans fruſtrà inerit? quia non erit principium motus: deniq; fatali neceſsitate omnia conſtricta devinctaq; tenebũtur. At minimè omnium Ariſtoteles id voluit: ſed dum Platonis phyſicã cupidiùs inſectatur, in eos laqueos incidit, unde explicari nullo modo poteſt· τοὐναντίον ἢ χαλινὸν λύειν prędicabat Ariſtoteles: At res ipſa, παγχάλεπον, imò verò prorſus ἀδύνατον demonſtrat, rationibus illis è Platonica phyſica deductis reſpondere. Quamobrem ut primo capite confirmatio æterni motus nulla prorſus fuit, ſic ſecundo capite refutatio nativi motus nulla prorſus eſt: imò ex utraque tam ſolicita tàmque exercita cõtentione, Anaxagoræ & Platonis phyſicam illuſtriorem factam & ornatiorem intelligimus: cùm tot machinis non modò nihil labefactata ſit, ſed corroborata magis, magisq; ſtabilita. Et tamen beneficiũ Ariſtotelis hîc etiam ampliſsimũ fateamur, ac profiteamur, quòd per ejus facultates & copias, tam formidoloſi impetus repellantur, quodq; Phyſica ſophiſmatis tam pernicioſis liberetur.

IN CAP. III.

HActenus mot⁹ æternitas ꝓdigioſis ſophiſmatis acta eſt: moventis æternitas parib. ſophiſmatũ prodigiis deinceps agitur: quinque proxima capita ad hãc theſin, ſed invitis Muſis, videantur eſſe deſcripta. Sed tamen acroaſis, quęcunq; ſit, audiatur. Fruſtra fortaſſe de ſolutionibus Ariſtotelis conquerimur: neque etiam ipſe ſibi ſatisfacit. Ad pleniorem igitur & perfectiorem ſolutionem, diſtributio fit omniũ, quæ adhuc fuerũt, elegantiſsima partiũ duodecim, Pythagoræ dodecaedrum diceres: quarum tamẽ nulla prorſus ad propoſitam moventis æternitatem, neq; cominus, neq; eminus attinet: partitio tamen dodecaedra attendatur. Neceſſe eſt (ait Phyſicus) ſemper omnia quieſcere, aut ſemper moveri, aut alia quidẽ moveri, alia verò quieſcere: ac rurſus ex iis alia quidem mota ſemper moveri, alia verò quieſcentia quieſcere: aut omnia nata eſſe ſimiliter moveri, aut qeſcere: aut reliquum præterea ac tertium: accidit enim alia ſemper immobilia eſſe, alia ſemper mota, alia utrunq;. Hæc partitio eſt duodecim partium, unde phyſicus nobis pollicetur λύσιν πάντων τῶν ἀπορουμένων, καὶ τέλος ταύτης τῆς πραγματείας· ſolutionem omnium dubitatorũ, & finem hujus tractationis. Bono igitur animo eſtote auſcultatores: auſcultatio enim diſtributiõis hujus, magnam rem nobis pollicẽ. Nõ diſſolvit antea Phyſicus rationes illas Anaxagoreas aut Platonicas: jamjam diſſolvet: æternum motum, æternum motorem, argumẽto partitionis hujus demonſtrabit: & ſummũ phyſicę acroaſeos finem afferet. Quid igit partitor partitiõis tam multarũ partium nobis partietur? Rejicit primò de tot partibus tres partes primas. Ecquid igitur, inquam, elegantes illæ è primo & quinto capitib. phyſici quinti partitiones, logicam ſuam nobis huc referunt? attamen illæ trium, quatuor, quinq; partium, ad iſtam multitudinem partiũ minimè pervenerunt. Partes falſæ veris aggregantur: ut copia ſit argumentãdi, & refellendis elenchis paginas explendi. An verò lex ulla de catholicis Ariſtotelis legibus, falſas partes veris admiſceri jubet, quæ deinde improbentur ac tollantur? Dichotomia partium verarum

ſola eſt κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον. & tamen, quænam partium multitudo, vel confuſio potius eſt in hac partitione? Verum perge: quamobrem prima pars (quód omnia quieſcant) rejicitur? Ac illud quidem (ait Phyſicus) omnia quieſcere, & hujus cauſſam requirere, prætermiſſo ſenſu, impotentia mentis quædam eſt: & de toto quodam, non de parte dubitatio: neq; ſolùm adverſus phyſicum, ſed adverſus omnes ſcientias & opiniones omnino: quia omnes motu utantur. O' me felícem! ò me fortunatũ! ô me Ariſtoteli ſempiterno beneficio obligatum! Hæc enim Ariſtotelis authoritas illa ſingularis & eximia eſt, quam tertio quintoq; phyſico, ad tollẽdam é phyſica arte motus doctrinam propoſui, quia omnes omnino artes, non ſolúm ſcientificæ, ſed opinabiles, motus quoſdam ſuos haberent: motus phyſicos ſolos non eſſe, ſed ad omnes & ſciẽtiæ & opinionis artes pertinere. Sed hanc ipſam motus notitiam, cõmunem & generalem eſſe: ideoq; in generali & communi doctrina ſemel inſtituendam eſſe & docendam. Sed inſtitutas partes exequamur. Non omnia quieſcũt, quia id affirmare, communis ſenſus & mentis inopia ſit: idemq;, quod omnes artes labefactare. Sed altera eſt etiam refutationis ejuſdem ratio: Non eſt Mathematici diſſolvere inſtantias & objectiones mathematicis principiis oppoſitas: neque ſané phyſici eſt, phyſicorum principiorum obtrectatores refellere. Phyſica autem eſt hypotheſis, Quód natura ſit principium motus. Primo phyſico Parmenides ita ſpretus & contemptus eſt, velut inficiator hypotheſeos ejuſdem. Sic igitur ab Ariſtotele partitionis pars una refellitur: Secundæ & tertiæ & quartæ partis falſitas (quód omnia moveantur, quód alia ſemper quieſcant, alia moveantur) uno ſenſus argumento refellitur: quia motus omnium generum ſenſiles ſunt. Hoc autem ſenſus argumẽtum, in hac ſuperiore parte refellenda, veré phyſicum eſt. Atque utinam Ariſtoteles in ſenſili materia, magiſtros ſenſus & judices ſemper adhibuiſſet: nũquam extitiſſet infinitas neq; magnitudinis, neq; motus, neq; mobilis, neque tẽporis, neque ſtationis, neq; quietis: Nullus enim ſenſus, infinitatẽ illam in rebus phyſicis & ſenſilibus oſtenderit. Atq; interea in ſecũda ratione locus eſt ille citatus á nobis ad 1. cap. 3. phyſ. Feré autem moveri, generari aliquid & corrumpi omnib. videtur. Sed tamen partitionis adhuc partes quatuor improbatę ſunt: Non omnia moventur, nõ omnia quieſcũt, nõ alia ſemper quieſcunt, non alia ſemper moventur. unde cõcluditur, Quód alia quidem moveantur, alia quieſcant aliquãdo. quæ pars é partis illis partibus, nulla tamẽ fuerat: octo enim ſupererãt, Alia mota ſemper moveri, Alia quieſcẽtia quieſcere, Omnia mota ſimiliter moveri aut quieſcere, aut reliquum & tertium, Alia ſemper immobilia, Alia ſemper mota, Alia utrumq;. Itaq; partes falſę diſtribuũtur, non diſtributæ etiam cõcludũtur. Quid multa? Certatum de induſtria videtur, ut cõtra omnes Logicæ leges, diſtributio iſta hoc modo miſceretur. Sed tamen iſtam tot capitum hydrã Ariſtoteles repetit: partes ipſas nõnihil immutat: alias retinet, alias novas inſtituit, alias eodem ſenſus argumento repudiat: quia repugnẽt ſenſui, repugnẽt etiam motui. ubi φαντασία καὶ δόξα, viſio & opinio, motus quidam omnibus videntur. qui locus eſt citatus á nobis ad 1. cap. 7. phyſ. quód anima ſuos etiam motus haberet. Atqui hoc ſenſus argumentum Ariſtoteles ita concludit, ut judicet iſta nõ diſcernere, hominis eſſe judicio carentis, neq; potentis diſcernere bonum à malo, probabile ab improbabili, principium à non principio. Equidem nullum in tota acroaſi elenchũ adhuc invenire potui, cujus nõ parata ab Ariſtotele feré medicina eſſet. Dicere omnia moveri, aut omnia quieſcere, aut omnia aliâs moveri, aliâs quieſcere, dementis eſt, ait Ariſtoteles. Verum, inquã, tu ipſe es, qui dicis: tu ipſe es, qui te refellis: tu vulneris & author & curator es. & illud eſt, quod antea tibi in ſimilib. partitionibus oppoſui, abs te mẽdacia confingi, quibus irridendis, teipſum oblectes, & libros egrẽgiis hiſce figmentis rẽfertos, phyſicam appelles.

IN CAP. IIII.

AGe veró: pollicebatur Phyſicus, egregia illa tot ſophiſmatum diviſione, ſolutionem omniũ dubi-

tationum, finẽ etiã phyſicæ extremũ: nulla ſolutio fuit: imò novi nodi, & ſuo artifici indiſſolubiles innexi & implicati. finis phyſicæ nullus, ſed ſophiſticæ cumulus. Quid deinde? partes reliquæ, quomodo differuntur? Evanuerunt, à tineis Apelliconis (opinor) abſumptæ: aut quia ſphæra nondum exciderat, per oblivionem præteritæ. O' phyſicam erraticam & volaticã. Tantàmne in hominib. literaris & liberali diſciplina eruditis judicii ſervitutẽ eſſe, ut pro phyſicis decretis, ſophiſmata hæc habeant? imò ſacra quędam & arcana myſteria, & religionis initia faciant? Verùm agite, & reliquum caput attendite. Theſis è primo capite ſeptimi huc repetitur, Quicquid movetur, ab alio movetũ. Bella hęc phyſica, cum ſequentibus aliis, Themiſtium & Eudemum impulit ad judicandũ de ſeptimo phyſico, quod antea recenſuimus. Sed tamẽ audiamus Ariſtotelem, primũ ſeptimi phyſici caput, quarto capite repetẽtem. Quid igitur ait? Motus, eſt per accidens, aut per ſe: per accidens, cùm movetur aliquid in movente, vel in moto, vel ſecundum partẽ: per ſe contrà. Eheu, quoties iſta partitio jam poſita eſt, & repoſita? De inde cur t.c. 5. phyſ. trifariam idem diſtributũ per ſe, per accidens, per partem? Perge, quid ſequitur? Motus per ſe, eſt à ſeipſo, vel ab alio: A' ſeipſo movetur animal, quia principium motus habet in ſeipſo. Motus ab alio, eſt ſecundum naturam: ut levibus ſurſum, gravibus deorſum: contra naturam, ut in levibus deorſum, gravibus ſurſum. Atqui, inquam, in his partitionibus, qualianam illa ſunt? animal movetur à ſeipſo? Nam 1. cap. 7. phyſici, id Ariſtoteles inficiatus eſt. Deinde quomodo dicunt elementa moveri ab alio? an non levia ſurſum, gravia deorſum naturæ ſuę lege atq; nutu cientur & moventur? Quæſtio verò de primis elemẽtorum motibus, Phyſicum noſtrum mirabiliter exercuit: ut nuſquam magis vacillantem nutãtemq; animadverterim. Sed theſin perſequamur: vacillatio iſta nutatioq; deprehendetur in curſu. Diſſerit igitur Ariſtoteles, Quicquid movetur, ab alio moveri: ad eamq; rem, inducit primò cõtra naturam mota, quæ ſine dubio moventur ab alio: deinde mota à ſeipſis, ut animal, quod movetur ab anima: ut navis à nauta. At anima nõ eſt in animali, qđ nauta eſt in navi: cum anima ſit forma: nauta nihil eſſentiale ſit navi. Jam verò quomodo loci præſentis antiphaſis refelletur? Animal movetur à ſeipſo: animal movetur ab alio, id eſt non à ſeipſo. tot tamq; frequentes contradictiones, negligentiam Ariſtotelis non arguunt in colligendo ullam fuiſſe, ſed convincunt in recognoſcendo, & ad logicas leges æſtimando nullam Ariſtotelis curã acceſsiſſe. Tandem elementa, ſecundum naturam quidem moveri dicuntur, & tamen ab alio: Hîc Ariſtotelis præcipua vacillatio eſt: neque ipſe diſsimulavit: μάλιϛα δ᾽ ἀπορεῖται τὸ λοιπόν· maximè verò reliquũ adubitatũ. ταῦτα δ᾽ ἐϛίν, ἃ τὴν ἀπορίαν παρέχει ἀεί, ὑπὸ τίνος κινεῖται· Hæc autem ſunt, quæ dubitationem præbeãt, à quonam moveãtur. Diſputat igitur Phyſicus, elementa non agendi, ſed patiẽdi tantùm vim habere, neque moveri à ſeipſis: primò, quia id ſit animalis proprium: & tamen etiam animal ait ab alio moveri: ſecundò, quia ſiſterẽtur à ſeipſis, & eſſent ſibi principium quietis: quia contrariis motibus moverentur? quia continua non eſſent. Hæc Ariſtotelis argumenta, heu phyſici profeſſores, quomodo phyſica dicentur? Elementa naturæ ſunt, & quidẽ naturæ primæ, unde cæteræ ſunt naturę: quomodo igitur naturam, id eſt principium motus & quietis, elementis eripies? quomodo ignis non aſcendet? non uret? aqua non deſcendet? non extinguet? aut animalib. ſolis id tribuetur? cur contrarios motus neceſſe eſt iis ineſſe, quæ à ſeipſis moventur? an globi cæleſtes illi (quos alicubi deos Ariſtoteles efficit) contrariis etiam motibus ſinguli moventur? aut quomodo Ariſtoteles formam elementorum elemẽtis cõtinuam facit? Nec enim forma continuatur materię, ut linea lineæ continuatur. Hos elenchos excuſare nituntur quidã interpretes, ſed ita, ut vehementius accuſent: quibus enim tectoriis tam fœdas ruinas tegẽt aut occultabunt? Equidem pudet, tantũ phyſicũ in phyſicæ elementis tam inconſtanter hæſitantem deprehendi: Si grammaticæ elementa Ariſtarchus aut Varro tam rudia tàmque imbecilla tenuiſſet, nunquam (opinor) auſus eſſet de Grammaticis præcepta ſcribere.

ſcribere. Phyſicum igitur in phyſicæ elemẽtis tam dubium, tamq́ incertum deprehendi, quid vis exiſtimẽ? Sed tamen quoniam elementa per ſe mouentur, neque tamen à ſeipſis, ſed ab alio, à quonam tandem movebuntur? Movetur (ait Ariſtoteles) ab aliquo, quod ſit actu; in quod ſunt potentia. Sed tamẽ; in quã in quonã eſt actus ille, cujus potentia tantùm ſit in elementis? Hîc Phyſicus hæret, & diſtinguit potẽtiam, in remotã & propinquam: qualis ſcientiæ potentia eſt in diſcipulo & doctore non contemplante. Audio, inquam: ſed actu leve & grave, quidnam tãdem eſt? Actus levis (reſpondet) eſt eſſe ſurſum: gravis, deorſum. Cauſſa itaque talis motus levibus & gravibus eſt, quód nata ſint illa eſſe ſurſum, hæc deorſum. Itaque principiũ motus modó attribuitur τῇ δυνάμει, potentiæ: quod tamẽ τῇ ἐντελεχείᾳ attributum eſt tota ſuperiore phyſica. Sic aqua potentia aër, aërq́ vicíſsim potentia aqua, levis gravisq́ á phyſico efficitur: tanq̃ aër aquam levem: aqua aërẽ gravem efficiat: leviaq́ & gravia potentia moveantur ab iis, quæ ipſa actu talia ſunt: denique inanima, κινήσεως ἀρχὴν ἔχει, οὐ τοῦ κινεῖν, οὐδὲ τοῦ ποιεῖν, ἀλλὰ τοῦ πάσχειν, habent principium motus, nõ quo moveant, vel faciant, ſed quo patiantur. Quod ſecũdo capite 2. de cælo iteratur: τῶν γὰρ ἀψύχων, ἐν οὐδενὶ ὁρῶμεν, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως. In nullo enim inanimatorũ videmus principium motus. Atq́ illud idem iteratur 2. cap. 3. de cælo, quód motus naturalis levium ſurſum, gravium deorſum fiat κατὰ δύναμιν, ut hic docet. Verumenimveró, per Deũ phyſicæ, quænam iſta phyſica eſt? Lapis ſublimé retẽtus in capitolii ſummo vertice, ſi ſubſtrata columna tollat̃, quare labet̃ dorſum? aut ſi lapis in fundo Sequanæ, utribus vẽto inflatis ſuperpoſitus, avertat̃, quare utres ſurſum exiliẽt? neq́ enim lapidis vel utrium natura mutatur. Deinde quomodo aër aquam, aut aërem aqua movebit? utrũq́ enim eſt corpus inanimum: ideoq́ ſecundũ hanc phyſicã, moveri tãtúm & pati poſſunt, movere & agere nihil poſſunt: & forma eſt iſtis principium motus paſsivũ tantúm, nõ activum. Tum veró ſi aër, levitatis ſuæ actu, movere aquam ſurſum, & aquæ ſuæ gravitatis actu, movere aërẽ deorſum poſſit, cur aquá ſeipſam ſua gravitate deorſum, & aër ſeipſum ſuá levitate ſurſum non movebit? Quid igit̃ hîc dicendum ſentias? Equidẽ de elementorũ vel natura vel numero locũ hic non ſatis idoneum video: de motu in univerſum nunc tantum quæro. In igne cauſſam calefaciendi ſtatuo: quãvis illud corpus inanimum ſit: neq́ τὴν δύναμιν Ariſtotelis hîc audio: ſatis eſt potentiã ad patiendũ facilẽ eſſe: ἐντελέχεια aget ſola movebitq́. Perpendite iſta, phyſici, æquis & attẽtis animis: & jã ſi quis uſquam reliquus eſt pudor, pudeat á ſophiſmatis iſtis nõ tãtúm phyſicæ veritatẽ, ſed religionis etiã pietatẽ repetere. In illo aũt motu ſurſum deorſúmve (quod Ariſtotelẽ tantopere contorſit) eandem phyſicã adhibeo: omniſq́ phyſici motus cauſſam, phyſicã formam & ἐντελέχειαν facio. Definitiões igitur Ariſtotelis illę valeant, ἐνέργεια & actus levis, eſt eſſe ſurſum: gravis, deorſum. Leve actu eſt, quod ſurſum eſt: grave actu, quod deorſum eſt: potẽtia veró leve, aut grave, quod poteſt ſurſum, aut deorſum per ſe moveri. Itaq́ in poſtremo eſt actus levitatis, in medio eſt actus gravitatis. Definitiones, inquam, illę valeant, & phyſicã turbare deſinant: Nec grave leveq́, ex ſuo loco potius, quàm ex ſua natura definiẽda ſunt: ut neq́ calidum, frigidum, humidũ, ſiccũ, quamvis elementis perinde adjuncta ſint: & loci propriam quoq́ differentiam habeant. Quid ergo eſt (inquies) levitas & gravitas? Imó veró, inquã, dicito quid eſt calor, frigus, humor, ſiccitas? Vitioſas equidẽ definitiones illas eſſe video: accuratas aũt ſi quis afferret, facilius cognoſcerẽ: Ariſtotelemq́ difficultatis ariſtoteleæ é nono metaphyſico adſtipulatorem profero: qui περὶ τῆς ἐνεργείας diſſerens, nec ejus accuratam definitionẽ inveniens, non erubuit affirmare, Definitiones omniũ quærendas non eſſe, ſed plerunq́ ſatis eſſe deſcribere inductione & exemplis quod ſentias. Itaq́ exemplis potius veris quàm falſis definitionibus Ariſtotelis uti debuerat. Levem eſſe aërem, leviorem ignem: grauẽ eſſe aquam, graviorem terram: & ſecundum hanc analogiam, ut quidq́ magis minúſve leviũ & gravium elementorũ compoſitã naturã habuerit, tantó eſſe levius aut gravi⁹. Euclidi attribuit̃ opuſculũ de

gravi

gravi & levi: ubi potētia videt̃ appellari pōdus, nil pręterea definit̃. Eutocius in primum Archimedis iſorrhopicū citat Ptolemæi librum de momentis, ubi momentum faciebat genus gravitatis & levitatis: quamquam levitas privatio gravitatis eſſe videretur. Archimedes etiam de momentis æqualibus librum conſcripſit, ut appareat à magnis ingeniis quæſtionem hanc jactatam eſſe: ſed tamen à nemine, quod ſciam, quid eſſet grave accuratè definitum eſt: deſcriptio tantū quædam eſt per exempla & cōparata. Itaq; gravis terra in centro, ſua gravitate retinet̃: & ignis, ſi quis tamē eſt illic elementaris ut fingitur ignis, in mundi ſummo, ſua levitate. at ſi utrumq; ſuis locis depulſum ſit, iſtuc etiam per ſeſe redierit: ac ſi tota terra in locum ignis, aut totus ignis in locum terræ vi raptus eſſet, vi tamē ſublata, protinus terra deorſum, ignis ſurſum moveretur. Quamobrem perſiſtamus in prima illis Ariſtotelis phyſica. Natura, eſt principium motus: & unumquodque corpus phyſicum, naturali motu à ſua forma moveri judicemus: præſentemq; errorem, cōſtantiore illa veritate corrigamus: neq; tam fœdum abſurdumq; ſophiſma cōprobemus, Quicquid movetur, ab alio moveri: cùm non ſolùm animalia (ut Ariſtoteles Ariſtoteli ſæpius repugnando conficit̃) ſed elementa à ſeipſis etiam naturali motu moveantur.

IN CAP. V.

Sed tamen, quamobrem tantum ſophiſma, tamq; phyſicis elementis contrarium, à phyſico in phyſicam inductum eſt? Cauſſa certè nulla adhuc apparuit, neq; apparebit poſtea: & tam videtur hoc decretum alienū eſſe, quàm bella illa tot partium partitio antea fuerat. Duo ſequentia capita, quintū & ſextum, ad moventis æternitatem propius attinent: ſed triplex qualitas vicina, cōjunctè diſſeritur: quòd primū, quòd immobile, quòd unum. Quinto igitur capite diſputatur eſſe aliquid movens primum, & immobile: ſed diſputatiōe verboſa valde, valdeq; ſophiſtica. Reperitur infinitè jam propoſita partitio motus non per ſe: tum ſubducit̃ per ſe proximè, vel pluribus mediis: ut ſi in movēdo lapide, vectis adhibeatur, inſtrumenta erunt, manus & vectis: & primum movens, erit homo: ultimum, vectis. Atque ita nudo & ſimplici exemplo oſtēditur, in natura aliquid eſſe movēs primum. Perge, eſt aliquid movens primum, cur etiam immobile? Si immobile diceret Ariſtoteles æternum, conſtans, neq; ortui, neq; interitui, neque accretioni, neque diminutioni, neque alterationi, neque ſecundum phyſicum locum motui, neque omnino phyſicis motibus ullis obnoxium, laudarem ſententiam phyſici, tametſi logicam in demonſtrādo minimè probarem. Quid enim probatione opus erat iſtorum nihil Deo convenire, cùm omnia corporis ſint, Deus ſit animus? Sed Ariſtoteles generaliter, omninoq; diſputat, movēs primum eſſe immobile: quia neq; ab alio, neq; à ſeipſo mobile eſt. Non ab alio: quod quidem per ſe clarum erat, neque magis demonſtrabile, quàm aliquid eſſe primū movens: quod tamen Ariſtoteles ſimplici expoſitione aſſumpſit. Veruntamen perge, quid habes dicere, quamobrem primum movens non moveat̃ ab alio? utrū hic Ariſtoteles à proximo ſuperiore capite præſidiū demōſtrationis expetit? Id enim confectum jam erat, ſi ſophiſmatis ſuis confideret: id enim 1. cap. 7. phyſ. & 4. cap. 8. phyſ. actum & tranſactum erat. At ſuperiora illa, tanquā nunquam dicta, prorſus obliviſcitur: Itaq; pręterea demonſtratione illa, primò agit generaliter, quia ſi quodlibet ab alio moveretur, progreſſus eſſet in infinitum, quod eſt impoſsibile. Hîc verò philoſophum in phyſica phyſicè idem philoſophantem, rurſus etiam libenter audio: Itaq; oppugnatæ Anaxagoreæ infinitatis argumenta ex animo cōplector: in natura rerum nihil infinitum eſſe: Ab infinito Naturam abhorrere. & quidem hoc argumentum (ut lætitiæ fructus nobis uberior eſſet) quinquies in hoc capite tractatum: Impoſsibile eſt progredi in infinitum ſecundò, Impoſsibile eſt progredi in infinitum: tertiò, Nullus progreſſus eſt in infinitum: quartò, Neceſſe eſt ſtare, & non ire in infinitum, quintò, Neceſſe eſt ſtare: qa motus ſunt finiti: toties enim hoc uno in capite infinitas, ut abſurda res naturæq; inimica atq; contraria improbatur. Ergo tan-

tum

tum tamq́ phyſicæ proprium fructum complectamur: proptereaq́ Ariſtoteli gratias infinitas agamus: & monſtrum illud infinitatis, antea jam plané confectum, tamen & præſentibus telis obruamus: Infinitum in natura nihil eſt: Ergo diviſio phyſicæ magnitudinis nõ eſt infinita: Ergo mot⁹ non eſt infinitus: Ergo mobile nõ eſt infinitũ: Ergo tẽpus nõ eſt infinitum: Ergo ſtatus non eſt infinitus: Ergo quies non eſt infinita. Atque hæc generalis eſt argumẽtatio, quód primũ movens non ſit ab alio mobile: deinde ſpecialiter agitur, quia neque per accidens, neque per ſe moveri poſsit: non per accidens, quia motus ceſſaret, cúm per accidens nihil ſit perpetuum. Hæc autem ratio falſa deprehendetur 6. cap. 8. phyſ. ubi Ariſtoteles docebit, motum per accidens quẽdam æternum eſſe. Additur autem partitio interea inſignis, quod in motu tria ſint, mobile, movẽs, inſtrumentum. At 1. cap. 5. phyſ. quinque requirebantur, movens, mobile, tempus, terminus á quo, terminus ad quem. & tripartita hæc partitio aliter 8. & 10. cap. 8. phyſ. repetitur. Sequitur autem altera ratio pauló veriſimilior ſuperiore, Ut per accidens movetur aliquid, nihil movens: ſic movetur aliquid prorſus immotũ. Itaque etiam Anaxagoras (ait phyſicus) recté ſentit, Mẽtem inquiens impatibilem eſſe & impermiſtam: quoniam ipſam, principium motus efficit: Sic enim ſolúm moveat, cùm ſit immobilis: & vincat, cùm ſit impermiſtá. Hæc Ariſtoteles de Anaxagoræ laudibus, longé diſsimilis illius Ariſtotelis, á quo primo phyſico mens Anaxagoræ ut abſurda reprehendebatur. Atque hic tum locus Ariſtotelis á nobis product⁹ eſt, ad Anaxagoram defendẽdum: & veriſimile eſt, Ariſtotelem, dum hæc ſcriberet, primo libro ſcriptorum minimé memorem fuiſſe. Et illud eſt nimirũ, quod tam ſæpe teſtificor, ab Ariſtotele multó plura collecta eſſe, quàm recognita, quàm æſtimata atque judicata. Verùm pergamus: Primum movens non movetur ab alio per accidẽs: quamobrem non movetur ab alio per ſe? qa (reſpondet Phyſicus) moveretur ſecundum eandem ſpeciem: ut geometriã docens, geometriam doceretur: aut ſecundũ diverſam, ut augens alteraretur: quæ abſurda ſunt. Quare neque per ſe movetur ab alio. Atqui hæc triũ paginarum diſputatio valde inanis eſt, ad demonſtrandũ, quod per ſe clariſsimum ſit, & iis demõſtrationibus, quæ rem potius obſcurẽt, quám demonſtrent. Altera pars (quod primum movens non moveatur á ſeipſo) ſupereſt, falſa quidem: neque enim motus phyſici ſoli ſunt: neq́ quiſquam tam hebes eſt, qui ſi Deum, animũ & incorporeum eſſe intelligat, nõ protinus etiam fateatur ſenſiliũ & corporearum rerum motu Deum non moveri: motus, inquam, phyſici non ſoli ſunt, ſed omnium artium atque opinionum: itaque grammatici, rhetorici, dialectici, mathematici, theologici denique ſunt etiam motus: & tertio capite hujus libri, Ariſtoteles ipſe docuit φαντασίαν καὶ δόξαν, motus eſſe. Ergo animus & Deus ſuos etiam motus habẽt, diſsimiles quidem phyſicorũ motuum, ſed tamẽ motus: & quidẽ tantó prẹſtantiores, quantó ipſæ cauſſæ moventes excellentiores & nobiliores fuerint. Itaq́ Ariſtoteles 3. cap. 7. politici, magnificé philoſophatur, cúm diſputat, beatitudinem in actione conſiſtere: neque ſolas actiones externorũ operum, ſed eas contemplationes & meditationes multó magis actuoſas eſſe, quæ in ſeipſas converſę, ſuóque fructu contentæ, extrinſecús nihil requirunt. Honeſta nempe actio, finis eſt, ideóque etiam actio quædam: imó veró propríé eos agere dicimus, qui mente atque animo principes atque architecti ſunt externorum operum. Hæc Ariſtoteles: quibus etiam addit, Alióqui neque Deus beatus haberi poſſet, cui actiones externæ nullæ ſunt, ſed omnes ipſius naturæ congruentes ac propriæ. O' philoſophum præſtantem ac prorſus eximium, ſi tua ſcripta ope vitæ lõgioris recógnoſcere, & catholicis tuis legibus conſentanea á diſſentaneis ſecernere potuiſſes! Et tamen quod ſecernimus, quod meliora deterioribus antepónimus, nõ ſolúm legum tuatũ beneficium eſt, ſed peculiaris etiam propriaq́ ſentẽtiæ tuæ gratia. Verùm ariſtotelearum legum charitas nos diutius ſæpe retinet: falſá theſis Ariſtoteli propoſita eſt, ut aliás jam ſępe, Primum motorem á ſeipſo nõ moveri. quænã igitur erunt argumẽta, quib. Ariſtoteles ex inferiore cauſſa ſu-

periorem

periorem faciat:& è falſa veram? Primū movens (ait) non movetur à ſeipſo: primò, quia omne motum eſt dividuum in ſemper dividua. At, inquam, id falſum eſſe, tot antè argumenta docuerūt: & præſenus capitis phyſica planiſsimè refellit: quæ docuit nihil infinitū in natura rerū eſſe. Secūdò, quia idē moveret & moveretē eodē motu: ferret, ferreturq́. At id, inquam, diverſa ratione fieri poteſt. & qui geometriam docet alios, etiā à ſeipſo geometriam docetur: neq; vox doctoris, ad auditoris tantùm, ſed ad doctoris etiam aures peruenit: Sic animus eodem motu intelligit ſeipſum, & à ſeipſo intelligitur. Tertiò, quia eſſet idē calidum, & non calidum, movens idem actu, quod mobile potentia: quod falſum eſt: Nam quod movet, non actu ſemper eſt quod motum eſt potentiâ: Nec enim Sol, eſt vermis aut muſca, qui tamē vermes & muſcas gignit. Nec chalybs & ſilex, ſunt ſcintilla, quam tamen ſuo motu efficiunt. Reliqua theſis hujus argumentatio, ſophiſticam ſingularem complectitur, Utrùm pars moveatur à parte, an totum à partibus quibuſdam, an totum à toto, cæteraq́; de continuis & contiguis: Etenim cum de movente primo agitur, quod ſit ſine parte, ſine magnitudine, ut differetur 10. cap. 8. phyſ. ridiculum eſt, vel totum, vel partes, vel particulas, velut in cōtinuo, quærere. Quare totum hoc ſophiſma (quòd primus motor non moveatur à ſeipſo) σοφιστικώτατον ut eſt, ſic habeatur. Verū caput hoc tam prolixū, inutile nobis non abeat: fructum duplicem jam magnum attulit: primum, quòd in natura rerum nihil eſſet infinitum: ſecundum, quòd mens Anaxagoræ deusq́; tandem collaudatur à phyſico, à quo antea vituperabatur: tertium jam in extrema capitis parte attendite. Quærit Ariſtoteles, cùm partes & particulas tanquam cōtinuas in motore primo ſtatuiſſet, Utrùm, ſi particula ſemoveatur de parte movēte vel mota, reliqua particula movere aut moveri poſsit. Nam ſi ita ſit, nihil erit primum: quia ſemper divideretur. Reſpondet igitur Ariſtoteles ad hanc quæſtionem. Licet movens & motū, ſit continuum, ideoq́; δυνάμει διαιρετόν, potentia dividuum: attamen ἐντελεχείᾳ ἀδιαίρετον, actu individuū eſſe: Itaq; (ait) nihil prohibet ἐν ἀδιαιρέτοις δυνάμει πρῶτον εἶναι, in dividuis potētia primò eſſe. O' phyſici interpretes, accurrite: phyſica antecedens tota jam planè periclitatē: incendio flagrant omnia, accelerate & reſtinguite. Infinitum tertio phyſico, tanto labore ędificatum eſt: ſexto phyſico, deinde obfirmatum & obvallatum: atque in eo infinito, tanquam ſtabiliſsimo fundamento, deinceps exędificatum eſt infinitum motus, infinitum mobilis, infinitū temporis, infinitum ſtatus, infinitū quietis: unde effectum & cōcluſum eſt, nihil eſſe primū in magnitudine, nihil primū in motu, nihil primū in mobili, nihil primū in tempore, nihil primū in ſtatu, nihil primū in quiete. At Ariſtoteles diſputans aliquem primum motorem eſſe, de theſi poſtrema cogitans, cæteras illas antecedentes oblitus eſt: aitq́; potentiam infiniti illius (quod à tertio uſque phyſico continuaverat) non eam eſſe, quæ actum adipiſci poſsit: quod idem tum dicere videbatur, ſed revera longè aliud: Nam magnitudinem perpetuò poſſe dividi affirmabat, ſed potētiæ hujus extremum actum dari non poſſe: Hîc aliter loquitur, & diſertè ac perſpicuè ait, δυνάμει διαιρετόν, ἐντελεχείᾳ ἀδιαίρετον· denique in illis potentia dividuis dari primum, quod revera dividi nullo modo poſsit. O' phyſicum nō falſa credulorum interpretū opinione interpretibus difficilem & obſcurū! Etenim quomodo tanta rerum tamq́; craſſa & penè palpabilis repugnantia defenderetur? Enimverò patronos reperit: qui dicerēt, Ariſtotelem de motu deq́; mobili communiter antea locutum: nunc verò loqui de motu & mobili applicādo ad naturas determinatas. Hæc enim Thomæ interpretatio eſt: hæc diſtinctio una morborum omnium medicina eſt. At Deus bone, excita mentes hominum ad intuendum verum, ad verè ſyncerèque judicandum, ad liberè ſtatuendum. Etenim motus rei naturalis, id eſt corporatæ & ſenſilis definitus eſt, & ſecundum eam definitionem, totis deinde phyſicis tractatus: & tamen ineptiæ hominum etiam phyſicam profitentium reperientur, quæ publicis ſcholis perſuadeant, motū alias, tanquā à geometris, magnitudinem, ſic à phyſicis abſtrahi, & à natura ipſa naturā ſejungi: alias in natura

&re

& re ipſa conſiderari? Quare Theologi noſtri, conſiderate, quibus fundamentis ſcholaſticam theologiam fundatam tenetis, & quàm miſerabile ſit, religionis authoritatem à talibus ſophiſmatis repetere.

IN CAP. VI.

Sed adhuc è qualitatibus moventis duæ fuerunt, quód primum, quód immobile: duæ ſuperſunt hoc capite, quód æternum, quód unum. ſed æternitas ipſa, qualitas eſt primaria, ut in motu antea ſingularis præcipueque diſputata. Aeternitas in motu falſa fuit, & falſis argumentis inducta. Aeternitas in Deo movente, vera quidem illa eſt: ſed tamen argumẽto falſo ab Ariſtotele concluditur: Motus eſt æternus: ergo & movens primum eſt æternum. At, inquam, antecedens de phyſico motu eſſe falſum docuimus. Et tamen in hac theſi ſubeſt, etiam illa cavillatio, quód Deus ab Ariſtotele non appellatur ipſo Dei nomine, ſed primum movens. At, inquam, Deus fuit Deus, antequam Ariſtotelico motu & phyſico mũdum moveret: neq; Dei æternitas iſto motu metienda eſt: & ſi Ariſtoteles primum movens non intelligit, niſi phyſico actu movens, nõ minús theſis iſta impia eſt, quàm theſeos probatio. Sed tamen ad reliqua pergamus: Quid tum poſtea? Ariſtoteles initio quendã phyſicum deſpicit, qui æternum bis argumẽtis aſſerebat: Neq; movetur, neq; movet: ergo æternũ eſt. item, Eſt aliquando, & aliquando non eſt ſine ortu, & interitu: ergó æternum. οὐδὲν πρὸς τὸν νῦν λόγον, nihil ad præſentem rationẽ, ait Ariſtoteles: quia punctum, & forma rei phyſicæ, ſic æterna eſſent. at forma tamen omnis ejuſmodi eſſe nõ poteſt. Rejectis igitur his elẽchis, & alieni & inconſequentis, repetitur illud argumentum, & pleniús concluditur: Si motus ſit æternus, movens primum eſt æternum: quia perpetui motus cauſſa non poteſt eſſe, niſi perpetua: at motum æternũ eſſe docent ortus rerũ & interitus perpetui: primum igitur movens, eſt æternum. Hæc ſumma eſt ariſtoteleæ rationis, propoſitione conſtans, aſſumptione falſa & impia, ut dixi: neque enim ortus rerum vel interitus ſempiterni ſunt, & πλάσμα Ariſtotelis illud eſt, ac ſine ſolido argumento, ἄλογον ἀξίωμα. Sed tamen Ariſtotelis ad hãc aſſumptionem diſputatio valde ſpinoſa eſt. Statuit enim, quód ſeipſum movẽs ſit magnitudine præditum: quia nihil impartibile moveatur. primùm diſſeruit antea, nihil moveri à ſeipſo: & impartibile ſuos enã motus habere poteſt, ut animus, ut Deus, quemadmodũ jam diſſerui. Movens tamen, poteſt eſſe impartibile, ait. At, inquam, ut movens, ſic & mobile, impartibile eſſe poteſt: ut naturalis forma. Tum aſſumptionis proſyllogiſmus ille (quod æterni cauſſa ſit æterna) valdè obſcuré traducitur. Quãvis ſint decies millena principia immobilium quidẽ, ſed moventium, & quamlibet è ſeipſa moventibus multa, quæ tũ intereant, tum naſcantur: nihilominus eſſe neceſſe eſt aliquid, quod ſuo complexu contineat: idq; extra res ſingulas, quod cauſſa ſit, ut alia quidem ſint, alia non ſint: authorq; ſit perpetuæ mutationis, ipſumque aliis, aliaque ipſa cæteris cauſſam motus afferant. quæ poſtrema, ſequentium capitũ diſputationi de continuitate, parum convenient: ubi diſſeret Ariſtoteles, contiguorũ vel deinceps poſitorum moventium mobiliumq; nõ eſſe continuum motũ. Sed tamen ratiocinatio de movẽtis primi æternitate ita concluditur, ut phyſicus perſuadeat hominum generi, movens primum æternum eſſe: quia motus phyſicus & ſenſilis æternus ſit. Hæc ſacra eſt Ariſtotelis theologia, per quam Deo commodé accidit, quód ſenſibus noſtris res ſenſiles & palpabiles effecerit: alioqui ſine motu illo, Deus Ariſtoteli futurus non erat Deus. Ariſtoteles magnitudinẽ ſine ſenſu perceptibilem putat eſſe: Deum ſine phyſico motu nõ arbitratur. Tantó phyſici judicio purior magnitudo ſit, quàm Deus. Atque hæc æternitatis eſt demonſtratio: Sequitur de unitate primi moventis diſputatio brevior, quód primũ movens ſit unum, aut multa: ſed unum potiús, & è multis finita potiús, quàm infinita: quia cæteris paribus, finita infinitis optabiliora ſint: in iis enim quæ natura conſtant, finitum, & melius (ſi fieri poteſt) potius eſt aſſumendum. Satis autem unum fecerit, quód cúm immobile & æternum ſit, erit proximis principium motus, proximaq; ſecundis, & ſic deinceps, quæ rurſus conſequenti continuitati, ut ſuperiora illa repugnabũt.

Attamen unitas moventis primi, ea ſimplicitate á phyſico exponitur: & æternitatem præſtaret ita expoſitam eſſe, ne veritas illuſtris ſordido mendacio pollueretur. Veruntamē, ô Phyſici interpretes primum phyſicum recordamini, & cum octavo comparate. Diſputaverat primo illo phyſico noſter phyſicus, nō eſſe principium unum & immobile: in eoq; Meliſſum & Parmenidem actione acri ac vehementi accuſarat, tanquam ſophiſtas omni logica & argumenti & argumentationis deſtitutos: At jam mutata voluntate mutatoq; judicio, factus eſt orator noſter, illius cauſſæ patronus acrior ac vehementior. Ergo tandē Meliſsi Parmenidisq; principium immobile & unicum approbatur: fons in cæteris entibus & origo motus omnis. Ergo iſta eſt Ariſtotelis theologia captioſé in antiquis philoſophis ſpreta & contempta, malitioſeq; in aliam philoſophiam rejecta. Sed de hac re iterum poſtea. Reliqua pars capitis, tautologias abſurdas habet, primó abſurdiſsimæ partitionis illius dodecaedræ ad tertium caput propoſitæ: unde tamē non concluditur theſis propoſita, primum movēs æternum eſſe: ſed ſumitur ſine partitionis hujus argumento, quód unum principium ſit immobile: quæ theſis erat quinti capitis. Secūda tautologia eſt theſeos illius ad ſecundum caput diſputatæ, Utrúm animalia per ſe moveantur. Moventur (ait Phyſicus) á ſeipſis ſecūdum locum: attamen plerique ſunt phyſici animalis motus, quibus animal nequaquam á ſe ipſo moveatur, ut accretio, diminutio, reſpiratio. Horum veró cauſſa eſt comprehendens, & pleraq; ingredientium, ut alimentum: quod dum concoquitur, dormiunt animalia: dum digeritur ac diſtribuitur, excitant & movent ſeipſa, ſed primo principio externo. Hic τὸ περίχον iteratur ab Ariſtotele, ut antea. Atque ex iis argumentis, videlicet aptiſsimis, concluditur, primum movens æternum eſſe. Tertia tautologia eſt é quinto capite, quód motus per accidens, non ſit æternus: quod falſum jam putat Ariſtoteles in planetis, qui per accidēs á primo mobili moveantur, motu tamē æterno: Itaque tautologia ejuſmodi triplex, partē capitis hujus præcipuam ſuis nugis referſit. Diſſeritur tamē ad extremū, non ſolúm primum movens, ſed primū mobile, æternum eſſe: quia primus motor ſit æternus, generatioq; & corruptio rerum æterna: quæ nō eſſet, niſi primum mobile contrariis & locis & affectionibus contrarios quoque motus efficeret. Hæc decimo capiti hujus libri non ſatis convenient. Sed tamen heus Phyſice non magni videris æternitatē primi mobilis æſtimare, qui tantuli addixeris. Etenim qualis eſt illa concluſio? primum movens eſt æternum: ergo primum mobile æternum eſt? Hoc enim ſyllogiſmo judicioq; tuo, quid æternum nō facias? Cælum eſt tuo judicio æternum: ergo judicio eodem, mota á cælo ſunt æterna: ergo plātæ, pecudes, homines æterni: phyſica deniq; omnia æterna: nulla generatio, nulla corruptio: eam tamen phyſicē minimé omnium, phyſice noſter, approbaveris: quam totam doces eſſe mortalium & corruptibilium rerum. Quamobrem primi mobilis, adeoque & mundi æternitas, Ariſtotelis paralogiſmo ridiculo concluditur: Primum movens eſt æternum: fateor, inquam: Ergo primum mobile æternum. Hanc veró complexionem pernego, concludoq; capitis ſexti theſin veram piamq; eſſe, Movens primum eſſe æternum, ſed argumenta æternitatis falſa atq; impia, unde falſa atque impia concluſio ad primi mobilis æternitatem deducitur.

IN CAP. VII.

VEruntamen movens eſt aliquid primum, immobile, æternum, unum. Quid deinde? Phyſicus noſter tribus reliquis capitibus, theologiā ſuam de movente primo eſt oblitus, revertitur ad æternitatē motus: & é quinque capitibus ad motus æternitatē ſpectantibus, duo prima fuerunt: tria tandem rurſus erunt proxima. Itaq; Phyſicus noſter, tanquam diſputarit, ſpeciem aliquam motus æternam eſſe, nō autem genus ipſum motus æternū, diſſerit capitibus ſeptimo, octavo, nono, lationem converſionis, illum ipſum æternum motum eſſe. Caput igitur ſeptimum in quæſtione duplici occupatur: Latio eſt motuū prima: Latio ſola eſt continua. prior pauló latius agitur, quód latio cæteris motibus præſtet atq; excellat. Nam cúm tres ſint motus in quantitate, qualitate, loco: latio, alterationem præcediti nec

altera-

alterari res poteſt, niſi alterans loco propius accedat: Alteratio autem accretionē præcedit: quia res augetur ſimili aut diſsimili, quæ ſunt qualitatis. Atque hic interea dēſitas & raritas, efficiūtur principes phyſici corporis qualitates: unde grave, leve, molle, durum, calidum, frigidum oriantur: & ſic 4. cap. 1. phy. prima qualitatum phyſicarū oppoſitio tributa eſt denſitati & raritati: quod phyſicæ magnum quoddam principium eſt, magnopereq́; conſiderandum. Optica verò quæ poſt geometriā prima in res phyſicas ingreditur, lucem & colorē, in deq́; denſitatem & raritatem cōtemplatur, grave, leve, calidum, frigidum, humidum, ſiccū nihil contemplatur. Hoc minime dubium argumentum ſit, denſitatem & raritatem qualitates eſſe priores, gravi, levi, calido, frigido, humido, ſicco. Sed lationis principatum ita confirmat Ariſtoteles, argumento leviſſimo, cuius contrarium perinde probabile ſit. Sed tamen eam perſuaſionem Phyſicus plenius aggreditur, tripartita prioris ſignificatione: quòd prius dicatur cōſequentia, tēpore, eſſentia ſeu natura. Hic enim Ariſtoteli κατ' οὐσίαν primum, deinde τῇ φύσει, pro eodem eſt. De partitionis huius inconſtantia, in logicis ad caput de methodo à nobis dictum eſt amplius, ne quid huc repetatur. Latio igitur (ait Ariſtoteles) prima eſt ſecundum conſequentiam: quia ſi ſit accretio diminutio verſi ſit alteratio, eſt latio, non contrà. At tautologia hæc inanis eſt, è primo illo argumento: deinde eſt prima ſecundum tempus, ob eandem primi argumenti cauſſam. At hoc argumentum etiam falſum eſt: neque magis latio cæteros motus antecedit tempore, quàm cōſequentia. Atque hic Ariſtoteles obiicit ſibi, antè rem genitam eſſe, quàm loco moveatur: ſed reſpōdet, quòd genitor, loco antè motus ſit. Veruntamen, inquam, genitor iſte antè genitus eſt, quàm loco moveretur: & eſſentiam prius fuiſſe natura fert, quàm eſſentiæ quicquam è loco acciderit. Subiectum enim ſuis accidētibus eſt prius λόγῳ, γνώσει, χρόνῳ, φύσει. ratione, notione, tēpore, natura, ut Ariſtoteles ipſe ait 11. cap. 7. phil. Quare prolepſis iſta, totum theſeos ſophiſma prodidit. Sed pars diviſionis reliqua magis eſt animadvertenda, quòd latio ſit prima ſecundum eſſentiam & naturam. Omnino autem videtur (ait Phyſicus) quod ſit imperfectum, & ire ad principium: itaq́; poſterius ortu, naturá prius eſt. latio autem, eſt ortu poſtrema omnium motuum: itaque è viventibus pleraq́; immobilia ſunt loco, propter inſtrumenti defectum, ut plantæ & pleraque animalium genera. Quare latio eſt ſecundum eſſentiam & naturam prima. Hic ſyllogiſmus eſt Ariſtotelis, partibus omnibus valdè præceps & lubricus: Itaque conſiſtamus in ſingulis. Theſis eſt de principatu motuum: attributus autem eſt lationi, quia prima eſſet conſequētia, & tempore. quod utrumque falſum eſſe diximus: nunc attribuitur, quia prima ſit ſecundum eſſentiam, ortuque poſterius ſit natura, & eſſentia prius. Verùm in categoriis, τῇ φύσει καὶ τῇ οὐσίᾳ idem fuit. quod ſi nunc Ariſtoteles intelligat, fallet: Nec enim ſpeciale generalibus, ſed generale ſpecialibus cauſſa prius eſt: & generalia antè gignuntur. Sin Ariſtoteles intelligat eſſentiam pro excellentia quadam complurium differentiarum, ſpecies quidem ſic erit prior genere, quia generis eſſentiam una differentia ſuperat: & ſic à Porphyrio definitur differentia, qua genus ſuperatur à ſpecie. & 6. cap. 1. phil. Alexander ſic interpretatur, ortu poſterius, natura prius eſſe: imò Ariſtoteles ipſe 8. cap. 9. metaphy. hoc idem axioma (Ortu poſteriora, priora eſſe naturâ) interpretatur perfectiora & abſolutiora: ut virum puero. Ergo poſtrema iſta prioris ſpecie, Ariſtoteles ſuperiora duo ſophiſmata refutabit, lationem neque conſequentia, neque tempore primā eſſe, cùm ortu temporeque poſtrema ſit. O' Penelopeam philoſophi telam! Partitionis duæ partes, prima & altera, validis argumentis contexuntur, lationem, conſequentia & tempore, cæteris motibus priorem eſſe: tertia pars ad extremum retexit omnia: latio eſt prior eſſentia, quia poſterior eſt ortu: Ergo, inquam, neque conſequentia, neque tempore prior eſt. Addit Ariſtoteles ad extremum, latione ſubſtantiam nihil mutari, cæteris motibus mutari: Ideoque lationem præſtare: imò verò totum contra eſt: Minùs movet eſſentiam: Ergo minùs motus eſt. Addit etiam illud, propriè motum dici ſeipſa

moventium, qualis eſt latio ſola. At Ariſtoteles antea diſſeruit 2. cap. 3. phyſ. lationis verbum improprium eſſe, & tantùm valere in rebus inanimatis: & ſæpe aliàs docuit, à ſeipſo nihil moveri. Itaq; tota theſis iſta de principatu lationis ſupra motus reliquos, vanitatis ridiculæ plena deprehenditur. Altera capitis hujus quæſtio brevius explicatur, Quód latio ſola ſit continua: cum terminis oppoſitis (ut cæteri motus) minimè contineatur. Etenim, inquam, poſitis duobus diametris in circulo punctis, motus ab iis per eundem ſemicirculum oppoſiti erunt. Nam & phyſicus ipſe ait deinde nil referre, quo genere oppoſitionis oppoſiti ſint termini, ſeu adverſi, ſeu contradicẽtes vel privantes, ſeu idem etiam pluribus opponatur: modò diverſa oppoſitionis ſpecie, ut motus motui adverſus, motus quieti oppoſitus, ut habitus privationi, ſatis eſſe deniq;, quód ſimul eſſe non poſsint. At, inquam, motus è punctis in ſemicirculo diametris, ſimul eſſe non poſſunt, alterq; alterum tollat, atq; evertat, neceſſe eſt. Quapropter cõtinuitas lationis tam ſophiſticè aſſeritur, quàm aſſertus eſt ille principatus lationis ſupra motus reliquos.

IN CAP. VIII.

SEd tamen generaliter diſputatum eſt de continuitate lationis, ſpecialiter deinceps agitur de continuitate converſionis: Latio, eſt motuum prima: Latio, eſt ſola continua, caput ſeptimum fuit. Quænam igitur latio? utrùm recta, an circularis, an ex iis miſta? Sic enim trifariam Ariſtoteles partitur. Elegantius autem partitus eſſet bifariam in lationém ſimplicem & miſtam: Simplicem, rectam & circularem. Sed tamen prætereatur hic elenchus: de miſta latione (ait) non eſt quærendum, niſi de ſimplicibus antè conſtiterit. Recta autem latio non poteſt eſſe continua. quid ita? nonne curſus Herculis in ſtadio rectus & continuus eſſe poteſt? At dices, continuus pro perpetuo atq; æterno intelligitur. Verùm, inquã, Ariſtoteles id oratione ſua non exprimit: Sed tamen cur motus rectus non poteſt eſſe continuus ſeu æternus? quia (reſpondet Phyſicus) motus rectus continuatus reflecteretur contrariis motibus, inter quos intermediæ quietis tempus aliquod intercedere neceſſe ſit. Itaq; continuus non eſſet. At, inquam, generationes rerum æternas arbitraris eſſe, neq; iſto interjectæ quietis tempore interruptas, quominus perpetuæ ſint, atq; æternæ. ſextoq; capite longè alia phyſica fuit de perpetuo continuoq; motu, quò movẽs primum, aliis cauſſam motus affert, aliaq; ipſa rurſus aliis: item movens primum, immobile, æternum eſt proximis principium motus, proximaq; ipſa ſecundis: Ergo continuus, id eſt perpetuus atque æternus, Ariſtotelis judicio, motus eſt tamẽ, enã non converſionis, non lationis. Eſt autẽ logica Ariſtotelis ſex totis in hoc continuitatis argumentum paginis mirificè continuata. Initio repetuntur contrarietates loci, ſurſum, deorſum, prorſum, rurſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum: quæ antea 4. cap. 3. phyſ. fuerunt dictæ ſpecies & differẽtiæ, & 1. cap. 4. phyſ. partes & ſpecies. Repetitur tripartita illa partitio de rebus in motu neceſſariis, ſed aliter. Hic enim tria requiruntur, mobile, tempus, locus. At 5. cap. 6. tria illa fuerunt, mobile, tempus, inſtrumẽtum. Deinde verò digreſsio eſt in Zenonis ſophiſmata: Quód motus ex quietibus videretur componi: Quód infinita media tempore finito pertranſiri non poſſunt: Quód idem videretur eſſe & non ens & ens: in iiſq; argutandis tres totæ paginæ conſumuntur. Enimverò Ariſtoteli ſophiſtarum artes inſtruẽti, ſapiente viro dignum quoq; viſum eſt nihil ignorare: & veriſimile eſt, iſtam ſapientiæ laudem, nugas iſtas argutanti propoſitam fuiſſe. Sed per muſas omnes cujuſq; ſapientiæ præſides, quãtó laudabilius fuerit, fatuas res atque ineptas ignoraſſe? quantó etiam glorioſius fuerit, nunquã propoſuiſſe? nunquam publicaſſe? imò ſempiterna oblivione cõtriviſſe, ne quiſquam his tricis apiniſq; vitam virtuti alioqui & ſapientiæ natam conſumeret? At quoties ſophiſmata iſta Zenonis, Ariſtoteli redeunt in mentem? ἀκροασία enim illa fuit 3. cap. 1. phyſ. deinde 1. & 5. cap. 4. phy. tum novũ caput integrum ſexti phyſici. Ita ſexto loco, Zenonis eadem phyſica tam bella phyſico noſtro tamq; chara perſpicitur. Zeno autẽ ille, Zenones, neſcio quot antè ſeculis, eheu, quã Zenonios in omnibus artibus tandem pe-

dem peperit? Quæſtionarii à ſuis, magni nominis ergô, appellari ſunt, & tanta in his ſophiſmans educatorum homínum pertinacia defenſi, ut in Academia Pariſienſi ipſam Palladis arcem adhuc occupent. Sed de iis procemiũ Pariſienſis Academiæ ſatis: Redeamus ad Ariſtotelem, qui ſophiſmatis iſtis Zenonis occupatus, ait: Non poſsibile eſt in tempora individua dividi tempus. Hæc denique Ariſtoteli ſapientia reſtabat ad Zenonis ſapiẽtiam exæquandum. Verùm ſatis inſana illa infinitas antè refutata eſt: ab iis ſophiſmatis abeamus: regrediamur ab iſta digreſsione. Continuatur refutatio cõtinuatæ reflexionis: qua componitur è contrariis motibus intermediæ quietis ſpatium admittentibus. Atqui, inquam, eſt non modo reflexio nulla perpetua, ſed nulla omnino mutatio: Id enim eſt quod Platoni contra te probatur: & antea omnia æternitatis tuæ argumenta refutata ſunt.

IN CAP. IX.

VEruntamen latio ſola eſt cõtinua, quia ſola non continetur contrariis terminis, diſſeruit caput ſeptimum: cónverſio ſola eſt continua, quia reflexio non eſt cõtinua, diſſeruit caput octavum. Quid deinde? Continuatur quæſtio de continuitate cõverſionis, & argumentis & teſtimoniis. Agedum, ſingula auſcultemus, quamobrem converſio ſola ſit continua. primum eſt, quod ſola contrariis terminis non connecatur. At, inquam, tautologia hæc inanis eſt è ſuperiore capite: & jam antea refutata. Ex hoc autem primo argumento, digreſsio eſt in errorẽ phyſicorum, omnia ſenſilia ſemper moveri affirmantiũ: Verùm errẽt: ἰδίᾳ γὰρ πρὸς τὸν νῦν λόγον. Perge ad ſecundum argumentum. Simplicius (ait Phyſicus) & perfectius, eſt prius τῇ φύσει, καὶ λόγῳ, καὶ χρόνῳ. natura, & ratione, & tempore. Peripheria autem ſimplicior & perfectior eſt primò, quàm miſtũ è recto & rotundo: quia peripheria, pars eſt miſti. deinde quàm rectum, quia illa perpetuum motum & infinitum capere poteſt, rectum non poteſt, ne reflexione quidem. in peripheria nihil primum, nihil medium, nil extremum: quæ omnia ſunt in recta. Quare peripheria rectam præcedit. At, inquam, ſi vera eſſet iſta ratiocinatio, attamen ἰδίᾳ πρὸς τὸν νῦν λόγον.

quia nõ agitur de principatu motuum: hæc enim theſis fuit ſeptimi capitis: ſed utrùm converſio ſola ſit continua: & tamen hoc etiam argumentum falſum eſt. Etenim propoſitio illa qualis eſt? perfectum eſſe prius natura, & tempore, falſa omnino eſt. Omnia ſiquidem quæ natura cõſtant, à parvis initiis profecta, paulatim augẽtur, tandemq́ perfectionem & abſolutionem aſſequũtur. Aſſumptio autem qualis item eſt? peripheria eſt ſimplicior & perfectior, quàm linea miſta è recto & rotundo: quia pars ſimplicior quidem eſt hoc argumento, non perfectior: deinde ſimplicior & perfectior, quàm recta, quia infinitum motum capere poteſt. At, inquam, hoc argumentum quæſtionem petit: deinde falſum id etiam eſt. Infinitum enim in motu nihil eſſe patuit: & tamen rectum prius eſſe rotundo unum argumentum Ariſtotelem manifeſtiſsimè convincit: quia rotundum fit ope recti, non contrà: peripheria enim, converſione rectæ: ſphæra, converſione ſemicirculi efficitur. Eſt rotundum: ergo rectum præceſsit, unde factũ eſt, non contrà. Hoc argumentum Ariſtoteli propoſitum eſſe debuit: quod in eadem quæſtione Proclo in rectæ definitione propoſitum fuit: & tamen Platoni & Ptolemæo, rotundũ πολυγωνία eſt: imò verò Ariſtoteli 8. cap. 3. de cælo, ὁ πολυγωνία, ἀλλ' ὅλη γωνία. Tum verò falſum eſt, in rotũdo nihil eſſe primum, nil medium, nil ſummũ, qualia ſunt in recto: ſed uno centro omnia hæc contineri. Nam, inquam, ſi baſis vertexq́ diametro deſignetur, principiũ finiſq́ apparebit: vel ſi aliter, dextram ſiniſtramq́ diameter effecerit, principium finemq́ effeceris: quomodo geographi longitudinem rotundæ terræ metiũtur. atq́ id etiam Ariſtoteles poſtea 10. cap. cõfirmabit. Quare geometria hæc valde ἀγεωμέτρητος appareat: quin Ariſtoteles ipſe 10. cap. 8. phyſ. in rotũdo, principia duo reperiet, & appellabit medium & circulum, id eſt extremum: totaq́ hęc argumentatio, ad probandum rotundum ſimplicius eſſe recto, fallax & ſophiſtica eſt. Atq́ hoc tamen (ut dixi) ſecundum tam multiplex argumentum, de ſimplicitate recti & rotundi, nihil ad theſin continuitatis attinet: Sed Phyſicus redit ad problema, & tertium, de converſionis cõtinuitate ar-

gumentum profert: Converſio, eſt menſura motuum: ergo prima motuum, & viciſſim, quia prima motuũ, ideo menſura. At, inquam, nõ jam de principatu, ſed de continuitate certatur: Latio, menſura temporis illa quidem eſt, ut antea dixi: tempus nõ eſt: nec tamẽ quia menſura ſit, prima eſt. Nã peripheria Solis, eſt menſura lationis etiam primæ, neq; tamen prima. Argumentum quartum ſimile eſt: Converſio eſt æquabilis, & ſui ſemper ſimilis: latio recta tardior initio, velocior in fine eſt, neq; æquabilitatem hanc retinere poteſt. At, inquam, recta & peripheria, æquabiles quidem ſunt: ſed recta tamẽ ęquabilitate iſta prior, & tam æquabilis curſus in ſtadio rect⁹ eſſe poſſit, quám cõverſus in circo á carceribus per metam ad ipſos carceres. Sententia autẽ Ariſtotelis de recti motus anomalia (ut hic Ariſtoteles ipſe loquitur quoſdam cõmovit, ut in motu ejuſmodi geometricam progreſſionem ſtatuerẽt. Sed hac de re aliâs. Præſentem quæſtionem cõcludo. Quatuor Ariſtotelis argumenta nihil agunt. Quare tota iſta peripheriæ ſupra rectam excellentia commentitia eſt, & tamen prior eſto peripheria: quid tum? οὐδὲν γὰρ πρὸς τὸν νῦν λόγον. Neque principatus iſte, continuitatem propoſitam coarguit. Ergo quatuor bis argumentis, ſoli converſioni continuitas ſophiſticé & captioſé vindicatur. Quid deinde? teſtimonia omnium phyſiologorum, qui de motu unquam præceperint, principatum lationi tribuentium, proferuntur: διάκρισις καὶ σύγκρισις Empedoclis & Anaxagoræ, ſunt lationes: ſic enim movent amicitia & diſcordia: ſic mens movet & exornat mundũ: Sic Democritus & Leucippus naturam per vacuum moveri ajunt, creſcereq; & decreſcere copulatis aut ſegregatis atomis: Sic phyſici omnes, qui denſitate & raritate ortum rerum interitumq; efficiunt: Sic Plato, animæ principium motus attribuens, animalia omninoq; animata, τὴν κατὰ τόπον αὐτοκίνησιν, ſecundùm locum ipſo motu moveri exiſtimat. Et proprié veró ſimpliciterq; ſecũdùm locum motus dicitur accretio, diminutio, alteratio: modo quodam non proprié ſimpliciterq; motus dicatur. Hæc teſtimonia ad iſtam cauſſam ita proferuntur ab Ariſtotele, magnam quidem partẽ ſubornata confictaq;, fide quidẽ ac religione eadem, qua diximus antea tales perſuaſiones ab oratore iſto cõparari. Neq; tamen teſtes iſti loquũtur id, quod eos loqui Phyſicus noſter ait: & ſi loquerentur, lationem, motuum primam eſſe: nihil tamen Ariſtotelis cauſſæ prodeſſent: οὐδὲν γὰρ πρὸς τὸν νῦν λόγον. Quæſtio nunc eſt, utrùm ſola converſio ſit continua æternaq;. Omnes (ais) Phyſici uno ore teſtificantur lationem, motuum eſſe primam. Tuum, inquã, problema tibi non eſt ejuſmodi nono capite propoſitum: ſeptimo capite theſis illa tibi fuerat, lationem, motuũ primam eſſe: illuc iſtos teſtes cõparare debuiſti. Totus octavus liber, nil niſi ęternitates crepat, ut ſextus infinitates crepuit: motum æternũ, non tamen quemlibet, ſed lationem: neq; tamen lationem quamlibet, ſed converſionem. at converſio æterna nulla demonſtratur. Quamobrem ſi quis Empedocles, ſi quis Zeno ab Ariſtotele de tantis ſophiſmatis argueretur, quos cachinnos Porphyrius, Procl⁹, Simplicius tollerent? ὦ σοφῶς καὶ θείως exclamarent, hæc ab Ariſtotele diſputari. At Chriſtianorũ viles animæ, Grammatici ignari fuſtuarium meriti videantur, ſi de tantis Ariſtotelis, tamq; importunis flagitiis Ariſtoteleos admoneant. Ariſtoteles amentes antea dixit eſſe, qui dicerent omnia moveri: equidẽ qui iſta commentorum portenta doceat, quomodo appellandus ſit, ab eodem libenter audierim.

IN CAP. X.

AGedũ, quinq; capita, motus æternitatem diſſeruerunt, motum eſſe æternũ: errare qui nõ putent æternum: motumq; æternum nõ quemlibet cõtinuum, ſed lationem: neq; lationem quamlibet, ſed converſionẽ. Caput unũ supereſt de moventis ultima qualitate, Quód ſit ſine parte, ſine magnitudine. In quo mirabere quatuor totis paginis res tam varias, tamq; á quæſtione alienas á Phyſico congregari: vix unquam diſſolutior adhuc Phyſicus noſter apparuerit. Problema ipſum per ſe ridiculum eſt, quærere, utrùm Deus partem & magnitudinem habeat: cùm forma quælibet non modó divina & æterna, partis & magnitudinis ſit expers: ſed tamẽ ad iſtam demonſtrationem, prælonga ante te

té tela contexitur trium theorematum: item quæſtionis prælongæ, quomodo á ſeipſis non mota moveantur: tum quiſquiliarum varii generis variarum. Eheu (dices) quantus & quám inanis labor? Sané: & tamen quoniam hactenus pervenimus, hic etiam labor nobis eſt devorandus. Theorema primum eſt, Finitum non movet infinito tempore. Recté eſt: & pro iſto theoremate magnã etiam habeo Phyſico gratiam. Etenim Phyſice φυσικώτατε, cælum eſt finitum, & magnitudine finita veſtitum, ut tertio in libro de infinito diſputans, nos docuiſti! Ergo nõ movet cætera ſibi ſubjecta infinito tempore. Vides quomodo iſto veriſſimo theoremate, tota ſuperior acroaſis de mundi æternitate ſubvertatur? Atq; hic interea tria in motu requirũtur, motum, movens, tempus. Verùm cõſtantia Phyſici noſtri hac in re prorſus eſt admirabilis: Nam 1. cap. 5. phyſ. quinq; requirebantur, movens, mobile, tempus, terminus á quo, terminus ad quem: Deinde 5. cap. 6. tria, mobile, movens, inſtrumentum: tandẽ 8. cap. 8. tria rurſus alia, mobile, tempus, locus: & tamen in hoc philoſopho, varietas & inconſtantia, Ammoniis & Simpliciis conſtantia erit ſumma. Perge: dic alterum theorema: Finiti potentia non eſt infinita, ait Phyſicus. At, inquam, hic etiam granã habeo aliam: theorema hoc ſecundũ, etiam authorem ſuũ conficiet, & Platonẽ ab Ariſtotele vindicabit: Aſſumatur enim: At cælum finitum eſt. tum concludatur, Igitur nõ eſt infinitæ potẽtiæ: neq; ideo ſempiterno rerum ortui corruptioniq; ſufficiet. O philoſophum elegantẽ & lepidum! Quoties jã monui, ſingularia Ariſtotelis eſſe beneficia, quód acroaſin tã infinitis ſophiſmatis obrutã planeq; ſepultã excitemus & vindicemus? Ecquid Ammonius, Porphyrius, Proclus, Simplicius, ad hæc epicheremata noſtra reſpondeant? probra & cõtumelias objicient, ut Grammatico ſimiliter ariſtotelicam impietatem refellenti objecerunt: dicent infinitam potẽtiam ambigué intelligi, actione & paſsione: infinitam potentiam in Deo dici actione, in cælo paſſione: quia Deus infinité agere, cælũ infinité pati poſsit. Enimvero Grammaticus iſto loco Chameleontem Ariſtotelẽ nominabat. At interpretes iſtos juſtiore nominis hujus titulo dixerim, qui colore iſto tã nebuloſo aciẽ noſtrã præſtringere conentur. Verùm Simplici ſimpliciſsime, quid iſto loco Grãmaticum ut ignarũ & impiũ calumniaris? Cælũ (ais) infinité pati poteſt, & moveri, nihil agere, nil movere. At, inquã, lõgé ſecús ſexto capite duobus locis locutus es, quód cælũ á primo movẽte quidẽ moveatur, ſed ipſum motũ moveat deinde alia: itẽ quód cõtrariis & locis & affectionibus cõtrarios motus efficiat: ſic 6. cap. 8. phyſici, antea docuit Ariſtoteles, primũ mobile æternũ eſſe, nõ ſolùm quia moveretur ab æterno movẽte, ſed quia moveat res ſibi ſubjectas, unde ortus rerũ futuri exiſtunt. Sic antea Sól & homo generarunt hominẽ: ſic póſtea locis ſexcẽtis docebitur, omnia cælo ſubjecta, á cælo authore & tanquã parente procreari. Verùm Aſtrologi fortaſſe Simplicio ſuccurrẽt, & negabũt ullã in cælo & aſtris ἐνέργειαν, ullã actionis potentiã eſſe. Sed heus Ariſtotelei, quid iſta potentiæ activæ & paſſivæ diſtinctione efficitis? Si cæli potentia, paſsionis tãtùm eſſet, multó celeriùs faciliusq; corrumperetur, quàm ſi eſſet actionis. Etenim ſic pauló póſt Ariſtoteles primo moventi ſuam æternitatẽ conſervat, quia moveat tantùm, non etiam moveatur: Idq; ἄπονον & ſine labore eſſe ait. Itaq; ſi interpretes Ariſtotelis verum diſtinctione ſua reperierint, interitum cælo, non æternitatem afferẽt. Ecquid iſtis interpretibus tam deſperatis facias? Perge ad tertium theorema: Infiniti potẽtia non eſt finita. Verùm, inquã, & tria theoremata unico theoremate melius inſtituerẽtur: Finiti potẽtia eſt finita: unde ſequeretur, infiniti potẽtiam eſſe infinitã: non autẽ finiti infinitã, neq; infiniti finitam. Interea veró ariſtotelica theorematum iſtorum demonſtratio, abecedariis exemplis ſingularis eſt. In tertii aũt theorematis demonſtratione, exemplum eſt non prætermittendum. Si enim in aliquo tanta potentia, major in minore quidem fuerit, ſed definito tempore ſecundum converſionem proportionis. Hæc autem proportio eadem 1. cap. 1. de cælo, ἡ ἀναλογία ἀνάπαλιν dicitur. κατὰ τὴν ἀντιστρέφουσαν ἀναλογίαν. Eadem 2 d 5 elementorum nomine reciprocationis definitur. Verùm adhuc tria Ariſtotelis theoremata fuerunt: theſis de

primo motore impartibili nihil adhuc diſputatur, ad quam é tribus theorematis primum & ſecundum utcumque referentur, tertium ne appellabitur quidē: & tamen tota hæc tria theoremata, de infinito tempore, infinitaque potētia, ad quæſtionem magnitudinis ſophiſtico & ambiguo ſenſu referuntur, cúm in magnitudine finitio & infinitio ad extenſionē continuitatis attineant, quæ in tempore & potentia nulla eſt: ut Ariſtoteles antea nos docuit: magnitudinē eſſe per ſe continuam, motum per magnitudinē, tempus per motum. Agedum, acroaſis proxima audiatur. Inſcritur quæſtio, Quomodo non mota á ſeipſis moveantur: ut projecta nempe. Quorſum, inquam, iſta quæſtio, aut quid ad problema de moventis primi æternique magnitudine? His enim tam putidis ſophiſmatis equidem non ſuccenſere diutius nequeo: temeré ſine ulla quæſtionis cauſſa, tot nugas aggregari undique, ecquis non caudex ac ſtipes, æquo animo ferat? Perge tamen, quid deinde? Solutio Platonis (ut hic quidam interpretes ajunt) rejicitur, quód projectum ideo moveatur, quia ſimul motor primus moveat aliquid, ut aërem, qui motus deinde projectum moveat. Interpretes autē locum Platonis proferre debuerant. Hanc igitur attributam Platoni phyſicam ſic Ariſtoteles refellit: Si ſimul utrumque fieret, remoto motore primo, ceſſaret motus. quare ſolutio hæc improbatur, aliaque deinde Ariſtoteli probabilior ſolutio explicatur, Projectum moveri, quia á primo movente vis quædam imprimatur mobili proximo, quod motum moveat ſecundum: idque fiat non ſimul, ſed deinceps in reliquo projectionis motu, hactenus durante, dum vis impreſſa defierit: attamen hic motus, quamvis appareat, nō eſt continuus, ait Phyſicus: propter diverſitatem mobilium contiguorum, aut deinceps poſitorum: quæ ſexto capiti non conveniunt, ut dixi: talēque motum fieri in aëre vel in aqua, quem quidam antiperiſtaſin nominant. Sed tamē antiperiſtaſis (quam 8. cap. 4. probare videbatur Ariſtoteles, quamque 2. cap. 7. phyſ. in projectionis motu prætерiit) videtur Ariſtoteles improbare, quia ſimul faciat omnia moveri & movere. quæ ſolutio illa Platonis eſſet, imó quæ Platoni ab Alexādro attribuitur, ſed falſó, ut Simplicius é Platonis Timæo docet & tamen ut 8: cap. 4, 2 cap. 7 jam dictum eſt, ἀντιπερίστασις iſta etiam ariſtotelea eſt, tam vaga, tamque volatica hæc doctrina deprehenditur. Quamobrē hanc etiam bellam quæſtionē Ariſtoteles ingenii cauſſa cōmentus eſt. Vah! quàm feſtivum & ridiculum philoſophū habemus! quæſtionem ſibi poſuit, quód primum movens nullam magnitudinē habeat: hanc obliviſcitur: quicquid in buccam venerit, eloquitur: ad rem, præter rē, nihil laborat. Verùm logicis legibus ſolutiſsime ac liberrime Phyſice, quādo tandem res agetur? Nondum, inquies: Sed priús primum motū, & cōtinuum, & unum, & ab uno mobili, & unam magnitudinem habente, & ab uno movente intelligi neceſſe eſt. Perge, inquā, quid tum poſtea? Movens primum, quia nō movetur, movere perpetuó poteſt: ἄπονον γὰρ καὶ τὸ οὕτω κινεῖν. ſine labore enim eſt ſic movere. Atqui, inquam, hæc ſacra ſunt ariſtoteleæ theologię myſteria, quę jā ſexto capite explicari cœpta ſunt, movens primum, eſſe principium æternum & unum, & immobile, ideoque idoneum ad æternum motum: & nunc, quia movet, immotum, idcirco ſic movere minimé laborioſum videtur. Iſta phyſico eadē ſolicitudo fuit ad 1. cap. 2. de cælo: ſed de cælo quod liberum ſit omni difficultate & labore mortali: eadem ſolicitudo fuit 8. ca. 9. metaphyſ. Aſtra (inquit) æterno motu nō defatigantur: Motus enim ipſis non uti rebus caducis atque mortalibus, per contradictionis potentiā competit, ut mot⁹ laborioſa ſit ipſa cōtinuatio. Atque hęc æternitatis in movēte cauſſa eſt ariſtotelea: Primum movēs eſt æternum, quia movet, non movetur. Ergo, inquam, ſi cælum tantúm moveatur, nō moveat, caducum potiús quàm æternū fuerit. Verúm agite, quid iſta æternitas ad magnitudinis quæſtionē? problema enim nondum diſſeritur, primum movēs ſine parte eſſe, ſine magnitudine. Sané (inquies) & alia præterea interſerenda ſunt. Motū primum eſſe æquabilem, vel ſolum, vel maximé: quia movēs primum nullā mutationē habeat, quale debeat eſſe primum mobile ab eo ipſo motum, ut conſimilis ſit motus. Hic primo mobili multū tribuitur, ut pené fiat par motori

motori primo: quód utrumq; mutationem non habeat. Utrúm etiam primum mobile Ariſtoteli erit immobile? quid enim ſibi vult illud, nullam mutationē habere? Equidem ſæpe adducor, ut exiſtímem libris Ariſtotelis ab aliquo Ariſtotelis inimico tam abſurdas ſentētias, tamq; ſuperioribus ejuſdē authoris ſententiis contrarias, intextas eſſe. At pauló póſt deruetur aliquid ex iſto cumulo. Quid tum poſtea, poſtq; aliena tam multa? quæritur primi moventis ſedes & tanquam ſolium. Primum movēs eſt in centro, aut in peripheria, ait Phyſicus: quia duo illa rotundi principia ſunt. In ſumma aūt mundi ſuperficiē potius eſt, quia illic fit motus velociſsimus. Atqui, inquam, 9. cap. 8. phyſici pauló antè negabat Ariſtoteles in rotundo principiū, medium, finem ullum eſſe: quæ (ſuperis gratia) iſto loco inventa ſunt. Veruntamen, diſputator admirande, quādo problema tibi propoſitum diſputabis? Habet (ait Phyſicus) dubitationem, utrúm mobile moveat continué: & tandem reſpondet idem quod antea, in projectis continuum motum non eſſe á mobili, ſed á movente immobili, quia ſimiliter ſemper habeat. Ergo, inquam, cōtinuus motus etiā erit non converſionis, quod Phyſicus noſter ſeipſum refellendo, tam verboſé antea diſſeruit. Verúm nunquā ne problema illud noſtrū concludetur? nunquamne de re nobis propoſita diſſeretur, primum movens eſſe ſine parte, ſine magnitudine? Imò (inquies) tandē aliquando, tantoq; brevius, quantó illa aliena prolixiora fuerūt. Ergo jam Phyſicum noſtrū nemo reprehendat, ut obliviosum: quæſtionem tandem aggreditur. Definitis igitur his (ait Phyſicus) manifeſtum eſt, primum movens ſine magnitudine eſſe. Si primum movens (ait) magnitudinem habeat, habebit finitam vel infinitam. Sed neq; infinitam habet, quia nulla eſt, ut antea patuit tertio libro: neq; finitam, quia magnitudo finita infinitam vim habere non poteſt, neque movere infinito tempore. Hæc theoremata primum & ſecundum fuerunt. Quare primum movens eſt ſine magnitudine. O logicum logicas artes penitus oblitū? Ut Deum probares ſine magnitudine eſſe, quod erat (ut dixi) per ſe clariſsimum, tot tibi mæandros, tot alienarum rerum elenchos opus eſſe duxiſti? Verùm in iſto ſyllogiſmo aſſumitur infinitas temporis, quæ videlicet quarto & ſexto libro antea per ſophiſmata Ariſtotelis patuit: at nō aſſumitur, quód primum movens habeat infinitam potentiam: neq; uſquam diſertè exprimitur ab Ariſtotele in tota acroaſi: quod tamen hic præcipuū erat, ut infiniti & motus & temporis cauſſam potentiamq; infinitam cognoſceremus. An cùm aſſumit Phyſicus primum movēs æternum eſſe, intelligit æternitatis nomine, infinitam potentiam? At ſic cælo, & motui, & tempori infinita potentia attribueretur: & quidem ſexto antè capite, finitum in natura infinito præponi videbatur, ut ne Deo quidē potentia relinqueretur infinita: & ſic in ſacra primæ philoſophiæ theologia dicetur, á Deo non omnia intelligi: quia melius ſit quædā non videre, quám videre. Quid igitur? an quod erat in iſta demōſtratione præcipué premendum & urgendum (divinam potentiam infinitam eſſe) id præcipuè Ariſtoteles oblitus eſt? Finitū non movet æterno tempore: finiti potentia non eſt infinita: Infiniti potentia non eſt finita: tribus theorematis diſſeruit Ariſtoteles. At infiniti potentiam eſſe infinitam, nuſquam nominatim dixit: & tamen niſi id obtineat, non poſsit eò pervenire, quò velit: neq; concludere, primum movens eſſe ſine finita magnitudine: quia finitæ magnitudini opponit infinitam potentiam: quā tamen non demonſtrat in primo movēte. Veruntamen quænā cauſſa Phyſicum noſtrū tātopere ſolicitavit, ut rem alioqui vulgarē, tam multis rebus ageret? Metus (ni fallor) Socraticæ cicutæ hic aliquis fuit, ne contra Joves & Saturnos reliquosq; deos impié philoſophari videretur, ſi magnitudinem illis, proindeq; formam hominis eripere videretur: illos nimirū deos ἀνθρωποειδεῖς humana ſpecie & figura hic nullos eſſe diſputat occultiús: quod pauló apertiús in philoſophia prima diſſeret: tantó in hoc pleriſq; Chriſtianis ethnicus philoſophus religioſior, qui etiam Trinitatis (quæ mēte vix comprehēdatur) figuras oculis corporis aſpectabiles in templis collocent. Sed jam perorādi tempus eſt, & ſecundam phyſicæ acroaſeos partem concludendi, in qua equidem quot & qualia

qualia philoſophi noſtri judi[illegible]a ad Platonis phyſicam refutãdum animadverſa ſint, meminiſſe horret. Motus tertio phyſico triplici definitione vitioſè definitus eſt, vitioſiùs in genera quatuor diſtributus. Atque hæc initia tantùm: motus deniq; infinitas, & æternitas Platonis creatum mundũ oppugnaturæ erãt: Itaq; magnitudinis tãquam motui ſubjectæ infinitas tertio libro adornata eſt, prodigioſo illo ænigmate, magnitudinem eandẽ parte altera phyſicam & finitam, parte altera geometricam, & potentia diviſionis infinitam. Hoc fundamentum fuit univerſæ contra Platonem oppugnationis. deinde locus & vacuum, adverſus Platonis διάγραμμα ſimilibus ſophiſmatis inſtructa ſunt: ſæpe tamen interea, ex illa magnitudinis infinitate, infinitas & motus & temporis cõcluſa eſt. Ac philoſophus tanquam tertii phyſici phyſicæ minimè cõfiſus, quinto ſextoq; phyſico rurſus eandem phyſicam repetit. motus non meliùs definitur, ſed immutato nomine appellatur ἀντικειμένων μεταβολή, primiſque ac primariis generibus ſpoliatur. quinti libri reliqua impedimenta de motus unitate & oppoſitione, ſophiſma de logicis rebus habuerũt: tandemq; ſexto phyſico repetita eſt ex eodem tertio phyſico, magnitudinis infinitas, & infinitate perpetui ſophiſmatis obſcurata, primum robuſtiùs & validiùs, tum ex uno illo Lernææ infinitatis capite, quinq; capita nata ſunt, infinitas motus, infinitas mobilis, infinitas temporis, infinitas ſtatus, infinitas quietis: unde noſtri Phyſici prodiga largitate, rebus omnibus infinitas donata eſt. Atq; hæc prima fuit oppugnatio Platonici mũdi, in quo eſſent omnia finita, & magnitudo, & motus, & mobile, & tempus, & ſtatus, & quies. In ariſtoteleo mundo contra omnia infinita, & magnitudo, & motus, & mobile, & tempus, & ſtatus, & quies. Altera videtur oppugnatio ſeptimo & octavo phyſicis inſtrui in æternitate: ad quam tamẽ præcipuè, quamvis eò ſpecie quadam referantur, nihil ſeptimus liber totus attinet, ſicuti neq; octavi capita tertium, quartum, ac ferè decimum: reliqua verò capita, primum & ſecundum, quòd motus ſit æternus, non tamen motus omnis, ſed latio: neq; latio omnis, ſed converſio: item, quòd movens ſit aliquod primum, & immobile, & unum, & æternum, & ſine magnitudine: Deus naturæ! quam logicam habẽt, nõ dico quàm obſcuram partibus nonnullis & ſpinoſam, ſed quàm horridam totis theſibus, theſiumque argumentis, imò quàm bonis animis periculoſam! Etenim quot ſimplices animos ſophiſmatis iſtis ſeductos arbitramur, ut cum Proclo, Porphyrio, Simplicio, mundi creationem derideant? Dei erga hominum genus providentiam deſpiciant? naturam quandam æternam æterni motus, æterniq; mũdi, velut aurigam & agitatricem faciant? ſine conſilio, ſine deliberatione, perenni quodam duntaxat inſtinctu, non amantiùs hominũ, quàm pecudum & arborum generi conſulentem. Ita non tantùm doctrinæ humanæ, ſed æternæ meliorisq; vitæ diſpẽdio, nobilia ſummi philoſophi ſophiſmata in publicis ſcholis perdiſcuntur, ſummorum hominum ſummis authoritatibus approbantur: peſtes illæ infinitatum atque æternitatum ingenioſis diſtinctionibus leniuntur, quòd Ariſtoteles humanitus ſit locutus, Moſes Chriſtusq; divinitus. At, inquam, perpetua totis octo phyſicis libris Ariſtotelis ſophiſmata nullo divinæ ſcripturæ argumento, nulla vel Moſis, vel Chriſti authoritate preſſi vel urſi, philoſophum philoſophicis duntaxat argumentis convici: & de natura differentem, non naturaliter philoſophatum eſſe docui: nec Ariſtoteli ferè aliud, quàm Ariſtotelis ſentẽtias aliis in locis veriores, quàm deniq; ſummas Ariſtotelis leges & Ariſtoteli probatiſſimas oppoſui. Ergo ubi doceo Ariſtotelem erraviſſe, doceo erraviſſe, non quòd religioni noſtræ repugnet, ſed quia logicæ, mathematicæ, phyſicæ veritati adverſetur. Itaq; ſi jam rex Alexander logicis & mathematicis artibus inſtructus, ex illo ſplendido & ſtellis illuſtri loco, univerſæ naturæ partes cõtemplatus, referret identidẽ oculos ad Ariſtotelis auſcultationem naturalem, nullã tota univerſi mũdi natura comprehenſarum rerũ ſpeciẽ in totis octo phyſicis libris cerneret: chymæricas tãtùm nubes phantaſmatũ variorũ, vapores incredibiliũ, ipſiq; naturę repugnantium infinitatum, exhalationes æternitatũ veluti centaurorũ evaneſcentium, milleq; alios ſophiſmatũ fumos in-

mos intueretur: facileq́ Ariſtoteli veniã daret, de acroamaticis editis: imò lætitiam inſperatiſsimam caperet animo, ſi repentè orto ſole diſcuſſas oculis præſtigias aſpiceret. Quamobrem, per Deum naturæ optimum maximum, profeſſores Phyſici, eſtote vobis reges & Alexandri: omittite tantiſper cõceptam de ſummo philoſopho opinionem & perſuaſionem, logicum & liberum judiciũ aſſumite: argumentis argumenta comparate, rebus res opponite: leges illas Ariſtotelis, omnium in conſtituendis artibus ſolidorum judiciorum magiſtras ante oculos habete: non multos in octo phyſicis cõtrà methodicam legem elenchos offenderis, offenderis autẽ multas contra legẽ καθ' ὅλου πρῶτον tautologias, contra legem καθ' αὑτὸ heterogenias plures, nõ modò aſſumptarum ex aliis artibus rerum, ſed perpetuarum reprehenſionum. contra legem κατὰ παντὸς, quot & quales elenchorum cumulos offenderis? Quare commodiores juventuti & fructuoſiores artes in poſterum proponite. Primùm Naturę corpus eſt in cęlo, reliqua deinceps in meteoris, metallis, herbis, arboribus, piſcibus, avibus, pecoribus, hominibus. earum rerum phyſica ingenua eſt in primis & nobilis, ingenuiſque & nobilibus ingeniis digniſſima. Si natura vel decẽ Ariſtoteles uno tempore extuliſſet, qui logicis legibus inſtructi, huic conformandæ materię ſeſe penitus dedidiſſent: tamen tanta rerum ubertas copiaq́, totas eorum vitas occupare potuiſſet. Huc igitur ingenia & vigilias convertite: deniq́ miſsis ſophiſmatis inertibus & ignavis, verã ſolidamq́ phyſicam capeſsite.

P. RAMUS TEMPORE SAEVISSIMAE TEMPESTATIS, HAEC MEDITABATUR APUD REGIUM CREOLIUM, BERTRANDI MAGDALIENI ET IOANNIS BELLI HOSPITIO LIBERALITER ACCEPTUS, ERUDITAMQUE LODOICI CARBONARII ET JUCUNDAM CONSUETUDINEM NACTUS, *anno Salutis* 1562.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM LIBRI QUATUORDECIM, IN TOTIDEM METAPHYSICOS LIBROS *Ariſtotelis*.

PRAEFATIO IN SCHOLAS METAPHYSICAS.

ARiſtoteles in logica mihi videtur quidam Protogenes in pictura, manum ſiquidem de tabula tollere non poteſt. De logica, id eſt de argumentis & argumentorum diſpoſitione libros varios deſcripſit, alios logico, id eſt ſuo proprioque nomine, alios nomine rhetorico, alios acroamatico: contra quos omnes adhuc multiplices ſcholæ nobis explicatæ ſunt, ut Ariſtotelis de materia formaque artis legibus variæ & plerumque diſcrepantes Ariſtotelis ſententiæ regerentur, & conformarentur. In arte nihil eſto (ait Ariſtoteles) niſi *κατὰ παντὸς* omnino neceſſarioque verum, niſi *καθ' αὑτὸ* homogeneum, totiuſque artis naturale & eſſentiale documentū, niſi *καθ' ὅλȣ πρῶτον* proprium & reciprocum, niſi denique natura prius, loco priore collocatum. His legibus cæteræ ſingulares artes componuntur: his vinculis doctrinarum reliquarum theoremata continentur: ut nihil falſum, fortuitumve, nihil heterogeneum, nihil inæquabile doceant, nihil *ὕστερον πρότερον* confundant. Atque ita quidem reliquarum artium decreta á ſui ſtudioſis obſervantur, ut contra nulla ſit rei cujuſquam aut voluntatis, aut loci, aut occaſionis exceptio, quin obediendum, aut dependendum ſit. Marcellus grammaticus cúm ex oratione Tiberium reprehendiſſet, affirmante Atheio Capitone & eſſe illud latinum, & ſi non eſſet, futurum certé. jam inde mentitur (inquit) Capito, Tu enim Cæſar, civitatem dare potes hominibus, verba non potes. Tanti itaque imperator grammatico non fuit, ut grammaticæ legibus ſolveretur: Eadem eſt in cæteris artibus legum authoritas ac reverentia. Sola eſt ex omnibus diſciplinis logica, quæ legibus ipſa ſuis libera ſolutaque neſcio quibus *ἀλόγοις* eſſe videatur. Neque veró tot ſcholis noſtris ad liberales artes inſtaurandum ullus adhuc elenchus contra authorem quemquam propoſitus eſt, quin captionis alicujus exceptione ab ineptis hominibus defenderetur. At (ut valde confido) pudor aliquando fuerit, grammaticum grammaticæ, rhetorem rhetoricæ, mathematicum mathematicæ legibus ſine excuſatione ulla obſequi: Logicum veró, id eſt artificum reliquorū principem

principem artificem, doctoremq́ꝫ ſummum, infinitam contra logicæ leges licentiam vel potius calumniam ſibi permittere. Leges, leges (inquam) iſtæ ſunt omni exceptione majores ſuperioreſque, neq́ꝫ ſolúm in cæteris inferioribus diſciplinis, ſed in ipſa imprimis legum magiſtra cuſtodiendæ, obſervandæ, colendæ. Quapropter hoc fundamento bene & ex ordine collocato, logiciſque & æquis judicibus approbato, magna animi alacritate ad quatuordecim Ariſtotelis metaphyſicos libros expendendum, & examinandum accedamus. Etenim præter ſuperiores libros, Ariſtoteles alios quatuordecim conſcripſit, non illos dico Arabis neſcio cujus, editos Ariſtotelis nomine, ſed eos qui græcé inter græca Ariſtotelis opera leguntur, quatuordecim, inquam, libros Ariſtoteles conſcripſit de logica titulis variis inſcriptos, tum ſophiæ, tum philoſophiæ, tum philoſophiæ primæ, tum theologiæ, tum metaphyſicæ, ut vulgó in ſcholis τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ appellantur. De theologia tamen pauculi verſus erunt: logica autẽ reliqua ſunt omnia: aut nominatim, ut de cauſſis, oppoſitis, comparatis, & reliquis logicæ decretis, aut idearũ mathematumque nomine, in quibus logica quædam de cauſſis, de genere, & ſpecie diſputantur. Itaq; Philoſophi quidã jam ante Alexandrum Aphrodiſeum hanc Ariſtotelis matæotechniam deprehenderant, ut dicetur in principio tertii metaphyſici, & Plutarchi in Alexandro de his libris judicium illuſtre eſt. Ἀληθῶς γὰρ ἡ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν οὐδὲν ἔχουσα χρήσιμον. Revera (ait) metaphyſica tractatio ad docendum, & diſcendum nil vtilitatis habet. Atqui tamen Ariſtoteles minimé logicam videtur in hoc argumento cogitaſſe: cúm in logica ſæpe appellet hanc artem modó κυρίαν πάντων dominam omnium, ut 7. cap. 1. Poſt. modó quandam ſcientiam, quæ univerſaliter conetur demonſtrare univerſalia, ut 8. cap. 1. Poſt. & 11. cap. 1. Elench. modó quæ δι' ἀκριβείας per accurationem doceat definiendi doctrinam, ut 2. cap. 7. Topici, & ſic aliis locis in logica & philoſophia reliqua permultis: ſed imprimis quarto, & ſexto theologiæ ipſius libro manifeſta erit, minimeq́ꝫ dubia Ariſtotelis hâc de re ſententia, quód hic ſcientiam cogitarit à logica diverſam omnium cauſſarũ, ſed præſertim primæ: ſeu omnis entis quatenus eſt ens, ſed præcipué primi: hinc mirabiles hujus ſapientiæ laudes non ab interpretibus ſolúm, qui vocant metaphyſicam ἐπιστήμην ἐπιστημῶν, τέχνην τεχνῶν, ſcientiam ſcientiarum, artem artium, πολυΰμνητον σοφίαν prædicabilem ſapientiam, ſed laudes ab Ariſtotele imprimis ſecundo capite libri primi, quæ tũ melius prædicabuntur. Quare cúm dico in quatuordecim libris nil niſi logicũ ab Ariſtotele cõfundi: nõ dico ab Ariſtotele ſciẽte & prudente cõ-

trà logicas Ariſtotelis leges cõfundi,ſed huc tamẽ re vera, ac veritate philoſophũ cõtra philoſophiæ ſuæ decreta delapſum eſſe. Quin Platonicæ laudis æmulationẽ (ne quid de laudibus Ariſtotelis prętereã) hic aliquã fuiſſe ſuſpicor. Socrates enim apud Platonẽ dialecticã multis & mirificis laudibus afficit,ejuſq; docet eſſe variũ & admirabilẽ uſum,cùm in ſingularibus & quotidianis rebus interrogãdo,reſpõdendo,rationẽ quęrẽdo,capiendoq;,tũ maximè in cõmunibus & perpetuis rebus, quales ſunt in artibus & ſciẽtiis cõprehenſæ,ut dialecticæ lumine videamus earũ cõmuniones,ſimilitudines, differẽtias,diſsimilitudines,principia, quæ ſit in phyſicis πίστις,quæ ſit in mathematicis διάνοια,quæ ſit in logicis ipſis νόησις, ut tandẽ cũ divini ſolis umbrã quãdã in his univerſalibus exemplis deprehẽderimus:operaq; Dei,divinorũq; operũ ordinẽ,ſymmetriã,deſcriptiõnẽ,è mathematicis,logica mẽte contẽplati fuerimus, tũ ad eũ ipſum clariſsimũ ſolẽ contẽplandũ,vitæq; integritate imitandũ convertamur.Hac de re Socrates in Philebo, & ſeptimo de republica, multa magnificè philoſophatur, & dialecticã hic appellat. Recẽtiores aũt Platonici Ariſtotelis philoſophia nõ multò diligentiùs,quàm Platõis imbuti ajunt talibus locis nomine dialecticæ metaphyſicã à Platone ſignificari:In eoq; doctoris Ariſtotelis errorẽ ſequũtur. Ariſtoteles enim Socratis argumentũ æmulatus,ſummũ illũ dialecticæ uſum (quo principia & cauſſas ſpecialiũ artiũ:quo deniq; omniũ rerũ ſingulare principiũ,ſingularẽq; cauſſam dignoſcamus) metaphyſicis quatuordecim libris copioſiùs & uberiùs videtur perſequi. Quin æmulationis Platonicæ veſtigia quædã vel Platonis verbis tertio metaphyſicæ manifeſtiùs apparebunt. Ariſtotelis igitur voluntas dubia jã eſſe nõ poteſt, quin artẽ quandã omniũ artiũ maximã à logica differentẽ cõplecti velit,ſed quàm logicè, quàm legitimè, ꝗ rectè,quàm cõgruẽter velit, deinceps erit è logicis legibus æſtimandũ,& cõſiderandũ.Quamobrẽ theologiæ veræ ſtudioſi, amatores, patroni,defenſores adeſte æquis animis,& controverſiã lõgè maximã,ac nobiliſsimã cognoſcite.Quatuordecim metaphyſicos libros, quatuordecim logicarũ tautologiarũ cumulos eſſe ſtatuo, & quidẽ rerũ,non ſolùm in aliis Ariſtotelis libris,ſed in præſentibus etiã ſæpius ſcriptarũ,& reſcriptarũ:theologiã verò (quæ hic appellatˀ) impietatẽ omniũ impietatũ maximè deteſtabilẽ, & execrabilẽ eſſe confirmo, flagitiũq; inexpiabile ſtatuo in Chriſtianis quibuſdã ſcholaſticis etiã (quod magis mirere) purioris theologiæ ſtudioſis confirmare publicatis ſcriptis,metaphyſicã Ariſtotelis Chriſtianæ religionis tãquã columnã quãdã eſſe. At enim ſcholæ phyſicæ phyſicã Ariſtotelis theologiã infinitatũ, & æternitatũ impietate refertã docuerunt.

runt. Metaphyſicæ aũt ſcholæ repetitas é phyſicis eaſdẽ impietates, & aliis multò fœdioribus cumulatas docebunt, breviq; ſpero futurũ, ut Chriſtianos tam fœdæ theologiæ pudeat, & pœniteat, cõverſiſq; animis nõ ſolùm paganã illã vix Satyris Fauniſq; dignã theologiã repudient, ſed puriùs ſanctiuſq; Euangeliũ tam miſeris ſordibus expurgatũ totis animis amplectant. Enimverò Ariſtoteles varios in utraq; lingua interpretes doctrina diligẽtiaq; præſtãtes habuit: ſed interpretes, qui qualis eſſet Ariſtoteles, explicarẽt, ac plerũq; ne explicarent quidem: judices adhuc nullos habuit, qui quid ageret, & quãobrẽ, & quomodo leges ipſe legislator obſervaret, cõſiderãdũ, judicandũq; ſibi proponerent. Etenim é pictoribus (ut illud in Ariſtotelis poëtica elegãter cõparatum, ad iſtius quoq; diſceptationis cõparationẽ uſurpetur) Polygnotus præſtantiores, Pauſon deteriores, Dyoniſius pares imagines pinxit: é poëtis Homerus meliores mores, Hegemon pejores, Cleophon pares expreſsit: Quin Euripides quales eſſent, Sophocles quales eſſe deberent. At, inquã, Ariſtotelis philoſophia varios interpretes tanquã pictores & poëtas habuit, Pauſonas & Hegemones permultos, Dionyſios, & Cleophõtes & Euripides raros. Polygnotũ certè, Sophoclẽ, Homerũ prorſus neminẽ, cùm tamẽ Ariſtoteles in philoſophis antiquis Polygnotus, Sophocles, Homerus eſſe omnibus modis cõtendiſſet. Atq; hic mihi poſt Ariſtotelẽ ipſum præcipuè res erit cũ Alexandro profeſſore Athenis imperatorio & principe Ariſtotelis interprete. Nã licet Aſpaſius, & Soſigenes interpretes ab eo nõnunqnã appellent in his libris, eorũ tamẽ nihil extat. Syrianus aũt tertio libro, & duobus ultimis adverſus Ariſtotelẽ, Pythagoreos & Xenocraticos defendit. Quapropter philoſophi (quicũq; ſcholas iſtas lecturi, & cognituri eſtis) per ſanctã Dei ſapientiã (quã nobis hic Ariſtoteles pollicet) agite: & in Ariſtotelis philoſophia pingenda, & conformanda Polygnotũ, Sophoclẽ, Homerũ optate, vel potiùs Ariſtotelis catholicas leges ſeriò vobis proponite: Pictores enim omnes, poëtas oẽs longiſsimè ſuperabũt. Os humeroſq; Deo ſimilẽ ſpeciem, verſus & numeros tali poëmate dignos, illã deniq; Polygnoti antiquitatẽ, illã Sophoclis gravitatem, illam Homeri majeſtatem abundè præſtabunt. Ducibus igitur Ariſtotelis legibus ad theologiam Ariſtotelis retexendum accedatur: quæraturque utrum tota Ariſtotelis metaphyſica nil aliud ſit, quam logica logicis plurimis & theologicis quibuſdam ſophiſmatis obſcurata: Id enim eſt, quod præcipuè diſſerendum, demonſtrandumq; mihi propoſui.

P. RAMI SCHOLARVM METAPHYSICARVM

LIB. I. IN PRIMUM METAPHYSICUM.

In titulum, τὰ μετὰ τὰ φυσικά.

HIC titulus videtur factus eſſe ex parte minima. Nam theologia, quæ phyſicā ſequi debeat, vix milleſimā totius hujus operis partem occupat: logica cætera ſunt, logicis & apertis nominibus expreſſa, vel idearū & mathematum ſpecie obſcurata. Itaq; ſi á majore parte inſcriptio fieri debuit, debuit unq; logica inſcribi, nō poſt phyſica, vel (ut vulgus loquit̃) metaphyſica. Quód ſi quis non copiæ, ſed præſtantiæ rationem hic habitā exiſtimet, is præſtantiā impiarū tantúm fraudum, ubi tandē perceperit, judiciū (ut ſpero) mutabit, & titulū talem temeré præſcriptū judicabit. Neq; veró logica poſt phyſicā, ſed ante phyſicam, imó ante quālibet diſciplinam docēda ſit. Et Ariſtoteles hanc qualēcunq; mataotechniā meditās, putat eſſe ſcientiā, qua reliquarū ſcientiarum principia, & cauſſæ, & affectiones perpendant̃. quod eſſe tamen nullo modo poſsit, niſi ante omnes ſciēnas intellecta perceptaq; fuerit: & ſic methodus Ariſtotelis in artiū & doctrinarū ſtudiis generalia præcedere jubet. Quare titulus iſte τῶν μετὰ τὰ φυσικά, confuſionē futurā in veſtibulo jam protinus indicat. Neq; tamē titulus videt̃ ab Ariſtotele, ſed ab interpretib' ita factus eſſe. Ab Ariſtotele eīm ipſo in hoc opere appellat̃ modó σοφία, ut 2. c. 1. lib. modó philoſophia, ut quarto libro ſæpius: modó prima philoſophia, ut ferè aliás ſemper: modó θεολογική, ut 6. & 12. lib. τὰ μετὰ τὰ φυσικά in quatuordecim libris nuſquam appellantur.

IN CAP. I.

AGedū, cōfuſio metaphyſicorū librorum permagna eſt: de ipſa tamē nihil cōfuſé diſſeramus: vitia quæ accuſamus, in ipſa in primis accuſatione nobis cavenda ſunt: diſtinctio quædā nobis adhibeat̃. Tota igit̃ metaphyſica prooemio quodā duorū primorum librorū rē modo quodā proponit & definit: tertio tanquā diſtribuit: deinde reliquis libris diſtributa perſequitur. Et ſanè Ariſtoteles initio tertii, ſeriē ordinis hujus quodā modo prætexuit, & τὰ προοιμιαζόμενα, tāquā diceres prooemiata, nominatím appellat duobus primis libris expoſita: & duo proximi libri adhuc idē prooemiū in re proponenda definiendaq;, ut cum Plinio loquar, prooemiantur. Quare & hanc diſputationis viā, ſcholæ noſtræ ſequent̃. Quid igitur eſt primū in prooemio? quid ſecūdum? Definitio metaphyſicæ duobus primis libris adumbratur: duobus proximis erit diſtributio quædā: ſed definitio ipſa duobus primi libri capitibus informatur, reliquis ediſſeritur. Agedum, metaphyſicæ definitionē attendamus. Quid eſt metaphyſica? Eſt (inquit metaphyſicus) ſcientia de primis cauſsis & principiis. Atque in hac definitione, genus eſt metaphyſicæ, ſcientia: differentia eſt in reliquis partibus. Itaq; ad declarandū, quomodo ſcientia cōparet̃ ſenſu, memoria, phantaſia, experientia, ratiocinatione, quæ differentia ſit artis & experiētiæ, logica præcipuè é 14. & 26. cap. 1. Poſt. & é 18. cap. 2. Poſt. huc derivatur: ubi tamē phantaſia neq; verè, neq; alibi Ariſtotelis doctrinæ congruēter poſtponit̃ memoriæ, cúm memoria ſit habitus phantaſmatis, ut eſt in libris de anima: Eſt autē, cúm de experientia agit̃, citatū é Gorgia Platonis aureū illud Poli dictū é lege κατὰ τὰς ἐμπειρίας ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δ᾽ ἀπειρία τύχην. Experientia quidē artem genuit, inexperientia aūt temeritatē: quod ſæpe optavi literis aureis in veſtibulo philoſophicarū ſcholarū omniū inſcriptū eſſe, ut illuc accedētibus perſuaſum eſſet, nullū in artibus documentū recipiendū, quod ab uſu & experiētia verorū exemplorū obſervatū & inductū nō eſſet: mille ſiquidē ſomnia & deliramenta in liberales artes nequaquā irrepſiſſent.

Perge

Perge verò, quid deinde? Differentia experientiæ & artis laté differitur, quòd experiētia ſingulorū ſit, ars univerſaliū. Sed experientiæ & artis cōparatio pauló plenior revocatur é 21. cap. 2. Pr. & 1. cap. 1. Poſt. quòd fieri poſsit, ut generali ſciētia aliquid ſciamus, quod exemplo atq; experientia ſpeciali neſciamus. Repenī enā é 20. c. 1. Poſt. ſed pauló ſecùs exponiī, quòd univerſale ſit αἰτιώτερον, ἁπλούστερον, ἀρχικώτερον, ἐπιστημονικώτερον, magis cauſſa, magis ſimplex, magis principiū, magis ſcientificū: hîc autē artifex experto ſapientior efficiē. Atq; é totis poſterioribus illud præcipuè de duobus demōſtrandi generibus (ὅτι καὶ διότι, quia eſt & quamobrē eſt) huc etiā revocatur: quòd expertus ſciat quia eſt, artifex propter quid eſt. Quamobrē theſis propoſitæ demōſtratio difficilis hîc nobis nō erit, ut philoſophorū illorū ante Alexandrū, ut Plutarchi judiciū verum probemus: Quid enim adhuc aliud habemus, quàm logicā? & logicā quidē de logico Ariſtotelis organo contra leges καθ' αὑτὸ & καθ' ὅλου πρῶτον, nōminatim repetitā? Quid enim attinebat logicā pro theologia inſtitui? quid doctrinā generalē ſæpius iterari? Verūtamē logica eadē latius cōtinuatur, indeq; architectus honorabilior efficitur fabro, & ſapientior, & θεωρητικὸς πρακτικοῦ, contemplativus activo: inde artifex, διδασκαλικώτερος, aptus ad docendū: expertus autē, ineptus, & ſenſui ſimilis, ſingula tantùm ſentienti. Magna ſit, eſt iſta laus artificis, ſed multò etiā major ſequiē, quòd artifex hominibus admirabilis fuerit, quicumq; primus artē aliquā, ſed præcipuè qui liberalē & ingenuā artem invenerit, quales ſunt mathematicæ in Aegypto à ſacerdotibus publica vacatione fretis inventæ. Veruntamē artes equidē mathematicas celebrari libēter audio, ſed ejus laudis fructum poſſeſſoribus injuſtis attribui nō libenter audio. Harū enim artiū inventa, primorū hominū jam ante diluvium propria fuerūt, ut eſt apud Joſephū. & Ariſtoteles ipſe à Caliſthene, nō Aegyptiorū, ſed Babyloniorū mathematicas artes expetivit. Multoq; verius Cicero 1. de Divinat. Principio Aſſyrii (ut ab ultimis authoritatē repetā) propter planitiē magnitudineq; regionū, quas incolebant, cùm cælū ex omni parte patens atq; apertū intuerenē, trajectiones motuſq; ſtellarū obſervaverūt, quibus notatis, quid cuiq; ſignificaret, memoriæ prodiderunt. Sic Plinius é quatuor aſtrologorū ſectis primā facit Babyloniam, ſecundā Aegyptiā, tertiā Græcam, quartā Romanam. Quapropter ab Ariſtotele nequaquā rectè dictū eſt, mathematicas artes ab Aegyptiis primò inventas eſſe. Eſt tamē illud animadvertendū ſacerdotibus Aegyptiis, quibus onū & vacatio publicè eſſet. Id enim etiā teſtatū eſt in Geneſi c. 27. ut á rege Pharaone ager eſſet illis in ſtipēdium aſsignatus. Sed certé noſtrorū ſacerdotū & Aegyptiorum latiſsima differētia eſt: Aegyptiorū otio & vacatione, mathematicæ artes inventæ ſunt, ait Ariſtoteles: quæ otio & vacatione noſtrorū ſacerdotum tandiu ſpretæ in Academia Pariſienſi cōtēptæque jacuerunt: quin pro mathematicis artibus tot ſophiſmata (cōtra quæ nobis adhuc diſputatū eſt) ſunt in ſcholas inducta. Verū pergamus. Sequiē neſcio quæ veluti correctio de differentia artis & ſcientiæ, quod ad Ethicam remittiē, in qua ſexto nēpe ad Nicomachū ars efficitur operarū & fabrorū, prudētia actionū, ſcientia cōcluſionū, intelligētia principiorū, ſapiētia primarū cauſſarū: qualis etiam logica eſt 26. cap. 1. Poſt. At (inquàm) vocabula hæc omnia in vero & communi uſu ſignificationē commutiē & generalē habent, ut Grāmatica poſsit & ars, & ſcientia, & prudentia, & ſapientia nominari: quanquā prudētiæ nomē in rebus agendis ſæpius uſurpatur: ſapientiæ in cōſiliis & deliberationibus, ſic prudentes politici, ſic ſapientes Bias in Græcia, Cato in Italia nominati. Quare verborū iſtorū diſcrimina ab otioſis in ſchola hominib[9] temerē diſtincta ſunt, res, uſus, veritas alia eſt. Itaque Ariſtoteles excuſandus nō erit, quòd hic artē & ſcientiā pro eodē ſumpſerit, ſed laudandus, quòd verū ſit uſum ſequut[9]. Quapropter nihil adhuc novæ doctrinæ Ariſtoteles attulit, λογικὰς ταυτολογίας tantùm ταυτολογεῖ. Tandem verò ad extremū capitis definitio ſapientiæ ponitur, cujus gratiā ſuperiora omnia anteceſsiſſe Ariſtoteles profitetur, ſapientiā eſſe ſcientiā de primis cauſsis & principiis: ſummaque ſuperiorum recolligitur, quòd ſenſui præſtet experientia, experientiæ ars:

ideoque architectus fabro, contemplativus operario.

IN CAP. II.

SEd tamen definitionem ariſtoteleæ ſapientiæ conſideremus, ſcientiam eſſe primarũ cauſſarũ. Etenim quænam ſunt iſtæ primæ cauſſæ? utrùm Deus eſt? Sic enim videtur Ariſtoteles ſentire proximo capite. Sed theſis hæc abſoluto capite ſecũdo diligentiùs agetur: huc igitur tantiſper differatur, dũ caput hoc penitus erit expenſum. Quid igitur Ariſtoteles capite ſecundo philoſophatur? Declarat definitionis partẽ reliquã de primis cauſsis: & primas cauſſas mirificis laudibus ὑπολήψεων, opinionũ octo, quæ de ſapiente habeantur, explicat & interpretatur. In his enim magnificis titulis totum ferè caput ſecundũ cõſumitur, repetita è 20. cap. 1. Poſt atq; amplificata illa præſtantia generalis ſupra ſpeciale, quod ſit αἰτιώτερον, ἁπλούστερον, ἀρχοειδέστερον, ἐπιστημονικώτερον. Itaq; cũ hæc ſciẽtia generaliſsima & univerſaliſsima ſtatuatur, ſequitur eandẽ eſſe αἰτιωτάτην, ἁπλουστάτην, ἀρχοειδεστάτην, ἐπιστημονικωτάτην. Verba in hoc capite paululùm immutata ſunt, res ferè eadẽ. Verũenimverò pretioſæ quidẽ opes iſtæ ſunt & ſplendidæ, itaq; aperiendæ nobis, propalamq; collocandæ, & ſingulæ ὑπολήψεις expendendæ. Sunt enim Ariſtoteli tanquã hypotheſes, tanquã axiomata & fundamẽta univerſæ theologiæ: ideoq; ſtudioſè cõſideranda. Dic igitur ὑπόληψιν primã. Sapientia eſt καθολικωτάτη, maximè univerſalis. At, inquã, dialectica eſt iſta ſapientia: docet enim cauſſas efficientẽ, materiã, formã, finem, omniũ omnino entiũ communes: neq; cauſſas tantùm, ſed reliqua omnia argumentorũ judiciorũq; genera etiam perinde communia. Quid igitur hîc habes, quo metaphyſicã à logica ſepares? utrùm dialecticus non novit omnia, ὡς ἐνδέχεται, quoad fieri poteſt: ſapiens autẽ novit? Id enim diſcrimẽ videt hîc indicari. Imò verò, inquã, neq; dialecticus, neq; ſophus quiſquam omnia, quæ cognoſci poſſunt, novit, vel noſcet unquam: neq;, nõ dico Platones vel Ariſtoteles, ſed ſophi oẽs, quicumq; unquã appellati ſunt, milleſimã rerum, quæ ſciri poſſunt, partem cõprehenderunt: utrùm autẽ noſſe omnia, nunc eſt Ariſtoteli omniũ cõmunẽ artẽ tenere & noſſe omnia, ſit generaliter & cõmuniter noſſe, quatenus entia ſunt? Nã & Ariſtoteles primo capite docuit artificẽ in ſingulis falli poſſe, & hic idẽ repetit. Cùm enim ait omnia nota eſſe ſapienti, excipit καθ' ἕκαστον ἐπιστήμην, ſingulorũ ſciẽntiam: & poſtea præcipuè libro quarto nominatim differet hanc ſophiã eſſe entis quatenus eſt ens, ſophicę & dialectici eandẽ facultatẽ eſſe: ſed facultatis modũ diverſum: quod tũ differetur. Quapropter Ariſtoteles, veteres illos Alexãdri philoſophos approbat, primaq; iſta qualitas nihil aliud etiã, quàm logicam loquitur: ſola enim logica, eſt omniũ artium καθολικωτάτη. Verũenimverò paululùm hic cõſiſtamus, χαλεπὸν δὲ ἐκ μὴ καλῶς ἐχόντων λέγειν καλῶς, κατ' Ἐπίχαρμον. Difficile autẽ eſt ex nõ bene habentibus dicere bene, juxta Epicharmũ, ait Ariſtoteles 9. cap. 13. metaphyſ. Hæc falſa hypotheſis prima univerſi poſtea erroris cauſſa Ariſtoteli fuit: Perſuaſit ſibi, theologiã omnium artiũ καθολικωτάτην, maximè univerſalem eſſe: unde à cæteris artibus præſidiũ definiendi, partiẽdi, ratiocinandi, principiaq; ſua ſtabiliendi peteretur. Sed, heus philoſophe, philoſophe, inquã, vigilãtiſsime, dormis hoc loco, utcunque es philoſophus. Theologia, eſt ars ſubjecto nobiliſsima illa quidẽ & præſtantiſsima: at ordine docẽdi diſcẽdiq; ſpecialiſsima omniũ & ultima: & ſic in omnibus Academiis poſtrema omniũ ſtudia ſunt theologica: quod etiã titulus operis hujus (à quocũq; factus ſit) indicat, τὰ μετὰ τὰ φυσικά, & in totis quatuordecim libris, uti theſis noſtra pollicetur, nullũ omnino documentum generale erit niſi logicũ. Quapropter ſi verè ratiocinari volumus, cauſſam univerſæ confuſionis metaphyſicæ ex hac hypotheſi profectam reperiemus. Theologia, eſt ars maximè generalis & univerſalis: Ergo maximè generalia & univerſalia ipſius documẽta eſſe neceſſe eſt. At, inquam, falſum eſt antecedẽs: neq; theologia eſt ars maximè generalis, ſed contrà maximè ſpecialis artiũ omniũ. Ergo prima ὑπόληψις ejuſmodi eſt, ex qua deinde reliquæ ſeptẽ deducũtur. Recita verò ſecundã: Sophia eſt χαλεπωτάτη, difficillima, ait metaphyſicus: quia maximè univerſalia ſunt à ſenſib' remotiſsima. Atqui, inquã, hæc ὑπόληψις altera, conſectarium

ctarium eſt primæ: & tamen vituperii cujuſdã potiùs, quàm laudis. Etenim laus eſt artis præcipua, claram perſpicuamque eſſe: Hic enim logicarum legum fructus eſt nõ mediocris: ut veritas artium penitus explorata, clariſsimè vel ante oculos diſcentiũ ſtatuatur. Neq; tamen verũ eſt Ariſtotelis argumentũ, Remotiſſima à ſenſibus, eſſe difficillima: imò totum contrà eſt: Remotiſsima à ſenſibus, ſuapte natura ſunt illuſtriſsima & clariſſima, & differentia illa nimirũ eſt Ariſtotelis, de notiore nobis & natura, in capite de methodo à nobis accuratiſsimè diſputata: difficultaſq; artis univerſalis eſt in primo inventore, & in primo collocatore: non eſt in doctore jã conſtitutæ artis & auditore: qualis modò nobis ſophia Ariſtotelis, tanquã inventa jam & collocata aſſumitur: in veræ enim & conformatæ artes tantó ſunt ad docendum diſcendumq; faciliores, quantó fuerint univerſaliores: quod etiã tertia quartaque ὑπολήψεις explicabunt. Quapropter opinionis hujus author Pauſion & Hegemon fuit. Sapientiam dicere debuit ſuapte natura omniũ artiũ clariſsimã & illuſtriſsimã eſſe: Neq; hanc alterã logicarũ laudum ὑπόληψιν, pro vera Dionyſii imagine, pro vero Cleophõtis vel Euripidis poëmate vẽdiderit. Verùm pergamus: Tertia eſt ὑπόληψις, quòd ſophia ſit ἀκριβεστάτη, quia ſit primorũ principiorũ, ſcientiaq; pauciſsimis cõtenta: quòd etiã primæ eſt ὑπολήψεως. Quantó enim eſt ars univerſalior & antiquior, tantó breviorẽ eſſe neceſſe eſt. Species enim ſuperat genus una differentia: & nũc ἀκριβέστερον jam illud eſt, ex analyticis ἁπλούστερον. Verumenimveró laus iſta logicæ artis propria eſt, quæ ſuis ipſa facultatibus ſuſtentatur, alienis auxiliis nihil indiget. Cæteræ autem artes ab ea definitionum, partitionũ, concluſionũ, theorematumq; omniũ principia accipiant: Theologiæ veró quomodo ἀκρίβεια iſta conveniet? Etenim Ariſtoteles ipſe de theologia duodecimo libro diſſerẽs interrogetur, quã putet ejus accurationem eſſe: quid reſpondebit? Nónne id ſolùm veteris theologiæ teneri, quòd dii ſint: cætera fabulis eſſe ſimilia? Ac tum tota iſta theologiæ (quæ modò tã magnificis verbis jactatur) ἀκρίβεια, quàm ſit inanis & ridicula, deprehendetur. Quare tertia hæc ὑπόληψις theſin noſtrã valde cõfirmat. Perge veró, quænã eſt ὑπόληψις quarta? Sophia eſt διδασκαλικωτάτη, ait metaphyſicus: quia eſt primarũ cauſſarũ. Atqui, inquã, διδασκαλικώτατον illud fuit in analyticis ἐπιστημονικώτατον: & quidẽ logicæ laudis propriũ. Eſt enim logica, ars diſſerẽdi, ideoq; etiã docẽdi: Neq; logica, tãtùm eſt omniũ artiũ διδασκαλικωτάτη, ſed ſola eſt διδασκαλική. Nã ſiquid doceat grãmaticus, rhetor, mathematicus, nõ ſuo, ſed logici artificio docebit. Theologia autẽ tantó eſt omnium artiũ remotiſsima ab iſta laude, quantó eſt omnium ſpecialiſsima. Quare proximæ duæ laudes logicã propiùs veriuſq; exornant. Quintã ὑπόληψιν audiamus: Sophia, ait metaphyſicus, eſt αἱρετωτάτη, quia eſt primarũ cauſſarũ, quæ maximè ſunt (ut ita dicam) ſcibiles. Laus quidẽ iſta prorſus eſt egregia, ſed illuſtriore poterat argumẽto diſputari: Omniũ enim animæ potẽtiarũ & facultatũ, nulla optabilior eſt ratiõe, cujus ars eſt logica: Cæteræ artes faciunt animal grãmaticũ, arithmeticũ, geometricum: at logica facit logicũ, id eſt hominem. Si de theologia metaphyſicus hãc ὑπόληψιν intelligat, quia Deus prima ſit cauſſa, ideoque maximẽ ſcibilis: fallet argumento, quia Dei natura minimè ſit homini ſcibilis: & Ariſtotelis theologia id in primis tandẽ cõfirmabit, in qua divinarũ rerũ nil niſi meram inſcitiã, imò ἀθεότητα ſummam prodidit. At ſi theologiam optabiliſsimã philoſophus affirmaret, quia de Deo eſſet, cujus cognitione nihil eſſet optabilius homini, philoſophũ equidẽ audirem: At argumentũ retulit ad logicũ ſcientiæ ſenſum: Quapropter laus etiam iſta logicæ eſt, nõ theologiæ propria. Perge: ſecũda, tertia, quarta, quinta ὑπολήψεις, ſunt conſectaria primæ: qualis eſt ſexta? Sophia eſt ἀρχικωτάτη· quia novit cujus gratia. Laus eſt iſta permagna, ſed argumentũ laudis perexiguũ. Logica, & finẽ & reliquas cauſſas argumentaq; omnino omnia ꝑcipit. multó fuerat ἐπιεικέστερον, principatũ ex eo ſapiẽtię repetere, qđ cęteris artibus imperet, legeſq; definiẽdi, partiẽdi, & qđlibet arguẽdi, leges enũtiandi, cõcludẽdi, ordinãdi præſcribat. Id Sophocli tale fuiſſet, quale eſſe debuerat. Illa igitᷣ, illa eſt κυρία πάντων, quæ jã dicta eſt ex analyticis. Enimveró quid

poterit excellentius arte hac una cogitari? Præclaræ ſunt iſtę laudes & amplæ: iis tamen metaphyſicus cõtentus non eſt: differit ſophiam exemplis primorũ philoſophorum, non manus aliquo opere, ſed mentis tantúm contemplatione occupatam eſſe: quod primi philoſophi, dubitatione & admiratiõe excitati ſunt ad res in mũdo mirabiles exquirendũ, & conſiderandum: διὸ καὶ φιλόμυθος καὶ ὁ φιλόσοφός πώς ἐστι Itaq; etiã ſapiẽtiæ ſtudioſus, eſt etiam veluti fabulæ ſtudioſus. fabula ſiquidem poëtica, ut ſapientia, conſtat é rebus admirandis. Hinc duas novas ὑπολήψεις metaphyſicus exornat, ſophiã eſſe ἐλευθεριωτάτην, libertimam, neq; ſapientiæ poſſeſsionem humanam eſſe. πολλαχῶς γὰρ ἡ φύσις δούλη τῶν ἀνθρώπων ἐστί. multipliciter enim natura hominũ ſerva eſt. Hæc veró ſententia Platonis animadvertenda eſt, hominũ naturã, cupiditatis & iracundiæ motibus alligatam ſubjectamq; in repub. deſcribẽtis, ut earum beſtiarũ vinculis ſoluti, ſoli revera liberi ſint. Atq; hæc ὑπόληψις, theologiã in primis attingit, ſi qua poſsit ex omnibus attingere. Tametſi ſervitutẽ illã fallaciũ opinionũ, & ſophiſticarũ fraudũ, Ariſtoteles modó potiús intelligit, quibus hominũ natura frequentiús obtemperet, quám exquiſitæ & accuratę veritati. Ergo ſolus dialecticus eſt metaphyſicó liber: dialecticæ expertes, multorũ ſophiſmatum ſervi. Septimaq; laus iſta, logicæ potiús ſit, quám theologiæ. Sed tamen Ariſtoteles inſtitutas ſapientiæ laudes perſequitur: Non eſt (ait) hæc humana poſſeſsio. utrúm veró (ut Simonides ait) dii hominibus ſapientiã invident? At Deus (reſpõdet metaphyſicus) minimé invidus eſt: & poëtæ (ut in proverbio eſt) multa mentiuntur. Attamen ſapientia (inquit) res eſt τιμιωτάτη, honoratiſsima & nobiliſsima, quia θειοτάτη, diviniſsima: & diviniſsima quidem, vel quam Deus habeat maximé, vel quæ ſit rerũ divinarũ: qđ utrũq;, ſophiæ accidit. ὅτι γὰρ θεὸς δοκεῖ τὸ αἴτιον πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις, καὶ τὴν τοιαύτην ἢ μόνος, ἢ μάλιστ᾽ ἂν ἔχοι ὁ θεός. Nam Deus videtur eſſe cauſſa rebus omnibus, & quoddã principiũ, & talem ſcientiam aut ſolus, aut in primis obtinere. Atq; hæc ὑπόληψις extrema, theologiæ propria videatur: & hoc ſolũ de Deo verbũ uſq; ad 6. cap. 12. libri, á theologo noſtro audietur. Plurimis antea locis eloquentiam Ariſtotelis admiratus ſum, ſed tamẽ in hoc procemio magis ac magis lubet admirari: nec in ludo Iſocratis majorẽ declamatione ulla attentionem unquã excitatã fuiſſe arbitror. Quid enim majus expectare diſcipulus poſsit, quám diſciplinã, nõ ſolúm ſuæ profeſsionis velut univerſitate ſummã, accuratiſsimã, ad docendum aptiſsimã, per ſe optabiliſsimã, dominamq; artiũ cæterarum, ſed liberrimã, nobiliſsimamq;, divinã potiús quám humanã? Itaq; pompa iſta orationis tam rhetorica, ſplendore ſuo perſtringet animos, niſi caveatur. Etenim omnes artes, bonaque omnino omnia á Deo proficiſci, Deumq; ipſum nõ tantúm logicũ, ſed τὸν λόγον libenter profiteor ac prædico, ſed longé alio genere logicæ. Deo præſentia ſunt omnia: ſophiſmatis Ariſtoteleæ metaphyſicæ ei nihil opus eſt. Verùm theologus quonam judicio ſcientiã univerſalẽ ſpeciali de Deo ſcientiæ attribuit? Equidẽ miſeret me tanti philoſophi. Dixerit puer aliquis in logico ludo: Ubiq; eſt adverbiũ: Deus eſt ubiq;: Ergo Deus eſt adverbiũ. condiſcipuli, homonymiæ elenchũ deridebunt. At, inquam, feſtivus iſte facetuſq; puer, in hac lõgé graviſsima quæſtione, theologus noſter eſt. Scientia primæ cauſſæ, eſt maximé univerſalis: At theologia, eſt ſcientia primæ cauſſæ: Ergo theologia eſt maximé univerſalis. At, inquã, magiſter λογικώτατε, fallis hoc argumento, vel etiam falleris: In propoſitione, prima cauſſa tibi eſt, quæ in categoria & ſerie generaliũ cauſſarũ eſt generaliſsima: ſecús, propoſitio falſa ſit: In aſſumptione, prima cauſſa tibi eſt, quæ in ordine efficientium ſingularium prima eſt: aliumque ſenſum verbi propo- nis, aſſumis aliũ. Quapropter, ô metaphyſici, ô theologi, ô ſophi, metaphyſicam, theologiam, ſophiam iſtam adhuc tanquam divinam amplexi, conſiderate quid iſto loco adverſus Ariſtotelem diſputo. Dialecticam Platonis æmulatus eſt Ariſtoteles, ſuperareque modis omnibus magiſtrum contendit, philoſophicam æmulationem probo & laudo: ſed é logica theologiam unius verbi ſophiſmate valde deridendam commentatur. Quamobtẽ tã fatua tãq; inſulſa impoſtura, tot hominib. & græcis,

&

& latinis tot ſecula impoſitum eſſe, quis non miretur? Neq; tamē defuerunt admonitores, ut dixi: Sed Alexandro, licet profeſſori imperatorio & Alexandri ſimilibus interpretibus, judiciū liberum defuit: Ariſtotelis nomen, pro omni argumentatione ac demonſtratione fuit. Quare faceſſat hinc Pauſon vel Hegemon, deſinantq; deteriora nobis pingere vel fingere: Adſit veró Ariſtoteli potiùs Dionyſius, vel Cleophon, vel Euripides, qui artes, quales antea in Platonica ſchola fuerant, tales exhibeant: Adſit jā potiús Polygnotus, Sophocles, Homerus, qui rē præſtantiorē melioremq; faciāt, qualiſq; omnino eſſe debeat, exprimāt: imó veró leges Ariſtotelis illas ſingulares, omnes metaphyſici, ſophi, theologi audiant, logicaq; logicé, & theologica theologicé, ſeparatis & ſuis artibus inſtituāt: doctrinā generalē generaliter tantúm ac ſemel doceant. Hoc ſummo veritatis fundamento bene & accurate cōſiderato, metaphyſicæ ſcholæ reliquā metaphyſici ædificii architecturā facillimé cōſiderabunt. Veritm hîc pauló fortaſſe diutius in principe ſophiſmate & reliquorū deinceps origine commorati ſumus: Hic enim univerſi erroris, ut iterū dicā, fons fuit: Theologia, eſt maximé generalis & univerſalis, quia eſt primæ cauſſæ: & hæc ambigui verbi captio, quatuordecim librorū materiā ingenioſiſsimo & copioſiſsimo philoſopho præbuit. Pergamus: quid deinde in ſecūdo capite reliquū? methodi logicæ lex eſt. Demonſtratū eſt antea primo capite, artē inveniri & induci paulatim & gradatim ſenſu, phantaſia, memoria, experientia, ratione: quomodo & hanc ſophiā é dubitatione & admiratione profectā eſſe, pauló antè etiā dictū eſt. At (inquit Ariſtoteles) δεῖ μέντοι πῶς καταστῆναι τὴν τάξιν αὐτῆς εἰς τοὐναντίον ἡμῖν τῶν ἐξ ἀρχῆς ζητήσεων. Oportet equidē cōſtituere ipſius ordinē modo quodā contrariū primis inquiſitionibus. Omnes enim (ait) ab admiratiōe incipiūt: ſi res ita ſe habeat, ut miraculorū pegmatis, ut in mundana Solis cōverſione, aut diametri aſymmetria. Mirabile enim videtur eſſe omnibus, ſi quid minimo non menſuretē. Oportet autē in contrariū & in melius (juxta proverbiū) deſinere, ut in iis ipſis, ubi didicerint. Nihil enim magis admiretur geometra, quàm ſi diameter eſſet cōmenſurabilis. Hæc Ariſtotelis oratio eſt, rebus quám verbis illuſtrior: quę docet, ordinē diſponendarū & tractandarū artiū, contrariū eſſe ipſarū invētioni & obſervationi: cúm hęc á ſingularibus & ſpecialibus eventis aſcēdat ad univerſales & generales cauſſas, illa deſcendat á cauſis generalibus & univerſalibus ad evēta ſpecialia & ſingularia. Citatus autē eſt â nobis locus iſte inter alios Ariſtotelis eadē de re locos: id eſſe perpetuum Ariſtotelis de unica diſponendæ artis & doctrinæ ordinandæ methodo judiciū. Atq; in hoc exemplo intercurrit illud, Eſſe mirū, ſi quid minimo non menſum ſit: Sic enim legit Alexander: & minimū interpretatur minimam lineam: qualis eſt in numero, unitas. ac quia minima linea nulla ſit, quæ metiat omnes lineas, iccirco diametrū aſymmetrū eſſe. Atqui tamen ratió Ariſtotelis eſt ad diametri aſymmetriā, quód numerus par, eſſet æqualis impari. Interpretū autem Euclidis demonſtratio eſt, quôd numerus quadratus, eſſet duplus quadrati numeri. quod utrūq; ſit impoſsibile. At numerū quadratū numeri quadrati duplum dari non poſſe, nuſquā in elementis demonſtratū eſt: & minima linea ad hanc aſymmetriam nihil attinet. Quare Alexāder, ut alibi Philoponus docuit, geometricis artibus parum videtur inſtructus fuiſſe: in eoq; par Simplicio fuerit. neq; mirum, ſi Pauſon vel Hegemon aliquando fuerit.

IN CAP. III.

Quid? tertium deinde caput, quā metaphyſicā interpretatē? Equidē Ariſtotelis excuſandi cauſſā, multa in ſcholis aliis ab eo ſtudioſé collecta profeſſus ſum, quæ nunquā poſtea relegiſſet, nunquā æſtimaſſet, aut judicaſſet: & hoc in primis loco neceſſaria fuerit hæc excuſatio. Enimveró ſophia, definita eſt ſcientia cauſſarū primarū, id eſt maximé communiū & generaliū: ut ſophia, ſit ſcientia cōmuniſsima & generaliſsima omnium ſcientiarū: quid deinde? Sophia, neſcio cujus ſophiſmatis præcipitio delabitur ad theologiam, id eſt ad ſcientiam cauſſæ ultimæ: atque in ordine artium poſt omnes artes perdiſcendam. Præcipitata eſt; inquam; ſophia

ſophia é primo logicæ artis gradu verbi unius captione, in ultimum theologiæ gradum: atq; ita ex duabus diſjunctiſſimis artibus, prima & ultima, putavit metaphyſicus noſter unam diſciplinam fieri poſſe. Sed tamen á logicis cauſsis delabimur ad theologicam: neque in ea conſiſtimus, ut theologiæ partes & affectiones é methodica lege deſcribantur, ſed repentè, velut ſomnio aliquo excitatus metaphyſicus, ſurſum ad logicā revolat, & initio tertii capitis cauſſam quadrifariam partitur: Quoniam ſcientia primarum cauſſarum tractanda eſt: Tūc enim ſcimus, quando primam cauſſam novimus: cauſſa veró quatuor modis dicitur, eſſentia, & quid eſt eſſe, id eſt forma: tum materia, & ſubjectū: tertio, principium motus: quarto, finis motus. hæc cauſſarū Ariſtotelearum partitio quadripartita eſt: ubi efficiens & finis ab Ariſtotele opponuntur, quia de cauſsis, efficiens ſit prima: finis, ultima. & hoc ordine deſcribitᷣ á nobis in logica. Atqui, inquā, partitio hæc repetita eſt ex Analyticis, ut Alexander hîc admonet: repetita eſt é phyſicis, ut Ariſtoteles ipſemet hoc loco teſtatur. Sed enim leges Ariſtotelis, legislatorē veſtrum monete, & corrigite. Imperat nobis imperio veſtro, ne quicquam logicum ſit in phyſica, nec quicquam logicum ſit in metaphyſica: imperat ut generalia generaliter, & ſemel, & ſuo loco doceantur: Attamē vos, veſtraq; juſſa mandataq; oblitus aut aſpernatus, cauſſarum logicā in phyſicis, cauſſarum logicam in metaphyſicis repetít etiam atq; etiam. Tautologias igitᷣ iſtas tam moleſtas & odioſas coërcete. Neq; tam multiplex ſophiſma Ariſtoteli imprudenti excidit: Etenim etiam ſe feciſſe profitetur: imó veró phyſicas veterum phyſicorum omnium de logica cauſſarum doctrina opiniones toto deinceps reliquo quinq; perpetuis capitibus libro perſequitur. Atque tam variam ſophiſmatum & elenchorum miſturam, theologiam nominat. Equidē metaphyſicarū ſcholarum penéjam tædet: vetereſque Alexandri philoſophos, & Plutarchum veraces de iis libris judices fuiſſe jam manifeſtum eſt: attamen conſtantiæ cauſſa, ſuſceptum opus exequamur. Sententias phyſicorum de cauſsis metaphyſicus pſequitur, quia inde (ait) aliquid ad propoſitam cauſſarum partitionem profuerit: idq; tādem duobus poſtea locis repetet, hiſtoria phyſicorū quadripartitam cauſſarum partitionē confirmari. Verúm, inquam, quid tam prolixa hiſtoria opus erat phyſicorum teſtium, id eſt in logica civitate peregrinorum & hoſpitum? Hiſtoriam logicorum philoſophorū (ad quos iſta cauſſarum partitio attinet) huc potiùs induci oportuit. Atenim ſi fructus aliquis erat, á phyſicis opinionibus fuiſſet in phyſica: ſi tamen per legem καθ' αὑτὸ eſſe id potuiſſet: alienæ autem theologiæ loco nō miſceretur. hîc igitur Alexander, opiniones iſtas phyſicas animadvertens, & elenchum illum perſentiens, quamvis Ariſtoteli ſervus devotiſsimus, diſsimulare tamen non potuit: Itaq; ait, ad excuſandum Ariſtotelē, á veteribus illis non phyſicas cauſſas, ſed velut entiū omniū communes propoſitas eſſe: ſecús (ait) commemoratio iſta aliena eſſet á propoſito. At, inquam, interpres imperatorie, magiſter tuus nominatim profiteᷣ hoc loco phyſicā, & phyſicos: & poſtea φυσιολόγους appellat, & res ipſa tota id apertiſsimé loquetur: & certé imperatoria profeſsio, liberiorē & conſtantiorem de his ſophiſmatis ſententiam poſtúlabat. Quapropter videt Alexander Ariſtotelis errorē. & tamen tam ſerva eſt in Ariſtotelis interpretibus interpretatio, ut errorem non putent errorem, quo Ariſtoteles errare videatur. Attamē (tanta vis eſt veritatis) etiā Alexander ipſe ineptias ſuæ ſolutiōis cōfeſſus, authores productos phyſicos ipſemet hîc appellabit. Quamobrem ſophi, conſiderate ſophiam iſtam, quæ á ſumma logica deorſum deſcendat ad ultimam theologiam, & ab ultima theologia ſurſum aſcēdat ad ſummam logicā, & á ſumma logica poſtremó reſiliat ad intermediam phyſicā: & judicate quomodo logica theologia, logica phyſica ſecundum leges Ariſtotelis unam poſsint efficere theologiā. Sed tamen audiamus quid veteres phyſici propoſitæ partitioni conſentaneum dixerint. In ſingulis veró cauſſarum generibus commemoratur longo ſermone, quæ cujuſque philoſophi ſententia fuerit, de materia & efficiente primúm, de forma & fine: tandem commemoratæ ſententiæ diſcutiuntur & expenduntur.

tur. Ergo commemorentur primùm de materia ſententiæ. Plurimi (ait Ariſtoteles) veterum philoſophorum, ſolã materiam, aliam putaverunt. Primi generis hujus producuntur novẽ, Thales, Hippo, Anaximenes, Diogenes, Hippaſus, Heraclitus, Anaximãder, Empedocles, Anaxagoras. Thales aquam dixit eſſe principium rerũ, quia humor, eſt ſemen alimentumq; rerum omnium. quo argumento moti ante Thaletem veteres theologi, Oceanum & Thetyn parentes generationis fecerũt, & Styga, juſjurandum deorũ. Atqui hos theologos, quãvis hic appellet Ariſtoteles, attamen nominatim ait de natura loquutos eſſe, ut inde commentum Alexandri planè ridiculum deprehendatur. Hippo etiam humorẽ, principium fecit: ſed hic, quia non definivit, utrùm aquæ, an aëris humorem intelligeret, διὰ τὴν εὐτέλειαν, ob ſimplicitatem & levitatem ab Ariſtotele cõtemnitur: Anaximenes & Diogenes, aërem principium ponunt: Hippaſus & Heraclitus, ignem: Anaximander etiam tandem ad finem ſexti capitis, inducetur author corporis igne denſioris, rarioris aëre: Empedocles, elementa quatuor: Anaxagoras, infinita homœomerea. Itaque veteres illi omnes phyſici dicuntur unicam materiam attigiſſe, de cæteris cauſsis nihil cogitaſſe. Atque hæc de materia eſt antiquarum opinionum hiſtoria, & opinionum phyſicarum hiſtoria, è primo Ariſtotelis phyſico ferè repetita: ut jam ſophiſtica planè Alexandri ſolutio deprehendatur. neque enim Thales aquam cenſuit eſſe cauſſam communem grammaticæ, arithmeticæ, reliquarum rerum. Agitedum: de cauſſa efficiente, qui phyſici veteres ab Ariſtotele proferuntur? Numerus phyſicorum teſtium binario hic brevior eſt: novem anteà nominati ſunt, hic ſeptem nominãtur: Parmenides, Anaxagoras, Hermotimus, Heſiodus, Empedocles, Leucippus, Democritus. Parmenides è veteribus ſophis (ait Ariſtoteles) ſolus cogitavit efficientem cauſſam, cùm ſtatuit ignem & terram principia: ignem, pro efficiente: terram, pro materia: Anaxagoras deinde mentem, rerum efficientem induxit: eoque argumento inter veteres illos unus ab Ariſtotele ſobrius modò appellatur, qui tamen pauló antè inter authores unius principii numeratus eſt: qui tamen phyſico primo, ut abſurdæ mentis author eſt irriſus. Ideoque & nos hunc locum ad Anaxagoræ defenſionẽ primo phyſico adverſus manifeſtas Ariſtotelis calumnias adhibuimus. Quid deinde? duo iam phyſici phyſicarum rerũ cauſſam efficientem perſpexerunt, Parmenides ignẽ, Anaxagoras mentem: imò verò (ait Ariſtoteles) Hermotimus Anaxagoræ popularis etiam ante Anaxagoram, mentis illius author fuerat.

IN CAP. IIII.

Atque ante hos etiam omnes, Heſiodus amorem rerum parentem effecerat. Quid tum verò? Empedocles quintus cauſſæ efficientis artifex appellatur, qui concordiam bonorum efficientem cauſam, igni: diſcordiã malorum, aëri, aquæ, terræ tribuerit: primuſque omnino diviſam hãc cauſſam diſtinctamq; attulerit. Enimverò, meta phyſice noſter, ubi tua memoria eſt? Empedocles pauló antè, ut Anaxagoras, inter illos materiarios numerabatur: nunc efficientis etiam cauſſę author nominatur: Et quidẽ alio vel memoriæ, vel conſtantiæ elẽcho, nominatur primus, cùm Parmenides pauló antè primus efficientis author nominatus ſit: nunc autem prima eadem Empedoclis authoritas efficitur: Quę ſanè valdè arguũt hęc ab Ariſtotele nunquam eſſe recognita. Verùm ab iis ſophiſmatis abeamus: hiſtoriã perſequamur. In hunc numerum poſtremi Leucippus & Democritus inducuntur, qui plenum vacuumque rebus tanquam materiam ſubjiciunt, atomorum autem figura, ordine, ſitu generant omnia. Quid tũ verò? qualis eſt hiſtoriæ hujus exitus? Efficientis quidem cauſſæ conſideratio, ſeptem phyſicis ſic ab Ariſtotele tribuitur, ut tyronibus inexercitatis militaris ſcientia tribueretur. Etenim (ait metaphyſicus) illi jactati præclaras plagas frequenter imponunt, ſed ſine ſcientia: ſic neque hi phyſici videntur intelligere, quæ dicunt: Cauſsis enim nihil admodum utuntur. Anaxagoras verò, mente tanquam machina aliqua utitur ad mundi fabricam: atque ubi dubitat de cauſſa, mentem attrahit: cæteris in rebus quidlibet potiùs agit: Hic tamen inter cæteros

ros ſobrius appellabat. Tam varium & inconſtans eſt in hac hiſtoria metaphyſici judicium: & tamen judicium rhetorica inſolentiſsimum. Etenim ſi teſtibus Demoſthenes aut Tullius uti velit, nihil agat, prius quàm ut eorum mores, integritatem, religionem, gravitatem commendet, ut inde veri teſtimonii perſuaſio ſit: At hîc Ariſtoteles rhetoricam iſtã velut oblitus, teſtes, quibus inſtitutam cauſſarum partitionem confirmare cogitat, alios velut opifices materiarios, alios ut effectores atque actores, ſed inexercitatos, & ſcientiæ expertes eſſe diſſerit: id eſt, argumẽto ſuo fidem detrahit. Sed hæc altera eſt phyſica de cauſſæ efficientis hiſtoria: tertia de forma, qualis erit? Teſtes huc inducũtur, Pythagoras, Alcmæon, Xenophanes, Parmenides, Meliſſus, Plato.

IN CAP. V.

Pythagorei igitur, mathemata primi ab Ariſtotele & attigiſſe & auxiſſe, in iiſque materiam formamq; rerum ſtatuiſſe dicuntur: At, inquã, Aegypti ſacerdotes de mathematum inventione cum Pythagoreis quomodo convenient? hic primus eſt ex hac hiſtoria contradictionis elenchus. Dicuntur etiã Pythagorei numerorum μιμήσει, imitatione, philoſophiam totã explicaſſe: tanquam res ipſæ μιμήματα eſſent numerorũ: & numerum feciſſe non ſolúm materiã, ſed affectus & habitus, id eſt (ut Alexander ait) cauſſam efficientẽ, vel (ut Aſpaſius) differentiam, ſeu formã: quod præſenti hiſtoriæ convenientius eſt, quodq; ab Ariſtotele ipſo nominatim etiã paulò pôſt dicitur. Eſt autem hîc Ariſtoteles multus in logica Pythagoreorũ, denario numero multa tribuentium, indeq; decem globis mundum componentiũ: octo cæleſtibus, nono terræ: nam terram in orbem moveri etiam arbitrabantur: decimo ἀντίχθονα, velut oppoſitæ terræ, quæ cõtrario terræ motu moveretur. Sed denarius idẽ numerus ſtatuitur aliter à Pythagoreis in decẽ oppoſitionibus κατὰ συστοιχίαν, ſecundum conjugationem comprehenſis, quæ ſunt, finitum infinitum, impar par, unũ multiplex, dextrũ ſiniſtrum, mas fœmina, quietum motũ, rectum obliquum, lumen tenebræ, bonum malũ, quadratũ alterolongũ. Hæ veró oppoſitiones, ꝓ topicis quibuſdã categoriis & locis communibus videntur à Pythagoreis aſſumptæ denario numero, quem propterea ſit Ariſtoteles avidiùs imitatus, ut decem ipſius categoriæ, decem Pythagoreorum categoriis reſponderent. ſed tamen decem Pythagoreæ categoriæ ſunt ineptæ, cúm ex iis aliæ ſint logicæ, ut finitum infinitum, è fine: quieſcens motũ, ex effectis: dextrũ ſiniſtrum, è loco: unum multiplex, ê toto: aliæ mathematicæ, ut par impar, rectũ obliquum, quadratũ alterolongũ: aliæ phyſicæ, ut mas fœmina, lumen tenebræ: aliæ ethicæ, ut bonũ malum. é cujuſmodi miſcellaneis cõpoſitas eſſe Ariſtotelis categorias in logicis ſcholis docuimus. Atq; hæc hiſtoria ad præſentem de cauſsis hiſtoriam nihil admodũ attinet, ſicuti neq; de Alcmæone Crotoniata, qui etiam contraria rerum principia fecerat. Sed præcipuè aliena eſt hiſtoria (ut etiam Ariſtoteles ipſe confitetur) de ente uno: quod confuſè & indefinitè primus Xenophanes attulit, deinde Parmenides idem revocavit, ſecũdum rationem & formam: nihil tamen dilucidè: ſed in cælum aſpiciens, Deum dixit unũ eſſe. O' philoſophum philoſophiæ ſuæ nõ ſatis memorẽ! Hic locus ad Parmenidis defenſionẽ productus eſt á nobis primo phyſico adverſus Ariſtotelis calũnias, quòd nomine unius principii, Deus malitioſè ab Ariſtotele traduceretur: Sed Parmenides (ait metaphyſicus) plura elementa ſenſu ſtatuit, ignẽ quippe ac terrã: Meliſſus tertius retulit hoc unum, ſed ſecundũ materiam. Itaq; Xenophani & Meliſſo, velut agreſtibus, Parmenides anteponitur: ſed Meliſſo ab Ariſtotele videtur hîc imponi, qui theologiam (ut Ariſtoteles ipſe primo phyſico objicit) potiús quàm phyſicã tractaſſet. Atq; hîc interea dũ res ita permiſcetur, Ariſtoteles ait á Pythagoreis de forma & de ipſo quid eſt, cœptũ agi: & illæ nimirum cauſæ duæ ſunt, materia & forma, quas antea in Pythagoreis ſecundũ Aſpaſium notavimus. Alexander autẽ multis verbis hîc excuſare nitẽ Ariſtotelis inconſtantiam quandam, quòd unum principiũ Pythagoricis antea tribuerit, nũc attribuat finitum, infinitũ, unum. Verùm perge: incõſtantia, cõtradictio, repugnantia Ariſtotelis laborem

produnt,

produnt, judicium nullũ declarant. Logica Pythagoreorum talis eſto. Quid? Platonis philoſophia qualis eſt? Ea ſucceſsit (ait Ariſtoteles) poſt illas philoſophias omnes: ſed pro variis diſcipulorũ ingeniis varié diſſecta. Platonis ſermones ſunt varii de ideis & multiplices: videtur interdum ſeparata quædã rerum exemplaria dicere, ut in Phædro, in 10. de repub. aliás de induſtria commenta illa labefactare, ut in Parmenide: quo in libro, ſententia Platonis de ideis exquirenda fuit. Hinc Platonis academia contrariis hæreſibus de idearũ philoſophia diſciſſa eſt: Xenocrates, & ab eo Academici, ſpinoſiora illa exemplarium idearum figmenta tutati ſunt: Ariſtoteles ſectam elegãtiorem & logicæ veritati germaniorem ſectatus eſt: Itaq; Platonicas ideas nihil aliud eſſe ait, quàm in logica, ſpecies & genera mente animoq; concepta. Hæc veró controverſia in ſcholis Græciæ maximas turbas excitavit, ſimillimas iis quas ſuperiore ſæculo Pariſienſis Academia á Nominalibus & Realibus pertulit: cúm alii nomina, alii res in Ariſtotelis categoriis & Prædicamentis eſſe contenderent: & quidem contenderent, non verbis tantúm & argumentis, ſed ſanguine, cæde, civili propé diſcordia & ſeditione: ut Regum authoritate fuerit opus ad tãtos motus componendum. At res ſtultiſsima evanuit, cúm intellectum eſt, logicam totam, non categorias ſolúm cõmuniter eſſe omnium ſeu rerum, ſeu nominum: Stultitia Græca patronos pertinaciores reperit. Ariſtoteles de ideis ſententiam illam commodiorẽ & humano ſenſui uſuiq; aptiorem ſecutus, duos de iis libros ſeparatim conſcripſerat, ait Syrianus 4. ca. 13. metaphyſ. tum in libris Ariſtotelis feré omnibus, de ideis locus aliquis eſt, in logicis præſertim & metaphyſicis: Idearũ contra ſeparatarum defenſores innumerabiles extiterunt Pythagorei & Xenocratici, ut Plotinus, Jamblicus, Porphyrius, plurimiq; á Syriano appellati. Sed ſatis procemii. Ariſtotelẽ Platonicę ideæ interpretem attendamus. Plato (ait) primó Heracliti philoſophia imbutus, ſingularia perpetuó fluere: tum Socratis (qui primus univerſales rerũ definitiones requirebat) ſtatuit univerſalia ſola ſemper eſſe, ideasq; appellavit: Cætera ſingularia, *κατὰ μέθεξιν*, ſecundum participationem, idearum eſſe, tanquam *ὁμώνυμα τοῖς εἴδεσιν*, nomine ſimilia ideis ipſis eſſent: *μέθεξιν* veró ſumpſit á Pythagoreis, ſed mutavit nomen: quia illi *μίμησιν* dicebant de numeris, quod Plató *μέθεξιν* de ideis dixit. Sed neq; á Pythagoreis *μίμησιν*, neq; á Platone *μέθεξιν* Ariſtoteles ſatis expoſitam eſſe putat, Pauſonasq; vel Hegemonas conquéritur. Sed hic reprehẽditur Ariſtoteles ab Alexandro, quia idearum illa *μέθεξις*, in Parmẽide accuraté ſit expoſita. Hic Alexander nõ plané ſervus eſt, ſed neq; plané liber. Calumniam Ariſtotelis in Platonem animadvertit, corrigere non audet: indicat tamẽ occulté. Sed hiſtoriam de Platone Ariſtoteles longiorem contexit, quód mathematica, media inter ideas & ſenſibilia Plato ſtatuebat: eaq; differre dicebat á ſenſibilibus, quia eſsẽt æterna & immobilia: ab ideis, quia eſsẽt varia in ſenſibilibus: Idea autẽ cujuſq; numero eſſet una: Itaq; cúm Plato faceret ideas, rerum cauſſas, magnum & parvum pro materia, unum pro eſſentia & forma, dicitur ſtatuiſſe magnum, parvum, unum. Sic igitur Platonis teſtimonium de cauſsis exponitur, tanquã materiam magni & parvi, formam unius vel ideæ nomine propoſuerit. Sed interea operæpretium ſit illud animadvertere, quód Plato dicitur ab Ariſtotele ob logicam univerſalium definitionum in ideas incidiſſe: idq; rurſus apertiús ab Ariſtotele repetitur, cúm ait: Idearum inſtitutio *διὰ τὴν ἐν τοῖς λόγοις σκέψιν*, propter rationum cõſiderationem accidit. Priores enim *διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον*, dialecticæ participes non erant. Ergo hæc Platonicarum idearum origo notanda diligenter eſt, ut jam intelligamus, quod Ariſtoteles perſpicué poſtea declarabit 6. cap. 4. & 9. cap. 13. metaphyſ. ideas Platonis nõ aliud eſſe, quàm genera, & ſpecies in logica. Sed tamẽ in iſta idearum logica, Plato reprehenditur ab Ariſtotele, tanquam duas tantúm cauſſas noverit, materiam & formã, cæteras cauſſas ignorarit. Ab Alexandro autem rurſus defenditur, ſed ita, ut Ariſtoteles interea nihil offendatur. Calumnia igitur Ariſtotelis altera in Platonẽ ab Alexandro deprehenditur: ſed religio homini fuit, adverſus dominum hiſcere: Vere-

batur (credo) ne Ariſtoteles reſciſceret. Et tamen Platonis dominium hic etiam potiús valuerit, quàm veritatis ſtudiũ. Cur enim tam multa ſophiſmata (ſi liberum interpretis judicium fuiſſet) nõ perinde deprehenſa eſſent? Neq; veró ab Alexandro tantúm de calumnia Ariſtoteles reprehenditur, ſed multó acriús urgetur à Pythagoreis & Xenocraticis, tanquam falſam Platoni magiſtro ſententiam impoſuerit. Sed illud certamẽ duobus poſtremis libris commodiús certabitur. Quapropter ejuſmodi philoſophia de cauſſa formali nobis eſto: qualis erit de finali cauſſa? Hiſtoria brevis & ſummaria tantúm eſt, finem à veteribus quodammodo propoſitũ eſſe, ſed neq; legitimè, neq; ut cauſſæ ipſius natura poſtulabat: propoſitum, inquam, ſed veluti per accidens, ab aliud agentibus: ut qui mentem & concordiam, ut bonum dicũt, hanc cauſſam proponũt. Hic Ariſtoteles neminem nominat, Anaxagoram tamẽ & Empedoclem definit, quibus antea primó ſolam materiæ cognitionem dedit, deinde efficientis conceſsit, ac jam deniq; etiam finis authores efficit. Quinetiam ab Alexandro tertia de Platone calumnia Ariſtotelis indicatur, quód Plato dixerit, penes omniũ Regem cuncta eſſe, & hujus gratia omnia fieri. Indicatur, inquam, tantúm, nõ refellitur: Timor nempe fuit, ne renunciaretur Ariſtoteli. At, inquã, multó gravius eſt, Ariſtotelis legibus renunciari, Ariſtotelem toties & tam vehementer in ipſas leges incurrere. En igitur ariſtoteleæ hiſtoriæ veritatem, cõſtantiam, fidẽ! En veró hiſtoriam Ariſtotelis, Ariſtoteli ipſi prorſus adverſam atq; contrariam! Pollicetur enim Ariſtoteles ſeſe teſtes daturum, qui propoſitã cauſſarũ partitionem confirment: & tamẽ teſtes ipſos rudes & ignaros eſſe cauſſarũ profitetur.

IN CAP. VII.

VEruntamen fructus inductionis & hiſtoriæ longioris (ait Ariſtoteles) hic erit, ut quadripartita cauſſarum diſtributio, teſtimoniis tam multis approbetur. Omnes igitur (ait) teſtari videntur rectè de cauſsis, quot & quales ſint, à nobis eſſe definitum. Atqui, inquã, aſtutiſsime orator, teſtibus tuis teſtimonii hujus fidem abrogaſti. Quid deinde? quid poſt hãc hiſtoriam metaphyſicus philoſophatur? Refutat expoſitas opiniones, id eſt apertiſsimè totam à ſe promiſſam confirmationem pervertit. Agedum, quos aggreditur primùm? quos deinceps? Congreſsio prima eſt adverſus primam illam teſtificationem materiariorum, quos hic Ariſtoteles appellat φυσιολογοῦντας, contra ineptam Alexãdri ſolutionem. Etenim (ait Ariſtoteles) corporum tantúm principium ſtatuunt, cúm ſit incorporeorum etiam principium: deinde generationis authorẽ cauſſam de medio tollunt, tollunt etiam formam, tollunt deniq; mutuam ex elementis generationem. Hæc accuſatio gravis eſt & acerba, ſi vera ſit: At philoſophos in mundo architectando ſtultiores, quám in ædificando ædificio fabros fuiſſe, ut materia tantúm opus eſſe crederent, vix adducor ut credã. Et Ariſtotelis vel in hac hiſtoria præſenti fidem apertè ſumus experti. Perge igitur: Inſeritur στοιχειωδέστατον, maximè elementum videri, ex quo congregatione primùm aliquid fit, quale ſit μικρομερέστατον καὶ λεπτότατον, partibus minimũ & ſubtiliſsimum, ut ignis eſt. Itaq; terra διὰ τὴν μεγαλομέρειαν, ob partium magnitudinem, à nullo philoſopho ſtatuitur elementum: cúm reliquorum elementorum quodlibet aſſertorem invenerit: tametſi terra ſit elementum vulgo & poëtis, & videatur elementum fieri debere, cúm ſit ortu poſterior, ideoque natura prior, id eſt perfectior, ut Alexander interpretatur. quod citavimus 7. cap. 8. phyſ. Attamen (ait Ariſtoteles) ad illam μικρομερείας rationem elementũ non fuerit neq; terra, neq; aqua, neq; aër, neque Anaximandri corpus illud ſubtilius aëre, igne craſsius. Atq; hæc reprehẽſio eſt adverſus phyſicos unius elemẽti authores, quæ adverſus Empedoclem eſt eadem: ſed illud propriũ Empedoclis eſſe dicitur, quód alteratio tollatur, ſi concordia & diſcordia principia ſint: quod poſtremum Alexandro perſuadendum relinquo. Eſt enim valde ἀπίθανον. Sed enim Anaxagoræ refutationem de homœomeria & mente, vel potiús confirmationem audiamus: homœomeriæ refutatio è 4. cap. 1. phyſ. iteratur: ſed (ait Ariſtoteles) ſi nos non verba Anaxagoræ, ſed ſententiam & voluntatem ſequamur, videatur Anaxagoras καινοπρεπεστέ-

ρως, de-

γυς, decētius dicere, duoq; principia ſtatuere, materiam indefinitam, & finitam mentem, à qua omnia gignantur: quam philoſophiam poſteriores tradidere, id eſt Plato, ait Alexander. Ergo Ariſtoteles Anaxagoræ pauló jam factus eſt æquior, quàm fuerat 4.cap.1.phyſ. quàm fuerat etiam multis antea locis in hac hiſtoria. Alexander veró ad hanc incredibilem Ariſtotelis inconſtantiam tegendum, ait Ariſtotelem Anaxagoræ ſtudio & velut favore motum, iſta deniq; dicere. Bellum (ita me Deus amet) tectoriū, & imperatoriū ꝓfeſſoris bonitate & ſimplicitate digniſsimū. Oppugnavit Ariſtoteles Anaxagoram: erat tum videlicet alienus & offenſus: Propugnat deinde pro Anaxagora: reconciliatus eſt (ait Alexander) & factus eſt amicus. At, inquam, interpres Pauſonis & Hegemonis germaniſsime, mitte perſonarum & morum concordiam, vel diſcordiam: utrùm eadem res affirmari veré poteſt, & negari? utrùm pars utraq; contradictionis vera ſimul eſſe poteſt? Atq; hæc adverſus phyſicos, qui tantùm phyſici eſſent, & qui circa phyſicam eſſentiā tantùm cauſſas quærerent, ait Ariſtoteles, Alexandri nempe ſolutionē deſpiciens: ſequentia autem ſunt adverſus eos, qui in omnibus rebus cauſſas exquirunt, & ſenſibilibus & non ſenſibilibus. quocirca adverſus iſtos liberalius certamē Ariſtoteles ſibi cōſtituit. Pythagoras & Plato hí nimirum ſunt athletæ. Oblitus eſt porró Ariſtoteles tota illa efficientis teſtimonia. Sed Pythagoras ſupra phyſicos elatus, é ſenſibilibus principia nequaquam aſſumpſit, conſumpſit tamen ea & exercuit in phyſicis rebus, generatque cælū, & omnes cæli affectiones: qui tamē de igne, aëre, aqua, terra, nihil omnino dixit: quæ quàm conſona ſint, Alexander viderit. Quid igitur contra Pythagoram Ariſtoteles argumentatur? Argumētum unum eſt ſummum, quód à mathematicis illis Pythagoræ principiis nihil moveri, nihil effici poſsit. ſed id poſtea cōſiderabitur 1.2.3.cap. 13. lib. Verùm adverſus ideas longé graviſsima & ampliſsima concertatio eſt Ariſtotelis. Recordemur autem (quod Ariſtoteles antea jam nos admonuit) Platonis ideas à logica cōſideratione profectas, non aliud eſſe, quàm in logica genera & ſpecies: Recordemur etiam é tam multis adverſus Ariſtotelē ſcholis noſtris, Ariſtotelis ingeniū litigioſum valdé & contentioſum fuiſſe, ut adverſus ideas, tot locis & tam multis verbis decertādum, & velut exercendi ingenii cauſſa, declamandum ſibi proponeret: neq; tamen tam multiplicis concertationis cauſſam totam Ariſtotelis alacritati tribuamus. Fuit enim Academiæ patrimonium Xenocraticis & Ariſtoteleis ſectis diviſum, uti dictum eſt: Atq; utriq; tum Xenocratici, tum Ariſtotelei, Platonis philoſophiam de ideis ſectari ſe profitebantur. Quapropter Ariſtotelis concertatio de ideis adverſus Xenocratem & Xenocratica idearum exemplaria, præcipué declamatur. Agedum, ariſtoteleæ declamationis argumēta ſubducamus. Decimo tertio libro quæſtio hæc ex Syriano diſceptabitur amplius & copioſius, ubi Syrianus multá conqueritur de Ariſtotele, quód mala fide pleraq; recitarit adverſus ἀνασκευαστικῶς & κατασκευαστικῶς: perverſaq; logica alias ſentētias laudarit, alias accuſarit. Sed hic hiſtoriā qualemcumque Ariſtoteles contexuit, agamus. Argumenta octo, magna cōfuſione diſputantur. Nos ea facilioris intelligētiæ gratia, diſtinximus. Xenocratici igitur primó ajunt ideas æquales eſſe rebus, quarum ſunt ideæ. At (inquit Ariſtoteles) ridiculum eſt, cúm pauca numerare non poſsis, ad numeri facilitatem, multitudinem rerum conduplicare. Hoc veró argumentum leve eſt: generibus enim logicis pariter objici poteſt. Secundó, Xenocraticis argumentis aut nihil concluditur (ait Ariſtoteles) aut concluditur etiam oppoſitum, ut ideas, non ſolúm eſſentiarum eſſe (quod Xenocraticis placebat) ſed artificioſorū, corruptibilium, malorum, relatorum, non entium, ut negationū, quod ipſis minimé videatur: tertius deniq; homo fieret, quia (ut Alexander ait) præter Socratem, & ideam Socratis, erit homo communis ſingulorum hominū. item, cúm dicitur, Aliquis homo ambulat, non eſt idea, quia eſt immobilis: nec Socrates, quia non cognoſcitur: Tertius igitur homo. Quinetiam Phanias in eo libro quē ſcripſit in Diodorum, teſtatur Polyxenum ſophiſtam arguere tertium hominem eſſe ad hunc modum: Si participatione ideæ homo

eſt, aliquis homo habebit eſſe ad ideã: atqui ipſe homo, cúm ſit idea, nõ eſt participatione ideæ: ſed neque homo quilibet. Supereſt igitur aliquem tertium hominem eſſe, qui habeat eſſe ad ideam. Quarto autem modo idem oſtẽdit Alexander: Homo dicitur de ipſo homine, id eſt de idea, & de Socrate: tertius igitur eſt. Nam quod de multis dicitur, ſeparatum eſt authoribus idearum. Atq; eadẽ ratione homo quartus, & quintus, & ſic deinceps: imó quot genera erunt rei cujuſque, primum, medium, ſummum: tot ejus eſſent ideæ, ait Alexander. Perſequere igitur reliqua Ariſtotelis adverſus exemplares ideas argumenta. Tertiũ eſt, quód tollerentur Xenocraticorum quædam placita: quia dualitate numerus prior eſſet: & relatum, eo quod eſt per ſe. Neq; Anaxagorea ideæ cum rebus permiſtio quidquam proficiat, ut Eudoxus & alii quidam commẽti ſunt. Quartum, Plures rei ejuſdem eſſent ideæ, ut Socratis, homo, bipes, animal: deniq; idearũ eſſent ideæ, idemq; eſſet παράδειγμα καὶ εἰκών, exemplar & imago: Idea nempe, exemplar ſenſibilium, & ipſa rurſus imago ſui exemplaris. Quintum argumentum eſt, quód idea nihil cõferat, neq; ad motum (cúm dicatur immobilis) neq; ad eſſentiã (cúm extrá ſit) neq; ad ſcientiam, cúm rei nulla cauſſa ſit. Sextũ eſt, quód numerorum non ſit idea, ut Xenocraticis placebat: quia numerus, rerum cauſſa eſſe nequeat: Secús, cúm numeri alii conſtẽt ex aliis, etiam numeri numerorum cauſſæ eſſent: tandemq; ex numeris numeri, ſic ex ideis fierent ideæ: & unitates idearum aliæ eſſent, aliæ numerorum, quibus Arithmetici utuntur. Septimum, quód magnitudinis ideæ nõ ſunt magnum & parvum: ad quæ redigãtur principia lineæ, longum, breve: ſuperficiei, latum, anguſtum: corporis, altum, humile: quę ſi differentia ſint genera, nõ ſubalterna, priora non erũt in poſterioribus: & puncta in linea non inerũt. Hoc autem loco punctum Plato (quod 1. ca. 6. phyſic. citatũ à nobis eſt) dogma geometricum vocat, quód in rerum natura nihil ſit: appellabat autem lineam individuam, ut Alexander ait. Sed metaphyſicus mathemata latiùs perſequitũ, quód rebus cauſſam nullã præſtent: neq; ideo homini inde ſciẽtiam eſſe ingeneratam.

Quæ argumenta omnia, & ſi ad veram theſin conferantur (quód ideæ exemplares illæ nullæ ſint) levia tamen ſunt, & 3. 13. 14. libris à Syriano refutata. Sed Ariſtoteles (tanquam iis argumentis magnificè vicerit Pythagoreos & Xenocraticos) victor exultat, affirmatq; nõ aliud eſſe exemplares ideas affirmare, quàm κενολογεῖν καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς, nugari, & poëticas metaphoras loqui: atq; ita labefactat exemplares ideas, ut antea 18. cap. 1. Poſt. labefactavit. illic enim τερετίσματα nominavit: hic κενολογίαν & μεταφορὰς ποιητικάς, tandemq; ex hiſtoria & hiſtoriæ refutatione concludit, quadripartitam cauſſarum partitionem legitimam ac perfectã deprehendi: quia cauſſæ quatuor illæ quęrantur ab omnibus, nec omnino plures tamen eſſe poſsint: & tamẽ omnes partim ab illis expoſitas eſſe, partim non expoſitas. ψελλιζομένῃ γὰρ ἔοικεν ἡ πρώτη φιλοσοφία περὶ πάντων. Balbutire enim de omnib[9] prima philoſophia videtur. Sic Ariſtoteli primi philoſophi modó ſunt rudes & imperiti, modó velut tyrones exercitati, modó deniq; tanquam in cunis balbutientes infantuli. Quamobrem in hac palæſtra non modó antiquiſsimi philoſophi, ſed Plato ridiculé eluditur. O' ſuavẽ ægrotantibus morbum φιλαυτίαν, & cujus gravitatem pauci ægroti unquam ſenſerint! Miror etiam hic organi logici extremum illud additum non eſſe, Nihil de tota logica ante Ariſtotelem ſcriptũ fuiſſe: ſicuti modó jactatur, de cauſſarũ logica nihil veteribus ante Ariſtotelem cognitũ fuiſſe. Sed Empedocles in exemplum balborum iſtorum adducitur, qui res naturales ratione & forma cõſtituebat: in quo Ariſtoteles, vel oblivionẽ, vel collectionis præcipitem quandam celeritatem, incredibilem in modum prodit. Etenim Empedocles in hac hiſtoria dictus eſt primum de cauſsis unicã materiam tenuiſſe: deinde dictus eſt primus efficientem cauſſam diſtinxiſſe: dictus eſt etiam finem in cõcordia ſtatuiſſe: tandem etiã formam in rerum naturalium explicatione adhibuiſſe, id eſt logica omnium cauſſarum genera tenuiſſe. Verumenim vero ſi logici illi, primo ſcholarum logicarum libro à nobis commemorati, qui ante Ariſtotelem natum tot de logica libros ediderant, excitentur, quid fiet jactationę

ctatione iſta tam inſolenti! Alexander jam Platonem hic obliviſcitur, & domini gratia affirmat ante Ariſtotelem nullam eorum (quæ in philoſophia tractantur) ſcientiam exactè invẽtam fuiſſe: ſed omnes veteres philoſophos balbos, & infantes fuiſſe. O philoſophũ interpretibus tam benevolis, tamq; domini ſui ſtudioſis, beatum! imò verò miſerum. Hanc enim (ſat ſcio) ſi reviviſceret Ariſtoteles, ignaviam & inertiam vehementer à ſe deteſtaretur, qui ipſe liberrimus in omnes philoſophiæ magiſtros extitiſſet, & conſimilis libertatis leges omnibus ſuis ſectatoribus & æmulis propoſuiſſet. Quamobrem Ariſtoteles etiã ad extremũ ἀντερμώτερος apparuit, totamq; iſtam tot teſtium fidem prorſus infirmavit, dum eos ignaros, rudes, balbos, deniq; rerum (quibus teſtificandis & affirmandis inducerẽtur) imperitos & ignaros. Concludat igitur Ariſtoteles, quatuor eſſe genera cauſſarum, quia teſtes illi hoc atteſtentur. At, inquam, id non atteſtantur, ut ais: ſed alii unicam materiam, alii cum materia, efficientem: alii cum materia, formam: nullus apertè finem declaravit: nullus ſimul omnes affirmavit. Ergo ſi teſtes tui audiendi ſint, dicent contra te, genera cauſſarum quatuor non eſſe. Veruntamen ſunto teſtes iſti tui, quales maximè velis eſſe: ſciant quatuor genera cauſſarum, neſciant, affirment, inficientur, ut lubet: Attamen tam longa hiſtoria theſin noſtram affirmabit, theologiam primi libri totam eſſe logicam de cauſſarum generibus, licet phyſicis exemplis & teſtimoniis applicatam.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM LIBER SECUNDUS, *in ſecundum Metaphyſicum.*

IN CAPUT I.

HIc liber multò brevior eſt, vel unico ſuperioris libri capite: & (ut ait Alexander) mutilatus, parsq; libri potiùs, quàm liber: & tãdem præfationem eſſe naturalis philoſophiæ, clauſula libri videtur efficere: nec ideo ſecundus liber dicitur à Græcis, ſed primus minor: res autem ipſa declarabit cum ſuperiore illa hiſtoria cohærere: ut libri primi pars effici poſsit. Veruntamen quicquid ſit, conſideretur. Statuit igitur metaphyſicus initio velut ad excuſandum philoſophiæ veteris errorem, contemplationem veritatis tum facilem, quia univerſi omnino aliquid aſſequantur: cùm velut oſtium ſagittariis, ita philoſophis philoſophiæ ſtudiũ propoſitum ſit, res nempe per ſe clariſsima: tum difficilem, quia nemo unquã vel ejus partem pro dignitate conſequi potuit, nedum ipſam totam. quæ ſententia in litera Ariſtotelis paulò confuſior eſt. hæc tamen ſententia eſt, & quidem admirabilis: neq; enim adhuc quiſquã perfectus vel grãmaticus, vel orator, vel logicus, vel arithmeticus, vel geometra, vel ullius diſciplinæ perfectus artifex inventus eſt: ut hinc difficultas philoſophiæ vera deprehendatur. Secũdum difficultatis argumẽtum eſt à nobis, quia mentes noſtræ, tanquam veſpertiliones, caligant in clariſsima rerũ luce. Quod duntaxat hactenus verum ſit, dum rudes adhuc & imperiti ſumus: & ſenſus tamen iſta difficultas eſt potiùs, quàm mentis, cui per ſe clara, ſunt etiam clara: ac mentes eruditæ non jam veſpertiliones, ſed aquilæ fuerint, intentiſq; oculis lucem intueantur: Ergo hæc de facilitate & difficultate philoſophię, tanquam, ut dixi, ad illos veteres balbos excuſandũ: quorum tamen multorum inventa cõferent plurimum, ideoq; illis habenda ſit gratia. Niſi enim Phrynis muſicus anteceſſiſſet, Timotheus tantus nõ eſſet: ac niſi Timotheus ſucceſsiſſet, tanta non eſſet muſicæ ſcientia. Sic videlicet in philoſophia philoſophi laudandi, vel quia veras opiniones attulerint, vel quia quibuſcumque modis poſteros excitarint. Itaq; rectum fuerit, philoſophiam, ſcientiam veritatis contemplatricem nominare. Hæc Ariſtotelis ſententia eſt egregia quidem & inſignis de primis authoribus philoſophiæ, ideoq; ad hiſtoriam ſuperiorem accommodata: ne queratur Alexander, præfationem hanc tam alienam eſſe. Agedum: Philoſophia, eſt ſcientia veritatis, quæ ſine cauſſa haberi non poſsit: & veriſsimum illud eſt, quod cæteris, ut ſint, eſt cauſſa: ideoq; æternorũ principia ſint veriſsima: atq; omnino ut

quæque res (ut ita dicam) entitatem, ſic & veritatem habet.

IN CAP. II.

Hinc igitur Ariſtoteles inſtitutam quatuor cauſſarum demonſtrationē rurſus majore conatu aggreditur: tanquam prima illa quatuor & viginti teſtium teſtificatione parum eſſet effectum. Cauſſæ igitur (ait) nō ſunt infinitæ, ὅτι εἰς εὐθυωρίαν, ὅτι κατ' εἶδος· neque ſecundum rectitudinem, neq; ſecundum ſpeciem. Secundum rectitudinem demonſtratio triplex eſt, prima: Materia materiæ ſemper alia non eſt: ut ſi carnis materia diceretur eſſe: terra, terræ: aqua, aquæ: aër, aëris, & ſic deinceps. item efficientis efficiens alia: ut ſi diceretur fieri homo ab aëre, aër à ſole, ſol à diſcordia. Sic in fine ſi diceretur, ambulatio ſanitatis, ſanitas beatitudinis, beatitudo alterius cujuſpiam rei. ſimiliter in forma. Verum (dices) quid habet argumenti hæc prima demonſtratio? Certè nihil, quæſtionē ipſam pro argumēto ſumit, quòd progreſsio in ſingulis generibus eſſet in infinitum: quæ tamen ipſa quæſtio eſt. Sed infinitas altera demōſtratione oppugnatur, quòd neq; ſurſum, neq; deorſum ulla ſit: Cur, inquam, quia (ait metaphyſicus) in quibus ordine recto diſpoſitis primum aliquid eſt, prius eſt poſterioris cauſſa: & ſic in logicis ex Ariſtotelis etiā analyticis docuimus genus eſſe cauſſam ſpeciei. Itaq; ut hic Ariſtoteles ait, è tribus primū cauſſa eſt medii, medium ultimi. Deorſum verò, ſi quis infinitum deſcenſum comminiſcatur, reflexio ſit neceſſe eſt: Itaq; neq; ſurſum, neq; deorſum, in cauſsis progreſsio infinita eſt. Atque ſi actu ulla fingatur infinitas cauſſarum, cauſſa omnino nulla fuerit, quia quælibet eſſet media, nulla prior, nulla poſterior. Atqui, inquam, ſapientiſsime theologe, demonſtratio tua poſtulat primum, poſtulat ultimum, quod infiniti author minimè concederet: Partem verò infiniti quamlibet eſſe mediā, nequaquam item aſſentiretur, cùm catenam hic perpetuis annulis contextam fingeret. Verum tertia adverſus infinitatem demonſtratio audiatur de materia, fine, forma. Materiæ nulla eſt infinitas. quid ita? quia (ait Ariſtoteles) materia aliqua eſt prima & æterna. At, inquam, prima eſto: æternitas autē nihil ad præſentem infinitatem, quæ poſsit etiā non æterna cogitari. At neq; poſitis finibus poteſt infinitas exiſtere: Eſt enim finis aliquis & primus & ſummus, cujus gratia fiunt omnia: ſecùs, tollatur è medio natura boni, neq; omnino ſit ulla mēs: Hæc enim in rebus agendis ultimum finem ſibi conſtituit. Atqui neq; infinitas in formis ulla pariter erit, quia definitionis ſemper alia definitio fuerit: denique ſcientia omnis tolleretur, quia ſcientia omnis eſt finitorum. neq; enim ſimile eſt in linea perpetuò dividua: licet enim infinitè ſit dividua, infinitè tamen diviſa intelligi nō poteſt. Atqui hæc poſtrema luculentius quippiam habent & ſplendidius: ſed tamen quod de toto genere infinitatis, & ſecundum rectitudinem, & ſecundum ſpeciem dici perinde potuerit. & ſic 4. cap. 1. phyſ. hoc argumentum adverſus infinitatem Anaxagoræ uſurpatū eſt: & de infinitate lineæ dictum eſt in acroaſi, & dicetur poſteà: atq; hic etiam Ariſtoteles efficiētem oblitus eſt. Verùm ad rectā infinitatem refellendum Ariſtotelis eſt iſta demonſtratio, genere ipſo repetitā è 15. 16. 17. 18. 19. cap. 1. Poſt. Quid? infinitas ſecūdum ſpeciem qualis eſt? nempe ſi certæ ac definitæ ſpecies cauſſarum non eſſent, ut quatuor aut alio quopiam numero: ut iis placebat, qui ponebant in principiis infinita figurarum diſcrimina: Itaq; fieri poſſe dicerent, ut cauſſæ non eſſent in rectum infinitæ: eſſent tamen ſpecie & numero infinitæ: quid igitur adverſus hāc alteram infinitatis ſpeciem metaphyſicus attulit? Certè novi argumenti nihil, ſed repetivit illud, quod jam dixi commune, quia ſcientia cognitioq; omnis everteretur. Quamobrem demonſtratio infinitatis & in rectum & numerum, novi nihil demonſtravit: & tamen ſi veriſsimè demonſtraſſet, cauſſas infinitas non eſſe. quidnam ad propoſitam cauſſarum partitionem id eſſet tandem? Liceat enim infinitate rejecta, alium quemvis numerum quaternario majorem minoremve ſeligere. Quamobrem, ô metaphyſici, ô ſophi, ô theologi, reputate doctoris veſtri laborem, diligentiam, ſolicitudinem, quatuor genera cauſſarum tam laborioſè, tam diligenter, tam ſolicitè diſputantis, ut tandem nihil ad par

titionis

titionis illius abſolutionem & perfectionem ab eo doceretur. Equidem Ariſtotelis ingenium à labore invictum atque indefeſſum admiratus ſum: Ergo ut ipſe veteribus gratias pauló anté habuit, quód qualeſcumque ſententias reliquiſſent, quibus vel erudiremur, vel certé excitaremur: ſic Ariſtoteli ipſi ingentes atque immortales gratias habeo, quód iſtis qualibuſcumque ſcriptis, ſuum de cauſsis judicium nobis tam impenſé demonſtraverit: Hunc enim fructum ex iis ſpinis percipio, quód intelligam, quanti unam cauſſarum categoriam fecerit, cujus gratia tam copioſam, totque libris continuatam philoſophiam ſibi teſtificandam, & poſteritati prodendam putaverit: & ariſtoteleo iſto amore incenſus, cauſſas magis ac magis amo, quas á tanto philoſopho tam vehemēter & ardenter amatas aſpicio: laborem tamen amoris hujus, ac difficultatem diſcipulis meis non relinquo: leges enim Ariſtotelis id vetant: ſed laborem & difficultatem ad uſum cauſſarum & exercitationem multó meliorem ac præſtantiorem conferendam moneo.

IN CAP. III.

Metaphyſicus adhuc in cauſſarū partitione confirmanda luctatus eſt: cohortatio ipſius quædam ad exercitationem ſequitur. Auditor (ait) talis erit, qualis fuerit ipſius conſuetudo & exercitatio: Nam quæ contra conſuetudinē fuerint, diſsimilia, & propter inſolētiam, improbabilia alienaque videbuntur: Contrá, uſitata & conſueta erunt nota & probabilia. Sic in legibus, licet τὰ μυθώδη, καὶ παιδαριώδη, fabuloſa & puerilia jubētibus, cōſuetudo pl' quâm veritas ulla poteſt. Mathematicis erudi- ti, μαθηματικῶς doceri volunt: imperiti, exemplis, teſtimoniis, poëtis etiam potiús inducentur: illis exacta diſputatio ſit moleſta, vel quia ſequi non poſſunt, ἢ διὰ τὴν μικρολογίαν, aut propter anxiam in minutulis rebus curam, & tanquam hominis minutiſsima quæque ad calculos revocantis: ut ſicut in contractibus, ſic in diſputationibus major accuratio illiberalis eſſe videatur. Quæ omnia Ariſtotelis dicta ſingulariter amplector, & omnibus amplectanda ſuadeo.

Adeó á teneris aſſueſcere multum eſt, ait noſter poëta, philoſophiam hanc videlicet æmulatus: ſed illa doctorum & indoctorum differentia valdé notabilis & animadvertenda eſt, á doctis & accuratis omnia docté & accuraté tractari: indoctis, diligentiam eandem & accurationem, ſordidam quandam & illiberalem μικρολογίαν videri: Exercitati ſumus jam multos annos in variis artibus, in quibus τὴν μαθηματικὴν ἀκριβολογίαν exigimus: plerique homines in logicarum legum palæſtra rudes & inexercitati, μικρολογίαν illiberalem quandā eſſe arbitrantur: & ut in pactis & conventis ultra modum rectumque aliquid condonatur ac remittitur, ſic in artibus cenſent nō omnia ad illum accuratæ & exquiſitæ veritatis calculum redigenda: ſed magnis & publica præſertim authoritate conſecratis authoribus nonnulla condonanda eſſe: Leges denique quatenus Academiæ fundatæ ſunt, id etiam impetare exiſtimantur: itaque tantúm conſuetudo moribus & legibus inſtituta potuit, ut τὰ μυθώδη καὶ παιδαριώδη, pro magnis & arcanis myſteriis adhuc habita ſint. At, inquam, barbariſmus aut ſolœciſmus in grammaticá, peccatulum eſt exiguum, imó (ut Galenus ea de re conſcripto libro docuit) in cæteris artibus nullū peccatum: attamen barbarum rhetoricæ, logicæ, mathematicæ profeſſorem, vix ac ne vix quidem defenſores metaphyſicæ tam urbani tamque belli perferent. Contra leges igitur Ariſtotelis quicquā vel falſum, vel alienum, vel improprium, vel confuſum perferemus? ἀκριβολογία in Grammatica arte artium minima poſtulatur: in arte artiū maxima, imó artium reliquarum principe ac domina, tanquam μικρολογίαν contemnemus? aut leges hominis cujuſquam, quantalibet humana potentia præpotentis, pluris quâm rationis leges æſtimabimus? At Ariſtotelis præter cætera, hoc etiam beneficiū inſigne fuerit, quód ἀκριβολογίαν cum in cæteris omnibus artibus, tum in una metaphyſica præcipuê commendávit, atque inter primas metaphyſicæ laudes unam illā ſtatuerit, quod ſit ἀκριβεστάτη. Perge veró: quid eſt hoc in libro reliquū? Jubet Ariſtoteles, ut metaphyſicus acribologiam illam in metaphyſicis ſequatur. Abſurdum enim ſit (ait) ſimul quærere ſcientiam, & ſcientiæ modum, id eſt, quomodo ſcientia gignatur (ait

Alexãder) quod nihil eſt: vel (ut D. Thomas) idoneus auditor primæ philoſophiæ, debet antè logicam didiciſſe, eaq; ſingulis in rebus uti ſecundum ipſarum modum, tanquam logica ipſi ſciẽtia ſit communis, cujus modus & uſus alius ſit in aliis artibus atq; aliis: ut logica in mathematicis ἀκριβολογίαν adhibeat, in phyſicis, quam phyſica ferre poſsit: unde poſtea metaphyſicus fiat accuratiſsimus. quæ interpretatio verior eſſe videatur, ſed ad metaphyſicam inepta: cùm & illam ſcientiam, & modum illius ſciẽtiæ, Ariſtoteles metaphyſicæ tribuat. Sed tamen finis hujus libri etiã metaphyſicus eſſe videatur, qui tamen alioqui phyſicam redoleat, ut Alexãder ſólicité & initio, & in fine expoſuit. Poſtrema omnino clauſula (utrum unius facultatis, an plurium ſit, cauſſas principiaq; contemplari) proprium metaphyſicæ problema eſt, proximis libris ampliſsime tractatum: ut dubitari non poſsit, quin hic liber & antecedenti & conſequenti apté cohæreat. Quanquam de hac clauſula poſtea dubitabit Alexander. Hactenus igitur primus ſapientiæ liber, itemq; ſecundus, penitus exploratus & perſpectus, tautologiam de cauſsis duntaxat habuit. Quamobrem metaphyſici omnes, qui hæc legitis, ponite ante oculos theſin illam initio nobis propoſitam, & æſtimate, jam duobus in libris, utrùm vera ſit. Admonuerunt Alexandrum veteres illi philoſophi, logicã in metaphyſicis temeré permiſceri: Admonuit Plutarchus his in libris, utilitatis novæ nihil eſſe. Admoneo rurſus idẽ, metaphyſicæ, ſeu ſapientiæ, ſeu theologiæ nomine nobis imponi, neq; ullius artis novæ decretum hic inſtitui: ſolida quæcumq; documenta in quatuordecim metaphyſicis libris fuerunt, eſſe logica: Id totis duobus hiſce libris jam obtineo: ſcientia inquirendarum & collocãdarum artium, logica eſt: ſcientia cauſſarum, efficientis, materiæ, formæ, finis, logica eſt. Atqui hactenus hæc tantùm ſolida fuerunt: documẽtum adhuc igitur nullum fuit, niſi logicum: An dicet aliquis logicam etiam metaphyſica iſta demonſtrari, & ideo tot capitibus & argumentis, cauſſarum partitionem eſſe demonſtratam? Enimveró ſi quis librorum iſtorũ ſophiſmata, metaphyſicæ artis propria putet eſſe, ſolidam doctrinam (ſi qua ſit) logicæ eſſe propriam, nihil cum eo contẽdam: nihil enim iſtarum ſpinarum ad logicam refero: Diſtinctiones alias ſcio contrà cõparari, quód metaphyſica ſubjecto eadem ſit cum logica. ſed in quartum librum, decertationis hujus palæſtram differo, ubi tum idipſum dicetur: Satis modó ſit, quę adhuc ab Ariſtotele contra Ariſtotelis ſummas leges in duobus metaphyſicis libris tradita ſunt, eadem logico ipſius organo tradi atq; inſtitui, Pauſonemq; in hac pictura, Hegemonem in hac poëſi, Ariſtotelem fuiſſe: qui ſi vel Dionyſium, vel Cleophõtem, vel Euripidem, ſed in primis Sophoclem, vel Homerum cogitaſſet, longé alios colores expreſsiſſet, numeros longé alios cecíniſſet.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICORUM liber tertius, in tertium Metaphyſicum.

IN CAPUT I.

AGe veró, ad tertiũ librum, ut jam vulgó latinis diſtinctus eſt, accedamus: experiamur judicia & veterum philoſophorum, & Plutarchi, quàm veracia ſint in hoc libro: qualis pictor, qualis poëta, metaphyſicus noſter ſit in metaphyſico tertio. Theologia duorum antecedentium librorum logica fuit, de cauſsis: qualis & quarum rerũ theologia erit tertii metaphyſici? Capita libri hujus cõfuſiús erãt notata, itaq; notationẽ hanc ſuſtulimus: generũ gradus ſumus ſequuti. Theologia, inquã, erit etiã logica feré, de cauſsis: ſed theologia doctrinæ inſolentiſsimæ, quę toto libro tantùm ſine ſolutione vel explicatione ulla dubitatur. Academicus videlicet hic factus eſt Ariſtoteles: diſputat in utramq; partem, judicium ſuſpendit. Syrianus dubitationes ſeptẽdecim numerat: Alexãder minus impenſé numerum habuit: Sunt autẽ octodecim, quarum nonnullarum interpretes & explicatores libri ſequẽtes erunt. Theologia itaque tertii metaphyſici meritó poſsit inſcribi theologia dubitationum. Ac veró ne quis à ſingulari philoſopho tam

novi,

novi, tamq; inauditi nominis librũ admiretur, præponitur initio dubitãdi utilitas, tanquam ſit initium ſapientiæ, Recté dubitare: Sapientia autem, ſolutio ſit ipſarum dubitationum. Atq; huc ſeptimi de repub. Platónis vincula nominatim referuntur: & dubitãtes, comparantur ligatis: & non dubitantes, iis aſsimilantur viatoribus, qui quorſum proficiſcantur, ignorent: quiq; dignoſcere nequeant, ſi fuerit inventum, quod quæritur: quæ Platonica ſunt omnia. Itaque æmulationẽ quandã Platonicam in metaphyſicis Ariſtotelis eſſe prædixi. Sed ad dubitandi utilitates additur á metaphyſico ſumma illa, quód contrariis utrinq; momẽtis accuraté ponderatis, ſophus accuratius judiciũ de ſingulis ſit facturus. Hæc metaphyſicarũ dubitationum academica ſpecies prætexitur: ne quis dubitationum librum temeré conſcriptum á tanto philoſopho exiſtimet. At, inquam, metaphyſice divine, quænã iſta nova academia eſt? aut quis unquã liber ab homine dubitationũ tãtùm deſcriptus eſt, ubi nihil decerneretur? Academici quidẽ in utramq; partem diſſerebant, ſed oratione variis argumentis perpetua continuaq;. Quænam veró in tóta tua logica leges ſunt de hac nova philoſophandi via? Equidem, ut verum fatear, nihil unquam ſtultius atque ineptius legi. nec adhuc reperi ubi Plutarchi ſentẽtiam de metaphyſicis veriorem eſſe cognoſcerem. Et tamẽ hic ſanctæ ſophiæ & ſacræ theologiæ fundamentum collocatur: ut qui problemata iſta dubitarit, qui dubitata diſſolverit, divinæ ſapientiæ palmam conſequatur. Veruntamen novitas nihil obſit doctrinæ, ſi proba ſit, jam problemata ſingula dubitemus: problema primũ audiatur. Prima (inquit Ariſtoteles) dubitatio eſt, de quibus ἐν τοῖς πεφροιμιασμένοις, tanquam diceretur in prooemiatis dubitavimus, utrùm ſit unius ſcientiæ, an multarũ, contemplari cauſſas. Hanc dubitationẽ negat Alexander antea fuiſſe, & refert ad libros de anima. Et certé nõ videtur Alexander in litera Ariſtotelis clauſulam illam (de qua diximus) habuiſſe: quin videtur conqueri, à quibuſdam temeré adſcribi. Solutio autẽ quæſtionis hujus ex analyticis, & é duobus jã anté libris patuit, & patebit poſtea lib. 4. eſſe communis & univerſalis ſcientiæ, cauſſarum genera & ſpecies cognoſcere. Atque in hac prima quæſtione, verbum illud (τὰ πεφροιμιασμένα) notatũ eſſe cupio, ad illam metaphyſici operis diſtributionem, quã initio fecimus: ut prooemium metaphyſicæ ab Ariſtotele duobus primis libris terminatum intelligamus: cum quibus & duos ſequẽtes eodem prooemio complexi ſumus, ut pro prooemio, propoſita res eſſet ac definita. Sed tamen prima iſta dubitatio, qualis eſt in metaphyſica? Qualis, inquã, eſſet in Grammatica, Utrùm ſit unius artis, nominũ omnium declinationes noſſe? ſimillimum ſiquidẽ in utraq; ſapientię initium fuerit. Dic veró jam dubitationẽ ſecũdam: Utrùm una eſt ſciẽtia demonſtrativorum axiomatum, ut contradictionis, comparationis? At hoc, inquam, nonne eſt quærere, utrùm ſit unius artis verba conjugare? Quid enim tam logicis tritum & uſitatum eſt, quám illa oppoſitorum & comparatorũ doctrina? Perge igitur: Tertia dubitatio eſt, Utrùm una ſcientia ſit omnium eſſentiarũ. Quarta, Utrùm genera ſint eſſentiarum varia. Reſpondebit, inquam, logicus, logicã eſſe communem omniũ eſſentiarum, cujuſcumq; generis ac modi: ſimilemq; dubitationem dicet eſſe, Utrùm Grammatica ſit omniũ vocabulorum communis. Specialibus autem ſcientiis, ſpecies eſſentiarum ſpeciatim inſtitui: Theologia, eſſentias divinas: phyſica, ſenſibiles. Utrùm veró mathemata, quæ media finguntur inter divina & phyſica, ſint eſsẽtiæ, diſſeritur poſtea: & tamen hanc quartam dubitationem de generibus eſsẽtiarum, logicam eſſe logicus pernegabit: quia non eſt entis, quatenus eſt ens, cùm ſit entis æterni, mathematici, phyſici. Pergamus: Quinta dubitatio eſt, Utrùm eadem ſciẽtia ſit etiã per ſe eſſentiis accidentiũ. Erit (dicet logicus) & per ſe, & quovis modo accidentiũ & adjunctorũ, neq; tantùm eſſentiis, ſed quibuſvis rebus accidentium & adjunctorum. Ergo hæc etiam dubitatio valdé fatua erit logico, qui Topicũ adjunctorum omnium entium commune eſſe didicerit. Tum veró ſexta dubitatio, qualis eſt? Utrùm eſt unius ſcientiæ conſiderare de eodem, diverſo, ſimili, diſsimili, priore, poſteriore, cæteriſq; omnibus, de quibus dialectici conantur con-

tur conſiderare, ex probabilibus ſolúm conſiderãtes? Ridebit, inquam, & iſtam ſapientiam dialecticus, cùm hæc omnia ſuæ artis eſſe meminerit: & differentiam dialectici à ſopho iſto tam ridiculam judicabit, quàm in logica didicit eſſe ridiculam differentiam logicæ apodicticæ à logica dialectica: cùm ſit ars & inſtitutio utriuſque generis una & eadē. ſed hoc rurſus accuratiùs quarto libro diſſeretur. Hìc veró locus eſt toties antea nobis appellatus, ubi Alexãder ſignificat, non defuiſſe, qui ariſtoteleos interpretes de Ariſtotelis errore hoc immēſo admonerent: logicam nempe iis in libris nomine ſapientiæ, philoſophiæ, philoſophiæ primæ, theologiæ, importuno ſophiſmate repeti & obſcurari. Non eſt doctrina hæc logica (ait) ut quibuſdam viſum eſt, quia philoſophi his in rebus alius eſt ſcopus, quàm logici. Verùm bella & arguta diſtinctio diſtinguetur aptiùs 2. cap. 4. metaphyſ. & captionis immenſæ fraus aperietur. Dic igitur ſeptimam dubitationem: Utrùm eſt unius ſcientiæ, ejuſdem, diverſi, & cæterorum proprietates cõſiderare? Affirmabit hoc idem logicus, eſſe logicæ artis, genera argumentorum omnium, eorumque proprietates & affectiones communes conſiderare: ut grãmaticus diceret eſſe Grãmaticę, non ſolúm nomina & verba, ſed nominum verborumque proprietates explicare. Octava veró dubitatio, quænã eſt? Utrùm cauſſæ, ſunt genera rerum, an elementa? Et hanc etiam dubitationem jucundé dialecticus accipiet, atque utramque ipſius partem affirmabit: Quoties enim poteſtas eſt in membra partiendi, partitio illa prima eſt: quia eſt in cauſſas. quoties definiendi demonſtrandique é genere fuerit, in definiendo & demonſtrando, generis uſus erit: quia cauſſam continet, ut eſt in analyticis: quia in eodem ordine conſequentium, prius poſterioris cauſſa eſt, ut patuit 2. cap. 2. metaphyſ. Nona dubitatio octavæ conſequens eſt, Si genera ſunt cauſſæ, utrùm prima, an ultima? Hìc etiam logicus ridebit, & reſpondebit ampliús quàm ſit quæſitũ, genera omnia, cauſſas eſſe ſpecierum, prima primarum primas, media mediarum medias, ultima ultimarum ultimas. Hoc autē loco, & animal, & homo, genera ſunt Ariſtoteli: & ſic τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος 1. cap. 1. metaphyſ. dictum eſt. Perge igitur, quænam eſt decima dubitatio? Utrùm materia ſola eſt cauſſa? Atqui, inquam, divine dubitator, quorſum analytici duo libri de quatuor generibus cauſſarũ? quorſum duo phyſici libri de quatuor generibus cauſſarũ? quorſum denique duo metaphyſici antè libri de quatuor generibus cauſſarum? Ecquid igitur tandem dubitas, utrùm unica ſit materia? O divinum & ſupernaturalem dubitationũ artificem! Dubitet veró in Grammatica Grammatiſta aliquis, cùm partes orationis octo eſſe docuerit, talem dubitationē, Utrùm ſolum adverbium ſit pars orationis: ac ſeſe ideo ſapientem eſſe prædicet, ut ſit huic noſtro ſopho ſimilis. Sed dubitationes reliquas audiamus: Undecima eſt, Utrùm pręter τὸ σύνολον, ſimul totum, eſt aliquid ſeparatum? At, inquam, præter totum commune, nihil eſt in ea communione eſſentiale: At extrinſecus adjungi aliquid poteſt: ſic de toto integro: De idea autem jam dictum eſt, & dicetur poſtea. Dic igitur, metaphyſice dubitator, dic dubitationem duodecimam: Utrùm cauſſæ finitę ſunt numero an ſpecie? Atqui, inquam, ſecũdo libro docuiſti, genera cauſſarum, ſpecie finita eſſe, & numero finita eſſe docuiſti. Quid igitur? Quærat Grãmatiſta ille, Utrùm partes orationis ſpecie an numero finitæ ſunt? Ecquidnã veró eſt, philoſophiã à philoſopho derideri traducique, niſi hoc eſt? Philoſophus tot libris antea hæc omnia definiviſſe & demõſtraſſe ſibi viſus eſt: & tamē eadē in dubium revocat? Quis igitur ſuperiorem Ariſtotelis philoſophiam dubiã & incertam nunc efficit? Ariſtoteles. Quæ veró cauſſa juſta ſit, ut diſciplinam ſuis elementis abs te contextam, iſto modo retexas? Initium (inquit) ſapiẽtiæ, eſt bene dubitare. Ah! callidum artificium, quo ex arte certa, incertam dubitationem efficias. Verùm dubitationes reliquas dubitato. Decimam tertiam quæſtionem proponito: Utrùm cauſſæ caducorum ſunt caducæ, & æternorum æternæ. Sunt, inquam, conſtituentes cauſſæ caducorũ caducæ, æternorum æternæ, ut ex te ipſo jam in ſcholis phyſicis diſſeruimus. & tamen hæc quęſtio pręcipué nihil ad logicum, nihil ad metaphyſicum attinet: quia

non

non eſt entis, quatenus eſt ens. Audiamus deinde decimam quartam: Utrùm unum & ens, ſunt cauſſæ rerum? Hanc veró dubitationem omniũ maximam & difficillimã dubitator noſter eſſe ait: quia ſic Pythagoras & Plato ipſum ens, & ipſum unũ, pro cauſsis ita ſtatuebãt. Atqui, inquam, dubitatio iſta valdè ſophiſtica eſt, & multorũ in metaphyſicis libris ſophiſmatum origo. Perge igitur ad decimam quintam dubitationem: Utrùm univerſalia ſunt principia, an ſingularia? At, inquam, dubitatio iſta modo quodam jam præceſsit, utrùm genera eſſent principia an elementa: & hanc tautologiam Alexander vidit, & valde excuſare voluit. Principia autem generum ſunt generalia & univerſalia: principia ſpecierum ſunt ſpecialia & ſingularia. Quænam eſt dubitatio decima ſexta? Utrùm cauſſæ ſunt actu an potentia? Sed tamẽ ſi Grammatiſta dubitaret idẽ, Utrùm partes orationis ſunt actu, an potẽtia: quo riſu, quo plauſu exciperetur? Sed hic diutius immoraris. Perge veró, dic decimam ſeptimam: Utrùm principia ſunt ſecundúm motum? Reſpondebit logicus, ſi quæſtio de movente intelligatur, unam de cauſsis efficientẽ & moventem eſſe: ſed materiam, formam, finẽ præterea cauſſam eſſe. dubitationẽ hanc decimæ ſapientia parem eſſe: illic, an ſola materia, eſſet cauſſa: hic, an ſola efficiens ſit cauſſa. Redeat igitur barbarus idem ille, rogetq́ꝫ, utrùm conjunctio ſola ſit pars orationis: ſapientiæ paris erit initium. Sed ad ultimam dubitationem pervenimus, id eſt decimam octavam: audiatur igitur: Utrùm numeri, longitudines, figuræ, puncta ſunt eſſentiæ & ſeparatæ? Eſſentias veró, quantitates eſſe, logicus Ariſtotelis categoriis inſtructus nequaquam dicet, ſi eſſentiam intelligas adjunctis accidentibus ſubjectam: entia tantúm dicet, quia ſunt numeri in animo, magnitudinesq́ in corpore phyſico: neqꝫ ſeparabit à ſubjectis ſuis adjuncta. & tamen dubitatio hæc neqꝫ logica, neqꝫ metaphyſica eſt, ens quatenus eſt ens, conſideranti: quia non omnium entium communis, ſed propria quantitatum. Hactenus igitur dubitationes octodecim à ſopho propoſitæ ſunt, in quibus non ſolúm difficilis conſecutio veritatis, quia in his caput & ſumma eſt ſapientiæ (ait Alexander) ſed ipſa etiam cum ratione dubitatio, plena difficultatis metaphyſico videtur. Sunt veró problemata hæc octodecim, pueris legitima logica inſtructis ridicula, ut dixi: cúm Topica (exceptis nominis, definitionis, teſtimonii Topicis) feré proponant: de methodo etiam prius illud & poſterius aſſumant: Poſtremum autem, logicum nihil habet: è mathematicis illis Pythagoreis & Platonicis, de quibus antea dictum eſt, & dicetur poſtea ampliſsimè. At bone Deus (quem pura ſynceraq́ꝫ mente colere, verum ſapientiæ ſit initium) cujuſmodi ſtultitia pro ſapientia in ſcholas noſtras inducitur? Non conqueror logicas illas ſapientiæ leges à metaphyſico violari, ſed contra communem ſenſum, tam fatuas ineptias, nomine divinæ philoſophiæ venditari. Veruntamen dubitationes divinæ theologiæ ſingulas metaphyſicus dubitator, vel academicus diſputator repetit: & dubitat, diſputatque variis modis, turbat nonnulla, nonnulla etiam obliviſcitur, ut ſuo loco dicetur. Quid igitur? dubitatio prima, quomodo diſſeritur? Non videtur (ait philoſophus) eſſe una ſcientia cauſſarum: quia cauſſæ, neqꝫ contrariæ, neqꝫ communes ſint: cúm movens, non ſit in immobilibus, nec finis: cúm nempe ſit principiũ actionis & motus. Itaqꝫ mathematicas (quæ rerum ſunt immobilium) quibuſvis artibus ſordidis viliores Ariſtippus eſſe cavillabatur, quia in iis nihil per finem (quo melius ſic eſſet) oſtẽderetur. At primum, inquã, argumentum iſtud de contrariis nihil prorſus eſt: Poſſunt enim cadere in eandem artem & contraria, ut ferê ſunt partes accuratarum diſtributionũ: poſſunt & non contraria, imó conſentanea, ut formæ, ut proprietates adjunctæ. Secundum autem argumentum eſt falſum, quód efficiens & finis non ſint in mathematicis: Arithmeticus enim numerat: Geometres metitur, & ob eum finem, artes illæ perdiſcuntur. ſed huic argumento poſtea reſpondebitur 2. cap. 13. metaphyſ. ubi nominatim dicetur, Ariſtippũ mentiri. Sic igitur negatio primæ dubitationis diſſeritur. Affirmatio obſcuriús agitur: Si variæ ſcientiæ varias cauſſas conſiderẽt, quænam ex iis potiſsimûm fuerit ἀρχικωτάτη καὶ ἡγεμονικωτάτη, longê

princeps

princeps lateq; domina? cuiq; cæteras ὥσπερ δούλας, tanquam ſervas, contradicere non liceat? id eſt, quænam erit ſophia? utrúm veró talis eſt ſcientia finis & boni (quia huc omnia referuntur) an formæ? Eſt enim forma maximé ſcibilis. Exemplum veró hic mathematicum eſt tanquam definitionis, quód τετραγωνισμὸς ſit εὕρεσις τῆς μέσης, inventio mediæ, quæ tamen inventio, definitio non eſt. Tetragoniſmus enim eſt, cúm quadratum par invenitur dato circulo: via eſt ad tetragoniſmum. An denique ſcientia efficientis, maxima illa eſt ſcientia? hoc enim aliud principiũ eſt, & oppoſitum fini, ut jam 3. cap. 1. lib. dictum eſt. Hæc altera diſputatio eſt, negationi tamẽ ſuperiori germanior, quám affirmationi. Cauſſarum non eſt una ſcientia, quia neque contrariæ, neq; communes ſunt: & tamen ſi diverſæ ſint cauſſarum ſciẽtiæ, cujuſnam cauſſæ fuerit ſciẽtia metaphyſica, ſeu ſapientia? Dicet autem logicus, logicam ſcientiam univerſalem communiter eſſe cujuſvis cauſſæ, non unius tantúm: & ſic metaphyſicus reſpondebit 2. cap. 4. metaphyſici. Secunda dubitatio primúm ſic negatur: Non eſt una ſcientia principiorum apodicticorum (quas modó κοινὰς δόξας, communes ſentẽtias, modó axiomata Ariſtoteles appellat) quia neq; videtur geometria, neq; una alia, neq; ea, quæ cauſſas agnoſcit. Utra igitur præſtantior ſcientia, cauſſarum, an axiomatum, quia maximé communia ſunt? Ac ſi ſcientia axiomatum non ſit ſophi, cujus erit? Logicæ, reſpondebit dubitatori logicus: dicetq; axiomata illa, eſſe proprietates oppoſitorum, comparatorũ, totius & partis in logica. Sed in hac dubitatione Alexander cúm videret ab Ariſtotele apodictica axiomata tribui primæ philoſophiæ, Omnino (ait) Ariſtotelis verbis ſtatui videtur, apodicticam doctrinã partem eſſe philoſophiæ. quod poſtea proximo libro dicet apertiús: ubi capite tertio, ſolutio quæſtionis hujus erit. Ergo hæc dubitatio eſt dubitationis ſecundæ: qualis veró eſt tertiæ? Non videtur una ſcientia eſſe omnium eſſentiarum, dubitat noſter dubitator: quia apodictica eſſet una omnium per ſe accidentium. Hæc dubitatio brevior eſt, & ſolutio brevior erit. Una per ſe eſt ſciẽtia communis omniũ eſſentiarum, & una eſt apodictica omnium per ſe accidentium. Quarta deinde & quinta dubitatio, ὕστερον πρότερον dubitatur: Non videtur una ſciẽtia eſſe per ſe accidentium, quia etiam eſſet eſſentiarum & definitionum. At apodictica nõ videtur eſſe ipſius quid eſt: eaq; ſolutio valdé eſt metaphyſico noſtro difficilis. ac per ſe hæc accidentia entium omnia quinto libro differẽtur in adjunctis. At, inquam, metaphyſice, demonſtrationẽ ſyllogiſticam hic cogitas: de cujus commento dictum eſt in ſcholis logicis: ut ars ſomniata ſit, cujus exemplũ per naturam rerum eſſe non poſsit. Atque hæc dubitatio fuerat quinta: quæ ſequitur, quarta fuerat: Utrúm genera eſſentiarũ tria ſunt, ideæ, mathemata, res phyſicæ. Adverſus idearum Xenocratica exemplaria ſecundo loco movetur Ariſtoteles, tanquam fingere æternas quaſdam eſſentias, quarum ſingulares eſsẽtiæ ſint imagines, perinde ſit, atq; deos ſtatuere ἀνθρωποειδεῖς, humana figura. Ut enim idololatris, dii ſunt homines æterni: ſic Xenocraticis, ideæ fuerint animalia, & non animalia quælibet æterna. Ergo περιττεύματα, ποιητικαὶ μεταφοραί, jam ſunt inſtar ἀνθρωποειδῶν deorum. Adverſus autẽ mathemata contẽtio alia eſt, quæ ſi ſint media inter ideas & res phyſicas ac ſenſibiles, alia erit linea mathematica, alia ſenſibilis: alius erit ſol mathematicus, alius ſenſibilis, & in cæteris ſimiliter. unde nata eſt illa differentia, quód geodæſia, ſit ſenſibilium magnitudinum, geometria, non ſenſibiliũ, idemq; medicina, & quælibet diſciplina fuerit. Itaq; Protagoras mathematicos reprehẽdebat, quód ab iis ea docerentur, quæ ſenſibus repugnarent: cúm circulum perpendicularis uno puncto tangere dicatur, quod ſenſibile nõ ſit. Sed per Deum immortalem, quænã philoſophi noſtri philoſophia iſta eſt? Docuit nos non dubitando, ſed affirmando & aſſeverando 7. cap. 1. metaphyſici, Pythagorea iſta & Xenocratica idearum & quantitatum ſomnia, inanes tantúm nugas eſſe: & tamen philoſopho pulchrum eſt argutandi & nugis explendi libri gratia, anté confirmatam philoſophiam infirmare. Verúm perge: hæc inſana idearum & abſtractionum quæſtio, inſanè doctorem noſtrum exercuit: Multa jã diſputavit, ſed multó plura duo-

ra duobus totis extremis libris diſputabit. Quid tum verò? quomodo dubitatur ſexta dubitatio? Certé dubitator noſter hanc dubitationem oblitus eſt, ut & proximam ſeptimam: de qua tamen utraque, quippiam diſſeretur quinto libro. Nec illi prӕterea graviús ſuccenſendum judico: par enim in cӕteris oblivio fuerat optanda. Syrianus id animaduertit, & tamen excuſat: quia faciles illӕ quӕſtiones erant. At, tinquã, quibus hӕ quӕſtiones faciles ſunt, cӕterӕ difficiles eſſe non poſſunt. Octava autem dubitatio pleniús dubitatur: quód elementa, potiús principia videantur, quám genera: ut literӕ, vocum: axiomata, digrammatum: ignis, aêr, aqua, terra corpotum ſenſibilium. Contrà genera, ſunt principia definitionum, unde eſt ſcientia: & ſpecierum, unde ſingula cognoſcuntur: & ſic unum, magnum, parvum, principia fierẽt, quia genera ſunt. An veró neque elementa, neque genera, cauſſӕ videantur, quia definitio ex cauſsis diverſa ejuſdem eſſet? Sic igitur dubitatur dubitatio octava: cui reſpondeat dialecticus idem quod antea, & genera & elementa, eſſe ſymbola cauſſarũ: ut cum hominem definis animal rationale, ex iiſdem cauſsis definis, ac ſi ex elementis definires homines conſtare é corpore humano, & anima ratiõali. De hac quӕſtione diſſeretur nonnihil 11. & 12. cap. 7. metaphyſ. Agedũ, nona dubitatio quomodo dubitatᵉ? Prolixiſsimè, in q̃ & verboſiſsimé. Genera prima, non videntur eſſe cauſſę, quia tot eſſent cauſſӕ, quot genera, & unũ atq; ens, eſſent genera: ſed id abſurdũ videatur, quia differentia cujuſq; generis ſit, ens & unum: ſpecies veró de ſuis differẽtiis propriis, aut genus de ſuis ſpeciebus dici nõ poſſit. Sed heus, argutiſsime philoſophe, cujuſmodi hӕc argumentatio eſt? Nam ſi ens & unum, genera ponantur, falſum primó erit, entis & uniᵘ, quӕ genera ponantur, differentia eſſe ens & unum: deinde falſum eſt, genus & ſpeciem de ſuis differentiis dici non poſſe. Nam omne rationale, eſt animal: & omne natũ ad riſum, homo eſt. & in nonã quӕſtionem, quamobrẽ decima quarta de uno & ente permiſcetur? Hîc veró Alexander, excuſandi bujus argumenti gratia, cúm multa commentus eſſet, ait hanc argumentationem logicam & probabilem tantum ſibi videri. At, interpres mirifice, niſi Pauſon vel Hegemon eſſe, quám Dionyſius aut Cleophon maluiſſes, dixiſſes plané falſum eſſe: neq; tamen formidares, ne Ariſtoteles errare videretur, quia dubitator eſt hoc libro, nõ affirmator, aut doctor. Hoc igitur argumẽtum, cum ita dubitaſſet Ariſtoteles, ens & unum non eſſe genera, concludit, principia etiam non eſſe. At rurſus dubitatur, genera omnino non eſſe principia, quia & ſumma, & media, & infima, imo differẽtiӕ quӕlibet, etiam principia eſſent: ideoq; infinita. At quorſum tumultus hic tantus? Logicus enim ſi fueris, reſpondeto: ſi ens & unum, genera ſint, enã principia eſſe, neq; infinita eſſe genera, nec ideo infinita fore principia. Dubitatio reliqua eſt de genere ultimo, quod de individuis dicatur. Genus ultimum, magis principiũ videtur: primó, quia magis unum: ſecundó, quia magis ens, magis unum, quia magis individuum. Hîc rurſus Ariſtoteles facit hominẽ, genus ſingulorũ hominũ, quia ſit γένος ἔσχατον, κατηγορούμενον ἐπὶ τῶν ἀτόμων, ultimum, quod dicitur de individuis. & tamen verbo negat tandẽ, hominẽ eſſe genus ſingulorũ hominũ. Repugnãtiӕ veró & cõntradictiones tam frequentes in Ariſtotelis philoſophia, magna me ſępe Ariſtotelis commiſeratione afficiunt, ut Theophraſto & Ariſtotelis ſucceſſorib. pené ſuccenſam, qui maculas iſtas é magiſtri libris non exemerint. Atque hîc etiam Ariſtoteles individuum duplex annotavit, ſpecie & quantitate, id eſt numero, ut Alexãder interpretatur. Sed genus ulnmũ, magis videatur ens: Prima autẽ non ſint, niſi in ultimis: Hӕc utraq; eſt pro generibus ultimis ratio: contraria deinde una opponitᵉ, quia principium debeat eſſe ſeparatũ, qualia ſunt magis univerſalia, ideoque genera prima, potiús principia & cauſſӕ. Quid igitur logicus ad hӕc reſpondebit? nempe nec magis unum, nec magis ens eſſe ultimum genus, quàm primũ, & magis minúſve ridiculé hic quӕri, cúm genera omnia (prima, media, ultima, nihil intereſt) ſint ӕqualiter ſubjectarum ſpecierũ principia. Veruntamẽ quid theologo tã miſerabiliter θεολογοῦντι facias? Hîc enim ἀπορίαν χαλεπωτάτην καὶ ἀδυνατωτάτην θεωρ

γίνου, dubitationem difficillimam,& cõſideratione utiliſsimã arbitratur. Nam ſi nihil ſit præter ſingularia,eaque infinita,extinguetur omnis ſcientia. Quod ſi nihil perpetuũ ſit, nulla erit generatio. At ſi generatio ſit,& materia erit æterna, multò magis etiã eſſentia & forma. Itaq; erit παρὰ τὸ σύνολον,ſpecies & forma. Quorum igitur erit,& quorum non erit æterna forma? utrùm una forma erit omniũ hominum,an ſingulę ſingulorum? Atque hæc dubitatio eſt octavæ & nonæ quæſtionis,unaque modo quodam decimæ quartę: de quibus in ſequentibus libris theologia quædam permiſcebit. Agedum,dubitator,quomodo ſequentes dubitationes addubitas? Tres primæ,decima,undecima, duodecima, utrùm ſola materia cauſſa ſit, utrũ præter τὸ σύνολον ſit aliquid: utrũ cauſſæ, ſpecie an numero ſint infinitæ, leviſsimè dubitantur,aut ne dubitãtur quidẽ: τὸ σύνολον nominat in nona dubitatione, ſed pro ſingulari ſumitur. Addubitatur autem deinceps, quod propoſitum non erat, utrùm cauſſæ ſint unum ſpecie, an numero? Atque hîc unum genere omittit, quod alias frequens eſt Ariſtoteli. Tota aũt hęc litera obſcura eſt,&(ut ſuſpicor) Apelliconis tineis arroſa. Si principia ſunt unum ſpecie,nihil erit unum numero:neque ipſum unum, neq; ipſum ens: neque ideo fuerit ſcientia. Si ſint unum numero, nihil erit commune. Atq; id videatur duodecimæ quæſtionis eſſe. Attamen illic addubitatur, utrùm cauſſæ eſſent finitæ ſpecie an numero: Addubitatur, utrùm ſit unum ſpecie an numero: & ſic addubitator noſter,tres addubitationes iſtas,id eſt tria triplicis ſapientiæ initia oblitus eſt,ut antea oblitus ſextã & ſeptimam, aut certè, valdè negligẽter eſt exercitus. Atque ita divinæ ſapientię quinque decimas octavas periiſſe intelligimus. Age verò,dubitatio decima tertia,quomodo dubitatur? Moleſtiſsimè, inquam,& ineptiſsimè primò ad attentionem quandam proponitur,quæſtionem graviſsimam eſſe præteritam à veteribus & à præſentibus, utrùm caducorum & æternorũ ſint eadem principia? Nam ſi eadem, cur alia intereũt, alia permanent? Hîc verò theologus noſter jactationem quandam popularem in veteres theologos habuit: Itaq; deridet Heſiodi theologiam, A diis omnia eſſe facta: ſed immortalia, quæ nectar & ambroſiã guſtarint: mortalia, quæ non guſtarint. At quænam(ait)perpetuitas eſſe poſsit,ubi alimẽto opus eſt? Sed neq; fabuloſis theologis apodictici rectiùs ſentire metaphyſico noſtro vident̃, cũ nullam cauſſam afferant, ut Empedocles: quem quiſpiã μάλιστα ὁμολογουμένως αὑτῷ, maximè ſibi congruenter convenienterq; dicere arbitretur. Hic ab Ariſtotele, alioqui laudis alienæ nequaquam prodigo, magnus honos Empedocli tribuitur, & inter phyſicos, principatus. Sed theologus noſter, Empedoclis demonſtratione occupatus, theologiam obliviſcitur, digrediturq; in Empedoclis inconſtantiam: ne credas ei cõſtantiæ laudem gratis condonatam. Empedocles igitur conſtans phyſicus hactenus Ariſtoteli videtur, quòd concordiã facit authorem ortus, diſcordiam interitus: ſed inconſtans alibi, dum ait præter ipſum unum, id eſt Deum, quẽ Sphærum (ait Alexander) appellabat, à concordia factum, omnia per diſcordiam generari.

-Πάνθ᾽ ὅσα τ᾽ ἦν, ὅσα τ᾽ ἔσθ᾽, ὅσα τ᾽ ἔσται ὀπίσσω,
Δένδρεά τ᾽ ἐβλάστησε, καὶ ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες,
Θῆρές τ᾽, οἰωνοί τε, καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς,
Καί τε θεοὶ δολιχαίωνες.

Omnia quęcumq; erant, quæcumque ſunt,
quæcumque erunt poſtea,
Arboreſque germinarunt, & viri, & mulieres,
Feræque, & aves, & aquanutrix piſces.
Ac dii longæui.

Hæc prima eſt Empedoclis inconſtantia: altera eſt, quòd ait Deum ſolum concordia factum eſſe, univerſaq; unum fore, cùm diſcordia diſceſſerit. Itaq; Deus, ipſius ſententia (qui εὐδαιμονέστατος, beatiſsimus eſſe debeat) non ſatis prudens habeatur, ut qui principia, diſcordiam nempe, ignoret, cũ ex ea non conſtet. Ait ẽni Empedocles ſimili ſimile cognoſci:

Gal 7.plat.

Γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ᾽ ὕδωρ,
Αἰθέρι δ᾽ αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον,
Στοργῇ τε στοργὴν, νεῖκος τε νείκεϊ λυγρῷ.
Terra enim terram cernimus, aqua aquam,
Aethere autem æthera divum: ſed ignem manifeſtum,
Et amicitia amicitiam, diſcordiamq; diſcordiã pernicioſa.

Atq; ex iis & aliis Empedocles carminibus

nibus, incõſtantia eius cõvincitur, quòd diſcordia modò generet, cõcordia modò corrũpat. Atqui repetit hîc ad Empedoclis principatũ illum Ariſtoteles, quód ſolus philoſophetur ὁμολογουμένως. Verum enimverò digreſsio iſta valdè verboſa eſt. Heus, lex λεγ αὐτό, revocato in viam legislatorem noſtrum: En verò tandem reditum eſt. Principia caducorum & æternorum, non eadem eſſe diſputatum eſt: dubitatur deinde, diverſa non videri: Nam ſi diverſa ſint, utrùm caduca, an æterna? ſi caduca conſtant è prioribus? quod abſurdum eſt: nec eſſe poterunt, ſi principia intereant. Si æterna, cur ex jis alia æterna, alia caduca? Neq; omnino quiſquam dixit unq̃, principia eſſe diverſa. Atq; hæc dubitatio altera eſt. Quapropter ejuſmodi dubitatio eſt dubitationis decimæ tertiæ, tam loquax & odioſa: cujus ſolutio eſt eadem, quæ dicta eſt, quæq; differetur poſtea. Verumtamen vereor ne in tam lõga dubitatione nos ipſi longiores ſimus. Dubita igitur, metaphyſice dubitator, dubitationem decimam quartam, utrum unũ & ens, principia ſunt. Hic theologus, ut antea, Rhetoricé proœmiatur: χαλεπώτατον καὶ περὶ τὸ γνῶναι τ᾽ ἀληθὲς ἀναγκαιότατον· difficillimum & ad veri cognitionem maximé neceſſariũ, utrùm ſint ens & unũ eſſentiæ cauſſæq; entium, utrùm idẽ ſit utrumq;, ut Plato & Pythagoras ajunt: an aliud quidpiam, ut viſa eſt Empedocli concordia, cùm cuilibet ut ſit unũ, ſimiliter illud eſt unum? aut ex elementis unum? an omnia, quod nẽpe principia faciunt? Quod ſi ens & unum, non ſint cauſſæ, neque univerſalia, quia illa ſunt maximé univerſalia, neq; numerus, cũ ſint unitates: unitas autẽ, unum. Atque hæc affirmationis altera ſchola eſt: Negatiõis autem ſchola cõſimilis eſt: Nam ſi ſit quippiam ipſum unũ, & ipſum ens, qd præter hæc erit? aut quomodo multa erũt? Redeat enim Parmenidis ratio: Præter ens, eſt non ens, non unũ eſt præter ens: non unũ igitur eſt nõ ens. Tum verò ſi unum ſit prorſus individuũ, nihil ad opinionem Zenonis eſſe videat̃, quia neq; augeat, neq; minuat. Quid igitur? tantum certamen quomodo logicus pacabit? Ens & unum, genera cõmunia eſſe dicet, ut jam dixit: & Zenonis ſophiſma decidebit, qui præter magnitudinẽ nihil putaret eſſet. Sed metaphyſicus tanti problematis ſolutionẽ poſtea non ſolùm ſeparatis quibuſdam argumẽtis, ſed maxima parte quinti libri de modis unius & entis: itẽ maxima parte ſeptimi & octavi: tandem etiam toto decimo tractabit. Perge tamen, metaphyſice dubitator, addubitationes reliquas addubitato. Enimverò oblivio hic etiã irrepſit, ſed confuſio multò major: ſextã & ſeptimam, deinde decimam, undecimam, duodecimam indictas præteriit, & nunc decimam ſeptimam præterit: tantum ſacræ theologiæ detrimentum theologi oblivio una attulit, ut jam ſexdecimas octavas intelligas evanuiſſe: quin velut attonitæ vicino periculo reliquæ dubitationes perturbantur. Decima octava præponit̃: decima quinta & decima ſexta poſtponuntur. Heus tamẽ eximie philoſophe, legem methodi ſeverius hic non exigo: ἀκριβολογία enim iſta, jam μικρολογία videretur. Perge, dubitato reliqua: decima octava igit̃ dubitatio diſſeritur de numero & magnitudine, quòd videantur cauſſæ rerum, ſecus latebit ens & eſſentia: aliis enim maximé videtur eſſentiæ: qualitates autẽ, motus: relationes & motus minimé: Itaque corporum cauſſæ, rerum etiam cauſſæ videantur. Sapientioribus verò numerus videtur eſſe cauſſa: contrà magnitudo aliis. Subſtãtiæ tamẽ ſunt, & nõ ſunt generatiõe & corruptione. Magnitudo aũt modò eſt, modò non eſt ſine generatione & corruptione. Ergo hæc decima octava addubitatio eſt, in qua Ariſtoteles pro ſancta & cæleſti theologia, incredibilem κακοτεχνίαν (ut locis aliquot) cõminiſcit̃: Etenim maxime philoſophe, ſi 7. cap. 1. metaphyſ. philoſophia tua tibi firma & ſolida adverſus Pythagoreorum τερατεύματα viſa eſt, quanam mentis varietate modò inconſtans & dubia videtur? Et verò logicus tibi reſpondebit, de numeris arithmetici, de magnitudinibus geometræ judiciũ proprium eſſe: metaphyſici, cui ens, quatenus eſt ens, propoſitũ eſt, eſſe alienũ. Quid tũ verbò? Interponitur ad extremũ de ideis, quæ quartæ addubitationis aliquid fuerũt, quòd videantur eſſe, quia ſit aliquid tertium præter ſenſibilia & mathemata: quòd ſi ſit, & ideas eſſe neceſſe eſt. Etenim quamvis non perſpicuè loquuntur ide

arum authores, id tamẽ ipſum volunt, & id ipſis ſentire neceſſe eſt, quód idea, ſit eſſentia ſingulorũ, ac nihil ſit per accidens. Hæc ariſtotelea idearum interpretatio citata eſt á nobis 7. cap. 1. metaphyſ. ſed tamen illic affirmatũ eſt hoc ipſum, quod modó dubitatur: & Ariſtotelis eadem illa miſerabilis incõſtantia proditur. Atque hæc decima octava addubitatio fuerit: ſequuntur dubitationes decima ſexta, decima quinta, breviter addubitatæ. Si cauſſæ ſint actu, potentia præceſſerit actum: ſin potentia, fieri poterit, ut nihil ſit. Tum ſi cauſſæ, ſint univerſalia, nulla erit eſſentia, quia eſſentiæ ſunt ſingulares: aut Socrates eſſet multa animalia. Si cauſſæ ſint ſingularia, nulla erit ſcientia. At logicus dicet actu cauſſas eſſe rei, quæ actu ſit, & potentia rei poſsibilis: ut rerum univerſalium cauſſas univerſales eſſe, ſingularũ ſingulares, & de actu potentiáque præter 12. cap. libri 5. & totus liber nonus erit, & ſparſim de generalibus & ſingularibus principiis, quædam agentur. Jam decimæ quintæ quæſtionis ſolutio quędam diſſeretur 13. & 14. cap. 7. metaphyſici. Verumenimveró cõſiſte, qui hæc ad huc animadverteris, ſummamq́ propoſitæ tibi theologiæ animo recollige. Hactenus igitur dubitationum liber ſic ad dubitatus fuit, ut intelligerem' ex octodecim dubitationibus, ſex eſſe prætermiſſas, ſextam, ſeptimam, decimam, undecimam, duodecimam, decimam ſeptimã: unde jactura gravis illa facta ſit: alias eſſe confuſas & ordine turbatas, omnes tamen inſolentiſsimo doctrinę genere tractatas, cúm nihil habeãt, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, nihil Ariſtotelis ad bene docendum legibus cõſentaneum. Sed tamẽ quid, aut cujuſmodi illud eſt? Metaphyſica, definita eſt ſciẽtia cauſſarum primarum, & propterea de cauſſarum generibus duo primi libri cõpoſiti ſunt: tertius liber, tanquam octodecim partium partitionem inſtituit, quarum quædam nullam partẽ reliquæ metaphyſicæ efficient. De prima enim & ſecunda, de decima quarta, & decima octava, præcipua theologia erit: de cæteris, quod ad metaphyſicã attineant, aut non attineant, confuſa erit aut prorſus nulla conſideratio: Hæccine igitur eſt ſapientia illa nõ ſolúm accuratiſsima, ſed etiam diviniſsima, quæ 2. cap. 1. libri jactabatur? Quamobrem metaphyſici, ſophi, theologi, conſiderate quales dubitationes iſtæ ſint, & cujus ſapientiæ principia. Hic fons & origo ſacræ ſophiæ cõſtituitur ab Ariſtotele, cúm proœmium antea fuerit: caput ſummaq́ diviniſsimæ ſcientiæ hic ab interpretibus collocatur, ut qui dubitationes tam reconditas & arcanas ſolverit, non homo, ſed Deus, Deus, inquam, inter homines habeatur. Quid veró eſt diſcipulos ludificari, & ſimplicium animorum auribus abuti, niſi hoc eſt? Et nos idiotæ, huc etiam fatuitatis pervenimus, ut taliũ ſophiſmatum ſentinam, ſapientiam nominemus: imó veró divinam religionis ſapientiam judicemus? Pro ſancte pudor, cur homines veræ tamen ſapientię ſtudiis deditos tam miſeré deſtituiſti, ut tã putidæ ſophiſticę nihil pudeat? An Pauſonas vel Hegemonas tale quidquam vel pinxiſſe, vel feciſſe judicamus? an denique dubium Plutarchi iis de libris judicium, non veriſsimũ arbitramur? Sed tamen concludamus: Statui theſin initio, nihil quatuordecim libris metaphyſicis ſolidum & utile contineri, niſi logicum: tres primi de cauſsis, adjũctis, oppoſitis, cõparatis, toto, parte, priore, poſteriore, theſin noſtram confirmarunt: veteres illos Alexandri monitores veraces fuiſſe demonſtrarunt.

Libri Tertii finis.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSIcarum liber quartus, in quartum Metaphyſicum.

IN CAPUT I.

ADhuc proœmium ſophiæ in duobus primis libris, deinde tertio libro dubitationis tanquã diſtributio quędam fuit: quid deinde rari ad methodicã Ariſtotelis legem dubitatio prima primo loco, ſecunda ſecundo judicatur? imó veró prima, tertia, quinta, ſexta, ſeptima, ſimul una ſolutione comprehenduntur ac permiſcentur.

Eſt

Eſt (ait metaphyſicus) ſciētia quædam, quæ cōtemplatur ens, quatenus eſt ens, & rei per ſe adjuncta. Atqui inquam, definitio iſta minus eſt imperfecta ea definitione, quæ primo libro definivit ſapientiam, ſciētiam primarum cauſſarum: Hæc enim non ſolùm cauſſas, ſed adjūcta complectitur: neque tamē ſatis complectitur: ſunt enim ejuſdem etiam ſciētiæ alia pleraq;, ut enuntiati, ſyllogiſmi, methodi documenta. Itaq; ſcientia iſta definiēda fuerat, ſcientia bene diſſerendi: Laudo tamen Ariſtotelem hoc loco, & Dionyſio vel Cleophonti ſimiliorem, quàm Pauſoni vel Hegemoni eſſe gaudeo.

IN CAP. II.

SEd admirabile, & Ariſtotelis ingenio digniſsimum commentum hic animadverto: Synonyma vel homonymá Ariſtoteli ſunt in categoriis omnia: tertium nihil eſt. Hic theologus, metaphyſicā definiens ſcientiam entis, quatenus eſt ens, ſenſit vinoſam & ſophiſticam definitionem fore, ſi entis ſignificata homonyma dicerentur: ſynonyma dicere non audet, ne ens genus efficere videatur: Quid igitur? inter medium efficit, quód varia quidem ſint ejus ſignificata, ſed quæ referantur ad unum principium, & ad unam naturā, & non ὁμωνύμως· & mox iterum omnia entis ſignificata referri πρὸς μίαν ἀρχὴν, ad unum principiū. Deniq; comparat entis ſignificata ſalubris ſignificatis: concluditq;, ut medicinam ſalubriū, ſic ſapientiam, entium omniū ſcientiam unam eſſe. Quia (ait) ſcientia eſt una non ſolū eorum, quæ dicuntur ſecūdum unum, ſed etiam eorum quæ ad unam naturā: hæc enim quodam modo dicuntur ad unum. Hactenus ſubtilitas Ariſtotelei ingenii fuit, non cum Pythagora & Platone, ens ſynonymum efficientis: neque tamen homonymum, quia definitionis elenchus proderetur, ſed mediū. Itaque metaphyſicam eſſe quidem entis, quatenus eſt ens, ſed proprie tamē entis primi, unde cætera pendeant & appellentur: Hoc autem primum ens, Ariſtoteli eſſentia categorica eſt, cui quātitas, qualitas, & cæteræ accidant. Veruntamen ſubtiliſsime metaphyſice, ſi præcipuē metaphyſica tua ſit eſſentiæ, non erit entis ars, quatenus eſt ens. Conſimilis autem labor philoſophi noſtri de ente, & angor, locis aliquot apparebit poſtea. Sed proxima Ariſtotelis concluſio paulò accuratior. Itaque (ait) unius generis una eſt ſcientia: utq; grammatica, vocum, ſic metaphyſica entium ſpecies omnes conſiderabit. Equidē hoc poſtremū πολυγνώτερον καὶ ὁμηρικώτερον enthymema valde probo. Unius generis una eſt ſcientia: adde aſſumptionē: vox, enſ, num unū eſt genus, ens: Itaq; ut vocis, grāmatica, ſic entis, metaphyſica, genera omnia generūq; ſpecies cōſiderabit. Deniq; Ariſtoteles hic Pythagoreus & Platonicus eſt, aitq; ens & unum, re ipſa idem eſſe, quamvis ratione differant, ut cauſſa & principiū: Itaq; quot ſunt ſpecies entis, tot ſpecies etiā & unius erūt. Species autem illæ, ſunt idem, ſimile, & cætera talia, iisq; contraria, de quibus ait à ſe dictū eſſe ἐν τῇ ἐκλογῇ τῶν ἐναντίων, in explanatione contrariorum. Hæc oratio, hæc ſententia Ariſtotelis valdé egregia, valdé Ariſtotelea eſt: Hic igitur Alexander attonitus ait partitionē entis in genera factā in categoriis, eſſe metaphyſicæ. Verùm, inquam, categoriæ ſunt, ut reliquæ partes logicæ Ariſtoteleæ: modó logicam, intelligas hanc eſſe metaphyſicam. Deinde Alexander ab Ariſtotelis verbis diſſentit, neq; ens eſſe genus, neque entis ſpecies. At, inquam, Ariſtoteles ita loquitur, tametſi ſpecies, genera, differentiæ, cauſſæ, principia, elementa, affectiones (his enim vocabulis dicuntur in his libris) ſpecies, inquā, quæ ab Ariſtotele dicuntur entis, non ſunt entis, ſed argumenti ſpecies: ſuntque etiam non entis cōmunes, cùm falſorum & non entium cauſſæ, cæteráque argumenta tam communia ſint, quàm verorum. Ἐκλογὴν veró hîc Alexander interpretatur pro libro de bono, quem Ariſtoteles ſcripſerat. Thomas interpretatur decimum metaphyſicum, ubi de contrariis agetur. At ego libros organi logici ē re ipſa interpretor, ubi de cōtrariis tam multa explicantur: In categoriis enim caput eſt ampliſsimum de oppoſitis: multa ſunt in analyticis, multó plura in topicis. Et Alexandri monitores illos jam vel Alexandri confeſſione verum monuiſſe perſpicio. Apo-

dialectica pertinēt ad metaphyſicam: categoriæ pertinent ad metaphyſicā, ait Alexander. At, inquā, topica tota huc etiā derivantur & derivabuntur. Sed Ariſtoteles perſequitur opus inchoatum: Metaphyſica, eſt oppoſitorum: ergo erit nō unius ſolùm, ſed multitudinis: item negationis, quando ſimpliciter non ineſt: & privationis, quando non ineſt cuipiam generi, cui per naturam ineſſe poſſit. Denique Ariſtoteles concludit, hanc generalem & omnium entium communem ſcientiam eſſe philoſophi: Cujus enim eſſet? ait: Eſſet verò, inquam, ut conſimili quæſtioni antea jam reſponſum eſt, logici. Atque hic & deinceps metaphyſicus appellatur, non ſophus, ut antea, ſed philoſophus: & metaphyſica, dicetur philoſophia. Accuſat autē hic Ariſtoteles quoſdam, qui de oppoſitis, comparans, & cæteris illis communibus præciperent, nihil autem de eſſentia intelligerent: & hos ſophiſtas Alexander appellat, qui cùm eſſentiā ignorarent, de accidentibus eſſentiæ tamen præciperent. Verumenimverò & Ariſtoteles, & Ariſtotelis interpres; iſto loco vehementer errant: philoſophia enim hæc communis omnium rerum, præcipuam eſſentiæ doctrinam habere legitimam nullam poteſt: Eſt enim Ariſtotelis ipſius clariſsimo teſtimonio, entis, quatenus eſt ens: eſſentia autem, quæ ab Ariſtotele de categoriis decē prima efficitur, eſt prima entis ſpecies, ut paulo antè dictum eſt: nec oppoſita, comparata, ſunt affectiones talis eſſentiæ categoricæ, ſed cujuſcumque entis. Non errabant igitur illi philoſophi, qui in logica nullam mentionem eſſentiæ quantitatibus & qualitatibus ſubjectæ facerent: ſed errat Ariſtoteles, errant Ariſtotelis interpretes, qui eſſentiæ categoricæ doctrinam in cōmuni philoſophia, tanquam partem legitimam propriamq́ collocant, eſſentia & cauſſis comprehēſa, id eſt tota tam de numero, linea, colore, quàm de auro, arbore, animante dicitur: & iſta eſſentia tantùm logica & metaphyſica poſsit eſſe. Quare hoc ſophiſma grave & periculoſum eſt, & accuratè conſiderandum. Interea etiam hic Ariſtotelis non curātia quædam eſt, cùm numeri affectiones facit æqualitatem, exceſſum, defectum: Aequale enim & inæquale, tam cōmunia ſunt, quàm ſimile & diſsimile, ut melior Ariſtotelis philoſophia nos in topicis docuit, ut etiam antè docuit, & poſtea docebit. At ſophiſma illud, ut lubet, Alexander excuſato. Enimverò ſophiſma ſophiſmatum in logicis artibus primum & ſummum ſequitur, ideóque, ô metaphyſici, ô ſophi, ô philoſophi, adeſte animis, & attentè accuratéque tantam tamque periculoſam fraudem mecum animadvertite. Unum ſophiſma in logico organo ex una arte logica tres effecit, apodicticam, dialecticā, ſophiſticā: Hic aūt, nomen apodicticæ mutatum eſt: philoſophia pro eo placuit. ſed ex eadem unā arte triplex ars efficit, philoſophia, dialectica, ſophiſtica. Metaphyſicus igit audiatur, cùm de cōmunibus illis loquitur. Philoſophi (ait) eſt de iis conſiderare veritatem. Signum verò: nam dialectici & ſophiſtæ eandem quidem figurā cum philoſopho induūt: Sophiſtica enim, apparens ſolùm ſophia eſt, & dialectici diſſerunt de omnibus: Commune autem omnibus eſt ens: diſſerunt enim de iis videlicet, quia philoſophiæ hæc ſunt propria. Nam circa idē genus verſatur ſophiſtica & dialectica cum philoſophia, ſed philoſophia differt ab hac τῷ τῆς δυνάμεως τρόπῳ, modo facultatis: ab illa quidem, vitæ propoſito: Dialectica enim, eſt de iis πειραστική, tentativa, de quib. ſophia eſt γνωριστική, cognitiva. Sophiſtica autem apparet, non eſt aūt. Hæc verba fidelius de induſtria quàm elegantius converti, ut res apertius cernatur. Ergo metaphyſicus Ariſtoteles triplicem logicam eandem in metaphyſica repetit, quàm inſtituerat anteà in logica: ſed error Ariſtotelis hic etiam gravior eſt: dialecticam non fecerat apodicticæ æqualē, ut hic efficit: philoſophiæ enim ait eſſe proprium, conſiderare oppoſita, comparata, & cæterà: Dialecticæ eandem facultatē tribuit, ſed uſu diverſam. Enimverò Ariſtoteles ex infinitā quadam ac ferè perpetua repugnantiā rerum & contradictione ſententiarum, demōſtrat non ſolū hæc ſibi unq́ eſſe te cognita, ſed ne cogitata quidem ſatis, ac ne meditata, dum colligeret: neq́ leges illas de materia formaq́ artis ab ipſo inventas, ſed collectas ex aliis majore labore, quàm judicio perceptas & proba-

probatas. Nec enim veriſimile eſt, tam gravium legum judiciũ penitus ei perſuaſum ac propoſitum fuiſſe, cúm toties contrà offendat ac labatur: Cauſſarum, oppoſitorum, comparatorum, & reliquorum illorum cõmunium doctrina in organo logico proponitur, tanquam homogenea & propria: nunc eadem doctrina philoſophiæ huic metaphyſicæ homogenea propriaque tribuitur. Solvat igitur ſalvis legibus, hoc ænigma, ſi poſsit, Alexander. Et veró jam ſolviſſe etiam ſibi viſus eſt, adverſus eos, qui primis illis temporibus de ſophiſmatis hujus inertia monuerant, ut initio libri ſuperioris explicatum eſt. Veruntamen hoc interea ad ænigmatis nodos adjungatur: doctrinam argumenti, enunciati, ſyllogiſmi, methodi, in organo proponi: hic argumenti topica quædam permiſceri, doctrinam enunciati, ſyllogiſmiq́ ne attingi quidẽ. Vult Ariſtoteles hanc generalem doctrinam eſſe philoſophiæ, unde repetat dialectica: Atqui (ô magiſter) dialectica etiam tua commodare poteſt de ſuo patrimonio illud totum metaphyſicæ. metaphyſica non habet: quomodo igitur dialecticæ commodabit? Somnia quidem ægrotantium hæc eſſe videbũtur, & vix de tanto philoſopho credibilia, niſi iis qui penitus inſpexerint. Finxerit veró aliquis, Ariſtotelis exemplo, grammaticam aliquam de cõſimilibus quæſtionibus in logica, & glorietur, hæc logicæ eſſe propria, unde grammatica repetat: germaniſsima fuerit gloriatio. Verum enimveró ſophiſmatis hujus tam inſulſi originẽ repetamus: Etenim partitio organicę logicæ, unde cõfuſio metaphyſicæ nata eſt in Apodicticam, dialecticam, ſophiſticam, omnibus Ariſtotelis de materia artis legibus contraria eſt. Qui enim ſic partiendo affirmat, totam logicam Ariſtòtelis eſſe apodicticã, dialecticam, ſophiſticam: & apodicticam in poſterioribus analyticis, dialecticam in topicis, ſophiſticam in elenchis inſtitui: falſum dicit etiam de Ariſtotelis logica: Sunt enim præterea categoriæ, ἑρμηνεία, analytica priora: neq́ affirmatio illa eſt κατὰ παντός. Sophiſtica autem, nõ eſt pars logicæ: neq́ enim doctrina vitii, pars eſt in virtutis doctrina. Quare illud non eſt καθ' αὑτό· una autem eſt, doctrina & inventionis, & judicii communis apodicticæ & dialecticæ, & in utraque, eadem inveniendi argumenti doctrina iteratur, ut in ſcholis logicis diſputatum eſt à nobis. Quare ex una arte duas facere, non eſt καθόλου πρῶτον. Quamobrem partitio logicę in apodicticam, dialecticam, ſophiſticã, contra omnes logicas leges conficta eſt. Atqui ex illa tam fallaci partitione, tota deinde logicæ artis confuſio nata eſt: & nũc ex eadem origine, metaphyſicæ artis cõfuſio naſcitur: ſed etiam tetrius multó fœdiusq́. Apodicticus enim hic non appellatur, ſed modó ſophus, modó philoſophus, modó philoſophus primus, modó theologus, modó (ut ab interpretibus) metaphyſicus. At, inquam, nomina miſſa faciamus, res ipſas comparemus. Philoſophus, qui diſputat è veris, eſt apodicticus: Theologus Ariſtotelis, eſt philoſoph⁹, q diſputat è veris: Theologus igiť Ariſtotelis, eſt apodicticus. Sed qd plurib⁹ id diſputari neceſſe eſt, cum Ariſtoteles ipſe 8 c 1 poſt. hunc metaphyſicũ appellet apodicticũ, & à dialectico ſeparet? Dic igiť, logice, qui hæc audis, qũo differunt logicus ille apodicticus, & philoſophus hic metaphyſic⁹? Ergo logica organi logici cõtra legem καθ' αὑτό, in metaphyſica alieno loco tractatur: Ergo logica cõtra legẽ καθόλου πρῶτον, cùm ſit tota generalis & cõmunis, ex una arte duplex temeré & inſipiẽter efficitur. Hæ leges ſophiſticã illam refertã tot ſophiſmatis planè cõficiũt, planeq́ jugulãt. An Ariſtotelis interpretes ἀκριβολογίαν hanc noſtrã, quandã μικρολογίαν dicent eſſe? & à nobis ad calculũ omnia nimiúm ſeveré nimisq́ exacté revocari? Atqui, inq̃, ἀκριβολογίαν iſtã metaphyſic⁹ metaphyſico ad extremũ metaphyſicũ ſecundũ impẽſe cõmẽdavit: μικρολογίαν teſtiũ, poëtarũ, fabularũ, imperitis idiotis reliqt. In grãmatica, Deus ſancta b⁹, p De⁹ ſancte, nõ ferett: barbariſmũ eſſe & ſolœciſmũ pueri clamabũt. In ſapiẽtia, arte artiũ, ſciẽtia ſciẽtiarũ accuratiſſima, lõgé lateq́ principe ac domina, diviniſsima deniq́, ſanctas logicę leges nõ audies? Idiotarũ μικρολογίαν q̃ philoſophorũ ἀκριβολογίαν pluris eſſe cõtẽdes? Verũtamẽ excutiam⁹ hãc bellã philoſophi, dialectici, ſophiſtę differẽtiã. Philoſophus differt à dialectico, non faculta-

te,ſed facultatis modo. O philoſophicas muſas! ô præſtãtem philoſophum Ariſtotelem! ô beneficium Ariſtotelis æterna gratia prædicabile! Etenim tam ſolicitè diſputo, unam eſſe logicam artem,quæ tot metaphyſicis libris,alienis titulis & nominibus obſcuratur & confunditur: En Ariſtoteles ipſe id jam nõ confitetur ſolùm, ſed etiam profitetur: Facultas (inquit) philoſophi & dialectici eſt una : uterque artifex eſt communis & generalis, uterq; cauſſis, oppoſitis, comparatis, & reliquis argumẽtis : uterque enuntiato ſyllogiſmo, methodo utitur : ars denique, & facultas eſt una. Gratiam hic igitur Ariſtoteli immortalem ſempiternámque debeo. At (inquiet interpres aliquis) adde reliquum. Addo,inquam. Philoſophus & dialecticus,facultate & arte conveniunt : ſed differunt τῷ τῆς δυνάμεως τρόπῳ, facultatis modo:quia ille veritatem,hic probabilitatem conſectatur. Hæccine igitur duorum artificum artem unã habentium bella eſt differentia? Atqui,inquam grammaticæ facultas & uſus accuratior & elegantior eſt in Cicerone, quàm in Seneca:an duas iccirco grãmaticas artes comminiſcare? Ex iiſdem inventionis fontibus neceſſaria, probabilia deducuntur: quia ut res ſunt, ita rerum ſunt argumenta. mathematica neceſſaria ſunt,neque argumentis,niſi neceſſariis addicuntur. Cædes Clodii ſine neceſsitate ulla accidit, & ideo probabilibus argumentis agitur: & tamen argumẽta tam Milonianæ defenſiõis quàm geometræ,ſunt cauſſæ, facta, oppoſita, comparata,& cætera. Sequana Luteriæ unus eſt (ut alibi diſſerui) ad varios & diverſos uſus, vehendum navigia, alimentaq; huic urbi innumerabilia comportãdum, ad aquandum, lavandum, irrigandum, coquendum, potandum : an igitur flumina tot eſſe dices, quot erunt uſus,quot erunt commoda? Sic,in quã,logica,ſeu dialectica,eſt una in topicis inventionis & criticis diſpoſitionis,ad varios uſus veritatis, veriſimilitudinis,falſitatis : cauſſæ enim aliæ neceſſariæ,aliæ probabiles,aliæ falſæ:& ſic de cæteris:nec alia partitio eſt quatuor cauſſarum pro veris,alia pro veriſimilibus,alia pro falſis:ſed una eſt cõmunis: & ſic in cæteris argumentis. Quamobrem,ô homines,qui iſta legitis,per Deũ immortalem expergiſcimini, & attentiús aliquando conſiderate, quæ modó diſputantur. Quatuor & quadraginta Ariſtotelis de argumentis & argumẽtorum judicio libros in ſcholis publicis ſophiſticé & inutiliter proponi confirmo,quia liber unicus, vel minor etiam quolibet eorum tot librorum, doctrinã ad Ariſtotelis leges cõplecti poſsit: imó veró luculenter & perfecté,utiliter & ac commodaté interpretari poſsit, quod infinitis ſophiſmatũ tenebris in illa tot voluminum multitudine, non obſcuratum modó ſit,ſed obrutum ac ſepultũ. Verùm perge: Ariſtoteles Platonem æmulatus, dialecticã transformare in ſpeciem neſcio quam phãtaſticæ metaphyſicę, contra ſuas leges voluit: perſequitur igitur metaphyſicam, eiq; doctrinã oppoſitorum ſubjicit: ut metaphyſicus conſideret non ſolum ens, ſed etiam nõ ens. Ab hoc igitur Ariſtotele, Ariſtoteles ille refellitur, definiens metaphyſicã ſcientiam entis,quatenus ſit ens : cùm ſit etiam non entis, ut hic ait : tandémque concludit Ariſtoteles, eſſe metaphyſicæ,conſiderare de cauſsis , oppoſitis, comparatis,genere, ſpecie, toto, parte, priore,poſteriore: id eſt metaphſicã,logicam eſſe confirmat.

IN CAP. III.

PErge veró : videri voluit Ariſtoteles ſuperiore capite primam quęſtionem ſolutam eſſe, cùm tamen quinque ad dubitationes cõprehenderit,primam de cauſsis, tertiam de eſſentiis omnibus, quintã de per ſe accidentibus, ſextam de ſimili,diſsimili, & cæteris cõmunibus: ſc primam de eorũ communium proprietatibus. Secunda addubitatio proximo capite tractatur, axiomatum doctrinã eſſe philoſophiæ, quia ſint communia rerum omnium, non propria mathematũ. quod verum eſt,ſi philoſophiam,logicam intelligas. & nos hactenus Ariſtotelis judiciũ ſecuti,non modó axiomata,quæ Euclidi dicuntur, ſed quaſdã propoſitiões etiam ab Euclide pro mathematicis uſurpatas,logicæ reſtituimus. Ariſtotelis hoc loco argumentum ſingulare eſt ad demonſtrandum,axiomata eſſe cõmunia.

Itaq;

Itaque in quoſdam phyſicos invehitur, qui in phyſica, communia illa tractàverãt. Eſt enim (ait) τὸ φυσικῆ τι ἀνώτερον, phyſico quiddam ſublimius: Phyſica enim, ſapientia quædam eſt, ſed non prima: Itaque communis & univerſalis philoſophiæ communia illa erũt & univerſalia: Atque iis phyſicis Ariſtoteles τὴν ἀναλυτικῶν ἀπαιδευσίαν, analyticorum inſcitiam objicit. & ſanè analytica Ariſtotelis, eas leges ampliſsimè promulgatas habent, quas perpetuis ſcholis ad Ariſtotelis philoſophiam corrigendã appellamus, ut logica logicè, ut generalia generaliter doceantur, contra quam utramque legẽ phyſici illi peccaverant. Itaque etiam Ariſtoteles & analytica, & συλλογιστικὰς ἀρχὰς, ſyllogiſtica principia primo philoſopho attribuit. Sed tamen locus de phyſicis, communem & primam artem in phyſica tractantibus, ille eſt, quem ſecundo phyſico citàvimus, ad demõſtrandum, totam illam cauſſarum logicam in phyſicis alienam, & alieno loco contra legẽ καθ᾽ αὑτὸ inſtitui. Quamobrem hic intelligimus, Ariſtotelem obrutum multitudine commentationum, vel imprudentem, vel immemorem eorum fuiſſe, quæ ſecundo phyſico de cauſſarum communi & generali cognitione tradiderat. Nã cùm phyſicos illos accuſat, ſeipſum, qui id in phyſica fecerit, accuſat. Sed tamen pergamus: Ariſtoteles primam philoſophiam dicit, quod antea ſophiam dixerat, & philoſophiam: ſed pauló notabilius iterum eſt illud Alexandri, qui cùm videat ab Ariſtotele apodictica axiomata tribui primo philoſopho, conſequens etiam arbitratur, ut apodictica attribuatur. & illud nimirum ſuperiòre libro fuit, apodicticam, partẽ eſſe philoſophiæ. Ergo paulatim totas logicæ partes videmus ad metaphyſicam traduci: Categorias etiam antea ex ſententia Alexandri, tota veró argumẽtorum topica locis infinitis de cauſsis, oppoſitis, & reliquis: nũc iterum apodictica, analytica etiam, tametſi Alexander ſyllogiſtica principia apodictica hic appellat. At cùm de logicæ partibus Ariſtoteles axiomata dixit eſſe philoſophi categorias, topica, analytica poſteriora videatur attribuere metaphyſico, quænam religio fuit, de prioribus analyticis? an illos logicos verebatur, qui libro tertio è logica metaphyſicam componi querebantur? Atqui hæc ſolutio fuit ſecundæ dubitationis, quód metaphyſica, ſit axiomatum communis ſcientia. Quid? reliquarum dubitationum, quænam explicatio deinceps & ſolutio ex ordine ſequitur? Ariſtoteles axiomata dixit eſſe philoſophi: Itaque ut ſe philoſophum præſtet, reliquam quarti metaphyſici philoſophiam conſumpſit in confirmando axiomate contradictionis, Quidlibet eſt aut non eſt. partẽque ejus eſſe veram, partem falſam diſputat: non utramque veram, non utrãque falſam. Hoc axioma Ariſtoteli eſt ἀξίωμα βεβαιότατον, γνωριμώτατον, ἀνυπόθετον, firmiſsimum, clariſsimum, ſuppoſitionis nihil indigens. At, inquam, philoſophe argutiſsime, id falſum eſt: Cauſſarum enim axioma tantó prius & antiquius eſt contradictionis axiomate, quãtó veri confirmatio, quæ fit è cauſsis, prior & antiquior falſitatis refutatione, quæ fit é contradictione.

IN CAP. IIII. V. VI. VII. VIII.

TVm veró ſit axioma contradictionis firmiſsimum & clariſsimum: cur igitur Ariſtotelis oratio in axiomatis iſtius confirmatione & declaratione conſumitur? Apodictica (reſpondet Ariſtoteles) non erit hæc diſputatio, ſed ἐλεγκτική. neque adverſus ſtipitem hominis & truncum aliquem, neque adverſus protervum & pertinacem, ſed adverſus philoſophum veritatis appetentem. Audio, inquam, hæc ab Ariſtotele ſatis rhetoricè proponi: veruntamen valde ſophiſticè valdeque inconſtanter tractari. Elenchus & refutatio, quæ prætexitur, erit adverſus non paradoxa, ſed monſtra opinionum, tam abſurda, ut theſis ingenii cauſſa conficta videatur. Nam ſi veri cupidus philoſophus hic proponitur, principium ei, principium videri debuit, & principium in primis firmiſsimum, clariſsimum, ſuppoſitionis minimè indigum. Sed tamen capita tantæ diſputationis ſubducantur. Eſt enim non ſolùm ſpinoſa & atida, ſed prolixitatis moleſtæ, adverſus philoſophos & poetas, ſimillima prorſus illius ſophiſticæ, quæ primo libro fuit de cauſsis: illic philoſophi neſcio quot ad inanem ſophiſmatis pompam

propoſitæ declamationis argumentum inducere. Cæterorum philoſophorũ ſententiæ breviús huc aggregantur: Democriti, de pleno & vacuo, tanquam ente & nõ ente: ut nihil eſſet verum, aut ipſum verum eſſet occultum. Cratylus hic mirabilior erat, qui res antè mutari putabat, quàm oratione poſſent enuntiari: Itaque cenſebat loquendum non eſſe; ſed digitum tollebat. Hic meritó neque veram, neque falſam contradictionem putabat eſſe, quia nullã faciebat tacendo. Verùm ſingularis ille digitus Cratylo fuerat, ſi motu ſuo omnes ſenſus animi motusq́; exprimere poſſet. Et tamẽ cur digiti motus, linguæ vel orationis motibus celeriores exiſtimaret? Agedũ quinq; philoſophorum de contradictione inſania mirabilis illa eſt: Sic enim furores amentium opinionum appello, utramque partem eſſe veram, utramq; partem eſſe falſam, utramque ſimul eſſe veram falſamq́;, verum ipſum eſſe occultum, verum nihil enuntiari poſſe: Quid poëtæ? quomodo de contradictione philoſophãtur? Tres poëtæ huc inducuntur, tanquam Democriti, vel Cratyli adſtipulatores. Empedocles mutato corporis habitu, mutari ait ſapientiam: Parmenidis ait idem, ut corporis temperatura fuerit, ſic eſſe mentis habitum: Homerus fingit Hectorem ex vulnere furẽtem, alia ſentire. Hæc metaphyſicus noſter de poëtis ad propoſitã theſin, quæſo, quid attinẽtibus? Neq; enim cõtradictionis veritatem aut falſitatem, qua de agitur, poëtæ illi cogitarunt, ſed apparet è Pyrrhoniis translata hæc eſſe ab Ariſtotele: Erant enim melãcholicis illis ejuſmodi propoſita argumẽta, quibus non logicam, ſed ἀλογίαν & amentiam ſuam cõfirmarent. Sed enim cauſſas tam abſurdarum theſium tres metaphyſicus ſuis authoribus objicit, primó ex inconſtantia & mutabilitate rerũ ſenſibilium, quas cúm varié mútari perſpicerent, propterea nihil teneri, nihil verũ, nihil falſum cognoſci aſſerebant. At veró (ait metaphyſicus) ſenſibilia non omni modo mutantur, ut forma: & ſenſibilium pars lõgé plurima maximaq́;, ut cæleſtium, nullo modo mutatur: Itaque de tota rerũ natura ex minima parte nõ recté judicarunt. Hæc prima fuit erroris cauſſa: ſecunda, fuiſſe dicitur dialecticæ ignorãtia: propter quam in his ſalebris hæſerunt, neque ſe explicare potuerunt: poſtrema fuit, quód cauſſam principii quærerẽt: Itaque neceſſe fuit, ut optimo melius inquirentes, deterius invenirẽt: quod perinde ſit, ac ſi quæreretur, Dormimus'ne an vigilamus? Quapropter hęc metaphyſica Ariſtotelis eſt de axiomate contradictionis; non apodictica, vel dialectica, ad ipſum cõfirmandum, ſed elenctica ad refellendum deſperatas prorſus & furioſas opiniones axiomatale negantium. At divine theologe recordare jã magnificas laudes illas theologiæ nobis promiſſæ: & quatuor ſuperiores libros de categoriis, de ſyllogiſticis principiis, de apodicticis, de topicis cauſſarum, oppoſitorũ, & reliquorum categorematum logicorum: an ſine rubore, tam longum, tamq́; perpetuum errorem cogitabis? Theologiam polliceris: nullum facis de Deo aut divinis rebus verbum: logicam perturbas, & quidem contra tuas leges, ſophiſmate miſerando. Etenim ſi quis ad legem καθ' αὑτὸ provocarit, quam tandẽ in ſumma præſertim ſapientia alieniſſimæ & longiſſimæ altercatiõis cauſſam proferes? quid refutationes mille ejuſmodi cõtra cauſſas, comparata, & reliqua illa cõmunia categoremata: quid, inquam, ad doctrinam diſſerendi de omni ente & non ente attinebunt? Hîc nihil eſt κατὰ παντὸς, cúm negẽtur omnia, cúm falſa refellantur: Nihil igitur καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον, nihil deniq; legib. tuis cõſentaneũ. Quare refutatio opinionũ de cauſſis primo & ſecundo metaphyſico, refutatio opinionum de contradictionis axiomate totis quarti libri capitibus quinque, parem ſophiſticæ laudem obtineto. Ad finem autem libri, quædam phyſica de octavo phyſico repetuntur, quód omnia non moveantur, nec omnia quieſcant: & qđ movetur, ab aliquo moveri: quód ſit aliquod primum movens, æternum, immobile: quæ tamen Alexander tuetur; ut legitima & propria. Atque hæc bonitas interpretis & ſimplicitas erga metaphyſicum multis antea argumentis nota eſt. Quamobrẽ ut theſis noſtra cõcludatur, quartus hic liber, doctrinam nullam quidem ſolidam habet, ſed ſpeciẽ tamen quamcumque habeat: de cauſſis & axiomatis, de ſyllogiſticis principiis;

lio, ut magiſtratus: ſexto, ars: ſeptimo, unde res primò cognoſci poſsit: ut hypotheſes demonſtrationum. Enim verò efficiens conſilio, & ars, ſpecies efficientis ſunt, neq; pro duob. generibus aptè numerantur: & ſeptima ſpecies, argumētū omnino & ꝓmiſcuè ſignificat. Quāobrem ſeptem principiorū modi, tautologiam cauſſarū tantū continent: quod etiam metaphyſicus ipſemet hoc in loco confitetur, cùm ait totidem modis dici & cauſſam, quot modis principiū dicitur: omneſq; cauſſas, eſſe principia. & certè Ariſtoteli principiū & cauſſa pro eodē ſunt. Sed in hoc ipſo tamen novus Ariſtotelis error, Ariſtotelis judicio deprehenditur: Nam ſi principii & cauſſæ genera cōmunia ſunt, ſophiſticè partitē Ariſtoteles, cùm in principiis enumerādis & partiendis duo primaria cauſſarū genera obliviſcitē, formam & finē. Hunc elenchum ſenſit Alexāder: Itaq; ad excuſandum dominū ſervus hîc mirificā logicam expreſsit: Forma (ait) cōprehenditur ſub arte: quia ars, eſt forma rei efficiendæ: & finis ſub efficiēte, quia in rebus agendis, finis eſt principiū. At interpres fideliſsime, qd hîc magiſtri gratia cōminiſceris: forma tibi eſt ars quædā: at δύναμις (quo genere poſtea nominatim ab Ariſtotele artes comprehēduntē) eſt in cauſſarū efficientiū genere. & paulo pòſt ſic ars, efficiens cauſſa dicetē: poſtea tamen ab Ariſtotele 9. cap. 7. lib. ars dicetur forma: ſed tropus erit pro ſpecie artificis animo cōprehēſa: ut tum quoq; Alexander explicabit: finis aūt in illo efficiētis genere (quo pater & mater, principia ſobolis dicuntur à metaphyſico) qua ratione comprehēdetur? Talia ſunt igitur τὰ κατὰ τὸ πολλαχῶς, & talia erūt, aut etiā inſolētiora reliqua τὰ κατὰ τὸ ποσαχῶς.

IN CAP. II.

VErùm pergamus: metaphyſicam principiorū didicimus, metaphyſicam cauſſarū attēdamus: Ecqd (inquies) nonne ſeptē erūt iidem modi (ut Ariſtoteles ipſe affirmavit) cauſſarū, qui principiorū fuerūt? Minimè, inquā: Id enim Ariſtoteles derepēte oblitus eſt. Cauſſarū itaq; genera quatuor enumerāt, materiam, formā, efficiētem, finē: ut ſtatuæ, æs, & artem: æs, ut materiam: artem ut efficientē: aitq; ejuſdem rei multas eſſe cauſſas: ut ſtatuę, ęs & artē, materiam quippe & efficientem. Aliquandò etiam mutuas, ut laborē valetudinis, valetudinem laboris: Aliquādo contrariorum: ut gubernator, ſalutis & periculi cauſſa eſt, præſens aut abſens. quod verum eſt: ſed illic ridiculus eſt metaphyſicus, tanq̄ id nō infinitè jam teſtificatus ſit. & locus hîc eſt paulo antè citatus, ꝙ ars ſit efficiēs cauſſa. Enimverò hæc quatuor genera cauſſarū ſuis & propriis & iiſdem nominibus antea propoſita toties & nunc iterata, metaphyſicū nihil moverunt? certè nihil: neq; ſophiſma ſtolidum in ſophiſticis elēchis à ſeipſo deſcriptum cōmonuit: quin modos cauſſarū ſex etiam huc è logicis & è phyſicis repetit, ꝙ cauſſa ſit prior vel poſterior, ꝓpinquior vel remotior, per ſe, per accidens, actu, potentia, ſimplex compoſita, generalis, ſingularis. O' philoſophum in cumulādis opibus multò magis avarum, quàm in diſtribuendis & fruendis largum & profuſum! Eſt autem notabile, quod hîc Ariſtoteles has differētias ait eſſe communes etiā effectorum: ut effectorum, ſicuti cauſſarū, locum etiam in metaphyſicis, licet parcius, attamē repetitum intelligamus.

IN CAP. III.

AGè verò, nondū de cauſsis tautologiæ omnes animadverſæ ſunt: Elementū dicitur ſpecie individuum, ut ignis, aër, aqua, terra: Nam unum quodq; horū dividitur in partes homogeneas: ſimiliter elementa dicunē principia demōſtrationū: tum per metaphoram dicitur elementū, quod eſt puſillū, ſimplex, individuum: ſic genera dicunē elementa. Hæc Ariſtotelis metaphyſica eſt de elemento, quod materiali cauſſæ propriæ videtē attribuere: Attamē principia demonſtrationum, & genera, ſic eſſe cauſſæ non poſſunt, cùm ſymbola ſint cōmunia multarum cauſſarū: & elementi nomen non tam generale eſt, quàm principii, quàm cauſſæ: ut infinitis locis Ariſtoteles uſurpavit: tautologia igitur cauſſarum etiam hîc eſt, licet obſcurior.

IN CAP. IIII.

SEd tamen obſcuriſsimus in hoc ſophiſmate metaphyſicus fuit. reperit eandem logicā nomine naturæ. Naturā (ait) quinq; modis dicitur: primo, generatio: ſecundo, materia: tertio, principium motus, id eſt efficiens. Alexāder

formam hîc interpretat̃:attamen Ariſtoteles ſecundo capite hoc modo efficientem definivit. quarto, ſubjectũ, quæ materia ſit ad hoc aliquid: quinto, eſſentia rerum natura conſtantium, ut Empedoclis cõpoſitio & miſtio, ut Ariſtoteli forma, quæ finis generatiõis hîc dicitur, & præcipué natura nominat̃: unde etiã nomen ad materiã, & ex utraq; cõpoſitam eſſentiam traducit̃. Atq; Alexãder, ut pro efficiente formã aſſumpſit antea, ſic formam hîc pro toto cõpoſito accepit. Sed hæc naturæ metaphyſica, odioſam tautologiam habet (ut dixi) de cauſſarũ generibus toties iteratis, materia, efficiente, forma, & fine, in formæ nomine: refutatum autem eſt à nobis in phyſico ſecũdum cõmentum illud Ariſtotelis, de tribus cauſsis, efficiẽte, forma, fine, in unũ convenientibus: tautologia etiam altera ignavior eſt, quód hæc naturæ ſignificata pené ad verbum é ſecundo phyſico huc referuntur.

IN CAP. V.

PErge, quæ ſequuntur τὰ περὶ τοῦ ἀναγκαίου. Circunſtantiæ quædam ſunt efficientis neceſsitate, vel immutabilitatis, vel violentiæ. Sed iſta à quocũq; authore Ariſtoteles tranſtulerit, valde ſunt ἄλογα. Neceſſariũ modis quinq; dicitur: primo, ſine quo non accidit vivere, ut ſpiritus, cibus: hoc συναίτιον Ariſtoteli dicit̃: ſecũdo, ſine quo non ſit bonũ, aut non abſit malũ: ut medicamentum, ſine quo neq; adſit ſanitas, neq; abſit morbus: At hic modus eſt idẽ cum primo, neq; Ariſtoteles diſtinguit: Tertio, violentia contra uoluntatem & conſilium. itaq; hoc neceſſariũ, eſt moleſtum, ut Evenus ait:

Omne enim neceſſarium, res eſt gravis:——

& violẽtia, neceſsitas eſt quædam, ut ait Sophocles,

Sed violentia me neceſsitat hæc facere.

Ideoq; videt̃ neceſsitas aliquid ἀμετάπειστον, indiſſuaſibile. Hic veró modus, eſt circũſtantia efficiẽtis per accidẽs: Quarto, quod aliter eſſe nõ poteſt: & hoc proprié, unde alia neceſſaria dicunt̃. & quidem hic modus, eſt συναίτιον efficientis neceſsitate immutabili: quomodo ignis urit: Quinto, demonſtratio neceſſariorũ & æternorũ. At modus hic in quarto cõtinetur. quare de quinq; modis neceſſarii duo tantúm ſunt: neceſſariũ eſt abſoluté, qd' aliter eſſe non poteſt, id eſt conſtans & immutabile: neceſſariũ violentum, quo (tanq̃ dicas) agens neceſsitat̃ & cogitur ad agendũ. Et hunc utrumq; fructũ in logicâ efficientiũ retinemus, ſicut Ariſtot. ipſe in organo logico etiam retinuit. Ergo hoc etiam quintum caput fuit in tautologia cauſſarũ: & adhuc primæ dubitationis explicatio quędã non ſolúm 1. & 2. cap. 4. ſed quinq; primis iſtis capitibus tractata eſt.

IN CAP. VI.

QUæ nã veró dubitatio deinceps tractat̃? Certé de uno & ente decimaquarta dubitatio ſequet̃, quę tertio metaphyſico dicit̃ χαλεπωτάτη, καὶ πλείστην ἀπορίαν ἔχουσα, difficillima, & plurimam habẽs ambiguitatem: quæq; tam varié é Pythagora, Platõe, Empedocle, Parmenide, Zenone diſputata eſt. Attẽdamus igitur tanti problematis explicationẽ, & primũ de uno. Quot igitur modis dicitur unum? Si verum & logicũ requiras, é primis & ſimplicibus argumẽtis, conſentanea id ipſum declarabunt: Multa enim, quæ modo dicũtur unum, ſunt ipſa in noſtris logicis é cõſentaneorum categoria. Itaq; multa dicunt̃ unũ, vel abſoluté cauſsis & effectis, vel modo quodam, ut ſubjectis & adjunctis. Id, inquam, modó eſt unum, quod cõſentaneum: & ſic breviter & perſpicué admirabilis illa Ariſtotel. quęſtio explicari poterat. At huc ex Eubulide, Antiſthene, & omnib. (credo) ſophiſtis omnia ſophiſmata Ariſtoteles aggregavit: unũ dicit̃ per accidens, aut per ſe. Per accidens, tribus modis: cum aliquid accidit, primó eſſentiæ, ut Coriſcus eſt muſicus: ſecũdó accidenti, ut juſtus eſt muſicus: tertió, alteri partium, ut Coriſcus muſicus, eſt juſtus. atq; hi tres modi logicũ ſi quid habent, ex adjũctis habẽt. Dic veró ſignificata unius per ſe. Alexãdrũ puduit, aut certé piguit, modos iſtos enumerare: Sunt autẽ ſexdecim, incredibili ſophiſtica confuſi: alii enim ſunt alieni, alii multa, unũ effici non docẽt: alii ſunt é cauſſis, vocabulorum tantúm varietate confuſé iterati: alii ex effectis, ex adjunctis, é ſimilibus. Agedum, ſubducamus hos modos unius per ſe: Primó, τὸ συνεχές, cõtinuũ: ut faſciculus ligni, linea flexa. At, inquam, hic modus alienus eſt: eſt enim id geometricũ, non eſt cõmune entium omnium,

omnium. Secundò, ſubjectū ſpecie indifferens: ut aqua & omnes humores. Atqui hic modus eſt formæ, unde unitas eſt ſumma,& huc cauſſæ adhibetur, Tertiò,genere: ut equus, homo, canis. Hic modus eſt etiam é cauſſis, quarum ſymbolū eſt in genere:materia enim, & pars formæ ſpecialis,genere continetur: Quartò,definitione. at hic modus eſt é cauſſis,& jam comprehenſus ſecūdo & tertio: Quintò,quorū notio individua eſt tempore,loco,ratióne. At hic modus eſt etiā é cauſsis,& ſecundū,tertiū, quartumq; cōprehēdit: Sextò, individuum: ut hic homo,hoc animal. At, inquā, hic rurſus cauſſæ omnes confundūtur: Septimò,quod efficiant vel patiantur idē, vel ad aliquid ſint. Logica Ariſtotelis eſt hîc paulò apertior: multa ſunt unū, modò effectis,modò adjunctis, modò relatis, quæ ipſa ſunt adjūcta mutuæ eſſentiæ. Sic filii ejuſdem patris complures,ſunt unū. Itaq; etiam accidentis unitas hîc iteratur: Octavò, in primis ſunt unum,quorum eſſentia eſt una, vel continuitate,vel ſpecie, vel ratione. Atqui, inquā,octavus hîc modus continet primum illum alienū:item ſecūdum, quartum,quintum,ſextū: ideoq; etiā cauſſarum eſt:Nonò, totum eſt unum,ut peripheria,quæ tota eſt & perfecta. Hic modus Alexandro etiam mendoſus videt: In acroaſi autem, Ariſtotelis errorē demonſtravimus,de peripheria perfectiore,quàm ſit recta : & tamen hic modus unitatis eſt continuus,nec habet comparationem multorū,quæ dicātur unū, nec aliud hoc unum eſt,quàm totum & integrū,cui nihil abeſt. Decimò, principium numeri,quia prima mēſura & unitas numeri:litera orationis. At unum hoc etiam ſolitarium eſt, cōparationis non eſt. Undecimò, individuū ſpecie. At hic modus nominatim ſecundus fuit. Duodecimò, individuū quantitate, ſine ſitu,ut unitas:cum ſitu, ut pūctum. hic modus eſt etiam ſolitarius. Decimotertiò,ſecundū numerum,quorū materia eſt una. At nominatim illud individuum fuit ſexto modo. Decimoquartò, ſecundum ſpeciē, quorū definitio una. Si verū dicit hîc Ariſtoteles, hic modus ſextus fuit,ideoq; quartus, quintus, ſextus cauſſarū eſt. Decimoquintò, ſecundum genus, quorum eadem forma categoriæ. At,inquā, tres hi modi, omnes alios rurſus complectūtur: & tamen in iis vacat illud (numero) quia differentia numeri,eſt rei ſpecialis contra generalem: & quæcunque enunciātur,enunciantur generaliter de univerſis, aut ſpecialiter de aliquo uno: Numeri differentia illa præterea commētitia eſt: & ſiqua propriè dici poſsit numero differentia, erit Arithmetica: & differentia numero, plura paucioribus aut contrà fuerunt. Tum verò unitas ſpeciei & generis non ſatis accuratè à metaphyſico definitur. Specie enim ſunt unū,quæ ſunt in una ſpecie:Genere,quæ ſunt in uno genere. Decimoſextò unum dicitur analogia & proportione,ut fons ad amnem, ſic cor ad animal. Modus autē unitatis hic poſtremus,unum pro ſimili uſurpat: & ſic liceat fingere unum æqualitate, nomine,parte,& cæteris argumentis. Quamobrem modos unitatis ſexdecim videmus é tribus modis factos eſſe, cauſsis, factis, adjunctis: unitas enim ſubjecti nuſquā hic ſignificatur. Nam fertilis & fœcunda vitiis hominū natura eſt: vel potiùs (ut Ariſtoteles 2.cap.1.metaphyſici loquitur)tot modis ſerva. O' Plutarchum ſapientē & verū judicem! O' veteres logicos de logica in metaphyſicam transformata juſtiſsimè cōqueſtos! O' Ariſtotelem,quamvis ſæpe liberrimum ſeveriſsimumq; in alienis ſententiis expendendis,attamen aliquando molliſſimum fractiſsimūq;! Hęccine vera eſt illa de uno difficultas, tantopere tertio metaphyſico jactata? hæccine ſophia Deo poſſeſſore digna? Perge verò: Addit huc Ariſtoteles, modos multitudinis contrarios eſſe modis unitatis: tres tamen tantū enumerat, continuitatem, materiam,definitionē: reliquos utrùm oblitus,an (ut Alexander excuſat) prætererit,ut jam notos? Verùm ſociū illud cognatūq; entis problema ſequitur,expectatione majore expectatum.

IN CAP. VII.

HIc ſiquidē categoriæ ſunt Ariſtotelis de entis generib. ac modis: ſed tamē diſsimiliter tractatæ. At diviſionē entis, id eſt categorias antea jam Alexander metaphyſico attribuit: neq; jam tota categoriarū logica deinceps explicata dubitare poterit, quin é logica facta ſit metaphyſica. An verò cō-

tentus erit bella diſtinctione illa, quód philoſophus metaphyſic⁹ ex veris, dialecticus ille ex veriſimilibus diſſerat: hîc igitur interpretis hujus bonitatē & ſimplicitatem excuſato, dicitoq; entis partitionē: Ens (ait metaphyſicus) dicit per accidens & per ſe: Per accidens, tribus illis modis, quibus ens iam dictū eſt: Per ſe, quæcunq; ſignificant τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας, figuras categoriæ. Quot modis enim dicūtur, tot modis dicitur ens: ut eſſentia, qualitas, quantitas, ad aliquid, facere, pati, ubi, quando. Hæc Ariſtotelea eſt entis diviſio, & ſubdiviſio. At, inquam, metaphyſice noſter, qualianam ſunt iſta σχήματα τῆς κατηγορίας. In organo logico facta eſt primùm categoria eſſentię, tum factę ſunt categorię entis novē, quātitas, qualitas, relatio, actio, paſsio, ubi, quando, ſitus, habitus: At hîc accidentis præterea modi tres illi facti ſunt, neq; hîc ſitus & habitus repetūtur. & in acroaſi, mirabilem Ariſtotelis incōſtantiam demonſtravimus, de numero categoriarum. Itaq; ſi Alexander pauló acrior in veteres logicos illos eſſe voluiſſet, poterat magnam illam logicæ organicæ & metaphyſicæ differentiam proferre: ſed puduiſſet (opinor) ſervum herilis oblivionis vel inconſtantiæ: & logicam organicā logica metaphyſica paulo tolerabiliorē eſſe. Repetūtur huc etiā, ens pro vero, non ens pro falſo accipi: Item quód ſit actu, vel potentia: quæ in modis unius metaphyſic⁹ erat oblitus: cúm tamen teſtificatus ſit, re ipſa unum & ens idem eſſe, generibusq; & modis æqualia.

IN CAP. VIII.

VEruntamen categorias entis per ſe ſeparatim deinde perſequitur Ariſtoteles, ac primo loco eſſentiam. Ecquid igit̄, qualis eſt metaphyſica eſſentiæ categoria? quotq; modis diviſa? Quatuor, reſpōdet Ariſtoteles. Eſſentia enim, eſt corpus ſimplex, ut terra, aqua, animalia, dæmonia: quo ſenſu organica categoria feré cōprehenſa eſt. At, inquam, modus hic phyſicus eſt, nō eſt metaphyſicus: quia non eſt communis entium omniū, cúm quædam ſint incorporea: tollatur igitur hic modus, ut à nobis in logica ſublatus eſt: Illic enim primæ eſſentiæ, quibusq; accidentia accidant, dicūtur maximé eſſe, & maximé ꝓprié: & primæ illæ eſſentiæ, ſunt nimirum corpora ſimplicia in elementis, dęmoniis, animalibus. Tollatur, inquam, hic modus ut alienus, neq; logicus, neq; metaphyſicus. Quinā ſunt igitur modi reliqui? Secundó, cauſſa eſſentię, ut anima: tertió, quæ ſunt in definitione: quartó, ipſamet definitio. At ſecūdus ille modus tertium & quartū continet. Deniq; (ait metaphyſicus) eſſentia duobus modis dicitur, materia & forma. O' metaphyſicum elégantem! beaſti veró me: Id enim eſt unum de eſſentia logicê ſeu metaphyſicé κυρίως, & explicare, quod ſit entis, imó etiam nō entis cōmune. Itaq; eſſentiæ iſtius ſenſum in logica intueor, ſed tamē notiore & illuſtriore cauſſarum nomine materiam, formam, cæteraq; ὁμοίως propono: neq; generale contra legem καθόλου πρώτου infinité repeto. Interea illud etiam magnificum, inania illa ſophiſmata, Non eſſe in ſubjecto, Synonymé dici, Nil habere contrarium, Non ſuſcipere magis & minus: quibus eſſentia categorica referta eſt, nihil huc revocantur.

IN CAP. IX.

AGedum, logicā eſſentiæ categoriam metaphyſicus interpretatus eſt. quales reliquorū generū categorias deinceps interpretat̄? Ordo, inquam, rerum valdé confundit̄: interponuntur categoremata é topicis & categoriis repetita, de eodem, diverſo, differente, ſimili, diſsimili, contrariis, adverſis: tum reditus erit ad totas categorias quantitatis, qualitatis, relatiōis. Sed tamen interpoſita hæc interponant̄. Idem (ait metaphyſic⁹) dicit̄ tot modis, quot modis ens. Verū, inq̄, ais, metaphyſice: quia unū illud pro eodē, & hoc idē pro uno: itē unitas illa pro hac idētitate (ut ſic loquar) intelligit̄. & unitas atq; identitas eſt, cùm multa ſint unum & idem cauſsis: & hæc ejuſdē & diverſi doctrina ſeptimo topico é cōmunibus locis conjugatorum, effectorum, generis, comparatorum, oppoſitorum, κοινότερον comprehenſa fuerat. Itaq; ματαιοτεχνία hîc manifeſta eſt. Sed tamē iſta Ariſtotelis pręfatio, Ariſtotelis etiam accuſatio eſt. Sequitur quidē metaphyſicus modū unius & entis: primùm per accidēs tripliciter. at modos per ſe non ſequitur: ſed de tā multis, quatuor tantū attingit, materiam,

tiam, formam, numerũ, eſſentiã: quibus multa dicunt idem: & in iis paucis modis minus ineptus eſt Ariſtoteles, quàm fuerat in illis tam multis: Hi ſiquidẽ modi quatuor ſunt ex cauſsis. Prætereo autem, quòd ultimus cõtineat reliquos, & in quatuor logica ſit illi par ſuperiori. Et ſic una definitione, modi quatuor cõprehendent: poſtea cap. 15. eadem ſunt, quorũ una eſt eſſentia, dicet illic Ariſtoteles. Sed aliter hìc Ariſtoteles ineptior eſt. multitudinis modos antea nõ recitavit, intelligi tantũ voluit è modis unitatis: Hìc aũt licèt modos eiuſdẽ expoſuerit, unde poſſent intelligi modi diverſorum: attamẽ ſubtiliter exequitur, diverſa dici ſpeciéb. pluribus, materia, eſſentia: qui modi tamen proximis eorũdem modis partim reſpondent nominatim, ut materia & eſſentia: partim non reſpõdent: ſpecie enim & numero non reſpõdent: diverſa plurib. ſpeciebus. Aggregat huc Ariſtoteles, διάφορα, differentia tantum numero, non eadẽ, vel quæ genere ſint eadem, eſſentiis diverſa: q.d' nó vę logicæ nihil eſt. Logica brevior eſt ſimilium diſsimiliumq; huc adjecta: Similia modis quatuor metaphyſicó dicuntur: Primo affecta eodem: quod eſt Alexãdro forma. Secundo, affecta pluribus eiſdẽ. Tertio, qualitate una. Quarto, pluribus, quib. alterari poſſunt. Diſſimilia totidẽ modis oppoſitis dici metaphyſicus ait: At ineptiæ iſtæ valdè magnę ſunt: Similia eñ & diſſimilia, ut materia, ut forma, ſunt omniũ entiũ, neq; metaphyſicis vel logicis modis dividuntur.

IN CAP. X.

EAdem, diverſa, differẽtia, ſimilia, diſſimilia, ita fuerũt: ſequunt quę vulgó poſt prædicamẽta appellãtur, poſt decẽ categorias in organo expoſita, de cõtrariis, de modis prioris. Itaq; quia Ariſtot. logicũ & metaphyſicũ arte & facultate facit unũ, juſta videlicet ratio fuit, ut caput etiã illud è logica in metaphyſicã venerit: Illic, poſt categorias, contraria diſſerunt: hic interſerũtur in medio categoriarũ: nempe inter categoriã eſſentiæ, & reliquas accidẽtis categorias: nec ullum omnino ſophiſmatis genus eſt, cujus infinitã licẽtiam in metaphyſicis Ariſtot. ſibi non permiſerit. Verùm perge: Cõtrariorũ modi ſex enumerant, contradictio, adverſa ad aliqd; privatio, & habitus, terminiq; ortus & interitus: quæ nõ accidit ſimul eſſe amborum ſuſceptivo. Atqui, inq, quatuor primi modi ex organo logico ſunt: quintus aũt unde eſt ens (ait Alexander) & non ens, illi termini ſunt. Audio, inq, & altero Ariſtotelis teſtimonio nõ ens logico & metaphyſicó ſubjici adnoto: ſed tamẽ modus iſte valdè ridiculus eſt, cũ ſit cõtradictionis exemplũ, ut eſſet unũ non unũ, cauſſa non cauſſa, ſimile nõ ſimile. Neq; in illo categoriarũ capite de cõtrariis, bellus hic modus fuit. Sextus aũt modus, ſophiſmate laborat planè contrario: illic enim ſpecies pro genere numerat: hic cõtra genus pro ſpecie. Eſt enim definitio quædã cõmunis omniũ oppoſitorũ, neq; contradicẽtia, neq; adverſa, neq; relata, neq; privantia ſimul ineſſe poſſunt. Quare partitio hæc ſex membrorũ, duob. extremis mẽbris ſupervacua eſt. Perge, quid deniq; ſequitur De adverſis reliqua ſunt in hoc capite: quib. cumulus eſt quinq; definitionũ. Ecquid (inquies) definitionib. quinq; opus erat: Lex eñ καθόλου πρῶτον, una de re unum tantũ præceptũ jubet eſſe: Utrùm quinq; authores diverſi has quinq; definitiones ediderant, quas Ariſtot. collegit, nec poſtea ad leges ſuas æſtimavit: Veruntamen audiant: Adverſa dicunt quæ differentia genere, non poſſunt ſimul eidem adeſſe: & in eodẽ genere plurimum differẽtia, & in eodẽ ſuſceptivo plurimùm differentia: & in eadẽ potentia plurimũ differẽtia: & quorũ differentia maxima, aut abſolutè, aut genere, aut ſpecie. Hæ ſunt adverſorũ definitiones: in quibus primũ illud eodẽ vel genere, vel ſubjecto, vel eadem potẽtia, nihil ad naturã adverſorũ attinet, nec oppoſitionis conſideratio inde ulla ſumitur: Maxima aũt differentia, quæ quatuor proximis definitionib. comprehẽditur, non eſt ꝓpria adverſorũ: tametſi Ariſtoteles 4. cap. 10. metaphy. poſtea rurſus id affirmet: ſed cõmunis omniũ contrariorum, quia contrariũ quodlibet unum uni maximè opponit. Major diſſenſio hac una eſſe non poteſt: Quare tanta metaphyſici in definitionũ iſtarũ cumulo diligentia, logicũ, vel metaphyſicum fructũ nullum habet: neq; adverſa definit. Sed longè magis Bubulidea

ſequentia ſunt, tanꝗ modis illis ꝓprié adverſa, eſſent definita. Cætera (inquit metaphyſicus) adverſa dicuntur, quód adverſa, vel habeant, vel ſuſcipiant, vel facere, vel pati poſsint, vel faciãt, vel patiantur, vel abjectiones, vel ſumptiones, vel habitus, vel privationes. Deniq; metaphyſicus huc addit adverſum tot modis dici, quot unum & ens: ut videlicet unum & viginti modos adverſorũ huic divino metaphyſico intelligamus occurriſſe. O' ſophiſticæ copiam & ubertatem, ex hoc uno ingenio redundantẽ! Atqui tamẽ ſophiſtica hæc tam putida, in illo categoriarum capite de cõtrariis nequaꝗ fuit. Eubulides poſtea aliquis his opimis ſpoliis deſpoliatus eſt, quæ divinæ metaphyſicæ cõſecrarent. Poſtrema eſt in hoc capite logica cõſimilis de diverſis ſpecie: Diverſa ſunt ſpecie, quæ cúm ſint ejuſdem generis, nõ ſunt ſubalterna, vel differentiã habent, vel in eſſentia ſunt adverſa, vel ſunt adverſa ſpecie inter ſe, vel omnia, vel dicta primó quorumcũq;, in extrema generis ſpecie definitiones diverſæ ſunt, vel quæcunq; in eadem eſſentia habent differentiã: neq; hæc Eubulidea in categoriis fuere: & ut diverſa genere ſunt genera diverſa, vel in generibus diverſis poſita, ſic diverſa ſpecie ſunt ſpecies diverſæ, vel in diverſis ſpeciebus poſita.

IN CAP. XI.

SEd tamen quis erit tam fatuis ineptiis modus? Durato, inꝗ, & cętera conſtanter auſcultato, ut veterũ logicorũ, multoq; magis, ut Plutarchi judicium verũ eſſe perſpicias. Categoriis interpoſita ſunt illa ſuperiora, deinceps de modis prioris, & poſterioris interponuntur alia indidẽ repetita: Capita eñ illic duo ſunt de modis prioris & ſimul: Itaq; etiam hîc illa poſtprædicamẽta recognoſcãtur: Prius illic efficitur quinq; modis, tempore, conſequentia, ordine, potentia, cauſſa: Hîc dicitur prius omnino, quod ſit alicui principio ꝓpius: idque modis bis quinis: Primi quinq; modi ſunt, loco, ut medium prius fine: tempore, ut Troica Medicis: motu, ut puer viro: potentia, ut princeps ſubditis: ordine, ut in chorea, coryphæus prior ſecũdo. Atq; ex iis primis quinq; modis, tres categoricos recognoſcimus: Prius tẽpore, ordine, potẽtia: locus & tempus illic non fuere: & loca priora, ſunt ordine priora: & motus prius, tẽpore prius eſt. Quare Antiſthenes poſtea ſpoliat⁹, hanc logicã nihilo meliorẽ fecit. Sed iis modis alios prioris modos quinq; metaphyſicus adjicit: Primó, notione, & quidem κατὰ τὸν λόγον καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν, ſecundum rationem & ſecũdum ſenſum: ſic enim loquitur hîc Ariſtoteles, pro eo quod eſt in analyticis, τῇ φύσει καὶ ἡμῖν, natura & nobis. Secundum rationem univerſalia ſunt priora: ſecundum ſenſum, ſingularia. Prius aũt illud ſecundũ rationem, eſt in categoriis prius τῇ αἰτίᾳ, cauſſa. Secũdó, affectiones priorũ ſunt priores: ut rectitudo planitie: quia illa eſt lineæ, hæc ſuperficiei. At hic mod⁹ in primo etiam eſt. Tertió, κατὰ φύσιν, ſecundũ naturam quæ ſine aliis eſſe poſſunt. Hic locus fuit in categoriis prius cõſequentia: & hoc κατὰ φύσιν adnotavimus in logica adverſus interpretes quoſdam latinos, qui caſum τῇ φύσει interpretarẽtur, naturæ: cùm caſus omnino ſit abſolut⁹. Atq; hanc prioris diſtinctionem (ſecundum rationẽ & ſenſum) Ariſtoteles magiſtro Platoni hîc attribuit. Quartó, ſubjectum prius adjunctis. Quintó, potentia aut actu, ut pars toto prior potentia, quia fit è diſſolutiõe totius: totum actu prius. Verùm é tam multis modis prioris, unicus ille notionis modus logicus aut metaphyſicus eſt, qui modum naturæ eſſentiæq; prioris etiam cõprehendit; logicus, inꝗ, hic ſolus eſt, qui ad aliquẽ methodi fructum referri poſsit: cætera Eubulidis vel Zenonis fuerunt. Atque hæc de modis prioris: quibus oppoſiti ſunt modi poſterioris, neq; ab Ariſtotele repetiti. Verũ, inquies, ubi ſunt modi Simul, qui duo facti erãt in illis poſtprędicamentis, tẽpore, & natura? Metaphyſicus, inquam, hîc oblitus eſt, metaphyſici & dialectici unam facultatẽ unámque artem eſſe.

IN CAP. XII.

AGedum, quæ metaphyſica ſequitur de efficiẽtibus, inꝗ, & adjunctis quiddam cõfunditur: permiſcetur etiam de enunciati veritate nõnihil, quot modis potẽns & poſsibile, impotentia & impoſsibile dicantur. Potẽtia (ait metaphyſic⁹) proprié ad efficiẽtem cauſſam attinet, & eſt principiũ efficiendi: ut architectura, medicina, & qualibet ars,

bet ars, ut Ariſtoteles ait, ut etiã Alexander exprimit: ſed immemor primi capitis, ubi artem, formam fecerat. Modus igitur hic novæ metaphyſicæ nihil habet. Secũdus modus eſt, quod poſsit pati. adjunctorũ illud eſt. Tertius, qđ bene efficere qui primo cõtinet. Quartus, eſt habit⁹, cujus ſubiectũ eſt impatibile, ut Salamãdrę, ne uratẽ: adamãtis, ne frãgatur. hic etiam modus adjunctorum eſt. Poſsibile tribus tamẽ aliis modis dividitur: Primo, cuius oppoſitũ non eſt neceſſarió falſum: Secundo, quod eſt verum: Tertio, qđ poteſt eſſe verũ. At, inquã, hi modi ſunt enunciati potiús, quã rei: & Ariſtot. poſtea 5 cap. 6. metaphyſ. dicet hanc affectionẽ mentis eſſe, nõ rei. Quid impotentia & impoſsibile? Contrariis modis dici Ariſtoteles quidẽ ait, modos tamen valdé inſolẽter opponit: impotentiæ, ſi non poſsit, vel omnino, vel nondum, vel cum debeat: Impoſsibile, quod non poſsit vel facere, vel fieri, vel quod ob imbecillitatẽ patiatẽ, qđ rectẽ neq; facere, neq; pati poſsit. At primus & tertius modus latiné nõ eſſet impoſsibile, ſed impotẽs: quart⁹ é ſecũdo naſcitẽ. Quãobrẽ quid hic habem⁹ cutrũ potẽtiã ſophiſticæ, an logicæ impotẽtiã?

IN CAP. XIII.

VEruntamen poſtprædicamenta, & oppoſitorum, & priorum, efficientis, & adjuncti quandam ſophiſticã audivimus: categorias tãdem reliquas ſuis etiam nominib. audiam⁹: Quantitatis primúm, deinde qualitatis, tum relationis. Quid igitẽ hic metaphyſicus de quantitate? Quantum (ait) eſt dividuũ in partes inſitas: ſic numerus, eſt quantũ numerabile: ſic magnitudo, eſt quãtũ mẽſurabile Heus veró, categoremata é categoriis organicis repetita video, ſed nihilo meliora video: Mathematicum eñ id eſt, nõ logicũ, nõ metaphyſicũ, cúm numerus, cúm magnitudo nõ ſit entis, quaten⁹ eſt ens. Eſt tamẽ hic melius illud de quãto per ſe, tũ per eſſentiã, ut eſt magnitudo, tum per affectum, ut multũ, paucũ, lõgum, breve, latum, anguſtũ, altũ, humile, leve, grave: Per accidẽs, quantũ, ut motus, & tẽpus: motus per magnitudinẽ, tẽpus per motum. Hæc ariſtotelea metaphyſicę quantitatis categoria eſt, in qua ſané leve & grave, quãtitates dici, quid audio? qualitates enim vel Ariſtoteles ipſe poſtea nominabit. Eſt tamẽ pauló accuratius iſtud de motu & tempore, quám in organica quãtitatis categoria, ubi motus & tempus, ſicut locus, oratio, quãtitatis ſpecies falſó fiũt. Sed alia etiã metaphyſicæ hujus categoriæ præſtãtia eſt: q̃ ineptias illas cõmunitatũ non repetat ex organo, Nihil habere contrariũ, Nõ ſuſcipere magis & minus, Aequale vel inęquale dici: Quę etiã ſingula ſunt aliorũ mathematicis omnibus & cõmuniora.

IN CAP. XIIII.

ENimveró logicum nihil fuit in categoria quantitatis, licet metaphyſica minus abſurda ſit, quám fuit illa organica: quid erit in categoria qualitatis? Qualitas dicitẽ quadrupliciter (ait metaphyſicus) eſſentiæ, quãtitatis, corporum ſenſibilium, item bonum & malũ. Imó dicitur abſoluté dupliciter, qualitas eſſentiæ mobilis, & immobilis. Hæc Ariſtotelia eſt metaphyſica categoria de qualitate: Verum partitio modó quadruplex, modó duplex, inconſtantiam doctrinæ prodit: & doctrina iſta neq; logica, neq; metaphyſica eſt, quia non eſt entis, quatenus eſt ens. & tamẽ tolerabilior multó, quám fuit organica qualitatis & categoria in quatuor illis cõmentitiis generibus habitus & diſpoſitionis, potentiæ naturalis & impotentiæ, patibilis qualitatis & paſsionis, figuræ & formæ: ſed eó in primis, quód vanas cõmunitatum ineptias non repetat, quibus organica qualitatis categoria, ſcilicet exornata eſt: Habere contrarium, ſuſcipere magis ac minus, ſimile vel diſsimile dici: Hæc enim tria ſunt omnium entium communia. Sed tamẽ hoc capite jucundũ nobis fuit Ariſtot. exemplum illud mathematicum de numeris quoties quotis, & quoties quotis es quoties, ἐν μιμήσει, τὸ ἐπίπεδον καὶ τὸ στερεόν, quorũ imitatio, planũ & ſolidũ, tanq̃ illi numeri ſint geometrici, non autem abſolute numeri: & ſic nos in geometricis inſtituimus eos numeros.

IN CAP. XV.

VErúm tres categoriæ pręceſſerũt, eſſentiæ, quãtitatis, qualitatis: Categoria relationis ſequitur, valdẽ quidẽ illa Antiſthenea. Ad aliquid dicitur (ait metaphyſicus) ſecũdũ numerũ, ut duplũ, & dimidiũ: ſecundũ activum & paſsivum, ut cõbuſtivum, combuſtibile: ſecundúm judicans & judicatũ, ut

menſura, & mēſurabile. Ecqđ primus modus relationis ſecundū numerū nōne ſimiliter infinité variari poſsit? Nam ſecundū magnitudinē, majus minus, ſecundùm eſſentiā pater, filius perinde diceretur: ut enim numero duplū & dimidium, ſic pater & filius, eſſentiæ accidūt: valdeq; ineptū ſit, relationis ſpecies è ſubjectis rebus metiri. Reliqui modi nō tantùm inepti ſunt, ſed falſi, ut ex organica relationis categoria patet. Atq; hîc interea definitio eorundem, ſimilium, æqualium, intercurrit: Eadem ſunt, quorum eſſentia eſt una. qua definitione diximus noni capitis vanitatē refutari: Similia, quorum qualitas una: Aequalia, quorū quantitas una, quæ definitiones veræ ſunt & logicæ, ideoq; in logica à nobis adhibitæ. Et tamē æqualiū & ſimiliū definitiōes aptiùs nono capite fuiſſent, ut tota in eodē capite categoria cōparatorum, æqualiū, inæqualiū; majorum, minorū, ſimilium, diſsimiliū eſſet, non alia ſpecies alio capite diſsiparet.

IN CAP. XVI. XVII. XVIII.

Quid? reliqua πολλαχῶς, quàm theologiam θεολογεῖ? Sané grāmaticus adhuc invent' eſt nemo, q lexico ſuo nobiles iſtas Ariſtotelis ſignificationes dignaret: de cauſsis eñ quædā permiſcentur nominib. τέλος, πέρας, καθ' ὅ, καθ' αὑτό· finiti, termini, ſecundū quid, p ſe. τέλειον, finitū ſeu perfectū dicit̃ per ſe, tum cui pars nulla abeſt ſeu rei, ſeu virtutis: ſic perfectū tempus, medicum, furem dicimus: tum cui ineſt finis bonus, quia finē habēt finita: Per accidēs veró, quod perficit, ut philoſophia: quod habeat perfectū, ut liber: quod conveniat, ut haſta Achilli. Heus verò, duo priores illi modi in unū conveniunt, & tres poſtremi, nil niſi rhetoricā metonymiā indicant ex effectis, ſubjectis, adjūctis. At ſi quid hîc ſolidius eſſet, logicū ſané eſſet è cauſſa finali: ſed verba tātū video. quid tum poſtea? quæ metaphyſica ſequitur? Talis eſt metaphyſica proximi capitis: πέρας dicitur ultimum, & extra quod nihil primū, & citra quod primū, omnia, & forma magnitudinis, & finis cujuſq; rei, & efficiens, & materia, totidemq; modis dicit̃ quot principium, & pluribus. Hęc Gręci lexici grammaticis conſiderāda ppono, q bellas iſtas ſignificationes τὸ πέρατος nondū in noſtrū lexicon retulerunt, ut videant, quomodo vel materiam, vel efficientē, vel formā, hæc vox ſignificet. Et tamē, ô metaphyſice ταυτολογῶν εἶ, quid cauſſas infinité lubet ταυτολογεῖν: Καθ' ὅ, ſecundū qđ dicitur nunc forma, ut bonus ſecundū bonitatem: nunc ſecundū ſubjectū, ut color eſt ſecundū ſuperficiē: nunc ſecundū materiam, omninoq; ſecundū quālibet cauſſam: tot enim modis dicit̃, quot cauſſa: nunc ſecundū efficientē, κατὰ τί παραλογίζεται καὶ συλλογίζεται, quaten' quærit̃ cauſſa paralogiſmi, & ſyllogiſmi. deniq; ſecūdùm ſitū, ut ſecundū quid ſtetit, ſecūdū quid ambulat. Porró aūt metaphyſica vel grāmatica hujus oratiōis ad verbū vix latina oratione eadē & una reddet̃: Primis eñ exēplis, καθ' ὅ, ſignificat κατὰ τί, propter quid: poſtremis de ſitu, ſignificat ubi. Hoc aūt egregium lexicon ex analyticis poſterioribus derivatū eſt, q per quālibet cauſſæ ſpeciē liceat demonſtrare: ſed tamen διὰ τί καὶ διότι, clariús illic eſt, quâm hîc καθ' ὅ. Indidē etiā ſequētia ſunt è 4. & 5. cap. 1. Poſt: καθ' αὑτὸ per ſe dicitur, tum definitio, tū qđ eſt in definitione, tum ſubjectū: ut ſuperficies alba per ſe: tum cjuus non eſt alia cauſſa, ut homo eſt homo per ſe: tum ppria, ut riſus homini. Atq; hæc oia ſunt ex cauſſis, effectis, ſubjectis, adjūctis: & illud etiam notabile, quod in analyticis eſt etiam notatū á nobis, pprietates ineſſe rebus per ſe: ppterea q; admirabile fuiſſe Ariſtotelis cōmentum in duobus totis analyticis poſteriorib. de demōſtratione, qua demōſtraretur proprietas de ſubjecto per cauſſam: cúm cauſſá pprietatis, cur in ſubjecto inſit, nulla ſit omnino. Quamobrem tria hęc capita rurſus de cauſsis ταυτολογεῖ.

IN CAP. XIX. XX. XXI.

Sed tamen logica hæc metaphyſica, mirabili cōfuſiōe τὰ πολλὰ τῶν πολλαχῶς, accumulavit. E categoria qualitatis organicæ derivata ſunt antea pleraq;: nunc etiam quędam alia derivantur, diſpoſitio, habit', paſsio: ſed repetita verbis tantū: ſignificata enim horum generū aliter in organo definiuut: ut appareat alios Zenones, vel Eubulides & hîc & illic Ariſtoteli ppoſitos fuiſſe. Primô igitur diſpoſitio, dicitur ordo rerū differētium, & quidem tripliciter, loco,

ut acies

ut acies in prælio: potentia, ut facultates in anima: forma, ut in partibus ſtatuę. Sequitur habitus dupliciter dictus, primò, actio habentis, ut inter togam & togatum: ſecundò, diſpoſitio quædam ad bonum & malum. Cōſimilis eſt philoſophia de paſsiōe, quod ſit qualitas, qua res alterat̄: itē ipſa alteratio. quod utrumq; falſum eſt: nec calor & frigus, paſsio eſt: nec paſsiōis alteratio, potiùs quàm quilibet motus. Motus enim in movente, eſt actio: in moto, eſt paſsio, ut 3.c.3. phyſic. Ariſtoteles nos docuit. Quapropter ſophiſticam in hoc primo philoſopho mirabilē agnoſcimus, valdeq; propoſitæ philoſophiæ diſsimilē, quæ præſtantiſsima diviniſsimaq; primo libro proponebatur.

IN CAP. XXII.

VEruntamen has tam nugatorias nugas prætereamus. Cōtrariorū genera quatuor decimo capite propoſita ſunt, & una ſpecies in adverſis expoſita: relata etiā tractata ſunt: ſequitur tertia ſpecies in privatione & habitu. Privationis ſex modos metaphyſicus enumerat: Privatum, eſt quod caret vel quolibet, vel eo quod habere natū eſt, aut per ſe: ut homo viſu: aut per genus, ut talpa viſu: vel quādo habere natum eſt, vel vi ſpoliatū eſt, vel quod exprimitur per In, ut inæqualē: vel quod quolibet caret. O' metaphyſicum lexicon in ſignificatis enumerandis agreſte & ruſticum! Primus & ſextus modus hîc idem planè eſt, cōprehenditq; quartum & quintum: ſecundus autem & tertius etiam conveniunt. & tamē cum de oppoſitis dictum eſt capite decimo, cur iſta divina theologia prætcrita eſt? Illic enim locus aptior ſpeciei poſt expoſitū genus contrariorum, & ſpeciem adverſorum, fuiſſet.

IN CAP. XXIII.

HAbitus conſimilis ſapiētię ſequitur, in quinq; modis. Habere, eſt ut ducere ſuo motu, ſicut tyrannus ſubditos: ut materia formā, ut continens contentum, ut totum partes, ut quod ſuſtinet, velut Atlas cælum. Ecquid verò tam miſerabili metaphyſica fiet? Omnes enī hi modi, excepto quarto, ſunt ſubjecti ad adjunctum: & tamen inconſtanter ex ultimo categoriarū capite traducti: illic enim diſsimiles ſunt modi habendi habitum, quantitatem, veſtem in parte, partē in vaſe, uxorem, virum. Et tamen hæc nona categoria fuit in organo, præterea ſeptimo capite in diviſione entis eadem fuit. Addit uno verbo Ariſtoteles, Eſſe, tot modis dici, quot dicitur habere: neque quicquam amplius de categoria ſitus, decem categoriarum ultima, à metaphyſico dicitur. Sic igitur è categoriis decem, diſputatæ ſunt, eſſentia, quātitas, qualitas, relatio, paſsio, habitus, ſitus: ſilentio autem prætcritæ ſunt, actio, ubi, quando. O' categorias metaphyſicas variè & inconſtanter diſcerptas! Hoccine igitur primi philoſophi patrimonium tam locuples, tamq; opulentum fuit, unde logicus commodato ſumeret?

IN CAP. XXIIII.

AGedum: reliqua proſequere, cauſſatum tautologia hîc etiā quædā eſt. Ex quo, dicitur modis quinque, è materia, efficiente, toto compoſito materiæ & formæ, è parte, ex eo quod poſt aliud. Verùm, inquā, illud (ex quó) propriè ad materiam attinet, ut à quo, ad efficientem: per quod, ad formam: & quintus ille modus eſt primo phyſico, quód contraria fiant è contrariis: Omninoq; hóc caput decimo octavo capiti connexum eſſe debuit: ut ex interrogationibus cauſſarum nugæ nugis ſimiles ſimilibus aggregatæ manifeſtiores eſſent. Sed male ſit tautologiæ ſophiſmati tam ſophiſtico, undecim libri unius capitibus, genera cauſſarū repetenti: quæriam metaphyſica deinde eſt? quæriam [illegible]

IN CAP. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.

QUatuor capita proxima ſunt è logica totius & partiū variè in organo propoſita. Dic igitur, metaphyſice, logicam iſtam quomodo repenſ? Pars (ais) dicitur quinq; modis, tum dividēs, tum metiēs, tum ſubjecta generi, tum componēs, tum in definitione. Ar, ô beate parnū partior, primus & quartus modus conveniunt, quia pars divi-

dividens,eſt etiam cōponens : & ſextus ſpecialis eſt ad utrumq;: Pars metiens, eſt arithmetica,non metaphyſica. Pars, generis eſt ſpecies.Itaque pars duobus tantùm modis veré dicitur, membrum & ſpecies:tres præterea inanes modos per hãc divinam theologiam reperiſti. Sequitur de toto theologia conſimilis: totum dicitur primò cui pars nulla deeſt : ſecundò, continens, vel univerſaliter,vel integré : tertiò, qnod habet primum,medium,ultimum.At enim theologe divine,ſecundus modus complectitur primum & tertium,totumq; duobus tantùm modis dicitur,integrum & univerſale. Sed grammatica in multis ſignificationibus enumerandis adhuc etymologia fuit: ſyntaxis etiã quędam grammatica de convenientia duorum adjectivorum τὸ παντὸς, καὶ τὸ ὅλου, omnis & totius, à theologo noſtro aggregatur. Omne dicitur (ait metaphyſicus) de non habentibus ſitus differentiam: ut omnis numerus, omnis aqua, omnis aër. totum dicitur de habentibus ſitus differentiam,ut tota facies,tota manus,totũ animalis corpus. At de ſimilaribus,quæ formam recipiunt,& figuram,& omne,& totum dicitur : ut omnis & tota cera : omnis & tota veſtis : totus autem numerus,& tota aqua non dicitur,niſi metaphora.Omnia,dicit̃ in partibus ſejunctis, ut omnes unitates : Omne,in cõjũctis, ut omnis numerus. Hęc metaphyſica grammaticã de ſyntaxi duorum nominũ valdè ſuſpectã habet, & de qua Ariſtarchum libentius, quàm philoſophum quęvis audierim: præſertim cum bella hęc Ariſtotelis grãmatica,paſsim & vulgò Græcis Latiniſque & poëtis & oratoribus deſpiciatur. Quare grãmatica Ariſtotelis de hac ſyntaxi nihilo melior,quàm etymologia in ſingulis ſignificantis:totũ tamẽ proprié de conjunctis,omne,de ſeparatis dicit̃. Sed pergamus: Occaſione totius, Ariſtoteles interpretatur κολοβὸν, mutilum, quod eſt dividuũ,diſsimilare, ſitu differens,retinens priſtinã eſſentiam, privatum parte extrema,nõ præcipua, quæve renaſci poſſit:quomodo dicatur homo mutilus,qui vel pede, vel naſo, vel auribus,vel manibus ſit mancus. Heus diviniſsime philoſophe,hic tuũ πολλαχῶς λεγομένων,oblitus es: nihil enim dicitur hîc multis modis:unica eſt ſignificatio. Atq; hoc verbũ alibi in totis logicis nuſquam tractatũ cõmemini : Sed reliqua audiamus:de genere,grammatica quadruplex eſt:Genus,eſt vel generatio cõtinua ejuſdẽ ſpeciei , ut dum genus erit hominum:vel primus genitor familiæ, ut à Pelope Pelopidæ:vel ſubjectũ differentiarum,vel primũ in definitione. Ac veró primus & ſecundus modus qd habent,niſi poëticũ? Nec enim generatio, nec genitor,genus niſi poëticé dici poſſit:hominũ veró Pelopidarũq; genus, pro ipſa multitudine hominũ & Pelopidarum,tam proprié dicitur, & logicé, quàm genus animalium.Genus autem definire,quod primum ſit in definitione,tam ineptum eſt,quàm definire differentiam,quæ ſecunda ſit in definitione. Addidit huc Ariſtot. differẽtia genere, quæ materia ita differrent, ut neq; mutuó,neq; ipſa in eandem materiam permutari poſsint : vel quæ ſint in diverſis generibus.Quid ergo differẽtia illa materiæ ad generis differentiam? cùm una ſit Ariſtoteli prima rerũ materia? Quãobrem metaphyſicam in quatuor capitibus valdè ſophiſticam cernimus. Categoria iſta de parte,toto,genere,ſpecie eſt noſtris logicis ampliſsima & utilitatis ampliſsimæ: ſed ſophiſmata tot ſophiſticarũ ſignificationum ſeparata eſt.

IN CAP. XXIX. & XXX.

AGedum:erratũ eſt adhuc per varios fluctus,quandónam tam ſophiſticũ maris litus attingemus? Bono,inquam,animo eſto:terra in conſpectu eſt. Falſum de re,de oratione, de homine dicitur, ait noſter theologus. Falſa res dicitur, quæ non entis, aut viſu fallit, ut pictura : oratio falſa, eſt non entis: eaq; vel una, quæ eſſentiam : vel multiplex, quæ accidens indicat : de oratione una & multiplici commentum eſt ex libro de interpretatione repetitũ. Perge:falſa oratio, nullius eſt proprié. Itaq; falſó (ait Ariſtoteles) affirmabat Antiſthenes,ex eo nõ licere cõtradicere: ac propemodũ etiam ne mentiri quidẽ: quia utrumque licet,ſed impropria oratione. O' delirum Ariſthenem, inquã, nec multó ſapientiorẽ Antiſtotelẽ! Etenim oratio ꝓpria vel impropria grammatico

matico Ariſtarchi judicio judicet:ſi verbis propriis,& bene ſignificantibus conſtruatur, Antiſthenis vel Ariſtotelis ſophiſtica nihil ad hoc judiciũ attinet. Falſus homo poſtremum dicitur, qui fallaciis & mendaciis per ſe delectat,aliquando qui fallit. Mendax,inquam,illic uſitatiùs latinis dicitur.Supereſt accidẽs, genus quippe novem categoriarũ. Sed genus hoc Ariſtoteles hîc oblitus eſt: accidens tãtùm dupliciter meditatur: primò, quod raró accidit: ut ſi quis plantæ gratia foſſam effodiens,reperiat theſaurum: hæc in logicis, & ſecundo phyſico cauſſa fuit per accidens fortuita: Secundò, quod præter eſſentiam, per ſe ineſt cuique: ut triangulo habere tres angulos duobus æquales. At hoc accidẽs,novem categorias cõprehendere non poſſit. & tamen de accidente ipſo fuerat ante ſpecies accidentis in categoriis agendum. Quamobrem adeſte animis, philoſophi philoſophiæ primæ ſtudioſi, & jam mecũ τὰ περὶ τὸ πολλαχῶς triginta capita ſubducite:Capita conſentaneorum argumentorum reperiẽtur duo, de uno & eodem:de ſingulis autem generibus conſentaneorum,alia aliorum ſeparatorum erunt: ſed mentis horror, vel potiùs ſtupor fuerit, meminiſſe, à ſummo philoſopho,hoc uno in libro undecim capita cõſumpta eſſe in tautologia quatuor cauſſarum.Equidem ſic opinor de Ariſtotele, ſi quando tam horribile ſophiſma relegendo percepiſſet, metaphyſicam totam Vulcano alicui, aut Neptuno conſecraturum fuiſſe. Atq; hæc de cauſsis tautologia longè fœdiſsima fuit. de effectis admonitio uno verbo fuit breviſsima:de ſubjectis, ſeparatim nullum caput eſt: eſt tamen frequens mentio toto libro de adjunctis,nomine accidentis,præcipuum caput eſt unũ: & eodem referri poteſt de paſsione: de oppoſitis,tria capita ſunt: de cõparatis ſeparatum nullum,ſed membra diverſis capitibus diſcerpta reperiunt:de toto,parte, genere,ſpecie, quatuór integra capita: tria argumentorum genera prætereita, οὐ τὰ περὶ τὸ πολλαχῶς de judicio, paucula fuerunt,caput unum ad enuntiati, unum ad methodi doctrinã referri poſſit. Cætera ſex capita,de ente, quãtitate, qualitate,diſpoſitione,habitu, habẽdo, ut propoſita ſunt,generale & univerſale,cõmuneq; entis,id eſt logicũ aut metaphyſicum nihil habent. Adſit igit Alexander, & neget adverſus veteres logicos,logicã in metaphyſicis ineptè & ſophiſticè iterari. Quin Ariſtotelẽ ipſum ſuis legibus appellemus: Lex καθ' αὑτὸ, in arte ſophiſticũ indicat eſſe, niſi eſſentiale fuerit: Logica igitur in theologiã ſophiſticè traducitur. Lex καθόλου πρῶτον, generale ſpecialiter & ſæpius iteratum, ſophiſticum eſſe indicat. Ecquid hîc de cauſsis præſertim Ariſtoteles reſpondeat? Ariſtoteles earum legum ſuaſor & promulgator, author: Ariſtoteles in minore alpha ἀνεμβλογίας, vel in hiſce metaphyſicis exactor,ecquid, inquã, de tam miſerandis ſophiſmatis reſpõdeat? Imó veró, quid melancholia potiùs, quàm philoſophia imbuti neſcio qui pertinaces & obſtinati reſpondebunt? Concludam igit,quod quatuor antè libris concluſi, logicam in metaphyſicis tractari, ut veteres ante Alexandrum logici conquerebãtur: & inutiliter tractari, ut Plutarchus admonuit: admoneboq; liberales & ingenuos animos, quicũq; ad iſta cognoſcenda acceſſerint, vigiliis noſtris unam gratiã habeant, per quas magno fatuæ opinionis errori liberati fuerint.

Libri Quinti finis.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSIcarum Liber VI. in ſextum Metaphyſicum.

IN CAPUT I.

HActenus longè lateq; vagatus Ariſtoteles, definivit in proœmio duorum primorum librorum metaphyſicam,ſcientiã cauſſarum: tum multis & variis quæſtionibus tertio veluti diſtribuit: quarto definivit amplius ſcientiã entis,quatenus eſt ens,& eorum quæ enti per ſe accidunt,& principes quæſtiones explicavit: ſed libro quinto & ens & cõmunia entis accidẽtia latiùs & uberiùs expoſuit. Repetit igit initio ſexti libri definitionẽ conſtitutã quarti initio,ſophiam, eſſe ſcientiã contemplativam entis, quate-

quatenus eſt ens, cúm cæteræ artes aliquam tantúm entis ſpeciem conſiderent. Sit'ne autem talis (ut Alexander ait) poſtea apparebit. At, inquam, ex argumentis omnium rerum communibus quinto in libro comprehenſis, id jam apparuit: & ſicubi Alexander ſervus non fuiſſet, ſuſpicarer iſto loco melius aliquid de ipſo ac liberius: ſed libero hominem iſta ſuſpicione. Veruntamen metaphyſica, contemplativa ſcientia eſt: neque tamen ſola: Phyſica enim, cōtemplativa eſt: quia res naturalis habet in ſe principium motus & quietis: ſecûs in factis atque in actis, quorum principium eſt in faciēte & agente. Hoc argumento probat Ariſtoteles phyſicā eſſe contemplativam, ſed leviſſimé. Eſt autem differentia artium contemplativarum & activarum vel effectivarū perinde levicula & inanis: Omnis enim ars præceptis conſtat, quorum eſt contemplatio & ſcientia: ſed præterea eſt πρᾶξις & uſus: ut etiam in theologia, nō hac ſophiſtica, ſed veriſſima. Quin Ariſtoteli partitionem hanc deridenti, contemplatio ipſa, Dei maxima videtur actio. Sed tamen phyſica, eſt contemplativa inſeparabilium & mobilium: mathematica item eſt contemplativa: utrúm veró ſeparabilium & immobilium, obſcurum nunc eſt Ariſtoteli, & poſtea pernegabit: mathematica tamen eſt quædam contemplativa velut ſeparabilium & immobilium. Equidem hanc Ariſtotelis de mathematum aphæreſi addubitationem libenter adnoto, ut primo & tertio metaphyſico adnotavi, adverſus illud axioma phyſicæ magnitudinis perpetuó dividuæ, contra quod tertio & ſexto phyſico diſſeruimus: ſed id amplius agetur poſtea decimotertio metaphyſico. Perge igitur: duæ ſunt artes contemplativæ, phyſica mobilium & inſeparabilium: mathematica velut immobilium & ſeparabilium. At metaphyſica (ait metaphyſicus) eſt æternorū immobilium & ſeparatorum, denique divinorum: ſi quid enim eſt divinum, illic eſſe par eſt. Itaque metaphyſica, quæ libro primo ſophia, quæ quarto philoſophia, & deinceps prima philoſophia dicta eſt, θεολογική nunc appellatur: repetitiſq; é primo libro titulis exornatur, quod ſit maximé & honorabilis, & optabilis, & univerſalis artium omnium. Enimveró de vera ſolidaq; logica laudes tam illuſtres perlibenter audio. ſed ſophiſma jam refutatum á nobis libro primo huc revocari ſentio, ut á logica prima omnium philoſophiarum philoſophia, delabamur iterum verbi ambiguitate ad theologiam ordine percipiēdarum artium artem ultimam & ſpecialiſſimam. Doctrina materiæ, formæ, & reliquorum dialecticæ artis dogmatum, maximé quidem eſt univerſalis & communis ad omnia entia, cognoſcendum & explicandum: at theologia de Deo, longé alio ſenſu honorabilis, optabilis, univerſalis appellatur. Sed Ariſtotelis hoc etiam in loco argumētum cauſſam noſtram mirabiliter agit & confirmat: Etenim dialectica eſt omnis entis, imó non entis: Theologia (ait hic Ariſtoteles) eſt entis æterni, immobilis, ſeparati, divini, de quo in dialectica vel Ariſtotelis organo comprehenſa, nullum prorſus documentum eſt. Theologia igitur, ſubjecto & facultate nō eſt par & eadem dialecticæ: falſumq; eſt, theologū & dialecticum ſubjecto & facultate convenire, diſconvenire tantúm ſubjecti & facultatis modo. Fallitur igitur hic Ariſtoteles ambiguitate verbi, ſectatoresq; ſuos in fallaciam & fraudem ſophiſticam inducit: ut verbi unius errore ex una arte logica metaphyſicam velut artē aliam confingi poſſe arbitrentur. Quamobrem Ariſtotelis captioni, ut antea, ſic iſto ubique loco obſiſtamus. Metaphyſica, eſt maximé univerſalis, ait. Concedo, inquam, quatenus abs te permiſcentur in metaphyſicis Dialecticæ documēta omnium rerum communia, & ad omnes ſpeciales artes explicādas attinentia: quatenus autem fingitur cōtemplatrix eſſe rerum divinarum, eſt omnium artium maximé ſingularis maximeq; ſpecialis, cuiuſque theorematis liberales & ingenuæ artes nihil utuntur: & tamen præcipitia illa primi metaphyſici huc redeunt: metaphyſica delabitur á dialectica ſumma ad infimam theologiam: in qua tamen nō permanet. Quamobrem logicæ artis in theologiam metamorphoſis tam iners & ignava tollatur, logicaq; logicis ex ariſtotelea lege reſtituantur.

IN CAP.

IN CAP. II.

Metaphyſica, eſt ſcientia entis: utrúm veró omnis? Ens (ait hîc Ariſtoteles) eſt quadruplex: primò per accidens, ſecundò verum: tertiò ſecundum categorias: quartó actu vel potentia. Enimveró nullum in terris tã ſolertem figulũ eſſe arbitror, qui ex eodem luto tã varias figuras efficere poſſit, quàm Ariſtoteles ex uno ente varias partitiones & in logicis, & in phyſicis, & in metaphyſicis adhuc informavit: Sed tamẽ eſto, in privilegiis ariſtoteleæ philoſophiæ philoſophũ philoſophiæ ſuæ legibus ſubjectum non eſſe. Pergamus: Duo prima entis genera metaphyſico detrahũtur, quia ens per accidẽs ſit fortuitũ, neq; ſciẽtiæ ſubjectum: eſtque accidens tale, tanquam nõ ens, quod Plato ſophiſticæ meritó attribuit.

IN CAP. III.

Atq; ut neceſſariorum neceſſariæ, ſic fortuitorũ fortuitæ ſunt cauſſæ: Metaphyſicus, eſt artifex entis, ſed non entis per accidens. Huc veró inſeritur, principia abſq; ortu interituque oriri & interire: quia (ut poſtea dicetur) materia vacãt. Et iſtud eſt nimirũ quod citavimus in phyſicis, quodque poſteà magis repetitur, neq; materiã, neq; formam generari corrũpive, ſed τὸ σύνολον, ſimul totum ex utraq;. Sed de formis id præcipuè diſſeretur: unde percipies, formas divinitùs à ſummo Deo ex nihilò creari. Sed theſin perſequere: Metaphyſicus non eſt artifex entis per accidẽs: nec item entis veri, quia verum falſumque, ſunt in compoſitione & diviſione, id eſt in affirmatione & negatione, & inde cõpoſita contradictione, quæ mentis ſunt affectiones, non rei. At heus ſophe, heus philoſophe, heus theologe, quid hîc argumẽtaris? Non eſt metaphyſici cõſiderare ens verum, quia conſideratio veritatis & falſitatis, eſt mẽtis affectio in cõponendis dividendiſq; entibus. hîc tibi repono ſuperioris libri doctrinã de veritate & falſitate rei, orationis, hominis. inconſtantia doctrinæ, contemptus legum tuarum, eſt tibi inſtar cõſtantiæ & æquitatis ſummæ: ſed argumentũ tuum cõtemplor, & eo te de infinito metaphyſicæ confuſionis errore admoneo: Contemplatio cauſſarum, effectorum, ſubjectorum, adjunctorum, oppoſitorum, comparatorum, & reliquorum totis ſuperioribus libris abs te confuſorum, eſt mentis affectio, applicaturq; nõ ſolùm enti, ſed etiam non enti: ſic contemplatio enuntiati, ſyllogiſmi, methodi, mentis tota eſt, nõ eſt entis metaphyſico tuo propoſiti. Ergo (ais) contemplatio veri falſiq; in affirmatione, negatione, contradictione, eſt mentis, non eſt entis. O theologum ſingularem & divinum! O teſtimonium nobis optabile & jucundum! diſputo jam toties, dialecticam & theologiã Ariſtotelis in metaphyſica temerè permiſceri, quia dialectica tota ſit mentis & rationis, metaphyſica hæc theologia, ſit ſeparati unius entis, nempe divini: Hîc Ariſtoteles laborantibus nobis veluti è machina aliqua divinitus adeſt, idemq; clariſſima voce teſtatur & profitetur, theologiam nõ eſſe de veró & falſo, cùm verum falſumq; ſint mentis, non entis. At, inquam, dialectica de enuntiatis tota, eſt illius veri & falſi. Heus igitur metaphyſice divine, qualiſnam in te complexio hinc efficitur? Metaphyſica (ais) nõ eſt mentis? At dialectica, inquam, eſt mentis, ut locupletiſſimis ex teipſo teſtimoniis alibì demonſtratũ eſt: Dialecticæ igitur & metaphyſicæ non eſt ſubjectum unum, non eſt facultas una: neq; modo facultatis duntaxat, ſed facultate tota differũt. Quamobrem metaphyſice, ſive theologe, ex ore tuo, è teſtimonio tuo, ex argumento tuo infinitam quatuordecim librorum κακοτεχνίαν judicato: nec unam dialectici & metaphyſici facultatem artemq; eſſe, modum tantùm eſſe diverſum prædicato: tandemq; aliquando miſeros interpretes & ſectatores tuos tam fraudulenti ſophiſmatis errore liberato. Agedum, reliqua exequamur. De quatuor generibus entis logicus metaphyſicus duo non conſiderabit, ens per accidẽs, ens verũ. Imó veró ſi logicus legitimus fuerit, utrũq; conſiderabit, & artes communes utriuſque habere ſe prædicabit. Sed tamen metaphyſicus noſter, quod ens tandem contemplabitur? Entis (ait Ariſtoteles) reliquum genus contẽplabitur, nempe ſecundùm categorias: itẽ ſecundùm actum & potẽtiam. Atq; hæc ſexti metaphyſici philoſophia eſt, brevis admodum & ſuccincta: attamẽ duo-

bus argumentis ad totum metaphyſicum chaos illuſtrandum aptiſsima & opportuniſsima.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSIcarum Liber VII. *in ſeptimum Metaphyſicum.*

IN CAPUT I.

LIBRI tres proximi, duo genera entis reliqua proſequuntur, ſeptimus & octavus de ente per categorias, nonus de entis potentia & actu diſputabunt: Duo autē primi de ente per categorias, ejuſq; occaſiōe de definitione præcipuè diſquirent: ſed ſophiſtica ſophiſmatum antecedentium ſophiſticam longiſsimé ſuperāte. 2. cap. 7. Top. dictum eſt, τὴν ἀκρίβειαν, accurationem definiendi, ad hanc divinam theologiā pertinere: & pleraq; logico organo variis in tota Ariſtotelis philoſophia locis ad hæc recondita ſacræ theologiæ myſteria remiſſa ſunt: tanquam hîc prophetia quædam & divinatio occulta eſſet, ad omnium rerum obſcurarum difficultates explicandum. Agedum, puris animis ſanctiſq; mentibus ſub iſta ſanctitatis adyta ſubeamus. Quid igitur agitur præcipuè ſeptimo libro? quid præcipuè octavo? Argumētum, inquam, utriuſq; confuſum illud eſt, quid ens præcipuè ſit, & cujus præcipuè definitio. Capita ſingula ſuam nobis theologiam declarabunt. Quid agitur primo capite? dictum eſt in fine libri ſuperioris, theologiam, eſſe entis per categorias conſiderari: quæritur igitur de multis entibus, quæ ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποσαχῶς (ſic enim loquitur hîc Ariſtoteles) enumerata ſunt, quodnam ſit primum: Reſpondet Ariſtoteles, eſſe τὸ τί ἐστι, ipſum quid eſt, id eſt eſſentiam: Cætera autem entia tantùm dici, quia ſunt in eſſentia: quæ tautologia eſt è 2. cap. 4. metaphyſ. eſſentiamq; adjunctis accidentibus eſſe priorem καὶ λόγῳ, καὶ χρόνῳ, καὶ γνώσει, καὶ φύσει, & ratione, & tempore, & notione, & natura: Ratione, quia ad definitionem eſſentia adhibetur: theſis hîc vera eſt, ſed argumentum eſt falſum: In definitione enim numeri, lineæ, & cæterorum, non adhibetur eſſentia hæc diſtincta ab accidentibus: Tempore autem utrúm eſſentia prior accidētibus fuerit, Alexandro credendum relinquo: Notione prior eſſe dicitur, quia omnis ſcientia ex eſſentia naſcitur. hîc item theſeos veræ falſum eſt argumētum: Neq; enim mathematum ſcientia, quæ veriſsima eſt, ex illa eſſentia accidentibus ſubjecta oritur: Natura verò cur prior eſſet eſſentia, nulla ratio ab Ariſtotele redditur, nec Alexander videtur φύσει legiſſe. poſtremum eſt Ariſtotelis de principatu eſſentiæ ſupra reliqua entia argumētum è teſtimoniis veterum philoſophorū, qui de ente quærentes, huc ferè inciderunt. At de teſtimoniis jam antea diximus, qua fide ab Ariſtotele quaque religione producantur. Atque hæc primi capitis myſteria ſunt, quòd eſſentia ſit ens primum: ſed myſteria, quæ logicæ, quæq; etiam metaphyſicæ omnium entium communia eſſe non poſsint: Conſiderare enim hoc genus entis, non eſt cōſiderare ens, quatenus eſt ens.

IN CAP. II. & III.

DUo autem capita proxima, mirabiles eſſentiæ partitiones habēt. Eſſentia videtur primó corpus, ſecundó mathemata; tertió ideæ, quartó unum, quintó numerus, magnitudo, anima. Hæc ſecūdi capitis theologia eſt dubia tantùm: Deinde tertio capite, eſſentia quadrifariam dicitur: primó eſt τὸ τί ἦν εἶναι, quod quid erat eſſe: ſecundó univerſale: tertió genus: quartó ſubjectum. Deinde ſubjectum tripliciter, materia, forma, compoſitū ex utraq;. Enimverò leges Ariſtotelis legiſlatorē veſtrū coërcete. Cap. 8. metaphyſic. 5. eſſentiæ quinq; modi numerati ſunt, corpus, eſſentia, pars definitionis, definitio, materia & forma: ταυτολογίαν iſtud quādiu philoſophū hunc oblectabit! Et tamen hi eſſentiæ modi quatuor, toti ſunt dialectici, omnis entis cōmunes, imò non entis: ad ens propoſitū prius cæteris entibus propriè nō attinēt: & primus ſecundum tertiumq; continet, ſecundus etiā tertium. Ecquid verò aliud eſt, logicæ leges deſpicere, niſi hoc eſt? Eſt etiam huc repetitum è phyſico primo & ſecundo, quód forma magis eſſentia videatur, quia formet hoc aliquid: imó quód materia, quia formis extinctis permaneat.

Idem

Idem enim primo ſecundoq; phyſico fuit, ſed nomine naturæ: quód forma magis eſſet natura, quàm materia. At veró indigna hæc erant, non dico quæ refellerentur, ſed quæ legerentur.

IN CAP. IIII. V. VI.

AGedum, eſſentiæ ſignificata ſunt illa quatuor, primum eſt, τὸ τί ἦν εἶναι. Id theologus ſibi differendū proponit, intereaq; viā ſibi progreſsioniſq; formulam præſcribit, á notioribus nobis ad ea quæ ſunt natura notiora: ἡ γὰρ μάθησις οὕτω γίγνεται πᾶσι, diſciplina enim ſic fit omnibus, per ea quæ minús natura nota ſunt, ad ea quæ magis natura ſunt nota. & hoc opus eſt, ut quemadmodum in actis & effectis, ex iis quæ cui bona ſunt, omnino bona decernuntur: ſic ex iiſdem notioribus, natura nota, ipſi ignoranti nota fiunt: Singulis veró nota & prima perſæpe modicé nota ſunt, modicumque habent entis: ſed tamen ex iis quæ leviter nota ſunt, modó ignorantibus nota, tentandum eſt omnino nota cognoſcere. Hic Ariſtotelis locus videatur imperitis methodum doctrinæ univerſæ á ſingularibus ad univerſalia & generalia præcipere. At id Ariſtoteles nequaquam modô ſibi propoſuit: Sed cùm de eſſentiis tū materiæ conjunctis, tum ſeparatis differere ſtatuiſſet, id eſt de phyſicis & divinis, á caducis illis ad æterna ſibi progrediendū ſtatuit. Fortaſſe erit manifeſtum etiā de illa eſſentia, quæ eſt ſeparata á ſenſibilibus eſſentiis, ut Ariſtoteles ipſe nominatim dicet ad finem decimi octavi capitis in hoc libro. Nihil hic igitur Ariſtoteles de totius artis univerſa methodo & collocatione cogitavit: & tamen exēplo meliore utitur quàm præcepto. Nā qui á phyſica procedit ad theologiam, procedit á natura clarioribus & magis communibus ad obſcuriora & remotiora. Sed hæc in capite de methodo cum pleriſq; aliis accuratiùs á nobis diſputata ſunt: Redeamus igitur: τὸ τί ἦν εἶναι (ait Ariſtoteles) eſt quo quidque dicitur, id eſt ipſa rei natura: eſtque eſſentiæ primó & per ſe, deinde accidentium, denique eorum, quorum definitio haberi poteſt: tū repetitur idē τὸ τί ἦν εἶναι, eſſe eſſentiæ vel maximé vel primó atque ſimpliciter. At inquam, metaphyſice λογικώτατα, quid rē tam abſurdam tamque falſam toties repetis? eſſentia iſta, quam quātitate, qualitate, & reliquis entibus priorem meditaris, eſt entium divinorum, & præcipué phyſicorum: At quoties per totam philoſophiam teſtificatus es, mathematum ſcientiam, quæ quantitatis ſit, in numero & magnitudine accuratiſsimam eſſe? Falſum, inquam, falſum, & á teipſo locis infinitis improbatū ſophiſma eſt, quod modo pro ſacra & cæleſti theologia venditas. Sexti capitis philoſophia admirabilis eſt, τὸ τί ἦν εἶναι, cujuſque, & ipſum quodque idem eſſe: Subjectum autem non eſſe idem accidenti. At bone Deus, quid ſophiſtica tā prolixi capitis opus erat ad hoc intelligendum? An quiſquā homo, qui modó homo eſſet, hac de re dubitavit? Quamobrem Logici, quibus ab Ariſtotele plenior definiendi, uberiorq; doctrina in metaphyſicis promiſſa eſt, conſiderate divinam hanc de definiendo logicam, & vos turpiter fœdeque deluſos & irriſos agnoſcite. Ens præcipué eſt eſſentia, & definitio præcipué eſt eſſentiæ.

IN CAP. VII. VIII. IX.

VEruntamen (inquies) quomodo tātus liber & tam prolixus in his nihili nugis conſumi poteſt? Ad producendum, inquam, tanti ſermonis ſophiſticam, tria deinde capita prolixa de phyſico motu interſeruntur. Natura gignitur homogeneū ab homogeneo. Eſto, quis negat? effectus (ais) artis & caſus, dicitur ποίησις. naturę, γένεσις. Commēta, inquā, ſophiſtica hæc ſunt, vel in hoc etiam capite abs te refutata: τῶν δὲ γενέσεων, καὶ κινήσεων, ἡ μὲν νόησις καλεῖται, ἡ δὲ ποίησις. generationum & motuū, alius eſt intellectus, alius eſt effectus: Hic enim geneſis tam generale nomen efficitur, quàm motus, & mentis motus appellatur: quē locum etiā citavimus in phyſicis adverſus phyſicā illā de motu matæotechniā: Repetitur hic etiam dictum 3. cap. 6. metaphyſ. neque materiam, neq; formam gigni, ſed τὸ σύνολον, ſimul totum: ita etiā nunc neque materiam, neq; formam gigni, ſed utriuſque τὴν σύνοδον, cōcurſum. Et hic iterum adnoto, non dici nominatim quidem ab Ariſtotele, ſed re confirmari, formas rerū ex nihilo fieri. Nono autem capite, illud etiam eſt é ſeptimo

repetitum, ἐξ ὁμωνύμου, id eſt ἐξ ὁμοειδοῦς unumquodq; gigni: utq; artifex, operis ſpeciem, ſic ſemen ſua potẽtia formam exprimat: ut materia, qualis eſt in ſemine, jam formæ ſuæ author eſſe videatur: qđ iterũ poſtea 5. ca. 8. metaph. dicetur. Attamẽ 7. cap. 12. metaphyſici diceĩ pauló cõſtantiús, ſemẽ nõ eſſe cauſſam generandi hominis, ſed hominem.

IN CAP. X. XI. XII.

VEruntamẽ à metaphyſica in phyſicam acroaſin tribus capitibus totis metaphyſicus noſter, & quidẽ ab eſſentiæ quæſtione, digreſſus ſit, domum redeat. imó veró, quia de eſſentia, cujus eſſet definitio, propoſitũ erat totis tribus proximis capitibus, de definitione duas admirabiles quæſtiones, ſuoq; ingenio digniſsimas (ut hîc Alexãder adnotavit) ediſſerat. Heus metaphyſici, attentos & erectos animos hîc advertite: Quæſtionũ admirabiliũ prima eſt, Utrúm partes in definitione totius cõprehẽdi oporteat. Enimveró (inquies) ubi eſt quæſtionis hujus admirabilitas? Certè in eo eſt Ariſtoteli, quód totũ putat prius eſſe partibus, quia in partium definitione adhibeatur, & ſine parte eſſe poſsit, nõ contrà. At metaphyſice, tã mirabilium problematũ architecte, hoc totũ partibus ipſum cõſtituentibus quomodo tandẽ prius eſſe tibi videaĩ, ſi cauſſæ cõponentes ſint priores compoſito? Falſis definitionum quarundã exemplis de ſemicirculo, & acuto angulo huc inductus es. Nã ſemicirculus per diametrum & ſemiperipheriã comprehenſum planũ definiri potuit: & angulus acutus per genus illud, quo obtuſus & acutus cõtineretur: Et veró totum ſine parte quod cogitas, totum nõ cogitas, ſed mutilum: & partes quædam ſine toto multo juſtius conſtabunt. Sed magnifica diſtinctio hîc opponitur, de parte materiæ, quæ nõ inſit in totius definitione, tum de parte formæ, quæ inſit. Enimvero fabuloſa eſt & ſophiſtica partitio: Nam ſi legitima definitio ſit, omnes cauſſas rei naturã cõſtituentes cõplectitur. Ideoque partes & materiæ & formæ complectitur. Quare admirabilis iſta quæſtio, & Ariſtotelis ingenio digniſsima (ut loquitur Alexander) eſt admirabilis elenchus, & Ariſtotelis quidẽ ingenio digniſsimus: tametſi, ſi per Alexãdrum liceret, Eubulidi vel Antiſtheni potiús cuivis, quàm Ariſtoteli tanti ſophiſmatis laudem tribuerem, præſertim cùm Ariſtoteles ipſe vel contrarium poſtea 8. cap. 13. metaphyſ. dicturus ſit, totũ eſſe poſterius parte. Sed tamen admirabile problema continuatur toto capite undecimo, de differentia partium in materia & forma: quibus ignoratis, definitio conſtitui nõ poſsit: quia definitio eſt univerſalis & formæ. Partes veró materiæ ſunt in ſpecie diverſis, id eſt in diverſis ſpeciebus, ut Alexander interpretatur: ut circuli ænei, lignei: quo cõmento nihil inſipidius & inertius fingi poſſit: Partes enim materiales, ut in corpore hominis caput, venter, pedes: partes formales, ut in anima facultates vitæ, ſenſus, rationis. Sed tamen quæſtionũ admirabilium hęc altera fuerit: ſecunda germaniſsimæ admirabilitatis ſequiĩ, Propter quid definitũ ſit unum. Etenim ut altera quæſtionis alterius admirabilitas appareret, etiam jactatum eſt hoc lóco, tantum quæſtionẽ in Analyticis eſſe præteritã, ui apodictica videlicet analytica per hanc admirabilium quæſtionũ ſacram theologiã perficeretur. Quamobrem metaphyſici accuirite, & hũc altẽrum admirabilis ſapientiæ fructũ percipite. Problema eſt, propter quid definitum ſit unũ. Veruntamen, inquam, hæc maxima quæſtio fuit 10. cap. 2. Poſt. quód definitio immediata eſſet una, unitate eſſentiæ: definitio autem nominalis eſſet una συνδέσμῳ, conjunctione, ut Ilias: quod etiã repetitum eſt in his metaphyſicis 29. cap. 5. lib. & pauló antè quarto capite libri hujus, & repetetur 6. cap. 8. metaphyſici: & de definitione per diviſionem conficienda, quæ hîc præcipiuntur, præcepta antè ſunt 14. 15. 16. c. 2. Poſt. Quapropter tãta hæc tamq; admirabilis quæſtio toties jam propoſita, toties etiã ſoluta, quid aliud, quàm noſtri metaphyſici vel oblivionẽ, vel incõſtantiam, vel in libris accumulãdis animi morbũ neſcio quẽ admirabilẽ exhibẽt? Sed reliqua cõjũge: quomodo admirabilis ſecunda quæſtio á theologo noſtro diſſolvitur? certé tam obſcurè, ut Alexander adnotarit, non videri diſſolutam: Interpres tamen ipſe è verbis Ariſtotelis (ut potuit) impenſè & operoſẽ diſſolvit, per analogiam phyſicæ rei.

Quem-

Quemadmodū (ait) forma copulatur materiæ, & inde res phyſica efficit̄ una: ſic differenna ulrima, tanquam forma, ſuperioribus differentiis & generi, tanquam materiæ, cōjungitur in definitione: unde definitum unum efficitur. Sic enim Alexander ex Ariſtotelis verbis ſtudioſe docet, genus cum generalibus differentiis reſpōdere materiæ, differentiam ultimam formæ. In quo atnngitur aliquid quæſtionis é tertio libro octavæ, Utrúm cauſſæ ſint genera. Veruntamen metaphyſice divine, veruntamen metaphyſicæ interpretes eximie, quid vobis in iſta analogia generis & differentiæ cum materia & forma voluiſtis? & quam diſsimilitudinem pro ſimilitudine induxiſtis? Etenim definitio (ut jam dictum eſt) ſi accurata ſit, omnes cauſſas rei naturam conſtituentes duobus ſymbolis generis & differentiæ ſeu formæ complectitur: genus generales, differentia propria proprias cauſſas interpretatur: Itaq; cúm definitur homo, Ariſtotelis & Alexandri definitione, Animal rationale mortale, capax diſciplinæ: neceſſe eſt hac definitione comprehendi non ſolúm materiam corporis humani, ſed etiam formam, qua corpus humanum ita figuratum formatumque eſt, ut ex utraque compoſitum ſit particeps & vitæ & ſenſus, quæ ſunt animalis: item mortalitatis ac capacitatis artiū ac diſciplinarum, quæ ſunt in reliquis differētiis: Itaque in genere, & differennis generalibus comprehenditur materia formaq; generalis: in differentia propria comprehenditur materia formaq; ſpecialis & propria. Quapropter & philoſophi & interpretes philoſophi, fallacem analogiam hîc commēti ſunt. Quapropter etiam Porphyrius hunc & philoſophum & philoſophi interpretem ſecutus, captioſam & ſophiſticam analogiam eādem poſtea in Iſagoge docuit. O metaphyſicam in quæſtionibus admirabilibus divinam! Hæccine recondita theologia erat, cujus poſſeſsio vel divina, vel Dei propria videretur? O Alexādros & Porphyrios de coloribus judices cæcos! Hæccine ſophiſmata iā ignava, vobis etiam cæleſtia divinaque φιλοσοφήματα viſa ſunt?

IN CAP. XIII. & XIIII.

Sed tamen hæc ſophiſmata ſaltem é quæſtione deducta eſſent: Theſis enim Ariſtoteli fuerat de eſſentia, quod præcipué eſſet ens. At ſex totis capitibus proximis ſuperioribus Ariſtoteles quæſtionem ſuam oblitus eſt, ut tales nugas é phyſicis etiam & analyticis iteratas nugaretur. Quid ergo? digredi à propoſito, inutiles & inertes elenchos argutari, quando tandem deſinet? Senſit, inquā, philoſophus noſter à propoſitis eſſentiis ſeſe lōgiús digreſſum & pervagatū: πάλιν ἐπανέλθωμεν, rurſus redeamus, ait. Agedū, inquā, ſperemus melius de futuris: nō fuit oblivio perpetua: de eſſentia tibi propoſita dicito, ſi quid habes. Decima quinta quæſtio tertii libri fuerat, Utrúm cauſſæ eſſent univerſalia: huc igitur revocatur, tandēq; diſſerēt duob⁹ proximis capitibus: Audiamus igitur hanc ſolutionē, primó diſputatur univerſale eſſe, ſimilitudinē é ſingularibus expreſſam: eſſentiā antē nō eſſe ſeparatam: id eſt Xenocraticā ideam nullam eſſe. quod verū quidem eſt, ſed argumētis parum validis arguitur, & quidē repetitis ê 1. & 3. metaphyſico, ut tertia cōtra ideas ejuſdem diſputationis tautologia mirum ſit philoſophū noſtrum nihil moveri. Quatuor hîc argumenta ſunt: primó, quia tale univerſale ſeparatum, neq; omnium eſſet, neq; unius: ſecundó, quia diceretur de ſubjecto: tertió quia in Socrate alveare quoddam eſſet eſſentiarum, ut hominis, animalis, viventis, ſcientis, corporis: quartó, quia ê multis eſſentiis eſſet eſſentia una, tertiuſq; homo rediret: cúm tamen Democritus neget é duobus unū, aut ex uno duo fieri: ut ex duabus atomis unā, aut ex una duas. At, inquam, diſputator in ſolvendis quæſtionibus acutiſsime, Platonica μέθεξιν (ſi quis Xenocraticus tueri iſta velit) his omnibus argumentis ſatisfaciet: & ridicolum eſt aboti nūc Democriti teſtimonio, in atomis præſertim, quas Ariſtoteles ſexcentis locis labefactarit. Sed ad finē capitis ſingulare eſt illud Ariſtotelis problema: Cúm eſſentia neq; ex univerſalibus, neq; é ſingularibus actu eſſenriis conſtare poſsit, omnis eſſentia erit incōpoſita, ideoque definitionis expers: cúm tamē antea dictū ſit, eſſe definitionem eſſentiæ, vel ſo-

 lius,

lius, vel maximè: nunc autem nullius eſſe cõcluſum ſit: ideoq; definitionẽ prorſus eſſe nullam. Hoc, inquam, ſingulare Ariſtotelis eſt problema, unde efficitur, ut nulla ſit omnino definitio. O ſophiſticam vanis & inanibus ſophiæ & theologiæ vocabulis appellatam! Huc undiq; ex infinitis ariſtoteleorum librorũ partibus remiſſi ſumus ad omnium difficultatũ ſolutionẽ expetendũ: & tamen hîc tandem perdiſcimus, nullius rei definitionẽ eſſe. At poſtea 3. cap. 8. lib. id ſophiſma Antiſtheni objicitur. An igitur Ariſtoteles iſto loco Antiſthenes eſſe voluit? An divina iſta definiẽdi theologia totam definiendi doctrinam abolebit? Certè Ariſtoteles laqueos iſtos modò non explicat, ſed tantùm interrogat, an modo quodã definitio futura ſit, modo quodã non ſit: ſolutionẽ in poſterũ pleniorem pollicetur. Et Alexander ait hãc quæſtionem partim hoc libro, partim proximo explicatum iri: in quo fallitur ipſe primùm, deinde credulos fallit: Nihil enim præcipuè hac de re dicetur ſeptimo & octavo, imò nihil reliquis metaphyſicæ libris. O verum & integrum Plutarchi judicium! nihil in metaphyſicis libris utilitatis eſſe doctori, neq; auditori. At id ſatis nõ eſt: in rebus nõ tantùm inutilibus, ſed falſis & fallacibus ἀκριβολογίαν dialecticæ artis, & veluti perfectionem quandam metaphyſica pollicetur: at nihil præſtat, niſi anilia fatuitatis inauditæ ſophiſmata. Sed tamen Ariſtoteles decimotertio capite ita diſſeruit, univerſale eſſentiã non eſſe. Decimoquarto ſpecialis inde quæſtio concluditur, Nullum univerſale eſt eſſentia: Idea eſt univerſale: Non igitur eſſentia. Sed hîc etiã præcipuũ eſt, ideã à rebus ſeparatam nullam eſſe: & tautologia adverſus ideas Xenocraticas quarta eſt, quia eſſet eadem numero aut diverſa: ſi eadẽ, eſſet in diverſis ſpeciebus idem numero: & contrariæ ſpecies eſſent in eodem: ſi diverſa, eſſet & infinitorũ, & multa, & tã multiplex, quotuplicia ſunt genera: & homo eſſet præter animal: eademque abſurda etiam majora acciderẽt, ſi ideæ dicantur eſſe ſenſibilium. Sed hic theſis vera eſt de ideis illis exẽplaribus & Xenocraticis: argumenta tamẽ hæc omnia τῇ μεθόδῳ pariter eluderentur. & tamen heus philoſophe, quamvis in nugis cumulandis attẽtiſſime & occupatiſſime; tamen legibus tuis dormis, neq; es philoſophus: diſcipulos & auditores tuos enecas. quorſum enim tautologiarum iſtarum acervus?

IN CAP. XV. XVI. XVII.

VErùm perge: theſis huc repetit ex analyticis, definitionẽ & demonſtrationem non eſſe ſingularium ſenſibilium, quia oriuntur & occidunt: neq; idcirco idearũ, quia ſingulares finguntur, & nominibus carẽt, quibus definiri poſſint: nec item aſtrorũ, quia ſingularia & ſenſibilia ſunt. Veruntamen totum hoc caput valde falſum eſt: Etenim logica definiendi, eſt omnis entis & nõ entis: ideoq; & univerſalis, & ſingularis, & perpetui, & caduci: generaq; ſunt & differentiæ tam ſingulorum, quàm univerſalium. Et tamen, heus divine metaphyſice, memoria his totis in rebus præſtãtiſſime, nónne diſputaſti antea eſſentias ſingulares, ſolas eſſentias eſſe? univerſales, generales, ideales nullas eſſe? Nónne etiam diſputaſti, definitionem eſſentiæ vel ſolius, vel maximè eſſe? Ubi verò eſt acumẽ tanti ingenii? ubi interpretũ ſolertia? quomodo tam fœda antiphaſis aciẽ hominum effugit? Definitio eſt tantùm, vel præcipuè ſingulariũ: definitio non eſt ſingularium: An hæc etiã ſophiſtica pro theologia nobis erit? Verùm perſequere reliqua, De ideis exemplarib⁹ & Xenocraticis aſſentior: Aſtrorum verò definitiones non eſſe, cùm aſtrologia doctrina ſit, & inter præcipuas ab Ariſtotele tot locis numerata, quàm ſtupidus error erit affirmare? De cõmento autem demonſtrationis jam ſæpe dictum eſt. Et hic locus bellus eſt videlicet in hoc libro, quo problema de nulla definitione ſolvendum ſit: ac cùm diſſeritur, eſſentiam nullam eſſe, neq; univerſalem, neq; ſingularem, quia incompoſita eſſet, ideoq; nullam definitionem fore: quænam (obſecro) nodi hujus enodatio erit, ſi dicam, definitionẽ eſſe duntaxat univerſalium? Aut quæ potius erit involutio, cùm univerſalem eſſentiã nullam eſſe diſſerueris, cujus tamen ſolius nũc affirmes definitionem eſſe? En igitur ἀκριβεστάτη definiendi doctrina; quò analytica & topica, quò artes oẽs remittãtur. An poſthac ſine pudore, ſine impuden-

impudẽtiæ manifeſta profeſsione, quiſquam in ſcholas ſtultitiam iſtam inducere pro ſapientia audebit? En arcana adyta ſacerdoti ſacrotũ ipſi, ut videmus, ignota prorſus & abſcondita. Decimoſexto capite ſequit̃, partes eſſentiæ; partes non eſſe, niſi potentia: quod in phyſicis adverſus Zenonem jam uſurpatũ commemini: manũ in corpore partem non eſſe, niſi potentiá. Nam quod actu poteſt apprehendendo, ſignificãdo, ſcribendo, poteſt forma totius, nõ ſua: Amputata veró & mortua manus non ampliús dicatur, niſi ὁμωνύμως, quia muneribus illis defungi non poſsit: Actu aũt manus eſſet, ſi ſeparáta poſſet ea munerá obire. Verúm, inquam, id ſubtiliter & acuté dici audio, ſed quãm veré, cõſiderandum fuerit: Etenim potẽtia iſta, quæ fingitur, actũ nullum eſt unquã habitura: & ſi totum dicitur actu aliquid, certé partes actu etiã aliquid exiſtimare neceſſe eſt: Relata enim iſta ſunt. Si pater eſt actu, eſt pater filii actu: & ſi filius eſt actu, eſt etiam patris filius actu. Deniq; ſi relatorum alterum eſt potentia, & reliquum erit: ſi alterum eſt actú, & reliquũ. At totum & partes, relata ſunt, neq; alterum, niſi alterius reſpectu, totum parſve dicitur. Quin 8. cap. 13. metaph. dicetur ab Ariſtotele poſtea, tótum parte prius eſſe ſecundum rationem & eſſentiã: poſterius, ſecundum materiam atque tempus. Quare valeat ſubtilitas iſtá, utq; inanis & nugatoria habeat̃. Sequitur, unũ & ens, eſſe cõmunia quædã categoremata, ut ſunt & principium, & cauſſa: ideoque eſſentias non eſſe, quæ ſolutió quidem videatur eſſe quæſtionis in libro tertio decimæ quartæ, ſed vana & ſophiſtica. Nam cùm dicantur genera entis, non ideo ſunt, aut nullius ſunt eſſentiæ: imó contrá totum eſt: Si genera ſunt cõmunia, ſunt in unaquaque ſpecie. Atq; huc etiam de ideis quædam revocãtur, quód cùm fiant à ſuis authoribus eſſentiæ, recté ſeparentur, nõ recté autem cõmunicentur pluribus: neque recté fiant perpetuæ, ſpecie tantùm differentes à caducis. Atqui, inquam, iſta æterni & caduci hóminis differentia antea fuit, & inſulſa de ideis tautologia quinta inſtituitur. Sed Ariſtoteles hoc loco idealia nomina proponit, ἄνθρωπος, αὐτοάνθρωπος, ἵππος, αὐτόϊππος, homo, ipſehomo, equus, ipſeequus. Sic enim verbũ (αὐτὸ) addebatur (ait) ad ideã ſignificandũ. Quapropter Ariſtotelis elenchus ille deprehendit̃, quód ideæ nóminibus careant: quot enim nomina rerũ ſunt, tot etiam nomina fient idearũ, præpoſito verbo, αὐτό. Atq; (ut hîc Alexãder ait) cùm idearum authores rogarentur, ubinã ideæ eſſent, collectis multis ſingularibus, Callia, Calippó, Phædone, ſolitos dicere, hîc univerſalis homo eſt: In quo logicé quidem loquebant̃, ſed (ait Ariſtoteles) iſta univerſalis per multos ſingulos unà collectos demonſtratio, minimé authoribus idearum neceſſaria fuit: Nec enim ſi non cernantur à nobis ideæ, idcirco ſequitur nullas eſſe: non certé magis, quàm de aſtris aſpectui noſtro occultis. Perge veró, capitis hujus clauſula eſt, Univerſale eſſentiam nullam eſſe, neque eſſentiam ex eſſentiis cõſtare: quo problematis illius definitionem omnẽ tollentis ſolutio ſcilicet exornatur. Sed capitis ultimi metaphyſicam attẽdamus: Sexdecim tota capita de propoſitis eſſentiis nihil docuerunt, decimumſeptimum magnum aliquid & dignũ tanta explicatione præſtabit. Eſſentiam (inquit Ariſtoteles) quid & qualenã dicere cõveniat, rurſus ab alio principio ordiamur: Fortaſsis enim ex illis erit manifeſtum, & de illa eſſentia, quæ ſeparata eſt à ſenſibilibus eſſentiis. Hîc veró Alexander ſui valde diſsimilis mihi viſus èſt: uno adhuc tantùm loco rhetor apparuit, cũ duas illas admirabiles quæſtiones, & Ariſtotelis ingenio digniſsimas admiratus eſt. At iſto loco mihi videtur non tantùm rhetor eloquens, ſed vates quidã numine Dei afflatus: Sic enim ad hunc locũ loquitur, Hoc in loco (ait) admirari licet, quám compendiariam viam ingenioſiſsimê divinus hic vir excogitaverit, ad primæ ſubſtantiæ cognitionẽ feliciter ac varié pulchreve inveſtigandã: illius, inquã, omni honore digniſsimi, & cunctis votis expetẽdi, ac omnium parentis Dei: Inquirit enim hoc in loco, quidnã illud ſit, quod materiã ad formas recipiẽdas moveat, quod primam formã eſſe docet, quã ſubſtantiam quoq; licet appellare. At ſi forma eſt, quod in ſingulis materiam movet, ipſamque in ordinem redigit: haud dubié aliqua forma eſt, quæ moveat, ordi-

net, ac in eo ſtatu, quo ſunt, hæc noſtratia conſtituat: quæ quidẽ eſt Deus optimus maximus. Hactenꝰ Alexãder, quẽ non ut interpretem Ariſtoteli fidelẽ, ſed ut vatem divino aliquo ſpiritu exultantem complector & ſuſpicio: Hic enim locus nobis fuit primo phyſico, de Deo formarũ naturalium authore & parente. Ergo fructꝰ ſeptimi libri permagnꝰ hinc nobis conſtiterit, quód intelligamus, nõ ab Ariſtotele (obſcuriús enim id agit) ſed tamen ab Ariſtotelis interprete, Deum formarum naturalium authorem, opificem, creatorem eſſe. At, inquam, quid ſeptemdecim capitibus erat opus, ut unius hujus verſiculi theologiam, & præſertim tam obſcuram, ab interprete Ariſtotelis potiús, quám ab Ariſtotele ipſo audiremus? Quid tum veró? quid reliqua capitis hujus afferent? Ex analyticis quædam ſunt temeré huc relata, quod quæſtio propter quid, non ſit entis: Neq; enim quærit an eſt, aut quid eſt, ſed entis de ente, cur hoc inſit in illo: eſtq; interrogatio cauſſæ modó formæ, modó efficientis, modó finis: temeré, inquã, imó veró inconſtãter huc repenita. Negaverat enim metaphyſicus noſter 2. c. 6. metaphyſ. veri & falſi cõſiderationem ad metaphyſicã pertinere, quia non eſſet entis ſimplicis, ſed cõpoſiti: At nunc iſta cõpoſitio eadẽ metaphyſico tribuiť. Quare ſi ſeptemdecim capitum nugæ tam inſulſæ, tam nugatoriæ ſubducãtur, quis non indignabitur, tam putidã ſophiſticã altiſsimis & clariſsimis ſapientiæ & theologiæ titulis exornari?

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM LIBER VIII. *in octavum Metaphyſicum.*

IN CAPUT I.

Receperat Ariſtoteles in extremo ſexto, de eſſentię duobus generibus ſeſe dicturũ ſecundúm categorias & ſecũdúm potẽtiam actumq;: De eſſentia initio libri hujus tranſitio quædam eſt, primó per epilogũ quẽdã quatuor capitũ primi, quód eſſentia ſit præcipuê res phyſica & ſenſilis: deinde mathematica tũ forma, deniq; materia: quæ tamen ſexto libro dicta erant tã inepté, quám modó repetuntur: Secundó, quód univerſale & genꝰ, magis ſint eſſentię, quám ſingulare & ſpecies. Heus veró metaphyſice, quid repetis? contrariũ enim antea diſputaſti, & mox repetis. Hîc veró Alexander, excuſandi gratia ait hæc Ariſtotelẽ non dicere ex animi ſententia. O ſingulare & interpretis hujus ſimplicitate digniſsimũ tectoriũ! hoc enim tectorio teguntur omnia mendacia, quæ quiſquam uſquã mẽtiri poſſit. Tertió, quod univerſale, genus, ideæ res ſint affines. At id primo & tertio libro dictũ eſt potiús, quám ſeptimo. Atque hîc quarto loco memineris, Platonis ideas ab Ariſtotele logicas fieri: Sic enim 6. & 7. c. 1. & 6. c. 3. metaphyſici Ariſtoteles ideas cõtra Xenocratis commentũ interpretatus eſt. Quartó, quód gratiâ eſſentiæ de definitione tractatum ſit. Atq; hic eſt epilogus: Deinceps veró de eſſentiis materiatis & ſenſilibus agendũ eſſe proponiť, quarum dũtaxat eſt ortus & interitus: quod tamẽ etiã dictũ priús eſt. Verúm de eſſentia ſenſibili deinceps agitur, cujus partes ſunt materia & forma. materiã itaq; primam eſſentiam eſſe diſſeritur, eamq; omnibus motuũ generibus ſubjectã, ortui, interitui, accretioni, diminutioni, alterationi, lationi. Enimvero metaphyſicus hic noſter valdé oblivioſus eſt. Quoties enim obliviſcitur, metaphyſicã ſibi definitam eſſe entis, quatenus eſt ens? At quænam phyſica de ſenſilibus ſeges, & quanta totis hiſce cãpis ſeritur? ac ne nos neſcii eſſemus, alienam rem hîc agi, Ariſtoteles ipſe nominatim phyſicam hîc appellat, in eaque ſibi his de rebus diſputatiõ prædicat. Quid vis igitur fiat homini toties extra propoſitos ſibi cancellos egredienti? quid eadem toties iteranti?

IN CAP. II.

Phyſica Democriti deinceps reprehendiť, qui cõprehendebat rerum phyſicarũ materiam corpore, formã differentia fluxus, converſionis, contractꝰ, id eſt figuræ, ſitus, ordinis. At (inquit Ariſtoteles) differẽtiæ formã faciẽtes multo plures ſunt, ut cõpoſitio, vinculũ, glutinũ, clavus, ſitus, tẽpus, locus, affectus ſenſibilis, exceſſus, defectꝰ. Sed

enim logica hæc Ariſtotelis ex iis tã multis differẽtiis ad eſſentialem formam cõſtituendum tam inepta eſt, quàm Democriti forma é differentiis figuræ, ſitus, ordinis: & eadem Democritica tamen fuere tum primo phyſico, tum primo etiam metaphyſico: ut Ariſtotelis gravißimus ille tautologiarum infinitarum morbus perpetuus appareat. Perge veró, quid deinde ſequitur? Aliud eſt materia (ait metaphyſicus) aliud forma: & hanc utramq; definitio complecti debet: eaſq; definitiones meritó Archytas probabat: Atque, inquam, eas equidem probo, & logicam illam Archytæ veterem tam accuratam fuiſſe valdé gaudeo: ut nihil alienum ſit, ab eodem conſcriptas fuiſſe Categorias illas decem, de quibus 5. cá. 1. metaphyſ.

IN CAP. III.

THeologia capitis tertii diſſoluta eſt admodum quatuor diverſis in rebus: Prima, quæritur utrúm nomẽ ſignum ſit compoſiti, an formæ: neq; diſſoluitur é materia, quia facilis erat (ait Alexãder) cúm pateat, ſignum eſſe formę, non compoſiti. At, inquam, interpres eruditiſsime, falſum id eſt: Ariſtoteles enim non Ariſtotelis animã tantûm, ſed é corpore animaque compoſitum Ariſtotelem ſignificat. Et tamen (ut hîc Alexander ex Ariſtotele ipſo interpretatur) hæc quæſtio ad propoſitam Ariſtotelis de phyſicis eſſentiis quæſtionem nihil attinet. Sic elenchus in Ariſtotele ſimplex feré nũquam eſt: multiplicari ſophiſma, logica videlicet egregia eſt Ariſtoteli: Quid tum poſtea? quid habet pars altera? Syllaba, nõ eſt elementa: nec domus, lateres: nec homo, animal bipes: nec omnino compoſitum, ſua materia, ſed forma. At, inquam, verum quidem eſt, compoſitum & materia & forma, non eſſe materiam: At non eſt verum, hominem nõ eſſe animal bipes: Nec genus illud cum differentia generali, ſola materia eſt, ut antea deceptus Ariſtoteles affirmavit: nec tamen eſt verum, compoſitum, ſuam eſſe formam. Enimveró Ariſtoteles iſto loco πλατωνίζει, ſed non ſatis Ariſtotelicé: Platonis ea philoſophia eſt in Alcibiade, hominem eſſe mentem, mentiſque organum eſſe corpus. Sed Ariſtoteles (cui ſæpe aliás commodum fuit Platonis tropos iſtos cavillari) ſermonis proprietatẽ & ſimplicitatem præſertim in acribologia metaphyſico propoſita imitari minimé debuit. Atque hac etiam in parte repetitur 3. cap. 6. metaphyſ. propoſitũ, formas ſine generatione & corruptione naſci & interire, inſtar contactuum, momentorum, pũctorum. In quo rurſus de nihilo phyſicas formas fieri theologus noſter profitetur, ut antea. Tertia pars capitis eſt adverſus Antiſthenis logicam. Hic Cynicus inverecundé antea negaverat homini ullam eſſe facultatem cõtradicendi, ac pené mentiendi: nunc negat eadem verecundia rem ullã definiri poſſe: quia definitio longa oratio eſſet, compoſitiſque partibus pleriſque conſtaret, quæ ſingulæ anté definiendæ eſſent: Ut in lõga oratione, animal rationale, mortale, mẽtis ac diſciplinæ capax, multa eſſe compoſita: animal rationale, compoſitum eſſe quiddam é materia & forma: ex animali, ut ex materia: ex rationali, ut é forma: mortale item eſſe compoſitum, tanquam mortale animal intelligatur, & ſic deinceps. Itaque nihil accuraté poſſe definiri, ſed deſcribi utcunq;: ut, quid eſt argẽtum, neque definieris abſoluté, ſed deſcripſeris, ut ſtannum. Hoc Antiſtheneum problema Alexander docet ab Ariſtotele ex eo diſſolvi, quód omnes orationis illius longæ, ſeu definitionis partes, ſint formales, nõ materiales: formales autem, ut demonſtratum prius ſit, in definiendo adhiberi: At, inquam, id Ariſtoteles hoc loco non dicit, ſed ait prima illa, é quibus definitio conſtat, perpetuó definiri non poſſe: aut ſi diceret, diceret inconſtanter: quia pauló anté in definitione genus cũ generalibus differentiis analogum materiæ differentiam ultimã formæ dixerat. Ergo & hoc prioribus ſophiſmatis novum ſophiſma aggregatur: Pars ultima capitis eſt ἀναγωγὴ, relatio & comparatio, quia utrumque tum dividitur in partes individuas, tum mutatur additione & detractione, tum unitate quadam eſt unum, tum neque magis neque minus ſuſcipit. At, inquam, ἀναγωγὴ iſta cúm inepta eſt, tum quid eſt ad quæſtionem de eſſentiis ſenſibilibus accommodata? Denique quid hoc totum caput, quám metaphyſicam, niſi ſophiſticam inſtituit?

IN CAP. IIII. ET V.

CAput autem quartum, quæſtionis licet á metaphyſica alienæ, tamen non eſt á vero prorſus alienum, quód materia cujuſque rei ſit propria proximaque, diverſorum diuerſa: ut ſerræ ferrum, veſtis lana: ex eadem tamen á diverſis artificibus diverſa fieri poſsint, ut á lecticario lectica, ab arcario arca: neque tamen materia ſola, ſed quęlibet etiam cauſſa debeat eſſe propria: qualis in homine ſit ſanguis menſtruus pro materia, ſemen pro efficiẽte, forma, quidditas, finis (ut eſt in phyſicis rebus) idem cum forma. At hæc, inquam, vera ſunto, ſeu logica, ſeu phyſica: quoties autem in logicis, in phyſicis, in his etiã metaphyſicis propoſita? Elenchus etiam ille, quód forma & finis ſit idem, quoties objectus? quoties refutatus? Neque veró quinti capitis metaphyſica multó elegantior eſt, formam in individuo ſine generatione fieri, ſine corruptione extingui, quod quoties jam iteratum & reiteratum eſt? & tamen quoties ab Ariſtotele iteratum eſt, lubet etiam toties adnotare, formas rerum naturalium ex nihilo fieri. Perge tamen, quid ſequitur? materiam capacem eſſe contrariorum: neq; tamẽ animal eſſe ſubjectum vitæ & mortis, ſed hoc fieri illud: ut dies ſit poſt noctem. quæ item tautologia, quám perpetua adhuc fuit?

IN CAP. VI.

PErge, quidnam tam nobilis metaphyſicæ ſupereſt? Quæſtio, inquã, quomodo definitio ſit una, quæ bís propoſita, nunquam tamen ſoluta, tandem ſolvitur, ait Alexander. Et tamẽ non prorſus idem anté actũ eſt, ſed quęſitum, quomodo definitum eſſet unum. Attendamus igitur tam magnifici problematis ſolutionem. Unum variis modis dicitur (ait metaphyſicus) ut tactu, ut viſco: definitio autem, eſt oratio una, nõ conjunctione, ut Ilias, nec item τῇ μεθέξει ideatum, quia tum eſſet definitio tã multiplex, quám multæ ideæ: ſed eſt una, quia eſt unius. Nam tametſi cõſtet é partibus quarum altera eſt materies & potentia, altera eſt actus & forma: attamen ut artifex ex utraque unum opus efficit, ſic id quod facit, in generatione naturam unã cõſtituit. Hîc valdé ſolicitus & exercitus eſt Ariſtoteles, ut nihil aliud diſputet, quám antea tam multis verbis diſputavit: neq; quæſtionem illam, nunquã antea ſolutam, diſſolvit aliter, quám antea diſſolverat. Sed ſingularia ſunt de unitate, quæ ſequuntur: genera illa entis ſumma, quæ dicuntur, eſſentiam, quantitatem, qualitatẽ, & cætera eſſe proprié unum: quia non ſunt in uno & in ente, tanquam in genere: nec ideo habẽt materiam ullam, neq; intelligibilem, neq; ſenſibilem. O´ ſingularem metaphyſici logicam! Ens & unum genera fecerant Pythagoras & Plato, ut tertio metaphyſico patuit: Ens & unum, ſynonyma nõ fuerunt Ariſtoteli quarto metaphyſico, neq; tamen homonyma: metuebatur enim categoriarum quædã ruina, ſi ſumma decem genera continerentur uno genere entis & unius: hîc etiam metus idem permanet, ſed inanis & vanus. Decem enim genera illa, quæcũq; ſint, obtinebunt ſané ſtatum γενικώτερον, ſi genere uno tanquam capite contineantur. Sed tamen quale eſt iſtud, genera hæc decẽ proprié unũ eſſe, quia neq; genus, neque materiam habent? quia formæ ſunt (ait metaphyſicus) ſimplices & incompoſitæ? At ſapientiſsime theologe, quamvis nullo genere alio tibi contineantur, attamen genera tibi ſunt, ideoque ſubjectis ſpeciebus, materiã (ut docuiſti) præſtabunt. Quare totum problema tam laté jactatum, valdé ridiculum fuerit, valdeque ridicula ipſius ſolutio. Atque hîc iterum μέθεξις irridetur, & Lycophrõ ſophiſtes ille primo phyſico appellatus, qui cauſſam rogatus, cur ſcientia & anima eſſet una: copulâ id effici reſpondebat: Sic alios quęrentes cauſſam unitatis, ſimilia dicere, ut vitam eſſe copulam animæ cum corpore: valetudinem, copulã animæ & corporis. Quibus irriſis, concludit metaphyſicus nullam eſſe cauſſam unitatis in rebus, præter cã quæ ad actum in potẽtiam movit: Quã ſententiam Alexander etiam rhetoricé extulit. Hoc in loco (ait) divinum viri hujus artificium admirari licet, quo á poſterioribus (neque enim aliter hoc fieri poſſet) nobiſque notis viam ad Deum optimum maximum ac omnium parentem & conditorem cognoſcendum nobis cum ratione aperit, docens, ut faber ærarius cauſſa eſt ut æs & globus unum ſit, ſic facultatem motricem ipſius ac effectri-

effectricem cauſſam eſſe rerū omnium, ut ſic habeant, quemadmodum ſeſe habent. Hæc Alexandri rhetorica tertia eſt conſimilis ſecundæ, in qua hominē hactenus laudo, quòd de Deo religioſè pieq; ſentire videatur: tametſi poſtea theologia horum philoſophorum valdè impia erit: progreſſum autem illum à poſterioribus nullum hîc video: phyſica enim cognitionis ordine theologiā Ariſtotelis judicio præcedit. Quamobrem ſubducito, qui hæc audis, vel legis, ſex hujus libri capita, & Ariſtotelis vim quandam admirabilem, vel potiùs incredibilem contemplare, qui de nihili nugis ac ſophiſmatis ſapientiam primam diuinamq; nobis commentetur. De phyſices eſſentiis theſis erat inſtituta: liber integer ſex capitū factus eſt, ut de iis novi nihil prorſus intelligeretur, niſi Democritos & Antiſthenes abſurdos eſſe, ſed Ariſtotelem partibus infinitis abſurdiorem eſſe. Et tamen annorum duo millia ſartum tectumq;, imò ſacrum & inviolabile ſapientiæ, philoſophiæ, theologiæ nomen his ſordibus tam ſordidis permanſit. En igitur, veteres logicos vera dicere negato: logicam in metaphyſicis de materia formaq;, de definiendo temerè permiſceri: Plutarchi judicium falſum prædicato: nihil his in libris neq; docenti, neq; diſcenti commoditatis futurum.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM LIBER IX. *in nonum Metaphyſicum.*

IN CAPUT I.

EQuidē quid deinceps conſilii capiam neſcio. Pergā tot nugas tā ſophiſticas, tamque lectu audituq; indignas perſequi? quis enim leget hæc? quis audiet? an parte operis ampliore diſceptata: reliquum auditori per ſe conſiderandū, & ex analogia præcedentium judicādum relinquam? Sed modus potiùs quærendus eſt, ut omnia breviùs & ſuccinctiùs amplectamur. Agitedū: partitio fuerat in extremo ſexto de ente: duoq; ipſius genera futuræ metaphyſicæ propoſita erant. alterius per categorias: alterius per potentiam & actum. metaphyſica entis per categorias tractata adhuc eſt duobus integris libris, ſeptimo & octavo: tractabitur deinceps noni libri capitib⁹ decē, ens per potentiam & actum. Sed de potentia totus liber eſt: de actu ſeparatim abſq; potentia nihil eſt. Itaq; liber hic potentiarū liber inſcribi poſſit: & quidem liber admirabilis reputanti è potentiæ ſignificatis antea jam etiā declarans, tantum ſermonē inſtitui potuiſſe. Sed capita ſubducamus. Primo capite de potentiæ modis repetuntur dicta priùs ad 12. cap. 5. metaphyſ. de impotentia, quia privatio potentiæ eſſet: repetūtur dicta priùs ad 22. cap. 5. metaphyſ. Sic eadē fidelia duo parietes dealbantur. Et nos fortaſſe non ſatis Ariſtotelis ingeniū novimus: qui tautologiæ ſempiternos in his metaphyſicis elēchos toties arguimus. Beneficio enim hujus ſophiſmatis, videmus ex uno unius capitis vix argumento, tot libros produci. Sed interea Ariſtoteles geometricā potentiā, ut antea, rejicit velut impropriam: Alexander autem, theorema Arithmeticū ad potentiæ illius explicationem huc attulit: Quadratū dupli eſt quadruplū ad quadratū dimidii, ut in 3. & 6. quadrata ſunt 36. & 9. quorū prius poſterioris eſt quadruplum.

IN CAP. II.

QUid tum verò? Potētia eſt ἄλογος, ſine ratione, ut viſus videndi, & alterius tantùm contrarii eſt: vel cum ratione, ut artiū & ſciētiarum, & eſt utriuſq; cōtrarii: alterius per ſe, alterius per accidens. Atqui differētia hæc ut vera ſit, non tamen eſt metaphyſici, qui de ente, quatenus eſt ens diſſerere debeat: potentia autem rationalis ſit hominis propria, nō autem cōmunis omnis entis. Atq; hîc Alexander artē & ſcientias in facultate & efficiēdi principio numerans, non meminit artem in genere formæ à ſe collocatam eſſe.

IN CAP. III.

MEgarici cenſebant actum & potentiam idem eſſe: idq; ſolum eſſe poſſibile, quod eſſet. Hîc error arguit̃ per omnia genera potentiarū, & Protagoræ errori comparatur: ſtatuētis,

quidlibet

quidlibet eſſe tale, quale homini videretur. Hîc veró Megaricos meminerimus logicos fuiſſe ante Ariſtotelem, ut in logicorũ hiſtoria notavimus. Verũ quãvis properanti non eſt tamen prætereundus inſignis loc⁹ ille citatus à nobis tertio phyſico adverſus motus definitionem inanẽ: Energiæ nomen (ait metaphyſicus) ad entelechiam pertinet, & maximè ad cætera è motibus alia: Videtur enim energia, maximè motus eſſe. Hæc Ariſtotelis verba Alexander pauló clariús interpretatur: Quoniam autem (ait) actus bifariam dicitur, uno modo fines ipſi: ut finis dealbationis, qui quidem eſt ipſum albũ in quo ceſſat & conſiſtit dealbatio, actus dicitur: & pari ratione cæterorum motuum fines, actus nuncupantur: quos quidem fines ipſe propriè nominat entelechias. uno igitũ modo, actus ita dicitur: alio veró, actus dicitur ipſe motus, exempli gratia, dealbatio, ne ab hoc exemplo diſcedamus. Hæc igitur Alexander congruenter Ariſtotelis ſentẽtiæ: unde intelligimus, ἐνεργείας & ἐντελεχείας nomine duo ſignificari, primò finem motus & formam: ſecũdó motum ipſum: quorum neutro motus definiri poteſt. Itaq; (ne conqueramur fructum in metaphyſicis nullũ eſſe) magnum ex hoc loco magni prorſus argumenti beneficium ab Ariſtotele percepimus.

IN CAP. IIII. V. VI. VII.

CApitis quarti metaphyſica, tautologiam continuat: Poſsibile id eſſe, quod accidere poſsit, quamvis neq; ſit, neq; futurum ſit. item quinti, ſed ineptiús multó: Repetit enim de ſecundo capite potentias rationales, & addit, comparari conſuetudine vel doctrina: ideoq; multis antecedentibus actionibus, irrationales autem minimè. Sexti capitis tautologia multó eſt ineptiſsima: cùm enim ꝓponatur, de actu dicendum eſſe, tamen poſsibilis definitio repetitur è quarto capite, quód poſſibile ſit, illud quod eſt, vel quod quamvis non ſit, poſsit tamen eſſe: ut dimidia linea eſt in tota: & Mercurius in ligno. Sed metaphyſica Ariſtotelis ex ἐνεργείας definitione in primis eſt animadvertenda. Hîc Ariſtoteles energiam definiri nõ poſſe profitetur, qui tamen voluit tertio metaphyſico motum ἐνεργείας ſpeciẽ definire: quin ſatis eſſe ait, ſi ἐπαγωγὴ καὶ ἀνάλογον adhibeatur. Huc igitur præteriens animadverte. Septimi capitis metaphyſica, non tantúm tautologiam, ſed falſitatem habet, è 1. cap. 8. phyſici repetitam, quod potentia dicatur, quando propé ad actum acceſſerit: ut terra, non potentia homo, ſed ſemen. At, inquam, differentia eſt omnis cauſſæ communis, propinquum, remotum: Cur igitur potentia non & remota & propinqua dicetur?

IN CAP. VIII.

SED metaphyſica ſublimior deinceps erit, ut tautologias tam multiplices abundè cõpenſatura videatur: quod actus antecedat potentiam λόγῳ, χρόνῳ, οὐσίᾳ ratione, tempore, eſſentia. Enimveró etiam in his mercibus decipimur è 7. cap. 8. phyſ. repetitis: ſic enim illic diſputatum eſt, lationem reliquis motibus priorem eſſe. Sed tamen cedo, quæ nam hæc argumenta ſunt? Actus præcedit in homogenis potentiam (ait metaphyſicus) ratione, tempore, eſſentia. At, inquam, quæſtio de ovo & gallina apud Macrobium lib. 7. Saturnaliorũ ejuſmodi fuerit, utrúm ovum gallinam, an hæc illud anteceſſerit. Hæc argumenta Ariſtotelis ἀκριβολογίαν expetenti nihil perſuadebunt: Quin poſtremum de eſſentia ſuperiora refellent. Actus antecedit (ait Ariſtoteles) potentiã eſſentia, ut vir puerum: quia poſteriús genita, ſunt eſſentia priora. Enimveró illud idem 7. cap. 8. phyſici fuerat. Nam ſi actus ita præcedit potentiam eſſentia, præcedit ſanè excellentia & perfectione: ſed ratione atque tempore in primis poſterius erit. Ita bellæ diſputationis hujus antecedẽs refelletur cõſequente, totaq; actus iſta præſtantia nugatoria deprehendetur: cumulus deniq; ſophiſmatum duntaxat erit, ad ſapientiæ & theologiæ nomẽ prætexendũ. Pleraq; veró inſignia & illuſtria hîc interferuntur, à nobis in logicis ſcholis appellata. Aedificator eſſe nemo poteſt, qui nihil ædificarit: neq; cithariſta, qui nihil antè cecinerit: Pauſoniſq; Mercurius in lapide ſic à Pauſone cælat⁹, ut ſpectator neſciret intuſne an foris eſſet. Eſt præterea

locus ille appellatus ab Ariſtotele ſecundo phyſico de fine duplici, forma, & uſu formæ: ſed obſcurus eſt locus, ut tū quoque diximus: quód ἔσχατον, extremum, modó ſit uſus, modó opus. & tamen hic Alexander uſum interpretatur actum. Poſtrema capitis hujus tautologia eſt, actum in æternis eſſe, non potentiam: quia potentia ſit contradictionis & corruptionis, quæ æternis nō conveniunt. Potentiam tamen motus ex loco in locum ſolam illis convenire: at quia æterna tota ſunt actus, idcirco ſine labore motum continuant. At, inquam, placitum id eſt Ariſtotelis. Poteſt Sol multa generare, corrumpere, movere denique, quæ nunquam tamen movebit: & modó ſyderibus attribuere motum æternū ſine labore, quia potentia careant, argumentum eſt leviſſimum, non in eadem quæſtione octavo phyſico adhibitum: Illic enim motus æterni ſuis motoribus ſine labore ſunt attributi, non quia potentia carerent, ſed quia moverent tantúm, non moverentur. Hic veró phyſicos irridet Ariſtoteles, qui finem mundi pertimeſcerent: quos tamen 1. cap. 8. Phyſ. adverſús Platonem nullos fuiſſe confirmabat.

IN CAP. IX.

NOno capite continuatur eadem actus pręſtantia, quód actus bonus potentia boni melior, malus autem potentia mali deterior. quæ res obſcuriſſimis verbis ab Ariſtotele proponitur, & Apollinem interpretem (ut ait Alexander) requirentibus: Ideæ etiā hic collocãtur: & in diagrammatis geometricis potentia licet anté 12. c. 5. lib. & 1. c. 9. lib. repudiata, tamen tractaturi ſed ænygmatis potiús, quam exemplis, ut etiam Alexander profitetur, de trianguli angulis æquantibus duos rectos, deq; recto in ſemicirculo: quorum potētiam Ariſtoteles illic ad punctum unum, hic ad tres rectas æquales refert. Res é primo & tertio elementorum Euclidis perſpicua eſt: At potentia (quam modó interpretatur Ariſtoteles) mathematicis eſt inaudita: potentia enim vel numeri, vel magnitudinis, dicitur illis quadratum: potentiam linearum angulos dicere, tametſi verū ſit, erit tamen in elementis novum & inutile.

IN CAP. X.

VErúm potentiarum tam mirabiles potentias, quando tandem expedies? Expeditæ, inquam, ſunt. potentiarū liber clauſula ſingulari concluditur, Ens & non ens dicuntur per figuras categoriarum, per actū & potentiam. ſed præcipué verum & falſum modó ſingulis in rebus, ut ſimplices intelligentiæ: modó in compoſitis & diviſis: intelligētiarumq; & orationum veritas pendet é rerum veritate: In rebus ita neceſſariis & impoſſibilibus neceſſaria & impoſſibilis, in poſſibilibus poſſibilis: deceptioq; ſecūdum quandoq; in poſſibilibus tãtúm verſatur: deniq; verum & falſum, tanquam ens & non ens efficiuntur: Hæc enim capitis hujus eſt philoſophia. O' philoſophiam inconſtantem, & decretorum ſuorum immemorem! In ſexto metaphyſico ens verum & falſum rejectum erat, quia mentis eſſet, non entis: & modó repudiatum improbatumq;, in metaphyſica eadem inſtituitur & probatur. O' veraces logicos Alexandri monitores! quid novē totis adhuc metaphyſicæ libris Alexander vobis, niſi é logica confuſum & obſcuratum objiciet? quo argumento monitionem veſtram refellet? Quid enim, cúm ſuperiores libri alii, tum proximi tres, niſi logicas ex organo logico tautologias habuerunt? O' Plutarchi judicium de ſtulto & falſo ſophiſmate ſapiens & verum! Ens per categorias, ens actú & potentia tribus metaphyſicis libris; ſeptimo, octavo, nono tam inſolentibus tamq; anilibus nugis amplificatū, quid aliud eſt, quám judicii hujus argumentum & authoramentum?

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM

carum liber decimus, in decimum Metaphyſicum.

IN CAPUT I.

PErge veró, vel propera potiús. (cruciatus enim eſt audire hæc aut legere) Quid habebit liber decimus? certé tautologias in ſuperioribus libris anté dictorū, & quidē etiam ſæpiús jam pleriſque locis repetitorum:

ut tautologię tautologiis in contemptū logicæ omnis accumulatæ videātur. Alexander (opinor) hic erubuit: Parmenidem Platonis de ideis ipſoq́; uno prætexit, tanquam Ariſtoteli adverſus Platonem æmulatio fuerit. Verum eſt:

jungentur jam gryphes equis: ut ait poëta noſter. Quid enim tam diſsimile, quàm Parmenides Platonis, & decimus hujus metaphyſicæ? Repetuntur primo capite modi unius é 6. cap. 5. lib. ſed pro omnibus quatuor ſunt, continuum, totū, ſingulare, univerſale, & hi quatuor modi illam videlicet modorum multitudinē vanam fuiſſe & ſophiſticam cōvincunt: ſed metaphyſica prorſus hic egregia eſt de uno, quód ſit menſura rerum omnium, ut unitas in numero: pes unus in magnitudine: ſic deniq́; unum in quoq́; genere minimum eſt menſura, ut in ponderibus pondus, in motibus motus, in vocibus vox. Secundo capite Pythagoræ, Platonis, & reliquorum philoſophorum ſententiæ de uno repetuntur, Protagoræq́; ſententia illa é quarto libro repetita deridetur, hominem eſſe menſuram rerum omniū: quo cûm egregium aliquid dicere videatur, nihil tamen dicat. Ecquid, inquam, de uno præterea dicetur? modi unius repetiti ſunt, repetitæ de uno ſententiæ: quid repetetur amplius? Tertio capite diſſeritur, unum & multa eſſe adverſa: imó adverſorum omnium principia, quó ipſa referantur, ut idem, æquale, ſimile ad unū: diverſum, inæquale, diſsimile ad multa: quam ἀναγωγὴν Ariſtoteles in libro illo de bonis deſcripſerat, ut hic Ariſtoteles & Alexander oſtendunt. Dic veró tautologias reliquas, quàm breviſsimé poteris. defeſſus enim ſum hæc audiendo. Totum, inquam, 10. cap. 5. lib. de eodem, diverſo, oppoſitis, differentibûs hûc revocatur. Sed interea generis illa vera definitio comprehenditur, quam nos in logica ſumus ſequuti. Genus eſt quo utraque differentia ſunt eadem ſecundûm eſſentiam. Additur etiam illud, quæcumque differunt, differre genere, aut ſpecie: genere, quorum materia eſt diverſa: ſpecie, quorum genus idem. quem locum ad tollendam numeri differentiam in logica citavimus. Quarto capite continuatur elenchus idem, ſed inconſtantia mirabili. Speciei cuilibet æqualiter genus cōmunicatur: attamen Ariſtoteles quærit ſophiſticé admodum de quatuor oppoſitorum ſpeciebus, quæ maximé ſit oppoſita. hoc ſophiſma tamen hic præcipué non arguo. Adverſis tribuitur hic maxima oppoſitio, ut antea 10. cap. 5. lib. tributa eſt: deinde eodem capite per oblivionem vix credibilem, maxima illa oppoſitio contradictioni attribuitur. Quo in loco (ignoſcite mihi, qui hæc legetis) obſtupui: Quid enim tantis in nugis facerem, & apud me ipſum cogitavi, quomodo hanc repugnantiam defenſurus eſſet Alexander: Ad eum itaq́; me contuli: equidem reperio ſolutionem interprete imperatorio digniſsimā: Contraria his (inquit) non hoc tantûm loco, ſed in libro de interpretatione philoſophus dicit: ſed dicit gratiâ exercendi auditoris. O´ me ſimplicem, & legibus Ariſtotelis valde ſimpliciter addictum! Etenim ſi quis in mendacio deprehenſus ſit, docuit antea Alexander culpæ ſolutionem. Affirmes enim te nō ex animi ſententia dixiſſe: vel (quod etiā elegantius eſt) exercendi auditoris gratiâ te loquutum eſſe. At ac certé illud eſt in primis in metaphyſica palmarium: id Romanus orator ille præſidio ſibi habuit, cûm vituperaret pro roſtris Craſſum, quem ibidem pridie illius diei laudaſſet. Appellatus enim de incōſtantia, reſpondit exercendi ingenii gratia vile illud argumētum ſibi declamatum eſſe. O´ fatuas Ariſtotelis leges, de veritate, de affinitate, de proprietate! nihil profectó ſapitis: duæ Alexādri ſolutiones pluris ſunt, quàm veſtra omnis quātalibet prudentia. Veruntamen redeamus. Alia eſt etiā hoc in loco metaphyſica, de contrariis nobilior: Genera contrariorum antea quatuor facta ſunt, relata, adverſa, contradicentia, privantia. Hic Ariſtoteles docet adverſa in privantibus, privantia in contradicētibus contineri. Eat nunc igitur Alexander, & Plutarchum mendacii arguat: utilitatem hanc tam luculentam opponat. Veruntamen hic diutiûs immoramur. Capite quinto iteratur ἀναγωγὴ cōtrariorum omnium ad unum & multa: interſeritur illud, quod πότερον, utrûm, interroget oppoſita: ridiculamq́; eſſe interrogationem, utrûm homo ſit, an albus: niſi ex hypotheſi: ut uter acceſsit, Cleon an Callias? ſi pactū

fuerit

fuerit alterutrũ vẽturum eſſe. Deinceps theſes ſunt, quales ab elemẽtariis dialecticæ in ſchola diſceptari ſolent: Dictum eſt, contraria unũ uni opponi: cõtra doctrinam illam objiciũtur magnũ & parvum, quæ opponuntur æquali: Itẽ ſexto capite, multa & pauca, quæ opponũtur uni. De primo res videtur Ariſtoteli facilior, quòd magnũ & parvum, relata ſint inter ſe: æquale autẽ inæquali ſit adverſum. At magnũ & parvũ nõ relata ſunt, ſed potiùs diſparata quędam mediocri: ut magnũ ſit majus quàm deceat, & parvum, minus quàm deceat. De uno, paucis, multis, ſophiſma prolixius eſt: Quid quid eſt multũ, eſt multa, & paucũ pauca, paucaq; multa: At duo ſunt multa, unũ pauca: unũ igitur multa. Tam gravis igitur quæſtionis ſolutio eſt, pauca & multa, relata eſſe inter ſe: duoq; pauca ſimpliciter eſſe, multum autẽ primũ, id eſt binarius eſt ultima paucitas & multitudo prima, unũ & multa eſſe adverſa. Nec igitur uno oppoſitionis generẽ plura opponẽtur uni. En philoſophiã theologiæ nomine tituloq; digniſsimam: In quo ambiguitas eſt in verbo multitudinis, quæ modò numeri ſimplicis nomẽ eſt, modò opponitur paucitati, multũq; & paucum ſic opponũtur, ut magnũ & parvum, multũ plus quàm deceat, paucum minus quàm deceat. Atq; hic exultãs in ſolutione tã arguta philoſophus, Anaxagoram docet, quomodo loqui debuerit, cùm dixit, Omnia ſimul erant multitudine infinita & parvitate. Parvitate (inquit) dicere non debuit, ſed paucitate: tum enim errorem infinitatis animadvertiſſet: Atq; hic etiam multitudo, numeri genus efficitur. Id igitur Alexander videat, quem reliqua libri hujus capita interpretari piguit: aut certè interpretatio periit: pudoris autem è proximo libro conjectura quædam erit. Septimo capite docemur, contradictionẽ carere medio, quod verum eſt: item relata, non adverſa medio carere, ut ſciẽtia vel ſcibile. Quod & præcepto, & exemplo falſum eſt. Octavo capite repenitur definitio generis illa antè poſita, ſed verbo uno deterior: Genus, eſt quo differentia ſunt eadem, non ſecundũ accidens: tum pleraq; de contrariis repetũtur, genusq; rurſum ſpeciei materies efficitur, ſed falsò, uti docui. Nono capite theſis eſt ſuperiorum duarum cõſimilis, quòd mas & fœmina ſpecie nõ differant, ſed accidentia ſint animalis propria, & accidentia materialia: Speciei autẽ differentiã tantùm faciant contraria in ratione & forma. Quo in loco Ariſtoteles ait ſingulos homines, ſpecies hominis non eſſe: neq; ſpecie differre, ſed carne tantùm & oſsibus, materia deniq;. Cujus impietatis ſophiſmate nullũ capitalius ab Ariſtotele unquam ſomniatum eſt: detractis enim materiæ differentiis (ut poſt mortem accidit) animæ noſtrę, aut nihil eſſẽnt, aut unica ex omnibus futura ſit: omniaq; illa redeant, quæ adverſus Porphyrium ſcholæ logicæ diſſeruerũt. Multò verò fuit illud elegantius tertio libri hujus capite: Quæcumq; differũt, differre genere aut ſpecie: tertia hæc impii numeri differentia nulla fuerat. Caput decimum theſin etiam diſſerit præcedentium affinẽ: Adverſa ſunt diverſa ſpecie: Corruptibile & incorruptibile, ſunt adverſa. ſunt igitur diverſa ſpecie. Quod ſi ſit, idẽ poterit eſſe, ut album & nigrum, ſic corruptibile & incorruptibile. Solutio autem difficultatis eſt, quòd contraria quædam ſint accidentia, ut album & nigrum corpori: quædam eſſentialia, ut corruptibile & incorruptibile ſuis ſubjectis. Atq; in de vellicantur ideæ: quia homo eſſet modò corruptibilis, modò incorruptibilis. Quapropter quid ad decimi libri epilogum veteres logicos, quid Plutarchũ advocari neceſſe eſt? Alexander Ariſtoteli miles licet devotiſsimus, tamen ſanctiſsimum illud militiæ ſacramentum, quomodo in tot & tantis tautologiarum non cumulis, ſed prealtis montibus præſtiterit? quos Pauſonas, quos Hegemonas huc retulerit?

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM LIBER UNDECIMUS, *in undecimum Metaphyſicum.*

IN CAPUT I.

ARiſtoteles ſuperioribus libris è logica, è phyſica, è metaphyſica etiam ipſa, importuniſsimas tautologias habuit: attamen ad præſentis libri ſophiſma logicæ videantur: Etenim de

nim de primi,ſecundi,tertii,quarti,ſexti metaphyſici, deq́; quinti phyſici ſophiſmatis, prorſus iiſdem unum ſophiſma perpetuum toto metaphyſico undecimo continuatum eſt. Patientiam equidem ariſtotelei ingenii tolerantiamque ſæpe aliás admiratus ſum: admirationis tamen hujus argumentum nullum adhuc tam locuples & illuſtre fuit: Appelliconis tineæ, ænea pila, & alia neſcio quæ excuſationis genera in acroaſi phyſica fuerunt. Tineæ veró quidlibet hic arroſerint. Decidat pila, altiſsimo ſono perſtrepat, philoſophum tam fœdę tautologiæ indormientem exuſcitet: & tamen tautologiæ, quam ipſe confitetur, quam Alexander interpretatur, quam etiam collaudat poſtea. Non abhorret (ait) tautologia iſta ab Ariſtotelis ingenio, qui omnibus quidem in locis, ſed in hoc potiſsimúm opere ſolet ad veritatis confirmationem bis eiſdẽ de rebus meminiſſe, ac toties quæ ad ipſas pertinent, diſputare. Heu me miſerum, qui ſolutionem iſtam adhuc neſcierim! tautologiæ ſophiſma Ariſtoteles ipſe docet tam multis in logica locis eſſe fœdiſsimum: & duabus logicæ præſtantiſsimis legibus καθόλου πρῶτον & doctrinæ methodo oppoſitum: id quia veré & catholicé doceretur, credidi: & ab his tautologiæ ſordibus liberales artes vindicare contendi. At Alexander contentionem noſtram deridebit. Abhorreat (dicet) tautologia quantumlibet á legibus Ariſtotelis: at non abhorret ab ingenio Ariſtotelis: quin eandem rem millies ad veritatis confirmationem repetat. Sic Ariſtotelis vitia ab hoc interprete excuſantur: excuſantur, inquam? imó veró laudantur & prædicantur. Væh tibi cauſsidice, qui tam infamem cauſſam, tam vel impudẽter, vel inſciẽter defendis: & in philoſophia interpretanda tam inſolenter philoſophiæ leges contemnis. Quid veró eſt ἀρχαιλογίζειν καὶ ἀναξυγορίζειν, niſi hoc eſt? Equidem duos in omni vita libros tautologiarũ odioſiſsimis cumulis ita refertos legere me commemini, Alcoranum Mahomedis, & hãc Ariſtotelis metaphyſicam: mors enim eſt acerba in illo pſeudopropheta, rem eandem ſcriptam & reſcriptã legere: & mors in iſto pſeudotheologo perlegendo ſi par & eadem judicandi libertas ad lectionem adferatur, acerbior erit. Verúm pergamus. Capita ſaltem tautologiarum breviter indicemus, nec eadem ſophiſmata in eodẽ opere denuó refellamus. Quæſtiones metaphyſico tertio propoſitas hactenus Ariſtoteles perſequutus eſt, eo modo, quo didicimus: quæſtiones eaſdem nonnullas repetit: quamobrem, inquam? Quia (ait Alexander) vel omnino non fuere ſolutæ, vel non ſatis explicatæ. Hanc igitur Alexandri reſponſionem videamus, utrúm vera, utrúm tãti ſophiſmatis excuſationi idonea. Enimveró tertio metaphyſico ꝓblemata proeſus eadem proponuntur: Primó, utrúm ſapientia ſit una de cauſsis, axiomatis mathematicis, eſſentiis eſſentiarũq́; generibus & accidẽtibus: quæ ſunt quinq; addubitationes primæ: utrúm eadem ſcientia ſit elementorum, an generum, & eorum quidem primorum, an ultimorum: quæ fuerunt octava & nona: Deinde utrúm ſola ſingularia ſint, an idem principium æternorũ & caducorum: an ens & unum principia ſint: an nihil præter ſimul totum: an principia eadem ſpecie & numero: quæ fuerunt addubitationes 15.13.14.11, 12. Ergo nonnullæ ſunt addubitationes, iſtæ videlicet, quas Alexander de plurimis paucas repeti credidit: Et cæteræ ſex tamẽ, quæ nominatim non iterantur, reipſa tantúm ſunt comprehenſæ: Fallit hic igitur & fallitur Alexander: & quidem ut tautologia ignavior appareat, addubitationum εἰς ἑκάτερον argumenta feré etiam repetuntur. Sed addubitationes illæ, licet eodẽ modo repetitæ & diſceptatæ fuerint, attamẽ (inquiet Alexander) non ſatis antea ſolutæ & explicatæ fuerant: poſtea ſolventur & explicabuntur accuratiús: imó veró ſolutio & explicatio prorſus eadem, vel etiã alicubi deterior erit: tertio ſiquidem capite iteratur é quarto metaphyſico metaphyſica capitis primi & ſecundi, quód philoſophia ſit entis, quatenus eſt ens, primæq́; differentiæ ſimiliũ, diſsimilium, contrariorũ, & reliquorũ philoſophiæ ſimiliter ſubjiciũtur enti & uni, quia ens & unũ reciprocantur: utq́; mathematica abſtractis, pondere, levitate, duritie, molline, frigore, calore, & cætera ſenſibilibus qualitatibus, per ſe conſiderãtur, ſic ens á philoſopho, quatenus eſt ens. Sed comparatio philoſophi, dialectici,

ctici, ſophiſtæ hic facta eſt deterior, quia dialectica & ſophiſtica dicũtur conſiderare tantũ accidentia entiũ, non tamẽ ut entia ſunt, ſed (ut Alexander ait) utrúm ſubjecto accidãt, an non, inquirũt. At ô beatiſsime interpres, tibique facillime, quomodo tibi ſolutione iſta ſatisfacis? Doctor tuus dixerat quarto metaphyſico, philoſopho & dialectico ens cõmuniter ſubjectum eſſe: philoſopho etiã & dialectico eandẽ facultatem eſſe, ſed modum facultatis diverſum. Nũc ait quidẽ verſari circa accidentia entis, ſed negat circa ipſum ens, quatenus eſt ens, verſari: id eſt, ut interpretaris, cõſiderat dialectica, utrúm accidẽtia illa ſimilium, contrariorum & reliquorũ accidũt enti. Ecquid igitur, ô noſter, aliud philoſophus cõſiderat? O fœcundũ ſolvendis omnibus elenchis ingeniũ! Sed reliquas ſolutiones cõſideremus. Quarto capite iteratur tertium caput quarti metaphyſici de mathematicis axiomatis, quód eorum cõſideratio ſit philoſophi. Sed additur, phyſicam & mathematicam, partes eſſe metaphyſicæ ſapientiæ: quod Alexãder approbat, quia phyſica & mathematica demonſtrationibus utuntur. Age veró: quidnam huic interpreti tãdem difficile poſsit eſſe? Dixerit Ariſtoteles aquam ignẽ eſſe, nivem atrã eſſe: probabit Alexander, & cujuslibet, & quãlibet abſurdæ falſitatis rationẽ reperiet. At vir divine, tua metaphyſica eſt entis, quatenus eſt ens: non eſt ſpecialis entis, ut phyſici, ut mathematici, quod etiam doctor Ariſtoteles antea docuit 1. cap. 4. metaphyſ. & poſtea 7. cap. 10. hujus docebit. quomodo igitur tãdem erit entis phyſici, & entis mathematici? quomodo phyſica & mathematica partes erũt metaphyſicæ? Equidẽ viri boni & intelligentis vix eſſe arbitror, in tanta nugatũ indignitate animo nõ cõmoveri. Verúm perge reliquas tautologias indicare. Quarto capite repetitur quarti metaphyſici tertiũ caput: Sed illud intereà addit amplius, phyſicam & mathematicam partes eſſe metaphyſicæ: quod antea tamẽ nominatim quarto illo metaphyſico negatũ eſt ab Ariſtotele, & poſtea negatur ſeptimo metaphyſici hujus capite. Interroga de hac antiphaſi Alexandros: quid reſpondebunt? Heracliti perſonam induent, & utramq; contradictionis partem veram facient. Quinto capite tautologia valdè grandis eſt quinque reliquorum quarti metaphyſici capitum, de contradictionis axiomate. Sed hæc omnia nobis animadverſa ſunt: Ariſtotelis tautologias non imitemur. Septimo & octavo capitibus tautologia eſt totius ſexti metaphyſici: ſeptimo enim repetitur caput primum ſexti de tribus ſcientiis contemplativis, phyſica, mathematica, theologia: & hic, ut antea, θεολογικὴ appellatur metaphyſica. Octavo repetuntur ſexti metaphyſici capita ſecundũ & tertium, de ente ſecundum accidẽs, & ſecundum verum: item caput trigeſimum quinti de accidente, tum ſecundi phyſici, de fortuna & caſu, 4. 5. 6. 8. capita. Qua poſtrema è ſecundo phyſico tautologia offenſus eſt Alexander, quamvis valdè ſimplex, quamvis ariſtoteleorũ ſophiſmatum quorũlibet ordinarius ſervus: Offenſus, inquã, eſt iſta tam inquinata tautologia: calamum abjecit, fidemq; perpetuæ ſervitutis eſuravit. Cæterum (ait) ſit módus hujus libri enarrationi: Nam quæ ab illo loco (fortuna autẽ eſt, cúm quippiam horum fuerit per accidens ortum) ad finem uſque libri pertinent, eadem ſunt & illis ſimillima, quæ in opere de phyſico auditu traduntur. horum igitur interpretatio ab iis commẽtariis petatur, quibus illa ſunt enarrata. Hæc interpretis noſtri eſuratio eſt. Ariſtoteles (ait) ſcripſit eadẽ & ſimillima ſecundo phyſico, & nos interpretati ſumus: Ariſtoteles ſuam phyſicam undecimo metaphyſico repetit: ego phyſicam interpretationem undecimo metaphyſico non repetam. Heus igitur noſter, laudo, perdoluit, vir es: Atque utinam pari animo in cæteras Ariſtotelis tautologias fuiſſes! An oblitus eras tota octo ſuperiora capita non longinquo loco è phyſicis, ut ſequentia ſunt, ſed proximo è metaphyſicis eſſe repetita? an memória tibi nõ defuit, cúm pares vel ampliores tautologias videres, ſed virilis & liber animus defuit, ut ſaltem tacẽdó, & non approbando indicares & improbares? Agedum, quænã poſtrema iſta de phyſicis tã putida tautológia eſt, cujus Alexandrum puduerit? Nono capite ſunt tertii phyſici tria prima capita, de motus definitióne illa nihil definiente, de motus quatuor falſis generibus: de mo-

tus actione in movente, paſsione in mobili. Decimo capite ſunt quinq; reliqua tertii phyſici capita de infinito. Undecimo & duodecimo eſt tota illa ſophiſtica quinti phyſici de motu per accidẽs, per partem, per ſe, deque cæteris partitionibus illis nugatoriis, de oppoſitione, deque toto illo quinti phyſici tam grandi ſophiſmate: Quamobrẽ quis animi generoſi lector libri hujus è perpetuis tautologiis tam inſulſe, tamq; ſtupidè conſarcinati non moveatur? non indignetur indigniſsimis rebus digniſsima nõ philoſophiæ tantùm, ſed ſophiæ, imò theologiæ nomina imponi? Equidẽ hominum quamlibet ſummorum authoritati in artium judicio quid tribuendũ ſit, ſi nunquam antea expertus eſſem, neque didiciſſem, metaphyſica Ariſtotelis experimentum nobis & documentum longè ampliſsimum ſuppeditaret.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM *liber duodecimus, in duodecimum Metaphyſicum.*

IN CAP. I. II. III. IIII. V.

Sed tamen decimus & undecimus liber inſulſiſsimã tautologiarum ſophiſticã pro divina ſapiẽtia emptori ſimplici & idiotæ vendiderint, nunquamne homo iſte ταυτολογώτατος ταυτολογεῖν deſinet? imò verò labor idem dolorq; quinque primis duodecimi metaphyſici capitibus tautologias tautologiis accumulando continuat: Alexander tamen ad ſeſe & ad mores rediit, neque ταυτολογεῖν Ariſtotelem, ἢ ἀδολεσχεῖν cogitavit, ſed ταυτολογίαν καὶ ἀδολεσχίαν tolerabiliorem putavit. Quapropter celeriter iſta ſophiſmata percurrantur. Caput primum tautologias habet è ſeptimo præcipuè metaphyſico, quòd eſſentia ſit ens primum: imò quòd antea dictum nõ erat, ſolum. Quantitates enim, & qualitates, & cætera, dicuntur non eſſe entia, niſi ut non album, non rectum. At heus philoſophe, dormis hoc loco, neque es philoſophus. docuiſti anteà, ens ad eſſentiam, quantitatem, qualitatem, & cætera, non eſſe ſynonymum, nõ eſſe homonymum, ſed velut à principio & ad principium: nunc ais planè ſolam eſſentiam ens eſſe: reliqua, tanquam negationes entis: Utrùm verò mathematica de quantitatibus, utrùm phyſica de qualitatibus, ſcientiæ tibi erunt non entium? Hypotheſis verò iſta valdè eſt dura & acerba: neq; admodum poſsit, niſi ab Heraclito ſuſtineri. Cætera in hoc capite, de generibus & ideis, de eſsẽtia mobili, partim æterna, partim caduca, ut in cælo ſubjectis rebus, tum immobili & ſeparabili, ut mathemata ſunt, atq; ideæ, quid niſi crambe repetita, audienti motem afferat? Caput ſecũdum multò ineptius ταυτολογεῖ, è primo phyſico principia tria eſſe, contraria duo, & materiam ſubjectam: è tertio phyſico, motus genera eſſe quatuor: motum eſſe à potentia in actum: Illud verò novi additum eſt, ut materiæ differentia in entibus oſtenderetur. νοῦς εἷς, mens una eſt opifex rerum: ergo ſi materia eſſet una, univerſa eſſent unum. At, inquam, ex lapide uno poſsit Pauſo fingere Apollinem & Mercurium: neque ſi materia una ſit, ut artifex unus, ideò ſit opus idem eſſe unum: valdeque mirum eſt, Ariſtotelem ariſtoteleæ doctrinæ tam immemorem fuiſſe: Etenim quoties vel in his metaphyſicis prædicavit, præcipuam rei differentiam à forma eſſe? Tum verò mens Anaxagoræ jam rerum opifex efficitur, quæ 4. ca. 1. phyſ. & hoc in ſecundo capite adverſus Anaxagoram diſſerẽti Ariſtoteli abſurda videbatur. Tertii capitis tautologiæ cõſimiles ſunt, quòd materia & forma non gignantur. de forma fuit illud 3. cap. 6. & 8. cap. 7. metaphyſici, ubi monuimus illud Ariſtotele jam teſte atque authore, formas rerũ divinitus ex nihilo fieri: materia Ariſtoteli ingenita modò dicitur, non quia putet eam ex nihilo fieri, ſed quia æterna ſit, neque ex alia materia antiquiore fieri poſsit. At, inquam, philoſophe divine, exiſtimas rerum phyſicarum formam ex nihilo divinitus fieri. Ecquid tibi mirabilius eſt, ab eodem opifice materiam ex nihilo fieri, à quo formam ex nihilo factã profitearer? tautologia proxima eſt è 7. & 9. cap. 7. metaphyſ. Illic dictum eſt, omnia fieri ex homogeneis & homonymis: nunc dicitur fieri è ſynonymis: Ita tautologia triplex nominibus differentibus

bus idem ſignificavit. Tertia tautologia eſt è ſecundo phyſico, item è 9. cap. 7. metaphyſ. quód omnia fiant materia, arte, caſu: ſed hîc præterea additur, caſum eſſe privationem artis vel naturæ: id eſt peccatum, ut Alexander interpretatur. Unde deprehêditur Ariſtotelis error in ſecundo phyſico confirmantis, in rebus phyſicis nullum eſſe caſum. Quarti capitis tautologia infinité jam ταυτολογεῖ, principia ſecundúm analogiam eſſe entium communia: ſed generum generalia, ſpecierum ſpecialia: item, illud, tria eſſe elementa, materiam, privationem, formam: cauſſas quatuor, materiam, privationem, formam, efficientem: neq; hic tautologia tantúm eſt: ſed inſania aut deliratio ejuſmodi, ut nihil infantius, nihil inanius cogitari poſsit. Sed tamê hic etiam repetitur è ſecundo phyſico, & antea in metaphyſico hoc opere dictum, formam & efficientem plerumque eandem eſſe: quem errorem phyſico ſecundo refutavi. Pergamus igitur: Quinti capitis tautologia prima eſt, eſſentias eſſe cauſſas rerũ. quod tam falſum eſt, quám pauló antè falſum fuit, eſſentias ſolas, entia eſſe: reliqua, negationes entium. ut non album, non rectum. Secunda de actu & potentia infinité repetita, quód materia ſit potentia: forma & compoſitum, actu: privatio autem hîc tenebris comparatur, pauló ſecús quám primo phyſico. Tertia, quód efficiens rerum cauſſa ſit Sol & obliquus orbis. quod è phyſicis eſt iteratum. Quarta etiã è primo capite eſt, principia ſecundúm analogiam eſſe eadem univerſalia univerſorum, ſingularia ſingulorum. Ita quinque capita de principiis tautologiarum tam fatuarum divinæ Ariſtoteli ſapientiæ famam apud Alexandros, Ammonios, Porphyrios pepererunt.

IN CAP. VI.

EQuidem Virgiliani illius Aeneæ labores atque errores laboribus Ariſtotelis & erroribus vix comparandos eſſe exiſtimo:

Septem errant annos, volitantque hæc littora circum,

ait poëta. At philoſophus noſter totis undecim libris adhuc erravit: de propoſita initio theologia nihil expoſuit. Ecquid Alexander (inquies) ad illam tam longãm ſuſtentationis rhetoricam, quã tãdem excuſationem molitur? Nullam excuſationem cogitat (inquam) qui culpam nullam arbitretur: cùm de theologia, paucula neſcio quæ dicturus ſis, undecim totos alienarum rerũ libros prætexere. Quin hoc loco perſpicuè de Ariſtotele ait: Jam hinc ad diſputationem aggreditur de prima cauſſa primaq; eſſentia. & pauló póſt, De primo principio (ut diximus) hinc incipit diſputare. Quid igitur his interpretibus faciam?, qui ſine lege, ſine judicio, ſine logico ſale ullo Ariſtotelem nobis interpretantur? Veruntamen legem καθ' αὑτὸ huc appellemus, quæ jubet in arithmetica nihil eſſe niſi arithmeticum: in geometria nihil eſſe niſi geometricum: in theologia nihil eſſe niſi theologicum? ἀκριβολογίαν ſecundo metaphyſico metaphyſicæ diſcipulis præſcriptam huc advocemus. quid undecim, ac pené jam duodecim libri de logica aut phyſica inſaniſſimé aggregati, vel illi juſtitiæ legi, vel huic acribologiæ ſeveritati reſpondebunt? Veruntamen ſacram illam theologiam, & tam longinquis receſsibus abditam adeamus. Erit fortaſſe divinitatis alicujus inſperatæ fructus ſingularis: neque nos tot errorum pœnitebit: Imó veró theologia pauculis exceptis eadê illa erit, quæ fuit in phyſicis, quam que illic etiam Ariſtoteles 1. cap. 8. phyſ. profitebatur ad hanc primam philoſophiam pertinere. Comparavi antea aniles tautologias Mahumedicæ theologiæ, cum futilibus tautologiis ariſtoteleæ theologiæ: Hîc veró ſi res conferas cum rebus, Arabes quidem pro Platone aliquo ſtatueris, philoſophum autê hunc noſtrum neſcio cui compares. Veruntamê tautologias adhuc tot librorũ audivimus: quid obſtabit, quó minús & iſtã audiamus? Agedũ, auſcultemus. Cúm tres eſſentiæ ſint, ait Ariſtoteles, duæ phyſicæ, tertia immobilis: de hac differendũ eſt; quód eſſentia quędã ęterna ſit, & immobilis. Atqui, inquã, & tres illæ eſſentiæ, & tertia æterna, & immobilis dicta eſt in phyſicis & in metaphyſicis antê repetita: Nec Ariſtoteles adhuc ταυτολογῶν deſinit. Theſia quidê hæc vera eſt, Eſſe Deum nempe æternum, & immutabilem: argumenta autem æternitatis, ab Ariſtotele ſophiſmata eadê ſunt,

quæ octavo phyſico fuerunt. Etenim ſic argumentatur hoc loco: Si eſſentia omnis ſit caduca, omnia perinde caduca erunt, cúm eſſentia ſit ens primum, & reliquis entibus ſubjectum: ſecũdum autem falſum: quia motus æternus eſt, & tempus æternum eſt: Non omnis igitur eſſentia eſt caduca, ſed aliqua eſt ęterna. De motus æternitate nihil hic amplius philoſophus argutatur, contentus eſt ſophiſmate octavi phyſici: ad temporis æternitatẽ ꝓfertur ipſius affectió, prius & poſterius: tanquam ſi quis dicat tempus cœpiſſe, & deſiturum eſſe, confiteatur ante tempus, fuiſſe prius aliquid: & poſt tempus, futurũ aliquid poſterius: tanquam ante & poſt tempus dicatur tempus aliquod & fuiſſe & futurum eſſe. At, inquam, iſti captioni ſimiliter occurratur, atque occurſum eſt conſimilibus octavo phyſico. Tempus enim, ipſa duratio rerũ eſt, cujus univerſitas, æternitas appellatur: non eſt autem numerus motus cæleſtis, ut falſó putavit Ariſtoteles: Itaq; ante mundum conditum, & poſt mundum deſtructum, verum illud & logicũ æternitatis tempus & fuit, & erit: neq; quidquam contra ariſtotelei ſophiſmatis calumnia valebit. Quaꝓpter theſis Ariſtotelis vera eſt: ſed duo illa ad cõfirmationem aſſumptionis argumenta, de motus ac temporis æternitate, ſunt falſa. Perge veró, theológia adhuc nulla nova eſt: phyſica eſt é 1. & 2. cap. 8. phyſici. Propoſuit Ariſtoteles eſſentiam aliquam æternam & immobilem eſſe, de æternitate diſſeruit: quid ait de immobilitate? nihil hoc capite: pauló póſt ſeptimo capite nonnihil erit. Pergamus. Eſt aliqua eſſentia æterna. credo: Eſt etiam immobilis phyſico motu, id eſt conſtans & immutabilis. credo id quoq;. Quid deinde ſequitur in Ariſtotelis theologia? Motus (ait metaphyſicus) eſt continuus, & tempus eſt continuum: quia tempus eſt motus vel affectio quędã motus: & motus continuus non quilibet, ſed latio: neque latio omnis, ſed converſio. Tautologia, inquam, etiam hic eſt: Sophiſtica enim illa fuit 7. 8. 9. cap. 8. phyſ. de lationis & converſionis continuitate: & tempus, eſſe motus affectionem, repetitur é fallaci definitione temporis quarto phyſico: unde metaphyſicus noſter ſibi falsó perſuaſit, tempus eſſe numerum motus cæleſtis, cúm menſuram temporis pro tempore ipſo uſurparet. Quare theologia nova hic adhuc nulla eſt: Quid tum poſtea? Eſt aliqua eſſẽtia æterna & immobilis: duæ qualitates illæ primæ ſunt: tertia eſt, quód eſſentia iſta ſit actus purus & expers potentiæ. Secús, ſi motivum nihil actu movens aliquando eſſet, motus non eſſet: qui tamen æternus poſitus eſt. Eadem Ariſtotelis ſophiſtica eſt, ad docendum, Deum expertem omnis eſſe potentiæ, quæ fuit ad docendũ Dei æternitatem. ſed hic non ſolum argumẽtum falſum eſt, ſed etiam theſis ipſa prorſus impia. Etenim qualenam eſt opinionis hujus prodigium? Deũ actu agere movereq;, quod agere ac movere poſſit: nihil pręterea poſſe vel agere vel movere? Theologia fuit 7. cap. 9. metaphyſici eadem, quód æterna tantúm eſſent actu, non potentia: quia non poſſint nõ eſſe. At illa potentia erat paſſiva: & veré dicitur, immortale & ſempiternum corrumpi non poſſe: & ſecũda illa qualitas fuit, quód eſſentia æterna, eſſet immobilis. Potẽtia igitur ea, quæ paſſionis eſt, æternis non convenit. niſi forté qualitate aliqua externa, aut loco, ut Luna ſemiplena, poteſt effici plena: ut Sol in Geminis, ad Taurũ moveri poteſt. At hic Ariſtoteles longé ſecús philoſophatur, de potentia nempe activa: & ſic δύναμιν ὀρεγῶν nominatim hic ab eodẽ dicitur. Ecquid, inquam, iſtud prodigii monſtrique eſt? Id enim ſatis admirari nequeo: & accuraté conſideranti, furioſum mentis inſanæ deliramentum videri neceſſe ſit. Sed tamen ipſa philoſophi veſtigia perſequamur: Eſſentia æterna & immobilis, eſt actus purus, potentiæ omnis expers: ſecús, motus non eſſet æternus: deinde additur á philoſopho perobſcuré, quód nihil profuerit huc ideas afferre, licet immobiles fingantur: quia actus non ſint, quia nihil moveant: quemadmodum Democriticis videbatur, qui ideis immobilitatem, & omnis muneris vacationem tribuẽtes, defluvia quædam ab ipſis delabentia in hanc materiam defluere ajebant: & ad hunc modũ ſingula quæq; generari. Sic Alexander locum Ariſtotelis de ideis interpretatur. Veruntamen, inquam, valeant Xenocraticæ ideæ, & ariſtotelea de ideis infini-

infinitè tam cumulata in metaphyſicis tautologia: nihil enim ad theologiam: Quid deinde ſequitur? Si qua eſſentia agat (inquit metaphyſicus) potentia autem ſit, nihil etiam erit: quia motus ceſſaret, & accideret tali potentia præditum non eſſe. At, inquam, divine theologe, de potentia activa cœperas agere, nunc de paſſiva loqueris: verbiq; ambiguitate diſcipulos tuos decipis: Eſſentia æterna non habet eam potentiam, ut poſſit non eſſe. Ecquid hic philoſophariſ? aut quid potius nugaris, cùm æternitas jam primo loco tibi cõſtituta ſit? Pergamus veró: Cõcludit metaphyſicus eſſentiam illam æternã, immobilem eſſe ἐνέργειαν, id eſt formam: & quartam qualitatẽ adjungit, quód ſine materia ſint tales eſſentiæ. Sic enim plurali numero loquitur: & Alexander jam non primam & inerrantis ſphæræ motricem animã, ſed animas planetarum motrices intelligit, primæ illi animæ ſubjectas. Quarta veró hæc qualitas, quód illæ æternæ eſſentiæ ſint expertes materiæ, ſimpliciter & nudé ſumitur, non approbatur. Perge: Ariſtoteles revertitur ad tertiam illam qualitatem, quód æterna eſſentia ſit expers potentiæ: & prolepſin cõtrariam ſtatuit: Diceret enim aliquis potentiã eſſe priorẽ actu. Quicquid enim agit, poteſt agere: at non quicquid poteſt agere, etiam agit: Potentia itaque prior actu. Hæc eſt prolepſis: Solutio ſequitur, tanquam negatio antecedẽtis: quia ſi quicquid agit, potentiam haberet, poſſet etiam nõ agere: tum deniq; fieri poſſet, ut nulla eſſent entia. Hæc Ariſtotelis eſt ſolutio: unde concludit tum errare theologos, ut Heſiodum, qui é nocte: & phyſicos, ut Anaxagoram, qui é rebus initio cõfuſis omnia generant: tanquam potentia fuiſſet ante actum. Heus, inquam, philoſophe, dormis, & philoſophus non es: Heſiodus enim & Anaxagoras tuo ipſius teſtimonio, actum quẽdam motu priorem, ille amorem, hic mentem ſtatuerunt 4. cap. 1. metaphyſ. & de Anaxagora duodecimo poſtea verſu id ipſum affirmabis. Veruntamen perge: Ariſtoteles Heraclitum aliquem reperiat, qui hanc antiphaſin, diſtinctionis alicujus ſophiſmate tueatur. Ariſtoteles deinde Leucippum laudat perpetui actus authorẽ: deinde cuũ Platonem, qui perpetuum motum faciat: ſed inſcienter & temeré, nihil definiendo. Nec animam tamen mundi principium talis motus eſſe poſſe: quam poſteriorem ipſo motu, & cum cælo genitam faciat. At iſta contra Platonem calumnia, nimis aperta eſt: Plato enim in Timæo animam mundi antiquiorem ortu & virtute nominatim profitetur. Verũtamẽ qualis deinceps theologia erit? Concludit theologus noſter ſolutionẽ prolepſeos pauló ſecús, quàm antea, potentiam nempe actu priorem eſſe modo quodam, quodam autem nõ eſſe: dictum autem eſt quomodo. Hæc ſolutio eſt Ariſtotelis, ſed valdè involuta: Alexander interpretatur in uno & eodẽ caduco potentiam priorem eſſe actu: ut Socrates anté muſicus eſſe poteſt, quàm ſit muſicus: in toto tamen hominum genere, actus eſt prior. Locum autem Ariſtotelis, ubi de iis actum ſit, ait eſſe in libris de anima: nono tamen metaphyſico id videtur indicatum eſſe. Sed Ariſtoteles theſin perſequitur, docetq; teſtimonio Anaxagoræ, Empedoclis, Leucippi, actum potentia priorem eſſe: quia Anaxagoras mentem, Empedocles concordiam & diſcordiam creandis rebus adhibuerunt: Leucippus perpetuum motum cenſuit eſſe. Ergo, inquã, metaphyſice, cur pauló anté Anaxagoram reprehendebas, quód potentiam feciſſet actu priorem? hæccine eſt ἀκριβολογία: Imó in eodem loco memoria metaphyſici noſtri? Et tamen ex teſtibus in eadem quæſtione modo improbatis, modo probatis concluditur, infinito tempore, neque chaos, neq; noctem, id eſt materiam anteceſsiſſe: ſed eadem, id eſt mũdum ſemper fuiſſe, aut periodo, aut alio modo: Hinc metaphyſici noſtri digreſsio eſt in aſtrologiã obſcuriſsima, de cauſsis finalibus cæleſtium motuum: Si mundi ſtatus ſemper eſſet idem, cauſſa efficiens perpetuó ſimiliter haberet: At quia modó ortus, modó interitus rerum eſt, alia & aliter efficiens erit: Primus orbis uno modo ſupra infraque terram movebitur: Solis autem curſus, modó in Aquilones, modó in Auſtros, gignendis corrumpendiſq; rebus obliquatur. Atqui, inquam, é libris de cælo, de generatione & corruptione, de meteoris, etiam tautologia illa eſt: & tamen theologiæ noſtræ aliena: ut nihil adhuc, niſi tautologias,

tologias,

tologias, easq́ alienas in metaphyſicis agnoſcamus: Ideæ interim etiam vellicantur, quòd eorum motuum authores eſſe nequeant.

IN CAP. VII.

Sed tamen theologia noſtra, quãdo ab aſtrologia diſcedet? Nondum, inquam. Motus cæleſtes ſunt æterni: primum igitur cælum eſt æternum, & eſſentia eadem eſt. Ecquid, inquam, primum potiùs, quàm ſecundum? Perge: Aliquid movetur, & movet, ut ſtellifer orbis: aliquid movetur tãtum, ut orbes planetarum: aliquid igitur movet tantùm, ut eſſentia prima. Hanc ex aſtrologia ſemitheologiam in Ariſtotelis litera Alexander divinavit: Verba enim Ariſtotelis id nequaquam ſignificant. Sed tamen primum movens iſtud immobile, quid attinet & in phyſica acroaſi, & metaphyſica toties iterari? Ariſtoteles veró, quòd primum movens ſit immobile, propoſuerat ſexto capite, ſeptimo tandem differit: ſed exẽplis tantùm, quibus intelligamus fieri poſſe, ut aliquid moveat, quamvis ipſum nihil moveatur: Sic enim ſenſibile ſenſum, appetibile appetitum, βουλητὸν (tanquam diceres volibile) voluntatem, intelligibile intellectum, amabile deniq́ amantem. Hinc philoſophus concludit eſſentiam illam æternam movere tantùm. At, inquam, his ſimilibus poteſtas tantùm rei, non veritas concluditur: & tamen ſi ſic moveret, non ideo moveret in orbem: illorum enim motuum in ſenſu, appetitu, voluntate, intellectu, nulla converſio eſt: Phyſica igitur iſta comparatio ad theologiã trãslata, in ſpeciem magnifica eſt: reipſa & inanis & aliena. & tamen tautologia eſt é 5. cap. 8. phyſ. ubi prægrandis illa ſophiſtica fuit, quòd primũ movens, neq́ à ſeipſo, neque ab alio moveatur. Quapropter tautologia hic eſt: tautologia tamen aliena: Cætera tamẽ audiamus. Primum movens movet neceſſarió: neceſſitate tamen non violenta, ſed æterna & immutabili. Falſum, inquam, de motu mũdi, quẽ hic cogitas. Nihil enim mundum hunc aliquando movit, neq́ movebit aliquando: ut enim cœpit, ita deſinet. Primum movens, ævo ſempiterno vitam jucundiſsimam & optimam degit: quod humanæ beatitudinis exẽplo metaphyſicus explicat. Hominum vita (ait) ubi ſenſus, vigilia, ſpes, memoria, ſed præcipuè intelligẽtia incolumes ſint & valentes, jucundiſsima & optima judicatur. At id perexigui temporis in homine eſt, quod perpetuũ ſit in Deo: qui κατὰ μετάληψιν, ſecundũ aſſumptionem, ſibi ipſi ſit intelligibilis, & à ſe ipſo intelligatur. Hic ζῷον καὶ θεὸν, ὁ νοῦς appellatur: concluditurq́, ſi vita illa tam mirabilis ſit in homine, multó mirabiliorẽ in Deo fore: Deum denique eſſe animal æternũ, optimum, vitamque & ævum continuũ ſempiternumq́ Deo convenire: qui locus valdé traducit categoriam Porphyrii de eſſentia corporea & incorporea: corporea animata inanima: animata animali, planta: tanquam omne animal Ariſtoteli corporeum ſit: cui tamẽ Deus hic animal eſt. Quid tum poſtea? Pythagoreorum & Speuſippi error arguitur negantium optimum & pulcherrimum principio convenire, ut ſemini in viventibus: cùm res é principio profecta longé melior eſſet & pulchrior. Quid igitur hi philoſophi peccarunt eadem philoſophati, quæ Ariſtoteles & in phyſica, & in hac etiã metaphyſica profitetur, cùm docet ortu poſteriora eſſe pfectiora præſtantioraque? Non eſt (ait) ſemen principium hominis, ſed homo. At, inquã, tu antea 9 cap. 7. 4 cap. 8. metaphyſ. eadem nominatim docuiſti: & ſophiſtica neſcio qua perpetuó delectaris: ut ſexcentis Heraclitis, & Alexandris tibi ſit opus ad perpetuas cõtradictiones iſtas excuſandum. Pater & mater, ſunt principia hominis efficientia. Concedo: & ſemen eſt etiam principium, ut nos docuiſti: ſed hoc principium proximum appellabas. & certé inſitum eſt: illa ſunt nõ magis in re, quàm architectus in domo. Quis igitur hic ab Ariſtotele reprehẽditur? Ariſtoteles, inquam, qui toties ſibi ipſi adverſatur. Tandẽ cõcluditur, eſſentiam eſſe aliquam æternã, immobilem, ſeparatam à ſenſibilibus: & (quod tautologia ſuperioribus ſimili repetitur é 10. cap. 8. phyſi.) ſine magnitudine, parte, diviſione, paſsione, alteratione. Quapropter definitio Dei é genere, é differẽtiis, tã multis recolligatur: θεὸν εἶναι ζῷον ἀΐδιον, καὶ ἐνέργειαν ἄνευ δυνάμεως καὶ ὕλης, ἀμεγέθη, ἀμερῆ, ἀδιαίρετον, ἀπαθῆ, ἀναλλοίωτον, καὶ αὐτὴν νοητὴν, πρῶτον κινοῦν, ἀκίνητον, διαμονὴν

ζωῆς ἀρίστης καὶ ἡδίστης. De⁹ eſt eſsẽtia æterna, forma expers potentiæ, materię, magnitudinis, partis, diviſionis, paſsionis, alterationis, ꝑ ſe intelligibilis, primùm movens, immobilis, vitæ optimæ & jucundiſsimæ. Hæc theologia eſt vel tautologia potiùs de phyſicis iterata.

IN CAP. VIII.

VEruntamen Deus adhuc ita nobis definitus eſt: quæſitum eſt autem 6. cap. 8. phyſ. utrum unicus Deus eſſet, an multi: diſputatumq́ eſt, unum ſatis futurũ: qui cùm ſit æternus, & immobilis, proximum ſit principium motus, proximumq́ deinceps reliquis. Hæc phyſica in theologiam modò revocatur, aut theologia in phyſica permiſcetur: ſophiſtica deniq; tautologia eſt, ſed iſto capite mirabiliter explicata: Aſtrologia (inquit metaphyſicus) eſt οἰκειοτάτη τῆς φιλοσοφίας τῶν μαθηματικῶν ἐπιστημῶν, è mathematicis ſcientiis germaniſsima philoſophiæ: quia arithmetica & geometria de nulla eſſentia ſunt: aſtrologia de eſſentia eſt illa quidem ſenſibili, ſed æterna. Hæc Ariſtotelis ratio eſt de ſimilitudine theologiæ & aſtrologiæ: quæ tamẽ diſsimilitudo potiùs eſt. Omnes enim ſcientiæ, ſunt æterni ſubjecti: ſed aſtrologia eſt ſenſibilis, theologia inſenſibilis. Verùm id Alexãder mediterur, & aliam germanitatem reperiat: dicatq́ affinitatẽ hãc in tautologia una eſſe, quòd Ariſtotelis theologia nihil aliud ſit, quàm aſtrologia. Veruntamen tautologia ſit Ariſtoteli jam logica, quoniam ei perpetua eſt: Quid igitur hic ait? Tot (inquit) ſunt dii, quot ſphæræ cæleſtes: quia ſingulæ reguntur à ſingulis: non quòd dii ſint animæ ſeu formæ corporum cæleſtium, ſed tanquam rectores, & aurigæ: Numerus autem ſphærarum petendus ſit ab aſtrologiæ peritis, qui ſingulis planetis, præter globum proprium, ſphæras ἀνελιττούσας, deferentes varias attribuunt: Eudoxus Soli & Lunæ ternas, reliquis quaternas: omninoq́ ſphæras planetarum viginti ſex efficit. Tot deos igitur illos minores Eudoxus ſex & viginti ad Ariſtotelis theologiam feciſſet. Atque hic Platonis diſcipulus fuit primus falſarum hypotheſium in aſtrologia machinator: Calippus deinde ſequutus, ſingulis planetis ſingulares ſphęras adjecit, numerum igitur deorum ad Ariſtotelis theologiam ſeptenario multiplicavit: Sed Ariſtoteles utriq; ſuperſtes, religionis auguſtus amplificator fuit, duabus & viginti ſphęris addins, deos iſtos minorum gentium quinq; & quinquaginta conſecravit. O' theologum, inquam, admirabilem, qui ſophiſmans unius commento, tot deos commentus ſit! Attamen hic locus Alexandro perturbatus videtur, & antea Soſigeni videbatur à librariis depravatus. Bene autẽ recteq; judicantibus, tota hæc è falſis hypotheſibus aſcriptiva deorum multitudo, ſophiſtica prorſus planeq; falſa eſt. Neq; enim ſæculo primùm noſtro, hypotheſium iſta falſitas deprehenſa eſt, ſed jam olim à Proclo convicta. Ratiocinetur igitur Ariſtoteles, tot eſſe minores deos, quot ſunt planetarum ſphæræ: & aſſerat planetarum ſphæras eſſe modò viginti ſex Eudoxo, modò triginta tres Calippo, modò ſibi ipſi quinquaginta quinq;. Pythagorei primò totas iſtas & Eudoxi, & Calippi, & Ariſtotelis hypotheſes, omniaq́ deinceps ad noſtrã uſq; ætatem ſecuta Pythagoreos ſæcula refutabunt, deosq́ ariſtoteleos irridebunt. nec tamen è falſis hypotheſibus numerabunt deorum numerum. Veruntamẽ theologe noſter, deos iſtos præter planetas ſeptẽ (quos ἀνηγεῖς diſcipulus tuus Theophraſtus appellavit) qua tandem poteſtate, quo numine cõſecrabis? Sed enim Sibyllinus hic quidã theologi noſtri novus etiã furor eſt. Deus antea definitus eſt eſſentia inſenſibilis. Hic minores illi planetarum Dei, eſſentiæ ſenſibiles appellantur: quin tota religio ſacerdoti ipſi deorum inventori valdè dubia eſt, ad eosq́ certius judiciũ remittit, qui majorem aſtrologiæ peritiam nacti ſint. O' philoſophũ philoſophiæ ſuæ vel negligẽtem, vel immemorem! Etenim ubi ſunt illa primi libri magnifica encomia, quòd hæc ſacra theologia eſſet ἀκριβεστάτη accuratiſsima, ideoque non communis hominum, ſed deorum propria? At quis unquam in ulla doctrinæ parte doctorem tam hæſitantem, tam dubium, tam vacillantẽ ullum cognovit? Veruntamen perge: unus deus placuit Ariſtoteli in phyſico auditu: jam placent quinquaginta quinque minores, præter illum maximum regem principemq́ cæ-

terorum:

terorum: unum tamen cælum placet: ſecus ſi multi eſſent, ipſorum principia erunt numero plura: ideoq; materia differentia. Ecquid, inquã, argumento iſto, quinquaginta quinq; deos, ut antea ſenſibiles, ita poſtea materia differentes efficies? Ecquis Heraclitus tot antiphaſes ſimul eſſe veras tueatur? Agedum, ſacræ & cæleſtis theologiæ de numero deorũ clauſulam attendamus: Artium omniũ, ſicuti rerum naturaliũ, certi ſunt ortus interitusq;: ut modó exiſtant, modó occultẽtur. Veteris theologię reliquiæ ſunt quædam deos eſſe, qui dicti ſunt: cætera omnia, quód dii ſint ἀνθρωποειδεῖς, humana ſpecie, aut alia qualibet animalis forma, fabuloſa ſunt, inventaq; ad perſuaſionem vulgi, ad uſum legum, ad humanæ vitæ utilitatem. Hæc ariſtoteleæ theologiæ, de numero deorum philoſophia eſt. Quod autem attinet ad illos deos ἀνθρωποειδεῖς, pauló tolerabilior eſt pagani hujus philoſophi, quám multorum Chriſtianorũ theologia, qui ſuis in templis inſana quadam impietate talia ἀνθρωποειδῶν numina venerãtur. Fabuloſa veró illa, quæ hic appellat Ariſtoteles, eadem ſunt μυθώδη καὶ καταδαιμονιώδη ad 3. cap. 2. metaphyſ. quæ plerique athei ad omnem religionis contemptum confecerunt, parvi ducẽtes cæteris in rebus alia philoſophi huſus noſtri ſophiſmata, dũ hoc illis integrum ſit.

IN CAP. IX.

Deus definitus eſt capite ſeptimo, diſtributus eſt pro ſua multitudine capite octavo: quid deinde ſequitur? Quæſtiones ſunt de mente divina quinque. Prima, utrúm Deus intelligat: Nam ſi nihil intelligeret, ſimiliſq; ſit Endymioni dormienti, quidnam grave aut egregium divinum ipſum eſſet? Secunda eſt, utrúm intelligat actu, an potentia. Nam ſi potẽtia intelligat, non fuerit utiq; eſſentia illa optima, cúm illud honorabile ſit ex ipſo intelligendi actu. Tertia eſt: Si Deus intelligat, & intelligat actu: utrúm ſeipſum, an etiam aliud? Quarta: Si aliud intelligat, utrúm idem ſemper, an diverſum? Quinta, utrúm intelligat pulchrũ, an quodlibet, ἢ καὶ ἄτοπον τὸ διανοεῖσθαι περὶ ἐνίων: an abſurdum ſit de quibuſdam cogitare? Hæ ſunt igitur quæſtiones quinq;, quarum ſolutio deinde ſequitur. Manifeſtum igitur (ait theologus) quód diviniſsima & præſtantiſsima mens illa intelligat, & actu intelligat, neq; mutetur: quia in deterius omnis ſit mutatio. At, inquam, ratio iſta falſa eſt: Nec enim ortus, vel accretio, vel iis conſimilis alteratio, latioque, eſt in deterius. Verùm pergit theologus: Si potentia intercurreret, intelligentiæ continuatio eſſet ipſi menti laborioſa: Nam ſi eſſentia mentis eſſet ipſa intellectio, ut antea dictum eſt, non magis Deo laborioſum ſit ipſi intelligere, quám homini eſſet hominẽ eſſe. At contrà, ut homini ambulare laborioſum, quia nõ eſt illa hominis eſſentia: ſic Deo grave eſſet moleſtumq; intelligere, niſi intellectio ipſa Dei eſſet eſſẽtia: Sic enim Alexander hunc Ariſtotelis locum ariolando interpretatur. Id enim eſt augurari potiús, quám philoſophari, cúm Ariſtotelis verba id minimé ſignificent. Similis ænigmatis eſt conſequens argumentum, quód divina mente, ſi potentia intellectus eſſet, nõ actu, aliquid præſtantius eſſet, nempe τὸ νοούμενον, quod intelligitur. Hic iterum Alexander inſtar Apollinis, auguratur Ariſtotelem dicere pręſtantiis intelligibile futurũ, à quo intellectus potentia educãtur in actum. At, inquam, falſum id eſt de præſtantia argumentum, neq; color viſu, neque ſonus auditu, neq; omnino ſenſibile præſtantius eſt ſenſu: Quare theologi noſtri theologia talis inepta eſt. Quid tum veró? Deus intelligit, & intelligit actu. ecquidnam intelligit? Solutio hæc deinde ſequitur, communis quæſtionum reliquarum, ſed cum ſuperiore permiſta: Si Deus potentia intelligat (ait metaphyſicus) accidet, optima quæque intelligenti, ut peſsima quoq; intelligat: quod fugiendum eſt. καὶ γὰρ μὴ ὁρᾶν ἔνια κρεῖττον, ἢ ὁρᾶν· Etenim præſtat non videre quædam, quám videre. Seipſum igitur intelligit ipſum optimum, & eſt intelligentia intelligentiæ intelligentia: id eſt (ut ait Alexander) idem eſt intellectum intelligenti, intelligẽsq; intellecto. Verũenim veró conſiſtamus in iſta ſolutione, & theologiam veræ theologiæ valdé contrariam & repugnantem attentiús animadvertamus. Quid enim eſt, quod theologus iſte θεολογεῖ. Deus (ait) non intelligit omnia. ἄτοπον τὸ διανοεῖσθαι περὶ ἐνίων

ὁρᾶν. Abſurdum enim ſit de quibuſdã cogitare. Item, καὶ γὰρ μὴ ὁρᾶν ἔνια κρεῖττον, ἢ ὁρᾶν. Etenim melius eſt quædam nõ cernere, quàm cernere. Hîc verò Alexander ſedulus eſt: ſedulitatis igitur locũ adſcribam: Quemadmodũ (ait) in nobis abſurdum eſt, nec quiſquã rectè vivens de quibuſdam rebus cõſiderare ſuſtineret: ut de cõcubitus modo commodiſsimo: ſic nefas eſſet affirmare diviniſsimam, eandemque optimam ſubſtantiam, quævis abſq; delectu etiam deſpicatiſsima quæque cõtemplari: ut dubium eſſe nõ debeat, ab ipſo non malũ aut vile quidpiam, ſed quod diviniſsimũ eſt, & ſummo honore dignum, intelligi: hujuſmodi autẽ eſt ipſe intellectus. Sic igitur ſe ipſum intelligit, nec à ſe intelligendo ad aliud intelligendum avertitur. Si enim à ſui contemplatione tranſeat, vel quidquam omnino melius intelliget, vel aliquid deterius: melius autem nihil eſt: ſupereſt igitur, ut ad deterius: at hoc motus eſſet, ab eiſq; optima ſeceſsio. quarum rerum argumentum ex iis ſumi poteſt, quæ hominibus uſu veniunt: homines namq; boni, cùm mala contemplãtur, ſeipſis ob hanc intellectionem deteriores efficiuntur: quod pœnitentia conſequens declarat: tunc enim pœnitentia ſubit, cùm malus quiſquam fuerit effectus. Hæc igitur Alexãdri interpretatio eſt, conſentiens planè cum doctoris intelligentia ac mente. Quo loco lubet omnes non dico Chriſtianos, ſed homines tantùm non Epicureos, ſed patres in primis de liberorum inſtitutione ſolicitos appellare: Etenim per Deum immortalem, de cujus natura modò agitur, qualiſnam Deus nobis à philoſopho deſcribitur? Epicurus (ait Tullius de natura deorum) Athenienſibus, ne in eorum offenſionẽ caderet, verbis reliquit deos, re ſuſtulit. Itaq; in illis ſelectis brevibuſq; ſententiis, quas appellat κυρίας δόξας, hæc prima ſententia eſt, Qđ beatum & immortale, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium. Atque hæc Epicuri theologia, quidnam habet à doctoris noſtri theologia diverſum? Metuebat Epicurus, ne Deus rerum humanarum procuratione & cura obrueretur, & ideo aliquid è voluptate imminueret: Ariſtoteles cùm Deo vitam optimã & jucundiſsimam antea attribuiſſet, veritus item eſt, ne contemplatione & intelligentia aut vilium, aut ipſo leviorũ rerum fœdaretur. Deus igitur Ariſtotelis ſupra cælum mundumq; poſitus, nihil eorum intelligit, quę cælo mundoq; toto continentur. Sed pavonis alicujus inſtar, pulchritudinis ſuæ contemplatione delectatur. Ergo verus ille Deus, cui capilli cujuſq; noſtrûm etiam numerati ſunt, cui ſortium eventus antè proviſus eſt, cui omnia denique toto mundo maxima, minima, mediocria, curæ ſunt, Ariſtotelis iſta theologia miſer erit. O monſtrum impietatis atq; portentum! Deus verus te ex animis hominum penitus eradicet. Etenim theologe theologiæ inaniſsime, imò verò inimiciſsime, os erige, ſolemq; intentis oculis aſpice. Stella hæc ſua luce mundum complet univerſum, nec palatia regum, & amœnos hortos tantùm, ſed cloacas (& ſi quid his fœdius eſſe poteſt) radiis ſuis illuſtrat. an propterea fœdatẽ ipſa quidquam aut maculatur? Quantò verò luculentius tu, tu, inquam, de pudẽdis animaliũ partibus acturus philoſopharis? Etenim (ais) Heraclitus cùm fortè ad ignem in caſa quadã furnaria ſedẽs, animadvertiſſet adeuntes ad ſeſe timidè ſubſiſtere, Accedite (inquit) animo fidenti: quoniam ne huic quidẽ loco dii immortales deſunt. Quamobrẽ equidẽ miſeret me Ariſtotelis aureos theologiæ montes initio pollicentis, & tandem tã miſerabilem ἀθεότητα præſtãtis. O theologi Chriſtiani, conſiderate jam quanta Chriſtianis moribus peſtis theologię nomine in ſcholas inducta ſit. Philoſophus iſte pro Deo penẽ neſcio quot ſæcula cultus eſt, & omnino ſic acceptus, ut theologiæ etiam Chriſtianæ fundamẽtum & firmamentum cenſeretur: Id enim criminis contra nos ſecundo & viceſimo ab hinc anno intentati caput fuit, enervata Ariſtotelis authoritate, Chriſtianæ quoque religionis authoritatem enervari. At Mahomedes talem in ſua theologia fundamentum à ſe averſaretur & deteſtaretur. Enimverò Deus Ariſtotelis, non modò hominum generi nihil conſulit, ſed ne cogitat quidem, vel intelligit præter ſe, aliud quidquam. Et certè Ariſtotelis impietate de animorum mortalitate conſequens impietas hæc altera fuit, ut Deus nulla generis huma-

ni cura tangeret. En cauſſas illas in phyſicis deſpecti Dei Meliſſei, cõtempti Dei Anaxagorei, repudiati Dei Platonici, ut Ariſtoteleus iſte Deus omnibus præponeretur, nõ colendus quidem ille, quoniam homines nihili faciat: neq; laborem hunc Ariſtoteles ariſtoteleis impoſuit, ut Deum illum de rebus humanis nihil cogitantẽ colerẽt, aut ab eo quidquam precarentur: nõ colendus, inquã, ſed tantùm ſuſpiciendus & admirãdus. En Epicureæ dicam, an ariſtoteleæ theologiæ κυρίας δόξας. An verò bonus quiſquam me nimis vehementem in ſummũ philoſophũ potiùs, quàm in ſummam philoſophi impietatem non ſatis ſeverum exiſtimabit? Credant igitur Alexandri, Procli, Porphyrii, Ammonii, Simplicii ſuperbos illos titulos huic Ariſtotelis philoſophiæ convenire, jactẽtque ſapientiam iſtam eſſe αἱρετωτάτην, τιμιωτάτην, θειοτάτην. Equidem ſi Fauni Satyriq; beſtiarum dii hac lege ſtatuerentur, credo beſtias iſtam Satyrorum Faunorumq; theologiam execraturas eſſe. Quid enim beſtiis eo Deo eſſet opus, à quo nihil beſtiarũ generi conſuleretur? O, Platonem idiotam! ô ſimplicem Zenonem, qui tam ſolicitè divinam erga hominum genus providentiam, pietatem, beneficientiam prædicaſtis! Hanc theologiã veſtram Ariſtoteles deridet, fabuloſamq; judicat, inventamq; tantùm ad perſuaſionem vulgi, ad uſum legum, ad humanæ ſocietatis cultum: nihilq; veteris ac veræ religionis teneri, niſi Deum unum ſummum in ſola ſuæ divinitatis admiratione occupatum, cæteris de rebus nihil prorſus intelligẽtem, nihil exercitum: fabuloſa & puerilia eſſe reliqua. Veruntamen ſtudio atq; amore verioris ſapientiæ puriorisq; theologiæ lõgiùs progredior. Agedum, reliquam theologi noſtri theologiã attendamus. Deus (ait) ſeipſum intelligit, nec præterea quidquam: eſtque tum intellectũ intelligenti, intelligenſque intellecto unum & idem. Quid tum verò? Philoſophus prolepſin artis, ſenſus, opinionis, cogitationis cõtrariam ſibi objicit, quæ ſunt aliud quàm idipſum, quod ſcitur, ſentitur, exiſtimatur, cogitatur: ſui verò modicum ſunt admodum. Quid igitur, hæc prolepſis quomodo à philoſopho ſolvitur? Non protinus, inquam, ſolvitur, ſed quæritur aliud: cùm Deus ſit idẽ intelligens, & intellectum, utro tandem beatus eſt? eique quæſtioni nihil reſpondetur. Cauſſam igitur cõminiſcatur Alexander, facilẽ videlicet id eſſe. ſed tamẽ quomodo prolepſis diſſolvitur? In nonnullis (ait philoſophus) idem eſt ſcientia & ſcibile: ut in ſcientiis quidem effectivis, eſſentia ſive materia, idem eſt quod ſcientia ipſa: tanquam forma domus abſtracta, ſit idem quod architectura. In contemplativis autem, ratio, res, & intellectio: ut in arithmetica & geometria, ubi formæ ſimplices abſque materia conſiderantur. Itaq; tum intellectum & intellectus, non ſunt res diverſæ. Sed heus philoſophe, non es hìc, ut antea, theologus ἄθεος: ſed certè logicus vehementer ἄλογος. Aliud enim eſt ars & ſciẽtia quælibet, aliud materies arti ipſi propoſita: ſoliuſque Dei ſingulare privilegium eſt, ut ſit idem intelligens, intellectumq;: ſoluſque Deus κατὰ μετάβασιν ſeipſum intelligit. Perge verò, quid reliquum eſt in hoc capite? Quæſtio eſt, inquam, illa reliqua, quòd Deus ſeipſum non per partes tractuq; temporis, ſed totum ſimul eodemque momento intelligat. quod paulò eſt tolerabilius ſuperioribus illis tam barbaris tamque inhumanibus.

IN CAP. X.

Deus eſt definitus ſeptimo capite variis differẽtiis & qualitatibus: exornatus eſt nono impenſiùs, & velut in regali ſupra mũdum ſolio procul ab externarum & mundanarum rerum cura collocatus: ut neq; ſibi, neque alteri quidquam negotii exhiberet: aut ſi quid moveret, moveret utiq; ut amabile amantem, ſenſibile ſenſum, appetibile appetitum, intelligibile intellectũ. Verùm perge: Charitas Dei erga homines fortaſſe pietaſq; major in ſequentibus apparebit. Certè quidẽ ſpecies quędã theologiæ melioris initio decimi capitis oſtentatur, quòd mundi præſtantia ſit ab ente illo primo, & à diſpoſitione partiũ, ut exercitus ab imperatore & ordine: ſed ab imperatore in primis, quia ordo etiam propter eũ eſt: Veruntamen comparatio iſta ſummi Dei cum imperatore ſummo, ut bella ſit verbo & eximia, certè reipſa valdè diſsimilis eſt atq; aliena,

aliena. Etenim imperatoris virtus, labor eſt in negotiis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo. Veni, vidi, vici, ait triumphans ſingularis imperator ille. Cujus quid tam diſsimile, quàm Ariſtotelis ille Deus, omnis laboris, actionis, confectionis non modò fugiẽs, ſed faſtidiens ac deſpiciens: qui neq; rebus adeſt, neque videt quid agatur: tam longè abeſt, ut in prima acie prælietur? Sardanapalis veró Babyloniorum & Perſarum Satrapis comparetur Ariſtotelis Deus: ſimilitudo reſpondebit. Imperatori in omnes imperii partes attento, & vigilanti, pacis tempore jus reddenti civibus, nõ pro tribunali tãtùm, ſed in via, in lectica, in triclinio, in cubiculo: in bello autem dies noctéſque laboranti, modó in caſtris, modó in agmine, modó in prælio omnes omnis virtutis actiones obeunti ne comparetur, diſsimillima tota res erit. Verùm perge: quid erit deinde? Ordo mundi declaratur à theologo comparatione amplæ & locupletis familiæ, in qua alia liberis & ingenuis munera accuratiùs, alia ſervis & pecoribus cõfuſiùs explicata ſunt: ſic in mundo alia conſtantioris eſſe ordinis: alia minùs rati atque firmi. Hæc comparatio tolerabilior eſt ſuperiore. Cætera veró, quæ ſequuntur reliquo capite, nullam novam theologiam interpretantur, ſed tautologias accumulant, de principiis veterum theologorum & phyſicorum. Omnes (inquit metaphyſicus) omnia ex cõtrariis faciunt. Et tu, inquã, in phyſica nónne ex contrariis facis omnia, quæ toto modo fiunt? Impatibilia ſunt (ais) contraria à contrariis. At contraria contrariorum corruptiva primo phyſico feciſti, & facies rurſus 4. cap. 14. metaphyſ. Quis igitur hîc reprehenditur? Ariſtoteles. A quo reprehẽditur? ab Ariſtotele. Ecquid (malum) philoſophus philoſophiæ ſuæ tam contrarius & infenſus eſt? Plato (ut Alexander interpretatur) arguit hîc, quód materiã è duobus principiis cõtrariis alterũ fecerit. At, inquã, iſta calumnia è primo phyſico deprehẽditur. Empedocles accuſatur, quód concordiã modó efficientẽ, modó materiã: diſcordiam autem incorruptibilem faciat, cùm eã adveniente cõcordia corrumpi neceſſe ſit. Anaxagoras arguit, quód mentem pro efficiente cauſſa ſtatuat, taceat de fine. At, inquã, ſi vera hæc eſſent, quamobrem tamen in phyſicis & metaphyſicis, & nunc in theologia denique tones iterantur? Talis eſt reliquo capite theologia de numeris Pythagoræ, de Platonis ideis: quæ principia rerum eſſe nequeant, ſed præcipué diſsipata, minimeq; cohærentia velut ἐπεισόδια, ſic univerſi naturã velut ἐπεισοδιώδη fabulã efficiant. Tum veró innumerabilis illa & idearũ & numerorũ multitudo, nequaquam conveniat, τὰ δὲ ὄντα οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς: entia nolunt malé gubernari. Itaq; Homerico è 2. Iliados verſu theſis commodé concluditur:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Nõ bona res multorũ principatus, unic⁹ rex eſto.

Clauſulã hanc tã inſignem equidem complector & laudo: unus Deus princepſque eſto: ſed longè alio divinitatis principatu, quàm Ariſtoteles nobis definierit: Deus nobis unicus eſto, cujus non ſolùm intelligentia comprehendamur, ſed benignitate & pietate, & in hoc mortali curriculo, & in illo beatæ immortalitatis circo maximo pfruamur.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM LIBER XIII. *in decimumtertium Metaphyſicum.*

IN CAPUT I.

ENimveró quæ reliqua nobis theologia eſt? Equidem duos ſequẽtes libros libenter omiſiſſem, cùm theologia ita concluſa ſit, neq; ferè quidquam hic dicatur, quod non ſuperioribus libris antè dictum ſit: neque Alexandri, neque Thomæ interpretationes in eos extent libros, ut ſuppoſititii videantur. Veruntamẽ ſophiſtica in his præſertim libris nova non erit, dicere aliena, aut eadem repetere. Sed ne quis ſcrupulus ſupereſſe poſsit, Alexander citat in ſuperioribus libris etiam hos poſtremos, & ultimo capite libri ſuperioris: de numeris & ideis (ait) in primo majore a demonſtratum eſt, & in proximis duobus oſtenditur. Sed Syrianus dubitationem hãc penitus ſuſtulit, qui & Græcus & antiquus interpres fuit, & Alexandri multis & variis horum duo-

rum librorũ locis interpretationẽ protulit. Veriſimile autem eſt, Thomæ duos poſtremos libros ignotos fuiſſe, vel quód latiné cõverſi nõ eſſent, vel quód græcè (ut apparet ex ejus variis interpretationibus) neſciret. Quare duo hi ſunt etiam metaphyſici libri, in quos extat Syrianus de mathematis Pythagoreorum ſomniorum, & Xenocraticorum de ideis commentorum adverſus Ariſtotelem patronus: cujuſque judicio nihil Ariſtoteles totis duobus libris fide dignum profitetur. Sed multa comminiſcitur ad omnia illa Pythagorea cũ Xenocraticis conjungendum, unoque patrocinio tuendum: tanquam Xenocraticæ ideæ fuerint idem, quod Pythagoreorum mathematum eſſentiæ: aliæ intelligibiles, aliæ cogitabiles, aliæ ſenſibiles. Sed controverſia diſceptanda diligenter eſt, comparandus Syrianus Ariſtoteli, adverſariæque rationes accuratius conſiderandæ. Quid igitur? Ariſtoteles his duobus libris quam theologiam θεολογεῖ? Nullã: ſed tautologiam inanem perpetuó ταυτολογεῖ. Veruntamẽ per Deũ immortalem, quamnam cauſſam Ariſtoteles prætexere potuit, ut duobus libris nihil traderet non antea traditum? Cauſſa veró tantæ tamq; inanis tautologiæ Ariſtoteli ſophiſtica non defuit, quód ſententiæ veterum de eſſentia intelligibili, conſuetudinis gratia, conſiderandæ ideo ſint, ne (ſi quid non rectè dicant) ſimus cõſcii: tum ſi quid commune ſit, id probemus & ſequamur. Hæc ariſtotelea tautologiæ tantæ excuſatio plus quám legitima Ariſtotelis interpretibus videbitur. Atenim interpretes admirandi, barbariſmi & ſolœciſmi apud Grammaticos excuſatio nulla fuerit: ecquid igitur? cõtra duas logicæ artis ſummas leges καθ' αὑτὸ, & καθ' ὅλου πρῶτον, excuſatio iſta qualis erit? Theologiam profiteris, & logicam de ideis, mathematicã de numeris & magnitudinis quæſtionẽ diſputas? neq; diſputas tantúm, ſed infinité antea diſputatam repetis, non ſolúm argumentis, ſed plerunque etiã verbis iiſdem moleſtè & odioſe inculcas? Attamẽ quoniam metaphyſicæ libros, Ariſtoteles tautologiarum cumulos eſſe voluit, etiam tautologiarum cumulos diſcutiamus, meminerimuſque tamen interea ideales realibus aut nominalibus nihilo ſapientiores fuiſſe. Duæ ſunt his de rebus opiniones, altera de mathematis, altera de ideis, quomodo intelligibiles eſſentiæ ſint, & quomodo principia ſint.

IN CAP. II.

AGedum, ſingula, ut occurrent, animadvertamus. Tribus proximis capitibus diſſerit de mathematis, quód non ſint eſſentiæ ſeparatæ, ſed mathematum talis abſtractio, ſit πλασματίας ὁ λόγος fabulator ſermo, ut hîc Ariſtoteles & logicé & perſpicuè loquitur. O' Ariſtotelẽ lepidum & elegantẽ! Etenim ſententia Ariſtotelis veriſsimà iſta quidem eſt, & adverſus Ariſtotelem tertio & ſexto phyſico à nobis appellata, quód Ariſtoteles in phyſica magnitudine tan quã ſemper dividua, falſum impietatis ſummæ fundamentum collocaret, indeq; motum, tempus, mundum infinitum, æternũ judicaret. Quapropter bono animo eſtote, lectores vel auditores, qui ad iſtam theologiam vel legendam, vel audiendam acceditis, neque putetis prorſus inutilem futuram: Magnũ hoc erit à theologo theologiæ tribus totis capitibus prenum, quo intelligamus, abſtractionẽ mathematicã, unde phyſica magnitudo ſemper dividua fingitur, fabulatorem & nugatorẽ ſermonẽ eſſe. Agedũ, Ariſtotelis argumenta retexamus, quód mathemata nõ ſint eſſentiæ ſeparatæ: ſunt autem ſeptẽ numero. Primó, quód duo ſolida ſimul eſſe nequeant: ſecundó, quód cæteræ potẽtiæ ac naturæ ſimiliter in ſenſibilibus inſint, neq; ſeparentur: tertió, quód corpus divideretur ſecundũ ſuperficiẽ, ſuperficies ſecundũ lineam, linea ſecundũ punctum: quartó, quód corpus eſſet duplex, ſuperficies triplex, linea quadruplex, punctum quintuplex: ἄτοπος δὲ ὁ σωρεύων, abſurda veró coacervatio ſit ejuſmodi, eademq; de numeris ratio, quorũ infinita genera fierent: quintó, quód aſtrologia, harmonica, optica, ſimiliter & reliquorũ ſenſuum ſenſibilia abſtraherentur: ſextó, quód mathemata ſeparata priora ſenſibilibus eſſent: ſeptimó, quód magnitudo non eſſet una. Hęc Ariſtotelis argumenta ſunt adverſus Pythagoreorũ & Xenocraticorũ abſtractionẽ mathematicã, quã Pythagoreorum

&

& Platonicorũ nonnulli ex præſenti Ariſtotelis ſententia interpretantur, ut Severus Platonis interpres: alii autem mathematum abſtractorum phantaſticas illas eſſentias mordicus tuentur, ut Plotinus, Iamblicus, Nicomachus, Numenius, Cronius, Amelius, & ſimiles homines á Syriano citati, qui ſcholaſticis Academiæ contentionibus ponùs, quàm ſolida Platonis philoſophia imbuti, multa de his nugis nugant. Sed tamen Pythagoreorũ vel Xenocraticorũ apologia adverſus hæc Ariſtotelis argumenta, qualis eſt? qualia ſunt illis Ariſtotelis argumenta? partim ridicula, partim falſa. Etenim duo corpora illa phãtaſtica, quid abſurdius ſit illis ſimul eſſe, quàm lumina duo? Secundum quintumq; argumentũ, quod non ſolúm arithmeticę & geometriæ, ſed aſtrologiæ, muſicæ, opticæ, cæterorumq; mathematũ, imó omniũ artium atq; facultatũ conſimiles ſint abſtractiones, neq; refellunt admodum, neque ſatis animadvertunt. Hoc enim argumento mathematica illa abſtractiva præcipué labefactatur, cúm intelligitur, abſtractionẽ nihil eſſe aliud, quàm generalem rerum conſiderationem á ſingularibus abductam: Etenim logica lex noſtra nimirum illa eſt ἐκτὸς κοινός, ut primo & terno metaphyſico anteá jam monuimus. At in tertio argumento pauló ſunt alacriores: derident enim & cavillantur id ab Ariſtotele velut animi gratia confictũ, cúm nihil contra quæſtionẽ faciat. Atq; equidẽ abſurdũ, quod hîc Ariſtoteli videtur, admiratus planè ſum: cúm geometricũ theorema ſit, corporis cõmunem ſectionem eſſe ſuperficiem, ſuperficiei lineam, lineæ punctum. Quod ſi Ariſtoteles intelligat abſurdum de corporis ſectione in ſuperficies, & ſuperficiei in lineas, & lineæ in puncta, ut denique puncti eſſet ſectio diviſioque, aliter loqui debuit, ut rem tã diverſam ſignificaret. Veruntamen in quarto argumento refellẽdo, ἀφαιρετικοὶ noſtri regnum poſsident, Ariſtotelisq; manifeſtam calumniam vanitatemque meritó exprobrãt: liceat enim vel de logicis generibus ſimiliter argutari. Sextũ autem & ſeptimum, vix digna ſunt, quibus á Syriano reſpondeatur: & in ſexto iteratur illud theorema jam aliquoties in metaphyſicis uſurpatum, imperfectũ prius eſſe ortu, eſſentia poſterius. Quãobrem Ariſtoteli vera quidem theſis proposita eſt: ſed é tot argumentis ſecundũ & quintum notabilia & logica ſunt, nec tamen ſatis aperté propoſita, ut intelligeretur πλασματίας ὁ λόγος, conſtaretque ἀφαίρεσιν non eſſe propriam mathematici generis, ſed omnis artis communem.

IN CAP. III.

VErúm perge, communis iſta artiũ omnium ἀφαίρεσις dicetur pauló pleniùs capite tertio: tametſi ἀφαιρετικοὶ hoc loco malitioſé aut imperité Ariſtotelis totam in hoc capite ſententiam interpretantur: tanquã ſentiat Ariſtoteles, mathemata eſſe entia, nõ in ſenſibilibus, ſed præter ſenſibilia, quãvís á ſenſibilibus abducta ſint: Neq; eñ Ariſtoteles ita loquitur, ſed ait nominatim, rationes & demõſtrationes ſunt de magnitudinib⁹ ſenſibilibus: nõ tamẽ quatenus ſenſibiles, ſed prout tales ſunt: Repetitque argumentum illud ſecundũ & quintum capitis ſecũdi, abſtractionem eſſe non ſolúm in arithmetica & geometria, ſed etiã in aſtrologia harmonica, optica, ſed in phyſica & medicina, & qualibet omnino diſciplina: iteratque illud infinité propoſitum, abſtrahentem geometram non mentiri. Nec enim cúm in terra deſcribitur aliquid, aut non pedalis pro pedali ſumitũ, falſum ſumi, quia hypotheſis eſt, quæ menti aliud ex qualicumq; exemplo concipiendum proponit. Magnitudines igitur actu ſunt in ſenſibilibus, potentia autẽ ſeorſum conſiderantur, ut hîc Ariſtotelem pauló obſcuriús loquutum Alexander interpretatus eſt, teſte Syriano: quód idem ſimiliter de univerſalibus decimo capite confirmabitur apertiùs. Hæc igitur Ariſtotelis philoſophia eſt in hoc capite nobis in primis obſervanda & amplectenda, ad illã impietatis fraudẽ de mũdi æternitate æterna vindicta vindicandũ. Quapropter magnitudines abſtractę abſtractatũq; magnitudinũ patroni valeant. Quid deinde ſequitur? Ariſtippus 2. cap. 3. metaphyſ. mathematicas artes calũniatus eſt, quod nihil per efficientem & finalem cauſſam agerent; id eſt (ut Syrianus hîc interpretatur) nihil utilitatis afferrent. Mentiuntur (ait

Ariſtòteles) qui dicunt mathematicas ſcientias nihil de bono & pulchro dicere: Pulchritudinis enim ſpecies maximæ ſunt τάξις, συμμετρία, ὡρισμένον· ordo, ſymmetria, definitum, quæ tractantur & explicantur à mathematicis. Itaque etſi verbo non appellãt bonum & pulchrũ, factis tamen & operibus profitentur.

IN CAP. IIII.

Atque equidem ex animo philoſophiam iſtã Ariſtotelis complector & laudo: proptereaq; Ariſtoteli gratias ingẽtes habeo: in his tamen tribus capitibus tautologiã video é 7. cap.1. metaphyſici, majore parte repetitam. Quid deinde metaphyſicus, quid ταυτολογεῖ: Tautologiam, inquã, de ideis, ſeptem totis capitibus reliqui libri, & toto decimo quarto libro ταυτολογεῖ· quartum & quintũ capita proxima ſunt de ideis in univerſum: reliqua erunt de ideis numeralibus: Sed quartũ & quintum capita, non argumenta ſolúm, ſed verba etiam plerumque ταυτολογεῖ. Quapropter tautologias iſtas audiam'. Prima eſt é 6. cap.1. metaphyſici, de origine idearum. Heraclitus cẽſebat omnia fluere: Socrates univerſales rerum definitiones exquirebat, cúm διαλεκτικὴ ἰσχὺς, dialectica facultas nondum eſſet, Democritusq; paucula in phyſicis definiviſſet, calidum & frigidum: Pythagorei itẽ nonnulla per numeros explicaſſent. Atque hîc Ariſtoteles Socrati tres ſummas logicæ laudes attribuit, ἐπακτικοὺς λόγους, καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου, καὶ τὸ συλλογίζεσθαι, inductionem, definitionem univerſalem, ſyllogiſmum: quibus logicę artis magna vis continetur: imó judicio quorundam, tota, qui dialecticam ſtatuunt eſſe artẽ definiendi, dividẽdi, ratiocinandi. Interea que διαλεκτικὴ verbum notatur à nobis pro tota arte, nõ facultate probabili, ut vulgus arbitratur. Sed Socrates (ait metaphyſicus) univerſalia illa non ſeparabat, nec exemplares ideas comminiſcebatur. Et illæ ſunt nimirum logicæ Platonis ideæ 6. cap.1. & 6. cap.3. metaphyſ. propoſitæ, Ariſtotelicę ꝓbatæ: imó Platonicis nonnullis, ut Plutarcho, Attico, Democrito, Boëthio, Cornuto. Verumenimverò in hac logica idearum interpretatione Ariſtoteles accuſatur ab idealibus, tanquam falſi, quód Socratem ponat, & Platoni neq; Socrati dialecticę partes quaſdam, ſed totam penitus dialecticam notam fuiſſe. in quo illis facilé aſſentiar: neq; Platonis eam de ideis ſententiam fuiſſe, ut conantur productis ê Phædro, Phædone, decimo de republica locis oſtendere. Verumenimverò ut Ariſtotelem philoſophiæ & logicarum legum gratia liberé moneo, ſic Ariſtotelis judicium de Platonis ideis conſtans & grave á fanaticis iſtis idearũ ſomniatoribus violari æquo animo ferre non poſſum. Eſt enim pertinacia hominum, vel impoſtura. Plato ſiquidẽ in Parmenide (ubi quæſtio de ideis præcipua eſt) exemplaria idearũ ſeparata perſpicuẽ & aperté refellit, & loci illi Platonis reliqui aut ſimiliter explicari poſſunt: aut Platoni certé arguent aliquãdo accidiſſe, quod infinitis locis perſpicimus Ariſtoteli cõtigiſſe, ut cõtraria & repugnantia ſcriberet: deniq; Ariſtoteles in eo ſolidiùs & conſtantiús philoſophatur, ideas nullas eſſe, niſi logicas & mente comprehenſas. Cogitationes rerum omnium ſunt in mente divina, plurimarum ſunt in mentibus hominum: ideæ ſunt illæ logicæ, aliæ præterea nullæ ſunt, ſicuti 7. cap.1. metaphyſ. jam patuit: nec aliam nobis cantilenam iſto capite metaphyſicus cantabit. Sed tamẽ iſtã de idearum interpretatione tautologiã, quænam tautologia alia ſequitur? Argumentorum, inquam, eorum, quæ ſeptimo cap.1. metaphyſ fuerunt, quód ideas inducere non eſt aliud, quàm numerum ampliorem facere, exemplariũque ſyllogiſmis nihil effici: ideas fore non ſolúm eſſentiarum, ſed rerum earũ, quarum eſſe minimé ideales velint, ut artificioſorum, relatorum, corruptibilium, negationum: huc etiam tertius homo redit, ut contraria idealium principiis, quia dualitate numerus prior eſſet. Quid tum poſtea?

IN CAP. V.

Tautologia continuatur eadem, repetunturque illa, quód ideæ nihil conferant rebus, nec ad motũ, nec ad eſſentiam, nec ad ſciẽtiam: quamvis Plato in Phædone res inde & eſſe, & fieri dicat: Eſſent enim in rebus: at ſeparatæ dicunt, & cauſſæ eſſent: nec ideo Anaxagorea miſtione rebus permiſceri poſſunt,

ſunt, ut Eudoxus cenſuit: & plures ideæ eſſent ejuſdem rei, ideæq; idearum: denique περιττώματα illa iterantur: τὸ δὲ λέγειν, παραδείγματα εἶναι, καὶ μετέχειν αὐτῶν τἆλλα, κενολογεῖν ἐστὶ, καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς. Quamobrem nihil adhuc quinq; totis capitibus; niſi primi libri tautologias, nullã autẽ prorſus metaphyſicam novã agnoſcimus. Et tamen Ariſtotelis argumentis omnibus Xenocratici perinde reſpondent, Ariſtotelemq; falſum fallacemq; eſſe è ſuis principiis diſputant. Et certé multiplicatio illa ſimillima eſt τῇ ὑπερβολῇ magnitudinũ, & tã promptũ eſt illis Ariſtoteli reponere, ipſum vel nihil concludere, vel ſibi contraria concludere, & eſſentiarum ideas tãtúm eſſe: ſicut Ariſtoteli placuit & definitionem, & demonſtrationem, κατὰ τὸ ἐν eſſentiis attribuere: de motu, eſſentia, ſcientia, reſponſio conſimilis eſt, quia ideæ, cauſſæ ſunt illis efficientes & æternæ. Sed hæc é falſis principiis reſpõſio parata illis eſt: Verúm illa recriminatio in Ariſtotelem multó juſtiſsima illa eſt Xenocraticis, Ariſtotelem in hac quæſtione longé omniũ mortaliũ ταυτολογώτατον eſſe duobus totis de idea libris, tum in logica, in ethica, in phyſica, ſed in metaphyſica tãmultis locis eaſdem argumentatiunculas argutantẽ, modó latiús dividendo, modó ſubtiliús & minutiús diſſecãdo, modó verbis iiſdẽ reſcribendo, manum deniq; de tabula, imó de pictura eadem nunquã & nuſquam tollendo: qua ſané apologia, nihil in Syriano adverſus Ariſtotelem elegantius & luculentius deprehendi. Quamobrem bona cauſſa eſt Ariſtotelis, ideas exemplares improbãtis: ſed á rhetore non ſatis probabili rhetorica inſtructo agitur. thelin laudam' & probamus, confirmationem theſeos nõ perinde laudare & ꝓbare poſſumus.

IN CAP. VI.

Atque hæc generalis in ideas ariſtotelea theologia eſto. Quid deinde ſequitur? reliquo libro & toto proximo, metaphyſica prorſus eſt admirabilis de ideis numeralibus. Enimveró Plutarche πολυπαθέστατε, judicii tui πολιτείαν nobis hîc demũ cõprobato. Judicaſti metaphyſicũ opus & doctori, & auditori inutile prorſus eſſe: an etiam patiẽtia ingenii tui poſtrema iſta ꝓpendere & examinare potuit? Dixi ſæpe antea, libros metaphyſicæ, cumulos eſſe tautologiarũ: an igit orationẽ retexam? ſequẽtiaq; nõ omnia anté dicta eſſe confitear? Pythagorei enim & Xenocratici his de rebus nõdum videnť interrogari. Ecquid igitur (inquies) novi jã profertur? Certé equidem patronus ipſe Ariſtoteles in nugis copioſiſsimus alioqui rhetor, parũ tamen diſerté explicavit, ſed ſumma rei tamen hæc eſt: Numeri, non ſunt eſſentiæ ſeparatæ, id eſt ideę, neq; entiũ primæ cauſſæ. Prius illud agitur præcipué reliquo decimo tertio libro: poſterius aũt decimo quarto. Quare audiamus adverſus ideales numeros concionantem, triplicíq; cõcione declamantem theologum. Prima eſt concio ſexto capite in recenſendis tredecim numerorum modis, ad quæſtionem nihil admodum attinentibus. Etenim metaphyſicus noſter proponit modum triplicem unitatum, quód ſint ſpecie differentes, & inter ſe incomparabiles: aut ſint eædem, & cõparabiles, ut in numero mathematico: aut utrumq;, ut in partibus numeri compoſiti, unitates numeri compoſiti ſint eædem inter ſe, & comparabiles, diverſæ autem cum partis alterius unitatibus, & incõparabiles. Atque hi tres primi numerorum ſunt modi. quarto & quinto, numerus diciť ſeparatus, aut nõ: ſexto, numerus eſt aliis principiũ & elementũ: ſeptimo & octavo, aliis é priori & poſteriori conſtans, tum idealis, tum præter ideas mathematicus & ſeparatus: nono, aliis ſolus mathematicus ens primum, & ſeparatum: decimo, aliis non ſeparatus, ſed in eſſentia: unde totum cœlum é numeris cõſtare dicitur: undecimo, aliis unitates habentes magnitudinẽ: duodecimo, aliis primus eſt idealis: decimotertio, aliis primus idem & mathematicus. Atq; hi ſunt tredecim modi á metaphyſico in numeri conſideratione inventi. O' partitionem elegantem, & cum pleriſque in hoc opere aliis partitionibus cõparabilem! τὸ ποσαχῶς λέγεται, hac partitione ruerunt, ut hoc tam ſingulari ornatu cætera conſimilia libri illius ornamẽta ornarentur. Verúm perge, hæc ad quæſtionem fruſtra ſint, ut Pythagorei & Xenocratici cavillãtur. Quid deinde? Magnitudinum modi ſimiles accumulantur

quatuor, quód aliis ſint mathematicæ, aliis poſt ideas, aliis mathemata mathematicé, nec ideæ: aliis mathemata non mathematicé, nec omnis magnitudo dividua in magnitudines perpetvó dividuas. Atq; hoc de magnitudinum modis, veluti corollarium eſt: Tandem pro clauſula capitis additur, numerũ omnibus monadicum videri, præterquã Pythagoreis numerum facientibus primũ ennum. Atq; hæc omnia impoſsibilia eſſe alia magis, aliis minús, metaphyſ. ait.

IN CAP. VII.

SEd tredecim numerorũ modi quãviſineptiſsimi, & indigniſsimi tanti nominis authoritate, tamẽ quorſum tandem evadent? Certé tres primi ſeptimo capite repetũtur: primus & tertius refelluntur: unitates non ſunt incomparabiles, quia numerus nullus eſſet, cum fiat omnis additione unitatum: Unitates igitur comparabiles: neque ideo partim comparabiles, partim incomparabiles, quia unitates eædem eſſent comparabiles & incomparabiles: ut in denario, decẽ unitates ſunt cõparabiles. At ſi ſpectentur in duobus quinariis partibus denarii, eſſent etiã incomparabiles. E' quibus omnibus cõcludit Ariſtoteles, numeros, ideas nõ eſſe, quia ſunt unitates comparabiles. Et quia numerus ſit μοναδικὸν, fiatq; additione unitatis ad numerũ præcedentẽ. Cæteri decẽ modi Pythagoreo ſilentio prætereuntur. Quapropter Alexander, ſi pudore ullo poſsit, refellat hîc nõ Pythagoreos vel Xenocraticos, ſed Plutarchũ, dicereque audeat, in tã hamatis ſentibus, in tã acutis paliuris ullũ tritici granum eſſe. Sed heus, nũquid hic erro? micã neſcio cujus generis in hoc ſpineto micantem conſpicio, qua conſtet, numerationem non eſſe numerandi ſpeciem diverſam ab additione, ut vulgò Arithmetici exiſtimãt, ſed primam ſpeciem additionis: cum nempe unitas antecedenti numero additur. Attamen fructus hic quantuluſcunque eſt, Arithmeticæ eſt proprius, non Theologiæ. & paginis tribus ampliſsimis continuare tam importunum ſophiſma, quæ logica tandem permiſerit?

IN CAP. VIII.

ATque hoc primæ cõcionis ſophiſma tã odioſum fuit: ſecũda concio ſequitur, pari vel potius eodẽ ſophiſmate: ubi promiſcuè diſſeritur, mathematũ ideas neq; eſſe, neq; rerum cauſſas eſſe. Prooemium cõcionis hujus eſt in differentia unitatis & numeri. Ecquænã (inquies) & quorſum iſta differentia? Eadẽ, inquã, quæ partis eſt, & totius, & ad eundẽ finem, ad quem ſexti & ſeptimi capitis nugæ relatæ ſunt. Deinde diſputatur diſputatũ proximo capite ſuperiore, Unitates inter ſe nihil differre, neq; quãtitate, cũ alia neq; maior, neque minor ſit, quàm alia: neq; qualitate, cùm nulla his inſit paſsio, ſed cõparabiles inter ſe eſſe: neq; ideas vel rerũ principia: ſecus binarius eſſet principium binariorũ, & ternarius ternariorũ. At ſi prima unitas differret á cæteris, & primus itẽ binarius differret à cæteris binariis, neq; unitates eſſent cõparabiles. Neque corpora é numeris cõſtant: cõſtarent enim ex individuis: neq; unitatũ alia eſt é parvo, alia é magno, nec quælibet ex utroq;: quia nõ eſſet quidlibet ex omnibus elementis: & unitates differrẽt. imò veró cùm magnũ & parvũ cõtraria ſint, tertia in ternario unitas qualis eſſet? Hæc logica Ariſtotelis eſt, quòd unitas, nõ ſit idea: conſimilis itẽ eſt de numero, quód nõ ſit idea, neq; infinitus, cùm neque par, neq; impar habeat: neq; alicujus ſenſibilis eſſet, neq; finitus uſque ad denarium, ut finitur à ſuis authoribus. At ſi ternarius eſſet idea hominis, quaternarius equi, homo, pars eſſet equi: & abſurdum ſit, ideam eſſe denarii, nõ eſſe autẽ undenarii. deniq; multa ſunt, quorum idea nulla ponitur. Atq; hîc interea philoſophus πάρεργον illud addidit, Totum parte prius eſſe ſecundum rationẽ & eſſentiam: poſterius ſecundum materiam & tempus. in quo Ariſtoteles Ariſtotelem illum in 10. cap. 7. metaphyſ. verè correxit & emendavit. Sed Ariſtoteles é tam multis contra unitatem, contraque numerum propoſitis argumentis concludit, idealem numerum nullũ eſſe: cauſſamq; inde profectam, quia Pythagorei & Xenocratici univerſalia & mathematica præpoſterè accepiſſent: ideo ut unitas eſſet illis στιγμὴ ἄθετος, στιγμα ἄθετον, punctum ſine ſitu.

IN

IN CAP. IX.

ATque hæc concionis ſecundæ declamatio fuit: tertia tãdem declamatur rhetorica prorſus nova & antehac inaudita. Liber tertius, fuit addubitationũ ſingularis liber: caput nonum, erit addubitationum ſingulare caput. Ecquibuſnam tandẽ addubitationibus tam chimæricum ſophiſma continuatur? Attende conſtanter, neq; tergiverſare: Addubitationes ſex ita ſunt, Utrùm unitates ſunt deinceps, magnitudines ẽ magno & parvo? lineæ è lõgo & brevi? ſuperficies è lato & anguſto? corpus ex alto & humili? Utrùm ipſum animal eſt in animali? an magnitudo eſt è materia? an è punctor? Utrùm unitas eſt una? Utrùm numer⁹ finitus eſt, an infinitus? Utrùm punctum, elementũ magnitudinis, ut unitas numeri? Hæ ſunt addubitationes in hoc capite, fatuæ, ita me Deus amet, atq; inſulſæ, meritoq; à Syriano deriſæ, tanquam alienæ à theſi, quibuſque tãtus logicus problema nihil arguat, ſed miſerabiliter petat, quod in principio fuerit. Illud enim eſt αἴτημα τὸ ἐν ἀρχῇ, quod Syrianus Ariſtoteli repoſuit. Sed tamẽ ex his addubitationibus neq; diſputatis, neq; ſolutis, concionator noſter logica inſolentiſſima cõcionem cõcludit, neq; numerũ, neq; magnitudines ſeparari, neq; ideas eſſe: indeq; confuſionem ſomniorum iſtorum natã eſſe ſtatuit, quòd inter ſe authores ipſorum diſſiderent, cùm alii numerum mathematicum ſolum probarent, alii facerent eundem idealem, falſaſq; hypotheſes aſſumerent: χαλεπὸν δ' ἐκ μὴ καλῶς ἐχόντων λέγειν καλῶς. Difficile autem eſt, è nõ bene habentibus bene dicere, ait Epicharmus. O poẽtã theologo noſtro ſapientiorẽ! Etenim falſa hypotheſis una Ariſtoteli propoſita, quòd ad theologiam ſpectarent cõmunia entium omniũ, videmus qualẽ ſophiſticam, quãq; Lernæam adhuc tredecim libris exornarit: qui ſi ſecundum logicas leges theologica à logicis ſecernẽda, & theologicè tractanda ſibi propoſuiſſet, ſcholis metaphyſicis ad infiniti ſophiſmatis explicationem opus nihil eſſet. Sed tamen his numerorum modis, his unitatis & numeri differentiis, his addubitationum nugis, Ariſtoteles demonſtraſſe ſibi videatur, ideas mathematicas nullas eſſe. Perge, proſequere reliqua: imò verò, inquam, ſiſte gradum, aut retró regredere: de ideis enim fuerat antea generaliter explicatum, deinde deſcẽſum ad ſpecialem de mathematicis ideis quæſtionem. At theologus noſter ad illam de ideis generalem theſin revertitur: repetitq; tautologia tertia logicam idearum Platonicarum originem. Fuit enim antea 6. cap. 1. & 6. cap. 4. & 4. cap. 13. metaphyſici. ſed contra legem ἑκάστω πάντων, eandem rem millies iterare, logicæ ſunt ariſtotelei ingenii apud Alexandrum laudes.

IN CAP. X.

QUid tũ verò? Decimo capite diſſeritur primùm, quòd magna ſit de ideis in utrãq; partẽ quæſtio: Nam ſi nullæ ſint eſſentiæ ſeparatæ, abolebitur ſcientia: Sin aliquæ ſint, tot erũt entia, neq; ſcibilia, quia ſcientia eſt univerſalium: tandemq; componitur tam prolixa diſcordia, quòd ſcientia & ſcibile ſit duplex, aliud actu, aliud potentia: potentiaq;, velut materia univerſalis & indefinita ſit univerſalis indefiniti: act⁹ autem definitus ſit, & definiti cujuſdã. Per accidens autem videt oculus colorem univerſalem, eò quòd hic color, quem videt, color eſt: ſic Grammaticus hoc alpha ſpeculatur, quod alpha eſt. Quamobrem nihil erit ſeparatum, ne eſſentia quidem: ſcientiaq; modo quodam erit univerſalis, modo quodã nón erit. Hæc tantæ controverſiæ diſceptatio ariſtotelea, Syriano vehementer improbata eſt. Dicere (ait) univerſalium quidem potentia eſſe ſcientiam, ſingulariũ verò actu, & artifices principaliter quidem noſſe individuum, per accidens verò univerſale, eſt palã ἀποδεικτικὰ omnia ſubvertere: in quibus Ariſtoteles ipſe docuit, univerſale ſolũ eſſe ſcibile. Hæc Syrianus hypotheſi quidẽ ſuæ conſtanter, inconſtanter tamen veritati: ut enim animal actu conſiſtit in ſingulis & individuis animalibus, ſic ſcientia de animali, actu quidem eſt, cùm ſingulis accommodatur, potentia verò eſt in generali & univerſali. & quæſtio præſens eſt de hypoſtaſi, & tanquam ſubſiſtentia, utrùm actu ſeparatum ſit aliquid à ſingulis: nõ autẽ eſt de modo ſcientiæ, utrũ præcepta artium ſingularia ſint, an univerſalia,

verſalia. Quapropter Ariſtotelis tautologias & ſophiſmata reliqua liberè quidem refellamus, ſed pari libertate philoſophiam puriorem defendamus: Ideæ exemplares, τερετίσματα tantùm ſunt, & poëticarum metaphorarum commēta. Id ratum nobis probatumq; eſto. Scientiæ ſunt univerſalium quidē theorematum, ſed res tamen ſingulares cōplexorum, quorumq; actus, eſſentia, veritas in ſingularibus cōſiſtat: nec univerſalia ipſa uſquam ſeparata ſint: Id nobis logicum & catholicum eſto.

P. RAMI SCHOLARUM METAPHYSICARUM LIBER XIIII, *in decimum quartum Metaphyſicum.*

IN CAPUT I.

AT fœcundiſsime philoſophorum, & ſolertiſsime hominum, qui unquam fuerunt, quandonā problema hoc immēſum infinitumq; concludetur? Decem capita libri ſuperioris de ideis & generaliter & ſpecialiter diſputarūt: Et quid ſex decimiquarti deinde capita de ideis diſputabūt? Diſputabūt, inquā, alterū caput illud, quòd ideæ nō ſint rerū principia & cauſſæ, licet 8. cap. 13. metaphyſ. utrūq; diſputatū ſit. Ariſtotelis theſis illa prior certa fuit, ideas nullas eſſe, diſputatio incertior: theſis etiam iſta certa eſt, ideas, non eſſe principia rerū: Imó veró ſi theſis prior accuratè & demōſtrata & concluſa eſſet, eriā hoc ipſo demonſtrata & concluſa eſſet: Nam quod in natura rerū nihil eſt, principium cauſſaq; rerum eſſe non poteſt: Sed tamen quoniam Ariſtoteles logicæ ſuæ tantùm diffidit, novę confirmationis ſecunda ſubſidia conſideremus. Cur igitur ideæ, nō ſunt rerum principia? Argumenta Ariſtotelis in ſex capitibus, quinq; erunt: Primum argumētum eſt, principia ſunt cōtraria, ideæ non ſunt contrariæ, cùm ſiant eſſentiæ: nec ideo ſunt in ſubjecto. Hoc argumentum reperitur è 5. cap. 1. phyſ. & Ariſtoteles hîc ait iſta οὐ τοῖς φυσικοῖς anteceſsiſſe: Tautologiam tamen Syrianus hîc non reprehendit, ſed falſitatē: & certè falſum eſt, principia eſſe contraria, eſſentiæ nihil eſſe contrarium, ut in ſcholis phyſicis patuit. Quid deinde ſequitur? Enumerantur de contrariorum ordinibus, ſeptem opiniones variæ: primó, alterum cōtrariorum eſt materia: ſecundó, æquale & inæquale: tertió, unum & multa: quartó, magnum & parvum pro materia, unum pro forma: quintó, multū, paucū: ſextó, ſuperās, ſuperatū. Atque hos ſex contrariorū modos Ariſtoteles ad logicas ἀνχιρείας refert: in quo (λογικῶς) verbum pro tota arte generaliter acceptum notavimus, ut 3. cap. 4. metaphyſ. ſeptimó, alterū & aliud opponuntur uni, opinione quidē probabili, ait Ariſtoteles, non tamen vera, quia unum eſſet paucum, cùm multitudo paucitati opponatur. Unum veró, deinde menſura fiti longaq; verboſi ſophiſmatis tela texitur, de multo, pauco, magno, parvo, affectionibus numeri & magnitudinis, affectionibuſque relationis: quæ ideo nec eſſentiæ ſint, nec eſſentiarū elementa. ἄτοπον ἂρ, μᾶλλον δὲ ἀδύνατον τὸ οὐσίας μὴ οὐσίαν ποιεῖν στοιχεῖον καὶ πρότερον. abſurdum igitur eſt, vel potiùs impoſsibile, eſſentiæ non eſſentiam facere elementum. Qui locus demōſtrat materiā phyſicam, eſſentiam eſſe, item formam phyſicam, eſſentiam eſſe: cumq; forma formæ opponitur, eſſentiam opponi eſſentiæ: indeq; falſitatem à Syriano juſtè reprehenſam pateat. Addit Ariſtoteles, paucum & multum de numero dici, nec ideo eſſe elementa. At unum eſt paucū, ſi binarius ſit multa. Enimveró Ariſtoteles admirande, nunquam tautologiarū modum finemque facies? Sextum caput decimi libri fuit in hoc de uno & multis ſophiſmate: utrùm id oblitus es? an potiùs tam putidam ſophiſticam, logicam eſſe cenſes? Sed quid tautologiā hîc Ariſtotelis potiùs, quàm repugnantiam animadverto? Illic enim contrariū unum multis efficitur: idcóque meritó objicit Syrianus Homericum illud Ariſtoteli, tanquam de induſtria nuganti, Scio fabulam iſta meliorem. Et tamen ſophiſmatis tam prolixa oratio, quid attinet ad theſin, quód ideæ nō ſint principia rerum? Equidem multis antea locis morbum illum librarium in Ariſtotelis ingenio ſuſpicatus ſum, & cogimur hîc in primis confiteri πολυλογίαν metaphyſico noſtro in primis charam fuiſſe: ipſiuſq;

ipſiuſque judicio philoſophum neminem fore ſummum, niſi πλειγχαράτων.

IN CAP. II.

VErúm perge: primum caput diſſeruit ideas non eſſe rerum principia, quia non eſſent contrariæ: cætera nugarum alienarum ſupplementa tantúm fuere: Quid ſecundum caput? quid agit? Nugas certé feré perpetuas, & á quæſtione prorſus alienas: Primô nãq; diſſeritur, nullũ æternũ conſtare ex elementis, quia factum eſſet, ideoq; corrupubile: & materiam haberet potentię conjunctã: ubi rurſus dici videtur á philoſopho id ſolũ æternum eſſe, quod ſit actus expers potentiæ. Atq; hinc conjectura quædam eſt: locus eſt enim obſcuriſsimus, á philoſopho concludi, numeros ideales æternos nõ eſſe, quia ex elementis cõponantur: quod Syriano ridiculum eſt, ideas ex elemẽtis quidẽ cómponenti, ſed elementis immaterialibus. Verúm metaphyſicus noſter erroris illius cauſſam refert ad elenchũ Parmenidis, quód ens ſit unum: de quo & 2. cap. 1. phyſ. & 5. cap. 1. metaphyſ. Huc etiã ſophiſma illud de unius & multorũ oppoſitione verboſé revócatur: Verúm in refutanda Ariſtotelis totis quatuordecim hiſce libris tautologia minimé nos deceat ταυτολογεῖν. Interea etiam novum illud Empedocli objicitur, tanquam geometrarum more falſum ſupponendum dixerit. At (inquit Ariſtoteles) exemplũ illud á geometra fictum, non eſt propoſitio geometrici ſyllogiſmi. Verúm, Deus bone, qualemnam théologũ & quãnã logica inſtructũ animadvertimus? Heus philoſophe, dormis, minimeq; es philoſophus: quęſtio tibi propoſita eſt, quód ideæ nõ ſunt principia rerũ: quænam tandem carmina nobis concinis? Dic Poſthume, dic quæſo, de tribus capellis. Et veró ne perpetuó vagari erraréque videatur theologus noſter, redit tandẽ in viam, & ad finẽ capitis exprompſit argumentum adverſus ideales numeros, omnium meo judició primum, quód nullius rei cauſſæ ſint, planeque ſint inutiles: quandoquidem arithmeticorum theoremata ſint de ſenſibilibus, nullum aũt de numeris idealibus. Hoc, inquam, argumentum primarium & palmariũ eſt: Tametſi Syrianus id per-neget, diſputetq;, nihil niſi numeros ideales arithmeticæ præceptis inſtitui. Et ſané falſum eſt, theoremata arithmetica eſſe de numeris ſenſibilibus, quamvis in exemplis ſingularibus exerceantur. Eſt enim arithmetica tóta mẽtis. Argumentum tamen Ariſtotelis illud eſt facilé omnium princeps, licet non ſatis diſerté explicatum: Nullũ theorema eſt de numeris idealibus in arithmetica: Ergo arithmeticorum judicio, ideæ numerales, rerũ cauſſæ nullæ ſunt. Hoc argumẽtum ſecundum eſt adverſus ideatũ principia ſecundo capite comprehẽſum, ne omnia in toto capite nugatoria fuiſſe videantur.

IN CAP. III.

SEd tamẽ quód ideales numeri principia non ſint, primum caput argumentum unum habuit, quód ideæ numerales contrariæ nõ eſſent, nec ideo principia: ſecũdũ itẽ unum argumentũ habuit, quod de ideis numeralibus nullum eſſet in arithmeticis theorema, nec ideo numerales ideæ principia eſſent. tertium caput quid habebit? nihil, inquam, novi, ſed meras nugas nugabitur. Pythagoreorum triplex opinio memoratur: Primi ſtatuunt numeros, ſimilitudines & affectiones eſſe rerum, nec ideo ſeparant. At ſic videantur de alio cęlo, deq; corporibus aliis cogitare. Secũdi ſeparant, quia ſecús nullam ſcientiã fore arbitrantur. At hujus ſolutio jã præceſsit 10. cap. 13. metaphyſ. Tertii faciunt ideas é terminis, puncto, linea, ſuperficie. At hi quoq; eo falſi dicuntur, quod ſine numeris termini illi queant eſſe. Verúm, inquam, tot ſunto Pythagoreorũ opiniones: quid ad quæſtionem, Utrúm ideæ rerum principia ſint? Et certé ne nos quęſtionis immemores eſſemus, Ariſtoteles in hac tertia opinione nos admonet: Nulla ab ideis (inquit) cauſſa rebus, vel utilitas ſit ulla terminorũ: neque Natura inſtar pravæ tragœdiæ ſit ἐπεισοδιώδη. Hîc Ariſtoteles metaphorã é 10. cap. 12. metaphyſ. repetivit. Atque iidem illi magnitudines é materia & numero componunt, ex binario lineam, é ternario ſuperficiem, é quaternario corpus. Perge: Utilitas á metaphyſico, & his de rebus theorema in mathematicis ex illo & ſuperioris capitis argumẽto repetitur,

titur, quod bis de rebus mathematicũ theorema nullum ſit. O' concionatorẽ de concionis argumẽto ſolicité & anxié cogitantem! Sed illud in primis in ſomniatores iſtorum inſomniorum Ariſtotelis lepidum eſt: Omnia (inquit) hæc abſurda ſunt: neque ſibiipſis tantùm, ſed bene judicantibus repugnantia. In his ſiquidem videatur ὁ Σιμωνίδου μακρὸς λόγος, Simonidis longus ſermo, tanquã ſervorum ſani nihil dicẽtium. Quapropter in iſto Simonideo ſale, Syrianus Ariſtotelem veluti ſcurram velitem merito remordet. & certé ſicubi ὁ Σιμωνίδου μακρὸς λόγος veré dici poſsit, ubinam verius, quàm in quatuordecim Ariſtoteleæ theologiæ ſophiſmatis dicet, in quibus maximé ſervilis, omniũq; nugarũ genere maximé refertus ſermo tam verboſe ſophiſticeq; productus eſt? Verùm pergamus: Nullũ adhuc adverſus idealia principia argumentum in hoc capite fuit: Quid erit deinceps? Reprehenditur à metaphyſico in Pythagoreis & Xenocraticis geneſis & ortus numerorum é magno & parvo: quia nullus generari numerus poſsit, niſi ab uno duplicatus: quia numerus omnis, ipſorum judicio, ſit æternus, nec ideo generet. Heus; metaphyſice, numerus ab unitate duplicatus par fuerit pariter par tantùm, qui tamen in elementis mathematicis generatur é duplicatis, non ab unitate, ſed à binario: neq; pares pariter pares tãtùm: ſed variorum numerorum geneſis variis propoſitiõibus docetur, ut quadrati, ut cubi, ut medii, ut tertii, ut quarti ꝓportionalis: omnia deniq; arithmetica problemata continent inventionem & generationẽ numeri. Et ineptũ eſt objicere, æternorum geneſim inquiri. Mathemata enim univerſalia vel mathematicis theorematis æterna ſtatuuntur: & tamẽ geneſis ipſorũ in ſingularibus exemplis exquiritur. Quamobrem caput tertium contra idealia rerum principia argumẽtum nullum habuit, quæſtionem diſputationis ſuæ diſputator, quãvis acerrimus, attamen oblitus eſt.

IN CAP. IIII.

Perge veró, reminiſcere fortaſſe ꝓximo capite, & ad cauſſam revertere. Imó, inquam, geneſim illam perſequitur, diſſeritq; parem numerum generari non poſſe ex inæqualibus parvo magnoq; æquatis, quia præceſsiſſet inæqualitas. Id veró Syrianus viderit, cujuſmodi ſit argumentum, qui numerũ imparem, deorum ait eſſe, ideoq; æternum: parem autem proportionalẽ cõmpoſitis é materia formaq;: ideoq; materiam ejus eſſe binarium é magno & parvo, formam æquabilitatem. Verùm omnia Pythagorea Ariſtoteli diſplicẽt, neque mihi placent. Verumenimveró philoſophus noſter vagatur erratq; longius: redeat tandem, ſi lubet, in viã. En veró redit: Longa capite reliquo Simonidis oratio eſt: Principiũ eſſe boni & pulchri: Numerum neutrius eſſe: quia ſit eſſentiæ: ideoq; numerum, principiũ non eſſe. Ad propoſitionis illuſtrationẽ theologi, & poëtæ, & philoſophi diſsimilibus ſententiis producuntur, quód theologi & poëtæ faciunt bonum & pulchrũ poſterius genita, deoſq; noctem, chaos, cælum, Oceanum, deniq; Jovem regem fuiſſe. Sed hæc Ariſtotelis theologia Syriano falſa eſt, theologiam veterẽ opponenti; quia primùm regnavit Ericepæus, deinde nox, tum chaos: Jovem denique regem non primum, ſed quintum eſſe. Ergo hæc theologorum & poëtarũ teſtimonia, propoſitionem illam nihil adjuvent: Quid philoſophorũ teſtimonia, qualia ſunt? Phærecydes primũ ſtatuit optimum: item Magi: ſic Empedocles concordiam, Anaxagoras mentem: alii unũ. Atqui philoſophi iſti ſunt aptiores, quàm theologi & poëtæ. Quid tũ poſtea? Ariſtoteles ipſe primo perpetuo ſeipſo maximé cõtento, bonum ipſum pulchrumq; cenſet eſſe, quod ſit primũ perpetuum, ſeipſo maximé contentum. Verùm jam iſta à theologis, poëtis, philoſophis, ab Ariſtotele etiam ipſo exornatio tam bella ſit Ariſtoteli, quàm ipſi videatur, quid tum? Aſſumptio illa (Numerus non eſt boni, neq; pulchri, quia ſit eſſentiæ) qualis erit? Syrianus hîc diſtinguet exemplaria ſua divina à caducis imaginibus, & quidlibet ſomniabit. At id modo nil laboro: Ariſtippum antea refutatum Ariſtoteli potiùs repono: Nihil de bono mathematica profitentur, ajebat ille. Imó veró, reſpondit Ariſtoteles, tametſi nomine bonum & pulchrũ non appellent, reipſa tamen profitẽtur, cùm τάξιν, συμμετρίαν, ὡρισμένον inſtituũt. Eſto

Eſto igitur, Heraclitus aliquis Ariſtoteli in contradictionis hujus ſolutione, & utramque partem tueatur: Numerus eſt boni & pulchri, dicitur adverſus Ariſtippum: Numerus non eſt boni & pulchri, dicitur adverſus Anaxagoram: Perge vero. Reliquiæ capitis hujus ad ejuſdem aſſumptionis affirmationem, tautologiam habēt é 5. cap. 1. phyſ. item é 1. cap. 14. metaphyſ. de contrariis principiis. Si unum bonum ſit, multitudó erit malum: itaqué numerus, malum. φθαρτικὸν γὰρ τῷ ἐναντίῳ τὸ ἐναντίον corruptivū enim contrarii contrarium. Sed heus, conſiſte, & argumentationis hujus logicam expende. Si unum ſit bonum, multitudo erit malum: Quamobrem, inquam? quia (inquis) corruptivum eſt contrarium contrarii? Quid tum veró? quidnam id eſt argumenti? Expectabam ut diceres potiùs contraria contrariorum eſſe conſequentia: quod tamen abs te in Topicis improbatur. Et tamē magnā tibi pro axiomate iſto licet præſentis quæſtionis alieno gratiam habeo: ut falſitas illius tui axiomatis ad 5. cap. 1. phyſici appareat: Illic enim affirmabas, contrarium contrarii effectivū eſſe. Sed hic Alexander Ariſtoteli ἀρχηλατείσθω. Cætera audiamus. Affertur huc à metaphyſico, malum ipſum potētia bonum eſſe: concluditurque, tot abſurdis rebus Pythagoreos urgeri, quia faciunt tum idem principium & elementum, tum contraria: tum unum principium, tum numeros, eſſentias ſeparatas & ideas. At divine metaphyſice, tu hæc omnia, excepto quarto, etiam profiteris. An tot contradictionum pudor tandem nullus erit? Veruntamen tria adhuc argumēta ſunt Ariſtotelis, ideales numeros, principia non eſſe, quia non ſint contrariæ, quia nullum de iis arithmeticum theorema ſit, quia non ſunt boni & pulchri. Quænam erunt reliqua?

IN CAP. V.

Errant Pythagorei (ait theologus noſter) quia principium non faciunt bonum. errant etiam iidem, cùm principiū univerſi comparāt principio animalium, ut imperfecto & imbecillo ſemini: quia hic etiam principium eſt animal perfectum. Sed contrà Syrianus culices & vermes cæteraque ex putrefactione genita objicit. Attamen iſta de principiis imperfectis eſt tautologia é 7. cap. 12. metaphyſ. Sed tautologias Ariſtoteles amat, & ſua jam perpetua authoritate honorat: Locus non eſt in mathematicis, ait methaphyſicus: quia ſit proprius ſingulorum: & ab eo ſeparabilia ſunt mathemata, nec in loco ſunt: de quo toto ſophiſmate, quarto phyſico diſputatum eſt accuratiùs: & hic Syrianus locum alium phyſicis, alium materialibus, alium mathematicis, alium rationibus ipſis attribuit. Verùm quid iſta ad quęſtionem de principiis idealibus? Nihil, inquies: At ſequentia rem diligentiùs agunt: Ideales numeri (ait theologus) cauſſæ rerum nullæ ſunt, neque miſtione, neque compoſitione, neque ſemine, neque contrario, neque termino: ut Eurytus quidam faciebat punctum principium magnitudinum: qui (ut Archytas in Theophraſti metaphyſica ait) diſpoſitis calculis dicebat hunc eſſe hominis, illum cujuſvis rei numerum. Sed hoc argumentum quartū eſt in idealia principia é modis quibuſdam generationis, quos Syriano examinandos relinquo: Pergit veró theologus rem etiā diligentiùs multó & accuratiùs agere: Numeri (ait) non ſunt cauſſæ formales, quia forma eſt ratió, numerus eſt materia: ut in carne & oſſe, tria ignis, duo terræ: in quo (ut Syrianus ait) alluditur ad illam Empedoclis phyſicam,

Terra voraginibus geminas ſortitur in amplis
Splendoris fluidi bene miſta é partibus octo:
Quattuor aſt ignis: oſſa hinc ſunt cādida dicta.

Nec quia tali miſtione talis eſſentia fiat, numerus, forma eſt, ſed ratio miſtorum numerorum corporalium. Quid multa? theologus noſter problema jam planè conficit, logiceque admodum concludit: Numerus (ait) neque efficiens, neque materia, neque forma, neque finis eſt rerum: Non igitur cauſſa. Hæc Ariſtotelis cōcluſió eſt illuſtrior & locupletior, ſed in materia inconſtans, quia numerum non eſſe formam diſſeruit, ex eo quòd materia eſſet: deinde tamen negat eſſe materiam. Heraclite porro, adeſdum, ἀντίφασιν defendito.

IN CAP. VI.

Sed argumenta propoſitæ quæſtionis adhuc quatuor fuerunt: Quodnam præterea eſt futurum? Nullum

Vu pror-

prorſus novum, ſed iterabitur tertium de bono, quod οὐ ἰδίῳ λόγῳ, in nulla ratione numerorum conſiſtat: & quòd ratio miſtionum ſit in additione numerorum, non in numeris: deniq; genus eſſe in multiplicationibus, melicratumq́; fore melius fortaſſe, quod temerè permiſtum fuerit. Verùm à Syriano hæc theologia ſeverè graviterq́; caſtigatur, quòd ratio & prudentia omnibus in rebus temeritati præſtẽt. Et ſanè Ariſtoteles hoc loco diſsimillimus Ariſtotelis illius meritò videatur, qui antea præſtãtiſsimas pulchri boniq; ſpecies in mathematicis laudarat, τάξιν, συμμέτριαν, ὡρισμένον. Ecquid igitur λόγος καὶ ἀναλογία, quamobrẽ nunc è bonorũ finibus exterminantur? Sequentia autem pauló ſunt Ariſtotele digniora: Numeratarum rerum potentias numeris tribuendas non eſſe. Nec enim ſeptẽ vocales, & harmoniæ, & Pleiades, & duces ad Thebas, propter ſeptenarium fuerunt: neq; ſeptenarius, cauſſa eſt, cur ſeptimo menſe dentes animalibus oriantur: quia ſecùs aliquando accidit. Hæc, inquam, Ariſtotele digniora ſunt: tametſi Syrianus Pythagoream de numeris denario comprehenſis mirificam theologiam prædicet, etiam ab Ariſtotele ipſo primo de cælò in ternario prædicatam. Sed inconſtantia Ariſtotelis ea eſt, qualis etiam in Chriſtianis quibuſdam ſuperſtitioſa theologia fuit, de cujuſq; numeri potentia atq; perfectione. Philoſophia tamen Ariſtotelis in eo ſolidior eſt, quòd rerum vis aut natura ſit, non numerorum: authoresq́; talium nugarum meritó Homericis interpretibus comparantur, parvas ſimilitudines intuentibus, prætereuntibus illuſtres & amplas, ut inter 12. & 6. eſſe media duo 8. & 9. quia carmen 17. ſyllabas habeat. quæ planè anilia deliramenta eſſe confiteor: ſicuti illud eſt, Comparare tibiarum foramina, totamque mundi melodiam elementis literarum. Philoſophia, inquam, Ariſtotelis iſta ſolidior & gravior eſt: ſed deinceps obſcurior, ut contrarium ſuperioribus illis proximis dicere videatur. Attamẽ philoſophia (opinor) continuatur eadem: ſuas numeratis & figuratis rebus potentias & facultates eſſe, verùm non eſſe numerorũ aut figurarum, ſed numeros figuraſq́;, rerũ accidẽtia eſſe. quod quidem verum eſt, ſed verendum tamen ſit, ne Ariſtoteles mathematum vires nimiùm extenuare videatur. Calor & humor, accidentiæ ſunt, ſed accidentiæ multarum eſſentiarum opifices: ita numerus & figura, non numerant tantùm figurantq́;, ſed ratione, proportione, cõformatione multos & mirabiles animis & corporibus motus afferunt. Sed ipſum ἀνάλογον, quod initio aſpernatus philoſophus noſter eſt, retinet etiam ad extremum: idque in omnibus entis generibus & categoriis eſſe profitetur: utque rectum (ait) in longitudine, ſic planum in latitudine: in numero impar, in colore album. Atque hic locus Ariſtotelis, analogiam multó præſtabiliùs interpretatur, quàm Euclides, qui videtur ad unicum genus revocare, ut comparabilia tantùm ſint homogenea: tametſi & Ariſtoteles aliquando etiam Euclidi ſimilis eſt. Poſtremum argumentum eſt, Idealium numerorum differentes eſſe unitates, in numeris conſonantiarum non eſſe differentes: Itaq; conſonantias à numeris idealibus minimè conſtitui. Quid plura? τὸ Σιμωνίδου μακρὸν λόγον abſolvitur, cõcluditurq́;, mathemata neq; ſeparari, neq; cauſſas eſſe principiaq; rerum. Contra quæ Syrianus perorando Ariſtotelem accuſat, perverſo quodam contradicendi ſtudio, nihil probabile, nihil firmum ſtabileq́;, ſed multa falſa pluraque aliena protuliſſe. Quare deos philoſophiæ authores deprecatur, ut veriora, deoque gratiora tandem vincant. Quam deprecationem tametſi in ſomnis Pythagoreorũ & Xenocraticorum commentorum, attamen perlibenter audio: idemq́; alacri animo de contentionibus noſtris omnibus ſtudiiſq́;, valdè philoſophiæ authorem illum parentemq́; unicum Deum deprecor. Etenim Deus æterne, quam theologiã adhuc quatuordecim libris ſumus experti: Iteradum theologe noſter, & ad extremum theologiam tuam recordare. Polliceris initio ſapientiam, non tam divinam, quàm Dei ipſius intimam propriamque: & appellas ſcientiam primarum cauſſarum: indeque libri duo de cauſſarum generibus, tanquam divinitus afflati: Hæc enim ſacra πεφραγμένα, ex inertiſsimo ambigui verbi ſophiſmate lippis neſcio quibus oculis purpuraſcunt. Quid deinde? adyta religionis pandun-

panduntur, ſed inſolentiſsimis dubitationum nubibus circunfuſa: ut vates in antro aliquo bacchari potiús, quàm Ariſtoteles in Lycæo philoſophari videatur. Enimveró quænam theologia eſt quarto libro de primis entis differentiis, cauſsis, adjūctis, oppoſitis, comparatis, cæteriſq; logicis categorematis? quinto quot modis horū unumquodque dicitur? ſexto in iiſdem iterandis? ſeptimo octavoque de entis categoriis? nono decimoq; de entis actu potentiaque? quænam, inquam, theologia iſta fuit? undecimo toto & quinq; primis capitibus duodecimi, reperitur ſophiſtica ingens illa, quæ in phyſicis & metaphyſicis prorſus eadem fuerat.

— Heu vatum ignaræ mentes.

Theologia mirificis laudibus initio oſtentatur: At duodecim libri adhuc incredibilia logicorum ſophiſmatum inſomnia tantùm fuerunt. Ecquid veró tandem?

Ventum erat ad limen, cùm vates, Poſcere fata
Tempus, ait: Deus ecce Deus.——

Ecquiſnā igitur ariſtoteleus iſte Deus?

— Foliis tantùm ne carmina manda:
Ipſe canas oro.——

Enimveró vates noſter

— Afflatus numine quando
Jam propiore Dei, mirabilia myſteria ſanctaq; ſanctorum vaticinatur:

Horrendas canit ambages, antroq; remugit,
Obſcuris vera involvens.—

Deus (inquit) eſt eſſentia æterna, expers materiæ, magnitudinis, partis, diviſionis, paſsionis, alterationis, vitam jucundiſsimam optimamq; degens. Hæc pro veris ferri potuerunt: At falſa deinde atque impia, quæ permiſcentur & involvuntur, qualia ſunt? Deus eſt animal: Deus tā multiplex eſt, quotuplices globi ſunt cæleſtes: Deus eſt expers potentiæ, nec agere quicquam aut movere poteſt, quàm quod æterno tempore egerit moveritque: Deus eſt primum movens æterni mundi, non conſilio providentiave rerum futurarum ulla, ſed movēs tale, quale eſt ſenſibile ſenſus, appetibile appetitus, *βουλητὸν* voluntatis, intelligibile intellectus, amabile amantis: nullo quippe vel ſenſu ſentientis, vel appetitu appetentis, vel intellectu intelligentis, vel amore amantis affectus: Deus (quod eſt arcanæ theologiæ ſummum Ariſtoteli ſacramentum) ſeipſum tantummodo contemplatur, cætera omnia ſive hominum, ſive non hominū, aſpernatur, & indigna judicii ſui majeſtate judicat. At hæc, inquam, tam fera, tam barbaræ theologiæ portenta, quis bonus æquo animo audiat? Deus Ariſtotelis neque procreavit mundum, neque providentia omnes mūdi partes maximas & minimas adminiſtrat, ſed æternum mundum inſtar Magnetis ferrum movet: Deus Ariſtotelis neq; optimus, neque maximus eſt (hos enim divinitatis titulos velut ad imperiū vulgus coërcendū confictos theologus irridet) quia Deus de hominum genere nihil cogitet, neque ulla charitate, beneficentia, pietate rebus humanis conſulat: quia potentię omnis expers, novi quicquam ſuſcipere aut agere nihil poſsit. Ergo quid iſta tam nequiter *ἄθεος* theologia aliud quâm adverſus Deum gigantomachia videatur? Verùm theologiam theologus, ut elenchis duodecim antecedentium librorum præmunit, ſic ad extremum duobus tautologiarum indidem repetitarum libris, tanquam cumulis aggeravit. Tanti tamque admirandi ſophiſmatis fuit, atheiſmum tam perditum undiq;, tanquam foſsis altiſsimis, circumvallare. Quamobrem theologi, Chriſtianæ religionis

— talem terris avertite peſtem:

ſanctum Chriſti Evangelium Chriſtianæ juventuti proponite: deſinite ab hiſce tenebris lucem, ab hac impietate pietatem repetere: Neque ſinite, ut ſceleratus atheorum morbus, philoſophi hujus decretis per vos inconſideraté confirmatis, diutiús alatur. Hæ nimirum ſunt impiorum voces: Chriſtiani theologi in ſcholis theologicis diſputantes, in templorum cathedris concionantes, Ariſtotelem authorē aſsiduum habent: quid mirere ſi prudentes & politici homines, Ariſtotelis theologiam, ut in primis prudentem & politicam amplectantur? Voces igitur ejuſmodi tam ſceleratas impiaſque reprimite: faciteque, ut in ſcholis & in concionibus theologicis in poſterum non paganus & atheus philoſophus, ſed Moſes, ſed Chriſtus author audiatur.

P. RAMI, PRO PHILOSOPHICA PARISIENSIS ACADEMIAE DISCIPLINA *Oratio.*

LECTORI S.

AD decimumquintum Calend. Martii, cúm provocationis (in qua delitescere cogitabam) diem accusator antevertiſſet, & ad decimum tertium denũtiaſſet, coactus ſum, quaſi Annibal eſſet ad portas, aut de Pyrrhi pace ageretur, ut ait Tullius in re licet majore, tamen non abſimili, ſubitó in Senatũ venire. Collegi itaq; pro tam brevi tẽpore, quæ ſua ſpõte mihi de Academiæ legibus, de noſtræ diſciplinæ rationibus, é pleriſque voluminibus noſtris de hac contentione divulgatis, occurrerunt. Ergo quaſi res agerẽt in foro, præſentis criminationis invidiã ſuccinctè narravi, cauſſæ partes diſtinxi, privatã de diſcipulis legitimé magis & juſté, quã magnificé defendi, publicã de diſciplina copioſiús explicavi: definita eſt facultas artiũ, de quib' agit̃: argumẽtis cõtrariis reſpõſum eſt: firmamẽta ꝓpugnationis ex legis authoritate, cõmoditate rei & facilitate collocata. Neq; ꝓ doctrina tãtúm, ſed ꝓ doctoribus & ſchola diſputatũ. Quid quęris? in dimicatione tã ſubita, tãq; repẽtina, ſi nulla ars ꝓ brevitate tẽporis adfuit, arma certé ad pugnãdum & tela deeſſe nõ debuerũt. Tãta eſt enim cauſſæ nõ ſolúm veriſsimæ & ſanctiſsimæ, ſed nobiliſsimæ & ampliſsimæ ubertas & copia, ut ſi ſæpius decertãdũ ſit, recẽtia tñ & integra nobis argumẽta facilé ſuppeditẽt. Vale. Lutetiæ Pariſiorũ, in Prælleorũ gymnaſio, decimotertio Calend. Martii. 1550. ante Paſcha.

P. RAMI, PRO PHILOSOPHICA PARISIENSIS ACADEMIÆ DISCIPLINA ORATIO.

SI quis veſtrûm forté miretur, judices, cauſſula neſcio qua vos occupari, rem anté percipiat, & penitus intelligat, admirari poſtea deſinet, & aliud fortaſſe judicabit. Etenim ſic exiſtimare debetis, judices, poſt hominum noſtrorum memoriam, imó veró poſt conditã Pariſienſem Academiã, nullam Academiæ cauſſam de philoſophia & literis majorem, magis ab omnibus vobis providendam, neq; propoſitam, neq; agitatã, neq; ad arbitrium judiciumq; veſtrũ delatam fuiſſe. Agitur enim nil aliud in noſtra defenſione, Iudices, quám ut Academiæ leges ſerventur, ut optimis artibus, & optima ratione atq; via, nõ agri civitatis hujus & fundi, ſed veſtri, ſed omnium civitatum hominumq; liberi excolantur: parvo labore, exiguo tempore, liberalium diſciplinarum ſcientiam & fructum conſequantur. Quæ cúm ita ſint, á Deo Opt. Max. primúm quod quinque jam perpetuos annos, dies nocteſque deprecatus ſum, poſtremúm in hac ſumma dimicatione deprecor, ut menti meæ publicam cauſſam procuranti & agenti, veritatis & utilitatis publicæ lumen præferat, ut rem tantam tamq; gravem, diligenter, accuratè, fideliter explicare, & ante oculos veſtros collocare, & penitus, quanta eſt, tantam exprimere valeam: deinde vos, Iudices, obteſtor & obſecro, quoniam uno tempore, & meæ contentionis exitus, & diſciplinæ publicæ ſalus, veſtris judiciis permittitur, adhibeatis in tantæ cauſſæ auditione & cognitione diligentiam & ſapiẽtiam, in diſceptatione & judicatione æquitatem & juſtitiam, quam muneris officiiq; veſtri gravitas & religio requirit. Summã itaq; rei, ſicut acta & publicæ authoritatis fide teſtata eſt, dum breviter exponã, quæſo diligenter attẽdite. Cúm quatuordecim abhinc annis philoſophię ſtudiis ac Dialecticę imprimis me totum magna animi alacritate dedidiſſem, ut ejus artis uſum, veterũ & philoſophorũ & oratorũ exercitationibus tantopere celebratũ, noſtris ſcholis reſtituerẽ, in illo animi ardore, malũ quen-

quēdā Geniū Academiæ Pariſiēſi & publicis eiꝰ cōmodis Deꝰ quinto abhinc anno oppoſuit, à quo volūtas & cupiditas noſtra tā vehemēter ad Academiā illuſtrandā inflāmata mille modis turbaretur & vexaretur, & ſi permiſſum eſſet, extingueretur. Vexationis illius calamitates non repeto, ſed Deo Opt. Max. ſummas gratias habeo, quód illi malo Academiæ Genio, bonū in rebus univerſis Geniū & contrariū ad me ſuſtentandū, ſublevandū, miſeriiſq; illis omnibus liberandum, dederit. Ergo quarto abhinc anno ad inſtitutū philoſophię laborem redii, omniaq; deinde conſequuta tēpora, in illo ſtudio poſui, & poëtis, oratoribus, philoſophis, omniſq; generis authoribus & ſcriptoribus publicé declarādis & explicādis, uſum Dialecticę quātumcūq; acerrimis ac perpetuis vigiliis aſſequi potui, tātùm docui & demōſtravi. Interim malus ille Genius, vel turbādis rebus aliis impeditus, vel nondū ſatis idoneū noſtri vexandi inſtrumētum nactus, quietos nos eſſe ſinit. Quarto tādē hoc anno, publicæ authoritatis quēdam pugiunculū neſcio quibus ſuis artibus adeptus, furere in nos rurſus incipit. Adoleſcentulum audacē, magnæ dignitatis inſignibus & viribus elatū & ſuperbū, libidinis ſuæ famulū & miniſtrū reperit, per quē nos confictis & cōmentitiis criminibus accuſat, quód in philoſophico ſtudio nō philoſophos, ſed cōtra leges Academiæ ꝓ philoſophis poëtas doceamꝰ. Primúm huic accuſatori, alienæ libidinis miniſtro ſupplicavimꝰ, qa nobis vehementer ſuſpectus eſſet, ne, dū cauſa noſtra diſceptaretur, ſentētiam de nobis diceret, neve idē noſtræ cauſſæ & accuſator & diſceptator eſſe vellet: reliquis deinde cæterorū ordinū hominibꝰ hæc crimina ficta & falſa eſſe respondemus, legesq; Academiæ à nobis obſervari confirmamus, rogamusq; ut gymnaſium noſtrū per probos & doctos homines inviſatur, & de noſtra diſciplina quæratur, ut falſo crimine nos accuſatos eſſe cōſtaret, & ſi quid à nobis humanitús offenſum eſſet, ut nobis nō modó non repugnātibus, ſed optātibus emendaretur. Hoc die nil amplius actū eſt. Poſtridie malus ille Genius per judicē illū miniſtrum ſuū, & certos homines ex eodem ſinu appoſitos, diſcípulos noſtros nulla diſquiſitione priús habita, indicta cauſſa, nullá judicii formâ, in ſuo & privato cubiculo cōdēnat: publicis & ſcholis & ſigillis & tabulis ꝓhibet, omnibus deniq; Academiæ muneribꝰ & præmiis excludit & ejicit. Ab hac ſentētia iam nova diſcipuli noſtri provocāt. Res provocatione ex privato judicio in Iulianenſe philoſophorū comitium deducitur. Illic duo capita deliberationis fuerūt, alterum de philoſophici curriculi tēpore, alterum de libris: de quo utroq; nulla inter nos erat diſſenſio. Itaq; (credo quód minor in ſacro loco nocendi vis malis Geniis ineſſet) una omniū philoſophorum voce, diſcipuli noſtri abſolvuntur, dummodó præceptor eorum jureſjurando confirmaret, libros Academiæ legibus definitos á ſe prælectos eſſe. id jureſjurando per eum confirmatur: ſed tamē pauló póſt contra Iulianenſe decretum, novis machinis in eodē illo domeſtico & familiari accuſatoris & dānatoris noſtri conciliabulo nō diſcipuli, ut antea, ſed nos eorum magiſtri oppugnamur. Accuſator enim per fraudē & falſam relationem duobus publicæ deliberationis capitibus de ſuo tertiū addit, de forma legendi: nosq; hac ſuppoſititia relatione, quaſi legitimam legendi formam violaſſemus, triſti quodam ſupplicis traductionis genere dānamur, ut in publicis ſcholis diſciplinam noſtrā ipſi deteſtemur & abnegemus, in poſterumq; jureſjurando nil tale facturos eſſe cōfirmemus: ad diſcipulorum perfugium confugimus & uná provocamꝰ. Cauſſa igitur ad ſuperiores Academiæ ordines ſecūda provocatione deducitur. Hîc cùm nos evitandi tumultus cauſſá abſentes ex ſcripto cauſſam dixiſſemus, & accuſator & accuſatoris miniſtri per illum Genium impulſi, quanvis noſtris duabus appellationibus excluſi, tamen tertió judicant & cōdemnant. Medici nō liquêre reſpondent: jureconſulti ſcholas aperiri jubent, nec quicquam tot appellationibus interpoſitis adhuc pendentibus innovandū cenſent: primô Theologi quidem accuſatori aſſentiuntur: deinde tamen ad cōſilium delectorum judicum, qui ampliús cognoſcant, remittunt. Accuſator igitur tam turbulentis tamq; implicatis hominum ſententiis elatus, tertiæ damnationis occaſionem arripit: &

qua cùm ad delectos judices veniſſemus, priores appellationes ſequuti & diſcipuli & magiſtri provocamus, & quartò ſupplicamus, ne accuſator, qui nos toties & accuſaſſet, & tam iracũdè damnaſſet, & tot appellationibus noſtris rejectus, nullum ſibi in cauſſa noſtra judicii locum reliquiſſet, in poſterum de nobis judicaret. Quod cùm mihi & ipſe & ejus quidàm emiſſarii denegarent, ad illud oppreſſorum cõmune perfugium confugimus, à tanta violentia poſtremùm magiſtri diſcipulique provocamus. Habetis, judices, quemadmodum in iſto naufragio jactati, & quibus fluctibus penè obruti ſumus: una appellationum provocationumque tabula adhuc ſuſtentamur: atq; ut ſpero, ſi veſtra nobis æquitas aſpirabit, ad portum ſalvi & incolumes deducemur: Malus Academiæ Genius multis miniſtris abutitur, libidine, invidia, ignorantia, falſa fama, impudẽtia, auaritia: hîc libidinem & effrænatam cupiditatẽ adhibuit. Attamẽ de tam multarum damnationum injuria, de tot appellationum jure nil mihi diſſerendum putavi. Hæc vos, tacente me, ſatis ſuperq; conſideraturos exiſtimavi, de re ipſa atq; cauſſa potiùs & libentiùs diſputabo. Pro diſcipulis noſtris primùm reſpondebo, deinde noſtræ diſciplinæ rationes & firmamenta collocabo, eamq; diſciplinam, quam ſequimur, Academiæ diſciplinam eſſe demonſtrabo. Philoſophos, inquit accuſator, in philoſophico ſtudio nón docemus, poëtas pro philoſophis exponimus. Hæc enim accuſationis univerſæ ſumma eſt, propter quam non auditi, non defenſi, omnibus Academiæ præmiis per accuſatorem ipſum damnati, & tanquam igni & aqua, Academia tota interdicti ſumus. Ergo adeſte animis, qui corporibus adeſtis, & diſcipulorum ad vos profugorum cauſſam cognoſcite. Damnati ab accuſatore ſuo diſcipuli, & ſcholis ejecti ſunt. Quid ita? Quia philoſophos non audiviſſe, ſed pro philoſophis poëtas dicerentur. Verũenimverò, accuſator acerbe & iracunde (te enim jam nunc alloquar, quoniam non ampliùs in illa tua cæcæ libidinis & ignavæ cupiditatis famula, ſed in Regia æquitatis & conſtantiæ domina curia verſamur) iſta valdè gravis & ſevera pœna eſt, à te magiſtro diſcipulis impoſita. Etenim ſi qua fuiſſet in nobis erroris cujuſdam humani culpa, comiter & blandè per te corrigi potuit, imò verò etiam debuit. Sic enim ſummus ille noſtrûm omniũ magiſter Chriſtus ad corrigendum & caſtigandum accedere voluit. Si peccaverit in te frater tuus, inquit, vade & corripe eũ inter te & ipſum ſolum, &c. Sic (ô bone vir) quoniam judicis locum occuperaveras, noſque regendos ſuſceperas, ſic regere debuiſti. Et quidem quò magis iſtam correctionis manſuetudinem mereremur, quoties accuſati abs te ſumus, toties eccleſiæ & authoritati publicæ nos noſtrâmque diſciplinam & uoce & ſcripto ſubjecimus, & oravimus, ut de nobis per honeſtos & doctos viros quæreretur: & ſi quid per imprudentiam offendiſſemus (homines etenim ſumus) erratorum Chriſtiane moneremur: nos, quæ boneſtè & utiliter imperaſſes, promptè & ſine mora facturos eſſe prædiximus: imò verò (ſicuti tabulis publicis teſtatum habemus) diſcipulos noſtros interrogandos obtulimus, ut experiri liceret, quo ſtudio, quâve diligẽtia eſſent in philoſophia verſati, ut ſi neſcirent ea, quæ vel tã ſeverus magiſter requireres, Academiæ præmijs excluderentur: ſin de rebus omnibus tibi vel abundè ſatisfacerent, ne tantam iniuriã ſine cauſſa ſubire cogerentur. Quid verò? ſi Chriſtianam forte legem vehemens iſta animi perturbatio ſcire te non ſinebat, Academiæ judiciariam legem, quum judex eſſe velles, ignorare non debebas, quæ vel perverſos & errantes magiſtros iſta clementiæ via caſtigari jubet. In hanc enim ſententiam Totavillæus noſter loquitur:

Magiſtrum artium improba fama laborãtem, Rector adhibitis quatuor nationum Procuratoribus admoneto.

Si pertinax in vitio fuerit, diſcipulis ſub eo magiſtro magiſterii honorem non adepturos denuntiato.

Hæc Academiæ Pariſienſis judiciaria lex eſt ex Euangelicæ manſuetudinis judiciaria lege deducta. Has divinas humanâſque leges in judicando propoſitas, ante oculos habere debuiſti. At in noſtra cauſſa, non verum Chriſti præceptum ſequeris, ſed illius mali Genij falſæ cupiditati obſequeris: non ex Acade-

miæ

miæ lege, priuſquã judices, cauſſam cognoſcis, ſed ab executione judiciũ inſtituis: nos non mones, ſed accuſas: ſatisfacere cupientes nõ audis, ſed condẽnas: à judicio tuo provocãtes, ad maiores judices ire non ſinis, ſed ad teipſum revocas, & quãtùm publica authoritate abuti potes, traducis, pœniſque omnibus vexas. Habeo, judices, domi meæ ſubjectos mihi variarũ artiũ, Grãmaticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæ doctores & magiſtros: ſi quis eorũ fortè in non curantiã quandã inciderit, non protinus clamores iſtos accuſatorios & tragicos excito: nec ad ſonitũ tintinabuli in aulam publicã, animadverſionis & exempli cauſſa, deduco: ſed amicè & familiariter demonſtro quid erraverit, & admoneo ut præteritam negligentiã nova diligentia reſarciat. Sic à te, humane & Chriſtiane accuſator, quia ſummus noſter doctor & magiſter ſcilicet eras, tractari, & humaniter emẽdari corrigique debuimus. Si libri partem quandã à nobis negligentiùs expoſitam ſenſeras, admoneres, paratos ad obſequẽdum nos habebas. Libros enim Ariſtotelis, imò etiã meliores (ſi Deus dederit) legimus & legere volumus. Hac de re conſilium à magiſtratibus Academiæ & legib' perpetuò petivimus, & petemus: tãtùm abeſt, ut quicquã repugnemus. Sed tu neſcio cui magiſtro tuo, malo Academiæ Genio, quàm publico commodo ſervire, & te temerarium accuſatorem, quàm ſapiẽtem judicem oſtendere maluiſti. Quãobrem, judices, ſiqua in nobis culpa, vel gravis extitiſſet, non tamen tam vehementer & iracundè agitari, ſed benignè & comiter emẽdari & caſtigari debuit, quia Deus hanc correctionis formam & Academiæ lex nobis imperat: quia nos voluntates noſtras Academię ſubjectas ſemper obtulimus: quia diſcipulos noſtros examini propoſuimus. At ullam in hoc noſtro facto culpã fuiſſe pernegamus: ſed diſciplinam noſtrã, Academiæ veram germanamq; diſciplinam eſſe contendimus: ideoq; cauſſam noſtrã, ut Academiæ cauſſam, agimus. Quænam enim eſt, aut quæ tandem culpa, quam vehemens iſte iracunduſq; delator in nobis arguit? Libros Ariſtotelis, inquit, non omnes complctè, & ad verbum legiſtis, & hîc leges violaſtis. ô religioſum & ſanctum accuſatorem, qui leges Academiæ tã ſanctè, tam religioſè colat & obſervet! Quid verò, ſi ne ipſe quidem Academiæ leges unquã legiſti, ſed eas nõ ſolùm cupidè, imò etiã temerè cõtra nos appellaſti? Atqui hoc utrũque cõfirmo, tuamq; & cupiditatẽ, & temeritatẽ, legũ ipſarũ teſtimonio cõvinco. Anno milleſimo trecẽteſimo quinquageſimo quinto, lex de forma & modo philoſophiæ explicandæ in Academia Pariſienſi facta eſt: quæ lex nominatum vetat, ne doctores ſubducendis ſingulis propoſitorum librorũ verbis, nominãdo & dictãdo, auditorum manũ potiùs impediãt, quàm explicatione perpetua mentẽ erudiant. Tales doctores lex appellat nominatores ad pennam. In hũc ſiquidem modum lex iſta loquitur:

Philoſophiam continua voce & perpetua raptim prælegito.

Ne tractim nominato & dictato.

Diſcipulus, magiſtri verba mente capito.

Manu & penna ne exarato.

Notabilis tamen ſententiæ dictandæ & excipiendæ facultas eſto.

Rector, baccalaureus, licentiatus, in hãc legem jurato.

Qui primùm violaverit, annum integrum privilegiis careto.

Si iterum atque iterum violaverit, pœnas duplas & quadruplas luito.

Videtis, judices, quàm perſpicuè, quàm intelligenter & apertè lex iſta pro nobis cõtra accuſatorem noſtrum loquatur: quàm non jubeat in philoſophorũ verbis moras interponi, ſed raptim ſententiãs eorum potiùs expendi. At hæc vetera ſunt (fortaſſe dicet accuſator) & jampridem obſoleta: recẽtiores itaq; leges adeamus, & earũ cõſiliũ præceptũq; his de rebus inquiramus. Anno milleſimo quadringẽteſimo quinquageſimo ſecundo, Gulielmus miſeratione divina S. Martini in montibus ſacroſanctæ eccleſiæ Romanæ preſbyter, cardinalis Totavillæus, ſedis Apoſtolicæ legatus Pariſiẽſis Academiæ ſtatum conſtituit, veteres quaſdam leges abrogavit, quaſdam confirmavit. Quid igitur de veteribus illis docendorum philoſophorum legibus ſanxit? Pennam (quam lex illa vetus ademiſſe diſcipulis videbatur) neque tollit, neque imperat, ſed tantùm permittit: vocis autem continuatio-

nem, & ſententiarum diſquiſitionem retinet, curioſam & ſolicitam illam de verbo ad verbum, ut loquitur, prælectionẽ vehementiùs etiam condemnat & rejicit. Sententiam legis audiamus.

» *Philoſophicos libros de puncto in punctum, de capitulo in capitulum, ore & voce doceto ac pronuntiato: quia, ut Hieronymus ait, habet neſcio quid latentis energiæ, vivæ vocis actus, et in aures diſcipuli de authoris voce transfuſa fortiùs ſonat.*

» *Sententias ſtudioſè & diligenter exquirito.*

» *De verbo ad verbum in quæſtionibus alienis ne legito.*

» *Pennam, ubi commodum ſit, adhibeto.*

Hæc lex, Iudices, veteris legis ſentẽtiam manifeſtis verbis comprobat, neq; hac de re legem aliam hactenus ſcriptam habuimus. Et quidem earum legum ſumma prorſus & legitima eſt ratio: multæ ſunt in Ariſtotelis libris quæſtiones alienæ, altercationes ſubtiles magis & argutæ, quàm utiles & neceſſariæ: earum itaque ſummas ſententias lex expendi jubet non in verbis vanas & odioſas quæſtiones excitari. Tales ſunt, ut modò logicos tantùm Ariſtotelis libros attingã, de modalibus, de miſtis contingẽtium & abſolutorum pronuntiatorum concluſionibus, de ſyllogiſmorũ reductionibus in figuras, de poteſtate, plura, falſa, circulatoria, impoſsibilia, contraria concludẽdi: qualis eſt etiam illa præ cæteris inſignis quæſtio, An propoſitæ rei duobus extremis definitis, aliquod ſit extremum. Quæ omnia ut ſubtilia & arguta ſint, ad vitæ tamen humanæ fructũ nil omnino conferũt, nullam inveniendi argumenti, nullam diſponendi rationem ad judicandum præbent, quæ tota Dialectica vera eſt: quæſtiones denique alienæ ſunt. Infinitę ſunt in iiſdem libris & perpetuæ iterationes, & pluribus propè voluminibus conturbantur, quàm omnia illa perſpicuè explicãti verſibus opus fuerat: falſas & alienas præceptiones eorum librorum omitto. Ergo prudentes legumlatores non tam vanę ſubtilitatis, quàm ſolidæ & publicæ utilitatis ſtudioſi, ex philoſophicis libris, quæ commoda & profutura eſſent, voluerũt à doctoribus & ſtudioſè & diligẽter obſervari, quæſtiones alienas rejici: in cęteris, ſimplicis juventutis ætatem noluerunt inutiliter & nugatoriè cõſumi: pennam aſsiduam iccirco & dictata removerunt, ad verbum vanas quæſtiones & alienas illas tradi vetuerunt: prudẽtiam denique ex delectu bonorũ & malorum in ſanciendis legibus adhibuerunt. Et quidem ſi opinionem hanc legiſlatoris noſtri neſcio quam non Græcorum legiſlatorum, non philoſophorum, non noſtrorum Druidum ſapientiam arbitramur, vehementer erramus. Lycurgus civilia jura in mentibus civium ſuorum deſcripſit, ἄγραφα omnia reliquit: Pythagoras (qui primus philoſophus eſt appellatus) hanc in docenda philoſophia rationem tenuit, aures diſcipulorum attentas, non ſolicitas manus eſſe voluit, pennã omnino removit. Gravis eſt Socratis apud Platonem iſta de re diſputatio, quãtùm vox in docẽdo vivat, quàm mortua ſcriptura ſit: quãtùm vox ad intelligentiã memoriãq; valeat, quantùm ſcriptura ad oblivionẽ & imperitiam faciat. Quid autẽ his omnibus antiquiores Druides noſtri, nonne in docẽda juventute pennã ſuſtulerũt? & meliorẽ eſſe & intelligentiæ & memoriæ magiſtrã vocẽ crediderunt? Lex itaq; noſtra, nobiliſsimæ & antiquiſsimæ ſentẽtię lex eſt. Quã obrẽ accuſator juriſprudẽtiſsime, quid cõtra tã graves, tamq; ſapiẽtes leges hiſcere audebis? nõ erubeſces? nõ malum Academiæ Genium, nõ teipſum accuſabis, qui tibi cõtra leges Academiæ falſa iſta crimina ſubjeceris? q tã ſtupidè malã ſuaſionẽ audieris? Sed ætati tuæ ignoſco, juvẽculus es, imberbis es: cùm annos aliquot adhuc attigeris, vir eſſe fortaſſe incipies: juvẽtutis æſtus quidã te rapuit ac turbavit: magiſtrũ tuũ potiùs accuſo, & tua ſuaq; lege ipſum cõdẽno. Philoſophiã, ſtatuitis, qui nõ ad verbũ didicit, Academię præmia ne capito. Tu dolorũ & fraudũ fabricator Epee, perfrica frontẽ, erige cervicẽ, ſi potes, & dicere aude te philoſophiã ad verbũ didiciſſe: imò verò ꝓ tua manifeſta omnibus ignorãtia, verè cõfiteare te philoſophiæ verbũ nullũ unquã didiciſſe. Quare legis tuæ ſententia, Academia excedito, philoſophorũ præmia ne capito. Sed ad accuſatorẽ noſtrũ redeo, veras Academiæ leges ignorantẽ, falſas à Genio ſuo ſuſcipiẽtem, & veræ legis amantes & obſervantes accuſantem. Si nõ oẽs philoſophicos libros ad verbum, ſicuti criminaris, docuiſſemus,

mus, non modò nil contra legem, ſed maximé ſecūdum legem feciſſemus. At quicquid eſt in libris legitimis,& per legem nobis imperatis verū, utile, pueris inſtituēdis accommodatum, id totū clariſsimis nobiliſsimiſq; exēplis illuſtratum nō modó verbis, ſed pené ſyllabis & literis ſingulis perſequimur. Attamen ne cui vel improbo videamur authores eos negligere, unde ex illis dogmatis quædā ſumpſiſſemus, Porphyrii & Ariſtotelis libros prælegimus, & quidē eorū permultos omnino,& ad verbū perlegimus: paucos, ut lex permittit, ex ſuis ſentētiis explicamus,& eo tēpore prælectiones noſtras terminamus,quo prælectionis hujus finē & terminum lex ipſa cōſtituit,& Determinātias inde nominavit,id eſt,ſecūdi anni mēſe tertio:imó veró ne cōſtituit quidē. Nec enim lex biennio & trimeſtri oēs legitimos ad baccalaureatū libros omnino expoſitos eſſe jubet, ſed partim prælectos, partim etiā prælegi, & in ipſo prælectionis actu doctorē verſari. Itaq; Iudices, ſiquis Ariſtotelis liber(ut queritur accuſator)á nobis nō ſatis accuraté declaratus eſſet, criminis tamē nihil eſſet:in tēpore enim,&,ut lex loquitur, in actu ſumus: major diligētia nobis imperaretur, ea ſeduló præſtaretur. Quamobrē paululúm jā reſpiremꝰ, diſcipulos noſtros accuſatoris crimine liberos habemus. Non audiviſtis, accuſator ait,legitimos ad baccalaureatū libros,ideo publicis ſcholis ejiciemini. At,domine accuſator,reſpondēt diſcipuli,quemadmodum leges inſtituūt,ſic audivimus:Interroga nos,& quám ſeveré voles,noſtra ſtudia perſcrutare:fac de noſtris ingeniis periculum in logicis,in ethicis,in phyſicis,ſolertiā tibi noſtrā ꝓbabimus. Nō faciā,inquit,ſed vos & totum gymnaſium veſtrū damnabo,& penitus exterminabo. A' tanta accuſatoris iracūdia,Iudices,ad ęquitatē & humanitatē veſtrā diſcipuli noſtri cōfugiunt. & quoniā didicerūt, quod ſibi legibꝰ Academiæ diſcendū fuerit,vos orāt,ne privilegiis,ne regiis & pōtificiis induſtriæ diligētiæq; ſuæ præmiis pro fraude & libidine perditi Genii ſpoliētur & exuātur.

Hactenus diſcipulorum & magiſtrorum cauſſa communis acta eſt : quæ ſequitur,magis eſt noſtra,vel potiús Academiæ tota & propria.

Enimveró, perſtrepit accuſator, etſi philoſophicos oēs libros legeritis, veterem tamē docēdi formā nō tenetis:artes cōfunditis, quia cōjungitis cū philoſophiæ ſtudiis eloquētiæ ſtudia, & cū philoſophicis libris poëtas & oratores explicatis, in eoq; leges Academiæ violatis. Pró cœleſtis ſancte pater, quā in Academia Rēpublicā,quos magiſtratus habemus? Accuſatur Petrus Ramus, imó etiā indicta plané cauſsâ dānatur,quód eloquētiæ ſtudia cū philoſophiæ ſtudiis cōjungit,& pulcherrimi præſtātiſsimiq; facti reus appellatur. Atqui leges Academiæ, tāti facinoris authores habeo, & ſi nullas leges ſcriptas haberē,tamē æquitatem & Reipub. utilitatē ac dignitatem (quarū leges tantūmodó ſunt cuſtodes & patronæ) duces habeo. Hęc culpa eſt, Iudices,de qua nō jā pro nobis aut diſcipulis noſtris tantúm,ſed pro Academia univerſa adverſus im,pbos ejus Genios cauſſam dicimus:nec aliud crimē nobis refellendū ꝓponimus, quám quód eloquētiæ ſtudiis cū philoſophia cōjungēdis nō modó nullas artes cōfundimus, nō modó Academiā nil offendimus,ſed ei potiús optimorū & Reipublicę amantiſsimorū civiū officiū & ſtudiū præſtamus. Hæc igitur publicæ cauſſæ,(quā deinde perſequar) quæſtio ſumma eſt, An eloquētiæ ſtudia cū philoſophię ſtudiis cōjungere liceat. Novi judicii nova formá, Iudices, quæſo ne veſtros animos offendamus. multa legi, multa audivi: nunquā tamē legi, nunquā tamē audivi, de philoſophia & literis quenquā in forū veniſſe: adhuc homines præter illū unū(ſi tamē homo eſt) malū Academiæ Genium, philoſophis liberū eſſe voluerunt,de philoſophiæ inſtitutione dicere quod ,pbarēt,& ſcribere:imó etiā libertatē eā ,pbaverūt, nec ſine reprehēſionibꝰ artes abſolvi poſſe, aut hominis cujuſquā invēta perfecta eſſe crediderūt. Attamē,Iudices, judicium hoc tātó majus & gravius ęſtimate,quātó bonis corporis & bonis fortunæ, in quibus diſceptādis quotidie verſamini, bona animi majora excellētioraq; ſunt. In liberali & ingenua juvētutis educatione oēs magni legūlatores,oēs magni philoſophi, Reip. fundamēta collocarūt. In his fundamētis divina Platonis politia cōſumit, Ariſtotelis politica finē illū tantūmodo ſpectans

ctant & intuentur, gymnaſticam corporis & philoſophiam, animi informandi gratiá conjunctas inſtituerunt: eandem Romani diſciplinã ſecuti ſunt, & in utraque gente Græca & Romana itidem modó juvenes bella gerẽdo, modó viri civibus ſuis jura dicendo, modó ſenes religionum ceremonias moderãdo, omnes Reipub. partes viciſſim tractabãt & exercebant. Gallorum ſemper alia ratio fuit: nam jam olim eorũ hominũ, qui aliquo eſſent numero atque honore, in Gallia duo genera fuerũt, alterũ Druidum, qui religiones & leges curarent: alterũ Equitum, qui verſarẽtur in bello. Frãci majores noſtri veterẽ Gallicæ Reipub. partitionẽ ſecuti, duo genera itidem fecerũt, alios longæ, alios curtæ veſtis homines appellãt, quaſi togatos & ſagatos diceres: belliꝗ & pacis ſtudia diſtinxerunt, gymnaſticã equeſtri & militari ordini reliquerũt, animi tantúm curã in gymnaſiis ſuſceperũt, ut primis annis liberalibus artibus ad verã religionis pietatẽ, ad legitimã Reipub. gubernationẽ tenera juvẽtus erudiretur. Hãc primã juvẽtutis diſciplinã, artium facultatẽ nominarũt: quã quomodo tractemus, aut ſi nõdum id plané facere potuimus, tractandã cẽſeamus, id eſt, quemadmodũ in ea cũ philoſophia eloquentiã cõjũgamus, plané & perſpicué eſſe dicendũ ꝓpoſui, ut iis expoſitis, rationũ & cõtentionum contrariarũ momẽta certiús æſtimẽtur, tãtaꝗ & tam gravis quæſtio pro veſtra ſapiẽtia veré & ſanctê diſceptetur. Totã igitur inſtitutionis noſtræ & domeſticæ, imô publicæ & legitimæ diſciplinæ ſpeciẽ & formã, benigné & diligẽter attendite. Si quis bene natus puer, Iudices, in noſtrã diſciplinã traditur, hoc eũ modo ſolemus inſtituere, ut ſingulis dieb' horas duas alterã matutinam, alteram pomeridianã, doctorẽ Latiné & Græcé, ſed Latiné magis (quia & religio & Reſpub. latinis literis à nobis ediſcitur, cãtatur, allegatur, modiſꝗ feré omnibus exercetur) Græcê inquã, & Latinê prælegẽtem audiat, cæteras diei horas in meditãdis, ediſcẽdis, exercẽdis rebus expoſitis conſumat, multoꝗ pl' exercitationi, quám auditioni, tẽporis impẽdat. Una auditionis eſt hora matutina, ediſcẽdi duæ ſunt horæ, pronũtiandi & memoriter efferendi una, duæ communicandi, diſputãdi, imitandi, exercẽdi: ita ad uſum & fructũ unius auditæ horæ confirmãdum, & in animo memoriaꝗ penitus imprimendum, quinꝗ horæ aliæ penitus aſſumũtur. Eadem feré pomeridiani tẽporis nobis eſt ratio: minimaſꝗ boni magiſtri partes eſſe arbitramur in docté prælegẽdo, & erudité dictãdo, quanvis id ſit maximé neceſſariũ, ſed multó maximas ac primas in diſcipulo audiendo, cohortãdo, corrigẽdo, dictis, factis, exemplis, rationibus deniꝗ omnibus exercẽdo: nobiſꝗ perſuademus, pueros lõgé magis exẽplo, imitatione, diligẽtia, cõſuetudine grãmaticos, oratores, philoſophos, quám præceptis fieri: ideoꝗ, artiũ exercitatores, quám doctores malimus & eſſe, & haberi. Quaꝓpter in hac domeſtica diſciplina, alia docẽdæ artis, alia exercendæ artis momẽta nobis diviſa ſunt. Tum enim regulæ artis explicãtur, cúm artis præcepta enarrãtur, repetũtur, iterantur, diſputãtur, á diſcipulo exigũtur, & ejus intelligẽtiæ memoriæꝗ penitus imprimũtur. Ergo hæc prima inſtituẽdi diſcipuli ratio, artis explicatio eſt: Verúm ad tractãdũ cognitæ artis uſum lõgé aliud expetĩ, exercitatioꝗ omnino duplex adhibet̃: prima ut in perſpicuis exẽplis diſcipulus vim cognitæ artis excutiat, & quám artificioſe, quamꝗ regulis artis cõgruenter & apté ea cõſtructa ſint, intelligat. Hæc exercitatio, Analyſis á nobis appellat̃, quia partes operis & exẽpli ad diſtinguẽdum ꝓpoſiti retexit, & ſingulas ad artis normã perpẽdit. Secunda exercitationis via nobis eſt, cúm diſcipulus exẽplo cognoverit, quomodo regulis artis periti homines utãtur, imitãdo primũ ſimile aliqd effingat, deinde per ſeipſum & ſuo Marte nitẽdo conãdoꝗ, ſuũ aliquid & ꝓpriũ faciat. Hæc exercitatio, Geneſis á nobis appellatur, quia novũ gignat opus artis & efficiat. Sic loqui, orare, diſputare, omniumꝗ artium humanarũ opera facere cõdiſcimus, ut in alienis exẽplis primúm, deinde in noſtris operibus & factis cognitas artis regulas experiamur. Quapropter hãc duplicem exercitationis rationem, Analyſim, inquã, & Geneſim in grãmaticis, & rhetoricis, & philoſophicis ſtudiis adhibemus. Tribus primis annis puerum (ſi plané legẽdi & ſcribẽdi rudis & ignarus erit) in grãmatico ſtudio, Latino Græ-

no Græ-

no Græcoq; retinemus. Primo anno declinare nomina, & cõjugare verba quãplurima, eaque ſcribere & pronunriare exemplis magis & uſu, quàm præceptis docemus. Syntaxeos perpauca præcepta tradim᷒, uſum præcepns pauló majorem ex feſtivo poëmate aliquo addimus: quia, ut ille ait,

Os pueri tenerum balbumq; poëta figurat:

Virgilii Bucolica, Homeri de ranis & muribus ludicra, iiſq; ſermonis familiaritate ferè parem Terennanam aliquam fabulam, aut facilem proſam é quibuſdam Ciceronis epiſtolis proponimus, totumq; primum annum in ſingulorũ verborum etymologia & copia quadã conſumimus, ut puer hoc anno pingere & legere, varia & multa vocabula Latinè Græceq; conjugare & declinare perdiſcat. Secundo anno major quędam & accuratior etymologiæ grammaticæ doctrina proponitur, uſus uberior ex Virgilii, Ciceronis, Homeri, Ariſtophanis pauló majore opere aliquo. Tertio anno ſyntaxis jam tora perdocetur, & cum annis ipſum ſtudium exercitatioq; accreſcit: ſi quatuor aut ſex verſus puer ediſcebat, ſex aut octo ediſcet: ſi ſex vel octo verſiculorum thema ſecundo anno ſcribere didicerit, jam duodecim vel octodecim anno tertio conſcribet. Hos tres annos in grammaticis totos & integros inſtituimus, & certiſsimũ omnium doctrinarum fundamentum in his primis Latinæ Græcæq; linguæ rudimentis poſitum eſſe judicamus. Rhetorica philoſophiaq; tota, magna ex parte naturalis eſt: multi ſine Rhetorum præceptis ornaté dicunt, multi ſine philoſophorum dogmatis acuté diſputant, res naturales intelligunt, bene beateq; vivunt. At Latina Gręcave lingua in libris tantùm poſita eſt, nulli populo hodie vernacula & familiaris eſt. Itaq; niſi qui didicit, Latiné aut Græcé nemo intelligit, & qui linguarum earũ peritiam perfectam habent, rerum bonam magnamq; partem per ſeſe intelligunt. Ergo in his linguarum ſtudiis diuturnam operam ponimus, ut ad uſum regularum grammaticarum per Analyſim puer in familiaribus exemplis doceatur, etymologiam partium orationis & ſyntaxim, denique proſodiam, ſi proferatur, & orthographiam, ſi ſcribatur, expendere, & ad explicatæ artis legem ſingula referre: atq; omnino hac Analyſeos examinatione grammaticam orationis puritatem vel impuritatẽ deprehendat. Hæc prima eſt grammaticæ artis exercitatio: ſecũda eſt ut in themate propoſito ſimile explicati & ꝓpoſiti exẽpli aliquid effingat, aliàq; ad eandem imitationis ſimilitudinem quamproximé & veriſsimé poterit, loquatur & ſcribat. Atq; hac interpretationis, imitationis, ſcriptionis, locutionis, meditatione & exercitatione tandẽ Grãmaticus exiſtat. In his, inquã, linguæ Latinæ & Græcæ fundandis initiis, tot annos his exercitationibus impendimus, atq; etiã reliquis & conſequentibus puerilis hujus, de qua loquimur, induſtriæ temporibus, & annis utriuſque linguæ uſum quotidie cõfirmamus & abſolvimus. Statuatur veró interea illud, quod veriſsimum certiſsimumq; eſt, aliud eſſe regulas artis explicare, aliud explicatæ artis uſum exercere, & grammaticas omnes regulas ab eo ſciri poſſe, qui puré loqui neſciat, qui proprié & veré ſcribere neſciat, qui ullum grãmaticę artis uſum exprimere neſciat: idéq; in omnibus artibus fieri poſſe, ut qui muſicas regulas didicerit, cantare neſciat: qui Varronis, & Catonis de agricultura libros cognoſcat, arare tamẽ neſciat. Quapropter tribus primis annis in conjuncta Grãmaticæ explicatione & exercitatione hoc modo poſitis, ſimillima ratione ac via proximo anno rhetoricas regulas à dialecticis regulis & grãmaticis diſcretas & diſtinctas docemus: Rhetoricã igitur & elocutionẽ in definitionibus, diviſionibus, generibus troporum & figurarũ, & pronuntiationem in modis vocis & geſtus interpretamur, eaq; omnia iterãdo, repetendo, exigendo, penitus inculcamus. Atq; hac interpretationis diligentia, rhetoricas regulas diſcipulis noſtris notas & perſpicuas efficimus. Hæc Rhetoricæ artis eſt explicatio. Eodẽ tẽpore, ſed diverſis horis, exercitationẽ illã duplicem Analyſeos & Geneſeos adjungimus: Analyſim in nobilibus & inſignibus Virgilii, Ciceronis, Homeri, Demoſthenis, & ſimiliũ authorũ exẽplis adhibemus: in quibus diſcipuli troporũ lumina, figurarũ ornamenta ex rhetoricis regulis pervideãt: vocis & geſtus exẽpla (quę in ſcriptis libris mortua ſunt) voce

gestuq;

geſtuq; nos ipſi fingimus, & quantùm licet, exprimimus. Geneſim, alterã exercitationis ſpeciem deinde perſequimur, ut pueri ad exempli imaginem, ſententiam poſiti thematis, Tropis & figuris eloquantur, modoq; vinctum numeris poëma faciãt, modò proſam & ſolutam orationem contexant, voce geſtuq; reddant ac pronuntient, per ſeipſos deniq; quodvis aliud argumẽtum ſimiliter exornent & tractent. Nec in iſto rhetorico ſtudio grammaticas regulas permiſcemus, antecedentibus ſtudiis cognitas huc attulimus: uſum tamen grammaticum, & fructum retinemus, & quantùm poſſumus, Latinæ Græcæq; linguæ intelligentiam roboramus, augemus: nec, ut ornatè dicamus, barbarè & impurè loqui volumus, ſed congruè & purè loquendi conſuetudinem, eleganter & ornatè dicendi conſuetudine perficimus. Nihil adhuc, judices, in duabus his artibus accuſamur: certè ab accuſatore tolerantur: nec quia Grammaticæ uſum cum Rhetoricæ uſu copulamus, ideo Grammaticam cum Rhetorica permiſcere & conturbare dicimur: & ſanè nihil vel malevolentiſſimum quenquam offendere debeamus: niſi fortè fuerit offenſio, diſtinctiùs eas doctrinas docere, & diligentiùs exercere, quàm vulgò doceantur & exerceantur. Tertius ſtudiorum gradus eſt in Dialectica, ubi nulli quidem conſilio aut voluntati veterum vel philoſophorum vel legum, ſed certè noſtrorum hominum quorũdam ignaviæ & inertiæ valdè diſſimiles contrariiq; ſumus. Attendite quæſo, partem hanc expoſitionis meę tertiam, judices, & æquis animis accipite. Ponite ante oculos, quæ de artis explicatione, de artis exercitatione adhuc expoſui, aliud eſſe artis regulas explicare, aliud artis uſum tractare & exercere. Hîc enim criminis (quo accuſamur) tota ratio ſita eſt, quòd nobis Dialectica nõ explicanda ſolùm, ſed exercenda, ſed penitùs utenda fruendaq; videatur. Ergo quinto anno diſcipulum noſtrum ad Dialecticam deducimus: & quemadmodum priùs in Grammatica & Rhetorica, ſic nunc in Dialectica inſtituimus: Dialecticæ artis regulas explicamus, explicatæ artis uſum & exercitationem aſſumimus, totumq; hunc annum ex præſcripto legis in Dialectica collocamus, & Dialecticæ inventionis diſpoſitioniſq; præcepta, quæ Rhetores in rhetoricis artibus parũ diſtinctè confuderant, in dialectica arte propriè & perſpicuè tradimus. Duæ ſunt artis dialecticæ partes, Invẽtio & judicium: utriuſq; partis igitur regulas & præcepta, & quæ differentias argumentorum, & quæ judiciorum formas habeant, ex logicis libris, ſicut antea dixi, ſelecta & ordine digeſta, & exẽplis inſignibus illuſtrata tradimus: totos etiã libros, unde ex optimis illis nõnulla ſelecta ſunt, ſingulis capitibus demonſtramus, eaſq; dialecticas leges & regulas diſcipulis noſtris interpretãdo, repetendo, exigẽdo, altercãdo, modiſq; omnibus verſando, declaram': & quod ſingulis diebus hora una explicatũ eſt, duabus horis, ſæpe etiam tribus, argumentando, communicando, iterando, diſcentis animo mentiq; mandamus & inculcamus, & qua diligentia grammaticam artem antea, & rhetoricam, eadẽ, imò verò multò vigilantiore atq; acriore, declaramus. Nihil hæc explicandæ artis induſtria à malo Academiæ Genio reprehenditur, imò verò ſola hæc in dialectico doctore diligentia ab eo probatur. omnis exercitatio & Analyſeos & Geneſeos ab eo accuſatur & improbatur: & quòd, ut Grammaticæ & Rhetoricæ, ſic Dialecticæ uſum docemus & explicamus, hoc à Genio illo damnamur. Verumenimverò quia Dialecticã Grammatica & Rhetorica tantò præſtantiorẽ diſciplinam judicamus, quantò lingua mentem, verbis ſententiam & rationem præſtantiorem judicamus, ideo pręſtantiorem etiam excellentioremq; in Dialectica curam diligentiamq; requirimus: dialecticæ artis explicatione cõtenti nõ ſum', explicatæ & perſpectæ artis uſum quærimus, exercitationemq; illam duplicem, & Analyſeos & Geneſeos præcipuè hîc adhibemus, laudamus, amplectimur: hoc malo Academiæ Genio novum, grave, invidioſum, exitiabile, criminoſum eſt. Itaque Genius hic non ſolùm ſapiens, verum etiã Academiæ providens, tantũ facinus acerbè perſequendum, coërcendum, vindicandum exiſtimat. In hortis Heſperidum, poëtæ memorant auriferum nemus aureis malis fœcundũ, eminùs à prætereuntibus conſpici,

ſpici,ac ne illa aurea inde mala decerpātur,pervigili & contorto dracone cuſtodiri, qui tamen illis nequaquam fruatur:ſic videlicet in philoſophicis ſtudiis auriferum nemus eſt, aurea mala ſunt, quæ cernere procul & aſpicere per iſtos cōtortos dracones & malos Genios Academiæ cuſtodes liceat, decerpere(quāvis ipſi cuſtodes non utantur,non attingant,non videāt(attamen nō liceat. Verùm cætera percipite,judices. Scholaſticis dialecticæ diſciplinæ regulis,accuſatoris noſtri more, cōtenti nō ſumus, earū regularū uſum etiā volumus. Quomodo? proponim⁹ primùm Analyſeos ergó,exēpla nobiliū & graviū authorū, qui ſunt non ſolúm puré & Grāmaticé locuti,ornaté & Rhetoricé elocuti,ſed etiā ſubtiliter,acuté, prudenter de poſita quæſtione ratiocinati, ut in eis diſcipulus noſter, regularū dialecticarū, id eſt, argumentorū,enuntiationū, concluſionum,methodorū ſpecies exploret & deprehendat:tum deprehenſas, Geneſeos gratiâ in ſimili quæſtione tractet & exerceat.Eodem itaque die, ſed diverſis , ut antea,& diſtinctis horis,ſimiles & invētionis in argumento, & diſpoſitionis in enūtiatione, ſyllogiſmo & methodo laudes meditatur, ingeniū judiciúmq; ſuū ad illas ideas conformat & inſtituit: tandémque per ſe ac ſine alterius exemplo, quaſvis quæſtiones alias pari,vel etiam (ſi queat)abundantiore rerum argumētorúmque copia, clariore & directiore ordinis diſpoſitioniſque via diſputat & explicat.Multos jam annos, judices, in poëtis,oratoribus, philoſophis Græcis & Latinis hunc dialecticæ artis uſum & fructū non ſolúm magno & aſſiduo,ſed grato & jucundo labore palàm docemus,& publicé demonſtramus. Oravit in Piſonem Cicero, multaq; graviter & acerbé in eo reprehendit, quomodo ſit ad honores publicos evectus, quomodo ſit in his verſatus. In hujus igitur orationis artificio dialectico declarando, cauſſas,facta, circunſtantias adjunctas, cōtraria,cæteràque argumentorū genera ſubducimus:enuntiationis cōcluſiones & ſyllogiſmos diſtinguimus, ordinem univerſum notamus. Analyſis eſt. Exemplum ſimilis argumēti diſcipulis noſtris ponimus: quod ille ſpecianm tractavit,generatim diſputamus,& quæſtionē ab hypotheſi ad theſim tevocamus.In Piſonem Cicero dixit: Nos in tyrannū & pernicioſum Reip.magiſtratū dicimus:& perſequendis exempli tanti veſtigiis, ſimile Ciceronis aliquid effingimus. Geneſis eſt. Oravit pro Milone Cicero:totius defenſionis argumēta ad invētionis locū referimus:pronuntiatorū ſpecies recognoſcimus, ſyllogiſmos & argumentationes ad figurā formāq; redigimus,ordinē perpetuū cōtuemur. Analyſis eſt. Similis quæſtionis thema proponimus: quod pro Milone contra Clodiū dixit : nos pro forti & conſtanti principe cōtra ſceleratū ſicariū & latronē ſimilibus argumētis, ſimilibus enuntiatis,ſimilib⁹ ſyllogiſmis,ſimili ordine, ſimili deniq; invēnone & diſpoſitiōe diſſerimus:eadémq; analyſeos & geneſeos exercitatiōe,Demoſthenis,Homeri,Virgilii,Platonis,Ariſtotelis dialecticū & ex argumēto conſiliū,& ex ſyllogiſmo judiciū, & ex ordine univerſæ collocationis complexū interpretādo,meditādo,ſcribendo,declamādo perpendimus,imitamur:nec aſſequi tantùm,ſed alicubi vincere ac ſuperare cōtendimus.Remoto etiā aliquādo imitationis exēplo, dialecticæ artis virtutes omnes per nos ipſos in libera,& ad arbitriū poſita quæſtione tractamus & excolimus: omnéſq; laboris,vigilantiæ,ſtudii nervos intēdimus, ut inde artis Dialecticę fructū conſequamur. Nec in his tamen Dialecticis exercitationibus, Grāmaticas aut Rhetoricas regulas docemus : ſed ut in Rhetoricis Grammaticū loquendi uſum,ſic in Dialecticis diſputationibus non Grammaticū ſolúm, ſed Rhetoricū orationis fructū retinemus : triúmq; cōmuniū ad res omnes tractandas & explicandas artiū uſum conjungimus,quarū diſtincta præcepta diſtinctis temporibus antea docuimus,ut eandē quæſtionē locutione Grāmatica & elegāti, dictione Rhetorica & ornamētis inſigni,ratione Dialectica,id eſt,argumēto ſtabili, enūtiatione certa,ſyllogiſmo conſtanti,methodo diſtincta & illuſtri tractemus & exponamus. Quintus annus in Dialecticis artibus,in Dialecticis exercitationibus hoc modo nobis inſtituitur. Trium artium, Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ uſus,conjuncto ſtudio tractatur: imò reliquis etiam philoſophici temporis an-

nis tātó copioſius & uberius exercetur, quantó rerū, quæ loquendæ, dicendæ, diſputandæ ſunt, maior eſt ubertas & copia. Hæc eſt, judices, Dialecticæ artis exercitatio, quæ tantopere in nobis accuſatur: hoc eſt noſtrū facinus, quod accuſator legibus Academiæ contrariū, Dialecticæ ſtudiis inimicū, vitæ atque humanitati pernicioſum eſſe criminatur: Hæc eſt culpa, cujus nomine omnes invidiæ & obtrectationis indignitates, cōtumelias, acerbitates publicas, omnis opprobrii, omniſq; infamiæ notas per illum Academiæ cuſtodem draconem perpeſsi ſumus: cui, niſi ſpes æquitatis veſtræ nobis appellantibus adeſſet, cervices, credo, vincti & oppreſsi, jam ſecuri ſubjectas haberemus. Sed age, reliqua perſequamur. Dialecticam, ut dixi, ſic docemus, ſic exercemus, eandémque tamen exercitationem in toto reliquæ philoſophiæ moralis & naturalis ſtudio perpetuam tenemus, quæſtiones & ſententias rerum ex argumentis, ex argumentationibus ponderamus, quám vera, quám commoda præcipiantur, hác eâdem libra perpendimus. Ethica diſciplina ſecūdo curriculi philoſophici anno per legem inſtituitur: nec tamen omnes ethici Ariſtotelis libri, ſed quatuor duntaxat imperantur. Hujus philoſophiæ doctrinam, ſi mihi fuerit optandum, quod aſſequi velim, malim pueris ex Euangelio per eruditū aliquem, probatiſq; moribus Theologum, quám ex Ariſtotele per philoſophū tradi. Puer impietates multas ex Ariſtotele diſcet, quas vetendum, ne nimis ſeró dediſcat: beatitudinis principium ex homine oriri: beatitudinis finem in homine terminari: virtutes omnes, hominis facultate penitus contineri: eas ex hominis & natura & arte & induſtria comparari: Deū ad hæc opera, quanvis magna & divina, tamen vel adjutorem, vel artificem nuſquam adhiberi: divinam providētiam ex hoc humanæ vitæ theatro removeri: de juſtitia divina verbum nullum fieri: animos mortales eſſe, vel certé id Ariſtoteli probatū videri, ideóque ab eo beatitudinem hominis in hac caduca vita conſtitui. At ut Grammaticæ uſus eſt & finis bene loqui, Rhetoricæ bene dicere, Dialecticæ bene ratiocinari: ſic moralis philoſophiæ, bene beatéq; vivere uſus & finis eſt, á quo nos Ariſtotelis moralis philoſophia revocat: tantúm abeſt, ut ad eum perducat. Magnū fuit veteribus religionis Chriſtianæ doctoribus contra doctrinam gētium (quarum doctor Ariſtoteles in hac philoſophia maximus fuit) & acre certamen, ut hāc gentilem doctrinam de Chriſtianis moribus excuterent: & leges Academiæ veteres ſanciunt, ut ſi quis ejuſmodi locus impius in philoſophicis libris occurrerit, accuraté ſecundúm religionis veritatem refellatur, vel omninó etiam non legatur, nec diſputetur, ſed prætereatur: Nos quippe ſanctiores, contemptis majorum inſtitutis, hanc Ariſtotelis philoſophiam non modó non rejicimus, ſed (pró pudor!) Chriſtianæ religionis veluti fundamentum fecimus. Hoc enim nomine Animadverſiones, id eſt, dialecticæ ſcholæ accuſatæ ſunt, quód Theologiā enervarent, quia Ariſtotelis authoritatem improbarent. Tum veró, fac in Ariſtotelis Ethicis nihil eſſe impium, omnia eſſe utilia: non ideo quę utilia ſint, protinus etiā in curriculo philoſophico docenda ſunt: Artes hæ potius ſunt explicandæ, quæ doctorem, quæ lumen requirūt, unde poſtea philoſophia Platonis & Ariſtotelis intelligi poſsit. ut in pictura (ſicut ait Cicero) qui hominis ſpeciem pingere perdidicerit, poteſt etiā cujuſuis vel formæ, vel ætatis, ſi non didicerit, pingere: neque periculū eſt, qui leonem aut taurū pingat egregié, ne idē in multis aliis quadrupedibus facere non poſsit. Similiter arbitror in hac prima & juvenili inſtitutione: qui Græcam Latinámque linguā didicerit, qui Rhetoricā & Dialecticā exercuerit, qui mathematicas artes, Arithmeticā, Geometriā, qui Phyſicā & Mathematicā rationem reliquā didicerit, non poſsit idem moralem Platonis & Ariſtotelis philoſophiā per ſe cognoſcere. De mathematicis tamen artibus leges antiquæ tacent, recentes Totavillæę, aliquid in mathematicis explicari volūt, neque libros tamen, neque tempora definiunt. Quare, judices, cúm quintus hic annus ſecundúm legē in dialecticis poſitus fuerit, ſextū in mathematicis Elementis collocamus, Arithmeticis integris, geometricis item integris, muſicā & opticam conjunge. Has igitur primas & ſimplices mathematicas

diſcipli-

diſciplinas anno ſexto amplectimur, præcepta & regulas facilè & intelligenter exponimus, uſum præceptorum & regularum omni exercitatione Analyſeos & Geneſeos, quantumcunq; poſſumus, exquirimus: exempla nobis propoſita contemplamur, alia ipſi facimus & effingimus. Atq; ad retinendum, imò ad augendum eloquentiæ fructum, ut antea de communibus, ita jam de mathematicis theſibus declamamus. Hæc mathematicarum artiũ acceſſio nil accuſatores noſtros offendit, ſaltem nulla offenſionis ſignificatio adhuc extitit. Quare pergamus: ex Grãmaticis, Rhetoricis, Dialecticis, Mathematicis adhuc perceptis, ſtrenuam eloquentiæ & philoſophiæ & egregiam operã navamus, omniq; diligentiæ & induſtriæ ſtudio, inchoatas loquendi, dicendi, diſſerendiq; virtutes perſequimur. Septimus annus in Phyſicis ſupereſt. In octo primis Ariſtotelis voluminibus phyſicis multa eſt contra veterum opiniones altercatio: Imò phyſicæ veritatis nulla prorſus eſt expoſitio: Aſtrologiã aſſumimus pro libris Ariſtotelis de Cælo, qui præter quæſtiones alienas admodum nil habent: librorum de ortu & interitu ſolida theoremata quæ pauciſſima ſunt ſeligimus, omittimus quæſtiones alienas: libros de Meteoris, de anima diligentiùs expendimus: libellosq́ reliquos de vita, ſenſu, vigilia, ſomno, memoria, diſcipulis noſtris, ut per ſe jam aliquid experiãtur, privatim unicuiq; legendos imperamus: & quoniam locos tantùm communes continent, quotidianis declamationibus argumenta cõmunia facimus: ut ſicut antea de bello & pace, & vulgaribus rebus, ita nũc de vita & morte, ſubductis omnibus Ariſtotelis rationibus, diſcipuli noſtri declament. Euclidis accuratiùs explicari volumus: annoq; eodem, Phyſicam veram, mathematicis rationibus fundatam doceri & exerceri. Interéaq; Rhetoricas & Dialecticas meditationes tantò majores habemus, quantò in his ſtudiis majores annis ſumus: ad eloquentiam colorandã & roborandam, cum phyſicis decretis & placitis, phyſicos poëtarum & oratorũ locos ſociamꝰ. Tota Maronis Georgica phyſica ſunt: tota Metamorphoſis Ovidii phyſica eſt: totus Lucretius phyſicus eſt: Senecæ quæſtiones ſunt naturales: Plinii divinũ illud opus totũ phyſicũ eſt: denique nullꝰ eſt in phyſicis decretis locus, cui nõ poſſit ad aliquẽ gratioris & humanioris illuſtrationis fructum poëta vel orator adjungi. Deligimus igitur è tanta optimorũ authorum copia locos inſignes, quos philoſophicis præceptis, quantùm philoſophici temporis ratio feret, adjungamus. Quapropter quantùm tẽpora ferre potuerint, ex tãta præſtantium authorum copia clariſſimos quoſq; & philoſophiæ hujus affines & propinquos adjungimus: atq; ita tandem ſeptimo exacto ſtudiorũ anno magiſtrum artium non nomine, ſed revera ac veritate perficimus & abſolvimus, qui Latinã Gręcamq; linguã, qui Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Phyſicam didicerit, quiq; alios jam docere paratus ſit. Hactenus, Judices, fundamẽta defenſionis meæ conſtitui: Diſciplinam gymnaſii mei, vel potiùs facultatis artiũ totam, totámq; inſtitutionẽ vobis expoſui, quam ſequimur, quam probamus, quã etiam ſi nondũ planè tenemus, ſequendam tamen & probandã ſuademus. Artes diſtinctis temporibus diſtinctè docemus, fructus tamen omniũ paulatim ut matureſcunt, ad uſum eloquẽtiæ & prudentiæ convertimus: uſum primæ artis cum ſecundæ artis uſu, itemq; primæ & ſecundæ uſum cum uſu tertiæ, eodemq; modo ſemper antecedẽtium uſum cum inſequentiũ uſu conjungimus, unumq; tandẽ eloquentiæ & philoſophiæ generalem & cõmunem uſum ex multis ſpecialibus & præcipuis efficimus. In agricultura ſunt ſegetes, ſunt arbores; ſunt vites, ſunt armenta, pecudes, quæ ſuum quæq; cultum ſeparatim requirunt: relictis in agro calamis frumẽta domũ comportamus: arboribus in horto relictis poma domũ comportamus: pecoribus & armẽtis in paſcuo relictis, lactis copiã & vellera domũ comportamus: eorum omnium ſimul uſum ad corpus paſcendum, alendũ, veſtiẽdum conjungimus: Ita fit in animorum cultura: variæ ſunt ejùs partes, variis modis exercẽdę. Grãmaticam artẽ tribus primis annis explicamus: iiſdẽ tribus annis, diviſis horis, etiã Grãmaticæ uſum, grãmaticas poëtarum & oratorum virtutes excutiẽdo,

uſurpando, loquēdo & quidvis ſcribendo exercemus: anno ſequēti, Rhetoricā artē explicamus: eodē anno diviſis horis, rhetoricas poëtarū & oratorū virtutes exquirēdo, imitādo, eloquēdo quidvis & pronuntiando exercemus: philoſophiæ libros & præcepta tribus proximis annis ſexq; mēſibus explicam⁹: iiſdē annis, philoſophiæ rationalis uſum, mathematicæ ſtudiū, naturalis clariorē ſenſum poëtis & oratoribus enarrādis, & philoſophicis eorū virtutibus ad proprium philoſophiæ locū referendis, imitandis, & quibuſvis aliis meditādis, ſcribēdis, diſcēdis excitamus & exercemus: eodemq; tempore, mentis prudentiā & linguæ eloquentiā conjūctis vigiliis, laboribus, ſtudiis exquirimus, & relictis in ſchola tot tantarumq; artiū pręceptis & regulis, fructū in forū, in Senatum, in concionē populi, in omnē hominū conventum, id eſt, domum comportamus. Grammaticā, Rhetoricā, philoſophiāq; totā in ſchola relinquimus, & regularū jam nil egemus, puritatē orationis & ornatum, rationis acumen, numerādi, metiendi peritiā, cæli & mundi univerſi notitiam, ad animum formandū, erudiendum, componendū, ornandū, perficiendum conjungimus & copulamus. Hāc animi perfectionem Rhetores eloquentiam perfectam, Philoſophi melius & verius philoſophiam perfectā ex perfecta artium explicatione, ex perfecta artium exercitatione, nonnulli completū quendam velut orbem doctrinæ, ἐγκυκλοπαιδείαν vocāt. Hæc, Iudices, diſciplina mea eſt: quæ ſi veſtro judicio magnis pœnis ſuppliciiſq; digna eſt, omnes in me cruciatus convertite, diſcipulos meos delicti vel erroris animadverſione liberate. Nam quod ille de Euryalo exclamat,

Me me adſum qui feci, in me cōvertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iſte nec auſus,
Nec potuit: —

Sic iſtam in me culpam, ſi ulla eſt, in me totam recipio, & in eā meis me ſcriptis, dictis, factis, exēplis, adhortationibus, conſiliis infinita ingenia, vel potius infinita ingeniorū millia impuliſſe, & quotidie impellere concedo. At per Deū immortalem, date mihi veniam, Iudices, ſi deteſtandæ & propulſandæ invidiæ, vel potius excitandæ hominum quorundā ignaviæ & inertiæ cauſſâ non minus liberè, quàm verè dicam: quantum potero contendam, ut omnes exaudiāt. Audi igitur popule Pariſiēſis, audite Galli, Itali, Hiſpani, Germani, Britanni, omneſque populi, qui ab hac ampliſsima pulcherrimaq; orbis terrarū Academia diſciplinam & eruditionem petitis: Confirmo, recipio, prædico, in Academia Pariſienſi philoſophiæ inſtitutionē & exercitationē poſt annos ſeptingentos, quibus á Carolo Magno condita eſt, non modô crimine & reprehenſione liberiorem, ſed laude & cōmendatione digniorem nullam fuiſſe. Hęc, inquam, recipio, Iudices, & me æquitati veſtræ probaturum cōfido. Quare ut talē philoſophiæ exercitationē, talemq; eloquentię & philoſophiæ conjunctionē vobis approbē, primùm contrariis adverſariorū & malorum Academiæ Geniorum calumniis breviter reſpondebo: deinde plenius de vera totius cauſſæ natura diſputabo.

Quid ergo contra iſtā philoſophiæ inſtitutionem & exercitationem dicit accuſator? Quas calumnias malus Academiæ Genius illi ſuppeditat? Antea libidinē & fraudē cōtra diſcipulos præbuit, nūc contra diſciplinā ipſam quid præbebit? Dicet me iſta inſtitutione omnes artes confundere, diſtinctiones artium neſcire, veram dialecticæ exercitationis materiam contēnere, verum Dialecticæ artis uſum fugere. Ergo ut artium confuſionem in hac inſtitutione doceat, quid faciet? Leges Academiæ nomine ipſe faciet, & à ſe factas allegabit. Cōfundis igitur, ait ab eo inſtructus accuſator, artes, quia eloquētiam cum philoſophia permiſces, & in eo Academiæ leges evertis. Quæ lex unquam, Deum immortalem, in terris extitit, quæ rē tam laudabilem tamq; ſalutarē damnaret? & quæ talem multiplicis uſus cōjunctionem, artium confuſionem appellaret? Anno, inquit, ſuperiore lex facta eſt, ne Grammatici ſupra philoſophos, neve philoſophi ſupra Grammaticos quicquā uſurparent, ſed ſuis ſe finibus ſinguli cōtinerent. Lex iſta antiquo ſermone neſcio quo Grammaticorū nomine, etiā Rhetoras intelligit: & vulgo in facultate artium duo tantùm ordines Grammatici & philoſophi nominātur. In hac itaq; lege accuſatoris noſtri aheneus quidā murus eſt. Leges Academiæ, dico diſciplinæ mihi dominas eſſe,

nas eſſe. At Academiæ leges contra nos accuſator adhibet. Quo me vertã, Iudices? qua via his me malis expediã? Dico me Academiæ diſcipulũ, imó defenſorem & patronũ: accuſator, everſorem eſſe me productis legibus arguit. At ego nego hãc Academiæ legẽ eſſe, & ſi maximé lex eſſet, nego me legi non obtemperare. Etenim, Iudices, eorũ eſt in Repub. leges cõdere, quorũ eſt de lege benemeritis præmia proponere. Academia ſuſcipit à Regibus noſtris, à Põtificibus Romanis honeſtorũ ſtudiorũ præmia, non à malis neſcio quib⁹ Geniis accipit. Tales ſunt Academiæ veræ leges per Simonem, Ioannẽ, Aegidiũ, Gulielmum Cardinales ſedis apoſtolicæ Legatos ex voluntate Regum noſtrorũ de moribus, diſciplina, tota deniq; Academia factæ. Ergo legem Academiæ eſſe nego, quæ ſine authoritate Regũ noſtrorũ & Pontificũ Romanorũ, paucorũ coitione facta ſit: nec enim publicis & cẽturiatis comitiis ꝓmulgata lex eſt. Ego unus Academiæ celebris & antiqui, & licet exiguis attamen Regũ Pontificumq; privilegiis ornati gymnaſii magiſter, & quidẽ authoritate veſtra, Iudices, inſtitut⁹, ad hujus promulgationẽ legis, quę tota cõtra me ferebatur, nunquã appellatus ſum. Attamẽ, vide accuſator, quãtum tibi largiar & cõcedam, legẽ hanc accipio: & quamvis lex nulla ſit, juſtiſsimã ſanctiſsimãq; legẽ, & Academia Pariſienſi digniſsimã, & nobis votis omnibus ad noſtræ inſtitutionis & diſciplinę confirmationẽ vehementer optandã judico: quam cõjungendis eloquẽtię & philoſophię ſtudiis non modó nõ violamus, ſed in tot Academiæ noſtrę gymnaſiis ſoli tenemus & obſervamus, in eaq; antequã lata eſſet, excolẽda, maximos labores maximasque contẽtiones ſuſtinemus. Deus Opt. Max. mẽtes hominum exuſcita, & tanti tamq; funeſti veterni ſtuporem diſcute. Quid eſt, accuſator, ſi grãmaticæ uſum cũ rhetoricis ſtudiis cõjungo, videorne tibi Grammaticam cũ Rhetorica cõfundere? Minimé opinor. Prius enim Grammaticã docuerim, nũc uſum tantúm retiticam: regulas illius artis, cũ hujus artis regulis nõ confuſé doceã, non permiſceam. Cur igitur hoc tẽpore Grammaticã aut Rhetoricam cũ philoſophia tibi confundere videar, cúm earũ diſciplinarum decreta multó ante tradiderim, facultatẽ tantúm & fructũ modó reſervẽ? nullas earũ præceptiones cũ Dialecticæ præceptionibus perturbem? Sed artiũ diſtinctiones neſcio: in Dialectica fortaſſe decipior, & amore ejus artis lõgius à vero deducor: Dialecticam ſic amo, ut omnibus hominibus nõ ſolúm facilẽ & cõmodam, ſed ſpecioſam & venuſtã videri cupiam: imó omnes homines natura ſua dialecticos eſſe perſuadeã: nec intelligo alios aliarũ eſſe artiũ homines, poëtas eſſe grãmaticos, oratores rhetoricos, philoſophos eſſe dialecticos. Itaq; cúm in dialecticis ſtudiis poëtas & oratores adhibeo, Grammaticã & Rhetoricam cũ Dialectica permiſceo & confundo. O' me miſerũ! In quos homines, in quæ ingenia incidi? O' vani & inanes labores mei! Tot annos publicé de artiũ liberalium diſtinctione diſputavi, tot libros ea de re conſcripſi & publicavi: horum tamen noſter delator (qui ſeſe ſummo Academiæ loco dignũ cẽſet, ideoq; vigilãtia, ſcilicet, ſolicitudine, providentia nos plebeios longé ſuperat) horũ, inquam, librorũ ne literam quidẽ cognovit, legit, audivit. A' perdito illo Genio fortaſſe didicerat, rationes quaſdã ſubtiliores & callidiores ad obtinendũ (quẽ falſa opinione ſibi finxerat) Academiæ principatũ attinere: literarũ, eloquẽtiæ, philoſophiæ verã, perſpicuam, diſtinctã nonriã ad publicos honores attinere, ex illo erroris magiſtro percipere nõ poterat. Etenim tot animi cõtentionibus elaboravi, ut docerẽ, tres artes, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticã, generales, univerſales, omniũ deniq; hominũ rerumq; cõmunes eſſe: homines, rationales animãtes eſſe, ideoq; naturâ ſua dialecticos eſſe: homines patrio quodã ſermone eſſe præditos, quo nõ ſolûm ſenſa mentis exprimerẽt, ſed exclamãdo, averſando, cõmunicando, ſimulãdo, varios affectus varié promerent: ideoq; naturâ ſua grammaticos & rhetoricos eſſe. Sed ad illa naturæ initia præceptis ſapientũ magiſtrorũ accedentibus, vigiliis, ſudoribus, ſtudiis, exercitationibus adjũctis quamplurimis, Grammaticos, Rhetoricos, Dialecticos excellentiores effici: nec has artes hominibus bene diſtingui: quaſi ſit hæc poëtæ, illa forẽſis hominis, alia philoſophi, ſed homines artibus va

riis, tanquam coloribus pingi: quodq; poëta, forenſis orator, philoſophus puris verbis & propriis utantur, Grammaticos eſſe: quód modificatis & figuratis, Rhetoras eſſe: quód rem firmis argumētis, quód certis enuntiatis, ſyllogiſmis & clara methodo differant, Dialecticos eſſe: perge etiā latius ſi lubet: quód ethicum, mathematicū, naturale aliquid exponāt, ethicos, mathematicos, phyſicos eſſe: & quemadmodū ſingulas virtutes non neceſſe ſit alias in aliis eſſe, ſed eſſe poſsit idem & prudens & juſtus & temperatus & fortis: ſic artes, id eſt, mentis dotes & virtutes, nulla neceſsitate diſjūgi: imó veró ſumma ſocietate inter ſe copulari, & naturali quodam vinculo connecti. Has, inquā, diſciplinarum naturales origines, & ex ſuis præceptis diſtinctiones, ex mutuo uſu cōjunctiones elaboravi. Nihil hoc ad Academiæ cuſtodiam, nihil ad utilitatē, nil ad dignitatē ſpectare Geniꝰ exiſtimabat, ideoq; ſpretum & cōtemptum eſt. Itaq; cúm de his rebus cogitur tandē per vos aliquid audire, ex terris novis confictas fabulas ſe putat audire: & cúm dico artium, ſicuti moralium virtutum, ſemina noſtris animis à natura inſita & ingenerata eſſe, homineſq; naturâ eſſe Grāmaticos, Oratores, Philoſophos, perinde dici putat, ac ſi dicerem eſſe alatos, monopodas, hippocentauros: nec putat Demoſthenem & Ciceronē, quia fuerint oratores, argumento, enuntiato, ſyllogiſmo, methodo uſos eſſe, id eſt, Dialecticos fuiſſe: ideoq; ſi poëtā vel oratorē (ut ardeliones ſunt improbi Genii) publicé declarandū forté ſuſceperit, poëtam quemvis & oratorem ſine argumento, ſine pronuntiato, ſine ſyllogiſmo, ſine methodo eſſe clamabit, & ſe potiús aſinū eſſe cōfirmabit, quàm poëtam vel oratorē eſſe dialecticum. Quamobrē tollatur iſta mali Genii calumnia, vel potiús imperiti obtrectatoris hebes & infans ignorātia. Poëtas & oratores ad dialecticas exercitationes adjungis: Grammaticā igitur & Rhetoricam cum Dialectica confundis. Nec enim doceo in illis authoribus quomodo declinanda nomina ſint, quomodo conjuganda verba ſint, quomodo inter ſe conſtruēda & cōponenda, quomodo proferēda aut ſcribēda, quod eſſet Grāmaticæ: nec doceo quid ſit tropus, quid figura, vel in verbis, vel in ſententiis: qui geſtꝰ & vocis ſint modi, quod eſſet Rhetoricæ: non, inquam, Grammaticas illas vel Rhetoricas regulas hoc tempore in poëtis & oratoribꝰ doceo: antea docui, & cognitas huc & uſitatas attuli. ſed dialecticarum laudū genera & exempla doceo, quod authorū ſit in argumētis acumē, quę ſit in enūtiatione veritas, in concluſione prudētia, quantū ſit in ordine rerū & quàm perſpicuū lumē: idq; cúm facio, extra Dialecticæ ꝓfeſsionis terminos excedere me pernego, imó veró in medio cāpo verſari me prædico, earūq; ſegetum copioſiſsimā & uberrimā meſſem metere, quarum in regulis artis rara & arida grana conſperſa ſunt. Sed Genius urget, & ad miniſtrum ſuum conſolandum, ignorantiam nova impudētia comitatam adhibet, & per eum de vera Dialecticæ exercitationis materia diſputat. Fac, inquit, poëtas & oratores Dialecticos eſſe, nōne in Logica, Phyſica, Ethica, magis Logicus eſt Ariſtoteles, quàm Virgilius in Aeneïde, aut Cicero in quàvis oratione? Igitur ad exercendum Dialecticæ uſum, Ariſtoteles poëta vel oratore quovis aptior & utilior. Recté & veré Terentianus ille Mitio, Iudices:

Homine imperito nunquā quicquam injuſtius:
Qui, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Gallonins quidam, honeſtæ diſciplinæ inimicus, ut apud Ciceronē de Finibus eſt: Sed qui ad voluptatem omnia referens vivit, ut Gallonius, loquitur ut frugi ille Piſo, inquit. Cum hoc Ciceronis Gallonio, Iudices, contentionem mihi eſſe fingite. Quid eſt, Galloni? quid ais? *λογικώτερον* ais Ariſtotelem eſſe in Logica ſua, quàm Virgiliꝰ ſit in Aeneïde aut Cicero in oratione? Quid itaq? quia Logicæ artis regulas in Logica Ariſtoteles explicat, Virgilius in Aeneïde non explicat, Cicero in oratione nō explicat. Ego cōcedo antecedens, doctiſsime Galloni: quod tamē hinc efficis, conſequens eſſe nego: Logicas regulas tradit Ariſtoteles in Logicis: ergo in Logicis eſt *λογικώτερον* quovis alio regulas artis nō tradēte. ſyllogiſmū tuū tortuoſum & fallacem tuiq; ſimilem eſſe dico: antecedēte vero falſum cōcluditur. Quid itaq? quia Logica facultas nō tātúm arte cōſtat, ſed multó magis natura & exercitatione. Priſcianus Grammaticam artem collegerit ex

Virgilio

Virgilio & Cicerone,& Grammaticas regulas ſolus tradiderit: an iccirco Priſcianum Virgilio & Cicerone γραμματικώτερον facies? Minimè. Ars enim, imago picta tantùm eſt, cujus veritas ipſa in natura & uſu vivit & viget. An non eloquentiorē cenſes in orationibus, quàm in eloquētiæ præceptis, eſſe Ciceronem? nō excellētiorem poëtam Virgiliũ eſſe in Aeneïde, quàm ſit Horatius in explicanda poëmatis hujus arte? Nō igitᷓ quia Dialecticas regulas Ariſtoteles in Logica tradiderit, ideo διαλεκτικώτερος eó ubi ſit, qui ipſis regulis utatᷓ: uſus enim ad bonam naturam adjūctus adjuvatur arte: ſed ars de hujus facultatis partibus minimā laudē habet. Phormio de re militari diſputat coram Annibale: hoc Antiocho ignavo homini mirũ fuit, Annibali in armis & præliis nato, & tot annos ſumma gloria verſato ridiculum. Ergo, ſubtiliſsime diſputator, cùm ſic argumētaris, Plus eſt logicæ artis in logico Ariſtotelis Organo, quàm in Virgilii poëmate, in Ciceronis oratione: ergo Ariſtoteles eſt ibidē λογικώτερος. ſophiſma eſt à parte ad totũ, id eſt, ut vulgò loquimur, à dicto ſecundùm quid ad dictũ ſimpliciter: tanquā ſi diceres, Homo pictus, ergo homo: Logica enim ars, picta tātùm Logica eſt: nec ubi partis hujᵘ pictę plus eſt, ibidem & totius vivi plus erit. Addo etiā in Dialectica arte explicanda Dialecticæ ipſius artis aliquē eſſe uſum, id eſt, Dialecticā Dialecticè tractatā & expoſitam: ut enim Grāmatica, niſi Grammaticè, id eſt, puris & ꝓpriis verbis ſine barbariſmo, apta ſyntaxi & cōgrua, ſine ſolœciſmo ſcripta ſit, ars quidē Grammatica non eſſet. & in docēda arte idipſum pueris eſt commonſtrandũ: ſed exiguus Grammaticæ in illis præceptis uſus eſt, uberior longè & plenior eſt in copioſis exemplis eorũ hominũ, ex quorũ authoritate ars ipſa collecta ſit: Grāmatica nobis ex obſervatione Ciceronis & Virgilii facta eſt, & ad eos intelligēdos eſt referenda, ut eorũ ſimiles efficiamur. Ita tibi reſpōdeo, niſi Dialectica certis cauſsis argumētisq; reperta ſit, niſi vero vel enũtiationis, vel cōcluſionis judicio probata ſit, niſi perſpicua methodo digeſta ſit, Dialecticam veram non eſſe, in eaq; explicanda & declaranda pueros iis de rebus admonēdos eſſe. Ex naturali hominum invētione & diſpoſitione, Dialectica deducitur: argumētorum, enuntiatorum, ſyllogiſmorum, methodorũ genera omnia naturalia ſunt, his docti utuntur & indocti, ſed aliis meliùs & certiùs alii: id notatum & animadverſum eſt, & ars inde facta. Ergo ut in Grammatica, ſic in Dialectica, cùm locos artis quaſi rivulos cognoveris, ad fontem revertare, Analyſim adhibe, ad illa varia naturæ & multiplicia in ſummis hominibus exempla recurre: Geneſim adhibe, ſcribendo, declamando, eorum dialecticas virtutes imitare, in alio genere omnes virtutes artis exprime. In Ariſtotelis arte, unius præcepti unicum exemplũ eſt, ac ſæpiſsimè nullum: ſed unico & ſingulari exemplo nō poteſt artifex effici, pluribus opus eſt & diſsimilibᵘ, Geneſi etiā opus eſt. Et quidē ut Ariſtotelis exēpla tantummodò nō falſa ſint, qualia tamē ſunt? Omne b eſt a: omne c eſt b: ergo omne c eſt a. Exemplum Ariſtotelis eſt puero à Grammaticis & Oratoribus venienti, & iſtam mutorum mathematicorum linguam ignorāti, novum & durũ: & in totis Analyticis iſta non Attica, nō Ionica, non Dorica, non Aeolica, non communi, ſed Geometrica lingua uſus eſt Ariſtoteles, odioſa pueris, ignota populo, à communi ſenſu remota, à Rhetoricæ uſu (quem retinere tamē volumus) ab humanitatis uſu (quem confirmare Dialecticā cupimus) alieniſsima. Ex his enim geometricis exemplis, διαλεκτικώτατε Galloni, quē potes humanæ diſputationis uſum deducere? Quod geometræ neceſsitate, cùm lineamētis vocabula deeſſent, coacti ſunt facere, id nos in Dialecticis, cùm tanta bonorum & naturalium exemplorum ſit copia, quid neceſſe eſt facere? Virgilianis igitur & Ciceronianis, id eſt, humanis & popularibus exemplis idem facientibus potiùs, quàm illis abecedariis figmentis utar. Quorſum, inquit accuſator? Nonne logicæ artis uſus, qui primò in fictis literarum exēplis demōſtratus eſt, meliùs in Ethica & Phyſica Ariſt. doctrina demonſtrabitᷓ? Eſt enim Logica in philoſopho ſubtilior & ꝑfectior, quàm in poëta vel oratore. Reſpōdeo igitur, & cōtra te afferā cauſſam facilitatis, ſuavitatis, utilitatis. At cùm puero ad uſum Logicę artis, Ethica Ariſtotelis aut Phyſica ꝓpones,

duplex labor hic erit, alter in artificii Logici: alter (& quidē per ſe graviſsimus) in rerum Ethicarum & Phyſicarum perceptione. Itaque

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Ac ſi in Logico ſtudio nulla niſi è Logici ſtudii cura ſit, quantò facilior meditatio fuerit? Cùm Grammaticā exercem' in poëtis & oratoribus, nihil præcipuè niſi Grammaticū artificiū tractam': Rhetoricū, Logicū, Ethicū, quanvis in eodē exēplo ſit aliquid, tamē id præcipuè nō proponimus Grammaticæ diſcipulo: & quanvis grāmaticus uſus præſtātior ſit in oratione Cic. ꝓ Milone, quàm in epiſtolis ejus ad uxorē Terentiā, tamē longas illas periodos rudi & novitio diſcipulo nō potiùs objiciā, quàm hæc curta mēbra vel inciſa. Et ut Grammaticā annos aliquot in poëtis & oratoribus ſolùm exercemus, ſic in iiſdē unū ſaltē annū Logicā retineam', poſtea ad graviora illa philoſophici operis exēpla traducemus. Facilitas & voluptas in iis oratoriis & poëticis fabulis longè major erit: quia puer in quibus authoribus Grammaticam percepit, Rhetoricā exercuit, loquendi deniq; & dicēdi facultatē acquiſivit, in iiſdē longè faciliùs, jucundiùs, utiliùs dialecticū uſum percipiet, exercebit, acquiret: eorū magiſtrorū lingua illi jam domeſtica & familiaris eſt: in eo minimè laboratur, in dialectico duntaxat artificio mens adoleſcētis magna cū voluptate præterini laboris retinetur & occupatur. Grāmaticos & Rhetoricos fructus in illis hortis antea collegerat, in eiſdē Dialecticos demū colligit, & ejuſdē loci ſingularē quādā fertilitatē ſuſpicit & admiratur: & Grāmaticis Rhetoriciſq; voluptatibus adjūctis, dialecticos labores multò libētiùs jucūdiuſq; ſuſcipit. Qua ratione Lucretius ait ſe philoſophiam verſibus eſſe perſequutum:

Sed veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoq; liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur,
Labrorum tenus interea perpotet amarum
Abſynthi laticem, deceptaq; non capiatur:
Sed potiùs tali facto recreata, valeſcat.
Sic ego nūc, quoniā hæc ratio pleriūq; videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, ideoq;
retroq;
Vulg' abhorret ab hac, volui tibi ſuaviloquēti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſæo dulci contingere melle.

Ergo poëticæ rhetoricæq; veneres, Dialecticæ ſtudiū alioqui per ſe rude & aſperum, gratius & amabilius efficiunt: Imò verò etiā longe cōmodius & utilius efficiunt: etenim ut rhetoricis exercitationibus Grammaticā cōfirmari augeriq; diximus: ſic eloquentiam Dialecticis ejuſmodi ſtudiis uberiorem copioſioremq; reddi neceſſe eſt, etiam ſi de induſtria id minimè conſectère. Quēadmodū enim, ut cū Antonio loquar, cùm in Sole ambulamus, etiā ſi aliā ob cauſſam ambulemus, fit naturâ tamē ut coloremur: ſic cùm Dialecticas meditanōes in eloquētibus & diſertis authoribus adhibebimus, & eorū more diſputare & argumētari cōſueſcemus, ſentiemus etiā orationē noſtrā rhetoricis eorū virtutibus ornari & quaſi colorari. At hęc gratuiti fructus utilitas, in philoſophicis Ariſtotelis nobis deerit, præſertim ut mores noſtri ſunt, cùm Latinè converſus legetur. Quare Dialecticam Dialecticè quidē declaramus & explicamus, quàm ſuis legibus cōgruēter & aptè facta ſit: in poëtis aūt & oratoribus, facilitatis, voluptatis, utilitatis cauſsâ primùm ejus uſum tractamus & exercemus. Itaq; Galloni, vides in poëtis, in oratoribus, exercendæ Dialecticæ materiā faciliorē eſſe, quàm ſit in Logico Ariſtotelis Organo, in Ethicis, in Phyſicis, teq; hîc valdè obtuſum eſſe. Quare deſine de iis artibus, quas ignoras, cū magiſtris eruditis & exercitatis certare: te enim ſubitô quanvis impudentē, tamē conturbarēt: quanvis in callidioribus artibus exercitatum, tamē ſupplantarent & pervertere̅t. Sed malus Academię Genius nobis hîc alia quadā facultate ſua abutit, è Gallonio fit Aeolus: tempeſtatē aliquā faciet: nō intellexit ea quæ antea tam perſpicuè de arte deq; artis uſu & in expoſitione facultatis artiū, & in ꝓxima refutatione docui: gymnaſiarchos omnes cōcitat & cōmovet. Perim', inquit, viri patres, ſi Ramus iſte diutius vivat, reſiſtamus. Nonne vetus & antiqua docēdæ philoſophiæ forma bona eſt? eā tollit. Nōne pueri diſputationibus multùm acuuntur & bene proficiunt? iſte diſputationes tollit: deniq; unus ſua nova diſciplina omnes diſcipulos Academię ad ſe trahit: ſolitudo erit in

» erit in veſtris ſcholis, niſi caveatis. Itaq; » viri patres, pro Academiæ utilitate & di» gnitate, vos viros oſtendite. Iſtis ventis (argumentis dicere volueram) iſta tam terribili quantitate emiſsis, Iudices, edictum protinus exit ab Aeolio principe, ut vetus forma ſervetur, & Ramus ſine mora condemnetur. At ventorũ & tempeſtatum Aeole, ego veterem iſtam formam ſervo: quod una hora in philoſopho quotidie prælectum eſt, duabus horis, ſæpe etiam tribus, quinta ad ſextam, & veſpertinis exactionibus diſputo: feſtis diebus altercationes his de præceptis & regulis tres horas integras pomeridianas cõtinuo: nec ullum in tota Academia gymnaſium eſt, ubi magis iſte labor, nõ dico laudetur & ꝓbetur, ſed tractetur & adhibeatur: & quicquid acuminis & ſubtilitatis hinc erui poteſt, nos eruimus, teq; & tuos iſta diligentia infinitis partibus ſuperamus: ſed ut artifices ſimus, artis regulas quanvis ſtudioſè auditas, quanvis accuratè acriterq; diſputatas, ſatis eſſe nõ putamus, Analyſeos & Geneſeos uſum cõjungimus. Ut Muſici ſimus, non tantùm Muſicæ regulas noſſe volumus, Muſicos cantantes audire volumus, cantare etiã volumus: ut pictores ſimus, non Apellis tantùm libros legere volumus, ſed Apellis opera cognoſcere volumus, ſed imitari pingendo, & perfectiora etiã facere contendimus. Sedet igitur ventos ſuos Aeolus & reprimat, in antrum & ſpeluncam & ſe ventosq; ſuos recludat:

—*illa ſe jactet in aula:*

nobis otii noſtri tranquillitatẽ non eripiat. Verumenimverò, Iudices, patientia veſtra fortaſsis abutor: in nugis & ineptiis refellẽdis nimiùm diu moratus ſum, ad majorẽ & veſtris animis gratiorem contentionẽ veniamus: mali Genii malos impetus perfregimus, de cauſſa ipſa ejusq; ratione jam potiùs agamus: diſciplinam noſtram non crimine tantùm liberam, quod adhuc fecimus, ſed laude dignã eſſe doceamus. Ego verò, Iudices, de noſtra inſtitutione tria confirmo, Academiæ legibus in primis conſentaneam, deinde ſingulari utilitate vehementer optandam, poſtremò facilitate promptam & expeditam, ideoq; laudandam eſſe, amplectendam, celebrandam. Quamobrem primùm de legũ nõſtrarum voluntate & ſententia, ſecundo loco de utilitate, poſtremò de facilitate dicã. Ego verò, Iudices, leges Academiæ noſtræ & veteres & recẽtes exquiſivi, legi, perſpexi: nullam unquã reperi, nullã cognovi tam contrariam cõmodis Academiæ, tamq; adverſam, quæ Dialecticæ uſum, quæ philoſophiæ reliquæ lumen condemnet, quæ hominibus humanitatem deneget. Nego ullã eſſe Academiæ legem, quæ noſtram inſtitutionẽ improbet: imò & veteres & recẽtes Academiæ leges, diſciplinæ noſtræ magiſtras habeo. Agedùm, leges Academiæ recitemus, audiamꝰ, penitusq; cognoſcamus: utrùm philoſophiæ exercitationẽ, & ex conjunctis eloquentiæ ſtudiis lumen & illuſtrationem prohibeant, non potiùs quãtùm natura temporũ, quibus factæ ſunt, cõditioq; tulit, cõmendent. Etenim leges trecenteſimo ferè abhinc anno factæ, grammaticos authores cum philoſophicis libris explicandos in philoſophicis ſtudiis imperant. Nã philoſophici curriculi primo anno poſt ſextũ à Remigialibus mẽſem, Priſcianus major & minor legendus imperatur: ſecundo anno, Priſcianus de accentu & quidã Barbariſmus: Priſcianus autẽ, qui major in lege nominatur, Priſcianus eſt Grãmaticus de partibus orationis: minor verò, eſt idẽ Priſcianus de ſyntaxi: de accẽtu titulꝰ adhuc in opere ipſo permanet. Priſcianum hoc modo nominatũ, commentis cujuſdã Ioannis Aingrei diſtinctum, Venetiis anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo octavo pridie Non. Decembris impreſſum, diu quæſitum, tandẽ reperi: Barbariſmum reperire nõ potui. Sed agè, legẽ ipſam Grammaticos cum philoſophis conjungentẽ breviter, ſicut antea fecimus, & quidem ipſius ferè verbis comprehendamus.

Libros Logicæ veteris, Porphyrii, Prædicamentorum, περὶ ἑρμηνείας, diviſionum & Topicorum Boëtii, excepto quarto, à Remigialibus ad diem Annuntiationi feſtum prælegito.

Prælectionem Priſciani majoris & minoris, Topicorum & Elenchorum, Priorum & Poſteriorum, æquali tempore terminato.

Ethicorum quattuor primos libros, duodecim hebdomadis, ſi cũ aliis legas: ſi ſolos, ſine alio authore, dimidio tempore abſolvito.

Sex principia, Barbariſmum, Priſcianum de accentu, ſex hebdomadis doceto.

Phyſicam

Phyſicam Ariſtotelis, Metaphyſicam, librum de animalibus, ad Divi Ioannis Baptiſtæ diem concludito.

Libros cæli & mundi et meteororũ cum quarto, in Aſſumptione finito.

*Librum de anima, ſi ſine naturalibus, in feſto *: ſi cum naturalibus, in feſto * : De generatione, in Cathedra ſancti Petri: de cauſsis, hebdomadis ſeptem: de ſenſu & ſenſibili, ſex: de ſomno & vigilia, quinq;: de plantis, quinq;: de memoria & reminiſcentia, duabus: de differentia ſpiritus et animæ, duabus: de morte & vita, una concludito.*

Quemlibet propoſitorum librorum, qui ſolum & per ſe legerit, dimidio tempore perlegito.

Qui alio tempore, quàm à Remigialibus incœperit, æquali tamẽ & pari tempore deſcriptarum prælectionum curſum conficito.

Hæ ſunt leges noſtræ, Iudices, de triennio philoſophici temporis, deq; libris eo tempore prælegendis: in quibus videmus Grammaticos cum philoſophis conjungi. Verumenimverò priſcas leges & exoletas repeto, novas fortaſsis omitto. Ergo leges recentiores conſideremus. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, Gulielmus Totavillæus Cardinalis (de quo jam dixi) recitatam illam à nobis & productam legem retinuit & laudavit: quin etiã novos Grammaticos & poſtea natos, Græciſmum, authorẽ de Græca non deteriùs, quàm de Latina Grammatica meritum, & Alexandri Doctrinale adjunxit: & quanvis, uti veteres leges ante logicum ſtudium pueros in grammaticis præceptis mediocriter, & ut ipſe loquitur, competenter eruditos eſſe velit, tamen ante biennium philoſophici curriculi completum, & ante baccalaureatus examẽ, præcipit in grammaticis abſolutiùs & perfectiùs informatos eſſe, & in illo primo examine candidatos laureæ philoſophicæ, de arte grammatica jubet interrogari, ut ſi qui barbare loquentes inveniantur, repellãtur. Legem de grammaticis recita.

Ad Logicas artes, niſi priùs in grãmaticis competenter edoctum, neminem admittito.

Ad Determinantias, niſi Doctrinale et Græciſmum audiverit, neminem recipito.

Non ſolùm Logicæ, ſed congruentiæ grammaticæ, ſevero examine fidem capito.

Barbarè loquentem, baccalaureatu repellito.

Hæ leges, Iudices, non modò permittunt humanitatis & philoſophiæ conjunctionem, ſed imperãt & præſcribunt, nobisq; authores humanitatis eos proponunt, quos ea tempora noverant: meliorum & præſtantiorum authorum (ſi quos aliquando meliores & præſtantiores Deus excitaſſet) explicationem liberam nobis reliquerunt: triennio, omniũ deſcriptorum librorum prælectionem, ſi modò cum aliis legerentur, ſi per ſe ac ſine aliis, ſeſquianno, triennii quippe dimidio, cõcluſerunt. Alios igitur hos authores, quos lex nominatim non exprimit, quę Priſcianum, quę Barbariſmum tamen exprimit, cur non ad laudem legis, præſtantes eloquentiâ ſcriptores & excellentes poëtas & oratores potiùs intelligam, quàm bardos ſophiſtas, qui nondum extiterant, ad calumniam legis malitioſé confingam? Ergo lex meliora, quæ ſperari poterãt, in ſpe temporis ac libertate noſtra conſtituit, nõ prohibuit: bona quæ tum habuit, ea nobis diſtribuit: Rhetoricę ne nomen quidem ullũ tum extabat: Cicero tum deliteſcebat, & oratoria ejus opera ſeculo noſtro è pulvere neſcio quo vix tandem eruta ſunt. Caligo quædã liberalium artium propter aſsiduas bellorum clades & ruinas, & Chriſtianorum cum Saracenis, & ipſorum inter ſe Chriſtianorum exitiabiles diſcordias, per orbem terrarum pervaſerat. Quo tempore, ut ille vetus ait poëta,

Tollitur è medio ſapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bon', horridu' miles amatur.

Atq;, ut victores victis pro libidine ſolutiùs imperẽt, perſępe victorum populorum ſcriptas hiſtorias, religiones, leges, totas deniq; ipſarum literarũ & diſciplinarum cuſtodes bibliothecas nunquid incendũt? Nempe ſic in Italia Gotthi tot ingeniorum, totq; ſeculorum labores incenſis bibliothecis extinxerũt. Sic in illa omnis humanæ ſapiẽtiæ procreatrice Græcia Turci ſublatis etiã gymnaſiis, ſcholis, & omnino literarum omnium ſtudiis, infinitarum rerum memoriam ſcientiamq; aboleverunt: ſic noſtri declarant annales, tempore Caroli Magni, magnam quidẽ fuiſſe rei militaris gloriam, ſed iidem certè teſtantur tantam literarum & diſciplinarũ ignorantiam fuiſſe, ut ex ultimo Septentrione neſcio quibus ventis huc ejecti, veluti inſtitores mercis cujuſdam novæ &

Gallis

Gallis inauditæ, venalem ſcientiam in Gallia proclamarent Ioannes Mailroſius cognomine & natione Scotus, Claudius Clemẽs, natione item Scotus. Qua voce Carolus Magnus attonitus, & tandem per illos ſcientiæ mercatores monitus, & per eorum condiſcipulum Flaccũ Albinum (qui & Alcuinus Diaconus dictus eſt) doctorem ſuum impulſus & incitatus, fundamenta hujus ampliſsimę, & omnium Academiarum reginæ Academiæ anno ſalutis prope ſeptingenteſimo nonageſimo ſecũdo tum primùm poſuiſſe memoratur.

Quippe magis Martem, quàm Pallada Carole, noras,
Curaq; finitimos vincere major erat.

Ac ſecula, quæ deinde ſecuta ſunt, nõ multùm literis feliciora beatiora've fuerunt: donec capta Conſtãtinopoli, Turcicam ſervitutẽ fugientes Laſcaris, Beſſario, Gaza, Trapezuntius, ac plerique præſtantibus & nobilibus ingeniis homines alii in Italiã Galliamq́; venerint: qui cùm eſſent & patria & magnis opibus facultatibusq́; ſpoliati, coacti ſunt veluti Corinthi ludum aperire: Itaque quia fortunæ potentia non poſſent, ingeniorum ſuorum virtutibus, id eſt, ingenuis artibus & literis, novo quodam novi regni atque imperii genere, regnare & imperare cœperunt, & Latinos homines, non Græcas ſolùm, ſed Latinas etiam literas docere. Ergo, judices, divina quædam lux novorum temporum, novarumq́; literarum actutùm per eos Dei angelos nobis affulſit. Quamobrẽ ne longiùs aberrem, veteribus illis legumlatoribus magnæ gratiæ habendæ ſunt, quòd in illa tanta tamq́; tetra nube temporum, tam ſalutare conſilium, tamque formandæ juventuti conſentaneum ſecuti ſunt. Viderant philoſophiã ſine aliquo humanitatis ornatu agreſtem & odioſam fore, Rhetoricam neſciebant, imò ne cogitabant quidem: Itaq; quanvis Grammaticę regulas antè pueris traditas eſſe vellent, quàm ad philoſophiam deducerentur, attamẽ ut grammaticæ orationis puritate & elegantia quadam pauló majore, philoſophia cultior pueris & elegantior traderetur, ejus puritatis & elegantiæ magiſtros & præceptores, quos tum potuerunt, philoſophiæ ſtudiis adjunxerunt, Leges Academiæ, quæ de his rebus quicquã vel præcipiant vel prohibeant, nullæ præterea ſunt: Nã quod anno ſuperiore (ſi tamen contra leges authenticas Regum & Pontificum quicquã ferri potuit) latũ eſt, ut continua textus Ariſtotelici lectio fiat: nos facimus. Unam enim, ut antea jam dixi, horam non interruptam, nõ rebus aliis impeditam, ſed continuã & perpetuam, in ea prælectione quotidie ponimus, & perſequimur ad extremũ: Quare ſi Priſcianum Grammaticum & majorem & minorẽ, ſi Priſcianum de accẽtu, ſi Barbariſmum, ſi Græciſmũ, ſi Alexandrum de villa dei, cum philoſophicis libris in philoſophico curriculo diſcipulis meis explicarem, legibus Academiæ tamen obtemperarem. At Deus Aeterne Maxime, maximas tibi gratias debem' & habemus, quòd pro vix plumbeis illis veterũ Grammaticorũ rivulis, aurea Ciceronis, Virgilii, Demoſthenis, Homeri flumina nobis effuderis, & ſingularẽ quandam gratiæ tuæ lucem noſtris temporibus accẽderis. Majores & patres noſtri, legibus ſuis id nobis optaverunt, quod tu donaſti: nobis in obſcura nube indicarunt, quod in clariſsima luce collocaſti: philoſophiæ uſum & fructũ conjuncta Grammaticorũ elegãtia nitidiorem facere voluerũt, tu poëtarum & oratorum graviſsimis & ornatiſsimis exemplis uberrimum & abſolutiſsimum dediſti. Docuimus hactenus, judices, quẽadmodum cauſſam noſtrã leges Academiæ tuerentur & agerent, & inſtitutionẽ noſtram ſuæ volũtatis velut alumnam ſuſciperent & agnoſcerent. Sed ne in ferẽdis legibus, majorum noſtrorum voluntas magis laudari poſsit, quàm ſapientia probari, dicã, judices, & verè dicã, iſta humanitatis & philoſophiæ conjunctione, quã majorum noſtrorũ leges imperant, ſummorum hominũ & Ethnicorum, & Chriſtianorum ſententiam judiciũq́; contineri. Vultis igitur hos ideo noſtræ legis aſſertores & vindices proferam? Etenim, ut de Ethnicis primùm dicam, veterem quidẽ illam Græcæ ſapientiæ doctrinam cõſtat in conjunctio & rectè philoſophandi ac vivendi, & bene atque ornatè dicendi uſu fuiſſe conſtitutam: ut ille apud Homerum Phœnix, qui ſe à Peleo patre Achilli juveni comitem eſſe datum dicit ad bellum, ut illum

efficeret

efficeret oratorem verborum, actorémque rerum.

Πῶς ἂν ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο φίλον τέκος αὖθι λιποίμην
Οἶος. σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς,
Ἤματι τῷ, ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε
Νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο,
Οὐδ' ἀγοράων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι
Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Hac conjuncta cogitandi orandíq; ratione, ut Craſſus veriſsimè diſputat, veteres in Græcia ſapientes, Lycurgi, Solones, Pittaci nominati ſunt. Atq; illos ſecuti Themiſtocles, Pericles, Theramenes, ſimili gloria floruerunt, & civitatibus ſuis conſilio & eloquentia præfuerunt. Rhetores illorum ætati ſuccreverunt. Iſocrates, Gorgias, Thraſymachus Protagoras, qui magna hominũ fama, magnâque laude conjunctum & ſapientiæ & eloquentiæ ſtudium tractaverunt. Quorum æqualis Socrates, tametſi diſputationibus ſuis ſapienter ſentiendi & ornatè dicendi ſcientiam ratione quadam ſeparavit, attamen omnium eruditorum teſtimonio, totiuſque judicio Græciæ, cùm prudentia & acumine, tum verò eloquẽtia, venuſtate, copia, quam ſe cunque in partem dediſſet, omnium facilè princeps fuit: neque ſermonibus ſuis minùs elegantes & diſertos, quàm prudentes & acutos diſcipulos effecit. Platonem unum inſtar multorum millium teſtem proferam, cujus non philoſophiæ modò, ſed eloquentiæ tantùm tributũ eſt, ut philoſophi Iovem ipſum exiſtimarent, ſi Græcè loqui voluerit, non alio ſermone, quàm Platonis, uſurum. Præterea condiſcipulum Platonis Xenophontem, cujus ore muſas locutas eſſe ferũt. Quid à Platone formatus & eruditus Ariſtoteles ille ipſe (qui nobis in iſta cauſſa ab imperitis tam vehementer opponitur) non ne maximè omnium hominum, qui unquã literarum laude celebrati ſunt, iſtam eloquentiæ & philoſophiæ conjunctionem celebravit? Nam & Alexandrum Regẽ non tantùm reconditas philoſophiæ partes, ſed eloquentiam docuit, Homerumq; adoleſcẽtulo Regi tam charum, tamq; amabilem reddidit, ut eum ſemper unà cum pugione ſub pulvino dormiẽs haberet, atq; excitatus, in illo Darii pretioſiſsimo ſcriniolo, tanquam rem rerum omnium chariſsimam recõderet. Athenas verò reverſus Ariſtoteles (ut Cicero & Quintilianus abundè teſtantur) cùm florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, oratorias artes pomeridianis ſcholis docere cœpit, cùm matutinis philoſophiam doceret: verſumq; quendam de Philocteta paulò ſecùs dixit: ille enim ſibi turpe ait tacere cum barbaris, hic autem cùm Iſocratem pateretur dicere. Notum enim illud eſt,

Αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.

Itaque amavit & illuſtravit doctrinã illam omnem, rerùmque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit: In theſi adoleſcentes exercuit, ut non ad imperitorum philoſophorum morem tenuiter & jejunè diſputarent, ſéque arida aculeis compungerent, ſed ad copiã Rhetorum in utramque partem ornatiùs & uberiùs dicerent. Hæc conjuncta eloquentiæ philoſophiæq; exercitatio, aureum illud Ariſtotelis flumen à Cicerone cantatum nobis effudit: hæc eadẽ Tyrtamum Ariſtotelis diſcipulum, ex rara quadam & inſolita orationis divinitate Theophraſtum nominavit: Hæc eadem Peripateticos & Academicos uſque ad Ciceronis tempora Phalereum, Critolaum, Crarippũ, Carneadem, Clitomachũ, Philonem omni philoſophiæ & eloquentiæ genere præſtantes aluit & informavit: Hæc una omnes & philoſophos & oratores præſtantes & magnos effecit. Cicero certè & Quintilianus eã nõ ſolùm ipſi in ſuis ſtudiis ſecuti ſunt, ſed multis modis ſequendam eſſe contendunt: illudq; cordis & linguæ diſsidium, ſi philoſophiã alii ſpreta eloquentia, alii ſpreta philoſophia eloquentiam ſectentur, ut abſurdum & inutile reprehendunt. Cicero, à quo Græcorum illorum authoritas nobis magnam quidẽ partem ſuppeditata eſt, poſt longam in Oratorio tertio hac de re diſputationẽ, tandẽ ita concludit. Nunc ſive qui volet "
eum philoſophũ, qui copiam nobis re- "
rum orationiſq; tradat, per me appellet "
Oratorem, licet: ſive hũc oratorẽ, quem "
ego dico ſapientiã junctam habere elo- "
quentiæ, philoſophum appellare malit, "
non impediam: dummodò hoc cõſtet, "
neq; infantiam ejus, qui rem norit, ſed "
eam explicare dicendo non queat: ne- "
que inſcitiam illius, cui res nõ ſuppetat,

verba

verba non deſint, eſſe laudandam. Sed quid unum Ciceronis locum profero, cùm tota ferè oratoria ejus diſciplina ad hanc ſententiam tractandam & probandam referatur, ſine philoſophia inanem & odioſam eloquentiam eſſe, ſine eloquentia philoſophiam rudem & imperfectam? Sed Ciceronis exercitationẽ & eruditionem potiùs operæpretiũ ſit intueri, ut intelligatur quib⁹ ſtudiis tantus homo, tamq; poſt homines natos in horum ſtudiorum laudibus admirandus effectus ſit. Cicero igitͬ Athenis Romam reverſus, quotidie forum, curiam, roſtra frequentabat, oratorumq;, quos in illis locis audierat, exemplo ſtylũ & orationem ſuam domi adhibitis Rhetoribus & magiſtris componebat: ejuſdẽ diei diſtinctis horis philoſophum tamẽ audiebat: Quinetiam jam ſenex, ac pluſ quàm ſexagenarius, Ariſtotelicæ inſtitutionis æmulum ſe diſcipulumq; eſſe gloriatur. Ejuſdem diei partẽ, philoſophiæ, partem eloquentiæ Ariſtoteles impendebat, ſeq; & diſcipulos in utroq; genere ſtudioſè & diligenter exercebat. Ad quam nos (ait de ſe Cicero) conſuetudinẽ à familiaribus noſtris adducti, in Tuſculano quod datũ eſt tẽporis nobis, in eo conſumpſimus. Itaq; cùm ante meridiem dictioni operã dediſſemus, ſicut pridie feceramus, poſt meridiẽ in Academiam deſcendimus. Hoc loco, ſi dices, pmittite mihi ariſtoteleos neſcio quos philoſophaſtros, qui hac in cauſa nos tam vehementer allatrant, excitare, & de tanto, tamq; nobili Ariſtotelis exemplo commonere. Ariſtoteles eloquentiam philoſophiæ conjunxit, vel potiùs in eloquentia philoſophiã exercuit: hinc Ariſtotelis eloquentia ſingularis extitit. Ariſtoteles diſcipulos ſuos in iſtis artibus ſimul exercuit: hinc Theophraſti divinus ille orationis & cœleſtis ſplendor emicuit. Petrus Ramus Ariſtotelis doctrinam ſequitur, à philoſophis tamen Ariſtoteles accuſatur: admirabiles ariſtotelicæ conſuetudinis laudes imitatur, à philoſophis tamẽ ariſtoteleis condemnatur. O' tempora! ô mores! Ariſtoteleos philoſophos appellari, haberi, celebrari, qui Ariſtotelis philoſophiam non modò neſciunt, ſed etiam deſpiciunt, aſpernantur, & ejus amatorem, ſectatorem, doctorem criminantur, è ſcholis ejiciunt, ejectumq;, quibuſcunq; poſſunt pœnis perſequuntur. Sed ariſtoteleos omittamus, ad Ariſtotelem, diſciplinæ tam nobilis authorẽ, redeamus: ad Ciceronem, Ariſtotelicæ inſtitutionis æmulum & imitatorem redeamus. Quid Quintilianus de philoſophiæ & eloquentiæ conjunctione loquitur? tam vehementer certè ſententiã illam probavit, ut philoſophiam non modò eloquentiæ ſociam adjungat, ſed nimio quodam hujus conjunctionis amore & ſtudio, eloquentiæ partem philoſophiam ſtatuat: vehementerq; & oratorum inertiam objurgat, qui philoſophiam contemnunt, & philoſophorum inſolentiam increpat, qui dicendi imperiti, ſibi philoſophiæ nomen arrogant. Sed quid gentiles illos Græcos Latinosq; philoſophos & oratores, eloquẽtiæ & philoſophiæ cõjunctione magnã laudem conſecutos tam multos cõmemoro? Domeſticis, credo, & Chriſtianis exemplis id probare nõ poſſumus? iſta inſtitutionis gloria tota noſtræ religioni, noſtris moribus cõtraria eſt? Verum eſt ſcilicet. Dicamus igitͬ in eccleſia Græca Baſilios, Nazianzenos, Origenes, Chryſoſtomos: in Latina Tertullianos, Arnobios, Lactantios, Cyprianos, Hilarios, Hieronymos, bonos quidẽ viros, ſuæ philoſophiæ ſuæq; religionis peritos & ſtudioſos, ſed infantes & indiſertos fuiſſe. Baſilium dicamus, quia balbutiret, Magni nomen adeptum eſſet Chryſoſtomum, quia ineptè & inornatè diceret, oris aurei laudẽ meruiſſe: Hieronymum, quia Ciceronem deſpiceret, pro Ciceroniano vapulaſſe: cæteroſq; doctores illos eloquentiam pro nihilo habuiſſe, & inutilem ad annuntiandũ, interpretandum, prædicandum Evangelium putaviſſe. At optime Deus, quã rem unquam hominibus verbi tui præconibus, eloquentia majorem vel efficaciorem tribuiſti? Homines ſimplices & imperitos ad prædicandum publicandumq; Evangelium delegiſti, ſed qui oris tui ſpiritu afflati, non unam urbem, ut de Pericle ſuo Græci dictitant, ſed totum terrarum orbem tonarent & fulgurarent, & ad cognitionem cõfeſſionẽq; veræ pietatis & religionis adducerent. Petrus piſcator fuit. At epiſtola ab eo ſcripta non piſcatoris ruſticam mutãq;

tarditatem, ſed Apoſtoli Legatiœ divinam gravitatem oſtendit. Paulus eloquentiam Græcorum deſpicit: credo ut in quibuſdam levem & loquacẽ, ſed interim cœleſtẽ eloquentiã exprimit. Nec enim eſt una vis eloquentię. Magna graviter & ſeveré, humilia leniter & remiſſé, mediocria ſuaviter & tẽperaté dicenda ſunt. Nec eadem Chriſtiani Evangeliſtæ & Oratoris Romani perſona eſt, nec eodem orationis habitu veſtienda. Deniq; de tam multis Servatoris noſtri miraculis unum præ cæteris ſemper admirabor: quód homines pauló anté rudes & idiotæ, ſancto ſpiritu divinum eloquentiæ munus aſpirãte, linguis omnibus admirabiles Dei laudes tam mirabiliter exprimerent, ut auditor orationis illius, velut aliquo ſydere ſtupefactus & attonitus, hæreret, imó veró ſeſe concionantibus Apoſtolis regendũ ducendumq; dederet. Sed eloquẽtia Petro Pauloq; divinitus infuſa eſt: Chryſoſtomo, Hieronymo, cæteris magnis illis religionis Chriſtianæ patronis, multo & artis & exercitationis ſtudio etiam comparata. Quamobrẽ, judices, ſi eloquentiam cum philoſophia cõjungo, id nulla nova & inaudita ratione facio, ſed ex legum noſtrarum voluntate & ſententia facio: ſed hominũ ꝓbatiſsimos, graviſsimos, ſapientiſsimos authores habeo, qui ad hujus cauſſæ patrocinium advocati, facilé ſententias ſuas á vanis hominũ & imperitis clamoribus vindicabunt. Veruntamen legũ hominumq; faceſſat authoritas: nil Homerus, nil Plato, nil Ariſtoteles, nil Cicero, nil Quintilianus, nil ſanctiſsimi graviſsimiq; noſtræ religionis principes in cauſſa valeant, niſi hujus inſtitutionis tantam vobis utilitatem demonſtravero, quãtam authoritatẽ demonſtravi. Etenim utilitas ejuſmodi eſt, quæ maximé noſtros animos incendere atq; inflãmare debeat: in qua & diſcentiũ, & docentiũ maxima & certiſsima bona aguntur. Nam ut de commodis audientiũ primúm dicã, ſi philoſophici ſtudii tẽpora tribus annis ac ſex menſibus ita dividantur, ut aliis horis philoſophia, aliis eloquentia doceatur, fructus ſtudiorum multis partibus augeri, & labores eorum maximé minui celerrimé ſentiemus. Etenim ut á Grammaticis puer informatus, cúm ad Rhetoras acceſſerit, præteritas Grãmaticæ vigilias nõ deſpiciet, verúm ſermonis elegantiã majorẽ, tũ propoſitos authores imitando, tum plurimúm & aſsiduẽ ſcribendo & dicendo ſibi comparat: Sic idẽ troporum & figurarũ ornamentis á Rhetoribus ornatus, cúm ad Dialecticos tranſibit, Rhetorica illa ornamenta non cõtemnet, ſed Dialecticorũ conjuncta prudẽtia, legẽdis poëtis, oratoribus audiendis, bonarũ artium ſcriptoribus pervolutãdis, & exercitatiõis gratiá, laudandis, interpretandis, corrigẽdis, vituperandis, refellẽdis, in cõtrarias partes diſputandis, omnibus omniũ ſcriptionum, meditationum, declamationũ modis amplificabit. Nũc veró puer iſte qd agit? multos annos in grãmaticis & rhetoricis retinetur, dũ aliquid in eo maturum & perfectũ videat: Id laudo: tũ abjecta omni puré & proprié loquendi cura, damnata ſtyli & orationis priſtina diligentia, multis minis, pleruncq; etiã virgis, lectione poëtarũ & oratorum interdicta, vera philoſophiæ exercitatione, meditatione, imitatione, ſcriptione, dictione, nõ dico damnata tantúm, ſed penitús ignorata, in altercationes & clamores de regulis philoſophicis conjicitur, ut tandẽ Grammaticæ & Rhetoricæ ſtudiis longa oblivione deletis, pro puro & nitido ſermone, barbariſmos & ſolœciſmos faciat: idq; quod ſibi queritur Ovidius apud Getas & Sarmatas agẽti cõtigiſſe, ſẽtiat, meritóq; de ſeipſo dicat:

Ipſe mihi videor iam dedidiciſſe Latinẽ:
iam didici Geticé Sarmaticéq; loqui.
Si quis in hac ipſum terra poſuiſſet Homerum,
Eſſet, crede mihi, factus & ipſe Getes.

Sic, inquam, puer inter hos Geticos & Sarmaticos ſophiſtas Græcé & Latiné dediſcat, Geticé & barbaré addiſcat: ꝓ ſuavi & ornata oratione, ſpinoſum aliquod & jejunũ ſophiſma latrare cõſueſcat, nullã philoſophiæ exercitationem propriã, nõ Analyſim, nõ Geneſim adhibeat, ſed ea deniq; facere & ſentire perdiſcat, quæ ſi quando in forũ, in domos & aulas principũ, in conventus & conſpectus hominũ venerit, magno nõ dico labore tantúm, ſed pudore dediſcenda ſunt. At veró philoſophiæ uſu adhibito, cõjunctis, ut dixi, toto triennii tempore ſtudiis, ſi epiſtolã antea facere, elegantem cõdere, rẽ propoſitã ornaté pronunciare

nunciare

nunciare didicerit, non modó hæc eadē decurrendis philoſophici curriculi ſtadiis retinebit, ſed ampliora multó ac uberiora præſtabit, omniaq́ ex proprio & naturali philoſophiæ uſu & dicere & agere didicerit, quæ populo, quæ Senatui, quæ judicū ſenſui, quæ vitę & humanitati cōſentiant. Cicero dicit Hippocratē nobiliſsimū Medicū, ſcriptū reliquiſſe, quoſdā fratres (cùm ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorū morbus eodē tēpore ingraveſceret, eadē levaretur) geminos ſuſpicatū. Si quis igit̃ naturalē philoſophiæ & eloquētiæ germanitatē neſciret, cùm tamē has artes cōjunctione ſtudiorū & cōmunione ſpecioſas & robuſtas eſſe, diſjunctione nō modó colorē, ſed etiam ſanguinē amittere videret, germanas tamē & genuinas ſuſpicari debeat, & in naturæ ſuæ ſocietate, in una victus cultusq́ conſuetudine retinere, ſi ſalvas & incolumes eſſe velit. Craſſus homo eloquētiſsimus & amāntiſsimus eloquentiæ, edicto Cenſorio urbe Roma Rhetoras expulit: rectè. quia tantúm Rhetores erāt, philoſophiā neſciebāt. Domitianꝰ Imperator Italia tota philoſophos expulit: rectè: quia philoſophi duntaxat erāt, eloquentiā nō habebāt. At Craſſus, opinor, neq́ Rhetoras, ſi philoſophi fuiſſent: neq́ Domitianus philoſophos, ſi Rhetores fuiſſent, expuliſſet. Cōjunctionis igit̃ hujus naturalis utilitas prima jā magna quidē per ſe nobis videri debet, judices, quód cōſequētibus ſtudiis, antecedentiū fructus nulli amittant̃, ſed omnes augeantur: totaq́ ejus utilitas, quantacūq́ eſt, gratiá Academiæ, legibꝰ eſt attribuēda, quia humanitatis & philoſophiæ conjunctionē, hujus utilitatis authorē, nobis dederit: eſt tamē eò major utilitas exiſtimāda, quód inſignem quandā doctrinarū lucē conjunctā ſecū habeat: Nā cúm iſto modo artiū fructū exquiremus, ſi quid erit ab earū doctoribus inepté & imprudēter cōturbatū, omnis ejuſmodi error facilé deprehēdetur & tollet̃. Uſus enim cōjūctus, demonſtrabit quid utile, quid ſolidū, quid verū ſit in præceptis: cōtrà, ſi quid erit inutile, vanū, falſum, idē uſus manifeſté declarabit. Ita fiet ut quēadmodū in hortorū arboribus, ſic in artiū inſtitutionibꝰ alias cōſervemus, quia fructū ferāt, alias amputemus, quia fructū nō ferāt. At veró, judices, diſjūctione uſus & doctrinæ, quæ cōmenta, quæ ſomnia pro veris artibus nobis tradita ſunt? Nullus fuit ab annis neſcio quot, homo tā barbarus, tā omnis humanitatis expers, tā cōmunis ſenſus ignarus, qui non (quicquid delirando ſomniaſſet) pro philoſophia traderet. Pudet vix aniles fabulas commemorare, Suppoſitiones, Ampliationes, Reſtrictiones, Aſcenſiones, Deſcēſiones, Exponibilia, Inſolubilia, Obligationes, & ſimiles philoſophiæ tenebras, nō aliunde, quám ex privatione luminis excitatas. Philoſophiæ cōjunctus uſus, philoſophiæ dies eſt: á philoſophia diſjunctius uſus, philoſophiæ nox eſt. Ergo homines ingenioſi quidē, ſed ignari, cúm veræ philoſophiæ diſcernēdæ regulam, uſum eſſe neſcirēt: unde philoſophia duceretur, ignorarent: quó philoſophia referretur, non cogitarent: philoſophos ſe magnos eſſe ſibi perſuaſerūt, de uſu rerū, philoſophiæ origine, philoſophiæ fine nil laborarunt: itaq́ quicquid illis in mentē venit, tāquam á magnis philoſophis inventū, philoſophiæ decretū eſſe crediderūt. Tot igit̃ artiū tenebris cōtrariū artiū lumē legibus Academiæ debemus, judices, quód illū tātæ lucis parentē uſum nobis tradiderint: hoc igit̃ etiā bonū legibus acceptū referat̃. Quid quód eadē ratione tēpora ſtudiorū, laboresq́ mirificé minuunt̃? Certos gradus in diſciplinis explicandis ita diſtinctos tēporibus habemus, ut primo tēpore Grammatica, ſecundo Rhetorica, tertio philoſophia perdiſcat̃. Sit igit̃ puer novitius plané & rudis, qualē antea finximus, ꝑ vulgari ſcholarū Pariſienſiū cōſuetudine nobis informādus: is, ut quám optimé fieri ſoleat, erudiatur: quatuor aut quinq́ primis annis ſic in Grāmaticis erudietur, ut Latiné loqui, ut verſiculos fingere, ut ſermonē familiarē in epiſtola exarare non inepté poſsit: deinde cúm ad quartā claſſem (ut puerorū in gymnaſiis majoribus ordines diviſi & cenſi ſunt) pervenerit, in rhetoricis ſtudiis duos annos minimū, ſæpe aūt cōplures exercet̃: hoc ſecundum tempus eſt: tum demū ſeptimo, vel octavo ſtudiorū ſuorum anno, tertio quippe tempore, ad philoſophos, ſuperioribus ſtudiis omnibus omiſsis (ut cognita priús videlicet obliviſcat̃ & dediſcat) deduci ſolet,

& tres annos ſexq; menſes in illo arido, omnibusq; Rhetoricæ floribus ſterili ſolo, laborioſé arãdo & ærumnoſé iterando mancipat̃: ita duodecimo propé laborũ ſuorũ anno, magiſter artiũ nominat̃. Verumenim veró partitis, ut expoſui, docẽdæ percipiendæq; philoſophiæ tribus annis, ſexq; mẽſibus, ut pars ejus tẽporis altera mãſuetioribus muſis impendat̃, puer quinto ſtudiorũ anno philoſophis opportuné & cõmodè cõmitet̃, & annos quos in Rhetoricis ſtudiis collocabat, multó meliús ac utiliús in cõjunctis eloquẽtiæ & philoſophiæ ſtudiis collocabit. Nec enim ſolúm ornaté dicẽdi copiã, ſed bene ſentiendi agẽdiq; prudentiã, optimarũq; rerũ & ſententiarũ ſcientiã eodẽ tẽpore, eodẽq; triennio ſibi cõparabit. Ita ſeptimo propemodũ ſtudiorũ ſuorũ anno verus artiũ magiſter efficiet̃. Quod ſtudiorũ liberaliũ tẽpus Græcis illis ſapientiæ magiſtris video valdé placuiſſe. Plato ante viceſimũ annũ omnes artes & corporis & animi perceptas & uſitatas eſſe voluit: reliquam vitã in publicis belli pacisq; temporibus, in ſerio juvenilis inſtitutionis uſu & ſecretiore quodã & ſanctiore philoſophiæ ſtudio cõſtituit. Ariſtoteles eõdẽ feré cõtẽdit, ſed clariús etiã idipſum teſtatur, & diſciplinarũ ſtudia tẽporib' apertiús dividit. hominis ætates philoſophus quidam ſeptenario diſtinxerat, quẽ tametſi nõ omnino ꝓbat Ariſtoteles, attamẽ feré ſequit̃: Nã cúm primum ætatis ſeptenariũ jucũdis & ludicris virtutis exemplis oblectandũ, ſecũdũ gymnaſticis & corporis exercitationibus informandũ præcepiſſet: tertiũ, animi diſciplinis attribuit, nec eodẽ tẽpore magnos & corporis & animi labores ſubeundos eſſe cenſuit: quinetiã diſciplinis animi, modũ illo tertio ſeptenario plané terminavit, & in iis juvẽtutẽ diutiús immorari, noxiũ eſſe & detrimentoſum judicavit: quia potiora vitæ & majora officia patriæ & parẽtibus debita retardarent. Quid Horatius? nũquid annales illas artiũ liberaliũ leges, neſcio qd aliud agens, tamen indicat?

Ingeniũ ſibi quód vacuas deſumpſit Athenas,
Et ſtudiis annos ſeptem dedit, inſenuitq;
Libris & curis. —

Sed cur philoſophos illos, aut hũc poẽtam potiús, quàm germanas Academiæ noſtræ leges adhibeo, ac non etiã tanti boni principia ad ſuã cauſſam refero? Etenim leges Academiæ, Ariſtotelicum illũ Palladis ſeptenarium, & publicé omnibus & privatim gymnaſiis ſingulis imperarunt. Grãmatica duos aut ſummúm tres annos docebat̃, in eaq; juventus mediocriter erudiebat̃: tum ad philoſophos, à quibus nõ ſolúm philoſophiã, ſed etiã politioris Grãmaticę & humanitatis, quantulacũq; illi fuerat, perfectionẽ quandã & elegantiã cõjunctis humanitatis cum philoſophia ſtudiis tres proximos annos accipiebat. Rhetoricæ ſtudia nulla dum extiterant. Itaque ſexto aut ſummúm ſeptimo ſtudii anno, puer tantúm ad percipiendas artes bene natus, vel qui literarũ omnium rudis Lutetiã veniſſet, philoſophicã lauream obtinebat. Cognoſce Academiæ noſtræ leges, nũquid in philoſophico curriculo cũ philoſophicis authoribus grãmaticos, ſicut antea docui, explicandos imperãt? nunquid nominatim juſjurandũ de ſex annis in artiũ auditione & cognitione poſitis requirũt, cúm tamẽ triennio, philoſophiæ ſtudiũ leges eædem perſpicué terminẽt? Excute gymnaſiorum de annonis & burſis inſtitutiones, nũquid cũ legibus cõſentiunt, & ſex annos alumnis & burſariis ſuis ad laureã philoſophicã definiunt, & his annorũ intervallis, ſtudiorũ ad eã neceſſariorũ curſum cõcludunt? Quãobrẽ hoc etiam temporũ cõpendiũ legibus Academiæ debemus, eisq; totã hujus boni laudẽ gloriamq; meritó tribuemus. Legitimæ diſciplinæ & authenticæ inſtitutionis, quam ſequimur, magnas antea cõmoditates oſtendimus, judices, quód nulli temporum præteritorum fructus amitterentur, ſed omnes mirificis modis amplificarentur, quód artes ipſæ vehementer illuſtrarentur: at non ſolúm majores temporum fructus, ſed labores etiã longé minores hic oſtẽdimus. Tria ſunt in vulgari juvẽtutis eruditione tempora, primũ grãmaticum, cui quinq;, aut plures anni impenduntur: ſecundũ rhetoricũ, cui feré tres aſsignantur: poſtremũ philoſophicũ, cui tres anni ſexq; mẽſes attribuuntur: ſic etiã ut philoſophiæ cognitione, Grammaticę & Rhetoricę oblivio inducatur. At conjunctis eloquentiæ & philoſophiæ ſtudiis, quo tempore ſola

ſola Rhetorica doceretur, eodẽ philoſophiam & philoſophię fructũ, & quidem multó pleniorẽ, quàm antea, & uberiorẽ cõſequimur, & magnum tertii temporis lucrum facimus: & iſta cõpendiaria via diſcipulos admodùm juvenes eó perducimus, quó vix ſenes, ac ne vix q̃dem, unquam fortaſſe perveniſſent. Magna res eſt, quã dico, judices, & magnopere conſideranda. Liberi veſtri primis & puerilibus ſtudiis ad Rempub. informantur: decimoquinto ætatis anno, ſi ſeptimo diſcere incipiat, adoleſcentem ad legum ſtudia liberalibus artibus liberaliter excultũ & præparatũ, de ſchola noſtra vobis emittimus, ut quinquẽnio verſatus in juris civilis ſcientia, maturé ad forũ veniat, oratorumq; & Senatorum & judicum & magiſtratuum exemplis, terno ætatis ſeptenario, ut antiquis illis hominũ paſtoribus placuit, Rempub. regere & gubernare cõſueſcat. Si ſe ad religionẽ divino aliquo inſtinctu adoleſcens applicet, non ſolùm magna eſt ad Theologiam perdiſcendam & exercendã ætas, ſed magnis & neceſſariis adjumentis inſtructa, ſive voce populum beatæ vitæ rationes docere, ſive revocare à vitiis & errore, ſive languentẽ & ſopitum, ad amorem charitatemq; excitare, ſive ab impietate defendere vindicareq; voluerit. Quamobrẽ, judices, ut inſtitutã utilitatis demonſtrationem colligã & concludam, videte num talem philoſophiæ inſtitutionem ſequi debeamus, quam ſummi fructus commẽdant, quam artium veritas & perſpicuitas expoſcit, quam optatiſſima temporum compendia repetunt. Diſputavi adhuc de legum authoritate, de rei ipſius utilitate, de facilitate ſupereſt eſſe dicendum. Poteſt enim ſic exiſtimari, hãc inſtitutionẽ tam eſſe probatam, tamq; cõmodam, ut optãda: ſic eſſe difficilem, ut pertimeſcenda ſit. & quidem non decerit (ſi ſuperis placet) hoc etiã loco, qđ malus Academiæ Genius accuſet. Nam cùm tot utilitates cõmoditatesq; & artium & temporum & diſcipulorũ & magiſtrorum tam ſtudioſe collegero, delirare me dicet, & iſtã viã, quã ingredior, perdifficilẽ eſſe, familiaribus ſuis accuſatoribus meis perſuadebit: tot & tam multos libros, quàm multi legibus definiũtur, media diei parte, triennii ſexq; menſium tempore, prælegi & diſputari non poſſe, ut reliqua pars diei media ſtudiis humanitatis & philoſophiæ exercitationi relinquatur. Hoc magnum cõtra nos argumentum eſt, judices, & valdé, ſi verum ſit, pertimeſcendum. In triennio & ſex menſibus ſi una duntaxat horâ diei, philoſophia prælegatur, non poteſt inſtitutus philoſophiæ curſus peragi. Hæc Achillis haſta ſcilicet quædã eſt, qua, niſi caveamus, neceſſe ſit nos cõfici. Quare haſtam illã tam violenter intortã declinemus. Triennium ſexq; menſes legitimis libris vix ſatis ſunt, inquit accuſator, quanvis totus dies in his conſumatur: imó, inquã, non modó ſatis ſunt, verùm etiam ſuperſunt: Tot annorũ menſiumq; dies cum libris comparemus, rationisq; ſummã faciamus. Omnium librorum legibus præſcriptorum prælectiones triennio per legem ipſam terminantur: ſex menſes prælectionibus liberi & gratuiti lege condonantur: ſex igitur jam menſes præſcripto legis otioſos habeo. De libris lege pręſcriptis permulti, vel jampridem é ſcholis ejecti, ut ſex principia, Barbariſmus, Græciſmus, Alexander de villa dei: vel certis de cauſis omiſſi, ut Boëtius de Topicis & diviſionibus, Ariſtoteles de animalibus, de plantis, de differentia ſpiritus & animæ: vel ad antecedentia Grãmaticæ ſtudia remiſſi, ut Priſcianus major, minor, de accentu. Hos igitur non pauciores menſes conſenſu temporis otioſos habeo, & annus hic nobis otioſus eſt. Feſtos dies & profeſtos, prælectionibus ſolutos, leges Academiæ permultos nobis quotannis inſtituunt: eos nobis recenſe, qui in Calendariis publicarum ſcholarum & ſingulorum gymnaſiorũ notari ſunt: ſupra ducẽtos annis ſingulis invenies. Quinetiã ex illis menſibus, qui ſingulis libris explicandis per legem definiunt̃, ſi libri ipſi philoſophici per ſe & ſine ullo humanitatis authore prælegãtur, lex dimidium temporis detrahit: & ſeſquiannum philoſophici ſtudii legitimis libris explicandis tãtummodó relinquit. Multiplica hunc dierum otioſorũ numerum ex triennio, ſupraq; deductis otioſis integri anni diebus adjunge, & reliqui temporis ſummã confice: an non concludes, philoſophici temporis lege præſcripti multó majorem partẽ nobis

otioſam, prælectionibusq; vacuã & liberã permiſſione legis relinquit? At vix triginta dies nobis toto anno prælectionibus liberos permittimus: omnibus totius anni ferè diebus omnia Academiæ Pariſiẽſis gymnaſia, quæ quidẽ literarũ laude floreant, philoſophant, prælegũt, aliquid deniq; profeſſionis munerisq; ſui exercẽt & agunt, nulla ceſſant, nulla otiant. Quare leges Academię & præſentium tẽporũ tã navi tamq; induſtrii mores declarant una ſingulorũ dierũ horâ, eaq; per annũ totũ perpetua, nõ ſolùm omnes legitimas, ſed etiã quas addim⁹, mathematicas artes abundè declarari exponiq; poſſe: ad ejus declarationis meditationẽ & conformationẽ duæ horæ cõjungantur: reliqua tamẽ diei pars pluſquã media nobis & libera & ſoluta relinquetur. Quare triennii ſexq; mẽſiũ tempore, philoſophia legitima, qualem docuimus, penitus explicari poteſt, & eodẽ tẽpore ejus exercitatio & illuſtratio ex poëtis & oratoribus addi poteſt. Quid ergo? quæret aliquis veſtrũm, judices, tantũ tẽporis intervallũ, quantũ ad uſum philoſophię cõferes, quibus tebus hoc tẽpore impẽditur? Utinã, judices, tantùm perderetur, nõ etiã ſtultis & vanis rebus & poſtea dediſcẽdis impenderetur. Cùm philoſophiæ & eloquẽtiæ disjunctio facta eſſet, & omnes humanitatis authores in antecedentia philoſophicũ curriculũ tẽpora rejecti eſſent, aut omnino relicti, & in ſingulis gymnaſiis feriæ tot dierum ſublatæ: ut triennii tempus impleretur, parva Logicalia Terminorũ, Suppoſitionũ, Ampliationũ, Reſtrictionũ, Aſcẽſionum, Deſcẽſionũ, Inſolubiliũ, Obligationũ, de quibus jã dixi, aſſumpta ſunt, quæ primũ ferè annũ conſumerẽt: adjuncti ſunt ad Logicam Ariſtotelis aculeatis ſophiſmatis infarciendam, peringenioſi ſophiſtæ Buridanus, Dulard⁹, Tartaretus, Petrus Hiſpanus, & eorũ philoſophorũ magnus cœtus, qui eã altitudine ſapientiæ ſuæ, authorũ legibus præſcriptorũ luminibus obſtruerent: itẽ quæſtionarii homines, quaſi triarii, lubricum quẽq; & dubium philoſophiæ locũ ſuis copiis cõmunivęrunt: deniq; perfacilè triennii tempora ſuis velitationibus occuparunt: adeoq; hoc tempore, ſi quis nugis illis ſpretis legitimos philoſophiæ libros etiam diligenter interpretari velit, exacto biennio nihil ex lege reliquum, quod interpretetur, habeat. Et hæc Genio illi, per quem tandiu Academia vexatur, proximis ſuperioribus annis occaſio fuit, ut philoſophiæ ſtudiũ biennio cõcludẽdum maxima contentione procuraret: qui furia neſcio qua in ſeipſum retortus, eũ perſequitur, à quo non tantùm illud tã deſideratũ tẽporis cõpendium ſumma voluntate legum tribuitur, ſed cũ maxima artium & ſtudiorum utilitate & illuſtratione tribuitur. Sed invidia rumpitũ. Penelope procis ſuis arcũ Ulyſſis propoſuit, ſeq; ejus uxorẽ fore promiſit, qui eũ tetendiſſet. Proci tendere nõ poterant, à nemine tamen tendi patiebantur. Talis eſt in iſto Academiæ peſſimo Genio ſcilicet æmulatio & invidia: amat eam laudem, qua potiri tamen nõ poteſt: arcus occaſio ſummis Reipub. malis opitulandi in medio ponitur, præmiũ ſpõſæ pulcherrimæ & nobiliſſimæ proponitũ. Procus hic, qui didicerit Ulyſſis pecora & armenta devorare, non ad Trojam pro patriæ libertate & gloria pugnare, arcũ tamen Ulyſſis ab Ulyſſe ipſo tendi non vult, indignatur, minitatur. Verũenimverò arcum ſuum novit Ulyſſes, Penelope jubet ab eo tẽdi. Itaq; arcum tẽdit, procos omnes vincit: ſic improbe & invide Genie, philoſophia ꝑ eos, qui idipſum poſſunt, qui norunt, qui ſeſe in his ſtudiis exercuerunt, reſtituetur, & invidia tua ſuo livore cõtabeſcet. Non eſt porrò malorũ Geniorum de philoſophia & literis, de Republica bene mereri: fallere, mentiri, peierare, Rempub. vẽdere & depeculari, perditorũ Geniorum propriũ eſt. Ignoſcite mihi, judices, ſi tã vehemẽter malos Academiæ Genios odi, quàm bonos Genios Academiæ defenſores & patronos diligo. Non poteſt, ait iſte calumniator, inſtitutio tua tractari, quia tẽpora legitima nõ ſufficiunt. At ex lege ipſa doceo ampliſſimè ſufficere. Sed fac, inquiet, ad inſtitutionẽ tuã explicandã per legẽ, temporis ſatis eſſe: qui tamẽ hujus inſtitutionis doctores & magiſtri reperientur? Vereor, judices, ne conſtantiæ veſtræ diffidere videar, qui tã imperitis nugis reſpondeam. At hæc accuſatoris mei argumenta ſunt: nõ putat, quod malus Genius, qd' mali Genii familiares & miniſtri neſciant, hominũ quen-

quam

quam ſcire. Verùm quatuor jã perpetuos annos, licet malo illo obſtrepẽte Genio, hæc diſciplina tenetur, tractat, exercetur, & ab infinitis ingeniis, quæ Deus hoc ſeculo ad immenſam nominis ſui gloriã ſuſcitavit, præſtantiùs & excellentiùs teneri, tractari, exerceri poteſt. Non ſi Ramus unus pro Rep. tot iniquitatibus affligatur, ideo non multos eſſe putetis, qui velint & poſsint idẽ præſtare: Signũ tantũmodò, judices, tollite: quantus præſtantiũ architectorũ ad hanc reædificandã Academiam concurſus fiet? quanta doctiſsimorũ philoſophorũ & eloquentiſsimorũ oratorũ copia protinus exiſtet? Res facilis eſt, eſt etiã, quò facilior ſit, perjucunda. Utinã, judices, perinde verbis explicare poſsim, quod ſentiam: neminẽ profectò tam durũ, tamq; agreſtem eſſe arbitror, quem voluptatis futuræ cogitatio & cõmemoratio non ſumma voluptate afficiat. Quid enim eſt in quo exultare animis, lætitia efferri, triumphare deniq; ſoleamus? Nẽpe cùm iis rebus, quas amavimus, quas optavimus, perfruimur. Diſcipuli noſtri è lõginquis plerũq; terris ad nos deducuntur: quo porrò deſiderio incẽſi? quo amore inflammati? doctrinæ. Quãtò igitur in omni doctrina majores progreſſiones fecerint, tantò pleniores voluptates percipient. Atq; ut antea moleſtiſsimis ſpinis debilitati, inanibus clamoribus fracti, perpetua rerũ obſcuritate deterriti, amorẽ philoſophiæ deponebãt: ita nunc ſuaviſsimis rebus illecti, liberalibus exercitationibus cõfirmati, clariſſima luce invitati, cùm omnibus modis ſe & doctiores & diſertiores quotidie fieri ſentient, incredibili voluptate oẽs vigilias tolerabunt: nõ ſibi negotiũ exhiberi, ſed otiũ cõdonari: nõ laborẽ imperari, ſed delectationẽ comparari judicabũt. Neq; verò magiſtri in tanta diſcipulorũ lætitia lugebunt, ſed ut boni agricolæ, cùm ſegetes, quas ipſi ſeverint, lætas ac luxuriantes aſpiciũt, magno gaudio ſuperis gratias agũt: ſic liberalis animi præceptores immortaliter uberrimo ingeniorũ ſua diligẽtiã velut excultorũ & ſatorũ proventu gaudebũt. Antea de Dialecticæ duris admodũ & injucũdis præceptiunculis ſeſe obtundebãt: nũc ejus amœniſsimũ in omnib' dictis & factis, maximis, minimis uſum intelligent. Nul antea mathematicũ guſtabant: nũc gratiſsimas generoſis animis epulas ex veriſsimis mathematũ mẽſis accipiẽt. Antea quid eſſent venti, quid pluviæ, quid tẽpeſtates, quæ cauſſæ rerũ ortus & interitus efficerent, inquirebãt: nũc eorũ generũ efficientiã in Virgilio, in Homero, in reliquis bonis authoribus ſuavitate magna recognoſcent: nec in ulla philoſophiæ parte oblectãdi otii materies unquã diligẽtibus & attẽtis doctorib' deeſſe poterit. Immortales, ita me Deus amet, eſſe cupient, ut iſta cõditione perpetuò doceãt. Lõga navigatione, judices, perfuncti ſumus: difficiles ſcopulos prætervecti ſumus: terrã mihi jã, portũq; intueri videor: quò priuſquàm contendo, permittite mihi paululùm, quod ſupereſt, explicare: nõ audeo dicere: reticere etiã cogitarã, nec id in partitione diſputationis meæ poſuerã: dicẽdum tamẽ eſt: & quia veſtra humanitate tã liberaliter adjuti ſumus, pro Republica fortiter eſt agendũ. Quàm corrupta ſit Academiæ diſciplina, quàm miſerabilis, quàm obſcura, quàm moleſta & odioſa, dixi: de doctorũ & magiſtrorũ induſtria & integritate nondũ dixi: de iis igiť etiã pauca cognoſcite. Philoſophia ſeptingentos annos ſecũdùm Regũ Pontificũq; leges in publicis ſcholis tradita eſt. Quid tũ? pauci ſufficiebãt in publicis ſcholis, nec omnino multi eſſe poterãt philoſophiæ doctores & magiſtri, hiq; ex magna doctorũ hominũ multitudine ad certũ tẽpus electi: adeoq; uſq; ad ætatẽ noſtram unicus univerſæ Academiæ doctor ethicus hoc modo delectus eſt: & adhuc vir honeſtus, & de Repub. bene meritus vivit, qui poſtremus hoc munus ſuſtinuit: & credi par eſt, unicum una in ſchola Logicũ, unicum itẽ Phyſicũ fuiſſe ſatis. Et certè ut in majore otio magis elaboratæ prælectionis majorẽ enĩ fructum à duob' ejuſdẽ diei artiſq; magiſtris, matutino & pomeridiano, diſcipulus capiat, attamen ſingularum artium bini doctores abundè ſufficient: atq; ita ſex profeſſores licet à ſingulis diſcipulis perexiguum ſymbolum caperẽt, ſemicoronatum dari ſolitum audivimus: ex multorum tamen collectis, creſcebat illis amplũ & valdè magnũ ſtipẽdium. Certa etiã quædã pecunia, ut leges nominatim ſanciunt, in Baccalaureatu per procuratores;

tores, in Licentia per examinatores exigebatꝰ, qua cõmunibus Academiæ negotiis fieret ſatis. Has pecunias, burſas lex appellat, & ſic adhuc appellantꝰ. De iis lege cautũ eſt, ne in examine & Licentia burſæ plures duabus pretii ſcholarũ (ordinariũ unius hebdomadæ ſumptũ, burſam intelligit) examinis, prandii, laboris cauſſa caperentꝰ: duos ſolidos examinatori pro ſtraminibus lex tantũmodó permittit, præterea quicquã á magiſtris accipi, valdé vehementerq́ prohibet: philoſophiæ diſcipulos pié miſericorditerq́ (ut ipſa loquitur) tractari jubet, ut parva pecunia, vel (ſi pauperes eſſent) nulla ad oẽs philoſophiæ honores honeſtis ingenii laboribus, nõ pecuniæ gradibus aſcẽderẽt. Vetus illa parſimonia in publicis ſcholis ætate patrum noſtrorũ viguit. Totavillęus Cardinalis eã confirmavit, & nominatim pręcepit, ut his legibꝰ, philoſophiæ diſcipuli philoſophiam quotidie in ſcholis publicis audirent. Philoſophia ſic in ſcholis publicis, legibus publicis inſtituta, permagnũ quondã philoſophorũ numerũ extulit, ut de reprimẽdo philoſophorũ numero leges aliquot veteres habeamus. At philoſophia neſcio quot abhinc annos cõtra leges á publicis ſcholis in privatas abducta eſt. Quid deinde cõſecutumꝰ Ariſtoteles in Politicis multa de civitatũ & Rerũpublicarũ exitiis exponit, quorũ illud vel maximũ cẽſet eſſe, dum res aliqua parva tollitꝰ: unde conſequitꝰ ſenſim magna rerũ aliarũ ruina: Deſpicitur enim primũ, & ſophiſticæ captionis inſtar, occultis inſidiis irrepit, priusq́ enecat, quám ſentiri póſſitꝰ Parũ intereſſe videbatꝰ, in ſcholis ne publicis, an in privatis philoſophia legeretꝰ. Quid igitur philoſophiæ á publicis ſcholis in privatas avocationẽ ſecutũ eſtꝰ Rapinæ, judices, & miſeræ juventutis vexationes nõ tolerãdæ, ut quod ſola induſtriæ & ſtudii laude, nulla pecuniæ mercede cõſtare debuerat, turpiſsimo quæſtu proſtituatur. Qua tandẽ ratione tã fœdæ rapinæ exortæ suntꝰ Dicã, judices. Philoſophiã in privatas gymnaſiorũ ſcholas cõtra leges abducta, in ſingulis gymnaſiis tot philoſophiæ doctores inſtituẽdi fuerũt, quot in Academia tota priſis ſatis fuerãtꝰ (nõ dico quám docti & eruditi tam multi magiſtri ſint aut fuerint, & quãtó difficilius ſit multos excellẽtes doctrina magiſtros, q̃ paucos invenire) ſed pro tribus aut ſex, ſexaginta aut cẽtũ inſtituendi fuerũt, alẽdi fuerũt, ornãdi ſtipendiis fuerũt. Hic ſumptus pmagnus gymnaſiarchis fuit. q nullos antea philoſophiæ doctores alerent, quaternos alere coacti ſunt: tantus ſumptus fuit alicũde recuperãdus. Quid ergo gymnaſiarchi facerent, niſi ut philoſophiæ candidans novum aliquod tributum imponerẽtꝰ Doctores meminerant ea ſtipẽdia, quæ publicis antea doctorib. in ſchola publica pẽdebantꝰ. At quãvis eſſet auditorũ lõgé minor numerus, tamẽ quia nõ minus pro paucis, quám veteres illi doctores ꝓ multis laborare ſibi viderentꝰ, ſibi quoq́ parẽ mercedẽ deberi ſtatueruntꝰ multiplicandũ igitꝰ hîc etiã vectigal fuit, ut tantúm perciperetꝰ á paucis, quãtúm antea percipiebatur á plurimis. Lex vetus anno milleſimo ducẽteſimo octogeſimo nono facta eſt, ut magiſtri, auditorũ ſuorũ nomina perſcriberẽt, & ſigillo ſuo tandẽ de moribus eorũ doctrinaq́ fidẽ facerẽt: ſancta lex fuit: ſed nihil tam ſanctũ, quod avaritia nõ corrũpatꝰ. Additũ eſt in legibus, ne pro ſigillis ejuſmodi quicquã á diſcipulis caperetꝰ. Hîc iamẽ eſca multorũ aucupiorũ reperta eſt, & hujus occaſione teſtimonii, quantũ libitũ eſt, tantũ eſt exactũ. Nec privatim tãtúm hæc infamis avaritia, ſed publicé ſic aucta eſt, ut pro duabus burſis jã ſex itemq́ octo majoris etiã pretii exigantur. Burſæ duæ quondã, cúm gymnaſia nõdũ ædificata eſſent, omnibus publicis & ſacrificiorũ ſumptibus, & Rectorum, Procuratorũ, examinatorũ ſtipendiis & miniſtrorũ laboribus ſatis ſuperq́ fuerant: facta tamen ſunt in ſingulis gymnaſiis, quæ nõ ante trecentos annos fundata ſunt, quondiana, quibus ad neceſſarium & Chriſtianũ exemplũ juventutis intereſſe debeamus: nec publicis & ſodalitiis ſacris intereſſe potes, niſi domeſtica deſeras: burſis ad eã rẽ utiq́ nihil opus eſt. Rectoribus, Procuratorib. examinatoribus, apparitoribus & bidellis aliunde ſtipẽdia quærunꝰ: burſis ad eam rem nil unq́ opus eſt. Attamen hodie cúm nulla ſit omnino burſarũ cauſſa, non duplæ, ſed decuplæ pené factæ ſunt. Quãobrem igitꝰ hodie miſerorum adoleſcentum burſæ ſic exhauriunturꝰ

Reſpon-

Reſpondeant, qui norunt his manubiis ſe beatos efficere. Diſtributiones philoſophis ad ſodalitia nationũ ſacra venientibus fiunt. At interea deſero domeſticũ ſacrũ, ad quod diſcipulos meos deducere debeo: & multó gratius & liberalius fuerat, neminẽ ſpoliare, quám ſpoliato ſpolia eo modo tãdẽ fruſtratim & particulatim reſtituere. Si paganũ Platonẽ, ſi ethnicũ Ariſtotelẽ interroges, utrúm artiũ magiſteria iſto modo vẽdere liceat, te ut dirũ caput, execrabunt̃: ille aurũ cæleſte in præclaris animis divinitꝰ inſitũ terreſtri auro nõ æſtimandũ clamabit: hic dicet nõ modó pecunias á talibꝰ nullas exigẽdas, ſed pecuniis potiús egregios animos ad virtutẽ, ad Reip. utilitatẽ eſſe provocandos: nos Chriſtiani nominis homines hæc toleramus. toleramus? imó etiã cõtra leges noſtras facimus, ex injuria ſumma ſummũ jus ſcilicet efficimus: ſi quis cõtra iſta dixerit, ꝑſequimur, affligimus. Sed quid in iſta ꝑdita avaritia diutius cõmoror? quid imperatas cõviviorũ effuſiones, chirothecarũ pileorumq́ exactiones, miſeriasq́ alias aliis ſubinde catenatas cõmemorẽ? Tãtúm dicã, judices, jactura præteritorũ ſtudiorũ, cõfuſione artiũ, lõgitudine producti tẽporis, multos á philoſophiæ ſtudio deterritos eſſe: ſed multó plures tã improbis exactionibus repulſos eſſe. Nã cũ homines minimé hebetes & ignavi maximas tẽporum moleſtias, maximas ſumptuum impẽſas cernerẽt, Grãmatica autẽ Rhetoricaq́ perceptis, nil admodum cernerẽt, quod in philoſophia tã multis ſpinis involuta ad uſum humanitatis & vitæ referri poſſet: imó philoſophiã ſic tractatã, ſordidã & illiberalẽ & humanitati cõtrariã judicarẽt, de alia liberorũ inſtitutiõe cogitare cœperũt. Itaq́ poſt grãmaticũ rhetoricũq́ ſtudiũ, vix guſtans philoſophiæ principiis, vel ad civiliũ legũ prudentiã, unde magiſtratus aſſequerentur, vel ad aulas principum, unde ſacerdotia venarent̃, vel ad aliquẽ mercatũ, unde vitã ſuſtẽtarẽt, liberos ſuos trãſmiſerunt: nec eos in vanis & inutilibus, & ut putarũt, detrimẽtoſis ſtudiis vana ſpe retineri voluerũt. Perpauci philoſophiæ diſcipuli, vel qa hinc evolare nõ poſſent, aulœdiq́ fierẽt, q citharœdi fieri nõ poterãt: vel qa ad Medicinã aut Theologiã, niſi iſta via pervenire nõ poſſent, vel q ſe ſpoliandis aliis ſua ſpolia recuperaturos ſperarẽt, in ſchola remãſerũt. Ita poſteaquã philoſophia de publicis ſcholis abſtracta eſt, nõ ſolũ illa doctrinæ perturbatio, de qua in utilitate ſtudiorũ, artiũ, tẽporum diſputavi, ſed ſordida iſta & infamis doctorũ & magiſtrorũ avaritia, facultatẽ artium tã miſerabiliter afflixit, ut ordo quõdã frequẽtiſsimus & florẽtiſsimus, nunc redactus ad pauciſsimos, pené intermortuus jaceat. Quare quatuor primos annos in gymnaſiis, ſi cõmodũ eſt, juventus grãmaticis & rhetoricis exerceatur. Nullæ rapinæ iſtarũ artium cauſſa ſunt inventæ: multa ſunt á Regibus & Põtificibus, earũ duntaxat artiũ peritis, magna propoſita præmia: philoſophiã, quæ cæterarũ antecedẽtium artium fructus cõplectatur, illi Academiæ parẽtes magnis muneribus & præmiis affecerũt, & publicæ ꝓfeſsionis publicã ſcholã eſſe voluerunt. Quare ſi lex jubeat, ut jubet, philoſophiã in publicas ſcholas remittite. Si grave eſt gymnaſiarchis quaternos philoſophiæ doctores, dialecticũ, logicũ, phyſicũ, intrantẽ (ut vulgus appellat) alere & ſuſtẽtare, ſicut eſſe grave neceſſe eſt, philoſophiã in publicas ſcholas remittite, tãto onere gymnaſiarchos liberate: ſi eſt abſurdum & iniquũ, burſarũ, ſigillorũ, cõviviorũ, chirothecarũ, pileorũ & plurimarum rerũ ad philoſophiæ ſtudiũ nil attinentiũ rapinis, philoſophiæ auditores vexare, ſicut abſurdum eſt & iniquũ, philoſophiã in ſcholas publicas remittite, tãtis ſumptibus miſeros diſcipulos ſublevate: ne paupertati ad philoſophiam iter his impedimẽtis intercludi, ne etiã locupletes & fortunatos his indignitatibus alienari ſinite: parſimoniã legũ revocate. Philoſophia, donum Dei eſt: avaritiæ ſordibus inquinari ne permittite. Ut ſis baccalaureus in jure Canonico (quæ facultas, dignitate & privilegiis ſuperior eſt) quatuor aut ſummũ quinq́ coronatis, potes neceſſariis ſumptib. ſatisfacere, ut magiſter artiũ, ſecũdũ has ſordes nominẽris, vix ac ne vix quidẽ viginti coronatis te expedies. Mores corrũpẽtur, dicet aliquis, ſi philoſophia in publicas ſcholas redierit. At quæſtio hæc jã olim, ut Quintil. author eſt, dijudicata eſt: & quæ de domeſtica iſtitutiõe ab eo cõtra publicas

publicas

publícas ſcholas dicuntor, planè de privatis gymnaſiis contra publícas ſcholas dicunt. Multa alia multos cõtra hæc & cogitaturos & dicturos non ignoro, & ſapientiam veterũ, præ ſua opinione, nil eſſe facturos. Verùm, à fructibus eorũ cognoſcetis eos. Illos igitur tot prætéritorũ ſeculorũ annos, cũ paucis annis, quibus hi ſapiẽtes & politici viri à publica ſchola philoſophiã abduxerũt, cõparate. Stetit in Academia Pariſiẽſi philoſophorũ frequẽs & florẽs ordo annos ſupra ſeptingẽtos, cùm in publicis ſcholis philoſophia humanitati cõjũcta doceret. Illa Regũ & Põtificũ lex fuit: ille regiæ põtificiæq; legis fructus fuit. Philoſophorũ ordo ad paucos redactus, penè interiit, poſtquã ab annis quadraginta aut neſcio quot in privatis ſcholis philoſophia ab humanitate diſjũcta doceri cœpit. Hæc privata libido fuit, hic privatæ libidinis fructus fuit. Quare, judices, grãmaticã, itẽq; elocutiõis & pronũtiatiõis rhetoricã doctrinã in privatis gymnaſiis, quatuor annos, ſi lubet, imperate: At philoſophicos annos pximos ſcholis publicis tot bonorũ authorib⁹, ſecũdum legẽ reddite: tot rapinarũ & calamitatũ occaſiones tollite. Magnus iſte & gravis eſt in Academia morbus, judices. Facultas artium, eſt Medicinæ, juriſprudẽtiæ, Theologiæ ſeminariũ: quod ſi corruptũ aut depravatũ fuerit, quales inde frutices putetis futuros? Tãtũ morbũ multi in Academia ſenſerũt, & quotidie ſentiunt, nõ tã publica cauſſa, quã ſua. Numerus auditorum diminutus, quęſtũ etiã diminuit. Hinc illę lacrymę, quæ etiam malũ iſtum Geniũ (de quo jã ſæpe loquor) proximis ſuperioribus annis excitarunt, ut clamaret, ſi philoſophici curriculi tẽpus uno anno minueretur, facultatẽ artiũ fore meliorẽ, id eſt, crumenã pleniorẽ. At liberalis & ſancte Genie, morbũ crumenæ tuæ curare volueras, Academiæ morbum curare nolueras: nec ſanè quemadmodum curandus eſſet, intelligebas. Nec verò tuũ fuerat, ullã rem tã ſalutarem tamq; laudabilem cogitare. Quæ ſunt igitur tanti morbi cauſſæ? quæret hic Genius. in bonis enim & honeſtis rebus ſtupidus eſt, necdum cauſſas iſtas oratione tã longa deſcriptas intelligit. Agè igitur: ſi medicis ægrotæ partis alicujus cauſſæ dubiæ fuerint, nõnne rectè facient, ſi partis ejuſdẽ ſanæ cõtrarias cauſſas inſpiciant? Contraria enim contrariorũ ſunt conſequentia. Ergo quibus in rebus facultatis artiũ ſanitas conſiſtit? Sana ſit doctrina, judices: ſanæ doctrinæ ſani ſint doctores, ſana erit artium facultas. Facultatis hujus hæc duo tantùm mẽbra ſunt: quæ ſi ſana ſint, totũ corpus ſanum erit. Sana porrò facultatis artiũ doctrina, eſt in veris, perſpicuis, utilibus, diſtinctis, Grãmaticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæq; univerſæ præceptis: ſani ſint doctores, q tales artes teneant & intelligant, qui ſtudioſé & diligẽter exerceãt, qui ſtipẽdiis legitimis cõtenti, nil cõtra leges nec exigant, nec omnino capiãt, quiq;, quãdiu Reipub. utiliores doctores nulli reperientur, tãdiu in eo munere permaneant. Majores noſtri, magiſtratus, Academiæ ſanctiſsimis legibus definierunt: Rectores, Procuratores trimeſtres, examinatores annuos fecerũt: profeſſores artium par eſt etiã nõ tẽporis perpetuitate, ſed publicæ utilitatis ratione definitos eſſe. Quare qui multos auditores docet; & multis prodeſt, magnã quoq; mercedẽ debet accipere. parvus eſt auditorũ numerus, parvus eſt etiam laboris tui fructus: parvã itaq; mercedẽ debes accipere. Una gens omniũ gentiũ prudentiſsima Itala, hac lege, artiũ profeſſores alit, non procos Penelopes inutiliter noſtro more paſcit. Quare cùm ſanitas facultatis artiũ ſit in ſana doctrina, ſit in ſanis doctoribus, morbus erit in doctrina nõ ſana, in doctoribus non ſanis. Nec triennii tempus, iſtum morbum peperit: ſed hic morbus, ut prętéritorum ſtudiorũ fructus amiſit, artes obſcuravit: ſic triennii philoſophici moleſtias alterius triennii moleſtiis oneravit. Ergo ſapientiſsime Genie, hæc facultatis artiũ eſt adverſa valetudo, hæc proſpera eſt valetudo. Sed quęret aliquis, quinam ſit iſte Genius, quẽ toties nomino, quem tot malorum in Academia authorẽ facio. Deus, judices, non ſolùm mundi artifex & procreator ſemel fuit, ſed perpetuò rector eſt & gubernator. Itaq; non ſolùm ſingulorum hominum, ſed civitatum, ſed provinciarum & regnorum Genios & angelos, alios bonos & ſervatores, alios malos & vexatores ordinavit. Quicũq; ſit igitur tot malorum author,

qui

qui totũ Academiæ ſtatũ pervertit, qui diſciplinam corrupit, qui doctores depravavit, illum ego Genium definio: & ab hoc perdito Genio profugiens, judices, ad vos bonos Academiæ Genios confugio: tã iniquè, tã iracundè, tã ꝓpè furioſè ab illo vexatus & afflictus, cogitationẽ, ſpem, conſolationẽ ad hunc ampliſsimum Galliæ Senatum, tẽplum ſanctitatis, juſtitiæ ſacrariũ, aram provinciarũ, innocentiæ portũ converti: Etenim Præſides ac Senatores, regii oratores ac patroni, cùm vos intueor, mihi veriſsimè videre videor ſumma univerſæ Galliæ, vel potiùs univerſæ terræ ornamenta ac lumina. Quamobrẽ, judices, quid aliud jam reſtat, quàm ut pro diſcipulis meis, pro Academia Pariſienſi, clementiã miſericordiãq; veſtrã obteſter & obſecrem? Diſcipuli mei nullo ſuo delicto, ſed magiſtri duntaxat odio, per ignominiam ſummã falſò & improbiſsimè conficto crimine publicis ſcholis ſunt excluſi. Itaq;, judices, ſi philoſophiã legibus definitã teneant, ſi eloquẽtiam legibus imperatam cum philoſophia exerceãt, ingenuam & generoſam ſtudioſæ juvẽtutis indolem, nequiſsimi Genii calumniis afflictam excitate: publicarum ſcholarum aditũ patefacite: campum enim diſcipuli requirunt, in quo philoſophici laboris & ingenii ſpecimen exhibeãt, & induſtriæ ſuæ fidem palàm faciant: non requirunt, ut ignari philoſophiæ, debitum philoſophis præmium capiãt. Neq; tantummodò diſcipulos ſupplices veſtros, ſed multò magis Academiã mœrentem, & utraq; manu auxilium veſtrum implorantẽ reſpicite. Quæ ſi ſcholis & gymnaſiis ſuis egreſſa, Muſis ſuis comitata, poſſet huc in forum ad vos accedere, nònne ſic vos vel pro ſummis ſuis meritis moneret, vel pro authoritate quaſi matris in liberòs, hortaretẽ, vel pro magnitudine diſcriminis oraret? Filii, miſerabilem parentem juſtitia veſtra ſublevate. Me Franciæ nobiliſsimi Reges, me eccleſię Romanę ſanctiſsimi Põtifices ſapiẽtibus & ſacris legibus inſtituerũt: leges meas regias & pontificias mihi reſtituite. Philoſophiã in publicis ſcholis doceri voluerũt, & publici laboris publicam mercedem magnis privilegiis inſtituerunt: philoſophiam publicis ſcholis reſtituite. Ex cõjũcto eloquentiæ & philoſophiæ ſtudio magna mihi ex amplificatione fructuũ, perſpicuitate diſciplinarũ, brevitate tẽporũ bona inſtituerũt: ea mihi regia põtificiaq; bona reſtituite. Profeſſores ſcientia præſtãtes, exercẽdę juventutis diligẽtia ſpectatos, legitimo ſtipẽdio contentos, ex multis paucos inſtituerunt: eos mihi profeſſores reſtituite. Miſerã legibus, diſciplina, doctoribus orbatã, per ſummũ cœli terræq; Deum, ne diutius eſſe ſinite. Malos Genios, qui ſuas libidines, meas leges appellant, qui philoſophiam è publicis ſcholis in privatas avocãt, qui bonas artes inſcitia corrũpunt, qui diſjunctione ſtudiorũ fructus eorũ perdũt, qui artes mille tenebris obſcurant, qui tẽporum labores & moleſtias cõduplicant, qui filiolos meos per avaritiã à philoſophia repellũt, qui mea viſcera prædantẽ & diripiunt, prædones publicos legibus humanis diviniſq; jampridẽ dãnatos ſuis diris exterminate, ut beata & florens, vos filios (per quos reſtitueret) aluiſſe & formaviſſe gaudeã. Hæc, judices, Academia ſi per ſe & pro ſe cauſſam ageret, ita vos moneret, hortaretẽ, oraret. Quòd ſi ſceleratus Academiæ Genius hîc aliquid etiã poteſt, dãnate me, judices: diſcipulis meis ignoſcite: Academiã liberate: invidiæ molẽ (ſi propterea ſubeunda deniq; ſit) totã in me derivate. Mori ſiquidẽ millies mihi potius optatiuſq; fuerit, quàm diſcipulos meos meæ doctrinæ cauſſã dãnatos, quàm Academiã in tã juſta cauſſa damnatam intueri. O dura mihi & acerba philoſophiæ præmia! Non in amplo & urbano patrimonio, ſed in tenui & agreſti tuguriolo natus ſum: omnes tamen amore philoſophiæ, difficultates paupertatis & inopię pertuli: in miſerrimas ſophiſmatũ tenebras incidi, philoſophiæ tamẽ amore ſuperavi, & tãdẽ Dei Opt. Max. gratia, verã philoſophiæ lucẽ cõſpexi. Nobiles & inclytæ civitates me magnis & honorificis muneribꝰ appetiverũt, ſexcẽtorũ coronatorũ mihi ſtipẽdiũ obtulerũt: philoſophiæ tamẽ amore tantã conditionẽ nõ accepi: illis ꝓ ſuo de me judicio meritas gratias habui. Prællei gymnaſii labore (quem mihi ſine ullo publico ſtipẽdio mandaviſtis) cõtentus fui, ac prę honeſta liberalis & mihi clariſsimæ exercitationis occaſione, opes oẽs contẽpſi;

à diſci-

à diſcipulis meis philoſophię cauſſâ vel ultrò oblata munera, quamvis non indebita, tamen non accepi: & gratiā munerum, quàm munera, & philoſophiæ fructum, quàm fortunæ malui: nec amore philoſophi & præter animam in miſero & inopi corpore ſolicitam & afflictā, quicquam habere curavi. En pro munifica ſtudiorum & officiorum mercede, antea divulgatis per orbem terrarum Gallica & Latina lingua ꝓbris ſum notatus, publicis ludis ignominioſiſsimè traductus, conſtricta lingua, vinctis manibus prohibitus quicquam de philoſophia vel publicè, vel privatim dicere, ſcribere: cogitare etiam, ſi menti tantùm potuiſſet imperari, ꝓhibitus eſſem: adverſus tantas tot acerbitatum plagas, unicum patientiæ remedium adhibui, in animoq; ſemper illud habui:

Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.

Nunc verò redundantibus ex eodem fonte doloribus, ut ſpe falſus diſcipulos meos diſciplinæ meę invidiâ oppreſſos damnari videam? ut Academiæ veſtro judicio ſuas leges, ſuam ſcholam, ſuam diſciplinam, ſuos doctores reſtituere nequeam? O' me infelicem, & vaniſsima ſpe eloquentiæ & philoſophiæ ſtudiis tantopere deditum! Ego cùm rhetoricis & dialecticis artibus cognoſcendis, inſtituendis, exercendis, tot annorum operam, induſtriam, vitam conſumpſiſſem, earum vel in ſua defenſione atque cauſſa præſidium mihi defuturum putarem? Ubi, ubi ſunt igitur illæ magnificæ vires, quas in iis artibus ſitas eſſe credidi? ubi Dialectica rerum fides, & veritatis ſuadela Philoſophiae? ubi venuſtas orationis & Eloquentiæ virtus illa flexanima? ubi denique vox illa tua, Petre Rame, quæ tot annos has artes tanta frequentia docuit? nihil ne iſta omnia, cùm cæteris opem ferant, diſcipulis ſuis opitulari poterunt? Vos, vos appello, Reges, Pontifices, qui Academiam condidiſtis. Poſteris veſtris non modò viventibus, ſed regnantibus & imperantibus Academia veſtra damnabitur? At qua de cauſſa? quia ex legum veſtrarum voluntate, ex omnium hominum, qui unquam in literis & doctrina nomen habuerunt, authoritate eloquētiam cum philoſophia ad earum ſummam & utilitatem & facilitatem conjungit. Per quos judices? quos non ſolùm liberalis & ingenuæ diſciplinæ ſcientia, ſed ſumma virtutis & integritatis gloria prædicamus, & in cælo ponimus: ut nulla ad conſolandum dolorem mihi querela relinquatur, ſi tantam Academiæ calamitatem & miſeriā judiciis eorum confirmatam videam. Quorū tanta invidia? Lividorum nempe Geniorum, quibus pondus Aetna gravius eſt, quòd is (à quo Reip. cauſſa deſpiciuntur, & quales ſunt tales habentur) Academiæ tanta bona procuravit, quòd nobiles & laudādas artes illuſtravit, quòd earum fructus indagavit & protulit. Utinam, Deum immortalē, bubulcus, opilio, bajulus, aut ſi quid his abjectius eſt, reliquam vitam traherem, & translata laborum noſtrorum in hos beatos zoilos mercede & gratia, tantarum rerum inventores ipſi dicerentur, authores haberentur, ut Academiam ingenuis doctrinis, ingenuis doctoribus glorioſam & triumphantem viderem: magnas ex hac mea miſeria voluptates caperē. Mei verò nominis invidiā Academiā vexatam, ſuis bonis everſam ac propè funeratam ſpectare, miſerum me! quàm acerbum mihi, quàm miſerabile, quàm morte quavis effugiendum ſpectaculū eſſe videatur! Ne mihi, judices, ne veſtræ ætati, ne poſteritati tantos mœrores, tamq; graves dolores inurite: tantū enim bonum requiretis, nati veſtri requirent: imò, ut ait ille,

Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.

At potiùs, judices, bonitati & ſapientiæ conſtantiam & fortitudinem conjungite, & de artium facultate, de juventutis eruditione, de omnium gentium, temporum, locorum cōmuni utilitate, tantæ urbis tanta Academia, tanti Senatus tanta fama, tanti denique veſtri nominis tanta gloria dignam ſententiam dicite.

FINIS.

P. RAMI PROOEMIVM REFORMANDAE PARISIENSIS ACADEMIAE,

AD CAROLVM REGEM.

STATUISTI (CAROLE nonc Rex Frãcorũ Chriſtianiſsime) ad publicã trium ſtatuum & ordinum regni tui poſtulationẽ é conſilii Regii ſententia, ut Pariſienſis Academia ad legitimum germanæ formæ exemplum reformaretur: Legitima veró forma eſt, ut diſciplinæ cujuſq; certi doctores electi, publicis præmiis ornati, artiũ profeſsioni ſuæ cõmiſſarum prælectiones & exercitationes via & tẽpore definitas, officio, fide, diligentia tueantur. Quas ſingulorum generum laudes ſi quis ampliſsimas in Academia Pariſienſi & integerrimas eſſe judicet, tantiſper ſuſpenſum judiciũ cohibeat, dum ſingula laudis cujuſq; momenta breuiter expendentur: Tametſi enim veré dici poſsit omnium ſcholarum, quas poſt homines natos floruiſſe memoriæ proditum eſt, hanc unam eſſe præſtãniſsimam: attamẽ enã veré poſsit affirmari partibus infinitis præſtantiorem fore, ſi legitimam illã ſpeciem ac formã toto corporis habitu abſolutam perfectamq; conſequatur. Agedum Pariſienſis Academiæ diſciplinæ, ſtudia, profeſsiões in hujus quæſtionis examen ſubeunto. Primæ Grammaticorum & Rhetorum ſcholæ ut legibus antiquis feré contemptæ ac ſpretæ ſunt, ita primæ in omnem laudis partem præclaré ſunt vindicatæ. Ante excitatum á Frãciſco Rege avo tuo humanitatis ſtudium, omnium artium barbaries in Academia regnabat, unoq; & aſsiduo altercationis inſtrumento qualeſcunque authores prælegerentur, attamẽ omnes artes comparari credebãtur. Itaq; cum Grammatici & Rhetores nil niſi barbabaros Alexandros de Villa Dei, Græciſmos Theodoletos atque ejuſmodi doctores haberent, ordinarias horas, decimam matutinam & quintam pomeridianam altercationibus impendebant:

Imo veró maximũ profectus argumentum ſtatuebant in claſsium, quinetiam gymnaſiorum inter ſe cõcertatione. Ita Philoſophi, Medici, Iureconſulti, Theologi quæſtionariis quæſtionumq; & altercationum dædalis & artificibus dediti, totas ſcholas diſputationibus occupabant: Grammatici & Rhetores primi fucum deprehendere, meditationem Grammatici & Rhetorici operis longé potiorem cognovere. Itaque barbarie ineptiſsimorum hominum é ſcholis exploſa, poẽtis, hiſtoricis, oratoribus receptis edocti ſunt ſtylum eſſe optimum dicendi magiſtrum, eumq; lectione inſignium authorũ & imitatione, ſcriptione denique aſsidua comparari, utilitas altercationis, ſi qua poterat eſſe, multo plenius & uberius diſcipulo in media prælectione ſingulis de rebus á præceptore interrogato retinetur. Itaque duæ illæ horæ ſtylo formando ſunt attributæ: atq; ex octo horis ordinarii ſtudii, unica præceptis & regulis cognoſcendis & cum præceptore examinãdis conceditur. Reliquæ omnes in poẽtis, hiſtoricis, oratoribus cognoſcendis, ediſcendis, imitandis, in commentatione denique & uſu conſumuntur. Quare ſcholę Grammaticorum & Rhetorum præclaré vindicatæ ſunt, ut nihil admodum perfectius optari poſſe videatur, niſi ut una & cõmunis diſciplinæ forma, quæ in quibuſdam gymnaſiis latius & elegantius tenetur, in omnibus authoritate regia teneatur. Sumptus diſcipuli erga doctorem modici & quidem volũtarii: diſciplina doctoris erga diſcipulũ diligens & accurata. Veruntamen (Deus bone) quám diſsimilis eſt in cæteris ſuperiorum artium ſtudiis hęc una profeſsionis forma? Etenim pro certo delectorum profeſſorũ numero exortus eſt infinitus hominum numerus, qui modo magiſtri in profeſsionis ſuæ facultate nomen adepti ſint, nullo delectu, do-

cti pariter & indocti profitendæ Philoſophiæ, Medicinæ, iuriſprudentiæ, Theologię partes aſſumpſerũt, hinc prima noſtri fundi calamitas extitit. Docentiũ numerus multiplicatus eſt, diſcentium numerus remanſit idem. Itaque ut tantùm ad multos doctores ſigillatim & viritim perveniret, quantũ pervenire debuerat ad paucos, exigi á diſcipulis ampliorem mercedem oportuit. Ergo infinita iſta profeſſorum multitudo infinitos ſumptus diſcipulis impoſuit, ut vix credibile ſit quantis oneribus honeſta ſtudia ſint oppreſſa. ad quadraginta libellarum noſtrarũ millia ſumptus hic ferè quotannis aſcendit. Dicendum de ſingulis ordinibus ſeparatim, quoniã non eſt una communis omnium cauſa: Res tamen nequaq̃ eſt obſcura, verſatur in oculis omnium, atq; in animis multorum magno & juſto cum dolore verſatur. Interrogentur profeſsionis cuiuſq; diſcipuli, exactæ ſibi pecuniæ ſummam ſingulis capitib. receſebunt. Sumptus in philoſophię ſtudio quatoor coronatis, ſummũ ſex lege definiebatur. Dic igitur philoſophiæ diſcipule, dic Regi tuo á quo & ſolatium & decus expectas, dic impenſę ſummam, & quidẽ nominibus licet barbaris, tamẽ iiſdẽ quibus exigitur, ut facti quæſtio etiam infitiatori ſi quis fortè fuerit, aperta ſit: Impenſa (inquiet) legitima illa ferè quadruplicatur. Primo anno pro candelis præceptoris ſolidi 50 pro figura 5 libellæ. In determinationibus pro juramento apud Rectorem 9 ſolidi & 4 denarii, pro ſigillo Rectoris 3 denarii, pro ſigillo Procuratoris 15 denarii, pro convivio magiſtrorum in aula 30 ſolidi. In baccalaureatu pro ſigillis 5 ſolidi, pro burſis 25 ſolidi, pro miſsis 4 ſolidi & 2 denarij, pro jure Receptoris 15 denarii, pro examinatoribus 15 ſolidi. In licentiatu pro burſis 25 ſolidi, pro Receptore burſarum 15 denarii, pro ſigillis 2 ſolidi & 6 denarij, pro Procuratore 15 denarii, pro examinatoribus & ſtramine Cancellarij 25 ſolidi, pro Pedello in baccalaoreatu, reſponſionibus & licentiaru 15 ſolidi, pro chirothecis 50 ſolidi, pro pileis 50 ſolidi, pro ſigno Gymnaſiarchi 5 libellæ, pro pellicea epomide Pedelli 5 ſolidi, pro convivio magiſtrorũ in aula 29 ſolidi, pro pilis 5 ſolidi, pro præceptore in toto curſu 25 libellæ: aliquando minus, frequenter amplius. In doctoratu ꝑ Procoratore 15 denarii, ꝑ burſis 25 ſolidi, pro Quæſtore burſarũ 15 denarii, pro cappa Rectoris 10 ſolidi, pro jure Rectoris 4 ſolidi & 2 denarii, pro Pedello 31 ſolidi, pro ſcriba Univerſitatis 3 ſolidi, pro ſigillo literarum magiſterii 6 ſolidi, pro convivio magiſtrorum 10 ſolidi. Sũma 56 libellæ & 13 ſolidi, quæ aliquãdò paulo minor eſt, ſæpè aũt major. In qua tamẽ non cõmemoratur locus nominationis in licentiatu, q cuique philoſophiæ diſcipulo tanti addicitur, quanta eſt laoreolæ hujus ambitio: ut impenſa ordinaria ſit minimũ 60 libellarum: ac ſi quotãnis magiſtri artium ducenti fiant. Impenſa hæc erit libellarum duodecies millenaiũ. Atq; in his philoſophici ſtudii impenſis mirabitur aliquis fortaſſe, cum audierit à præceptore philoſophię exactas eſſe libellas ſupra triginta, quamobrẽ ſigna vel ſigilla Rectoris, Procuratoris, Quæſtoris, Gymnaſiarchi tã multa? Quodnam argumentũ habeant chyrotecę, pilea, convivia ad probandum diligentiã diſcipuli & profectum in philoſophia? Quo burſæ deniq; commigrent, aut in quem tandem uſum cõvertantur? Burſæ veró ſicuti patrimonia quædã quatuor in hoc ordine nationũ diſtribuunẽ profeſſoribus honorariis, qui aliquando profeſsi fuerint, nomenq; honorarii profeſſoris duobus decuſsibus perſolutis adepti ſint: Diſtribuuntur ita Procuratoribus, Receptoribus, Cantoribus & miniſtris miſſarum & veſperarũ publicarum, cæreis etiã ad purificatiõis diem non parva pecunia impenditur. Sic ærarium philoſophici ordinis adminiſtratẽ, ut maximam partem capiant hi, qui diſcipulis philoſophię nihil proſint. Quãobrẽ, Carole none Francorũ Rex Chriſtianiſsime, ſuſcipe curã virtute tua digniſsimam: Tollatur edicto tuo infinita profeſſorũ turba: Deligantẽ idonei philoſophiæ profeſſores ordinarii: Tollantẽ impenſæ nõ ſolúm extraordinariæ, ſed illæ antiquæ quatuor aut ſex coronatorum. Eſt enim indignum philoſophiæ aditu prohiberi paupertatẽ, quamvis docta ſit & erudita, quod ſumptib. impoſitis fieri neceſſe eſt: Regium ſtipendium proponatur. Cœnobia monachorum

chorum

rum & collegia canonicorum Luteiiæ tam multa libenter, ſi verbo edixeris, hunc longè honeſtiſsimum ſibi laudatiſsimumq; ſumptum facillimè promptiſsiméque ſuppeditabunt. Sumptus diſcipuli in victu, cultu, libris, laboribus, vigiliis, vita literis impenſa legitimus & ſolus eſto. Denique perfice ut liberales artes à Carolo magno generis tui authore clariſsimo in Academia Pariſienſi primum conſtitutæ, deinde à reliquis regibus atavis tuis, Franciſco imprimis avo recreatę per te potiſsimũ nõ ſolùm vitam, ſed dignitatem obtineant. Enimvero hæc exigendi extorquendique licentia, quamvis dura atque acerba, ut eſt, ita videatur, tamen ſuperiorum ordinum licentiæ comparata, excuſabilis vel potius laudabilis eſſe videbitur. Quid igitur? quãiam à Medicinæ, quantam à Iuriſprudentiæ, quantam à Theologiæ diſcipulo mercedem quondam legitimam fuiſſe, quantam nunc illegitimam eſſe arbitramur? Jureconſultorum ordo hujus infamię labe purgatus & liberatus Senatus decreto anno milleſimo quingenteſimo triceſimo quarto, decimo tertio die Iunii, exemplum mercedis legitimæ adeóque totius antiquæ diſciplinæ reſtituit: profeſſores ordinarii ſex publico examine electi, libri, horæ, prælectiones, exercitationes, merces à diſcipulo profeſſori debita ab initio ſtudii univerſi ad extremum definita eſt coronatis octo & viginti, quinque in baccalaureatu, octo in licentiatu, quindecim in doctoratu: Præterea veró quidquam exigi, vel etiam ultró oblatum accipi, eodem ſenatuſconſulto ſeveré cautum eſt privatione profeſsionis privilegiorumq; profeſſoribus conceſſorum, qua eadem Senatus authoritate cæteri ordines in conſimilem ſplendorem vindicati eſſent, niſi à Theologis protinus itum eſſet obviam. Reformationis enim illius author & procurator hæreſeos crimine à Theologis inſimulatur. Denique illorum perverſitas temporũ neſcio an hominum ſimilem in cæteris ordinibus ſplendorem non ſuſtinuit: ita præclari operis abſolutio adhuc ſuſpẽſa eſt. Sed tamen ex illo Senatuſconſulto exemplar editum eſt Medicinæ ac Theologię reformandæ. Quid igitur? utrum Medici & Theologi viginti octò coronatis è legis voluntate, è Senatus authoritate contenti ſunt? Iniquum videret, cùm philoſophi ſtipendium tantùm auxerint, Medicos & Theologos ad iſtã inopiam redigere. Proportio enim Arithmetica in iſta remuneratione & diſpenſatione præmiorum non conveniebat, Geometrica pro dignitate perſonarum juſtior eſſe viſa eſt. Quanta igitur acceſſione multiplicatum eſt in his duobus ordinibus præmium? interrogati diſcipuli recenſebunt: imo veró nonnulli magiſtri fartoribus & cupedinariis obærati magno mœrore quotidie recenſent: ſed tamen interrogentur. Dicat igitur Medicinæ diſcipul⁹ liberé, querimoniæ ſuæ ſenſum Regi Chriſtianiſsimo tam quam patrono ac tutori ſuo aperiat. Dicat impenſæ ſummam, iiſdem etiam nominibus quibus exigitur nulla verborum barbaries injuriæ magnitudinem extenuabit: libellas, inquiet, mille medicinæ magiſtris expenſas fero, ac ne magiſtros impudenter calumniari videar, capita ſuis nominib. ſubducam: anni primi ſumpt⁹ eſt qui ſequitur. Pro ſcholę ingreſſu 2 libellæ & 10 ſolidi, pro ſupplicatione baccalaureatus 12 ſolidi, pro auditione quatuor annorum 10 libellæ, pro lectoribus ſcholarum 2 libellæ & 10 ſolidi, pro examinatorib. 15 libellæ, pro igne & ſpeciebus examinis 2 libellæ & 10 ſolidi, pro burſis principii 10 libellæ & 10 ſolidi, pro Pedellis 6 libellæ & 6 ſolidi, pro prandio principii 2 libellæ & 19 ſolidi, pro cõvivio herbarum 10 libellæ, pro tapetis S. Lucæ 2 libellæ & 20 ſolidi, pro tapetis & ſtramine quodlibetarię 30 ſolidi, pro prãdio præſidis 5 libellæ, pro ſtuphis 3 libellæ & 10 ſolidi, ꝑ regiſtro 6 ſolidi: In cardinali pro præſide 6 libellæ, pro tapetis & ſtramine 30 ſolidi. Atq; hæc anni primi impenſa eſt libellarum 82, & ſolidorum 14: Sequitur impenſa longé diſsimilis in ſecũdo anno. Pro ſtuphis & pro regiſtro 3 libellæ & 16 ſolidi, pro feſto S. Lucæ 2 libellæ & 10 ſolidi, ꝑ burſis licẽtiatus 35 libellæ, pro Pedellis 7 libellæ & 10 ſolidi, pro mulctis communibus 15 libellæ, pro ſigillis Cancellarii 25 libellæ, pro paranymphi die 10 libellæ, pro mulctis decani 10 libellę, pro tapetis aulæ Epiſcopi Pariſienſis 12 ſolidi, pro ve-

ſperia 50 libellæ, pro Præſide 5 libellæ, pro tapetis 25 ſolidi. In doctoratu, pro burſis doctoratus 71 libellæ, pro ſaccaro magiſtrorũ 30 libellæ, pro pileis magiſtrorum, pro quibus ſinguli capiunt 20 ſolidos: ſumma 78 libellæ, pro pileis Rectoris, Cancellarii, magni Pedelli 3 libellæ, pro pileis amicorum qui ſi minimum fuerint decem, 10 libellæ. Quo die licentiatus invitat pro condiſcipulis una invitantibus tractandis ſex Pedellis & baccalaureis 25 libellæ, pro Pedellis nationis 2 libellæ & 10 ſolidi, pro Præſide 2 libellæ & 10 ſolidi, pro Pedellis Medicinæ 10 libellæ & 12 ſolidi, pro Pedellis Philoſophorũ & Theologorum 3 libellæ, pro magno convivio 250 libellæ, pro chirotecis 30 libellæ, pro paſtilaria 35 libellæ, pro duobus doctoribus proponentibus 2 libellæ & 10 ſolidi, pro convivio novi Præſidis 75 libellæ, pro merenda novi doctoris licẽtiato invitãti & ejus comitibus debita 5 libellæ. Summa ſecundi anni eſt 772 libellæ & 5 ſolidi, biẽnii totius eſt 881 libellæ & 5 ſolidi: in qua non cõprehendo convivium primi loci omnibus doctoribus debitum, neq; cõmemoro quæ prandia extraordinaria doctoribus ſociiſve loci honoratioris cauſſa præberi ſoleant. Quæ ut parcé ac duriter fiant: ſummã tamen illam ad numerum millenarium facilè perducent. Ita ſi biẽnio quoq; viginti Medicinæ doctores fiãt, quotannis impenſa erit libellarum decies millenarũ. Ac ſi quis diſcipulorum pauló ambitioſior fuerit, largitio tantũ augẽda, quanto altiorem eruditionis laudem expetet. Hic enim ſumptus longe profuſiſſimus eſt. Hæc diſcipulus Medicinę cum ſigillatim cõmemoraverit, exhorreſcent (ut credi par eſt) viri boni qui audiẽt eó luxuriam non infami aliquo libidinum nomine, ſed diſciplinæ ac virtutis ſpecie prolapſam eſſe, ut pro octo & viginti coronatis pené quadringenti extorqueantur. Neq; tamen dixerit aliquis minora Iureconſultis aut (ut nũc appellant) Canoniſtis præmia quàm Medicis præſcripta eſſe, Canoniſtæ habuere Pontificem Romanum horum præmiorum, é voluntate tamen & authoritate Regum Francorum, diſpenſatorem. Nec veriſimile eſt tanquam à bono Imperatore milites imperii ſui neglectos eſſe: nemo credet.

Acceſſere ad ærarium Medicinæ honoraria quædam á Pharmacopolis, á tonſoribus, qui omnes ſunt diſcipuli quidam profeſſorum Medicinæ. Patrimonium licet etiam puſillum, attamen domi non nullum eſt. Verùm hîc aliquis fortaſſe cum didicerit quanta pecunia, conviviis ſubductis reliqua ſit, diſcere item cupiet quibus rebus expendatur: magiſtris ipſis (reſpondebitur) & doctoribus quotannis ęqualitate quadam arithmetica & proportione hoc ærarium totum diſpenſatur, & paulatim, quanto quiſque diutius vivit, tanto plus è factis à ſe ſimili de cauſſa expenſis recuperat. Quamobrem, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſſime, reſpice hanc alteram Academiæ tuæ partem tam graviter oppreſſam, jube ut deligantur ordinarii Medicinæ profeſſores è magno numero doctiſſimorum hominum, quibus hîc ordo mirabiliter abundat, quique rerum præſentiũ ſtatum indigniſſimé ferunt, atque hanc reformationem vehementer exoptant, neq; ſolum ſumptus tam indigni ingenio & nobili ſtudio, ſed omnes omnino ſumptus tollantur, merces lege regia definiatur, ſtipendium regio mandato lautius á cœnobiis monachorum & collegiis canonicorum conſtituatur. Sumptus diſcipuli diligentia vigilantiáque terminetur, nec alio pretio virtus parabilis quàm ſudore judicetur: Sed á Medicis ad Iureconſultos & Theologos accedamus. Iureconſultorum ordo hîc eſt integer, ut dictum eſt: Profeſſores ſex habet publico multorum dierum examine probatos & electos: mercede illa viginti octo coronatorum cõtentos, nullo admodum patrimonio præterea ſuſtentatos. Quare, Carole none Rex Francorũ Chriſtianiſſime, erit etiam regię liberalitatis tuæ his etiam ſumptibus Iuris diſcipulos ſublevare, profeſſores ordinarios regio ſtipendio ornare, ut ęquitas juris, quæ generi hominum honeſti leges deſcripſit, hũc imprimis honoris fructum percipiat: Theologici verò nominis ſanctimonia quicquid hic adverſus ſumptuariam ejuſmodi legem offenſum eſſe dicetur, falſum & incredibile eſſe clamabit. Pudor eſt vel horror potius, luxuriã in conviviis, avaritiam in rapinis de tam ſacra divinaq; profeſſiõe ſuſpicari.

Exci-

Exciſtetur tamen (quoniam ita conſtitutum eſt) Theologiæ diſcipulus, & jubeatur poſito metu expenſas ſibi nomine ſcholæ Theologicæ factas commemorare: Neq; laboret, ſi rem barbaram barbarè enunciet. Proponat ſummam libellis mille ampliorē, ut etiam parciſsimū exemplum ſequatur, eamq; ſingulis nominibus approbabit. Enarrabit enim ab initio ſtudii Theologici nomina impenſæ cujuſque, hoc modo: Libellæ pro burſis primi principii 14, pro convivio aulæ 5, pro burſis ſecundi principii 14, pro convivio aulæ 2, ꝑ burſis tertii principii 22, pro convivio aulæ 2, pro quarto principio 2, pro convivio aulæ 6, pro tentativa 25, pro cœna Præſidis 5, pro deferendis poſitionibus toto curſu 1, pro Præſide 10, pro parva ordinaria 25, pro cœna Præſidis 5, pro priore in actu Sorbonicæ 15, pro ferendis titulis 3, pro magna ordinaria 50, pro Præſide 25, pro burſis licentiatus 50, pro pileis magiſtrorum noſtrorum 100, pro convivio doctoratus 400, pro craſtina 50, ꝑ antepredicamentis & poſtprædicamentis ſingulorum actuū triginta aſſes, ſumma libellarū 12, pro mulctis in fine curſus 8, pro convivio magiſtri ſententiarum 4, pro convivio prioris Sorbonici 2, pro ſaccaro 60, pro conviviis ſociorum per totum curſum 150. Summa igitur pecuniæ in Theologicam ſcholam â diſcipulo exactæ, eſt mille & duarum libellarum. Itaq; ſi biennio quadraginta Doctores Theologiæ creētur, ſumma quotannis erit libellarum vicies millenarum. Neque tamen hic ingens illud ambitionis aucupium de eruditionis loco, deq; pretio laudis exprimit. De Carthagine tacere ſatius puto, ait ille, quám parum dicere: Timantis artificium Rhetor hic ingens reperit: velamentum igitur ſimile huic prope incredibili materiæ vos qui hæc auditis circundate, & iis qui norint reputandum atque æſtimandum relinquite, ordini parcite. Enimvero nihil tam abſurdum, tam ſenſus judicii que expers atque alienum inveniri poteſt, quod ab hominibus in eo conſueſactis non probetur & laudetur. Locorum hic ordo, & quid quantúmque quiſque profecerit æſtimatio, ſummus ad Theologiam cognoſcendam ſtimulus eſſe dicitur. An virtus diſcipuli Theologiæ ſexennio toto perſpici & dijudicari non potuit, niſi præconis voce laudes ingeniorum tam pretioſæ uno loci prioris argumento recitentr? Caruerunt hoc ſtimulo Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Tertullianus, Hieronymus, Auguſtinus, unoq; nomine Græci Latinique Theologi veteres univerſi, & permirum bene judicāri videatur, ſi viris jam ætate maturis, quales ſunt Theologiæ diſcipuli, ridiculæ & puerilis gloriolæ ambitio ad diſciplinā vanitatis & ſtultę gloriæ cōtemptricē verus ſtimulus eſſe poſsit. Caruerunt hoc ſtimulo & adhuc carēt Iurecōſulti, quib. tamē juriſprudētiæ laude præſtantibus majora publicorum bonorum pręmia ſunt propſita: Et veró Theologi noſtri ſimulatq; Academiæ legibus parére didicerint, tam obtuſo ſtimulo carebunt. Nec major contētio de primatu loci in Theologia erit, quám in Iuriſprudentia, imó ne doctor quidem quiſquā fieri volet, niſi qui forte Theologiæ præſtantia fretus ſeſe ad publicam profeſsionem comparabit. Quare & profuſionem iſtam infinitas doctorum nihil docentium genuit. Patrimoniola ſuperiorum ordinum antea dicta ſunt. Hujus ordinis œconomia laudabilior hac in re fuit. Itaque ærarium ſubductis conviviis etiam lautius eſt, cujus diſtributio (ſi quis etiam id requirat) Arithmetica ęqualitate illa magiſtris noſtris diſpenſatur, præcipuè S. Euphemiæ feſto die. Itaque eo tempore è tota feré Gallia magiſtrorum noſtrorum conventus Lutetiæ longè frequentiſsimus fieri ſolet, ejuſq; diei profeſsione univerſi profeſſores ordinarii declarantur. Atque hinc vulgò ab urbanis hominibus magiſtri noſtri doctores Euphemiani nominati ſunt. Quamobrem, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſsime, per ſanctam εὐφημίαν, per ſacri ordinis laudem & gloriam huc imprimis animum converte. Neque enim Philoſophia Platonis, Medicina Hippocratis, Iuriſprudentia Iuſtiniani, ſed ſummi ęternique Dei ſapientia hic agitur: Iube atque impera ut deligantur ordinarii profeſſores Theologiæ, permulti imprimis ultro offerentur, gratiáſque Deo & tibi immortales de tanto ſui ordinis beneficio habebunt: plerique enim omnes boni quotidianis pre

tibus ac votis tantæ indignitatis emendationem deprecantur. Merces Theologiæ profeſſoribus authoritate tua tantæ profeſsionis excellenniæ conſentanea á monachis & Canonicis definiatur: imó duæ præbendæ Diuæ Virginis ordinariis Theologiæ profeſſoribus nō ita pridem ereptæ repetantur, beneficium otioſis & opulentis hominibus divinum erit ſanctitatis & religionis doctores & profeſſores alere ac ſuſtentare. Diſcipulus ad Theologiæ ſtudium afferat mentem magnis multorum antecedennium annorum ſtudiis & laboribus exercitatam paratámque ad majores ſubeundum, tantúmque de induſtria profeſſoribus ordinariis probanda cogitet, non denumcranda pecunia: Auditio quadriennii, meditatio ſexennii bene & ex lege conſumpta, ſumptus Theologici diſcipuli legitimus eſto, ſupra quem vel ſi oblatum quicquam profeſſor ordinarius accipiat, vel ſibi impendi quoviſmodo patiatur, indignus profeſsione, privilegiisq; Theologię ſtudio conceſsis eſto. Atque hactenus primam germanæ formę labem, primam dignitatis ſuæ deformationem Pariſiēſis Academia ſenſit ex effrenata profeſſorum mulnitudine, nullo judicio, nulla differentia, nullo delectu in ſcholas admiſſorum, quæ tamen toleranda fortaſſe videretur, ſi ſola eſſet: At graviorem longé fœdiorémque deformationē ipſa ex ſeſe genuit, jactura fuit illa pecunię tantúm, quæ potuit eſſe ſine jactura diſciplinæ. Potuit enim avara quantumlibet & acerba exactio exerceri, ut interea tamen diſciplinæ profeſsio tractatióque incolumis permaneret. Verúm ubi ſemel feneſtram ad nequitiam patefeceris, ex uno errore atque delicto protinus ilias malorum exoritur. Neque enim ex hoc infinito profeſſorum numero infiniti tantum ſumptus nati ſunt, ſed infinitus diſciplinæ contemptus, quod in ſingulis ordinib. Philoſophorum, Medicorum, Jureconſultorum, Theologorum, ſubtilius declarandum eſt, quia diſsimilis eſt hic etiam cauſſa. Quid igitur ab infinitis Philoſophiæ ꝓfeſſoribus contra leges Academiæ deinde eſt commiſſum? Philoſophiæ profeſſio non eſt illa quidem deſerta, ſed pro publica profeſsione & in ſcholis publicis ordinaria privatæ profeſsiones in gymnaſiis ſingulis, contrá & publica Academiæ, & privata ſingulorum gymnaſiorum inſtituta ſunt inductæ. Etenim lex octingentorum annorum á Franciæ Regibus jam olim poſt conditam Univerſitatem conſtituta, & deinceps perpetuo uſu, perpetuáque Regum authoritate inſtaurata, profeſsionem Philoſophorum publicam eſſe jubet. Sic enim Cardinalis Totavillæus poſtremus Univerſitatis é Regum authoritate inſtaurator, veterem hac de re legem & conſuetudinem confirmat.

Item monemus prædictos regentes conformiter ad antiqua ſtatuta et laudabiles conſuetudines facultatis artium conſervandas, ut ceſſante legitimo impedimento, ſingulis diebus et horis ſtatutis, ad vicum ſtraminis ſe transferant, lecturi modo et forma, quibus ſupra regulariter & ordinaté abſq; hoc quod reſervent ſibi textus plures una vice legendos, ſed ſecundum ſtatuta libros legant ad profectum auditorum, ut præmiſimus, regulariter & ordinaté.

Hæc regia lex eſt, quæ leges & cōſuetudines antiquas cōfirmat, ne quis legem ſine conſuetudine, aut conſuetudinem ſine lege fuiſſe exiſtimet, ubi vicus ſtraminis publicas Philoſophorum ſcholas ſignificat, in eo quippe vico cōſtitutas: gymnaſia deinde in hac nova trecentorum annorum Academia ſingula unicū vel alterum juventutis moderatorē habent, domeſticis inſtitutis fundatū, non ad docendam philoſophiam, ſed ad domeſticos alumnos, cúm in ſchola publica audiiſſent, continendum in officio & exercendum: ita & publicis Academiæ & privatis gymnaſii cujuſque inſtitutis Philoſophiæ profeſsio publica ſanciebatur. Nuper veró diem extremum obiit qui poſtremus in ſchola publica publicus Philoſophię profeſſor fuit, ut modis omnibus planum ac perſpicuum ſit Philoſophiæ profeſsionem publicam fuiſſe, contraq; inſtituta omnia in privatas diuiſam eſſe: ſed tamen Philoſophicæ profeſsionis hic tantúm commoda conſiderentur, ut duarum profeſsionū, alterius publicæ in eadem ſchola, alterius privatę in plurimis & diſiūctis ſcholis, eaque demum præſtātior habeatur quę Philoſophiæ fructus uberiores afferat. Ergo Philoſophię privata & publica profeſsio comparetur. Unicas veró priva-

privatæ profeſsionis magiſter, eſt eiſdē diſcipulis triennium totum & ſex menſes in omnibus Philoſophię partibus. Et quia horum ſtudiorum curſus perpetuus eſt, in unoquoque gymnaſio quatuor facti ſunt magiſtri perpetui, Summuliſta, Logicus, Phyſicus, intrans (ut vulgo appellati ſunt.) Itaque ſi vigintiquinque gymnaſia ſint, in quibus Philoſophia iſto modo doceatur, centum hos philoſophiæ doctores eſſe neceſſe eſt. At ſi regii & ordinarii profeſſores ſingulis philoſophiæ partibus explicādis certi (ut hic octo) deligātur, ſoli in facultate liberalium artium, publicas ſcholas adminiſtrabunt, longeq; facilius octo præſtāti doctrina profeſſores quàm centum reperientur, multòque commodius & utilius octo profeſſores illi ſingulas Philoſophiæ partes ſinguli ſuſtinebunt, quâm unicus & idem univerſas: hanc verò facultatē ne quis perdifficilem arbitretur, Regum liberalitas Academiæ Pariſienſi ſuppeditavit: Profeſſores enim liberalium artiū generis cujuſque regio ſtipendio cōſtituit: hos Philoſophorum ordo ſibi poſtulet, facilè impetrabit, & ipſis profeſſoribus Regiis jucundum erit habere certos auditores, à quibus attentius audiantur, & impenſius colantur. Quamobrem ſine dubitatione ulla major erit doctrinæ facultas in publica profeſsione: At doctrinæ utilitas minor erit, quamvis facultas ſit major, dixerit aliquis: præſtantiores enim magiſtros, ſed nō præſtantiores diſcipulos fore, propter immodicam in publicis ſcholis licentiam. Bene res habet. Interroget Plato, cur dixerit, Quales in Republica principes, tales reliquos cives eſſe. At principes Philoſophiæ non doctores tantùm, ſed multo magis doctrinæ exercitatores expetuntur, nec inertiæ, ſed diligentiæ, ſed exercitationis gratia publica profeſsio repetitur. Aemulatio etiam (qui ſtudiorū præcipuus ſtimulus eſt) in publicis ſcholis erit tanto major, quanto diligentiæ aut negligentiæ laudatio vituperatioq; inſignior & illuſtrior, publicisq; ſcholis veterum legū authoritate & ſeveritate confirmatis & conſtitutis, conſtituentur juventutis mores, de quib. iſta querimonia eſt, licētiaq; illa effrenata frenis acrioribus comprimetur: è mille nanq; vel etiam multo pluribus liberaliū artium diſcipulis, qui quotidie è privatis ſcholis exeunt ad Regios profeſſores audiēdum, vix ducenti Grāmaticis nempe & Rhetoricis, Logicis ſtudiis informati, & ætate jam provecti, in publicis Philoſophiæ ſcholis relinquent, & quidē arctioribus vinculis aſtricti quàm in privatis ſcholis aſtringi poſsint, ſicuti poſtea ſubtilius exponetur: reliqua aūt multitudo in privata gymnaſia remittetur. Septingentos quinquaginta annos lex illa publica & Regia de publica profeſsiōe valuit, neq; quiſquam interea invētus eſt, qui licentioris hujus temeritatis argumento publicam profeſsionem tollendam eſſe contenderet. Omnibus virtutibus vitia quædam ſunt affinia, nec propterea virtutes damnādæ ſunt, ſed vitia corrigenda. Deniq; Regiæ profeſsiones extinguant, & Reges Franciæ literarum inſtauratores & fautores appellari deſinant, aut idoneis auditoribus Regiæ profeſsiones pateāt, Regesq; Franciæ tanti boni non ſolùm authores, ſed conſervatores & vindices ſempiterna omnium gentium lætitia prædicentur. Atque hæc de facultate & utilitate Philoſophię è publica profeſsione. Verùm dicetur fortaſſe, quod à ſuperiorum ordinum nonnullis dicitur, è privatarum ſcholarum ludo, tanquam ex equo Trojano innumeros Philoſophiæ principes exire; qa Philoſophia docendo exercendoq; præcipuè comparetur, fabricandoq; faber efficiatur. At enim operę precium ſit cōſiderare quales Philoſophiæ principes, quales Platones & Ariſtoteles è privatis ſcholis quotidie exeant. Grammaticorum & Rhetorum ſcholas à barbaris dominis liberatas antea diximus. Philoſophiæ profeſſores initio Grammaticam & Rhetoricam ferè aſpernati, quæſtionarios diutius retinuere: tandem tamen aliquando literariores & ornatiores facti, repudiarunt totam illam hominum barbarorum fæcem, puriores & graviores Philoſophię authores recepere, attamen exercitationes utiliores & meliores nondum univerſi receperunt, omninoq; ab iis qui Philoſophiā profitentur, paucis gymnaſiis exceptis, Logicæ meditatio in ſcholis privatis nulla ferè Ariſtotelea adhibetur in declamanda rerum utilium theſi; ſed de regulis

artis altercatio tantùm eſt, ut ad uſum Logicæ non ad modum in quibuſdam gymnaſiis interfuerit quæſtionarios vel Ariſtotelem habere, cùm ex Ariſtotele non alius fructus quàm é quæſtionariis exquiratur: Mathematicæ artes adhuc in publicis Philoſophici ſtudii legibus & inſtitutis nullum honorem, nullũ ſeparatim locum habuere, ut Mathematum prorſus ignarus, tamen legibus Pariſienſis Academiæ philoſophicam lauream conſequatur. Itaque artes hæ vix primoribus labris attinguntur, ac plerunque ne attinguntur quidem, quæ tamen liberalium artium antiquiſsimæ & primariæ, imò (ſi verè appellantur) ſolæ ſunt, & maximè omnium propter ingenuum liberalémque fructum cognoſcendæ, & ſine quibus reliqua Philoſophia cæca eſt: ignorata quippe ſymmetria rerum & proportione ex arithmeticis, figura & corporis conformatione é geometricis. Ergo artes hæ principes in privatis ſcholis ita ſpretæ ſunt. Quinetiam de Phyſicæ philoſophiæ partibus altercatio tantùm eſt, uſus rerum nullus, nulla experientia: Philoſophia denique tota in pleriſque gymnaſiis altercatoria & quæſtionaria adhuc eſt. Quapropter ad illud jam reſpõdendum: Fabricando faber efficitur, diſtinctioq; Ciceronis adhibenda eſt. Perverſè dicẽdo, inquit, homines facillimè conſequuntur ut perverſè dicant. Ita bene fabricando bonus, malè fabricando malus faber efficitur: Neq; dubitare jam quiſquam poteſt, quin tales diſcipuli exeant é ſcholis, qualis in iis cùm diſciplina tũ exercitatio fuerit. Quare planum eſt ſi quos nobiles Philoſophos Pariſienſis Uniuerſitas habeat, ut certè nobiles multos habet, non privata ejuſmodi Philoſophiæ vel auditione, vel profeſſione tales factos eſſe, ſed quod ſingulari quadam induſtria per ſe ipſi res magnas adamarint, vel potius quòd in publicis & Regiis ſcholis profecerint: E quibus ad illam bene & ex ordine fundatæ diſciplinę gravitatem & ſeveritatẽ compoſitis, nullus ſanè diſcipulus exiturus ſit, niſi omnibus Philoſophiæ partibus luculenter inſtructus, facileq; ſuperiori cuilibet ordini ſe non levibus ſophiſticę lineamentis adumbratũ, ſed veris intimæ Philoſophiæ coloribus expreſſum Philoſophum probabit. Quin etiam laurea philoſophica donati, quo tãdem & quanto ſtudio ad majorem & ampliorem Philoſophiæ cognitionẽ excitabuntur ſpe ad publicas & Regias profeſſiones perveniẽdi? Quare tum ſuperiores ordines ſolitudinẽ nõ metuẽt, ſed é magna frequẽtia & abundãtia cooptabũt. Itaque comparatis in Philoſophiæ ſtudio privatarum profeſſionum cum publica momentis, quæſtio ſupereſſe nulla poteſt, quin præſtãtior diſciplina in publica profeſſione futura ſit. Quãobrem, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſsime, excitato in hac prima Academiæ Pariſienſis facultate indolem generoſæ mentis ac naturæ tuæ; jubeto ſcholas Philoſophiæ publicas & quidẽ opportuniſsimo totius Academiæ loco cõſtitutas eſſe, legitimam & humanæ vitæ cõmodis & emolumẽtis terminatã Philoſophiã publica & Regia profeſsiõe imperato. Eſto ſi lubet Grãmatica in privatis gymnaſiis, permittaturq; primæ pueritiæ doctorib. uno opere eãdem incudẽ diem noctèmque tundentibus, atque omnia minima mãſa, ut ajunt, nutrices infantibus pueris in os inſerant: at deinceps in publica majorum artium profeſsione collocato primo publici ſtudii gradu rhetoricam & logicam, informabis Demoſthenes & Platones novos, adjungito ſecundi anni vigiliis Mathematicas artes quondam Regum & nobilium ſolas artes: excitabis ex illo erudito pulvere Architas alios, alios Archimedes, quorum domi tuę natorum & educatorum opera fideli & induſtria, pacis & belli temporibus & glorioſè & ſalutariter utare: Tertium annũ Phyſicis & Ethicis aſsignato, Democritos & Solones à Græciæ inferis in Galliæ lucem revocabis. Sed enim Philoſophorum ordo ut parciſsimus exactor fuit, ita fuit diſciplinæ ſuæ retinentiſsimus. Seceſſit à publica profeſſione, hoc in Philoſophis deſideratur. Verùm à profeſſionis labore non diſceſsit. At mirabile eſt quantum ſuperiores ordines à munere profeſsionis diſceſſerint, & quàm longè curriculi ſui lineas tranſilierint. Singulis erant authores diſciplinæ ad prælegendum præſcripti tempus & via prælectionum, exercitationum & examinum modus definitus.

Medici, jureconſulti, Theologi ſcholas non mutavere, ut Philoſophi, ſed abjecere legibus præſcriptũ omnẽ prorſus prælectionis & profeſsionis laborẽ, diſcipulisq; ſuis perſuaſere, ut ipſi ſibi in privata bibliotheca magiſtri & profeſſores eſſent, diſcipuli aſſenſere. Ita Medicinæ, juriſprudentiæ, Theologiæ prælectiones & profeſsiones legitimæ & ordinariæ conticuerunt. Actus, id eſt altercationum examina quædam, tantùm retenti ſunt, ut certis anni temporibus diſcipuli in publicis ſcholis redderent rationem magiſtris auſcultantibus, quid quantùmque privata diligentia per ſe didiciſſent ac profeciſſent. Ita præceptores ac magiſtri facti ſunt auditores diſcipulorum ſuorum, neque tamen propterea tantundem exigere deſierũt. O' tempora, ô mores. Hęccine ſchola uſq; gentium aut terrarum credi poteſt, in qua doctores & profeſſores habeãtur, & doctorum ac profeſſorum præmiis fruantur, qui nihil in ea doceant, nihil profiteantur? Ubi diſcipuli & auditores appellentur, qui nihil in ea diſcãt, nihil audiant? Fabulis iſta ſimilia videbuntur iis, qui non viderint aut non interfuerint. Atque hujus facti cogitatio & conſcientia Medicos antê commövere cœpit quàm Iureconſultos, quàm Theologos. Anno enim 1505 duobus baccalaureis duodenas libellas ſtipendii loco quotannis aſsignaverunt, qui dominorum doctorum tanquam in templis Canonicorum vicarii quidã eſſent. Iureconſulti jampridẽ Iuris civilis profeſsionem, quanvis veterum legum authoritate in Academia Pariſienſi fundatam abjecerant Põtificis Rom. decreto (*Super ſpecula*) ſolamq; canonici Iuris interpretationem retinuere, quã etiam abjecerunt, ut ſimili cum Medicis & Theologis libertate fruerentur. Reducti tandem ſunt ad æquitatem Senatuſconſulto illo anni 1534, reducti ad ordinariã profeſsionem juris, ſed canonici tãtùm: Pars illa juris civilis prior atq; antiquior hæſit in ſalebra, reducti ad leginimã & laudabilem meditationem jureconſulti atque oratoris forenſis artificem: habent enim jureconſulti actus altercationum, ſed eum uſu atq; opere veritatis conjunctos. Theſes de jure diſputãt, ſed oratione ferè perpetua, variisq; & argumentis & ornamẽtis diſſerẽdi dicendiq; referta propemodum, ut in foro hypotheſes ſingularũ cauſſarum perorari ſolent. Ergo genus exercitationis illud in juriſprudentia laudabile. Sed pars juris civilis prior & antiquior nondum recuperata eſt. Quamobrem, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſsime, hic tua virtus eniteat neceſſe eſt. Pariſienſis Academia acceperat á Regibus ſuis majoribus tuis poſſeſsionẽ juris civilis frugiferam imprimis ac fructuoſam, quã conqueritur iniquè ſibi ereptã eſſe. Itaq; te judice rem repetit, eumq; ex jure manu conſertum vocat, à quo poſſeſsione dejecta eſt. Quid tandem Theologi, utrum Iureconſultos imitati ſunt? Minimè. Ad ſpeciem profeſsionis ordinariæ Medicos imitari maluerunt, profeſsionis ſuæ vicarios inſtituerunt, quib. non ærarium facultatis, ſed ex eo ſtipendiolum, ut in Medicinã, ſubduceretur: Sed tamen hoc in miſero & miſerabili Medicinæ ac Theologiæ è ſuis ſcholis, adeoq; ſuis domicilijs ac templis exilio, Medicorum quàm Theologorum erga diſcipulos imperium remiſsius fuit. Hippocratem & Galenum cognoſcendos ſuaſerũt, & quidẽ cum judicio, ut hactenus probarentur, quatenus experiẽtiæ ac veritati cõgruerent. At Theologi non vetus teſtamentum, non novum perlegendum & meditandũ, ſed exortũ è barbarie omnibus antea ſeculis inviſa atq; inaudita quæſtionariorum fæcem ediſcendam, & in ſcholis altercandam præceperunt, proq; ſancta & divina ſciẽtia ad veræ religionis cultũ à Deo hominib. oblata, ſophiſticam inextricabilẽ in Theologiæ ſcholas induxerunt. Atq; hæc in Medicinæ & Theologiæ ſcholis diſciplina quanvis ejuſmodi ſit, tamen tolerarĩ, tamen etiam defenditur, & quidem ab iis à quibus minimê omnium mortalium decuit. Licet'ne igitur recitare quod in aula Henrici Regis patris tui apud Sangermanum Philoſopho cuidã contigit? Erat illi quæſtio cum quibuſdã aulicis de iſtiuſmodi beatis Medicinæ & Theologiæ profeſſoribus: Tũ fortè medicus huic ſermoni intervenit, cauſſamq; collegarũ nõ ſimulatè, ſed penè iracundê ſuſcepit. Medicinæ (inquit Medicus) libri privato ſtudio commodius à diſcipulis leguntur & intelligũtur, quàm ab

ordi-

ordinario profeſſore audirẽtur in ſcholis publicis, nimiumq́ temporis amitteretur frequentandis ſcholis, dum illuc iretur, illic audiretur, illinc rediretur: Deinde varii & multiplices ſunt actus, quibus doctores præſumus, diſputamus, diſcipulorum ſtudia dijudicamus: Denique in his actibus profeſſio noſtra multò fructuoſius, quàm in ulla prælectione conſumitur. Tum Philoſophus, cùm ambo in Academia eadem inſtituti ſimus, poſſumúſne tantiſper ab iracundia in cõtentionibus nobis uſitata diſcedere? & politicum de regendis ſcholis problema politicé diſputare? Medicus annuit. Ego verò, inquit philoſophus, ſi fortè tui nominis aliqd hic agi putes, fateor ac etiam profiteor te Medicum ſingularem eſſe: ſi quis unquam Medicus hominum generi ſalutaris fuerit, te unum ſalutarem eſſe. Verùm nihil hic agitur de tua virtute, ſed de profeſſione Medicinæ, quã tu in hac area regia tam procul à ſchola mecũ inambulãs mihi videris ſuſtinere nõ poſſe. At meo tẽpore (inquit Medicus) meis actibus præſideo, collega quidẽ meus hodierno die præſidet, ac cùm periodꝰ præſidentium converſa ad me redierit, tum rurſus præſidebo. Bellé, inquit Philoſophus, ac beaté reſpondes. Agam tecum non argumento ſubtili, ſed domeſtico ac familiari exemplo. Habet Academia Pariſienſis gymnaſia permulta, ut ſcis, gymnaſiarchiq́ habent liberalium artiũ profeſſores ſubditos authoritati ſuæ, quibus quotidianarum prælectionum & exercitationum horas & leges præſcribunt, proptereaq́ victum & domiciliũ ſuppeditant, minervalia etiã à diſcipulis offeruntur: Equidẽ ſi quis iſtorum profeſſorum auditorium hora tantùm decima matutina, itemq́ quinta pomeridiana ingreſſus, in cathedra auſcultatorẽ veſtro more & judicem cõtroverſiarum & de præceptis artis altercationum diſcipulis ſe præberet, æquũne cenſeris illi victum hoſpitiúmque á gymnaſiarcho, minervalia à diſcipulis ſuppeditari? Minimè, inquit Medicus, ſed incommodé ſuperiorem facultatem cum inferiore comparas. Verùm, inquit Philoſophus, præceptor ille grammaticus bis ſe quotidie diſcipulis ſuis exhiberet: at periodus veſtra decimo vix anno ad ſingulos veſtrum redit, & tamen actum unum decennio repetitum diſcipulis veſtris iam pretioſum facitis. Tum ſubridens Medicus, humerum Philoſopho percuſsit, atque abiit. Sic nempe res minimé omnium ridicula, tamen irridetur. Eadem ſcilicet Theologiæ defenſio, ſi quis requirat, afferetur, præſtantia privatæ & domeſticæ cognitionis, examinumq́ & actuum ſevera & accurata diligentia. Nec verò defenſionis ejuſmodi unicus eſt ille author, ſed multo plures quàm Academiæ ſplendor & dignitas poſtularet. Ergo diligenter & attenté utraque defenſio animadvertenda eſt. Primó quod lectio Medicorum authorum & Theologorum privata ſit diſcipulo fructuoſior, quàm docti quantumlibet & eruditi profeſſoris auditio. Etenim (per Deum immortalem) longé alia mens regum noſtrorum in publicis Academię legibus & inſtitutis fuit, quę Medicinæ & Theologiæ profeſſori ordinario ceſſationem nullam permittũt, Theologo permittũt quindecim dierũ tantummodo: diſcipulum Medicinæ triginta ſex menſes: Theologiæ quatuor annos ordinariæ prælectionis auditorẽ efficiunt, eaq́ auditione jubent Medicinam & Theologiam cognoſcere: poſtremò non bibliothecas, ſed ſcholas diſciplinæ magiſtras efficiũt. Et quidem pro regiis illis Medicorum & Theologorũ legibus veriſsimé diſſeretur, quod à Platone in Phædro diſputatum eſt, vocem ſcriptura ad docendũ longè diſertiorẽ eſſe, auriumq́ ſenſum, quod Ariſtoteles in eandem cauſſam repetivit doctrinæ præſtãtiorem magiſtrum eſſe quàm oculorum. Age verò ſi jam Hippocrates & Galenus, Moſes & Paulus reviviſcerẽt, & in ſcholis Medicinam & Theologiam profiterentur, nemo, ut credi par eſt, Medicinæ & Theologiæ ſtudioſus legendis eorum libris, quàm illis ipſis librorum authoribus audiendis, ſe Medicinam & Theologiam facilius aſſecuturum putaret: imò verò deſertis bibliothecis magnus undique in ſcholas publicas cõcurſus fieret, majórque unius diei fructus eſſet in audiendo nõ ſolum propter vocis & actionis lumẽ & evidentiam, ſed multo maximé propter egregiam docẽdi authoritatem & viam,

viam,

viam, quam menſis unius in legẽdo, facileq; illã itionis, auditionis, reditionis tempora cum magno temporum fœnore compenſarentur: At in profeſſoribus ordinariis expectantur Hippocrates & Galeni, Moſes & Pauli, id eſt doctores magno labore, longa multorum annorum conſuetudine, ſummorum illorum magiſtrorum ſimiles & germani; diſcipuliſq; ideo magno labore, temporiſq; compendio perinde utiles & accõmodati. Quare viva docti profeſſoris & eruditi voce, multó commodius diſcipulus informatur, quàm muta quantumlibet magni authoris lectione. Sed prima iſta otioſorum Medicinę profeſſorum defenſio á diſcipulis non argumento aliquo, ſed quotidiano jam multorum annorum exemplo refellitur: Poſteaquam enim Jacobus Sylvius Medicinam profiteri cœpit, nemo Lutetiæ Medicinæ ſtudioſus fuit, quin eum ſibi ſtudioſê audiendum exiſtimaret: factus eſt tandem Regius profeſſor Sylvius, auditorium frequẽtius fuit. Succeſſit huic regiæ profeſsioni, defuncto Jacobo Sylvio, Jacobus Gopylus, auditorium magis ac magis quotidie frequentatum. Audiuntur etiam plerique diligentiæ conſimilis profeſſores Medicinæ extraordinarii, nullo ærarii publici ſtipendio, audientium vel mercede, vel amore tantùm invitati: regiæ tamen & ordinariæ profeſsionis loco & præmio digni. Quare tam multi Medicinæ & profeſſores & auditores primam illam deſertæ profeſsionis Medicæ defenſionem valde ridiculam eſſe demonſtrãt. Theologi nullos é ſuo ordine ac numero Sylvios, nullos Gopylos adhuc habuêre, á quibus perinde refellerentur: Habuere tamen Regios Hebraicæ linguæ profeſſores eó frequentius auditos, quo religionis fontes plenius inde orirentur. Hinc gratiſsima Vatabli in omne ævum, ut ſuccreſcentem vivorum laudem prætereã, memoria permanebit. Sed Theologi ex ſuo ordine nullos Sylvios, nullos Gopylos, ut dictum eſt, adhuc habuere. Cauſſa tamen calamitatis in utroq; ordine una eſt, ſed calamitas ipſa in Theologis major & pertinacior. Quare Medici & Theologi deſertionem profeſsionis ordinariæ valde plumbeo pugione defendunt. Altera ex actuum & examinũ diligentia defenſio diſceptetur. Exercitatio Medicinæ & Theologiæ ut cujuſvis diſciplinæ duplex eſt Academiæ legibus propoſita: altera eſt in altercatione de præceptis & regulis: altera in operis meditatione & conſtructione: prior illa ſola retenta eſt á Medicis & Theologis, Medicinaq; & Theologia quæſtionariæ omnino & altercatoriæ adhuc ſunt. Altercationis autem actus eſt pars leviſsima laboris Medicinæ & Theologiæ, profeſſoribus & auditoribus imperati. Etenim nautæ, pictores, architecti, unoque nomine opifices universi, nulla de præceptis artium ſuarum altercatione opificia ſua perdiſcunt, ſed aſsidua propoſiti ſibi operis attentione, imitatione, æmulatione. Grammatici & Rhetores, & jam in quibuſdam gymnaſiis Logici ineptias altercationum grammaticarũ, rhetoricarum, logicarum repudiarunt. Cognitis docti præceptoris voce ac perceptis artium ſuarum documentis, authorum inſignium exempla ſibi prælecta & declarata ſcribendo & commentando imitantur, nec jam rixantur inter ſe quomodo bene loquendum, dicendum, diſſerendum ſit, ſed penitus omninoq; occupantur, ipſo artis opere in præſtantibus authoribus cognoſcendo & exprimẽdo. Quare Medicos & Theologos exemplis artium minorum admoneri cupio, ut altercationem de præceptis leviſsimam artis exercitationem eſſe intelligant, unde tantùm intelligentia memoriaq; artis parari poteſt, opus & uſus artis nõ poteſt: imó exercitationem artis hic nullam eſſe: ſi quidem artem exercere ſit exemplo & opere præſtare, quod arte præcipitur: Rectè namque Ariſtoteles ἐνέργειαν accuratam perfectamq; actionem, finem artis cujuſq; conſtituit, ut qui præcepta artis altercatione ejuſmodi didicerit, artem καθόλου & univerſaliter ſciat, ἀλλ' οὐ κατ' ἐνέργειαν abſolutè actúque neſciat. Nec enim, ait, fieri poteſt ut ſit ædificator, qui nihil ædificarit, nec citharœd⁹, qui nunquam cithara cecinerit, quamvis architecturæ & muſicæ præcepta didicerit, & ſexcentis actibus diſputarit. Sic Craſſus ille Ciceronianus ad facultatẽ & habitum diſciplinæ cum tria requirat, naturam, artem, exercitationem;

primas

primas naturæ & ingenio concedit, ſecundas diligentiæ & exercitationi. Inter ingenium quidem (ait) & diligentiam perpaululum loci reliquũ eſt arti. Quare altercatio de præceptis Medicinæ & Theologiæ minima pars eſt é facultate habituq; Medicinæ & Theologiæ: quia per eam ars tantùm cognoſcitur, nõ autem exercetur. At ſi jam tales grammaticæ doctores in ſcholis noſtris eſſent, qui diſcipulos tantùm altercantes de præceptis audirent, in opere autem ipſo ſcribendi & loquendi nihil exercerent, ne diem quidem unum ferri poſſent, protinus abigerentur: à doctore enim artis & profeſſore non ſolùm intelligentia artis illa catholica, ſed ἐνέργεια, ſed actio, ſed uſus, ſed finis artis poſtremò expetitur. Sed tamen altercationum materies altercationes ipſas valdè differentes in Medicis & Theologis efficit. Itaq; altercationum iſtarum actus in Medicinę quàm Theologiæ ſtudiis tolerabiliores ſunt. de Hippocratis & Galeni libris altercatio Medicorum eſt, qui authores bene & accuratè cogniti Medicos adjuvant ad curationem morborum, Medicíq; licet ut Philoſophi altercationem quæſtionariorum ſimilem retineant, attamen quæſtionarios é ſcholis exegere. Splendorem etiam orationis & ornatũ nullis diſputationum ſuarum locis ſolent interponere, ut ex ea ſcholaſtica cõſuetudine jucundum ſit medicos é ſchola egreſſos, in quo medio artis uſu occupatos, de morbi genere, remedióque inter ſe oratione perpetua conſultantes attendere. At Theologi Pariſienſes ſoli omnium mortaliũ quæſtionarios mordicus retinent, neq; de veteri Teſtamento Hebraicè, neq; de novo Gręcè cognito, ſed de quæſtionatiorũ ineptiis altercantur: ineptiis (inquam) é pagana Platonis & Ariſtotelis philoſophia imperitè collectis, ut in Chriſtianæ Theologiæ ſcholis pagana ſæpius quàm Chriſtiana philoſophia audiatur. De materia prima, de æternitate mundi, de quinta ab elementis eſſentia, de intelligẽtiis orbium cęleſtium, de fœlicitate hominis in hac vita, breviter de tota (logicis exceptis) paganorum hominum philoſophia, præſertim ſicubi fallax, captioſa, imo verò impia fuerit. Quid ergo (dicet aliquis) Philoſophiam à Theologo ignorari vis? Minimè, inquã, gentium, minimè. Fruſtra enim antea ad Theologiam acceſſuris tantopere commendaſſem, ſed fines diſciplinarũ regi volo: ſtatuoq; tam ſophiſticum & captioſum eſſe in Theologorum ſcholis de Philoſophia, quam in Philoſophorum auditoriis de Theologia diſputari. Rectè namque Philoſophi præcipiunt, Si quid arithmeticum in Geometria, vel geometricum in Arithmetica tractetur, ſophiſticum eſſe: illudq; eſſe ἀγεωμέτρητον, hoc ἀνάρμοστον. Ergo Arithmetica arithmeticè, Geometrica geometricè tractanda ſunt. Ideoq; Philoſophia philoſophicè à Philoſophis in Philoſophica ſchola, Theologia theologicè à Theologis in Theologica ſchola docenda eſt. Id verum, juſtũ, ſanctũ, catholicum eſto. Ergo à theologiæ Chriſtianæ ſcholis pagana illa ſophiſtica arceatur.

—Procul ô procul eſte profani.

Pudeatq; attentum & ſobrium auditorem paganiſmi in Chriſtianæ Theologię ſcholas pro Chriſtianiſmo inducti. Etenim lex Theologiæ profeſſoribus, Theologiæ diſcipulis nequaquam quæſtionarios platonicos, vel ariſtoteleos imperavit, ſacros enim libros imperavit: Theologiam deniq; puram non ſophiſticam & paganam imperavit. Quare Pariſiẽſis Theologia nõ ſolũ quæſtionaria eſt, ſed tota in quæſtionariis, qui Theologiæ diſcipulos de talibus nugis nugatores tantũ poſſunt efficere, cõcionatores, populi doctores, operis Theologici actores nõ poſſunt efficere. Verũtamen perge: querimonia nova exoritur. In Medicina exercitatiõis pars illa altera lõgè cõmodiſsima, de Medici operis meditatiõe & effectione omiſſa eſt, ut diſcipuli alio anni tempore philoſophatum de herbis, plantis, omniumq; generum ſimplicibus à profeſſore in prata, hortos, ſylvas ducerentur: alio in ſecandis corporibus exercerentur: alio eoq; præcipuo ægrotis tractãdis cõſilii, medicamenti, rationis totius participes eſſent. Hæc enim exercitatio Medicos faceret, ut in ſchola Montiſpeſulani, ut in omnibus Medicis Italiæ ſcholis facit. Hæc enim Medicinæ eſt ἐνέργεια: altercatio autem actuum ſcholaſticorum ſola, tantùm poteſt altercatores ſcholaſticos efficere, morborum curatores efficere non

non poteſt. Itaque Medici doctoratus lauream adepti ac per ſolos actus illos inſtituti, artis uſum diſcũt periculis hominum, & experimẽta per mortes agũt, ut inquit ille. Quamobrem Carole none Rex Francorum Chriſtianiſsime, conſtitue in ſcholis Medicorum profeſſores regios & ordinarios, qui Medicinæ optimum quemque authorem ea lingua qua ſcriptus primò fuerit, interpretentur: conſtitue meditationes illas veras & exercitationes germanas, diſcipuli Medicinæ lauream adepti, non ſolùm theorematis librorum eruditi, ſed exemplis & uſu informari ad curandum morbum, ad valetudinem tuendam, ad ſtatum vitæ conformandũ accedent. Quid ſcholaſticæ meditationes operis Theologici & commentationes, qualeſnam ſunt? Theologiæ porrò cognitæ ac perceptæ ἐνέργεια illa quidem vitâ Chriſtiana, & ſanctis incorruptisq; moribus continetur: ſed de Theologiæ doctore & profeſſore modo agitur, quo genere exercitationis præcipuè fingendus ſit: Quam ad rem regiis & publicis Academiæ inſtitutis ſermones & collationes, id eſt locorum in religionis doctrina communium & illuſtrium, declamationes & conciones maximè omnium in una Theologia commendantur. Verba ipſa legis qualiacunque ſint, lubet aſcribere è Totavillæi Cardinalis reformatione.

DE RESPONSIONIBVS ET *ſermonibus non omittendis.*

ITem ordinamus & ſtatuimus quòd ſermones & reſpõſiones, quos ſeu quas ex ſtatutis prælibatis facere tenentur, dicti baccalaurei tã curſores quam formati, & etiam magiſtri nullatenus per eos omittantur. Specialiter autem de ſermonibus & collationibus ita duximus ſtatuendum, ut omni excuſatione ceſſante, præterquam ægritudine aliqua præpediente, fiant ſermones tam magiſtrales, quám alii ſecundum morem antiquum laudabilem: alioquin ſi magiſter ſermonem aßignatũ ſibi neglexerit & omiſerit, á regentia illius anni, & baccalaureus ab uno jubileo abſq; relaxatione privetur: et hoc ſtatutũ authoritate apoſtolica diſtrictiùs ſervari mandamus ſub pœna perjurii, quam tranſgreſſores magiſtri ſeu bacculaurei, ſeu etiam dißimulantes illud obſervare ipſo facto incurrant.

Hæc Cardinalis verba & inſtituta ſunt de ſcholaſticis theologorum cõcionib. & declamationibus. Quę ſanè præcipuum totius exercitationis Theologicæ fructum continebant. Etenim oratorum eloquentia quondã non ſolùm in curia & foro, ſed maximè in cõcionibus populi verſabatur: Reipublicæ regię forma ejuſdem virtutis facultatẽ variè diſſecuit, curiæ authoritatem principi, fori controverſias judicib. & advocatis, populi conventus & conciones Theologis attribuit. At veteres illi oratores declamationem eloquentiæ tanq̃ matrem & altricem ſingularem coluerunt. Demoſthenes jam grandis ætate, grande intuens ſpeculum componebat actionem: Idem in Phalerico ad fluctum maris declamare ſolitus, ut aſſueſceret fremitum populi voce vincere. M. Tullius ad Præturam uſque Græcè, Latinè verò ad extremam ſenectutem declamavit, neq; id domi tantùm pacatis tranquilliſq; reb', ſed in bello. Quomodo & Suetonius author eſt à M. Antonio & Octavio, ne Mutinenſi quidẽ bello declamandi conſuetudinem intermiſſam fuiſſe. Enimvero nemo repentè fit artifex. Itaque ſi quis eloquentiam in Theologo ullo unquam vel fuiſſe vel etiam nunc eſſe fateatur, fateatur etiam neceſſe eſt exercitationes eloquentiæ effectrices in eo fuiſſe, optimaq; de cauſſa in ſchola Pariſienſi cum Theologi concionatores morum ac vitæ oratores expeterentur, concionatorias & oratorias exercitationes tantopere commendatas eſſe: judicavit nimirum legiſlator ille artem quamlibet in ſchola ſic exercendam eſſe, ut verus extra ſcholam uſus requireret. Educito igitur Theologiæ diſcipulum ex umbraculo in pulverem & aciem, ubi tandem vox ejus verſabitur? Nonne in roſtra aliqua, atque in mediæ concionis ſuggeſtum aſcendet ad explicandum Evangelium, vitia corrigendum, virtutes exornandum & decorandum? vel in ſcholarum cathedra preſsius & accuratius eandem Theologiam elimabit? Atqui huc Theologum legitimæ declamationes & ſcholaſticæ conciones illæ comparabant, altercationes autem de quæſtionariis, neque rei vel argumenti, neque verborum vel orationis ſimile quicquam habent. Quin etiam

ſi colloquendum ſeparatim aut ſcribendum de Theologia fuerit, huc declamationis meditatio & ſcriptura conſimilẽ fructum uſumq; adferet. Declamatorius itaq; ſudor ille (cum Theologia veteris Teſtamẽti Hebraicè, novi Græcè quadriẽnio, ut lex jubet, à præceptoribus ordinariis percepta fuerit) Theologię diſcipulum veriſsimè exercebit. Quod ſi quis miretur quomodo aut quamobrẽ tantùm adjumentum Theologus contempſerit, in promptu cauſſa eſt (ut ait poëta ille) deſidioſus erat. Declamatio enim illa eſt commentationis & ſtyli, eſt diligentię & memoriæ, eſt induſtriæ poſtremo laborioſæ plena: Attamen ad ſpeciem ſervatæ legis commentum vel potius ænigma hic inventum eſt, ut declamationes & cõciones Theologorum non verbis Theologicis, ſed nummis perorarentur. Itaque declamationis onus in recentem aliquẽ liberalium artium magiſtrum coronato aliquo inductum deoneratum eſt, & Philoſophus pro Theologo in ſcenam prodit, perſonamque declamantis & concionantis Theologi peragit. Deus bone! quis hæc regiarum legum ludibria non commentitia & fabuloſa exiſtimabit? At quotidiana ſunt, & ante oculos omnium verſantur: magiſtri noſtri vident: imò verò rident, neque deſertarum profeſsionum vel auditionum culpa culpam contemptarum concionum graviorem exiſtimant. Enimverò ſit regiis legibus irridendis modus ac finis. Vitia noſtra noſtris animis ac moribus penitùs inveterata nobis nimium placent, nimis arridẽt, ſi è præſcriptis Theologiæ laboribus aliquid remittendum, fuit, fuit ex eo potiſsimum remittẽdum quòd minus prodeſſet. De altercationibus igitur & actionibus tam multis maxima pars dematur, declamationum & cõcionum utilitas augeatur, quinetiam actus reliqui, quod in ſcholis Iuriſprudentiæ uſitatum eſt, oratione perpetua, id eſt, ad ſpeciem theologicæ & concionatoriæ utilitatis accommodata majore ex parte reformentur. At totum cõtra factum eſt. Sex perpetuos annos theologicæ ſcholæ quæſtionariorũ altercationibus perſonant, principiorum, Tentativæ, Ordinariæ magnæ & parvæ, Veſperiæ. Id ſatis non fuit, Franciſcanus quidam ab hinc annos centum, poſt Cardinalis Totavillęi reformationem, clamores quæſtionarios amplificavit, totúmque diem unum diſcipulis contrà altercantibus reſpondit, nullo judice adhibito præter ſtrepitum pedum & manuum plauſum, quo quęſtiones altercantium diſceptarentur. Hic actus Sorbonica dicta eſt, atque in memoriam gloriàmque robuſti & valentis altercatoris Frãciſcanis adhuc prima Sorbonica eſt conceſſa. Sic quæſtionarii doctores & clamores Theologici ſtudij ſexennium occupavere, nihil ordinariæ vel profeſſioni vel auditioni, nihil declamationi reliquerunt. Quid multa? ſumma laus theologici ſtudii quęſtionariorum altercatione à magiſtris noſtris definita eſt, huc incendit & ſtimulat ſanctus ignis ille ac ſtimulus priorum locorum, de quo aucupio antea dictum eſt, id unum & ſolum ſuſpicit & admiratũ Theologiæ auditor, ut qui ſex annos totos de quæſtionariis acerrimè clamaverit, qui concertantes conturbarit ac perverterit, qui tenebris perſpicuum locum offuderit, qui ſcholas totas tanquam Pericles videlicet aliquis, fulgurare, tonare, permiſcere viſus ſit, is uno magiſtrorũ omniũ voce atq; acclamatione primũ locum mereatur. At excellentia Theologi primo laudis loco digni lõgè alio genere, longè aliis differentiis metiẽda & definienda eſt. Habet ſacer ordo magnos & præſtãtes Theologos, à quibus ordinis inſtauratio & reformatio mirificè expetitur, verùm nequaquam magnitudinem Theologiæ, præſtantiamq; quæſtionariæ hujus altercationis œſtro conſecutos, ſed cognitione linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, ſed perceptione liberalium & laudandarum artium, lectione veteris Teſtamẽti Hebraicè, novi Græcè, pervolutandis interpretibus & conciliis antiquis, recentioribus comparandis, legẽda Reipub. Chriſtianæ politia, cognoſcenda Eccleſiæ totius hiſtoria, docendo, concionando, omnibus demum legitimis rationibus ac modis Theologiam exercendo. Illæ igitur, illæ ſunt artes, quæ Theologũ primo loco dignum efficiunt, non aũt clamor de quæſtionariis & altercatio. Atque ille noſter ſic exercitatus Theologus metam judicio bene & ſyncerè de vera Theolo-

Theologia judicantium, palmamq; antè conſequatur, quàm quæſtionarii clamatores hic è carcerib. ſint egreſsi. Quãobrē, Carole none Rex Francorũ Chriſtianiſsime, per Deum optimum, maximum (de cujus vero cultu, veraq; religione hic agitur) conſtituito profeſſores Theologiæ regios & ordinarios, quorum alii vetus Teſtamentũ Hebraicè, alii novum Græcè profiteantur, quæſtionarios in ultimas terras deportandos imperato. Sed tamen ut materia ſcholaſticæ theologiæ alieniſsima ſit, in quæſtionariis ſophiſticis, ſpecies tamen & forma partibus infinitis alienior eſt. Poterat enim Ariſtoteles in ſcholã theologicam induci, ſed ariſtotelice tractari: Veruntamen pudeat Ariſtotelem theologicæ altercationis auditorem eſſe: Logicas enim diſſerẽdi leges docuit & exercuit: de quibus una eſt illa nominatim præſcripta, omnem artem cum ab uſu profecta ſit, ad uſum referendam eſſe. In uſu porrò hominum bene diſſerẽtium ταυτολογίαν eſſe putidam & odioſam, ſyllogiſmumq; raro eſſe perfectũ: ſed modo ꝑpoſitione, modo aſſumptione contẽtum eſſe, de quo ſyllogiſticis quæſtionibus vix milleſimã pleno ſyllogiſmo concludi: tamq; eſſe in vitio, qui manifeſtas & per ſe intellectas ſyllogiſmi partes exprimit, quam qui obſcuras & incertas prætereit. Quid ergo? Altercatores theologi, quomodo logicam hujus philoſophi obſervant? Prooemia initio ſunt ſarmatica, aut neſcio unde profecta. Sic argumentor, ſic argumentaris: deinde ſyllogiſmus integer ab actore ꝓponitur. Integer bis atq; interdum ſæpius à defenſore repetitur, tum vocabulis artis idem ſignificatur, nego majorem: concedo minorem, diſtingo conſequentiã: quo ſophiſmatis genere, neſcio an infantius vel ineptius quicquã in ſcholas unquam illátum ſit. Vereor equidẽ ne res quamvis quotidiana, quãvis ante oculos poſita, tamẽ cujuſmodi ſit, ut ſatis attendatur. Sũto igitur altercatores duo, qui ſpeciem & pompã tam bellę altercationis exhibeant, alter baccalaureus curſor, alter baccalaureus formatus: His enim titulis Aeſerninus cũ Pacidiano cõmittitur. Sitq; hac ipſa de re inter eos quæſtio hæc ipſa noſtra, utrũ altercatio theologica ſophiſtica ſit: diſſeraturq; illo uſus argumento, certamen formatus ſic inſtituet.

Sic argumẽtor doctiſsime curſor baccalauree.

Diſputatio quæ tautologiam habet, ſophiſtica eſt,
Noſtra diſputatio tautologiam habet,
Noſtra igitur diſputatio ſophiſtica eſt.

Tum curſor cõtra ſe cõparabit, & dicet.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate:

Diſputatio quæ tautologiam habet, ſophiſtica eſt,
Noſtra diſputatio tautologiam habet,
Noſtra igitur diſputatio ſophiſtica eſt.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formato

Diſputatio quæ tautologiam habet: ſophiſtica eſt,

Nego majorem,

Probo majorem, inſtabit formatus, & prooemium geminabit.

Sic argumentor, ſic argumentor,

Nugatio eſt quintus finis ſophiſticæ, uti Ariſtoteles docet in elenchis.
Tautologia autem nugatio eſt,
Tautologia igitur eſt ſophiſtica.

Tum curſor reſpondebit:

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate:

Nugatio eſt quintus finis ſophiſticæ: ut Ariſtoteles docet in elenchis.
Tautologia autem nugatio eſt.
Tautologia igitur eſt ſophiſtica.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate:

Nugatio eſt quintus finis ſophiſticæ, ut Ariſtoteles docet in elenchis.

Transeat major.

Sed tautologia eſt nugatio.

Nego minorem.

Probo minorem, dicet formatus.

Sic argumentor.

Iteratio ejuſdem rei frequentior nugatio eſt: ut Ariſtoteles in Elenchis author eſt.
Tautologia eſt iteratio ejuſdem rei frequentior: ut eſt 2 cap. 6 Topici.
Tautologia eſt igitur nugatio.

Tum curſor ſic reſpondebit.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate.

Iteratio ejuſdem rei frequẽtior eſt nugatio: ut Ariſtoteles in Elenchis author eſt.
Tautologia eſt iteratio ejuſdem rei frequẽtior: ut eſt 2 cap. 6 Topici.
Tautologia eſt igitur nugatio.

Sic argumẽtaris doctiſsime baccalauree formate.

Iteratio ejuſdem rei frequẽtior eſt nugatio: ut Ariſtoteles in Elenchis author eſt.
Tautologia eſt iteratio ejuſdem rei frequentior: ut eſt 2 cap. 6 topici.
Tautologia eſt igitur nugatio.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate.

Iteratio ejuſdem rei frequenter nugatio eſt, ut Ariſtoteles in Elenchis author eſt.

Tranſeat major.

Sed tautologia eſt iteratio ejuſdẽ rei frequentior, ut Ariſtoteles ait 2 cap. 6 Topici.

Eſto etiam minor.

Tautologia eſt igitur nugatio.

Concedo concluſionem.

Quid tum: redi ad primam majorẽ, ſi placet, nam volui experiri quomodo probares intentum, ſi negarem. Bene res habet, domine curſor, dicet formatus: habeo tamen interea intentũ: redeo igitur, & ſic argumentor.

Sic argumentor

Diſputatio quæ tautologiã habet, ſophiſtica eſt.
Noſtra diſputatio tautologiam habet.
Ergo noſtra diſputatio ſophiſtica eſt.

Tum curſor reductus ad initiũ altercationis, ita reſpondebit.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate.

Diſputatio quæ tautologiam habet, ſophiſtica eſt.
Noſtra diſputatio tautologiam habet.
Ergo diſputatio noſtra ſophiſtica eſt.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate.

Diſputatio quæ tautologiam habet, ſophiſtica eſt,

Concedo majorem, quoniam tam bene per Ariſtotelem probaſti.

Sed diſputatio noſtra tautologiam habet.

Nego minorem.

Ego veró probo minorem, & ſic argumentor, inquiet formatus.

Diſputatio quæ quater idẽ dicit, tautologiã habet.
Sed diſputatio noſtra quater idem dicit.
Ergo diſputatio noſtra tautologiam habet.

Tum curſor attentior erit, & ita reſpõdebit.

Sic argumẽtaris doctiſsime baccalauree formate.

Diſputatio quæ quater idẽ dicit, tautologiã habet.
Sed noſtra diſputatio quater idem dicit.
Ergo diſputatio noſtra tautologiam habet.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate.

Diſputatio quæ quater idẽ dicit, tautologiã habet.

Concedo majorem.

Sed noſtra diſputatio quater idem dicit.

Nego minorem.

Probo minorem, inquiet formatus, & ſic argumentor.

Primo ego propono totum ſyllogiſmum: deinde tu bis eundem repetis formaliter. Poſtremó quando tu nominas vocabula artis majorem, minorem, cõcluſionẽ, tu repetis æquivalẽter.
Ergo noſtra diſputatio quater idem repetit.

Tũ curſor ſeipſũ huc intẽdet, dicetq́.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate:

Primó tu proponis totum ſyllogiſmũ: deinde ego bis eũdem repeto formaliter: poſtremó ego repeto æquivalenter, quando nomino vocabula artis, majorem, minorem, concluſionem.
Ergo noſtra diſputatio quater idem dicit.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate:

Primó tu proponis totum ſyllogiſmum: deinde egobis eũdem repeto formaliter: poſtremó ego repeto æquivalenter, quando nomino vocabula artis, majorem, minorem, concluſionem.
Ergo diſputatio noſtra quater idem dicit.

Concedo antecedens:

Nego tamen conſequentiam: qa non cõcludis in modo & figura. Hic formatus ſi vir erit, excitabit, & ſyllogiſmũ ex enthymemate faciet. Itaq; dicet: Domine curſor, captus es: neq; ſic evades.

Sic argumentor.

Primó ego propono totum ſyllogiſmum: deinde tu bis eundem repetis formaliter: poſtremó quando tu nominas majorem, minorem, cõcluſionem, tu repetis æquivalenter.
Sed ſemel bis & ſemel faciunt quater.
Ergo diſputatio noſtra quater idem dicit.

Hic bacculaureus curſor cũ ſeſe urgeri ſentiet, neceſſario turbabit aliquid ut evadat, attamen eſto modeſtior, & repetat, dicatq́.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate.

Primó tu proponis totum ſyllogiſmum: deinde ego bis eundem repeto formaliter: poſtremó quando ego nomino majorem, minorem, concluſionem, ego repeto æquivalenter.
Sed ſemel bis & ſemel faciunt quater.
Ergo diſputatio noſtra quater idem dicit.

Sic argumentaris doctiſsime baccalauree formate.

Primó tu proponis totum ſyllogiſmum: deinde egobis eundem repeto formaliter: poſtremó quando ego nomino majorem, minorem, concluſionem, ego repeto æquivalenter.

Conce-

Concedo majorem.

Sed ſemel bis & ſemel faciunt quater.

Concedo minorem.

Ergo noſtra diſputatio quater idem dicit.

Diſtinguo concluſionem.

Primò tu proponis pro te, ſecundò ego repeto pro me, tertiò pro domino præſide noſtri actus, quartò ego repeto pro auditore, ignaro logices, ut intelligat artem argumentationis noſtræ. Quid hic dicet formatus? Quæ nã iſta diſtinctio eſt? licet ne pro me, pro te, pro domino præſide, pro auditore ignaro logices facere potius elenchum cõtra logicã, quàm ſolœciſmum contra grammaticam? Attamen tranſeat hoc pro primo argumẽto: Venio ad ſecundũ, & ſic argumẽtor.

Sic argumentor.

Explere partes ſyllogiſmi manifeſtas & per ſe intellectas, eſt ſophiſticũ, ut Ariſtoteles docet 1. Analyt.

Sed noſtra diſputatio ſemper exigit ſyllogiſmi partes, ut tu paulo ante in aſſumptione manifeſtiſſima exegiſti.

Ergo noſtra diſputatio ſophiſtica eſt.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate, dicet curſor,

Explere partes ſyllogiſmi manifeſtas & per ſe intellectas, eſt ſophiſticum, ut Ariſtoteles docet 1. Analytic.

Sed noſtra diſputatio ſemper exigit ſyllogiſmi partes, ut ego paulo antè in aſſumptione manifeſtiſſima exegi.

Ergo diſputatio noſtra ſophiſtica eſt.

Sic argumẽtaris doctiſſime baccalaurec formate.

Explere partes ſyllogiſmi manifeſtas & per ſe intellectas eſt ſophiſticum, ut Ariſtoteles docet primo Analytic.

Diſtinguo majorem, pro ſapiente auditore, verũ eſt: pro ſtulto & imperito, quales plerique adſunt, nego.

Sed noſtra diſputatio ſemper exigit ſyllogiſmi partes, ut ego paulo antè in aſſumptiõe manifeſtiſſima exegi.

Verùm domine formate, non omnes ſapientes ſumus, ut tibi dixi.

Ergo diſputatio noſtra ſophiſtica eſt.

Nego conſequentiam.

Hic formatꝰ laceſsitus tertium argumentum tanquam corollarium ſcenæ poſtulabit, pauloque acrius movebit. (mabit.

Sic argumentor, Sic argumẽtor excla

Verùm differendi uſus in tota hominum vita non habet, Sic argumẽtor, Sic argumẽtaris, non quater idem dicit: nulli enim philoſophi, ne Stoici quidem, qui valdè ſpinoſi fuerunt, nulli mathematici, nulli oratores, nulli poetæ, nulli denique extra ſcholas noſtras homines has ineptias & nugas unquam habuere.

Sed noſtra diſputatio talis eſſe debet, qualis eſt verus uſus: illius enim cauſſa inſtituta eſt.

Quare noſtra diſputatio totas iſtas ineptias & nugas habere non debet.

Reſponde ad formã, Domine curſor.

Tũ curſor attonitus fortaſſe dicet: Domine formate, videmus benè unde ſic hoc argumentum, & ex qua officina venerit, & melius ſileret pro reverentia magiſtrorum, ſed tamen reſpondebo.

Sic argumentaris doctiſſime baccalaurec formate.

Verùm differendi uſus in tota hominum vita non habet, Sic argumentor, Sic argumentaris, non quater idem dicit: nulli enim philoſophi, ne Stoici quidem, qui valdè ſpinoſi fuerunt, nulli mathematici, nulli oratores, nulli poetæ, nulli denique extra ſcholas noſtras homines has ineptias & nugas unquam habuere.

Sed noſtra diſputatio talis eſſe debet, qualis eſt verus uſus: illius enim cauſſa inſtituta eſt.

Quare noſtra diſputatio totas iſtas ineptias & nugas habere non debet.

Sic argumẽtaris doctiſsime baccalaurec formate.

Verùm differendi uſus in tota hominum vita nõ habet. Sic argumentor, Sic argumẽtaris, non quater idem dicit: nulli enim philoſophi, ne Stoici quidem, qui valde ſpinoſi fuerunt, nulli mathematici, nulli oratores, nulli poetæ, nulli denique extra ſcholas noſtras homines has ineptias & nugas habuere.

Domine formate iſta major valde audax eſt, & prope dicam impudens. Atque hic nimirum ſtrepitus erit pedum, plauſusque manuũ, ac vix impetrabitur à corona ut reſponſio audiatur. Tum curſor dicet minorem multò eſſe audaciorẽ & impudentiorem, quia poſt natos magiſtros quæſtionarios, penes quos ſcholæ gloria tota eſt, nunquam conſuetudo illius belli uſus in ſchola audita fuit. Itaque laudabiles mores tot annorum & patrum ſapientiæ potius hic attendenda, quàm tuum hoc argumentum. Strepitus hic etiam plauſusque major quàm antea. Deinique ſi formatus bene animatꝰ erit, exaudietur in illo ſtrepitus plauſusque tonſtru, mirum videri, quod mẽſa nobis magis Logica ſit, quàm ſchola: in mẽſa enim

poſt actū potamus, epulamur, nemo tamē noſtrum dicit, Sic poto, ſic potas, ſic epulor, ſic epularis. Epictetus ridebat hoc modo rhetoras, qui artem dicendi oſtentabant. In convivio, ajebat, edis ac bibis: nō ais, Sic edo, ſic bibo: utere rhetorica ſi opus eſt, rhetoricam ne oſtentato. Ecquid ſi noſtra hæc ſophiſmata Epictetus audiſſet, quo modo noſtrum, Sic argumentor, Sic argumentaris, quo modo noſtram tautologiam tam nugatoriam irrideret? Sed tandem tamen formatus baccalaure⁹ requieſcet, & laudata reſponſione curſoris, dicet: Ego ſum contentus domine curſor, bene reſpondiſti. Atque hæc ſpecies erit & forma quæſtionis quam propoſueram: unde per Deum immortalem judicato, qui hæc legis, quā horribilis iſta ſophiſtica ſit, & unde in theologiæ ſcholas ingreſſa eſt. Uno verbo quæſtio hæc expediri poterat, diſputatio Theologiæ Pariſienſis eſt ſophiſtica, quia nugatoriè multa repetit, quia ſyllogiſmū ſemper implet, quia denique uſui humanitatis ac vitæ cōtraria eſt. At iſtud dum ſcholæ theologicæ more agit, quos meādros, quos anfractus habet? Si altercatio neceſſaria aliquando ſit (ut certè eſt) eſto altercatio ad exemplum hominum logica præſtantium, ut Philoſophorum, mathematicorum, oratorum, hiſtoricorum cōformata. Eſto curiæ, foro, roſtris, eſto urbibus & agris, eſto denique communi hominum ſenſui accommodata. Quamobrem tam craſſa, tamq; hebes ſophiſtica de ſacris ſcholis abigatur. Labor exercitationis huius teneatur: Pyrrhus viſis cadaveribus Romanorum, adverſis vulneribus cæſorum. His militibus (exclamavit) poteram terrarum orbem vincere: Ita ſi quis ſcholaſticarū in theologicis ſtudiis exercitationū tam intolerabiles ſudores attentè conſiderarit, exclamet profectò, Laboribus iſtis omnē humanarum, diuinarumq; literarū cognitionem ſcientiamq; parari potuiſſe. Altercationes igitur (ſi quid opus ſint) ſunto: verùm non de ſophiſmatis quæſtionariorum, ſed de teſtamēto Dei: ſed modicæ & pro ſua utilitate terminatæ & ad humanæ altercatiōis ſenſum definitæ ſunto, tam varii, tāque multiplices altercationum actus ad examen theologici uſus expendantur. Cedant profeſsioni & auditioni veteris & novi Teſtamenti: cedant declamationibus & concionibus, unde verus Theologus informetur. Hinc theologici ordinis ſplendor & dignitas orietur: Theologicæ graves his temporibus & periculoſæ controuerſiæ diſputantur, non de cæremonia aliqua leviore, ſed de totis Eccleſiæ Chriſtianæ fundamentis. At ſi regii doctores & ordinarii ſelecti, alii vetus Teſtamentum Hebraicè, alii novū Græcè, non ſolùm diligenter & accuratè, ſed ſanctè pièque profiteantur, quænam pevrerſa de religione opinio ab iis, qui utrumque Teſtamentum è ſanctis illis & eximiis doctoribus intellexiſſent, poſſet exiſtere? At orbis Chriſtianę Eccleſiæ univerſus ab iſtis profeſſoribus intelligeret. Gallia multis laudum & variis nominibus felix habetur, ſed uno beneficio naturæ pręcipuè beata, quod clariſsimis fluviis in omnes mundi partes profluentibus eſt irrigua: Pado illo fluviorum Rege in Orientem, Rhodano in Meridiem, Sequanā in Occidentē, Rheno in Septentrionem. Sed Gallia Pariſienſis Academiæ diſciplinis & artibus bene conſtitutis longè feliciſsima, longèque beatiſsima fuerit. Longè enim latiores longioréſque tractatus habent iſta diſciplinarum flumina, & plures terras nationéſque cōplectuntur. Ea enim Pariſienſis Academię fama eſt per univerſam Latini nominis Europam, ut nemo ſatis eruditus eſſe videatur, niſi qui Lutetiæ didicerit: hæc Academia non urbis unius, ſed univerſi orbis Academia eſt. Itaque qualis eſt hujus Academiæ diſciplina, talis eſt orbis reliqui. Alexander de Villa Dei loquendi quondam magiſter ſingularis habebatur: ſcholaſticorum noſtrorum etiam quidam eò prolapſi redierant, ut negarent ullam grammaticæ rationem habēdam eſſe. Itaque Ego *amat*, illis erat oratio condigna & congrua. Ecquis igitur miretur orbem terrarum ab Academia Pariſienſi eruditum interea ſermone barbarum fuiſſe? Nemo. Sic poſteaquam Theologia Pariſienſis ejecit è ſcholis veteris & novi Teſtamenti legitimam & ordinariam profeſsionem, quęſtionarios Theologiæ veluti coryphæos effecit. Ecquis miretur orbem terrarum quæſtionariis Theologiæ Pariſienſis imbutum,

quæſtio-

quæſtionarium fuiſſet. At poſteaquam in Grammaticas ſcholas inductus Latini ſermonis uſus è Cicerone, Terentio, Cæſare, docuit Alexandrum non Latinitatis, ſed ſemilatinæ cujuſdam ruſticitatis magiſtrũ eſſe: Magiſter ipſe è ſcholis ejectus eſt, barbaries exploſa, puritas ſermonis & elegantia probata & laudata. Reducantur in publicas Theologiæ ſcholas profeſſores ordinarii & regii: Reducantur ſoles illi duo cœleſtes & divini, alter Teſtamenti veteris Hebraicé, alter novi Græcé: liberé veritas religionis & ſinceritas explicetur, theſauri tandiu à Theologis vel occulti, vel ignorati, vel certé neglecti eruantur, & propalam collocentur, quæſtionarii è veſtigio tanti ſplendoris inſolentes difugiẽt. Cognitio optimi maximiq; Dei omnibus partib. catholicæ fidei, legis, precationũ, laudationumq; divinarũ ſacramentorũ gentibus Chriſtianis ac nationib. omnibus dilucescet. Quo bono nullũ à Deo optimo maximo hominum generi neq; majus, neque præſtantius dari poteſt: Nulla jam de barbariſmis & ſolœciſmis Alexandri controverſia ſupereſt, nulla item de quæſtionariorum ſophiſmatis contentio ſupererit. Theologia Pariſienſis depravata, religionis ſtatum depravavit, conſtituta & conformata, eãdem conſtituet & conformabit. Hic fons fluminum, hic origo & principium aquarum omnium: hinc Padus incitatus ripas tranſiliet, & Romam uſq; redundabit: hinc Rhenus Germaniam magna jam ex parte irrigatam plenius irrigabit, hinc Rhodanus curſum verſus Africam indignatus, in Hiſpaniam ſociatis Garumna & Ligeri rectà ꝓfluet, Sequana vicinos Britannos, licet Oceano circumfluos, tamen aquis mitioribus alluet. Sed ſtudio atque amore Pariſienſis Academiæ longius progredior. Jam optatæ legis proœmium ſuaſioq; (ut appellat Plato) peroretur & concludatur. Hic te Carole none Francorũ Rex Chriſtianiſsime, ad extremum rurſus appello, tuoq; nomine conſilii regii principes & authores appello, Conſtituiſti ad poſtulationem trium regni tui ordinũ Eccleſiæ, nobilitatis, populi, ut Pariſienſis Academia reformaretur. En majeſtati tuæ ipſa ſupplex Academia ærumnas miſeriasq; ſuas lamentatur. Conqueritur infinitam profeſſorum turbã in ſcholas Philoſophiæ, Medicinæ, Theologiæ admiſſam eſſe, diſcipulosq; magnitudine exactionum opprimi, ideoq; profeſſores regios & ordinarios poſtulat, allevationem ſumptuum, & è publico publici laboris remunerationem deprecatur, oratq; publicũ ex ampliſsimis monachorum, canonicorum, abbatum, epiſcoporum proventibus, profeſſoribus ordinariis ſtipendium. Alexander Magnus inflammatus cupidine noſcendi naturas animalium, aliquot hominũ millia per totum Aſiæ, Græciæq; tractũ maximis impenſis aluit, Ariſtotelig; ob hanc hiſtoriam octingenta talẽta dono dedit. At Pariſienſis Academia, etſi te nihilo inferiorem Alexandro ſperat regem futurum, attamen temporum non ignara, ærarii regii talentum alendis & colendis diſciplinis omnibus nullum petit, ſed *juſtum* & ſanctum, ſi quid unquam à *juſtis* & ſanctis regibus *juſtẽ* & ſanctẽ edictum eſt, edictum de monachis, canonicis, abbatibus, epiſcopis ad charitatis ac pietatis officium vocandis petit, ut filii parentis nomine opulenti ac fortunati parẽnti ipſi parte aliqua opum & fortunarum ſuarum gratificentur. Sacerdotiorum enim facultates obtinent nomine doctrinæ (quã magiſtris acceptam ferri neceſſe eſt) non autem nobilitatis vel familiæ: Quàm velint porró ſtemmatis ſuis efferantur, tamen in diplomate nominationis & creationis ſuæ nunquam aſcribent ut cauſſam pontificatus ſui: *Genus alto à ſanguine Teucri*, imo veró noſtratib. hiſce & ſcholaſticis ſordibus ſibi proſpicient & cavebunt, ſolicitèq; inſcriptũ curabũt. Qđ frugi, Quod docti, Quod ad Eccleſiæ miniſteriũ apti & idonei. Hãc igit᷑ gratiam mater à liberis repetit. At ſi ſingulis monachis, canonicis, abbatibus, epiſcopis gravis ea petitio videat᷑, id petit deniq;, ut regiis omniũ laudandarũ artiũ ꝓfeſſoribus (id eſt omniũ, qui in Reip. gubernatione & religionis moderatiõe futuri ſunt) principũ & miniſtrorũ magiſtris & doctorib. honor habeat᷑, q̃ gratioſo neſcio cui vel otioſo poti᷒ & inerti Protonotario haberi ſolet. Abbatia de tã multis una condonet᷑. Conquerit᷑ publicam

Philoſophiæ profeſsionem deſeri, Mathematicas artes liberaliúmque artium principes in liberalium tamen artium ſchola nullas eſſe: à Iuris & religionis ſcholis, Iuris civilis prudentiam & religionis ſanctimoniam excludi, profeſsionem Medicinæ & Theologiæ legitimam & ordinariã nullam eſſe, Philoſophos, Medicos, Theologos quæſtionariis altercationibus lătum, Theologos etiam in ſolis quæſtionariorum ſpinis occupari: Meditationes operi Philoſophico, Medico, Theologico congruentes nullas teneri. Quare integras Philoſophiæ & Iuriſprudentiæ, totaſq; artes, Theologiam veteris Teſtamẽti Hebraicé, & novi Græcé, pro quæſtionariis exorat & deprecatur: Habet alumnos in omni diſciplinæ profeſsioniſq; genere, ſummo ingenio, ſingulari doctrina præditos, qui ſua induſtria ac virtute in omnem audiendi, cognoſcendi, meditandi laborem excitati, é tantis rerum difficultatibus emerſerunt: ſed alumnos iſtos mortales eſſe intelligit, breviq; perituros. Itaque antecedentiũ ſeculorum memor, de conſequentibus anxia & ſolicita, ut iſtorum alumnorum præſtantia, quam in paucis & caducis exemplis admiratur, ſit immortalis atque perpetua, philoſophis, medicis, theologis, regias profeſsiones & ordinarias, authores probatiſsimos, exercitatiões legitimas, honeſta & liberalia é publico tantùm præmia, tanquam ſtirpes & ſemina propagandis ex eodem genere ſimilibus ingeniis deprecatur. Hæc ſumma Pariſienſis Academiæ deſideria atque optata ſunt, quib. ſi te authore perfruatur, ô te regem fama præclariſsimi facti ſempiterna felicem ac fortunatum, quem vindicem, quem authorem, quem denique regem, Philoſophia, Medicina, Iuriſprudentia, Theologia ſibi fuiſſe prædicabunt. Scripſit Ariſtoteles Alexandro συμβουλευτικόν, quale Tullius Cæſari de cõſtituẽda Repub. ſcribere cogitavit: Scripſit Plutarchus Trajano generis huius politicum: Scripſit Alcuinus de artibus & virtutibus Carolo Magno ſimile argumentum: Scripſit Claudius Seiſſelus Lodoico duodecimo regi proavo tuo. Ego verò qui tibi non ſolùm Alexandri liberalitatem, Trajani bonitatem, Caroli Magni virtutem, Lodoici duodecimi probitatẽ, ſed ſupra omnes humanas laudes altiſsimé eminentem veram pietatem & religionem exopto, unum bene & ex ordine tuis auſpiciis reformatæ & conſtitutæ Pariſienſis Academiæ opus exopto.

F I N I S.

P. RAMI DE SVA PROFESSIONE ORATIO

CUM multa præclarè (auditores) à maioribus noſtris ad humanæ vitæ uſum atq; dignitatem ſint inventa ac poſteritati relicta, tum nihil videt̃ artibus ingenuis ac liberalibus excellentius invētum eſſe ac poſteritati relictum: vita enim homini cum plātis atq; arboribus cōmunis eſt, ſenſus etiam eſt pecudum ac beſtiarū: ratio verò ipſa nullis ingenuæ doctrinæ ſtudiis exculta, ſylveſtrium ac ferorū animaliū verius eſſet, quam hominum: Itaq; quòd perſpicuè homines cum hominibus colloquunt̃, quod ornatè ac ſplendidè ſenſa mentis exprimunt, quod acutè celeriterq; provident accurateq; judicāt, quod numero figuraq; multitudinem rerum cōfuſionemq; partiuntur, infinitāq; inde naturæ varietatem percipiunt, quod jure ac legibus mores conformatos habent & in vita vitæ ſocietatē ſanctam inter ſe tuentur, laudādæ nobiliſq; diſciplinæ beneficium eſt. Quamobrē, cum regius artium liberaliū ꝓfeſſor inſtitutus eſſem, perſuaſi mihi me à rege in præſtantiſſima Reipub. parte adminiſtranda collocatū eſſe, dieſq; & noctes modis omnibus vigilandum, providendum, enitendum putavi, ne tanto tantæq; ſolicitudinis & curationis oneri ſuccumberem. Pondus grave & difficultas magna erat propoſita: ſed amor, quicquid fieri poſſet, facilè quoq; perſuadebat eſſe. Hodiernus autem dies duodecimum noſtræ profeſſionis annū terminavit: idē (quod fauſtum, felix fortunatuq; ſit) decimi tertii initium faciet, & quidem initium repetēdi, qd ꝑ illos duodecim annos in regia laudādarum doctrinarum profeſſione contenderim, & quē earum fructum biennio proximo cum Academia noſtra cōmunicare ſtudeam. Laboris igitur noſtri longiores tractus multiq; temporis ſudores mente præcipiēs, omnium omnino viarum ducē unum imprimis uſum ante oculos mihi ꝓpoſui, unde poſtea artis cuiuſq; & veritas & utilitas appareret. Sic enim à Platone didicerā. O Chærepho (ait) multæ artes ſunt hominum experientia ſagaciter invētæ: peritia ſiquidem efficit ut artificioſè, imperitia ut temere noſtra vita progrediat̃. Quod idem nominatim in philoſophia ab Ariſtotele diſcipulo repetitum celebratūq; memineram, ſexcentiſq; præterea locis obſervationē, experientiā, inductionē, ſenſum, diſciplinæ cuiuſvis authorē & magiſtrū fieri. Quapropter horum philoſophorū authoritate vel potius rerū ipſarū natura & veritate adductus, artiū liberalium fructū in authoribus earum diſciplinarum fama gloriaq; præſtantibus exquiſivi, tātaq; audiendi & proficiendi cupiditate noſtrorū adoleſcentiū animos inflāmavi, ut ſchola regia, licet ad audiendū ampliſſima, plerunq; tamē auditorū cōcurſum frequentiamq; capere minime potuerit. Hic poëtæ, hiſtorici, oratores, philoſophi nobis opes ac divitias, ornamēta ac lumina ſermonis, orationis, ratiocinationis ſuę nō recōdita & conſtructa uno in loco, tanq̃ per tranſennā prætereuntib. ſtrictim aſpiciēda, ſed explicatis quibuſq; generibus ac propalā collocatis cōtemplāda fruendaq; permiſerūt, intereaq; demonſtrarunt multa in authoribus quamlibet magnis vero uſui repugnantia atq; cōtraria: unde nobis artiū accuratior inſtitutio demōſtratioq;, & adverſus earū doctores cōmentatio meditatioq; liberior extitit. Etenim ab illo bene & artificioſè agendi principe uſu, Ciceronianus noſter exortus eſt, exēplo inſtituti Ciceronis, purā ſynceramq; bene inſtituendæ juventutis viam indicans, multaq; tritæ per gymnaſia noſtra inſtitutionis vitia in ſingulis artibus explicans. Sed Ciceronianus ad liberalium artium amorem præco quidā cōmunis & exhortator fuerit, præcipua laudis cuiuſq;, ſuaq; encomia nobis ex eodem uſus fonte redūdarunt. Curriculi verò noſtri carceres ἐξωτερικῷ genere,

reliquum

reliquum ad metam uſque ſpaciũ ἀκροαματικῷ terminatum eſt ac definitum: ἐξωτερικὸν illud Grammaticam, Rhetoricã, Logicã, etiam ſi lubet, amplectatur. Grammatica igitur utriuſq; linguæ, ſed Latina, q̃a majoris in Europa noſtra neceſsitatis eſſet, explicata eſt diligentius, non ſolùm ad authoritatem antiquorũ Grãmaticorum, ſed etiam ad accuratam veri uſus normam, ut partibus omnibus expleta, uno legitimi ordinis compendio fieret longe & brevior & facilior, quàm antea fuerat. Atque ut novi ædificii nova forma judicib. æquis probaretur, ſcholæ grãmaticæ cauſſam cujuſcunq; loci, ampliſsimè diſſeruerunt. Ergo hæc noſtra in Grãmaticis contentio fuit, in qua repetenda & ſubducenda, ſi menſem unũ exercuero, præcipuas partes definiendo partiendoq́;, ordinis methodiq́; judicium imprimis expendendo, uſum omnium in aliqua Ciceronis epiſtola familiariter meditãdo & explicando, rem ſpero noſtræ juventuti gratiſsimam & utiliſsimam me facturum, viamq́; monſtraturum, qua Grammaticæ doctores intelligant, eſſe ad bene loquendum multò majora boni ac diligẽtis uſus adjumenta, quam vulgo hominum exiſtimetur: eam denique in Academia Pariſienſi Grãmaticã teneri cupio, quã examinandis veterũ decretis, notanda præſtantium authorum elegãtia, aſsidua regiæ cathedræ cõſuetudine & exercitatione conſequi & potui & debui. Rhetorica deinde conſequitur, de qua præliũ adverſus Ciceronẽ & Quintilianũ certaminis gravioris & diuturnioris fuit: Etenim cum Ciceronis eloquentiã magna quadã diſcentiũ aviditate, multò etiam majore mea voluptate & lætitia interpretarer, perſępe cõqueſtus ſum, Rhetoricam Ciceronis artem tantùm à ſplendore magnificentiaq́; Ciceronianę orationis diſsidere, ut primũ ſuſpicio quædã eſſet, in illam artẽ commenta, è ſcholaſticis magiſtrorũ dictatis tranſlata eſſe: quod poſtea cum certioribus argumentis deprehendiſſem, bipertitum illud & apodicticæ pro Rhetorica, & elẽcticæ aduerſus Rhetoras ſtudium noſtrum enituit: Partem aũt illam compendiariæ rationis ac viæ ſuſceperat Audomarus Talæus communione vigiliarum ab ineunte ætate mihi ſocius: amore, vel potius pietate frater, cujus interitu magnum detrimentum ingenuæ literæ fecerunt, & nos ad ea quæ meditamur, adjutorẽ authoremq́; ſingularem amiſimus. At Deus æterne, q̃ nobis laboris hujus aggrediendi mentem dediſti, idem continuandi atq; abſolvendi facultatẽ præſtato. Ergo theorica illa τεχνολογία, Audomari Talæi fuit, elenctica aũt noſtra, copioſius libris cõpluribus tractata ſunt, eoq́; toto genere omnes induſtriæ nervos intẽdimus, ut quæcunque in rhetoricis Ciceronis & Quintiliani libris documẽta, rhetoricis magnorum oratorũ ornamentis explicandis vel imitandis apta cõgitataq́; viderentur, ea noſtris meditationibus diſtinctam ab inutilibus, & notam differentiam haberent. Duę verò virtutes ꝓpriæ ſunt oratorum, Elocutio & Actio, neq; quicq̃ cum reliquis ingenuis artibus cõmunes: ſed elocutio in veterum oratorum exemplis ſui & cognitionem & imitationem non difficilem cõtinet, ſive troporum gemmas, ſive in verbis delicias veneresq́;, ſiue in ſententiis motus acriores perſequare: Actio autem literis mandari non poteſt, vivos tãtùm geſtus & vocis ſpiritus habet, ideoq́; neque cognitionem neq; imitationem ſui in ſcriptis monimentis ullam perhibet. Et tamen tanto majoris eſt facultatis & eloquentię, quanto mirabilius ſuũ agẽtem Ciceronem attẽdere, quàm ſcriptas Ciceronis actiones legere: Viva illa oratio Senatum, judices, populum Romanum permiſcere, tonare, fulgurare quõdã Romę dicta eſt, quę modo jacet in libris intermortua ac ꝓpe ſepulta. Quid ergo, dicet aliquis, quã nobis in utroq; genere laudis, Rhetoricam polliceris? Equidem ornamenta cujuſvis elocutionis, è nobili aliqua Ciceronis oratione polliceri poſsim, actionem verò, utinã ut animo, ſic manu tenerem: ne illa quidem, quamvis perſuadendi dea, nobis perſuaſerit ut antè ſe dimitterem, quàm populum Pariſienſis Academiæ ad liberales artes audiendum, amandum, amplectendum penitus excitaſſem: Etiamẽ ſi quid è variis poëtarum & oratorum notis & lineamentis ad tãtę virtutis effigiem definiẽdum animadvertere, ſi qd ab illo artiũ omniũ magiſtro uſu perdiſcere potui, id pro mei erga vos officii fide,

fide, prolixe & impenſe præſtare cupio, ne in publico diligẽtiæ, ſedulitatis, induſtriæ judicio, quod in hac profeſsione ſubeundum nobis eſt, tãtùm cauſſæ noſtræ tamq́ neceſſarium inſtrumentum neglexiſſe videar. Atqui ſi duæ artes primæ, Grammatica (inquam) & Rhetorica ſpei atque expectationi veſtræ ſausfecerint, Logica deinceps in eandem palęſtram vocabitur, tãto curæ majoris atq́ operæ ſolicitudinẽ afferens, quanto majoribus antea vigiliis, imò periculis empta partáque eſt, ut merito Naſonis illa quondam querimonia, noſtra quoque hoc tempore querimonia videri poſsit:

Si ſaperem, doctas odiſſem jure ſorores,
Numina cultori pernicioſa ſuo.
At nunc tanta meo comes eſt inſania morbo,
Saxa memor refero rurſus ad icta pedem.

Etenim Deus bone! multa vetuſtatis exempla factaq́ literis & hiſtoriis prodita leguntur, multa à patribus per manus accepta memorantur: nemini tamen artis ac diſciplinæ cujuſquam ſtudioſo, talem tamq́ variis fluctibus exaſperatam dimicationem contigiſſe legitur ac memoratur: Quæ quanvis experienti dura atque acerba accidit, attamen recordanti grata eſt & jucundæ cujuſdam voluptatis plena: meq́ naufragum per ſyrtes & inhoſpita regna jactatum eſſe lętor, ut jactura noſtri diſcriminis, navigatio per ampliſsimum liberalium diſciplinarum oceanum, vobis in poſterum expeditior eſſet ac fructuoſior. Nulla unquam in arte componenda, tot menſes artifici cuiquam præteritos eſſe arbitror, quot annos in Logica catholicis legibus informanda, & ab hominum vagis opinionibus vindicanda, uobis conſumptos eſſe, plerique omnes meminiſtis: Hinc & Logica & Logicæ meditationes libris compluribus, per annos viginti, editione tam varia & emendatæ & locupletatæ, & omni cenſura denique accuratiores ac meliores effectæ? In uſu porrò & fructu, quod caput artis eſt, quantum contenderim, principes illi noſtri, poëtæ (inquam) hiſtorici, oratores, philoſophi per nos logico illo inſtrumento producti in regiam cathedram lucémque publicam, locupletiſsimi teſtes erunt. Atque utinam tantam logicæ dignitatem adoleſcentes diſcendi cupidi ſuſpicant & intueantur, quantam ars ipſa ſerio profitetur, non alias ſané divini cujuſdam luminis ſplendorem partibus omnibus illuſtriorem ſuſpicerent & intuerentur, neq́ tamen ubique perpetuoq́ ſimilem: inventio enim una eſt omni ætate prompta paratáque, & quidem juventuti promptior atque paratior: judicium diſpoſitionis in enunciando, communis ferè ſenſus atque humanitatis proprium eſt: In concludendo autem & è duobus per ſe manifeſtis tertium prius obſcurum diſceptando, ingeniis erudiris & rerum peritis magis eſt conceſſum: At in perpetua legitimi ordinis collocatione, & methodo, vix adhuc poſt homines natos homini ulli, quanvis erudiriſsimo peritiſsimóque. ac ne vix quidem omni laude cumulatum judicium contigit. Atque ut quod ſentio de Logica, dicam, nihil in literis humanioribus altius aut ſublimius adhuc intelligere potui, quo velit aut poſsit cupiditate ſcientię inflammatus animus aſcendere. Si quod in conſtituenda Grammatica, Rhetorica, Logica etiam ipſa, ſi quid adverſus Grammaticorum, Rhetorum, Logicorum opiniones acutius vidimus, Logicæ lumen fuit: Si quid interpretandis bonorum authorum conſiliis variisq́ prudentiæ laudibus explicandis juventuti profuimus, Logicæ lumen fuit: Si quam apud vos veſtrîque generis animos liberali ingenuáque eruditione præditos ingenii famam conſecuti ſumus, logici luminis gratia & commendatione conſecuti ſumus. Rhetorica ornamenta ſemper illa quidem ſum admiratus: at Logicam & in providendo ſolertiam & in judicando conſtantiam incredibili amore vel ardore potius amplexatus ſum. Quid multa? ſi chariſsimis diſcipulis diſciplina meo judicio nobiliſsima & liberaliſsima, à muſis ipſis, artium de quibus loquimur, præſidibus optanda proponeretur, Logicam mediusfidius optarem. Ergo ad tantæ artis & ſcientiam & diligentiam, temporis diuturnitate majore nobis opus eſt, vel ad id tantum, quod tam longa experientia ſolidum & utile cõperi, ut dumos & ſpinas interea in ſuis dumetis ac ſpinetis relinquam: Grammaticæ enim ſanitas & integritas,

Rheto-

Rhetoricę color omnis ac varietas Logicæ prudentiam in luculentis authoribus exornant & illuſtrant. Hæc omnia docenda, agenda, demonſtranda: utque artium antecedentium fructus multiplicatur acceſsione cõſequentium, ſic magiſterii cura profeſsionisq́ provincia cumulatur. Sed iſta vetus militia multis licet antea ſtipendiis emerita, facilis tamen nobis erit, nullàque ætas ab iſto quamvis laborioſæ exercitationis campo nos avocabit, in quo præſertim comites induſtriæ vel duces potius habemus regios linguarũ profeſſores, & hujus univerſæ communis doctrinę magiſtros. Quare agite (Aud.) ἰσθμικοὶ iſti liberalis diſciplinæ in Grãmaticis, Rhetoricis, Logicis carceres, octo ferè noſtræ profeſsionis annos occupavere, quadriennium reliquum in ἀκροαματικῷ ſpatio aſperitates in Academia Pariſienſi ſolæ ac deſertæ, imò ante nos magnam partem in regia cathedra inauditæ vehementius exercuerunt. Mel antea nobis & ſaccarum videbatur præ tetris mathematicorum elemẽtorum abſynthiis. Quindecim Euclidis libri ſunt, quos (ut omnes omnino artes) ſicut uno Logicæ organo contextos eſſe primùm, ſic eodem poſtea retexi poſſe cogitabam: Organum autem illud una imprimis mathematum cauſſa diu multumq́ præcultum nobis ac præparatum eſſe. Quare perſuaſione hac inductus nihil reputans quot & quantæ mathematum per ſe obſcuritates eſſent, prompto atque alacri animo ad decimum uſque librum penetravi, ſed immenſa ſubtilitate operis illius, licet eruditiſsimis P. Montaurei vigiliis explicati & illuſtrati, tamen ſic exercitus ſum (dicam enim libere in cathedra præſertim laboris illius conſcia) ut quodam die cum binomii & reſidui cujuſdã demonſtrationem ſumma animi intentione, corpore horam integram idem veſtigium premente nondum concluſiſſem, ſenſerim collo nervos obriguiſſe: tum verò abacum radiumq́ abjeci, indignatúſque mathematis ſuccenſui: quod ſui ſtudioſos & amatores tam acerbe cruciarent: pudor tamen deſiſtere vetuit, illuſusq́ tanquam titubationis offenſione vehementius irritatus & decimum librum devoravi, perque reliquam pyramidum, priſmatum, cuborum, ſphærarum, conorum, cylindrorum regionem ire perrexi: Quinetiam emenſis elementorum ſcopulis, Theodoſii ſphærica, & Archimedis cylindrica tota perlegi: Apollonium, Serenum, Pappum meditabar, paucíſque menſibus per reliqua Geometriæ myſteria pervaſiſſem, niſi curſus induſtriæ, imò verò pene vitæ nobis abruptus eſſet. Sed per Deum immortalem, ſinite me (Auditores) fatalem neſcio quam rerum hominumq́ calamitatem ætati noſtræ miſerã maximè, maximeq́ miſerabilem, poſteritati etiam (ut hiſtoriam fideliſsimam nanciſcatur) tamen incredibilem, ſilentio præterire, potiusq́ inſtitutæ orationis argumentum poſtulate, quænam interea vigiliæ noſtræ fuerint, quid elaborarint. Acceptis igitur à Rege literis, ad Regiam Fontisbellaquei bibliothecam profectus, mathematicas ſuperiorum temporum prælectiones ab initio plenius & uberius retractavi & conſideravi, momentaque ponderum ſingulorum diligentius examinavi, excitaviq́ imprimis geminum illud Logicæ organum ſolida quidem matheſi ordinanda & componenda, otioſa autem matheſeos ſubtilitate rejicienda & refellenda: Itaque de quindecim libris elementorum plerique toti in Arithmeticam paritatis, perfectionis, compoſitionis, ſymmetriæ, differentię, rationis, proportionis ſeceſſerunt, commoditates in omnibus humanæ vitę partibus ſingulares libris quatuor complexi, reliqui ſeptem & viginti geometrię libros explevere ad omnium figurarum latera & areas metiendum: Qui uſus tam late fuſus eſt, ut multarum artium, non unius eſſe videatur: Nam dũ regit agrorum fines Nili inundationibus obrutos, dum ſpatiorum locorũq́ omnium longitudines, latitudines, altitudines metitur, Geometria vulgo & Geodeſia dicta eſt: dum vicorum & oppidorum vias ædificiaq́ deſcribit, archi tectura appellatur: dum turres ambulatorias, muſculos, vineas, arietes machinatur, ὀργανικὴ, μηχανικὴ, θαυματοποιητικὴ nuncupatur: dum inſtruit aciem cuneatam, quadratam, rotundã, nominata eſt τακτική: hęc enim cõpluráque alia geometricorum operum vocabula

bula ſunt, ſolamq; Geometriæ facultatē ſignificant: Itaq; geometricis iſtis laudibus clariſsimi geometræ perhibentur Architas Tarentinus bellator ipſe præclarus & quinquies prælio victor: Archimedes Syracuſanus adverſus Romanū exercitum pro ſua civitate propugnator mirificus: Eudoxus Cnidius atque innumerabiles alii, quorum artes Alexandro, Hannibali, Cæſari cæteriſq; magnis ducibus alienæ gloriæ artifices fuerūt. Habet igitur magnas utilitates geometria, ſed voluptates etiam partibus infinitis majores habet, quibuſq; ſimile nihil in alia ulla diſciplina reperietur: neque enim grammaticus, rhetor, logicus, alioqui etiam phyſicus & ethicus invētu in arte ſua novi lætitia elatus, immolaſſe diis memoratur. Quapropter attendite inſolita cæteris artibus gaudia. Thales Mileſius cum trianguli in circulo inſcriptionem inveniſſet, bovē diis immolavit: Eadem lætitia geſtiens in Perſeo fuit ob helicum inventionem dæmonas propitiante: Sic Pythagoram penultimi primo Elementorum libro theorematis inventio affecit, ut muſis pariter ſacrificaret: nec verò minor Eratoſthenis voluptas fuit, inventam cubi duplicationem velut anathema ſacrum in deorum templo ſuſpenderit: Tales nimirum voluptatum ſirenes Archimedem devinxerant, cum ob deprehenſum in aurea regis corona, aurificis furtum nudus è balneo proſiliit, totaq; urbe corporis immemor, animi memor exclamavit Εὕρηκα, Εὕρηκα: cum deſcribēdis quarundam machinarum figuris tam attentus eſſet in pulvere, ut tumultum captæ urbis nō ſenſerit: quæ omnia primus meditationum mathematicarū liber latiſsime perſequitur. Quare hi ſunt geometriæ fructus, quos de ſolerti & ingenioſo muneris hujus profeſſore collega noſtro uberes & copioſos Academia percipit, copioſiores & uberiores perceptura, ſi à menſoribus, architectis, militibus, mechanicis cæteriſque geometricis hominibus geometriæ uſus ad geometriæ ſcientiam acceſſerit. Sed hactenus apodictica mathemata libris viginti comprehenſa: Elenctica verò materiam & ſi diſsimilem ſuperiorū, quia in mathematis falſum haud temere quicquam reperias, tamen vix credibilem attulerunt. Multa deſunt in Elementis, nec ſuperſunt pauciora: ſed in ſyllogiſmo & methodo præcipua infinitæ obſcuritatis cauſſa verſat̄: ſyllogiſmus enim ſæpe definitiones, partitiones, poſtulata, cōplexiones etiam ſyllogiſmorum demonſtrat, raro concludit ex cauſſa propter quam res eſt, perpetuò fere per impoſsibile aut ſimile ſingularis exempli: alicubi etiam rem alienā. Methodus verò è duabus elementorum artibus Arithmetica & Geometria, Geometriam natura poſteriorem primo & ſummo loco, Arithmeticā natura priorem medio conſtituit: principia generum non generatim attexit, ſed accumulat initio omnia: genera ipſa numerorū & magnitudinum generumq; ſpecies ὕστερον πρότερον contra omnem logici ordinis legem permiſcet, ut unicū veri quocunq; argumento concludendi ſtudiū, elementorum magiſtris fuiſſe videatur, apodictici argumenti, logicæ methodi cura prorſus nulla, ut tertio mathematicarum meditationum libro copioſius expoſui. Quare hæc mathematica in cervorum ſolitudine ac ſylva meditatio unius & triginta libris illuſtrare voluit mathematicæ nō ſolùm veritatem perſpicuam, ſed explicatam utilitatem, ſed animi maximè propriam voluptatem, ut tam nobilem tamque liberalem artē ſublatis illis ingeniorum crucibus facilem & expeditam ſuo tempore perciperetis. Verùm perge, quoniā deinde perventum eſt: θαυμάσια quæ Ariſtoteli dicuntur, numerorum & magnitudinum mathematis ſucceſſere, ad Ptolemæi aſtrologiam me contuli, divinique operis authores ab eo citatos Ariſtillum, Timocharem, Ariſtarchum, Eratoſthenē, Archimedem, Soſigenem, Agrippam, Menelaum, & imprimis illum nunquā ſatis laudatum Hipparchum, ipſum denique principem Ptolemæum tāquam divinos homines ſuſpexi & colui, cumque poëta illo egomet mecum reputās obſtupui,

Felices animæ! quibus hæc cognoſcere primum,
Inq; domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt illos pariter vitiiſq; jociſq;
Altius humanis exeruiſſe caput:
Non Venus & vinum ſublimia pectora fregit,
Officiumve fori militiæq; labor:

Nec levis ambitio perſuſaq; gloria fuco,
Magnarumve fames ſollicitavit opum.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,
Aetheraq; ingenio ſuppoſuere ſuo.

Attamen ex illo cœleſti divinoq; opere unam difficultatis infinitæ cauſſam libentiſsimè ſuſtuliſſem, multitudinem eccentricorum & epicyclorum naturæ ipſi planè atque apertè repugnantem, ut Aſtrologia ſicut artes reliquæ omnes primis obſervationibus & experientiis tanquam principiis & primis cauſsis uteretur, neque earum per commentitias præſertim, imò principiis ipſis contrarias hypotheſes demõſtrationem quæreret: eſſet enim Aſtrologia, ſi locum ſideris cujuſque & motum geometricè, ſi motum & tempus arithmeticè è nudis ac ſimplicibus experientiis metiatur, nõ multo difficilior mathemata teneri, quàm quævis hiſtoria: fieri autem poſſe, res ipſa facta certo argumẽto eſt: obſervatio enim & obſervationis calculus præceſsit hypotheſes, & tertio fere quoque ſeculo poſteaquam conſtitutę ſunt, ſemper in his aliquid immutavit & emendavit. Atqui hanc tantæ artis facilitatem optare poſſumus, præſtare autẽ, niſi è fortunatis illis ac felicibus animis nulla poteſt, quales una Germania permultas adhuc aluit, aliteq; hoc etiamnũ tempore, quæq; ſpem noſtræ valde propinquam pollicentur ſublatis infinitarum tabularum centuriis, totoq; aſtrologico opere ad geometricum radium & arithmeticum calculum revocato: ſed per epicyclos & eccentricos, quos tamẽ nõ magis in Aſtrologia eſſe velim, quã natura in ipſis aſtris eſſe voluit. Macte igitur cœleſti virtute cœli, interpres, quicunque tantùm hominũ generi munus obtuleris. Sed aſtrologica illa uti diximus, optati & voti ſunt. Ea verò quæcunque erant adhuc fixarum ſtellarum & planetarum theorematis expoſita, artificii noſtri methodo ſummatim collegimus, ut aſtrologia poſſet paulo & brevius & facilius percipi. Quid tũ poſtea? quæ pars diſciplinæ liberalis ordine cõſequitur? Pondus corporibus cælo ſubjectis attribuitur: Itaque de ponderum æqualitate *ἰσοῤῥοπικὰ* Archimedis, partis hujus cauſſa, ſed leviter animadverſa ſunt, tantùm ut ſuo loco notata nobis & ſelecta eſſet doctrina. Optica verò, quæ propiora de phyſicis & *μαθηματικώτερα* eſſent, curioſius & attentius digeſsimus: *ἁρμονικὰ* tantùm ut *ἰσοῤῥοπικὰ* notatis præcipuis ejus doctrinæ authoribus Ariſtoxeno & Ptolemæo ſepoſuimus. Atque hæc meditantem ſolitudo cervorum noſtrorum ac ſylva diutius occulere non potuit: In Italiam tum cogitavi, quo nos Bononia tã honorificè invitarat, ut me Bononienſibus perpetuò devinctum exiſtimem: In Germaniam noſtris illis mathematũ amoribus chariſsimam ſæpe reſpexi, ſed viis omnibus terror mortis intentus ac pavor, rumor etiam Prælei noſtri indignis modis direpti, tum bibliothecę clariſsimis quibuſque rebus ſpoliatæ ac depopulatæ ad regiam Vincennarum propius urbem revocarunt: quin alia vis etiam gravior accidit, ut è Vincennis per invia itinera profugiẽdum eſſet, & ſubinde variis in locis deliteſcendum: in fuga tamen & latebris otiũ lucemq; reperi: Octodecim primos phyſicæ ariſtoteleæ libros ſtudioſè pervolvi, perſcripſiq; curioſe ſingulis in libris, quid probandum nobis & improbandum videretur. Fuit verò à mathematicis meditationibus venienti, phyſicarum meditationum materies non tam difficilis & obſcura, quàm multiplex & copioſa: Eſt enim philoſophia hæc Ariſtotelis, maximam partem vel alienis rebus referta, logicis præſertim & geometricis, vel adverſus phyſicos veteres elenctica: apodictico generi in conſtituenda phyſicæ ſcientia minimùm loci eſt relictum. Sed hanc philoſophiam, ut alia his etiam majora, prælectiones doctiſsimi collegæ mei Adr. Turnebi perpurgabunt atque illuſtrabunt. Hactenus perveneramus, cum pax optatiſsima afflictam tot ærumnis & proſtratã Galliam reficere & recreare cœpit: Reliqua autem phyſica, fructum uberiorem pollicentur, ſicut Ethica, quæ jam ante regiam profeſsionem præculta nobis & meditata ſunt, & in adverſariis noſtris pulverulenta, manum extremam jamdudum expectant. Sed utraque tum Phyſica, tum Ethica uſu vitæ ac utilitatis ſuæ modò definita terminataq; ſunto, rejectisq; elencticis omnibus, artes tantùm apodicticas & ſolidas juventuti proponunto, ut omnium liberalium artium, ſicut propoſui, non ſolùm inventor,

ventor, ſed moderator & cenſor uſus habeatur. Quamobrem, ut perorēmus, habetis (Aud.) quid annos duodecim in regia liberalium artium profeſsione cōtenderim, qualemq; earum inſtitutionem in Academia Pariſiēſi florere optarim: ut verò ſumma gloria floreat, Deus opt. maxim. inchoatam pacem ſtabiliat & confirmet,

—Satis jampridem ſanguine noſtro,
Laomodonteæ luimus perjuria Trojæ:
Quippe ubi fas verſum atque nefas, tot bella per orbem,
Tam multæ ſcelerum facies.—
Neq; enim ſolum
Hinc movet Oceanus, illinc Germania bellum:
Verum etiam,
Vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes
Arma ferunt, ſævit toto Mars impius orbe.

Deum igitur optim. maxim. iterum iterumq; oro & obſecro, ut tam exitiabili funeſtoq; bello penitus extincto, Galliæ ſuæ pacem pacisq; alumnis liberalibus artibus ſempiternam largiatur, earumq; amore quotidie magis ac magis incendat Carolum Regem, quem chriſtianiſsimo regno egregia indole naturaq; præſtantem dedit, Caroliq; Regis fratrem Alexandrū virtutis amore germaniſsimum, deinde reliquos regi proximos principes, tum, ut magiſtratibus hujus ampliſsimæ civitatis ac rectoribus, deſiderium hoc & ſi per ſe magnū, tamen vehementius augeat. Reliqua cohortatio in nobis eſt: mihi verò ita reliquam in poſterum vitam felicem jucundamq; deprecor, ut promiſsi hodierna ſponſione muneris fidem integerrime liberare aveo. Vos igitur pro veſtra parte meecum diligentia, amore, alacritate, perſeverantia deniq; contendite: ut liberales artes pari liberalitate & nos docuiſſe & vos didiciſſe ſit utriſque noſtrū aliquando memoria non ſolùm fructuoſa, ſed honorifica memorabile ac prædicandum.

DIXI.

P. RAMI ACTIONES DVAE, HABITAE IN SENATU, PRO REGIA MATHEMATICAE Profeſsionis cathedra.

CHRISTOPHORO TVTHAEO ſummo Pariſ. Senatus Præſidi, P. Ramus S.

CVM ad 5. Id. Mart. quæſtio mathematicæ profeſſionis ex nuda rerum veritate corã paucis Senatoribus propoſita à nobis eſſet, & contrà verboſiſsimé eſſet reſponſum: 3. Id. quò rejecti eramus, poſtulavi abs te, ut publica cauſſa publicè ageretur, apertisq; Curiæ foribus, populus Romanus hæc exaudiret. Id exemplo novo, imò ſingulari in liberales artes ſtudio, cùm nobis conceſſeris, præclari facti laudem æterna poſteritatis memoria dignam judicavi. Multa in te ſunt pleriſque civibus admirabilia, Præſide patre natum eſſe: magnis opibus non ſolùm patrimonio relictis, ſed induſtria auctis & amplificatis abundare: oratorem, cùm te curſus ingenii tui in agendis cauſsis exercuit, clariſsimum fuiſſe: nunc Senatus ampliſsimi authoritate principem eſſe: At mihi mirabilius eſt, te ſingulari quodã animi vigore præſtantem, juris dicundi aſsiduitate ac diligentia lõgiſsimè præſtare. Primus manè, primus à meridie Senatũ ingrederis: controverſiasq; plurimas frequenter antè cõpoſuiſti, quàm pleriq; è cubiculo vel triclinio exirent. Hæc una è Ciceronis virtutibus eximia fuit: Neminem (ait ipſe de ſe) à congreſſione neque janitor meus, neque ſomnus abſterruit: nihil per cubicularium: ante lucem inambulabã domi. Ergo Ciceronianæ hujus gloriæ fructum aliquẽ etiam à mathematicis Muſis accipies, ſi æquitate tua profeſſorem ſuum recuperarint. ſed, ut ſpes eſt è Proœmio reformandæ Pariſienſis Academiæ cõcepta, multò jucundiſsimum atque ubertimũ fructum ab omnibus omnium diſciplinarũ Muſis accipies, cùm ſuis facultatibus ac ſtudiis doctores inſtitueris, qui tãtæ Academiæ nomini ac dignitati reſpondeant.

P. RAMI ACTIO *PRIMA*,

PRO REGIA MAthematicæ profeſsionis cathedra, habita in Senatu 5. Id. Mart. anno 1566.

MAGNAM animo lætitiam capio, P. C. quòd in ampliſſimo orbis terrarum Senatu, ampliſsimæ quoque in orbe terrarum Academiæ cauſſam diſceptari videam. Multa per annos ferè quadraginta in Academia Pariſ. vidi, multa audivi: nihil tamen hujus facti ſimile videre me vel audire cõmemini. Homo qui in græcis & mathematicis literis nihil unquam didicit, audet tamen græcam & mathematicã profeſsionem poſtulare. Adeſdum Græcè & Mathematice noſter, P. Ramus ait te ἀναλφάβητον & ἀγεωμέτρητον eſſe, idq; teſtimonio tuo in libello tuo omnibus contumeliis referto confirmat: ubi cùm tibi ab Arnaldo Oſſato græcarum literarum & mathematũ ignorantia objiceretur, hoc modo reſpondes: Sum ἀναλφάβητος, ἀγεωμέτρητος, agnoſco hoc quoq. Quòd ſi rhetoricè dictum id ais eſſe:

eſſe, profero græcum Euclidem in Dampeſtra anteceſſore tuo vindicem regiæ cathedræ: qui hîc palàm clamat, te non ſolùm græcæ literaturæ imperitum, ſed mathematicæ prorſus ignarum eſſe. En igitur in medio Euclides: res hîc Pythagorea & mathematica agitur: Rhetorica vel Demoſthenis, vel Ciceronis hîc nihil opus eſt: radio & pulvere res eſt demonſtranda: ſi potes hîc vel unam propoſitionem legere & explicare, tuus ſum futurus. Quamobrem P. C. peto à vobis, ut veſtrum S. C. ut Regis mandatum, id eſt, Academiæ ſtatum confirmens.

P. RAMI ACTIO *SECVNDA*, PRO REGIA MAthematicæ profeſsionis cathedra, habita in Senatu 3. Id. Mart. Anno 1566.

QUOD à Deo Opt. Max. in ſuſcipiēdis rebus & obeundis deprecandū & obſecrandum eſt; P. C. id in primis hoc tempore deprecor & obſecro, ut lumina mēti meæ præferat ad ea dicendum, quæ cauſſæ, quæq; auribus veſtris conſentanea videantur. Deinde à vobis peto, ut ſi in hac cōtentione homini è ſcholaſticis umbraculis in tam ſplendidam, tam illuſtris Senatus lucem prodeunti, deq; ſcholaſticis rebus differenti, verbū aliquod alienum atque in tanto conſeſſu inſolens exciderit, veniam pro veſtra æquitate & ſapientia tribuatis. Meminiſtis quid nudiuſtertius à nobis propoſitum ſit, & quid contrà reſpōſum. Morte Paſchaſii Hamelii, alter è duobus regiis diſciplinæ mathematicæ profeſſoribus deſideratur: Hamelio Dampeſtra Coſellus Siculus ſucceſſerat: ſed excitatus à nobis pro tribunali regiotū patronorum, cùm palàm demonſtraſſet, quàm ea profeſsione indignus eſſet, S. C. factum eſt, ut homo examinaretur: Homo itaque Siculus, examen tanquā in freto Siculo Charybdin aut Scyllam refugiens, ſucceſſorem ſibi quæſivit, mathematica quidem lōgè inferiorem, ſed audacia & factione ſuperiorē: qui quanvis ἀναλφάβητος & ἀγεωμέτρητος ſua ipſius confeſsione palàm teneatur: tamē audet etiam apertè in regiam mathematicæ, imò etiam philoſophię, quanvis nulla vacua ſit, profeſsionis cathedram invadere, & examē recuſare. Quapropter ut quæſtio clariùs & intelligētiùs explicetur; dicam de mathematicis artibus primùm, ut inde mathematicus profeſſor nobis definiatur: tū ad Dampeſtræ ſucceſſorem veniā. Matheſis igitur græcum verbum, diſciplina Latinis appellatur: nomenq; artium omnium cōmune, generis unius in Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, Muſica propriū certo quodam laudis privilegio factū eſt: non ſolùm quia præ cæteris artibus ingenuis, doctoris lumen requirerent, ſed quia antiquiſsimæ diutiſsimæq; ſolæ artes hominum ad humanæ vitæ propriū cultum uſumq; fuerint. Etenim P. C. veterum patriarcharum Adami, Noëi cōtemplationes illæ, ut Joſephus in antiquitate Judaica author eſt, primò fuerunt, cùm vita illis eſſet & longiſsima, & ab omni avaritia atq; ambitione remotiſsima. Itaq; ut idem author affirmat, cùm mathematicis obſervationibus futuram inundationem prævidiſſent, qua peritura in terris eſſent omnia, ſolliciti de tanto ingeniorū patrimonio ad poſteritatem traducendo & propagando; inſcripſerūt mathemata duabus ingentibus columnis, quarū altera ad Veſpaſiani uſq; imperium ſuperfuit. Aſſyria igitur prima diſciplinarum mathematicarū ſchola, ſanctos illos & divinos profeſſores ac magiſtros habuit. Abrahamus deinde (ut Euſebius ſcriptum reliquit) poſt diluvium cùm in Aegyptum veniſſet, Aegyptios ſacerdotes mathematicam ſcientiam docuit. hic ſecūdus mathematum ludus, hæc ſchola altera fuit, Pharaonibus tam chara jucūdaq;, ut publicus ager in ſtipendium mathematicæ profeſsionis ſacerdotibus aſsignaretur. id Moſes, id Ariſtoteles teſtati ſunt. Tum verò in Græciā Thales & Pythagoras ex Aegypto mathematicas artes mare traduxerunt, primiq; Græcos ad ea ſtudia incenderunt. Sed Platonis ante omnia in Italiam Aegyptùmque

navigatio, mathematicas artes excitavit & illuſtravit: Etenim cùm peſtilentia Delum vaſtaret, conſultusq; Apollo, duplicandum altaris ſui cubum reſpondiſſet, neque cubis duobus in unum compoſitis, lues ceſſaret: quæſitus eſt Delii de duplicando cubo problematis interpres. Plato univerſæ Græciæ judicio vates hic fuit, lætusq; oraculo, Græcos reſpondit ab Apolline coargui, quód Geometriam ignorarent: Eſt enim in ſolidis ſummum problema de duplicando cubo: ut in planis, de quadrando circulo. Itaque Platonis epiſtolæ ex hoc argumento volare non in Italiam ſolúm & Aegyptum, ſed in univerſam Græciam, ad omnes mortales mathematicis ſtudiis inflammandum. Tertius igitur mathematicæ profeſsionis ludus in Græcia Italiaq; fuit, Academiaq; Platonis mathematicas artes, ſi quid Eudemo ac Proclo credimus, perfecit atque abſolvit. Verumenimveró mathematica in Aſſyria, Aegypto, Græcia, Italia honore iſto culta ſit: patriarchas Hebræos, ſacerdotes Aegyptios, philoſophos Græcos magiſtros, Apollinē denique tanquam profeſſorem habuerit: utilitas fortaſſe potiús, quàm quælibet ingenii nobilitas requiretur: agedum, ex infinito flumine rivulum aliquem derivemus, deque Arithmetica & Geometria, quibus verior puriorq; matheſis continetur, paucula de plurimis commodis proferamus. Mathemata valent ad contemplandum & omnia intelligendum: oculos ideo mentis Plato nominavit: quibus multó plura, quàm decem millibus oculorum, perſpiciantur. Sine his oculis in Platonis ipſius, in Ariſtotelis philoſophia interpres nihilo plus viſurus ſit, quàm in ſpelunca Polyphemus ab Ulyſſe occæcatus. Verúm, ne ſemper Academiā meditemur, agite, egredior é ſchola: ampliſsimam populi Pariſ. Lutetiam, mathematicarum utilitatum teſtem proferamus: ingrediamur in urbem via Dionyſiaca: via eſt urbis illa regalis, diviſsimis mercatoribus frequentiſsima: hoc hominum genus non modó cum provinciis ampliſsimi regni omnibus, ſed cum mercatoribus Italis, Hiſpanis, Germanis, Flandris, Britannis, quotidiana commercia exercet, varietate magna prorſus & diſsimilitudine numiſmatū, ponderum, menſurarum. Interroga igitur quánam arte freti, difficultates iſtas explicent: reperies Arithmeticæ primas & ſummas ſubtilitates in commutationibus & comparationibus illis adhiberi & exerceri, mercaturamq; Arithmeticam totam eſſe: quo in genere, Trapezitarum nummatio gazaque penitus occupatur. Progredere veró à regali illa via Palatium verſus: occurret pons aurificum, non tam tignis & trabibus ſolidus, quàm auri atque argenti pondere gravis. Interroga alterum hoc hominum divitum genus, qua ſcientia aurum cum argēto, utrumq; cum ære metallove alio miſceat ac temperet, aut jam miſtum & temperatum exploret ac ſeparet: Archimedis diſcipulos in coronis aureis eſſe dices: ſic alligationis proportio ab illis ſubtiliter & acutē tractatur. Jam propiús in ipſam Palatii arcem aſcendito, & honoratum illud fortunatumq; regiarum rationum collegium conſiderato, Curiæq; abacos & calculos introſpicito: nil niſi Arithmeticam quandam in toto illo ſplendore, nil niſi Arithmeticos magiſtros recognoſces. Verūm ſi in Regis ærarium penitus introieris, in eoq; diviſores, quæſtores, judices attentē animadverteris, in conſtituendis per provincias æqua ratione vectigalibus, in colligendis & comparandis, in æſtimandis generibus rationum omnium & dijudicandis, mirabere Arithmeticæ artificio tantas utilitates & cōmoditates in hominum vita comprehendi. Quid vis amplius? Ingredere in hóc inauratum ſupremæ Curiæ templum, regali quadam majeſtate ſuſpiciendum & admirandum: quid in iſto ſolio judex ſine proportione modó arithmetica numeri, modó geometrica dignitatis efficiet? hoc enim examine lanx utraque juſtitiæ in æquamento & libramento partium, tanquam radiorum æqualium, & æquitate juris æquiponderantium conquieſcit. Quid in controverſiis herciſcundæ familiæ, dirimendi lucri, damni, conſimiliúmque litium, ubi partes ſæpe toto dividuo ſunt majores: quid (inquam) in hiſce judiciis judex, ſine aurea compoſitæ proportionis regula judicet? ſi exactam verborum ſcripturā potiús, quàm

ſententiæ

ſententiæ analogiam ſequatur, quam é ſummo quod putabit jure, ſummam in juriam faciet? Ergo in ſummo civitatis gradu, Arithmetica velut Aſtræa, erit nō modó extremi juris magiſtra, ſed æqui bonique arbitra. Quamobrem ſi utilitas tot tantiſque opibus æſtimanda eſt, quot & quantas Arithmeticę utilitates æſtimabimus? Adeſdum, Geometriæ utilitas jam requiratur: hæc enim matheſis præcipuè inutilitatis crimine appetitur: Agedū, & Geometriæ uſum uindicemus. Geometria, dicet Ariſtoteles, motus & quietis in tota rerum natura inſtrumentum continet: Omnia quieſcunt rectis angulis, moventur obtuſis vel acutis: rotunda ad motum volubilitate promptiſsima ſunt: ad ſecandum autem acuta: quadrata ad quietem & ſtatum ſolidiora. Itaque idem ille ingenii & doctrinæ magiſter Plato, non ſine magna inſigniq; cauſſa ſcriptum reliquit, τὸν θεὸν μάλιστα πάντων γεωμετρεῖν. ſed illa naturę divinioris geometria fuit: noſtra hæc humana ars, ſpatia longitudinum, latitudinum, altitudinum, in terris primùm dimenſa eſt: deinde relictis terris, aſcendit in cælum, corporumq; cæleſtium terminos Orientis, Occidentis, meridiei, ſeptentrionis punctis terminavit: ſtellis ſingulis domicilia definivit, indeq; rurſus in terras conversa, Europam, Africam, Aſiam, Americam, omniaq; imperia, regna, oppida, montes, flumina, circulis tum parallelis, tum concurrentibus meridianis deſignavit. Sed Lutetiā redeamus, & propoſitum exemplum ſequamur. Dixi antea mathemata duo, duos humanæ mētis oculos eſſe: dico Geometriam, hominis utranque manum eſſe. Circunſpice igitur in hac urbe urbium maxima celeberrimaq;, templa ſacerdotum, palatia regum, privatas ædes ſingulorum civium: & quære, quibus tandem manibus iſta omnia constructa ſint: geometricis invenies: Architectura enim nil niſi in lapidibus & lignis Geometria eſt. Excute pictores, ſtatuarios, atque uno nomine, mechanici generis opifices oēs: nil niſi geometras invenies, & mechanicam, doctore Ariſtotele, Geometriæ praxin eſſe deprehendes. Sed pacis ornamenta hæc ſunto: belli ſubſidia nullane geometricis hiſce manib. comparantur? Imo veró converte oculos ad armamentarium illud regium, ad ripam introeuntis Sequanæ collocatum: omnes illos Vulcani Brontes Steropesq; & Pyracmonas, Geometriæ miniſtros invenies. Imo veró Geometria caſtrametaē, ordines inſtruit, præliatur, victoriis ſuis Reges & Imperatores conſtituit. Quapropter Arithmeticæ utilitates magnæ illæ quidem ſunt, ſed Geometrię utilitatibus nihilo majores. Prætereo cōmoditates Aſtrologiæ innumerabiles, cùm in omni natura, omnium rerum ſemina inde oriantur. Non commemoro Muſicæ fructum pluribus, cùm Homerus ille philoſophorum Plato dixerit, mutatis muſicis concentibus, civitates quoque & Reſp commutari. Quamobrem P. C. intelligitis quanta de re, quâmque antiqua & inſigni, quâm commoda & utili hoc tempore contendimus. ut inde mathematici profeſſoris ideam ac ſpeciem metiamur: definiamus animo doctorē tantæ doctrinæ Latinis, ſed Græcis præcipuè literis eruditum, verſatum in Euclide, Archimede, Theodoſio, Apollonio, Pappo, Ptolemæo, Ariſtoxeno: uſu aſsiduo & longo confirmatum: qui non ſolùm ex eorum fontibus mathematicam haurire, ſed emendare, corrigere, meliorem denique facere commodioremque poſsit: Etenim nulla ſeges tam fertilis ac fœcunda unquam fuit, quin vitioſas herbas quibuſdam locis haberet. Una veterum omnium ſapientum ſapientia fuit é mundi quinque partibus tres inhabitabiles eſſe, duas extremas frigore eſſe rigidas, mediā æſtu torridam. At mercatorum & nautarum literas ignorantium experientia ſapientiam illam refutavit. Cui errori, ſexcenti in qualibet doctrina ſimiles ſunt. Enimveró vetus illa veraq; philoſophia fuit, nihil temere cuiquam quantumlibet excellenti philoſopho credere, nihil aſſentiri: ſed hominū vitæ magis apta, magiſq; congrua quærere: Et illa per annos quinque & viginti contentio noſtra adhuc eſt, inſtitutionem liberalium artium uſu, uſu (inquam) metiendā, corrigendam, ſtabiliendam eſſe: vanoſq; latratus imperitorum hominum contra eſſe, clamantium á nobis antiqua omnia alienari, nova confingi: hunc ſiquidem in philoſophando modum

Socrates, Plato, Ariſtoteles tenuere. Novi interpretes neſcio qui, non ipſi vel judicio, vel uſu ullo philoſophi, ſed philoſophicæ cujuſpiam ſectæ ſervi, magnam ſibi philoſophiæ laudem propoſuerũt, ſi modó vix milleſimam partem intelligerent eorum, quæ ab uno aliquo philoſopho eſſent relicta. Hæc veró philoſophia, vel ignavia potiús & inertia nova eſt, imó veró etiã barbaria inſignis, cui vel literarum accurata pronuntiatio barbara videtur. Quapropter mathematicus profeſſor, præſertim regius, literas Latinas & Græcas, Rhetoricam, Logicam, non inanem & ſophiſticam, ſed ſolidam & populari uſui congruentem præcipué didicerit & exercuerit: tũ in hoc noſtro pulvere mathematico ita præſtet atq; excellat mathematicarum rerum cognitione, experientia, uſu, aſsiduitate, ut Euclidem, Archimedem, Ptolemæum, & reliquos illos mathematicæ ſcientiæ principes heroasq; non interpretari ſolúm, ſed corrigere & emendare per ſe, arteſq; ipſas ordine commodiore tradere & inſtituere poſsit: Hunc enim profeſſorem Academiæ tantæ dignitas, eruditiſsimi ſeculi nobilitas, Regis præſtantiſsimi majeſtas in primis requirunt. Hactenus P. C. profeſſor mathematicus adumbratus nobis eſto: ad Dampeſtræ ſucceſſorem venio, & conſiderare incipio, quibus tandem vectibus, & machinis, & quarum virtutum inſtrumentis tantum pondus onuſque ſuſtinere poſsit. Sic enim primum ſtatuo, Dampeſtram præ Dampeſtræ ſucceſſore in mathematicis rebus Archimedem quendam eſſe: ut ſi anteceſſor veſtro judicio juſté ſit ad examen appellatus: ſucceſſor, quãvis modis omnibus recuſans ac reſiſtens, tamen multó juſtiús appellari debeat. Agedum mathematice, attende quid contra te pro regio collegio dicam: Dico & affirmo, te regia & philoſophiæ & mathematicæ cathedra indigniſsimum eſſe: & ſi digniſſimus eſſes, tamen publicum tibi examen eſſe ſubeundum. Etenim ut de primo primum dicam, peto á vobis, P. C. ut recordemini, quid profeſſor noſter reſponderit, cúm ἀναλφάβητον & ἀγεωμέτρητον eum eſſe affirmarem, Euclidemq; Græcum, ad ejus affirmationis fidem, proferrem: Teſtes igitur eſtis, ut Ariſtotelem Latinum poſtularit, coactusq; ſit confiteri, ſe in mathematicis adhuc verſatum non eſſe: ſed pro dexteritate ingenii, trimeſtri ſtudio ſe mathematicę profeſsioni ſatisfacturum: imó etiam addidit, ſe mathematicos omnes ſuperaturum. Habemus igitur, quod impenſiis nobis agendum ac demõſtrandum fuiſſet, confitentem candidatum de græcæ literaturæ, deque mathematicæ ſcientiæ ignorantia. Ac ne mira cuiquam iſta ſit tam contraria in hac quęſtione confeſsio, ſic exiſtimate, P. C. homini jactationem in iſta ignorantia etiam popularem videri: tanquam ſtudia rerum minimé neceſſariarum, ſingulari aliquo judicio deſpexerit. Quare maneat in cauſſa, philoſophicæ & mathematicæ profeſsionis candidatum, ipſius clariſsima confeſsione & voce, nominatim mathematum ipſorum, & græcarum literarum imperitum & ignarum eſſe: unde concludo, non ſolúm à mathematica, ſed etiam á philoſophica profeſsione procul amandandum eſſe. Etenim definitionis illius platonicæ & ariſtotelicæ lumina repetantur: mathemata, oculos animi eſſe, ſine quibus in philoſophia nemo plus videat, quám occęcatus ille Polyphemus in ſpelunca. Itaq; tantum abeſt, ut hunc noſtrũ Plato doctorem Academiæ præfecturus ſit, ut ne auditorem quidẽ ſit admiſſurus: Scitum enim illud, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, Nemo geometriæ ignarus huc ingrediatur. Ariſtoteles veró non ſolúm mathematicis exemplis philoſophiam totam referſit, ſed mathematicis fundamentis præcipuas philoſophiæ ſuę partes ſtabilivit, ut hic philoſophus intelligi nullo modo poſsit, niſi ab eo, qui in omnibus mathematicę ſcientię partibus verſatus ſit. De gręcis autem literis plura hîc non diſputo, cúm omnes ſciant, philoſophiam nullam eſſe admodum niſi gręcã, neque eam ab ignaro gręcę linguę magiſtro pro dignitate tractari atque explicari poſſe. Quę cúm ita ſint P. C. concludo, Dampeſtrę ſucceſſorem philoſophica & mathematica profeſsione indigniſsimum eſſe. At pro dexteritate ingenii tui, tribus menſibus tantũ in mathematicis progreſſum facies, ut mathematicos oẽs longiſsimé ſuperes? Quid audio? Homo humanitatis

expers, nihilne te commovet vox illa Baptiſtæ Menilii oratoris Regii? hujus enim ſingularis eloquentia cum pari prudentiæ laude conjuncta, cùm in cæteris actionibus publicis, tum in duabus Academiæ cauſsis, Jeſuitana nuper illa, & hac modò mathematica, præcipuè enituit, beneficioque ſempiterno univerſam Academiam ſibi devinxit atque obligavit. Nihilne te (inquam) vox illa commovet? Etiámne Tullianum illud contra te à tanto oratore joco uſurpatum, ſeriò tamen uſurpabis? triduo mathematici juris conſultus fies? Cavete vobis P. C. ſiquis Senator deceſſerit, homo quàvis legum omnium prorſus ignarus, Senatoris tamen locum iſta dexteritate ingenii ſibi arrogabit: ſeque trimeſtri ludo, jura, leges, formulasque veſtras omnes percepturum jactabit. O' confidentiam incredibilem! ô temeritatem præcipitem atque audacem! At per duos & viginti annos, per quos Protagoram & Thraſimachum potiùs, quàm Platonem & Ariſtotelem imitandum tibi propoſuiſti, dexteritas tanti ingenii conſequi non potuit, ut in ampliſsimo Græcarum literarum mathematicarūque omnium mercatu, græcè quicquam aut mathematicè comparares. Facite (inquit) trimeſtre periculum: tum ejicite ſi diſpliceam. At Deum immortalem, cujuſnam Protagoræ vocē audio? *Qui ſcis ergo iſtuc*, ait Terentianus ille Simo, *niſi periculum feceris?* huic reſpondet paulo conſideratior Chremes: *At iſtuc periculum in filia fieri grave eſt.* Ita tibi amore iſto regiæ profeſsionis inſanienti reſpōdeo, iſtud dexteritatis tuæ periculum valdè inſolens, valdeque Academiæ periculoſum eſſe. Ergo tu diſpēdio juvētutis, infamia Gallici nominis, dedecore Chriſtianiſsimi Regis, mathematicas artes in cathedra ipſa primùm diſcere incipies? Tu vix in regio collegio poſtremi ordinis in literarum græcarum grammatica auditor idoneus ſis: & tamen principem ordinem ducendum poſtulabis? Tu vixdum duorum ſcalmorum naviculam in portu regeres: in Euxino ponto Argonautarū navim gubernandam ſuſcipies? O' hominē nimiùm ingenii dexteritati confidentem! At nequaquam Regii profeſſores rudem mathematicæ diſcipulum, ſed confirmatū doctorem poſtulant. Neque verò candidate noſter, apud Cardinalem dexteritas tua, opinor, ita per tuos teſtes ac laudatores celebrata eſt. Quare P. C. revocate diſcipulum iſtum, & in infima mathematicæ ſcholæ ſubſellia amandate: neque tres menſes, ſed tres annos, imò totum quinquennium è mathematicis Pythagoræ legibus ad mathemata perdiſcendum præſcribite: ſi tamen poſſit ullū quinquenniū ſatisfacere. Quàobrem cùm mathematicarum ſcientiarum, & græcarum literarum ignorantiam jactes, jactato quantum voles, iſtam ingenii dexteritatem: nunquam ingenio cuiquam dextero perſuadebis, te regiam philoſophiæ & mathematicę profeſsionem tueri poſſe. Hæc P. C. noſtra ſunt contra candidatum noſtrum argumenta, quibus indignum regia cathedra eſſe convincimus. Jam, ſi placet, quæ ipſe pro ſeipſo attulerit, conſideremus. Recita igitur, philoſophe idem & mathematice, recita nobis quę nudiuſtertius auſus es, audiente Senatu, dicere: quamobrem te duplici profeſsione, philoſophiæ altera, altera mathematicæ dignum crederemus. Hæc partim è tuis laudibus, partim è contumeliis in nos effuſis tibi deprompta eſſe video: Tuas igitur laudes à te ipſo primùm, & ex tuo ore audiamus. tametſi gymnicorum ludorum præcones (ut ait Tullius) multò verecundiores eſſe ſolēt, qui cùm cæteris coronas impoſuerūt victoribus, eorumque nomina, magna voce pronunciarunt: cùm ipſi ante ludorum miſsionem corona donentur, alium præconē adhibent, ne ſua voce ipſi ſe victores prædicent. Quapropter tuarum laudū laus iſta primùm fuerit? Verùm perge, recita, laudum tuarum præco, primo locò primam. Dampeſtra Coſellus Siculus, facto profeſsionis mathematicę naufragio, in doctrinę & eruditionis tuę portum, ſingulari quodam vento, delatus eſt: tibique (ut ais) cathedra mathematica ceſsit. Hîc non inquiro, P. C. ſeverius, quanti mercator Siculus reliquam è tempeſtate tabulam homini Gallo ante illum diem ignoto, Siculę præſertim linguę ignaro, mathematicas etiam merces ignoranti: non quęro (inquam) quanti tabulam iſtam addixerit. tātùm dico, exemplum novum

&

& ante hunc diem in collegio regio inauditum, ceſsione regios profeſſores fieri. Multó veró inſolentius, ut qui cederet, veredariis & diſpoſitis equis, tanquam Pegaſis, Lutetia Bojos uſq;, quadringenta pené millia, magno labore, magna pecuniæ temporisq; jactura, volarit & revolarit: ut homini ignoto, mathematum ignaro, regium mathematicæ profeſsionis ſtipendium gratis donaret. Sed tamẽ iſta ceſsio, mõſtri quidnam alit? Dampeſtra philoſophiã nunquam profeſſus eſt, Dampeſtræ ſucceſſor mathematicam ſcholam nunquam ingreſſus eſt: & tamen ille cedit philoſophiæ: hic ſuccedit mathemaricæ. Etenim P.C. ingenium candidati noſtri diligenter hîc attẽdite. Philoſophica profeſsio vacua nulla eſt: mathematica cathedra ſola profeſſorem deſiderat. candidatus noſter æſtuabat immodico regiæ profeſsionis deſiderio: in mathematicis nihil didicerat: neque mathematico nomine mathematicam profeſsionem tueri poterat: Itaque cum mercatore illo Siculo, de neſcio qua philoſophiæ & mathematicæ permiſcenda purpura pactũ videlicet intervenit, ut philoſophiæ colore, mathematica induceretur: atq; hac pactione, clariſsima lux Academiæ extingueretur. At moneo, & contenta voce, quod jam monui, iterumq; iterumq; monebo, in regio collegio philoſophiæ cathedram nullam vacuam eſſe, ſed mathematicam ſolúm. At (inquis) Regis liberalitas reſtringenda nobis naquaquam eſt, quin poſsit & veteres profeſsiones abolere, & novas inſtituere. Enimveró regiæ voluntatis interpres, quid ais? quis dubitat de ſumma Regis & poteſtate & magnificentia? Equidem valdé ſpero brevi futurũ, ut ejus immortali gloria profeſsiones non ſolúm á majoribus ipſius inſtitutæ retineantur & ornentur, ſed reliquarum etiam diſciplinarum novæ conſtituantur: tota denique Academia Regiæ majeſtatis beneficentia omnibus partibus ſplendeſcat. Verúm Rex ipſe voluntatem ſuam reſcripto ſuo teſtatam & conſignatam tibi tradidit: cúm nominatim Dampeſtræ ceſsionem eo ipſo incluſerit. Quare cúm jus ambitionis tuæ ex iſta ceſsione naſcatur, eaq; nomine philoſophiæ falſa ſit, neque potuerit Dampeſtra cedere quod non habuerit: quid aliud ceſsione iſta arguitur, quám Regi Chriſtianiſsimo fraudẽ per te factam eſſe? neque te Regis voluntate, ſed dolo tuo malo, philoſophiæ profeſſorem nominatum eſſe? Hoc igitur meditare, vel menſem ſi voles integrum, ut poſtea glorioſé mentiri poſsis, te ex tempore ineptias iſtas reſpondiſſe: hoc, inquam, meditare, ut probes regia voluntate mathematicam profeſsionem extingui, ut ſophiſticæ magiſter cõſtituare. Quapropter P. C. conſiderate notas ceſsionis Dampeſtrinæ, & quod inde argumentum ſit, ut mathematicus noſter vobis perſuadeat, ſe philoſophicam & mathematicam profeſsionem meruiſſe. Sed quid eſt, quod hic tam philoſophus, quám mathematicus, cupiditatis explendæ cauſſá non comminiſcatur? P. Ramus factus eſt profeſſor in locum Calignii profeſſoris Hebræi. Falſum (inquam) & impudens commentum eſt. Nam cúm P. Ramus contenderet artium liberalium veritatem cum uſu & utilitate conjungendam eſſe, imó definiendam metiendamq;: profeſſor ordinarius delectus eſt: hujus enim profeſſionis gratiâ profeſſor á Lotharingo Cardinale Henrico Regi nominatus eſt. Valdéque adhuc omnibus modis contendit in omnium artium ingenuarum cognitione & uſu, ut utrumq; præſtaret. Atque iſta quidem profeſsio noſtra nova quidem illa fuit, ſed voluntate judicioq; Regis inſtituta, & Regiis literis ampliſsimé & clariſsimé teſtata, ne impudẽtia mathematici noſtri fraudem ſuam hoc bello tectorio tectam eſſe arbitretur. Sed Dampeſtrinam ceſsionem miſſam facio, ad laudes alias venio. Fuit candidatus noſter, Procurator nationis Picardicæ, Rector Academiæ, primus in Licentiatu doctor Medicinæ. Verúm (inquam) iſta Dampeſtrinæ ceſſioni congruunt, & argumenta ſunt diſpendii cujuſdam comitialis, non regia cathedrá digni candidati. quanti enim merces iſtæ in Academiæ nundinis væneant, nundinatores ipſi reputanto. Quare ſucceſſor es Dampeſtræ, Procurator, Rector, primus doctor: ſingula hæc ſunto. Ergo regia mathematicæ cathedra tibi debetur? id veró valdé vehemẽterq; pernego. Tertium caput laudum

tuarum

tuarum fuit in ſummo quæſtu, quē docenda juventute duos & viginti annos majorem privatus, & majore diſcipulorum frequentia feciſti, quàm ſi regius profeſſor fuiſſes. Verum eſt: Gorgias nempe Platonicus factus es. Gorgias enim, P. C. ut conſtat è Platone & Cicerone, infatuanda Græciæ juventute tantum auri collegerat, ut ſtatuam ſibi in Apollinis templo non inauratam, ſed auream poneret. Expectemus igitur propediem Gorgię mathematici ſtatuā, fateamurq́ ejus unius philoſophia & mathematica victos eſſe Gorgias, Thraſymachos, Protagoras. Sed præclaris virtutibus tuis veluti palmarium acceſsit Lotharingi Cardinalis approbatio. Hic teſtis (ut ais) hic elector & author ſingularis doctrinæ tuæ, regiamq́ duplicis profeſsionis cathedram meritæ. Itaque hunc nobis iratum facis, quia regii collegii Decanum me nomino, cùm Cardinalis ſeſe Decanum collegii ſolum eſſe prædicet, moleſteq́ ferat, novos profeſſores à nobis in examen publicum vocari. Eho dum, vir frugi ac modeſte, Cardinalis, regius profeſſor fiet? P. Rami canos in regia profeſsiõe & annos ſibi ſumet? Hoc enim diuturniſsimo regiæ profeſsionis labore, Decanus regii collegii adhuc definitus eſt. Sic Orontius primus, ſic Strazelius ſecundus, ſic Gallandius tertius, ſic Hamelius quartus Decani fuérunt. Siccine verò ſummi viri auribus inſidiari, ſiccine dignitati illudere impunè licuerit? Etenim (Procurator Picardiæ) laus eſt è Cardinalis laudibus una ſingularis, examen publicum de profeſsiõe mathematica inſtituere, eiq́ præeſſe, & è candidatis præſtantiſsimū regi nominare: Io. Pæna hac de re teſtis ſempiternus erit. Quæ cùm ita ſint, tu ad examen publicum recuſandum, id eſt, ad tuam in mathematicis ignorantiam demonſtrandum, Cardinalem authorem appellabis? Equidem prævaricationem iſtam ſpero tibi eo pretio futuram, quo merita ſit: Scripſi enim ad Cardinalem: ut intelligas, quid ſit tam nequiter ſummorum virorum nominibus abuti. At per Deum immortalem, animadverte atque attende, quæ de tuo iſto fuco dicam. Cardinales, Reges, Imperatores, &, ſi quid majus hîc eſſe arbitraris, Pontifices, te variis beneficiorum titulis exornare poſſunt: At iſtorū nemo, regia philoſophiæ & mathematicæ profeſsionis cathedra te dignum poteſt efficere. De Equitibus & Comitibus bullatis nunquámne inaudiſti? Ariſtotelem & Archimedem fictum nūquámne vidiſti? Cogita igitur te iſto argumento bullatum philoſophum, te fictū mathematicum Pariſienſis Academiæ futurum. Sed adhuc de tuis laudibus Logica fuit perſuaſionis tuæ, ad docendum, te regium & philoſophiæ & mathematicæ profeſſorem idoneum eſſe: reliqua perſuaſio verſata eſt in maledictis in Pelerinum & Ramum conjectis. Pelerinum in philoſophia peregrinum eſſe dixiſti: hoc ſale videlicet condire mathematicam tuam voluiſti. At ſi philoſophiam, ſophiſticam nominas: id tibi fortaſſe concedam: homo enim eſt probus & modeſtus, & ab impudentia longè ſemotus. Si philoſophiam Ariſtotelis græcam intelligis, Pelerinus eam ipſam græcè interpretatur: tu verò Ariſtotelem, niſi in Latium peregrinatus eſſet, omnino non agnoſceres: Itaque revera peregrinus es in Ariſtotelis philoſophia. De me autem, prime Licentiate, quid tibi ad maledicendum reliquiſti? Sinite P. C. perpetuam animi noſtri adverſus omnia maledicta conſtantiam, in iſto procaculo Gorgiola retineri. Adverſus contumelias doctorum quamlibet & eruditorum hominum, perpetuum tamen ſilentium juravi: nil Goveano, Gallandio, Perionio, Turnebo reſpondi: nil ingenii & doctrinæ per univerſam Germaniam principi Melanchthoni reſpondi, nil aliis Germanis, nil Italis nonnullis reſpondi: tãtum abeſt, ut huic ardelioni quicquā reſpondere cupiam. Unum tamen eſt, quod præterire ab amicis prohibeor: Habeo (inquit) domi adjutorem mathematici ſtudii: id enim ſingulare maledictum primus medicinæ Licentiatus exiſtimavit. Ego verò contumeliam accipiam, & agnoſcam, & quantum potero, voce contendam, ut omnes exaudiant: Fateor P. C. vel potiùs profiteor, adjutores tanti laboris mihi & adfuiſſe & adeſſe: ſed longè alia lege atq́ conditione, quàm cõvitiator noſter exiſtimat. E doctis latineq́ & græcè eruditis, Io. Pæna in primis mathematici ſtudii nobis adjutor

adjutor fuit: & adjumento noſtro in regiam cathedram aſcendit. Nobis deinde adjutor mathematici ſtudii fuit adoleſcēs Fredericus Reiſnerus Germanus, in mathematicis ita verſatus, ut ſi candidatis de mathematica eruditione certātibus, victori præmium proponeretur: hic meo judicio, metā priùs attingeret, quàm è carceribus Dampeſtrę ſucceſſor egreſſus eſſet. Arnaldus Oſſatus in philoſophicis & mathematicis ſtudiis adjutor nobis ſæpe fuit: & hic te ſuperiore æſtate docuit, quid eſſet methodus: ſi tamen tantùm boni diſcere potuiſti. hic tibi in philoſophia & mathematica non ſolùm adjutor, ſed pręceptor eſſe poſſit: valdeq́ contendam, ut uterque ingenio ſuo debitum fructum conſequatur. Sed tamen ut adjumenti mathematici calumniam augeam, dico atq́ confirmo, nullum eſſe in Academia Pariſ. mathematis artibus eruditum, quem nō familiarem charumq́ habeam: imò opificem in urbe nullum paulo ingenioſiorem, cujus officinam mechanicāq́ totam non ſæpe perſcruter atque excutiam. Sed quid Pariſienſes adjutores commemoro? Nemo eſt in Britannia, Germania, Italia, mathematico ſtudio excellens, quem non animo & literatū ſermone adierim. Scripſi in Britanniam ad Acontium & Dium, in Germaniam ad Geſnerum & Camerarium, ad Hieronymum Vvolfium Auguſtanæ bibliothecæ præfectum: in Poloniam ad Rheticum: in Italiam Romam ad Commandinum Ferneſiæ bibliothecæ præfectū: Bononiam ad Angelum Pappium clariſsimum juris civilis doctorem: Venetias ad Arnaldum Ferrerium curiæ Pariſ. Præſidem, & regium apud Venetos Legatum. ad hos (inquam) omnes de mathematicis libris, id eſt, de adjutoribus perſcripſi. Sed in hoc maledicto, Dampeſtrine mathematice, valdè te humanitatis & hiſtoriæ veteris expertem eſſe demonſtraſti: quid enim? homo doctiſsime, nunquàmne audieras Ciceroni in deſcribenda philoſophia Poſidonium, Panætium, Diodorum, Zenonem, omnes deniq́ omnium ſectarum principes adfuiſſe? nunquàmne audieras Ariſtoteli (cujus pro mathematico doctore, latinus interpres eſſe vis) millia neſcio quot adjutorum fuiſſe? Hæc gloria fuit Alexandri Magni, imperare ut piſcatores, venatores, aucupes, omnes denique mortales, qui ullam naturalis hiſtoriæ partem noſſent, ad Ariſtotelem magiſtrum deferrent. Quare contumelia iſta nobis glorioſa eſt. Veruntamen de tot ac tantis á te contumeliis, nulla mihi atrocior viſa eſt, quàm quód contra te agerem: collegii tamen regii dignitas, quam evertere, extincta mathematum luce, contendis, actionis hujus perſonam neceſſarió nobis impoſuit. Tu contrà præcipuum defenſionis tuæ propugnaculum, in P. Rami nomine conſtituis: teq́ ſperas apud ſimplices & idiotas propterea aliquid futurum, quia tibi P. Ramus oppoſitus eſt. Sed tamen pro illa mathematici adjumenti contumelia, magnam tibi gratiam debeo habeoq́, ideoq́ referre cupio. Quapropter laudem P. C. convitiator noſter à nobis pro cōtumelia audiet. Mathematicus noſter judicio quāvis nullo, acri tamen eſt paratoq́ ingenio, ut videris, fingēdi quidlibet & comminiſcendi confidentia atque audacia velut armatus: verbis in ſuo artificio tā redundans, ut cùm de re nihil dicat, plurima idiotis tamen dicere videatur: vereq́ illud dicam, ſi tātum operæ in Græcis literis, in artibus mathematicis poſuiſſet, quātum temporis in Mathurinēſibus comitiis perdidit, hodie doctrina & judicio ſolidiore obfirmatus, inter primos mathematicæ profeſsionis candidatos haberetur. Hæc igitur Geometra noſter, tibi laus pro contumelia fuerit. Quamobrem profeſſor philoſophię per tot annos tam celebris, tam quæſtuoſæ, recognoſce tandem aliquando, philoſophiā tuam valde ſophiſticam eſſe, quæ philoſophum ſuum tàm fatuis & alienis argumentis in tanto fortunæ famæq́ judicio tueatur. Meruiſti philoſophicam & mathematicam cathedram, quia ſucceſſor es Dampeſtræ. At Dampeſtra expulſus eſt, quia latinê neſciret, nec mathematicis ſatis inſtructus eſſet. Et tamen Siculus homo, popularis Archimedis fuit, & Græci ſermonis vernacula conſuetudine non ignarus. Mitto Dampeſtræ ceſsionem: tuam confeſsionem ſequor. Palàm gloriaris te ἀναλφάβητον & ἀγεωμέτρητον eſſe, id eſt apertè teipſum accuſas, & in te tuis armis incurris.

Procu-

Procuratio, Rectoratus, Doctoratus, in mathematica petitione argumenta ſunt Gorgianæ Logicæ, aliena, inepta, fatua. At obliviosſum me atque immemorem, P. C. ſummum candidati noſtri præcipuumq́; firmamentum prætericram: Regium collegium, quoddam velut Athenis Prytaneũ eſſe, ubi regio ſumptu bene de re literaria meriti alãtur: ad eamq́; rem, merita illa ſua cõmemoravit. Scilicet profeſſores regii, canonici regii erũt: & iſta requietis atque otii ſpe (ut hic palàm prædicas) profeſsionem regiã tam cupidè appetiviſti. Sic Dampeſtra ſacerdotii cujuſdam decimas ſibi deſponderat. At (inquam) non ſolùm canonicus, ſed ſi lubet, in beato aliquo monaſterio monachus eſto: dummodò profeſſor mathematicus regio collegio reſtituatur. Quamobrem P. C. alteram diſtributionis noſtræ partem ſubduco contrahoque. Hactenus docuimus, hominem iſtum à philoſophica & mathematica profeſsione alieniſsimum & remotiſsimum, quia ſua confeſsione ſit ἀναλφάβητος & ἀγεωμέτρητος: nec ulla dexteritas ingenii tantam doctrinæ inopiam, tamque ſiniſtram ſupplere poſſit. Reſpondi ſingularibus ejus argumentis, quæ nil niſi cæcam animi præcipitemque ambitionem demonſtrant: pars diſtributionis altera reliqua eſt, de examine: ut doceam, etiamſi Græcam tum philoſophiam, tum mathematicam luculenter & copioſe didiciſſet, tamẽ publico exàmine diſciplinam ipſius probàndam atq́; examinandam eſſe. At quoniam vereor, ne in ſuperioribus ineptiis refellendis paulo prolixior fuerim, brevior & contractior hic ero: quid enim multis verbis opus eſt, ut doceam, in quæſtione de doctrina & virtute, doctrinæ & virtutis probatione opus eſſe? Hi ſunt mores Academiarum, hæ leges ſcholarum rectè & ex ordine conditarum: imò verò & leges hujus ampliſsimi nobiliſsimiq́; Senatus: in quem ſi quis à Rege ſenator, vel Solone ac Lycurgo prudentior, Servio ac Scævola juriſperitior nominatus eſſet, tamen non priùs à vobis admitteretur, quàm Senatus examine ſanctè ſevereque probatus eſſet atque exploratus. Herculea iſta eſt virtutis via, doctis & probis facilis & jucunda, ignaris & improbis horribilis ac pertimeſcenda. At (inquiet candidatus noſter) iſta examinis ſeveritas in nullo adhuc regio profeſſore uſurpata eſt. Verùm (inquam) nulla talis exempli indignitas adhuc in regio collegio cõtigerat, qualis in Dampeſtra & in Dampeſtræ ſucceſſore apparuit. Itaque Senatus, iſta Pariſienſis Academiæ infamia permotus, in Dampeſtram S.C. decrevit: Recita igitur S. C. de examinando Dampeſtra.

Hoc igitur judicium veſtrum eſt, P.C. æterna laude & commendatione celebrandum ac prædicandum. Quæ verò cauſſa vos in Dampeſtram commovit, eadem multò juſtiùs in Dampeſtræ ſucceſſorem, modis omnibus in mathematica indoctiorem, commovere debeat. Dampeſtrà nunquam confeſſus aut gloriatus eſt ſe ἀγεωμέτρητον eſſe. Sed quid ego veſtram ſapientiam vobis commemoro? Audiamus Chriſtianiſsimum Regem veſtræ ſapientiæ vindicem atq́; aſſertorem: qui non ſolùm veſtrum S. C. de Dampeſtra comprobavit, ſed etiam mandavit, ut Dampeſtræ ſucceſſor, & quilibet deinde regius quacunq́; in lingua aut ſcientia profeſſor, antè ab omnibus reliquis profeſſoribus examinaretur, quàm docendi cauſſa in regiam cathedram aſcenderet. Recita igitur regis mandatum de examinando Dampeſtra & quolibet alio profeſſore.

Quapropter P. C. animadvertite regium mandatum veſtro S.C. expreſſum atq́; informatum: ut veſtrum judicium Regis judicio probatum laudatumque ſit: quàm ſanctè, quàm ſeverè Rex de Dampeſtra, deq́; poſt Dampeſtram futuris omnibus profeſſoribus ſanciat jubeatq́;, ne quiſquam profiteri priùs incipiat, quàm publico examine probatus à reliquis profeſſoribus & examinatus ſit. Quare cùm publici civitatum & Academiarum mores, cùm S.C. cùm Regis mandatum de publico examine ita conſentiant, quid potes, philoſophiæ & mathematicæ profeſſor, tergiverſari, quid afferre, quid cauſſari, quamobrem ſine examine in regiã cathedram aſcendas? Quid verò? utrum de te etiam tam magnificè ſenties, quàm Athenienſes de Xenocrate, aut Romani de Numidico Metello? Xenocratem enim teſtimonium dicentem Athenienſes jurare pro-

hibuerunt: Metelli autem tabulas, judices Romani aſpicere noluerunt. An igitur admirabili Philoſophiæ & Mathematicæ tuæ præſtantia attonitus, ſic te admiraris, ut duos ſingulares viros ſui cives ſunt admirati? Ideoque examinis quæſtionem, tanquam in re manifeſtiſſima minimè neceſſariã, tam vehementer averſaris ac deteſtaris? Minimè veró, minimè (inquam) gentium, iſta hominis de ſe tã incredibilis opinio eſt: ἀναλφάβητον autem & ἀγεωμέτρητον ſe confitetur eſſe: Quid ergo? quid habes argumenti, quamobrem examinari non debeas? P. Rami nomen antea tibi fuit magnæ perſuaſionis loco, ut te idoneũ profeſſorem probares: nunc ais P. Ramum tibi capitalem inimicum eſſe, ab eoq́; ſolo hoc examen in te primùm atq; unum flagitari, à quo in cæteros antea profeſſores nullo modo flagitatum ſit. Hęc igitur ſingula ſuis examinibus ponderemus. P. Ramus tibi inimicus eſt, ais. Quid igitur? tu confictarum inimicitiarum ſpecie Capitolium incendas: ego ad reſtinguendum incendium non accurram? Tametſi unde tibi à me inimicitias iſtas cõminiſci potuiſti? Nec enim ullum unquam detrimentum á me accepiſti: imò, etiam in hac cauſſa privatim ac fraterné; iterum atque iterum à me admonitus es, ut accederes ad profeſsionem regiam regia via & regiis legibus definita. Sed tamen quæ confidentia tua eſt, dicere à me ſolo hoc primum examen comparari? Erras ſi me in collegio unum virum bonum conſtantemque arbitraris. Octo pari virtute profeſſores, hoc examen poſtulant, eandemque actionem obſignatis tabulis perſequuntur: ſupplex libellus ſenatui propoſitus, obſignata nomina continet. Er tamen ferreo ore affirmare audes, me ſolum adverſarium eſſe. Profer igitur manus & ſigna collegarum meorum: ego falſitatem in tuis, veritatem in meis tabulis eſſe convincam. Sed fingendi quidlibet & comminiſcendi, laus tuæ philoſophiæ propria eſt. Non igitur é profeſſoribus regiis tibi ſolus adverſarius ſum, ſed octo tibi ſunt adverſarii. adverſarii tibi ſunt Euclides, Archimedes, Ptolemæus, & mathematici omnes, qui tibi una voce adverſantur, clamantque ne literam quidem de ſuis monimentis ac ſcriptis tibi notam eſſe. adverſarius eſt tibi Senatus, qui decrevit examen publicum in Dampeſtram, præ ſuo tamen ſucceſſore in mathematicis eximium. adverſarius eſt Rex Chriſtianiſsimus, qui literis ad regios profeſſores perſcriptis, ſeveré mandavit, ut Dampeſtra & Dampeſtræ ſucceſſor, omneſque in perpetuum profeſſores examinarentur. Neque veró iſta de examine quæſtio, à me nunc primùm excitata eſt: Etenim decimo abhinc anno in Pænam meum diſcipulum, examẽ iſtud à Carolo Lotharingo Cardinale poſtulavi, & impetravi. Deinde protinus poſt obitum Paſchaſii Hamelii, antequám Dampeſtra nominatus eſſet, precibus meis adductus Io. Monlucius Valentinorum Epiſcopus, pro ſua in liberales artes liberalitate, ad Regem de publico examine perſcripſerat: cõſecutæ eodem tempore ad Cardinalem Caſtellonium, & Cancellarium eadẽ de re noſtrę etiam literæ. Dampeſtra interim ſic intromiſſus in cathedram, & ſic ejectus ut dixi, Regi regii mandati cauſſam dedit. Sed ais alios à me ad examen appellatos non eſſe, fateor: quia nunc primum Decanus ſum: neque Rex antea examen imperaverat, neque dum quicquam ſimile tantæ, tamque impudentis inſolentiæ in quoquam profeſſore contigerat. Dampeſtræ & Dampeſtrini ſucceſſoris incredibilis amẽtia ſempiternam, ut ſpes eſt, examinis legem faciet. Quapropter nulla de examine contra te ſingularis controverſia tibi per me modó creata eſt. Itaque P. C. omnia candidati noſtri fundamenta, veritatis inania, falſitatis plena cernitis. Sed tamen à nobis paulo liberiùs velut objurgatus, qua fronte examinis immunitatem ſibi tam inſolenter arrogaret, pudore neſcio quo, licet inſolito, tamen leviter aſperſus eſt. Theſes phyſicas é latino Ariſtotele ſe poſiturum eſſe dixit, de quibus in utramque partem diſputaretur. O conditionem æquam, & à profeſſoribus regiis minimé repudiandam! Theſes tu phyſicas de latino peregrinoq́; Ariſtotele in mathematicæ profeſsionis argumentum ſtatues, nobiſque invitis ac reclamantibus pro Euclide Ariſtotelem obtrudes? imò veró theſes in utramque partem diſputabiles afferes? At Geo-

metra

metra noſter, hic veró te tandē non verbo, ſed reipſa ac veritate, ἀγεωμέτρητον videri voluiſti. Meditaris hoc tēpore ſcholas in vico Straminis, ubi argumentando ſophiſtice, & clamando, ſtrepitu pedum, plauſu manuum, Platoni & Ariſtoteli, ſi contra te diſſererent, pudorem incuteres. At miſerum te, qui mathematicam ſcholam nunquā es ingreſſus: omnia in Pythagoreo iſto examine diſsimilia ſunt, Euclides, Archimedes, cæteriq́; mathematici, deinde abacus & creta tibi proponentur ad numerorum logiſmos concludendum: regula & circinus ad figuras in planis alias; alias in ſolidis deſcribēdum. Examinatores tui hic animos duntaxat oculatos habebunt: linguæ omnes mutæ erunt. Nihil hic eſt in utramque partem diſputabile: omnia ſunt in unam & neceſſariam veritarem docenda, agenda, demonſtranda. Tuum illud é vico Straminum; tuum (inquam) regnum illud hîc perierit: nihil hîc, Sic argumentor, Sic argumentamini; perſonabit: nullus erit manuum plauſus, nullus ſtrepitus pedum: Pythagoreum denique ſilentium erit. At quis me (inquit) examinabit? iniquum eſt ab adverſariis examinari. Imó veró ab amicis ſuſpectum & inſidioſum. Sed erras, diſcipule matheſeos, multi præter regios profeſſores (á quibus Rex nominatim te examinari jubet) multi (inquam) in mathematicis eruditi te examinabūt: imó veró vel indocti opifices examinabunt. Etenim quoniam ſentio novum tibi videri & inauditum, quomodo ab indoctis de doctrina judicium fieri poſſit, docebo te, quod nunquam didiciſti, de bonis artificibus idē eſſe doctorum & indoctorum judiciū. Quomodo populus magiſtratum eliget, cùm ſit imperitus legum? quomodo populus oratorem diſcernet, cùm ſit ignarus rerum? Imó veró, reſpondet Ariſtoteles in Politicis, & Tullius in Claris oratoribus, doctorum & indoctorum hic erit idem judicium. Doctus ex cauſsis, indoctus ex effectis & experimentis: ille ſapientiùs, hic certiùs judicabit. Scit pacem domi civibus & juſtitiam adminiſtrare, hoſtes bello propellere á finibus & reprimere: itaq; dignus eſt magiſtratu & imperio. Hæc vox eſt imperiti populi de bono principe. Docet, delectat, movet: ergo bonus orator eſt. hæc vox eſt ignàri populi de bono oratore. Alia autem ex intimis cauſsis eruditorum & ſapienrum hominum oratio eſt. Ita cùm ubi calculus aliquis, aut diagramma proponetur, imperiti demonſtrationes lineares neſcient: at paralogiſmum mercator deprebēdet: triangulum pro quadrato, aut cubum pro cono, cylindrum pro ſphera nullus mechanicus accipiet. Quapropter illi omnes examinatores tui futuri ſunt: ſed in primis ſeveri graveſque judices erunt ſelecti á Senatu Senatores, patroniique regii, pro ſumma in omnibus doctrinis facultate ac ſcientia. Noli igitur dubitare, quin tu plurimos & juſtiſsimos mathematicæ tuæ teſtes, examinatores, judices ſis habiturus. Quæ cùm ita ſint, amice mi, cogita jam animo æquo pacatoque, quos in ſcopulos irrueris, quas in ſyrtes diſjectus ſis. Duos & viginti annos Ariſtotelis philoſophiam profeſſus es: & tam longo tempore nihil á tanto philoſopho diſcere potuiſti, quod verum, quod ſolidum, quod cauſſæ tuæ cōſentaneum eſſet? Philoſophus ille, oceanus eſt omnium artium, ab adjutoribus illis plerumque potiùs collectarum, quàm philoſophico judicio æſtimatarum.

Sunt bona, ſunt mala, ſunt mediocria quædam,
Quæ legis hic: aliter non fit Avite, liber.

In tanta rerū varietate, ſophiſticam præcipué ingenio tuo congruētem adamaſti. Atqui ſophiſtica, eſt magiſtra fallaciæ, mendacii, impudentiæ, temeritatis, arrogantiæ, levitatis, nequitiæ. Huic magiſtræ cùm te in diſciplinam tradidiſſes, ab ea didiciſti magnificentiùs de te ſentire, laudes tuas intemperantiùs extollere, faſtidire majores tuos atque contemnere; falſa & abſurda pro veris & congruentibus comminiſci, auribus hominum quantumlibet magnorum ad quæſtum inſidiari. nullam curationem, nullam provinciam, nullam adminiſtrationem, quæ modó lucri ſpeciē præ ſe ferret, nō tentare atq; aggredi: utrùm recté atque ex ordine, conſilio providere; induſtria obire, eventu ſuſtinere poſſes, nihil unquam laboraſti: Quidlibet in ſpecie quadam inani atq; pompa fallaci ſitum arbitraris: denique ſophiſticæ omnia ſubjecta eſſe. At jam potes, vel periculi præſentis exemplo, ta-

lis Logicæ fallaciam atque impoſturam percipere. Redi igitur ad te tandem aliquando, & deſerta illa bonorum ingeniorum pernicie, confer te in ſcholam græcarum literarum, ſolidioris Logicæ, mathematicarum diſciplinarum: tum verum veræ doctrinæ guſtum habebis: teque antea ſophiſticis nebulis miſeré turpiterque deceptum fuiſſe ſenties. Poſtremó conſcientiam teſtem adhibe, ſi modó rectæ cõſcientiæ ſcintillam ullam cum tali ſophiſtica retinere potes, quàm gravis, quamque acerba accuſatio tibi abs te ipſo futura ſit. Ego mathematicam ſcientiam, id eſt, clariſsimam liberalium artium lucem extinguere cõtendo, ut ſophiſticam, id eſt, caliginem omnis eruditionis ac doctrinæ publicis ſtudiis offundam? in regiam ſcholam ſic ingredi cogito, ut adventu meo fundamenta diruam? in regiæ profeſsionis collegium ita cooptari cupio, ut primariam profeſsionem é medio tollam? pernicies denique peſtiſq; ampliſsimo collegio adveniam? Hic, inquam, conſcientiam teſtẽ adhibe, & tacitum illud mentis ſecretum conſule, deſines cæca cupiditate regio collegio inſidiari, exitium mathematicis diſciplinis machinari. Audies igitur hæc ab adverſario (ut ais) tuo: ut autem res eſt, amico, & ſalutaria conſulenti. Sed enim, ut é vultu hominis conjicio.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Reſpuit, atq; odio verba monentis habet.

Quamobrem P.C. ad vos convertor; & dicendi finem facio. Repetite igitur animis, obſecro, ac recolligite ſumma rerum capita. Diſſerui hominem iſtum á regia philoſophiæ & mathematicæ profeſsionis cathedra alieniſsimum eſſe, quia græcas literas, quia mathematicas artes ignorare ſe confitetur: cúm utraque cognitio in philoſopho requiratur: & tamen philoſophicam cathedram nullam eſſe vacuam: ſolum mathematicum profeſſorem hoc tempore deſiderari. neque ſophiſticæ ullius ingenii jactantiæ tantam profeſsionẽ proſtituendam atque objiciendam eſſe: neque veró cõtrâ quicquam facere, quód Dampeſtræ ſucceſſor fuerit Procurator, Rector, primus Licentiatus, cæteraque ſophiſmata his affinia. Repetite deinde ac recolligite, quæ de examine tractata ſunt, virtutis viam eſſe, veſtigiis Academiarum tritam, exemplis Senatus illuſtratam, S. C. in regium collegium patefactam, Regis mandato munitam atque obfirmatam. falſam eſſe recuſandi examinis calumniam, quód nunc primúm á me ſolo in iſtum comparetur, cúm decem antè annis, in diſcipulos meos ſit á me comparatum, poſtulatum: deinde generaliter in omnes ante Dampeſtram nominatum, poſteaq; in Dampeſtram uſurpatum. Denique defenſionis univerſæ argumenta á philoſopho & mathematico noſtro ejuſmodi omnia fuerunt, eruntque in poſterum: neque aliud, ſi diligenter attenderitis, ab homine audietis, quám contumelias in P. Ramum é veteribus maledictorum commentariis undique collectas: De re, nihil niſi falſum aut alienum audietis. Hic, inquam, de futura candidati noſtri reſponſione vaticinari vobis poſſum. Hodierno die nugabitur vobis eaſdem nugas, quas nu diuſtertius nugatus eſt: id enim ſolum didicit, ac per duos & viginti annos exercuit: quid autem mathematica ſit, quas partes, quos uſus habeat, qua denique de cauſſa mathematicus profeſſor eſſe debeat, nullum verbum faciet: tantum de Regis poteſtate, de Cardinalis authoritate, de profeſsionum confuſione, de P. Ramo quidlibet audaciſsimé mentietur: hæ ſiquidem nebulonis inſolentiſsimi nebulæ futuræ ſunt: nullum, inquam, mathematicæ profeſsionis ſpecimen, nullam problematis cujuſquam fabricam, nullam Geometricæ demonſtrationis ſpeciem á mathematicæ profeſsionis petitore audietis. At mathematicus profeſſor eſſe vis. Quid ita? Cauſſam igitur iſtam per Deum immortalem nobis dicito: mitte nugas, mitte nebulas, quibus mortales omnes ſuperas, quibuſque regius non mathematicus, ſed nugator & nebulo jure meritiſsimo potes eſſe: mitte mendacia quæ nimium pro illa dexteritate ingenii adhuc adamaſti: mathemata quorum ſector eſſe potes, non doctor, aliquando cogitato: diem ſi voles in mathematica demonſtranda, agenda, exornanda conſumito. Hic tot annorum (quos tam ſæpe nominaſti) ſtudium jactato & oſtentato. Hoc enim inſtituti judicii ſolum pro-

lum proprium eſt, Euclides tibi prima actione à nobis propoſitus eſt, en iterum proponitur, eſto in hoc authore, vel potius in hujus authoris elemento unico demonſtrando confidens & audax. Hic mores tuos veritati & utilitati profeſsionis mathematicæ conjunctos probabo & laudabo. At Euclidem recuſaſti, & recuſabis, neque quicquam ad regiæ profeſsionis cauſſam reſpondebis. Hæc vaticinatio noſtra de te deque tua mathematica verax erit. Quapropter P. C. conſiderate animis Academiam ſedibus ſuis avulſam, in Senatum veniſſe: mathematicas muſas, Arithmeticam, Geometriam, & cæteras illas ſapientiæ comites & ſocias ſupplices vobis eſſe: ne patiamini extingui clariſsimum Academiæ lumen: quod futurum ſit, ſi mathematica profeſsio homini mathematum imperito permittatur, vel in alienam philoſophiæ neſcio cujus ſpeciem malitioſè alteretur. ponite ante oculos Pariſienſis Academię amplitudinem: qui concurſus undique in eam ex omnibus nationibus & populis fiant, ad excellentes profeſſores auſcultandum: tot igitur voces, tot linguas (ſi per vos mathematicæ profeſsionis dignitas ſarta tectaq; ſervetur) veſtræ æquitatis ac ſapientiæ præcones exiſtimate: examen de mathematico doctore decernite: veſtrum de Dampeſtra S. C. in Dampeſtræ ſucceſſorem retinete: ad Regis mandatum de utroque & quolibet in poſterum profeſſore examinando, veſtrum judicium adjungite: regii deniq; collegii ſtatum confirmate & conſtituite.

DIXI.

P. RAMI ORATIO, DE LEGATIONE.

P. RAMVS LECTORI S.

DIXI in concione populi noſtri, hanc orationem, & ædidi, ut teſtis eſſet nō ſolùm noſtris hominibꝰ diligētiæ noſtræ, ſed Francis, adeoq; exteris populis omnibus, quàm benignos, quamq; liberales principes haberemus. Vale Lutetiæ Pariſiorum, è Prælleo noſtro, 10. Cal. Iul. 1557.

P. RAMI, DE LEGATIONE ORATIO.

EQUIDEM nō dubito, AUDITORES, quin celebritate comitiorum Maturinenſium, publicæ ſupplicationis concione, ipſa denique rerum fama, ſtudioſe propoſitum & accuratê partibus omnibus explicatū ſit, quicquid vobis de cauſſa Univerſitatis proponi explicariq; poſsit: Attamen in hac Regii beneficii gratulatione & lætitia, ne forté turpe ſit, cæteros omnes gratiis agendis ac celebrandis exultare, unum me Univerſitatis & Regis alumnū, tacere: cupio pro mea quoque parte, Regis optimi tantam erga nos magnificentiam notam, teſtatam, claram relinquere. Ab initio igitur ſummam repetam.

—Longa eſt (inquit ille) *injuria, longæ*
Ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.

Ad ſeptimū Calēdas Iunias, cùm publicis Univerſitatis ſententiis, vel potiùs votis, ad Regē Legati proficiſcerētur Io. Salignacus Theologus, Claudius Doderius jurecōſultus, Philippus Alenus Medicus, Adrianꝰ Turnebus, & Petrus Ramus, uterq; profeſſor Regius, nolite tacitis animis quærere, qua ſolicitudine ſinguli de publicæ calamitatis allevatione cogitarint, quo ſermonis aditu, Regis ira tam gravis, indignatioq; ſubiri, qua lenitate orationis, incenſi principū animi reſtingui, quibus omnino modis tāta cōflatæ invidię moles ſuſtineri poſſet: nihil tā mœſtū, tā ſolicitū, tamq; exer

citū fuit. Itaq; ut primùm Ferā Tardenorū, unde Rex nōdū diſceſſerat, ꝑvenimꝰ, ad regiā unà oēs è veſtigio cōtēdimꝰ. Primus nobis bonæ ſpei portꝰ, Carolus Lotharingꝰ Cardinalis fuit: q ſimulatq; Legatos Univerſitatis adeſſe didicit, cæteris rebꝰ omiſsis, nihil priꝰ habuit, quàm ut literas eorum mādataq; cognoſceret. Salignacꝰ igit̄ legationis princeps, & q̄dē ſingulari rarę cujuſdā doctrinę & virtutis gratiá atque authoritate princeps, expoſuit, cujꝰ tēpeſtatis calamitatē Pariſiēſis Univerſitas ꝑtuliſſet: de novis ædificiis, quibꝰ Clericorū cāpus uſurparet̄, de rixa inde orta, de homicidio ſcholaſticorum, de impunitate homicidarū, de motu cōſecuto, de incēdio, de ſupplicio, de vinctis, de dānatis: deniq; clara diſertaq; voce recitavit, quæ literis veſtris cōtinebāt̄, de magna in Bellocaſsios acerbitate: Tū Doderiꝰ juriſcōſultus, majorē enā & inhumaniorē in Narbonēſes duritiā è literis itē veſtris recitavit: cæteriq; Legati egregia volūtate cauſsā publicā egerūt, valdeq; contenderūt, ut captis & dānatis, neq; dū ſupplicio affectis, ignoſceret̄, aliiſq; in poſterū judicibꝰ, ſcholaſticorū cauſſa diſceptaret̄. Etenim longē alios in vindicāda cōſervādaq; Univerſitate Reges noſtros ſemꝑ fuiſſe. Monachi Germanici ſcholaſticos duos quondā ſimili publici prati cōmotione interemêre: at judicio Regio ꝓuinꝰ è monachorū bonis ſacella interfectis erecta, perpetuoq; reditu dotata: duarū parœciarū, alterius Divorū Coſmę & Damiani, alterius Divi Andreæ, collatio iis erepta & Univerſitati attributa: oēs cœnobii feneſtræ, quæ ſpectarēt in Clericorū campū, clauſæ & obductæ. In publica ad Divam Catharinā ſupplicatione, ſcholaſticus à Caroli Savoſiani eqtis pueris & famulis interēptus eſt: Quid eſt cōſecutū? Regio judicio Savoſianus ipſe exilii cauſſā ſolū vertit: domꝰ ejꝰ diruta. Quid de Prætore Pariſiēſi noſtræ loquunt̄ hiſtoriæ? Anno 1303. ſcholaſticū præcipiti judicio ſuſpendit. At maturo Regioq; judicio, ſuſpēſum ore oſculari, patibuliq; laqueo

queo eximere, ſceleriſq; veniã à Põtifice petere coactus eſt. Anno iterũ 1408. prætor aliꝰ alios ſcholaſticos duos ſimili temeritate dãnavit: at damnatorũ ora ſimiliter oſculatꝰ, & cadavera patibuli laqueo exẽpta, pullatus cũ lictoribus itẽ ſuis pullatis ad ſepulchri monimẽtũ ꝓſecutus, magiſtratu deniq; abdicatꝰ eſt. Hãc igitꝰ Regiã in cõſervanda Univerſitate æquitatem, Legati oẽs poſtulavêre. Ac quoniã certatũ rerũ cõmentarios ab Univerſitate acceperã, Cardinalẽ rogavi, ne moleſtũ eſſet, eorũ quoq; ſententiã attẽdere. Quod cùm benevolè annuiſſet, capita duo propoſui, unum de Senatuſconſulto, alterum de Regis edicto.

ENIMVERO (inquã) Cardinalis, Senatuſcõſulto horâ à meridie ſexta, gymnaſiorũ portæ claudũtur, ne quiſquã poſt tempus illud exeat: Feneſtræ inferiores, quæ proſpectũ in publicã viam habeãt, gypſantur: Arma ſcholaſticorũ omnia in baſilicã cõportantur: Publicæ profeſſiones prohibẽtur: Itaq; gymnaſiũ, carcer obſcurus & teter erit, non literarũ ludus: peſtemq; miſeris ſcholaſticis ſic incluſis accidere neceſſe eſt, aut univerſitatem, fugatis ſcholaſticis, vaſtitatẽ & ſolitudinẽ fieri. Arma verò eripi, quid aliud eſt, quàm ſcholaſticos, id eſt, quietis & pacis alũnos, hoſtes judicari? libidiniq; latronum, quorũ locus hic feraciſsimus eſt, inermium ſcholaſticorũ cervices objectari? Gratum quidẽ omnibus & ſalutare fuerat vetus illud Senatuſconſultũ, quo ſingulorũ gymnaſiorũ magiſtri, arma domeſticorũ ſuorũ cuſtodire, & cùm opus eſſe intelligerẽt, reddere jubebantur. At Regias & publicas ꝓfeſsiones ad ſcholaſticos coërcendũ, ꝓhiberi, cujuſnam (bone Deus) tẽporis aut argumenti eſt? Majorum patrumq; noſtrorũ memoria longè aliter factũ audivimus (ut ad injurias ſcholaſticis factas ulciſcendũ, magiſtratus ac principes inducerentur) publicas ꝓfeſsiones, ſacras etiã conciones, ſcholaſticorũ luctu ac dolore intermiſſas fuiſſe: Quare cõtrà etiam univerſi poſtulamꝰ, ut quoniã pacis & otii cauſſas ſequimur, profeſsiones publicæ reſtituãtur: ſcholaſticiq; potiùs diſciplinarum ſuarũ libris & ſtudiis occupẽtur, quàm detracta honeſtæ occupationis materia, ad res alias irritentur: modiſq; omnibus Regẽ obteſtamur, ut Senatus alioqui ꝑ ſe facilis erga nos & benigni, tam triſtis animadverſio ſeveritaſq; remittatur. Ergo id de Senatuſcõſulto: Regium edictũ de Clericorum campo, de ſcholaſticis exteris, deq; urbanis, ſi culpa noſtra factũ ſit, non minùs deprecandum eſt. Etenim hoc edicto, campus Clericorum, Clericis ipſis adimitur, ejuſq; aditu fructuq; Univerſitas tanquã ſeditioſa ꝓhibetꝰ. At, Cardinalis, non ſi quid ſeditioſè paucorum amentia factũ eſſet, ideo Rectoris, quatuor facultatũ, collegiorum, gymnaſiarchorũ, cujuſq; nationis magiſtrorum, id eſt, Univerſitatis cõſilio, volũtate, authoritate factum eſſet: Diligentia major in continẽda juventute adhiberi nulla potuit, quàm Univerſitas adhibuit. Si cujuſquã noſtrûm officium hac in re deſideretur, nullã neq; culpã, neq; pœnã deprecamur. Quamobrem, Univerſitas Chriſtianiſsimũ Regem vehementer orat & obſecrat, ne tanquam ſeditioſa, rebellis, atque erga Regem patremque ſuum ingratè ſceleratequè impia judicetur. Univerſitas à Carolo Magno cõditore ſuo campũ hunc accepiſſe memoratur, ſpatio longo latoque ab inſula Maquerella ſecundùm Sequanæ ripam ad hortos Nigellæ, muroſq; urbis & Franciſcanorum portam, D. Germani macellum & cœnobium, indeque à Divi Martini Hordeacei ſacello rectà ad eandem inſulam comprehenſum ac definitum: campum (inquam) regia intercurrẽte via diviſum, unde majus minuſque pratum vulgo nominatum eſt. Minus pratum, ædificiis multis & magnificis frequentatum eſt & conſtructum, quæ dirui, durum acerbumq; videretur: Itaque Univerſitas poſtulat, ut annui tot ædificiorum reditus, qui à paucis & privatis hominibus ſunt occupati, publicis quatuor facultatũ, Theologiæ, juriſprudentiæ, Medicinæ, liberalium artiũ profeſſoribus attribuantur: pauca verò ædificia, quæ nõ multis abhinc annis in majore prato locata ſunt, tollantur, campuſq; liber & vacuus, ut octingentos ferè annos anteà fuerat, liberali & honeſtæ corporis exercitationi, juvenumq; ludo relinquatur. Nec verò jam audiendi, qui jactant, pratũ minus à nobis ipſis venditũ, valdè iniqua conditione ab emptoribus repeti: majus autem, longè aliis finibus eſſe definitum.

Malé veró ſit, iſtis mercatoribus, qui tam mala improbaque fide Rempub. & vendunt & emunt. At ego nunquam vendidi, neq; quiſquam tam impudens invenietur, qui ſe nundinationis hujus fateatur eſſe cõſciũ. An veró templũ urbis, an Regis palatiũ civis quiſquã vendere ullo jure aut emere poterit? Quare iſta mercaturæ turpitudo infamiaq; ſileatur. Ac de recentibus terminis quod affertur per datos judices conſtitutum, univerſitatis intercesſio refellit, quæ tũ facta eſt: ſed interceſſor â judicibus iſtis aut in carcerem conjectus eſt, quod Tornæſio Iuriſconſulto accidiſſe meminimus: aut irriſus & contemptus, ut inter cæteros Ruellius Theologus Rhemenſium gymnaſiarchus. Quamobrẽ cúm neq; ſeditio, neq; venditio facta ſit, contraq; novos terminos intercesſio ſublata ſit, Univerſitas, Clericorum campum â Regibus olim datum & adhuc conſervatum, ſibi reſtitui poſtulat: ut minoris prati reditus, publicis quatuor facultatum profeſſoribus adjudicentur, majoris ædificia tollantur. Id nimirum Philippi quinti, Regis anno 1317. judicium fuit, ut Clericorum pratum neq; ſordibus fœdaretur, nec à pecore compaſceretur: ut ſcholaſtici honeſté valeãt (ſicut ipſe loquitur) in eo ſpatiari. Iudiciũ (inquam) illud regium fuit: judicium non ſolúm regium, ſed etiã philoſophicum: Quid enim aliud eſt quod Ariſtoteles cum Platone de civitate philoſophatur, cúm pulcherrimum civitatis ac celeberrimum locum diis attribuiſſet, ſecundũ deinde magiſtratuum principumq; civitatis palatio? Huic loco (ait) forum tali ſtructura atq; ornatu ſubjiciatur, quale in Theſſalia, quod Liberum vocant, emptionum vẽditionumq; ſordibus mundum & purum: nec eó vel opifices, vel agricolæ, vel hujus generis homines accedãt, niſi à magiſtratibus evocati: Qui locus gratiſsimus eſt futurus, ſi fuerint in eo puerorum gymnaſia cõſtituta: Eſt enim hic urbis ornatus pro ætatibus diſtinguendus: & adoleſcẽtium ludis, magiſtratus quidam intereſſe debent: magiſtratuum enim ante oculos verſantiũ præſentia, verum pudorẽ, & ingenuam verecundiam gignit. Talis fuit Romæ imprimis campus Martius. Quare regium illud judicium, philoſophicum etiam judicium, Romanum etiam judicium fuit: judicium adeó vel idiotis & imperitis à natura ipſa inſitum & ingeneratum, ut nullus extra urbes vicus pagusq; ſit ſine campo, ſine ulmo, ſine aliqua denique herba atq; umbra publica, ubi juventus ludat & exerceatur. Univerſitas igitur in orbis terrarũ præſtantiſsima bonis ingeniis, nobiliſsimaque civitate, unicum Clericorum campum retinere non poterit? Sentimus veró annos jam feré viginti, quid hac infami publici campi uſurpatione, detrimenti mores publicé patiantur: pro uno campo, quot ſphæriſteria, non loca ſphæræ, pilæq; palmariæ, quæ per ſe liberalis eſt & honeſta, ſed libidinoſæ in totum diẽ, & propter inſanas impenſas damnoſæ ignaviæ receptacula? quot popinas? quot lupanaria? quot luſtra? quot juvẽtutis corruptelas ortas intelligimus? ut naturâ ſenectus avara moroſaq; eſt, ſic juventus effuſa & libidinoſa: Adhibe igitur effuſioni libidiniq; frenum modumq;: ſit juventuti quotidianis ſtudiis fatigatæ, liber & publicus locus, ubi ſaltet, currat, luctetur, diſcum jaciat, cum æqualibus inambulet, colloquatur, de ſtudiis animi gratiâ communicet. Ergo in hoc Clericorum campo non juvenes tantúm omnis ordinis ac generis, ſed Theologos depoſita toga, adeoq; gravitatis perſona, nudato ad ludum expeditoq; corpore colludentes: hîc etiam civitatis magiſtratus, adeoq; Principes ac Reges noſtros, oblectationis hujus fructum captãtes, magna & honeſta voluptate vidimus. Quapropter ſcholaſticis germanas iſtas oblectationes redde, omnia illa corruptelarum genera ſuſtuleris. Itaq; jam Univerſitas poſtulat, quoniam á primis Caroli Magni initiis, tantis tot gymnaſiorũ accesſionibus aucta ſit, ut nõ ſolúm illum campum retineat, ſed alterũ tertiumq; ad Divorum Iacobi Victorisq; portas habeat: vix enim campus hic integer, poſtea cõditis gymnaſiis Burgũdionum, Mignonicorum, Buſſeorum, Heduorum, Curonũ, Damvilleorum, Sagienſium, Iuſtitianorum, Narbonenſium, Bellocaſsiorum, Haricurianorum, Theſaurariorum, reliquorumq; ei regioni vicinorũ, ſufficit: nam ſi tanta multitudo in campum (ut nunc eſt) adeó anguſtum, é gymnaſiis ſimul effun-

effundatur,corporibus ipſis campus penè totus contegetur: Alter igitur ad Divi Iacobi portam in Cartuſianorum eremo, quæ latiſsimè extra ipſorum clauſtra diffunditur, deſignetur gymnaſiis Sorbonicorum, Calvicorum, Octodenorum, Pleſsiacorum, Triqueticorum, Cameracenſium,Lexoveorum, Choleticorum,Barbaranorum, Cœnomanorum,Rhemēſium,Fortreticorum, Montanorum, reliquorumq́ꝫ ad hāc portam ſpectantium: Tertius verò campus ad portam Divi Victoris, in Victorianorū monachorum latiſsimo ſecundùm Sequanam agro, eſto gymnaſiis Nerviorum,Becodianorū,Navarreorum,Longobardorum,Marchianorum, Laudunеorum,Præleorum,Dormanorū, Cardinalitiorum,Bonorum puerorum.Arebatum,Scenaïcorum, & cæterorum hujus clivi incolarum. Etenim hos agros Cartuſianis & Victorianis Reges civeſque ſui virtutis ergô donavêre: Cartuſiani itaqꝫ & Victoriani conditores ſuos parte aliqua liberalitatis imitētur:Regibus civibusq́ꝫ de tantis perceptis bonis particulā virtutis ergô reddant: Ac jam in hos publicos campos,æſtivo poſt cœnam tempore, ut vetus Academiæ mos fuit, juventus à præceptoribus & magiſtris, reficiendi animi corporiſq́ꝫ gratiâ, legitimis diebus è gymnaſiis ſuis educatur. Hic Regius campus erit purus ſordibus & mundus, juventutis oblectationi donatus: hoc philoſophicum forum erit, honeſtis & liberalibus ludis conſecratum: hic Martius campus erit: deniqꝫ campus Elyſius hic nobis erit,qualem elegātiſsimus poëta beatis animis, ſuperioriſque vitæ ſpeciem referentibus aſcripſit:

Devenêre locos letos & amœna vireta
Fortunatorum nemorum,ſedesq́ꝫ beatas:
Largior hic campos æther,& lumine veſtit
Purpureo,ſolemq́ꝫ ſuum,ſua ſydera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæſtris:
Contendunt ludo,& fulva luctantur arena:
Pars pedib⁹ plaudūt choreas,et carmina dicūt.
Necnon Threïcius longa cum veſte ſacerdos,
Obloquitur numeris ſeptē diſcrimina vocum:
Jamq́ꝫ eadē digitis, jam pectine pulſat eburno.
Hic gen⁹ antiquū, Teucri pulcherrima proles,
Magnanimi herôes,nati melioribus annis,
Iluſq́ꝫ, Aſſaracuſq́ꝫ, et Troje Dardan⁹ author:

Ergo hæc poëtæ fabula,campoꝛum noſtrorum quandā imaginem ac ſimilitudinem cōmonſtrat. Enimverò ſi optare liceat,quod vix ſperare tamen audeam, Univerſitati nō ſolùm campos iſtos Elyſios,ſed fontes ſalubres & amœnos,unde òlim (ut cōſtat è reliquis tubis & euripis)in Cluniacenſes ædes à Juliano derivati ſunt, derivari jam deniqꝫ per ſingula gymnaſia, compitaq́ꝫ diduci in primis optarem,ut potu, ideoq́ꝫ etiā ex elixis carnibus, ipſarūq́ꝫ jure, & ſubactis à fartore ac piſtore farinis paſtu ſalubriore,ut ſolo pavimentoq́ꝫ perpetuis ac perennibus aquis mundiore, ut vitali etiā aëris ſpiritu propterea clementiore uteremur.Sed hæc omnia,de campis & fontibus leviora fortaſſe Univerſitati fuerint, quòd ejus ſalus nequaquā in herbis & aquis, ſed in literis & artibus, in virtutis & ſapiētiæ ſtudiis ſita videatur. Quid igitur (inquies) his gravius ſupereſt? Omnes (inquam) exterarum gentiū ſcholaſtici, intra quindecim dies regno excedere jubentur. At ex iis multi ſunt Francorum nō inimici,multi etiam ſocii ac fœderati, multi profeſſores artium,nōnulli gymnaſiorū magiſtri,quidam jampridē inchoatis ſtudiis in curſum Theologiæ,juriſprudentiæ, Medicinæ,Philoſophiæ ingreſsi:alii in gymnaſiis incluſi & gymnaſiarchorū poteſtati ſubditi:quos omnes ejici belli cauſſā durum fuerit, cùm bella non literis & artibus, ſed inimicis & hoſtibus indicātur: nec Pariſienſis Academia,Francorū propria, ſed univerſarum gentium communis ſchola putanda eſt.Itaqꝫ tantam Univerſitatis plagā Deus avertat: Siqui ſuſpecti ſint, notentur: Si literis nuntiiſq́ꝫ machinari quicquā pergant,cōſtringantur: Univerſitas nomē juſq́ꝫ Univerſitatis ſartum,tectū, inviolatumq́ꝫ tueatur. Sed (per Deum immortalem) quænam è reliquo edicto commiſeratio deploratioque, Mecœnas, Univerſitati objecta eſt? Urbanos omnes, nec iis gymnaſiis incluſos, unde ſine gymnaſiarchi venia egredi ſcholaſtico nemini liceat: omnes (inquā)urbanos ejuſmodi ſcholaſticos, Regis edictū Univerſitate intra ſextum diem excedere jubet.O miſerā & funditùs everſam Univerſitatē, niſi te Rex clemēs & miſericors, propitiis oculis reſpexerit!Neqꝫ enim lapides & muros & muta tot gymnaſiorū cubicula, auditoria,

muſæa, Univerſitatē appellabimus, cùm qui doceatur, ſuperſit ferè nemo. Quid ita? Magnus egentium pauperumq; numerus eſt, qui viginti aut triginta ſolatis annuum ſumptum in clauſo gymnaſio ferre nequeant, cùm mendicato plerunq; victu alātur: Hic numerus ex Academiæ finibus expellitur. Magnus Pariſienſis juvētutis numerus eſt, qui domo quotidie diſcēdi cauſsâ in noſtra gymnaſia deducitur: Hic Pariſienſis juventutis numerus è Pariſienſis Academiæ finibus expellitur. Magnus provectiorum in literis hominum numerus eſt, qui doctrinæ cupiditate è longinquis regionibus adducti, Pariſienſem Univerſitatem adeūt, ut eodem die duos pluresve profeſſores in diverſis gymnaſiis audiant: Hic numerus ex Academiæ finibus expellitur. Univerſitas è gymnaſiis tā multis cōſtat: quota verò pars, diſciplinarū inſtitutiones & exercitationes ꝓfitetur? quota pars cuſtode janitore clauditur? Hic tot gymnaſiorum numerus ex Academiæ finibus expellitur. Magnus Medicorum, Iuriſconſultorum, Theologorum numerus eſt, nō tantùm qui nomina ad aliquē gradus honorē profitētur, ſed multò maximè qui rerū cognitione contenti, nominis hujus fructum nullū quærūt: Hic numerus ex Academiæ finibus expellit̃. Quinetiā de iis ipſis gymnaſiis, quæ cuſtode janitore claudūtur, lex Pōtificia Regiaq; eſt, ne philoſophiæ diſcipuli intus philoſophiā, ſed in ſcholis publicis audiāt: id eſt, in alio loco vivant, in alio diſcant, omninoq; ad iſtam legē, urbani fiant. Ergo tantus hic numerus ex Academiæ finib' expellitur, gymnaſiaq; ipſa vacua & inania deſeruntur, ac deſolantur. Deniq;, quod miſeriæ fortaſſe caput eſt, tolle ſcholaſticos urbanos de Pariſienſi Univerſitate, quot millia Typographorum, Librariorum, Bibliopolarum, compactorum, cubicula & conducentium & locantium, eoq; labore viventium, ad egeſtatem & famem compuleris? Quamobrem, qui ingenio tantùm potes, hæc diligenter attenteq; conſiderato, Regemq; pro tua ſingulari ſapiētia doceto, quot hominū capita de Pariſienſi Univerſitate hoc edicti Regii capite pellantur. Audio, & jam multos annos audio, ab hominibus rerū imperitis, publicè contra ſcholaſticos urbanos declamari, quòd ut ab Helena belli Trojani, ſic ab iſta juventutis incondita turba, ſeditionis & tumult' omnis cauſſa oriatur, ideoque urbanos in clauſtra gymnaſiorum redigēdos eſſe. Equidem nullum in civitate malum ſeditione gravius & acerbius eſſe judico: itaq; graviſſimis & acerbiſsimis pœnis ſcholaſticos urbanos, ſi ſeditioſi ſint, coërcendos eſſe cenſeo. Sed enim quoniam in controverſiis omnibus, non tam eventus rerum, quàm cauſſæ ſpectandæ ſunt, quæratur unde tumultus iſte, & quamobrem oriatur. Nullum (opinor) flagitium aut ſtuprum, nulla cædes, nullū latrocinium, nulla affectati regni ſuſpicio, nullum novarum rerum ſtudium reperietur. Quid ergo? Clericorum campus à Clericis repetitur: Regum igitur noſtrorum beneficium, ut diſſerui, conſervemus: campū publicum Reipub. reddamus: tumultus omnis cauſſa ſublata eſt. Nullus temporibus certè noſtris alia de cauſſa, ſcholaſticorum motus fremitusve auditus eſt. Commemoratur ab iis, qui in urbanorum ſcholaſticorum cauſſam invehuntur, urbana licētia: Reprimatur (inquā) ut in tanta tam variorum urbis incolarum multitudine reprimitur: an homines uſquam non homines, ſed deos futuros arbitramur? At peccandi licentia minor eſt in clauſo gymnaſio. Peccatorum (inquam) iſtorum quæſtio atq; enumeratio odioſa & invidioſa eſt:

Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Minor eſt (dixerint etiā correctores iſti noſtri) ad eandem legem peccandi licentia in cœnobiis monachorum, quàm in hac noſtra communi vita: At non ideo redigendum genus hominum in Franciſcanorum aut Cartuſianorum clauſtra crediderim. Quingentos ferè annos Pariſienſis Univerſitas ſine gymnaſiorum clauſtris floruit: eaque non univerſitatis hoſpitia publica, ſed paucis & certis pauperibus alendis & formandis propria facta ſunt. Ergo ſit iſta, quæ ſemper fuit, optio patri libera, ut liberos in clauſo gymnaſio, vel in urbe, ſuo cōmodo arbitrioq; alat & inſtituat. Artium verò liberalium profeſsiones, quæ ad Univerſitatē totam attinēt, paucis & certis gymnaſiis includi, quid aliud eſt, quàm paucos publicanos, artium liberalium ſtudiis imponi? Niſi fortè nos

exempla

exempla deficiant ampliſsimorum Univerſitatis gymnaſiorum, in quibus erudiendæ juventutis locum impetrare, nō minoris ſit vel gratiæ, vel pretii, quàm ab Epiſcopo vel Abbate aliquo opimū ſacerdotium obtinere. Contra me fortaſsis alicui dicere iſta exiſtimabor, qui hac ratione, rei familiaris lacunas explere poſſem. At contra Deū, contra Remp. nihil (opinor) dicere exiſtimabor. Etenim ne tanta res ſubtiliter & argutè nullo exemplo, nulla conſuetudine, nullo publico judicio diſceptati videatur, replicentur annales, excitentur hiſtoriæ: gentium principumque in formandis artium laudandarum ſtudiis illuſtrium ſententiæ ſpectentur, privatis'ne & clauſis gymnaſiis, ad quæ nemini externo accedere liceret, an publicis, & cuivis accedere cupienti patentibus & apertis, liberales artes inſtitutæ & informatæ ſint. Quid? florente Græcorū Republ. utrùm Plato in Academia, Ariſtoteles in Lyceo, Zeno in porticu, Epicurus in hortis, cæterique Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei, domeſticos auditores & domeſticis parietibus incluſos habuêre? Imò verò clamat princeps ille, omniumque philoſophorum tanquam deus Plato, diſciplinæ ſtudium tāquam ludum pueris eſſe oportere: nec eos ſervili metu ad ingenuas diſciplinas perdiſcendum, cogendos eſſe: ψυχῇ δὲ βίαιον οὐδὲν ἔμμονον μάθημα. nulla ſiquidem animo conſtans & firma diſciplina, quæ vi perdiſcetur. Quid? Imperatorum Romanorum temporibus, nonne toto terrarum orbe, nobilium artium profeſſores publici fuêre? Teſtis Alexandria, in cujus illuſtriſsimo muſęo, quod) ut Strabo author eſt) Regiæ partem, inambulatione, exedra, domo ampliſsima, cœnaculo complectebatur, publici profeſſores floruêre, Ptolemæus (qui de ſua porticu quadrata tam ſæpe loquitur) Theon, Pappus: teſtes imprimis Athenæ, è quarum publica Rhetorum philoſophorumque ſchola, ut Alexandrum nobilem Peripateticum, à Severo Imperatore magnis præmiis ornatum, cæteroſque non Chriſtianos taceam, Baſilius, Gregorius, Chryſoſtomus, eccleſiæ Chriſtianæ principes extitêre. Sic Conſtantinopolis, Antiochia, Nicomedia, Berytus, Roma, Lugdunum, infinitæq; urbes aliæ publicos liberalium artium profeſſores temporibus illis habuêre. Sed ne vetera tantùm proponam, habet reliquus orbis Chriſtianus in Italia, Germania, Anglia, Scotia, Hiſpania, Gallia, communibus Pontificum Romanorum, Principumq; ac Regum legibus & inſtitutis conditas Univerſitates: ubinam harum gentium, privatis parietibus incluſos, ac non publicos liberalium artium profeſſores reperiemus? Quid verò? Pariſienſis univerſitatis leges à Pontificibus Romanis & noſtris Regibus latæ, quid tandem loquuntur? utrùm privatis parietib' liberales iſtas profeſsiones includunt? Imo verò (ut dixi) in publicis ſcholis nominatim ſtatuunt, & publica fide contineri jubent. Quid? Franciſcum Regem probationiſne an honoris cauſsâ potiùs hîc appellem? Hic Rex Lutetiæ profeſsiones publicas inſtituit & ornavit, indeq; adeò præ maximis ejus virtutibus ac laudibus, ad ſingulare funebris commendationis eulogium, literarum inſtaurator eſt appellatus: nemoque literarum non ignarus poſt Regias profeſsiones inſtitutas Lutetiam venit, qui Regiæ urbis ullum potiùs monimētum ſibi ſpectandum, quàm Regium auditorium putaret. Ergo Tuſanos, Vatablos, cæteroſq; laudis hujus profeſſores, magiſtriſque ſimiles diſcipulos innumerabiles, non privatarum ſcholarum obſcuritas, ſed publicarum nobilitas extulit. Henricus paternæ virtutis hæres, eaſdem profeſſiones tua imprimis ſententia, atq; authoritate, non tantùm cultu eodem, ſed numero majore coluit. Quamobrem ſapientes hi correctores & emendatores noſtri iſta conſiderent, frontemq; perfricent, ac ſe nobiliſsimis gentium philoſophis, Imperatoribus, Pontificibus, Regibus ſapientiores eſſe dicant. Hęc ſunt, AVD. quæ Cardinalis Lotharingus è Legatis veſtris de cauſſa Univerſitatis attentiſsimè cognovit, quæque Regem mox edocuit. Cardinalis Caſtellonius, Pariſienſis Academiæ Conſervator, pari humanitate & gratia hæc eadem diſſerentes Legatos veſtros audivit, protinuſque ad avunculum ſuum ANNAM Mommorētium Conneſtablum perduxit: virum magnis belli paciſq; artibus egregium & eximium. Itaq; Salignacus

cum

cúm cætera tanti hominis auribus conſona præfatus eſſet, id etiã ad extremum addidit, res ipſius geſtas ſingulares eſſe: quarum præconium nulli commodiús mandari poſſet, quám Pariſienſi Academiæ, cujus voces, omnium linguarum ſermone in omnes orbis partes longiſsimé latiſsimeq; reſonarent. Quibus ut jucundé commoveri, ita generoſa quadam indignatione ê noſtris incommodis affici mihi viſus eſt, præcipué cúm Bellocaſsiorum & Narbonenſium calamitas recitaretur: Itaque nulla mora interpoſita, Regem adit, deq; iis indignitatibus commonefacit. Sic pauló póſt à Cardinale Lotharingo & Conneſtablo Rex longé alia edoctus, quám anté à certis hominibus didicerat, Legatos veſtros admitti jubet, benignoq; vultu accipit: Quem cúm univerſi ſalutaſſemus, tum Salignacus: Intelligimus (ait) Chriſtianiſsime Rex & humaniſsime, magnis criminibus Pariſienſem Univerſitatem apud te ream factam eſſe, ut pœnis tam gravibus tamq; ſeveris coërcenda videretur. Sed per Deum immortalem, quæ ſtudia officiaq; modeſtiſsimæ obſequentiſsimæq; filiæ erga liberalẽ amantemq; patrẽ eſſe debeant, ea judices omnia Pariſienſis Univerſitatis in te fuiſſe, futuraq; ſemper eſſe: Meminit enim ſe Regis privilegiis, muneribus, ſtipẽdiis, immunitatibus, generisq; omnis beneficiis vigere & florere: teq; & Regem & patrem veneratur: humanæ autem divinæq; literæ (quæ omnes in Academia Pariſienſi ſumma tuæ laudis gloria tractantur) quid aliud, quám pietatem in Deum, modeſtiam & obſervantiam in principes ac magiſtratus, in parentes ac bene de nobis meritos profitẽtur? Quare tam ingrati, vel potiús impii animi notam infamiamq; Univerſitas à ſe vehementer averſatur, ac deteſtatur. Si qui in tanta diſcentium multitudine, ſcholaſtici nomen falſó ementiti, ſcelerata mente atque impia fuerint, ſceleris & impietatis pœnas luant, bonis & innocentibus tranquillũ pacatumq; otium conſervetur. At jam Univerſitas tota, nullo bonorum malorumq; diſcrimine, tanquam hoſtis judicata ſit, opprimitur & vexatur: non conquiruntur ad pœnam, qui in Clericorum campo motum aliquem fecerint, ſed gymnaſia ipſa, pacis & otii templa, vi & armis hoſtiliter perrumpuntur ac diripiuntur: miſeri ſcholaſtici in ſuis bibliothecis cæduntur, & latronum hoſtiumq; more vincti, in tetrum carcerem abjiciuntur. Quare per Deum Opt. Max. per ſancta honeſtarũ literarum nomina, miſerêre afflictæ Univerſitatis, & ea pietate excita & recrea, qua Franciæ Reges, majores tui inſtituerunt, auxerunt, ornarunt. Quæ cúm Salignacus peroraſſet, Rex ad ea perhumaniter reſpondit, ſibi gratius accidere nihil potuiſſe, quám quód ea crimina, quæ de nobis ad ſe delata eſsẽt, falſa eſſe cognoſceret: Liberalitatem ſuam erga doctos homines & literatos, multis argumẽtis adhuc eſſe claram & illuſtrem, clariorem tamẽ & illuſtriorem futuram, ſi quieto pacatoque otio in ſtudiis ſuis permanerent: Rectoresq; Univerſitatis & magiſtri in continendis ſcholaſticis diligentes ac vigilantes eſſent. Hac igitur tam inſperata Regis humanitate recreatus Salignacus, ait à Rectore Univerſitatis, á quatuor ordinum Decanis, à collegiorum magiſtris proviſionem & cautionem majorem præſtari non poſſe: poteſtatẽ enim monendi tantúm illis eſſe, nullã cõprehendendi aut coêrcendi. Quæ ſi Rectori & Univerſitati à Rege tribuatur, ſpondere ſe, nihil Univerſitatis populo quietius & pacatius futurũ. Cumq; cætera illa, quæ dixi, Legationis capita perſecutus eſſet, Rex jubet ea perſcribi, ſe de conſilii ſententia proviſurum, ne fruſtrá imploratus eſſe videretur. Quinetiam reliquorũ Legatorum profeſsiones & nomina ſciſcitatur: nec Salignacus in appellandis ac laudandis Legatis omnibus, ſed præcipué Regiis profeſſoribus, illiberalis fuit: utriuſque etiam diligentiã in ſedando tumultu commemoravit: Ab altero in concione publica diſertê demonſtratum, malè moratam eſſe juventutem, quæ prompta eſſet ad tumultum, ſeditionem, cædes, incendia, quæ ob infauſtum illud pratum contingere dicerentur. In hoc domicilo juris & religionis, in hac doctrinæ & eruditionis ſede, literarum potiús otium, quám arma tractanda eſſe: decereq; placidiſsimarum & quietiſsimarum Muſarum alumnos, quietem & otium amare: propterea metuendum eſſe, ne Academia non ſolúm prati publici,

blici, ſed Regiarum profeſsionum fructum amitteret: Ab altero autem deploratas ſeditionis miſerias, in quas inciderent non ſolúm ii, qui errore publico lapſi, vulnerarentur aut interirent, aut animadverſionis infamia pœnaq; plecterentur, ſed eorum parentes, propinqui, amici, qui graviſsimos luctus ex iis perciperent, á quibus maximas voluptates expectare debuiſſent. Poſtridieq; cúm de ſingulari Chriſtianiſsimi Regis erga Pariſienſem Academiam voluntate, de magiſtratuum vigilantia, de conſenſione omnium ordinum ad publicam dignitatem retinendum diſſeruiſſet, oraviſſe, & per ſpem de ſuis cuique ſtudiis propoſitam, per eam pietatem, quam Deo, Regi, parentibus, magiſtris deberent, obſecraſſe, ut vero teſtimonio teſtificari poſſet, ſe diſcipulos temperantes & modeſtos, neque ſolúm doctrinæ, ſed doctoris ſtudioſos & amantes habere: ideoq; quieti, otio, paci denique publicæ conſulerent. Hæc (inquam) Salignacus de ꝓfeſſoribus Regiis, quæ ipſe in ea perturbatione præſens audierat, non tam ad profeſſorum ipſorum laudem, quám ad communis in pacandis rebus diligentiæ fidem, Regi expoſuit: & quidem Regi non ſolúm intelligēter, ſed libenter, planeq; rebus noſtris indulgenter audienti. quod enim verbū commodius uſurpem? Nec enim Regē Univerſitatis potiús, quám patrem agnovimus. Hîc etiā Delphinum ſalutavimus, perſpeximusq; paternæ pietatis æmulum: eaq; perfuſi lætitia ſumus, ut de ſalute publica optimé ſperaremus. Interea ne mora periculum rebus adferret, ex tempore ad Senatum ſcribit, ne damnati ſupplicio afficerentur: Has literas Henricus Mignæus Mignonicorū gymnaſiarchus, & celeritate & volūtate ſumma retulit, ſicut paucis ante noſtrum diſceſſum diebus, ab Univerſitate præmiſſus, literas cauſſæ noſtræ commendatitias attulerat: quod idē eodem feré tempore Lodoicus Regius, homo & bene literatus, & literariæ Reipub. propterea bene ſtudioſus, Lodoico Potiero Picardo adoleſcente, cauſſæ publicæ cupidiſſimo comitatus, fecerat: egregiamq; unà omnes operam in mitiganda rerū aſperitate præſtiterant. Atque hæc apud Regem: unde ad Io. Bertrandum Cardinalem Senonenſem, Regiorumq; ſigillorum cuſtodem perreximus. Quo homine nemo neque humanior, neque Univerſitatis amantior optari potuit: tam benevolo animo Academiæ Legatos audivit, tam ſapienter admonuit, tam liberaliter adjuvit, ut patronum Pariſienſis Academiæ appellare optimo jure debeamus. Ac ne quid accepti beneficii prætermittam, non putavit Cardinalis Caſtellonius, Univerſitatis cauſſam ſatis à ſe liberaliter acceptam eſſe, niſi Univerſitatis quoque Legatos, liberalitatis erga vos ſuæ teſtes efficeret: nos enim univerſos hoſpitio per Regiū hoſpitiorum deſignatorem excepit, magnificoq; apparatu ac ſumptu tractavit, dū cauſſa noſtra diſceptatur, diplomaque Regium conficitur: Nec interea, cúm forté Cardinalis Lotharingus per hoſce dies abeſſet, Regis adeundi, monendi, ſolicitandi, partes ullas omiſit: veraq; præſtantis animi virtute, Conſervatoris nomen implevit. Unum Dutierum, Regiorum mādatorum ſcribam, præterire nequaquam poſſum, qui tametſi negotiorum multitudine atq; amplitudine premeretur, importunitatem meam (cúm deſiderio conficiendi negotii arderem, aſsiduéq; urgerem, diplomaq; Regium, quia quædam cauſſæ noſtræ minimé reſponderent, ſcribere ſæpius & reſcribere, deq; ea mutatione Regem conſulere pené cogerem) tamen æquitate animi ſumma pertulit: imó etiam liberalitate ſuperavit, nec ullam tanti laboris mercedem capere aliam voluit, quám Univerſitatis gratiam atque memoriam. Is igitur in aulam Regis adventus noſter fuit: Quid autem nominatim à Rege ſit impetratum, é diplomate recitato cognoviſtis. Controverſia ad Regem avocatur. Vincti, etiā damnati, ſuorum magiſtrorum cuſtodiæ committūtur. Duobus Regiorum libellorum magiſtris, de vi & injuriis, quæſtio traditur. Senatuſconſultum totum remittitur, ſicuti Regium edictum de exteris amicis ac fœderatis, deq; Artiſianis, ſi artium ſuarum magiſterium adepti ſint: De iis etiam, pro quibus gymnaſiarchi ſponſores eſſe voluerint. Cæteris autem, liber in patriam commeatus tribuitur. Urbani veró ſcholaſtici in priſtinum ſtatum reſtituuntur.

Quæ utinam voce aliqua pluſquàm Stentorea prædicare modò poſsim, ut me de tãta Regis poſt Reges natos optimi atq; humaniſsimi bonitate & clemẽtia dicentem exaudiant, qui periculi metu profugerunt, quiq; remedium tantis malis deſperare viſi ſunt. Sentire mihi videor, A V D. veſtra omnium jucunda admiratione, gratulationem ſummam declarari, quòd in tam deſperata tamque deplorata cauſſa, tãtùm ſolatii, ſpei, ſalutis, à Chriſtianiſsimo clemẽtiſsimoque Rege percipitis: Reliquũ eſt, ut vos horter & moneam, ut tanti beneficii lætitiam gratiſsima memoria colatis, inſigniq; recordatione poſteris veſtris colendam relinquatis. Supplicatione celebri ac ſolenni ad Divæ Genovefæ pro tanto beneficio feciſtis: Regem, Conneſtablum, Cardinales Lotharingum, Caſtellonium, Senonenſem, gratiis proſecuti eſtis. At omnia hæc temporis unius ſunt: beneficium acceptum diuturnius eſt: Itaque majores etiam gratias poſtulo. Nam ut ait Orator, ſi non minùs nobis jucundi atque illuſtres ſunt ii dies, quibus conſervamur, quàm illi quibus naſcimur, quòd ſalutis certa lætitia eſt, naſcendi incerta conditio; & quòd ſine ſenſu naſcimur, cum voluptate conſervamur: profectò quoniam illum, qui hanc Univerſitatem condidit, Carolum Magnum, benevolentia famaq; celebramus, eſſe apud vos poſterosq; veſtros in honore debent ii, qui Univerſitatem conditam & amplificatam, propè ab interitu vindicarunt, & conſervarunt. Deinde uniuſcujuſque noſtrûm cúm diligentiam in honeſtis ſtudiis retinendis, tum modeſtiam in vita factis, exemplis perpetuam eſſe cupio: Tum veró ſapientes tantæ civitatis magiſtratus civeſque omnes pro ſua Univerſitate obteſtabor eo carmine, quo divinus ille vates apud Ovidium Trojanos pro ſua Pallade obteſtatur:

Aetheriam ſervate deam, ſervabitis urbem:
Imperium ſecum transferet illa loci.

Poſtremó à Deo Opt. Max. deprecor, ut tempeſtas iſta, dirarum omnium Pariſienſi Univerſitati impendentium expiatio ſempiterna ſit: in poſterum autem felicia, fauſta, proſpera, fortunata omnia conſequantur.

D I X I.

P. RAMUS PAULO BERNARDO S.

Efflagitas oratiunculam legationis noſtræ de cōfirmandis Academiæ privilegiis, quæ nō verbis, nihil enim ſimplicius aut tenuius eſſe poteſt, ſed rebus ipſis ſic populum noſtrum afficit, ut nullas neq; gratias, neque laudes legato ſatisfacturas putaret, palamq; ſentiret novos honores exquirendos eſſe. Certe theologus ordinis ſui facilè princeps, quiq; alioqui nobis infenſiſsimus antea fuerat, prædicavit ſi reſp. pateretur, legationem ſtatua dignam videri. Denique uno totius Academiæ conſenſu poſt omnium ordinum collaudationem decretum eſt, ut legationis memoria honorificis verbis in tergo codicis aſcriberetur.

P. RAMI ORATIO DE LEGATIONE

ſecunda, dicta in comitio maturinenſi, pridie Id. April. 1561.

Quod à Deo optimo maximo (doctores eximii) ſemper optaveram, id imprimis mandato veſtro ſperabam mihi cōtigiſſe: id eſt de Pariſienſi Academia bene merendi idoneam occaſionem materiamq; legitimam, cùm vos me legatum de confirmandis Academiæ privilegiis ad Chriſtianiſsimum regem decreviſtis. Querimonia omnium ordinum gravis erat, omnes antiquas immunitates honeſtis ac liberalibus ſtudiis regum liberalitate conceſſas, improbitate & avaritia hominum, quotidie violari ac vehementer imminui: ut nulla propemodum inter profeſſores ingenuarum literarum à bajulis & remigibus differentia reliqua videretur: ærarium Academiæ exhauſtum vel potius nullum eſſe: & tamen in iſtam privilegiorum confirmationem trecentos minimum coronatos conſumi ſolitos, ut oratore vobis opus eſſet ad regem non ſolum parato & vigilanti, ſed liberali & publicæ ſalutis amanti atque ſtudioſo. Itaque cum abſenti veſtra de me legando ſuffragia renuntiata eſſent, reſpondi nemini me in Academia publico quidē amore concedere, ſed pleroſque tamen eſſe ad hoc obeūdum munus aptiores, qui veſtra negotia ꝓcurare ſoliti eſſent: Ea recuſatio veſtris judiciis impoſitę ꝓvinciæ quædam confirmatio fuit. Quareà vobis ad regem confirmandorum privilegiorum gratia legatus ſum. Coronati à Quæſtore veſtro ſexaginta mihi numerati, adjunctus etiam tabellariorum veſtrorum miniſter, qui reliquos majores ſumptus faceret. Cùm itaq; ad regem in Bellaqueum fontem, perveniſſemus, nihil prius nobis fuit, quàm ut literas veſtras regi, reginæ, principi Condeo, Cardinali Caſtellonio, Coneſtabilo, Cācellario, & reliquis heroibus noſtris redderemus: cauſſamq; noſtræ legationis omni diligētia, fide, officioq; ageremus. Ab omnibus benigne & humaniter accepti ſumus: iuſsiq; de privilegiis bona ſpe eſſe, ſed ut magnorū principum aulæ infinitis negotiis occupatæ ſolent eſſe, ita mora quamvis navis & induſtriis, tamen invitis moleſteq; ferentibus per aliquot dies devoranda fuit: interea ſingula privilegia, quæ diſperſis & ſeparatis tabulis negligenter accepta & diſsipata mihi tradita fuerāt, curavi continuatis pergamenis accuratè deſcribenda, & in unum codicem ne impoſterum diſcerperentur, colligenda & conglutinanda. Ea primum Laomenius regis ſecretarius gratis obſignavit, neq; enim propterea teruncium ullum à nobis accepit: quod iccirco commemoro, ut bonorum & publici commodi cupidorum hominum memoria apud vos grata ſit: Hoc codice perfecto cùm ſingula à Cancellario perlecta, probata, & regio ſigillo obſignata eſſent, lis nobis à regiorum ſecretariorum collegio ingens creata eſt, pro ſingulis privilegiis ſingula ſigilla poſtulantium. Quibus cùm objicerem donatum nobis à

rege & à Cancellario id totũ eſſe, reſpondebant aliena jura neq; regis, neq; Cancellarii donis contineri. Amplisſimi collegii, & plurimis capitibus comprehẽſi vectigalia omnia in his ſigillis fundata eſſe: Quinetiam noſtris privilegiis veteribus conſtare ſummam quam poſtularent, eſſe perſolutam: idq; in tergo reverà erat adſcriptum. Quid multa? æquũ equidem petere eos arbitrabar: Attamẽ contra diſſerebam, ſingulos ſeparatim compellando, docendoq; Academiam Pariſienſem nõ mihi magis, quàm ipſis, ipſorumq; liberis & propinquis cõmunem quandam animorum parentẽ eſſe, potiusq; ſingularibus muneribus afficiendam & ornandã, quàm ad iſtas moleſtias redigendam, Et ſane verbis aſſentiebãtur, nihilq; humanius meis poſtulatis affirmabant eſſe, ſed collegiũ multorum etiam abſentium nunquam paſſurum, ut tam inſigni exemplo impoſterum de cæteris Franciæ Academiis tantum rebus ſuis periculũ crearetur. Quid igitur? Exiſtimatis nos iſtis inficiationibus fractos aut debilitatos eſſe? Minimè verò, ſed omnia prius tentare atque experiri placuit, quàm ullum ſedulitatis officium deſerere. Quare Cancellarium & Cardinalẽ adorti rogamus, ut ea controverſia regio judicio diſceptetur, & ſanè vehementer acriterq; utrinq; diſceptata eſt, ut neq; nos plane vinceremus, neq; planè victi diſcederemus, pro quinquaginta coronatis, qui exigebantur, quinq; & viginti perſolvimus. Legationis igitur meæ rationem accipite: Privilegia Academiæ univerſa mihi commiſiſtis, en univerſa vobis reſtituo reddoq;, prætereaq; unum ex omnibus codicem regia authoritate, ſi forte antiqua illa deperirent, pro omnibus perinde confirmatum. Coronatos à vobis ſexaginta accepi. Scribæ pro manus & pergameni precio ſex, ſecretarii, quinque & viginti: ſumptus tot dierum, qui nobis in ea legatione conſumpti ſunt, duos & viginti abſtulerunt. Reliqui ſunt ſeptem cum aſsibus triginta, quos tu Quæſtor accipito, & in publicas tabulas ſingula hæc uti facta ſunt, referto, ut poſteris noſtris expreſſum cõfirmandis privilegiis exemplum ſit, qui ſumptus, quomodo, per quos procuratione iſta veſtris judiciis approbandi ſint. Pro me tamen ad extremum (doctores eximii) veniam à vobis univerſis, pro ſummo legationis præmio deprecabor. Statuerã enim veſtrûm omnium de me expectationem non ſolum fide & officio ſuſtinere, ſed omni diligentia, induſtriaq; ſuperare, privilegia Univerſitatis gratuita & liberali confirmatione cõfirmare: Id aſſequi nullo ſtudio, nullove labore potui. Quapropter ſi minus obtinui, quàm contendi, quæſo vos æquis animis ignoſcite.

INDEX IN LIBROS SCHOLARUM GRAMMATICARUM: PRIMVS NUmerus columnam, ſecundus lineam ſignificat.

Grammatice preſtantia é ſuis authoribus, é philoſophis Platone 1,32.
Ariſtotele & Theodecte 40.
é Stoicis 2,13.
Grammatica latina diu nulla fuit 20.
Grammatice latine Crates primus author 34.
Grammatice artis viginti ſchole Rome 3,1.
Grammatica latina Varronis in libris quatuor & viginti diſtributa in etymologiã, analogiam, ſyntaxim 7 *et deinceps.*
Sex primi in etymologia 44.
Sex proximi in analogia 55.
Duodecim reliq in ſyntaxi 4.6.
Grãmatica Ciceronis qualis 11.
Grammatica Ceſaris 21.
Grammatici ad Priſcianum uſq; qui 5,11.
Grammatice formande ars que 20.
Grammatice materies ſermo purus 32.
Grammatice authoritas non eſt petenda á poetis 6,10 *& deinceps.*
Grammatica non eſt ſignificationum, ſed adſignificationũ 38 *& deinceps.*
Grammatice partes nõ quatuor ſed due tantum 7,35.
Grammatica de ſpecie & figura generalis & ſemel explicanda 43.
Vocis genera duo tantum & utriuſq; bine ſpecies 52.
Grammatice methodus 8,30.
Grammatica non verſu ſed proſa tradenda eſt 9.20

IN LIBRUM SECUNdum de ſonis literarum.

Grammatica quid 11.2
Chryſippus pro anomalia 6 *& deinceps.*
Ariſtarchus pro analogia 40 *& deinceps.*
Varronis judicium pro grammatice analogia 12,38.
Populus ſermonis magiſter, ſed quis populus 43 *et deinceps, unde fatuus hominum error patet* 16.
Grãmatica unde dicitur 15,38.
Grammaticus & grammatiſta quid 16,4.
Grammatice partes etymologia & ſyntaxis 20.
Analogia quid 24.
Etymologia quid 31 *&* 17, 49.
Methodice grammatica quid 50.
Grammatice pars non eſt hiſtorice 51.
Proſodia & orthographia non ſunt precipue partes, ſed fuſe ſunt per artem totam 17, 12.
Vox pro vocabulo 18,1.
Litera quid 3.
Literarum inuentio 21.
Litere primo quot 28 *& deinceps.*
Litere alie ſacre, alie vulgares 36.
Literarum uſus eternus 19,9.
Litere Grece á Gallis 11.
Litere latine veteres ſedecim 22.
Litere natura unde intelligitur 25.
Literarum ſoni é quibus cauſsis diſtinguendi 34, *& quanti momenti* 52, *& quomodo hinc genera literarum querenda* 20,19: *& deinceps.*
Literarum organa 22,17.
Literarum ſonus urbanus 25.
Literarum alphabetum ſine methodo 40.
Literarum prima genera vocalis & conſona 50.
Vocalis quid 23,3.
Vocalium partitio in longas, breves, ancipites improbata latinis 15.
Vocales diducte 33.
á quomodo ſonat 34.
é, quomodo ſonat 24,6.
ἦτα vitioſe profetrur uti 25.
ï, quomodo ſonat 47.
Vocalis inter e & i 25,11.
Vocales contracte 32.
o quomodo ſonat parvum & magnum 38.
ω quomodo ſonat & ſcribitur Francis 26,2.
U, quomodo ſonat 22. *ſonat ut diphthongus ů* 40.
Greci videntur labi in u diphthongo 27,13.
o & u affinitas 27.
y quomodo ſonat 50.
y Palamedis litera 28,1.
y vitioſe profertur 4.
y ſonat ut u liquida 8
y ſine cauſſa ψιλὸν nominatur 50.
y figura qualis eſſe debeat 29,1.
y ſonus qualis 16.
y, utrum n recte hya dicitur 30.
y tantum eſt in grecis vocibus 40.
Conſone ſemivocales aut mute 30,4.
Semivocales liquide 6.
ſ, prima ſemivocalis & ſono triplex 6.
ſ, ſonus quám gratus 28, *ſonus ferinus* 40.
ſ, ſonus duplex Francis 52.
r ſonus 31,13.
r, canina litera 23.
ſ & r cognatio 50.
r & l cognatio 23.
l, litera dulciſsima 48.
l liquor 32,5.
m & n liquores 33,14.
m, mugitus 20
m, ſequente vocali molitur & obſcuratur, non tollitur 46.
n, ſonus ſuavis 34,28.

m & n cognatio 55.
n ſonus duplex 35,11
n liquor 27.
Semivocales firmæ ſ,v,f. 38.
Jod Hebræorum 52.
Vav ſonus apum 36,19.
Vav digamma æolum 26.
Vav nominata á Varrone & Didymo 26.
f ſonus 37,6.
f ſonus levior quâm ph, ibidem.
f & vav cognatio 21.
f & ph cognatio 50.
f Quintiliano aſpera 58,27.
f eſt ſemivocalis 50.
Conſonæ mutæ 39,2.
T & d cognatio 21.
T pro ſ vitioſa prolatio 26.
D ſonus 53.
T & d cognatio 40,3.
C & G cognatio 35.
C, Q, k, litera una, figura triplex 37.
k Latinis otioſum 41,16.
C vitioſa prolatio 26.
C & q, ſonus idem 42,11.
G ſonus 43,8.
G & C cognatio 16.
G vitioſus ſonus ante e & i 44,1.
X vitioſa litera 7.
B & P ſonus 45,13.
B & G ſonus idem 33.
B cognatio cum aliis literis 42,
ψ repudiata á latinis non rectè 46,26.
H utrum litera 32 & deinceps.
H prudentius á latinis tractata quám á græcis 49,7.
H quis uſus 25.
H poteſt præponi omnibus vocalibus, poſtponi autem conſonis quatuor r, c, ſ, p, idq; in voce græca 50,22.

IN LIB. III.

Syllaba quid 51,30.
Diphthongus quid & quotuplex 40.
æ diphthongus varia 52, 13.
æ latinis antiquis fuit ai 15.
æ vitioſe per e profertur 41.
αι græca diphthongus barbarè profertur per e & ſcribitur per æ 45.
œ diphthongus duobus ſonis proferenda ut á francis profertur 52.
Oi barbarè profertur per i, 53.2
Eu diphthongus in paucis 40.
Au et eu cum græcis communes, ſed á græcis barbarè ut af & ef proferuntur 46.
ei diphthongus quando probata & improbata 48. ᾳ ῃ ῳ, diphthongi græcæ á barbaris notarus inductæ 54, 34.
ει diphthongus græcè per i barbare profertur 56,17.
Syllaba è pluribus conſonis 27 et deinceps: ubi orthographia veterum præcipua.
Syllaba ſex tantum conſonis conſtare poteſt 56,36.
m n barbarè profertur & ſcribitur 58,32.
Syllabarum compendia quæ probanda 59,33.
Proſodiæ & orthographiæ ratio conjuncta 60,6.
Proſodia & orthographia non ſunt præcipuæ partes grammaticæ 61,12.
Syllabæ proſodia in quantitate generalibus regulis extremarum & ſpecialibus incrementorum contenta 61,17.
Syllabarum primarum & mediarum quantitas quomodo perdiſcenda 45.
Syllabæ brevis modi quatuor 62,14.
m, non elidebatur in verſu 17.
Syllabæ longæ duo tempora 26.
Syllabæ longæ modi duo natura & poſitione 53.
Longæ natura modi quatuor 63,9.
u liqueſcit inter ſ, q, g, & vocalem 18.
j duplex tempore 42.
j olim duplici ii notatum 64,4.
Poſitio anceps de r & l 47.
Syllabæ quantitas nulla hodiè profertur 65,39.

IN LIB. IIII.

Accentus quid 66,25.
Accentus olim triplex 44.
Acutus jampridem ſolus ſupereſt 67,14.
Apoſtrophus utrum latinis 67, 37.
Accentus commutatio ubi 68, 10.
Notationis ſpecies compoſitio & flexio, & compoſitio quid 69,10 & deinceps.
Compoſitio mutat diviſionem ſyllabarum 70,4.
Notatio in derivatione á quibus & quomodo tractata 53.
Declinatio quid ſit Varroni & Ariſtoteli 72,43.
Declinationis utilitas ut ex uno verbo plurima habeantur 73, 32.
Verba latinæ linguæ primigenia quot 74,13 & deinceps.

IN LIB. V.

Vox eſt numeri aut ſine numero 76,52.
Quám variè jactata ſit hæc prima vocum partitio ab Ariſtotele, Varrone & aliis 77,3 & deinceps.
Numerus prima vocum differentia 79,17.
Numerus eſt duplex 23.
Numeri differentia temerè per vocum ſpecies iterata 80,8.
Flexio recta & obliqua 15.
Partitio hæc cur omiſſa 81,11.
Vox numeralis nomen aut verbum Ariſtoteli 19.
Pronomen non eſt ſpecies vocis á nomine diſtincta 21. Participium non eſt ſpecies á nomine diſtincta 52.
Nomen quid 82,1.
Significationis conſideratio non eſt artis grammaticæ, atque hinc errores 28.

Genus quid, & qualis de ipſo grammatica 83,13.

IN LIB. VI.

COmparatio in quibus 85, 37 & deinceps, ubi anomalia plurima.
Diminutio nominum 94,47.

IN LIB. VII.

CAſus quid & quotuplex 96,17.
Caſuum vocabula quæ 97,23.
Caſus ſimiles qui 99,41.

IN LIB. VIII.

DEclinationum partitio varia á grammaticis 100, 16.
Declinatio pariſyllaba vel impariſyllaba 41.
Pariſyllaba duplex 101,17.
Pariſyllaba prima habet unicum finem fœmininum 18.
Anomalia numeri 102,15.
Anomalia caſus 109,55.
Anomalia generis 111,53.

IN LIB. IX.

PAriſyllaba ſecunda quatuor fines habet 113,32.
In us anomalia græci caſus 113, 42.
Anomalia contractionis 114, 20.
Anomalia numeri in deſinentibus in us 115,39.
Anomalia vocativi 117,28.
Anomalia generis 121,43.
In er, anomalia 122,55.
In am, anomalia numeri 124,6.

IN LIB. X. DE pronominibus.

ANomalia ego, tu, ſui 126, 23.
Anomalia hic, is, quis 127, 47.
Anomalia reliquorum pronominum 129,53.
Tria duntaxat hexaptota, unus, ſolus, totus, 130,41.
Caſus in ius erãt analogi veteribus 55.
Pronomina non rectè ſeparantur á nominibus 133,7.

IN LIB. XI.

IMpariſyllabæ cõmunia 134, 36.
Impariſyllaba duplex 30.
Impariſyllaba prima 55.
Anomalia in nominativo 8. & deinceps.
In genitivo plurali 136,23.
In es 51.
Genitivi 137,7.
Accuſativi 138,3.
Ablativi 39.
Genitivi & accuſativi pluralis 139,29.

IN LIB. XII.

IMpariſyllabæ ſecundæ communia 140,30.
In as 141,47.
In ix 142,24.
Creſcentia per a 53.
Aris 143,7.
Alis 27.
Atis 144,11 quales dativi plurales 32.
Acis 145,17.
Creſcentium in ei unde temere facta quinta declinatio 145, 20.
Eris 148,11.
Enis 46.
Etis dupliciter flexa 149,1.
In inis 40.
Creſcentium per o 150,49.
Græcorum in us & onis 151, 36.
Us 154,19.
Bus dativus pluralis 160,45.
Creſcentia per y 161,20.

IN LIB. XIII.

ANomalia adjectivorum in ſingulari & in plurali communium 167,42.
Aptota 162,47.

IN LIB. XIIII.

MOdorum finiti & infiniti partitio in verbo antiqua 167,11 & deinceps.
Modi finiti partitio nihil verborum naturam diſtinguit 168, 35.
Eadem eſt falſa 171,25.
Tempus in verbo quid 52.
Conjugatio finiti verbi per tempora infecta & perfecta eſt Varronis 172,5.
Tempora ambigua amem, amarem, amaverim 173,9.
Amantote amaminor rejicienda 30.
In rimus & ritis penultima licenter corripitur 37.
Præteriti perfecti formatio 52.
Præteritum in luit & pluit prima longa 175,26.
Paſsiva & deponentia ſine præterito 30.
Infinitum perpetuum aut participiale 41.
Infiniti tempora adſignificantur finito uerbo 176,33.
Infiniti futurum nullum 177, 13.
Infinitum participiale an verbũ 179,52.
Supina non ſunt nomina 183, 49.
Participium eſt nomen 184, 22.
Participiorum tempora 186,2.
Participium in dus futurum nullum 188,42.
Perſona verbi, verbum perſonale vel unperſonale 190, 18.
Formæ verborum inanes 191, 16.
Formæ verborum utiles 193,2.
Verbum commune nullum 55.

IN LIB. XVI.

COnjugationum differentia tentata á Didymo 190, 12 & 199,18.
Ex Priſciano 201,15.
Conjugationis primæ in bo anomalia 202,15.

IN LIB. XVII.

Conjugationis ſecundæ in bo anomalia 205,45.

IN LIB. XVIII.

Conjugationis primæ in am anomalia 209,5.

Præteritum in ui penultima longa 211,22.

Anomalia verbi Edo, Sum 219,14.

Anomalia verbi Volo 221,6.

Anomalia verbi fero 222,10.

Anomalia deponentium 19.

IN LIB. XIX.

ANomalia ſecundæ conjugationis in am 223,53.

IN LIB. XX.

VOcum ſine numero genera duo tantum adverbium & conjunctio 225,40.

Varronis quæſtio de numero vocum ex una ortarum 229,34.

Figuræ ſyntaxeos 230,37.

ELENCHVS PRAECIPVORUM CAPITUM IN SCHOLAS RHEtoricas.

ARtes liberales ſunt regiæ, præfa. p 1.

Artis perfectio continetur uſu theorematum, deq; hac quæſtione ineptiæ 243,23.

DE GRAMMATICA.

GRammatica eſt ars puri ſermonis 238,34:255,39:269,33:295,5:329,28:340,4:364,44.

Verbi proprietas inepte diviſa 365,19.

Grammatica figura 381,20.

Grammaticæ ſyntaxeos diſtinctio 384,16.

Grammaticæ exercitatio 350,44.

Quintilianus ignarus Ciceroniánæ dictionis 380,42:381,27.

DE RHETORICA.

RHetoricæ forenſis nomine politica facultas ex omnibus artibus vitioſe confuſa, præf. p 3, 233, 40: 235, 13, & deinceps toto libro: 254, 8: 273, 8: 278, 26:279, 2:319, 15: & deinceps 393,15.

Rhetor nominatus á dictione forenſium cauſſarum 244,32:323,10.

RhetoricaCiceronis vitia, præ. p 3,234,32.

Rhetoricæ forenſis exercitatio 335,17:388,17. ubi lectio nõ præſtat auditioni 388,24.

Rhetoricæ ridiculum diſcrimen á dialectica, quod hæc brevior, illa ſit latior 280,38:358,28.

Rhetorum differentiæ é regionibus, ut attici, aſiatici, præf. p 3.

Rhetoricæ forenſis partes quinq; 339,38:349,1.

Rhetoricæ ariſtoteleæ qualis confuſio 266,10.

Rhetoricæ partes elocutio & actio 238,40:254,22:268,28:269,40:340,7.

Rhetorica elocutionis 290,7: & deinceps.

Elocutionis vanæ differentiæ, ſubtile, grave, medium 247,31:275,35:394,5: item in ſingulis & conjunctis 364,37: et deinceps: Item in oratoribus græcis & latinis 249,30: In ſophiſtis 250,51: In philoſophis, ſophiſtis, hiſtoricis, poetis 271,37.

DE TROPO.

TRopus quid & quotuplex 368,39: Tropi quatuor 374,36.

Tropus durior dicitur catachreſis 371,30.

Continuatus dicitur allegoria 372,54: audacior dicitur, hyperbole 374,20.

Metonymia quid & quotuplex 370,10.

Ironia 373,47: non eſt figura 379,32.

Metaphora quid & unde 369,10.

Synecdoche 369,49: aliquãdo dicitur antonomaſia 371,13.

DE FIGVRA.

FIgura quid & ejus differẽtia á Tropo 375,50:377,41.

Figura eſt dictionis, vel ſentẽtiæ, & quotuplex utrumq; genus 377,45.

DE FIGURA DIctionis.

FIgura dictionis & ejus confuſio deinceps 380,27.

genera 382,13.

Figura dictionis inepte diviſa in grammaticam & rhetoricam 381,5.

Continet compoſitionẽ 383,37.

Compoſitionis rhetoricæ mateotechnia 383,37.

Numerus & continuitas 293,42: & deinceps.

Numeri origo, cauſſa, natura 297,46.

Numeri cauſſa hyperbatum 374,8.

Numeri uſus 310,8: et deinceps.

Numeri per pedes vitioſa partitio 301,40:385,26.

Numeri é pedibus genera ſeptem 311,11.

Numeri Ciceroniani uſus refellit artem Ciceronis 313,9.

Numeri poetici & oratorii differentia 386,36.

Numeri ſummaria doctrina 314,52:385,9:386,31.

DE FIGURA SENtentiæ.

FIguræ ſententiæ quid & quotuplex 378,37.

Correctio

Correctio 379,18.
Addubitatio 379,20.
Communicatio 379,20: & ei ſubjecta ſuſtentatio 27.
Prolepſis 379,7.
Permiſsio 379,20.
Conceſsio 379,20:380,4.
Elocutionis exercitatio 388,16: & deinceps.
Pronuntiatio 392,41.

DE DIALECTICA.

Dialecticæ ridiculum diſcrimen á rhetorica 280,38:358,28.
Dialectica eſt etiã decori 276, 8:391,30.
Dialecticæ confuſio in Quintiliano 361,30.
Dialecticæ partes inventio & judicium 283,13:241,27: 254,32:282,28:339,50.
Inventio dialectica tota eſt communis omnium rerum 258, 45:350,21.
Inventionis dialecticæ confuſio é partibus dialecticæ præcipua 338,43:344,51.
Locus pro argumenti præcepto ambigue dicitur 261,32.
Locorum communium matæotechnia 262, 9 Inventio demonſtrationis 347, 36: Deliberationis nulla 348,15: Exordii 351,10: narrationis 351,30: communis 354,17: ea triplex docendi, delectandi, movendi 359,39.
Argumẽti definitio vitioſa 356, 12.
Argumentum artificiale vel inartificiale 354.34.
Artificialium inepta diſtributio 355,1.
Loci particulares ex effectis & adjunctis inepti 356,32.
Conjugata vitioſe rejecta 357, 14.
Partitio 352,28.
Idea confuſius expoſita 240, 51:242,5.
Diſpoſitio judicij mater memoriæ 238,23:268,18:392,14.
judicii logica ignota 262,50: et deinceps: 341,12:360,12 & 48.

DE ENVNTIATO.

Lex per ſe in artium diſtinctione 238,34:322,1:339, 48: Huic legi contrarius utilitatis electbus 242,31:245, 28:339,27:381,15.
Quæſtionum diſtributio inutilis 257,32:283,43:342,42 361,11: Quæſtio propria etiã tractatur arte 259,20.
Methodus confuſa nomine partiũ orationis 264,30:349, 11:352,46.
Methodus per generum diſtributionem 347,53.
Exordii benevolentia, attentio, docilitas inepta 350,43.
Methodi κρυπτικά 358,18

DE ELENCHIS.

Obſcuritas in verbis ſingulis aut conjunctis 366,30.
Egreſsio neq; figura neq; pars cauſſæ 352,20.

ERRATA.

356,47: Adjunctorum & ſubjectorum. 370,2 Dies & nox. 382,17: Anadiploſis.

ELENCHVS IN PRAECIPVA CAPITA SCHOLARUM DIALECTIcarum.

Artis verbum quomodo differat á vocabulis ſcientiæ, ſapiẽtiæ, & ſimilibus 439,15.
Dialectica quid ſit explicatur 30,48.
Dialectica eſt rationis non ſermonis 398,18.
Dialectica an inventa, ab Ariſtotele 611,43.
Dialecticæ authores Hebræi 2, 23: mathematici 4,10: Phyſici 5,55: Socrates, Pyrrho, Epicurus 9,20. Antiſtenii & Stoici 13,4. Academici 19, 30. Peripatetici & Galenus 26,48.
Dialecticæ corruptio quando & unde 29,27.
Dialecticæ Ariſtoteleæ obſcuritas 66,48.
Dialectica tota communis 38, 12:402,53.
Logicæ & dialecticæ vocabula quomodo cõveniant 35,24: quomodo nunc generaliter nunc ſpecialiter intelliguntur 41,24.
Dialectica triplex refellitur 37, 12.
Dialecticæ finis non eſt demonſtratio 42,50.
Dialecticæ finis eſt bene diſſerere 46,35: uſus 189,23.
Dialecticæ ſubjectum 48,44.
Logica Ariſtotelis á Porphyrio non bene collecta 80,27.
Dialecticæ partitio in inventionem & judiciũ probatur 53, 37:562,47:548,17.
Vitioſa partitio refellitur 58, 48.
Inventio ſeu logica ſeu categoria inveniendi argumenti Topica quid, & quid Topus ſeu locus 496,1.
Topicæ utilitas 500,18: 501, 21.
Topica ab Ariſtotele prępoſita libris de ſyllogiſmo 256,57.
Categoria quid et quis uſus 112, 40:146,17.
Categoriæ dãnari vidẽtur 247, 18.
Categoriæ Porphyrij non eſt Ariſtotelis 86,1.

DE LOCIS INVENtionis.

Argumentũ dicitur categorema et qd 74,55. principiũ 246,

246,19: & terminus 293, 46.
Categorematum quis uſus 107, 29.
Categorema diviſum inconſtanter 77,19: 82,5: 118,55: 120,28: 246,50.
Categorematum utilitas imperfecta deſcribitur á Porphyrio 78,25.
Categorematum differẽtiæ 105, 29.
Categorematum et categoriarum ineptiæ refelluntur 270,2.
Argumentorum infinitas 313, 39: 350, 48: 423, 43: 437.20.
Inventio tota eſt communis 50, 1: & *temerè diſſecta ab* Ariſtotele *per quæſtiones* 51,5: 52,31: 254,51: 506,35: 531,26: 536,23: 541,40: 545,20: 555,38.
Inventio cõmunis laudatur 516, 22.
Inventio in priore analyſi in quinq; argumentis effectis, adjunctis, oppoſitis, diviſione, definitione 246,6 & deinceps.
Mediorum inventio inepta è definitionibus ſyllogiſmorum, ubi pons aſinorum 251,40: & deinceps.
Inventio poſterioris analyſeos attingit cauſſas, effecta, ſubjecta, adjuncta, diſtributionem, definitionem 314,20.
Inventio in inſtrumenta & locos inepte diviſa 514,21.
Inventionis loci quinam toto organo expoſiti 498,37.
Cauſſæ cognitio ſciẽtia 330, 12.
Cauſſæ categoria nomine ſubſtantiæ confunditur 121,50: *ejus impietas* 124, 40. *Hic* ὕλη *propriè comprehẽditur* 126, 27.
Cauſſarũ genera quatuor 468, 3.
Efficiens citatur 527,40: 530,51 *bis*: 556,16 *bis*: 545,32 *bis*: 546,51.
Materia citatur in generibus cauſſarum 468, 3. *non citatur in Topicis nominatim* 499,17.
Forma nomine differentiæ inepté tractatur 96,21.
Forma citatur nomine differentiæ 516,48: 536, 6 *ſepties*: 545,26 *octies*.
Finis citatur 530,53 *quinquies*.
Categoria actionis 140, 53.
Effecta nomine accidentis 246, 36: & *deinceps*.
Effecta citantur 530,55: 545, 33.
Effectorum nulla eſt infinitas 474,8.
Cauſſarum & effectorum locus 311,12.
Cauſſarum & effectorum circulatio 475.16.
Cauſſarum & effectorum ὁμογονία 483,10.
Subjectum citatur 522,24: 526,1: 530, 52 *bis*: 556, 19: 541,43 *ter*: 546,51.
Locus temeré fit categoria 141, 4: & 6.
Categoria adjunctorum comprehenſa nomine paßionis 140, 53.
Adjunctum proprium 101,47: 247,36: 248,52: 506,16.
Adjunctũ cõmune accidẽtis nomine malè confuſum 104,22.
Adjunctum citatur 524,28: 528,31: 530,55: 545,33 *bis*: 546,52.
Adjunctum temporis temerè fit categoria 151,6.
Locus ſubjecti & adjuncti 311, 40.
Categoria contrariorũ 142,51.
Contrariorum locus rejicitur 249,8: 555,23.
Contrariorum medio carentium maxima 525,2.
Contrarium inſtantiæ nomine 296,2.
Adverſa citantur 246, 40: 248,50: 510,22: 515,48: 516,46: 523,39: 525, 41,47,54: 526,1: 527, 12: 530,52 *ter*: 536, *decies*: 541, 42 *octies*: 541,44 *ſexies*: 545,26 *ſepties*: 546,51 *ſepties*: 555,41.
Relata quid 134,30.
Relata citantur 527,26: 536, 16 *novies*: 541,45 *bis*: 545, 30.
Privantia citantur 516, 47: 527,20: 556,18 *ter*: 241, 45 *bis*: 545,34 *ter*.
Contradicentia citantur 516, 47: 526,5: 536,16: 541, 45 *ſexies*: 555,40.
Cõtradictionis axioma omne affirmare aut negare verũ 319, 15: 401,12.
Contraria quænam ſunt maxima 187.40
Diverſa & diſparata nominatim non citãtur in Topicis 499: 17
Categoria parium, majorum, minorum temeré nomine quantitatis confunditur 128,1.
Paria nomine ſimiliũ 527,46: 528,11: 530,55 *bis*, 536, 21 *ter*: 541, 48 *decies*: 546:51 *bis*.
Maxima majorum 527,54.
Majora citãtur 516,48: 527, 52: 530,55 *bis*: 556,20 *ter*, 541,49 *quinquies*: *laudantur* 531,33.
Minora citantur 516,48: 527, 52: 531.1 *bis*: 536,20: 541, 49 *quater*: 546,52 *ter*: *laudantur* 531,33.
Maxima minorum 527.54.
Categoria ſimilium & dißimiliũ temeré nomine quãtitatis confunditur 137,6.
Simile & dißimile vel idem et diverſum quotupliciter 507, 35: 541,54.
Simile citatur 510,22: 515, 48: 516,48: 517,18: 530, 54: *ter*: 556,15: 555,39. *laudatur* 517.18
Dißimile citatur nomine differẽtiæ 517,18.
Differentia numeri diſcutitur & ejus impietas 93,14.
Conjugatorum quiddam in paronymis 118,36.
Conjugata citantur 516,47: 527,30: 530,55 *bis*: 556, 14: 541,43 *quinquies*: 545, 35: 546,50 *ter*: 555,39.

Notatio citatur 525,5.
Diſtributio 313,21: eius utilitas 477,27: 481,33. temere damnatur 555,7.
Inductio 295,1:297,36:510,54:517,41: 551,23. eius uſus 419,53:257,22.
Totum citatur 586,19: 541,44 bis,545,37 quater: 555,40 bis.
Pars citatur 586,19:541,44:545,36 ter: 555,38 quater.
Genus quid & quotupliciter dicatur 80,27:88,3:516,19.
Generis maxima 119,49.
Generis vitioſa definitio refellitur 91,30.
Genus citatur 516,47:517,22:523,39 & 53:545,26 octies: 546,52 bis,555,40.
Species quid et quotupliciter dicatur 84,39:88,3.
Speciei vitioſa definitio refellitur 91,30.
Species citatur 516,49:521,8: 523,43:531,3:556,6 ſedecies,541,44:545,28 ter:546,52:555,40.
Exempla Homerica 552,24.
Exemplum qualis ſyllogiſmus. 296,42.
Generis ſummi & infimæ ſpeciei uſus eſt aliquis 248,1:250,50.
Definitio generis & ſpeciei unde 476,20.
Diviſio generis in ſpecies improbatur temere 258,30.
Idea res logica eſt 96.20: 400,7.
Idearum quæſtio difficilis 79,27.
Definitio quid 313,21: 506,3.
Definitionis locus citatur 248,47:515,48:516,47:522,23:524,1:536,9:541,42:545,26:555,38 bis.
Definitionis nugatoria doctrina 451,22:542,2.
Deſcriptionis matæotechnia nomine proprii 537,19:& deinceps.
Definitum citatur 545,26.
Teſtimonium humanum citatur 510,20: 515,48: 522,50.
Loci inſulſi & ſub alijs generalibus comprehenſi quidam in Topicis, ut ab appetitu, idea, complexione, ente, bene habente, cognomine, compoſitione, oppoſitione, ablatione, inſtantia, digreſſione, poteſtate, & ſimiles ineptiæ.

DE IUDICIO.

Iudicij analyſis quid & cur obſcura in arte 191,28:193,13.
Analyſis logica 262,47: & deinceps.
Diſpoſitio ars memoriæ 606,1.
Geneſis idē quod ſyntheſis 262,32.
ἑρμήνεια quid 158,17.
Enuntiatum quid & quotuplex 163,35.
Enuntiati differentiæ 196,35.
Enuntiati contradictio 166,52.
Enuntiata contradicentia in futuris contingentibus 172,3: Hic impietas Ariſtotelis oſtenditur 178,20.
Affirmationis præſtantia ſupra negationem 431,33. & proximo capite.
Enuntiatorum ex argumētis differentiæ 435,8.
Enuntiatum principium 340,2: eius inepta partitio 343,35. Hinc oppoſiti cognitio 349,8.
Enuntiatum apodicticum 341,49.
Enuntiatum κατὰ παντὸς 312,8:354,35:374,48.
Enuntiatum καθ' αὑτὸ 312,37: 355,26:378,28: & totis tribus deinde capitibus.
Enuntiatū καθόλου πρῶτον 313,1:363,24:366,8.
Enuntiatum dialecticum 341,48:510,7:296,14.
Enuntiatum generale colligitur inductione 419,53: 323,45:485,36.
Generalis enuntiati ſcientia eſt nō abſoluta 321,5: et 323,9.
Specialia enuntiata temere rejiciuntur 249,16:505,14.
Enuntiatum connexum συνεχὲς καὶ ἀκόλουθον melius dicitur quàm hypoteticum 243,14.
Enuntiati converſiones ſophiſticæ 202,18.
Quæſtionum inutilis diſtributio 49,23 & deinceps, 311,3: 444,15:501,44:507,48:511,23.
Quæſtiones quæ ſunt eædem 482,40
Syllogiſmus quid 199,13: 501,7:510,54.
Syllogiſmi logica communis omnium rerum 243,30:251,1.
Analyſis ſyllogiſmorū parte deficientium in enthymemate 264,30: redundantium in proſyllogiſmo 265,10: ordinis 266,30: terminorum & figuræ 268,21: orationis aptæ 269,31: & deinceps: hypothetici ſyllogiſmi 274,18.
Enthymema 296,23.
Propoſitio pars inventionis inepte efficitur 514,37.
Syllogiſmi ſimplicis prima figura 112,19 :ſecunda 219,31: tertia 221,51.
Syllogiſticarum figurarum axiomata 243,50
Syllogiſmorum ſimplicium inepta collatio 429,34.
Syllogiſmus non eſt tantum in triplici figura ſimplici 240,30.
Syllogiſmi nugatoria differentia: perfecti,imperfecti 199,13.
Oſtēſivi,hypothetici 240,42: 242,36:257,7.
Apodictici dialectici,piraſtici, ſophiſtici 501,14: apodicticus refellitur 333,33:448,1: Per converſionem & aſſumptionem 277,13: ex falſis 279,27. per circulum 281,10: per oppoſitam converſionem 283,3: per impoſſibile 284,3: per contraria 285,24.

Syllo-

Syllogiſmorum ἀναγωγὴ quàm inepta 226,10: et deinceps: 275,49.
Syllogiſmus connexus ſecundus 526,23.
Analyſeos prioris uſus 299,11 & deinceps
Methodus á generalibus 327, 47.
Methodicum prius duplex 338, 41.
Methodus inepte á Porphyrio uſurpata 87,13.
Methodus Cryptica 292,30: 551,16.
Analyſeos poſterioris ſumma 305,48.
Dialecticæ exercitatio 589,12.
Sophiſtica quid & quám late pateat 563,11: et deinceps inſtruitur 549,28.
Homo natura ſua ſervus ſophiſmatis 568,12.
Elenchus opinionis 293,8.
Elenchus dictionis inuſitatæ 565,10.
Homonymiæ 117,36: 171,38: 515,13: 523,11: 566,40.
Metaphoræ 568,32.
Amphiboliæ 570,26.
Expoſitionis 571,50
Petiti principij 288,9: 543, 26: 545,2: 573,49.
Heterogeniæ 574,43.
Tautologiæ 544,12: 576,18.
ἀναίτιον ὡς αἴτιον 291.22.
Factorum 577,50.
Subjecti 578,12.
Adjuncti 578,42
Antiphaſeos 292,54: 580,5.
Comparati 581,24.
Conjugati 583,11.
Notationis 583,24.
Diſtributionis 513,41: 181, 10.
Definitionis 580,42.
Teſtimonij 587,38.
Enuntiati falſi 292,16: 588, 10.
Enuntiati affirmati & negati 589,2.
Contingentis 234,37.
Generalis & ſpecialis 589,30.
Conjuncti & oppoſiti 590, 10.
Syllogiſmi ſimplicis 592,1.
Syllogiſticæ concluſiones ſophiſticæ communes trium figurarum 223,53.
In ſecunda figura ex affirmatis 411,45.
Ex neceſſario & abſoluto 229, 31.
Ex contingentibus 236,47.
Ex contingente & ſoluto elenchus 238,8
Connexi 594,38.
Disjuncti 596,34.
Methodi 596,50.

ERRATA

534,33: primis quatuor.

468,3: fac titulum capitis undecimi

ELENCHVS IN LOGICAM ACROAMATICIS LIBRIS TEMERE confuſam.

ARs quid á natura differat 679, 54.
Logicæ inventor Ariſtoteles falſo creditur 787,15.
Dialecticæ imperitia lapſi phyſici 652,1 & 20.
Categoria entis inconſtanter diviſa in tria genera 623,40: in quatuor 689,36: in ſex 646,53: 744,6
Conſentaneum diſſentaneum nominibus unius vel ejuſdem et oppoſiti 750,52: inconſtanter tractatum 624,33: 628,7
Cauſſarum homogenearum alia prior, alia poſterior, alia per ſe, alia per accidens, alia remotior, alia propinquior, alia potentia, alia actu, alia ſimplex, alia cõpoſita 673, 11: & deinceps tales cauſſarum differentiæ
Logicam cauſſarum ignorãtiam Ariſtoteles reprehendit in phyſico 685,1.
Logica cauſſarum toto ſecundo phyſico tractatur.
Cauſſarum genera efficiens, materia, forma, finis 672,40.
Cauſſæ & ex ijs compoſitũ ſignificãtur naturæ nomine 663, 50.
Cauſſa nomine naturæ comprehenditur efficiens, materia, forma 663,43.
Efficiens nomine naturæ 664, 14.
Efficiens per ſe ut natura et conſilium, per accidens ut violentia & fortuna 675, 49
Fortuna utrum eſt 674,8.
Fortuna eſt Deus. 674, 39.
Fortuna quid. 674,52.
Fortunæ et caſus differentia, ubi videtur de providentia agi, 675,17: 678,37: & deinceps toto capite.
Materia per ἀναλογίαν cognoſcitur 650,2: & deinceps eſt ens actu: 653,46: 655,1.
Materia nomine naturæ 665, 44.
Materia eſt concauſſa formæ 655,48.

Forma

Forma eſt entelechia 700,30.
Forma nomine naturæ 666, 13.
Cauſſa materialis & formalis eſt natura 680,25: comprehenditur nomine naturæ 670,25.
Logica materiæ & formæ toto primo phyſico tractatur.
Finis eſt forma & uſus rei 570, 50.
Finis eſt principium λογισμοῦ, ſed in Deo tantum & homine 684,20.
Effectus nomine naturæ 563, 49:666,39.
Motus eſt idem quod in logica effectus 698,28.
Motus communis omnium ſcientiarum & opinionum 795, 12.
Logicæ effectus in motus definitione, partitione, infinitate incipit 688,17.
Motus definitio 693,53:& deinceps. difficultas hujus definitionis 694, 1: refutatio 694,18.
Motus genera quatuor 689, 34: & ſingulorum binæ differentiæ 690,24. quæ deinde refellitur, inconſtans ejus partitio 647,19.
Geneſis pro quovis motu 691, 14.
Motus nugatoria ſophiſtica 738,39: & deinceps toto libro.
Motus matæotechnia toto quinto & ſeptimo libris.
Cauſſarum & effectorum logica per totam ἀκρόασιν ferè tractatur 621,27.
Locus eſt logica res 714, 1: & deinceps.
Loci θέσις, ἀντιμετάστασις locatorum 715,24.
Loci partes & ſpecies non ſolum ſitu quo ad nos, ſed natura 715,41: contrariæ differentiæ 814,18.
Locus temerè in phyſicis tractatur 689,2.
Locus eſt mathematum 715, 55.
Locus etiam Dei 716,41.
Locus quinq; capitibus valde nugatorie diſſeritur 713,28: & deinceps.
Locus plenus aut vacuus, atq; inde vacuum diſſeritur quatuor capitibus 726,23.
Accidens ſeparabile vel inſeparabile 629,5.
Tempus res logica quomodo diſſeratur 689,21: 30, & deinceps 734,14.
Contraria prima quæ 641, 18.
Contraria è contrarijs non fiunt 636,42:641,50: ſunt ſui corruptiva 656,3 & 55.
Cõtrarietas eſt in eſſẽtiis 544, 10: 744, 40: 753, 13.
Contraria ſecundum locũ 742, 32:751,44.
E' relatis alterum non mutatur altero immutato 746,12.
Privatio quid 647,35:652, 26.
Privatio eſt forma quædã 667, 1: eadem principium nullum eſt 667,8.
Comparatio motuum 776, 14.
Totius et partium collatio 625, 38.
Totius definitio non eſt in definitione partium 629,9.
Pars in toto nihil eſt niſi potentia 758,25.
Idea res logica 670,6.

DE JUDICIO enuntiati.

Principium ſi quid obſcurum, illuſtretur inductione 618,52.
Principium demonſtrans eſt cæcus ratiocinans de coloribus 665,25.
Principium neganti non eſt congrediendum 622,20:795, 32. neq; abſurdum defendenti 623,6.

JUDICIUM Methodi.

Methodus á generalibus 618,28: & toto capite 646,24: 689,5 & 22.
Prius duplex natura nobis 619, 10:643,2.
Prius conſequentia, tempore, natura 811,25.

ELENCHUS IN GEOMETRICA TEMERE' LIBRIS ACROAMATICIS confuſa.

Continuum quid 750,16:756, 40.
Contiguum quid 750,5:756, 42.
Geometricum mendacium abſtractionis nullum 669,38.
Magnitudo eſt infinite dividua 706,10: ſecundum potentiam 706,9.
Infinitatis demonſtratio ridicula 756,20.
Magnitudo infinita quomodo poſtulatur 711,54.
Mathematica infinitas novendecim capitibus ab Ariſtotele diſputata 701,38.
Magnitudinis infinitas fons inſani ſophiſmatis de æternitate motus, temporis, mundi 761, 19: qui elenchus deinde refellitur.
Magnitudinis infinitas unde motus, mobilis temporis, ſtatus, quietis, infinitas 755,37 & 38.

Magnitudo non eſt infinite diviſua 629,32.
Punctum in lineâ principium 758,19.
Linea recta eſt prior quám ſpheris 815,41: & deinceps.
Rotundi principium 816, 30: 823,13.
Trianguli tres anguli 583,15.
Gnomones circũpoſiti alias mutant alias non mutant ſpeciem 702,50.
ὁμοιομέρεια 636,16.
Antiphõtis tetragoniſmus 622, 21.

ELENCHVS IN ἀκροάσεως PHYSICAM.

Ἀκρόασις quid 617,5.
ἀκροάσεως remuneratio talenta octoginta 618,4.
ἀκροάσεις nihil habet phyſicæ doctrinæ, niſi forte Deum unum eſſe, quod tamen per obſcurè dicitur 778,32.
Principium phyſicũ utrum unũ immobile 621,35: 638,4.
Utrum unũ mobile & materiale 633,256: ut aqua 42: ut aer 50: ut ignis 53: ut terra 634, 2: ut aliud elementum 28, μίγμα 635,3.
Phyſici differentia á mathematico 667,42.
Finitum in natura præſtat infinito 643,41 & 52: 771,51: 782,51: 802,37: 806, 5.
Neq; infinitum eſt in phyſicis 703,5: 708,50: et deinceps.
Infinitum phyſicum proponitur Ariſtoteli, diſſeritur geometricum 706,32.
Phyſica principia ſunt ſecunda á primo 641,35.
Principia phyſica tria materia, forma, privatio 640,35: 643,20: et deinc. 645,28.
Phyſicus conſiderat materiam, formam, finem 670,29.
Efficiens in phyſicis violenta refellitur 682,45.
Materia phyſica fit é nihilo & caduca eſt 658, 1: & deinceps, ubi materiæ primæ commentum refellitur.
Phyſicum nihilum Ariſtotelis duplex materia prima & privatio 661,33: 663,8.
Forma phyſica fit ex nihilo 658,50.
Et eſt corruptibilis 672,3.
Et eſt res divina 655,52.
Natura agit alicuiꝰ gratia 678, 40: & deinceps toto capite.
Monſtra ſunt peccata naturæ 679,20 uſq; ad finẽ capitis.
Phyſica fiunt e ſimilaribus 636, 16: & deinceps 642,12.
Rarum & denſum primæ differentiæ corporis phyſici 731, 41: & deinceps 811,5.
Rarum denſum contraria materiæ principia 633,38.
Phyſica ſunt finitæ magnitudinis 637,25.
Corpora duo ſimul eſſe nequeũt 716,20.
Motus phyſici tarditas unde 730,38.
Motus localis fit ceßione 730, 51.
Motus phyſicus non eſt infinitus 711,31: 733,43.
Non eſt æternus 777,15 & deinceps: 810,40.
Agens phyſicé agendo patitur, 695,40: 698,30.
Vacuum phyſicum diſſeritur 728,52: 731,19.
Tempus phyſicum non eſt infinitum 711,31: 733,43: 734, 48: 735,21: 765,32: 768, 18, & deinceps,
Nũc individuũ tẽpus 766, 50.
Principia phyſica utrum contraria 640,36,49.
Magnitudinis motus & ignis in phyſicis rebus falſa cognatio 770,47.
Motuum phyſicorum cauſſa τὸ περιέχον 793,35: 809, 39.
Elementorum motus ignotus Ariſtoteli 797,41.
ἀντιπερίστασις phyſica in motu 729,12: et deinceps: 821,15.
Cælum non æternum 810, 12: 829,8.

ELENCHVS IN THEOLOGIAM ACROAMATICIS LIBRIS COMPREHENSAM.

Principiũ rerũ movẽs eſt aliquid primũ, immobile 801,50 etiã á ſeipſo 804 6: primum & unũ 808,43: 621,35: & deinceps uſq; ad 630: item 638,4: itẽ 677, 2, & 53: item 820,31: 821, 22: infinitum 702,30: æternũ 794,2: et deinceps 807, 8: & deinceps. movet ſine labore 802,31: 821,22.
Eſt ſine magnitudine 818, 43: 823,43: q. Ariſtoteles occultè dixit metu mortis 824,40.
Eſt in ſumma mundi ſuperficie 823,15.
ἀκροάσεις Dei nomen non appellat 562,35.

ERRATA IN SCHOLIS PHYSICIS.

623,20. ἀσυλλογιστία. 625,3 Interiturum. 676,51: omni efficienti.

ELENCHVS IN DIALECTICAM METAPHYSICIS LIBRIS TEMERE' CONFVSAM.

Philoſophiæ particula nemini ſatis nota 856,11.

Philoſophia eſt ſcientia contemplatrix veritatis 856,51.

Philoſophus eſt φιλόμυθος fabulæ ſtudioſus 837,10.

Artium liberalium inventores admirabiles 831,36.

Ars eſt potentia 940,38: deq; ejus actu 942,47.

Ars alterius cauſſa, ſui modicum eſt admodum 969,49.

Grammatica ſcientia vocum omnium 880,7.

Literæ ſunt elementa vocũ 871,16.

Dialectici Ariſtotelis libri plurimi in præf.

Dialectica eſt mentis 919,40: & deinceps.

Dialectica entis & non entis 881,11:886,19:904,5.

Dialecticæ in theologiam metamorphoſis 838,22: & deinceps. 840,51:865,11:884,54: & deinceps. 918,17: 920,10: & hinc ejus laudes.

Eſt generaliſſima 833,35: difficillima 834,52: accuratiſſima 835,32: aptiſſima ad docendum 836,3: optabiliſſima 836,18: principaliſſima 836,44: liberrima 837,16: honorabiliſſima 837,42: diviniſſima 837,44.

Dialectica apodictica ſit pars metaphyſicæ 869,40.

Dialectica apodictica, topica, ſophiſtica 882,13: 883,37: 884,14:950,55.

Dialecticæ partes quæ ſunt in metaphyſica confuſæ 887,43.

Logica ἀκριβολογία imperitis videtur μικρολογία illiberalis 859,40: & deinceps.

Dialecticæ ignari veteres 848,39:977,30.

Hinc illis cauſſa erroris 891,55.

ἀγροικαὶ ἀνεχέγγυα 986,11.

Dialectica Socratis de communibus definitionibus 847,53.

Logica Platonis de ideis varia 847,2.

Dialecticæ laudes Socraticæ 977,34.

Categoriæ decem Pythagoreorũ 845,47.

Categoriæ Archytæ 935,13.

Argumenti ratio & fides è moribus & conſuetudine præcipua 859.32.

Argumentorum ſpecies ſunt ſpecies entis 880,21.

Ens & unum communia quædã 931,36.

Ens & unum utrũ genera 871,40: & deinceps.

Principia entium cõmunia 955,11, & 36.

Ens medium inter ſynonymũ & anonymum 879,22.

Entis genera 898,13: & deinceps toto capite, & 900,48: toto capite 919,2: 937,43:944,1: 952,12.

Unius modi 945,10: & deinceps.

Entis primũ genus eſſentia 921,45:953,45.

Eſſentiarum omnium utrum una ſcientia 864,24: ſolutio 869,50:878,53.

Eſſentiarum genera 864,26: 870,16:901,41:912,8: 922,29:958,10.

Categoria phyſicæ eſſentiæ nihil eſt logicæ 881,19: & deinceps.

Eſſentiæ utrum ſunt cauſſæ rerũ 955,25.

Conſentaneum unius nomine nouendecim modis dicitur 898,13: & deinceps.

Idem ſeu conſentaneum tot modis dicitur quot ens 902,38: 909,11:945,33.

Eiuſdem & diverſi & cæterorũ proprietates cõſiderare utrũ una ſciẽtia 865,25:878,52.

Omnia fiunt ex homogeneneis 924,35: & è ſynonymis 854,53.

Cauſſa variis nominibus dicitur principium, natura, elementum: principiũ videtur quod eſt partibus minimum & ſubtiliſſimum 850,23.

Principium ſeptem modis 894,25: ubi genera cauſſarum temerè confunduntur.

Natura quinque modis dicitur 896,50.

Elementum tribus modis dicitur 896,30.

Cauſſæ cognitio eſt ſciẽtia 841,13.

Cauſſarum contemplatio utrum eſt unius ſcientiæ 861,18: 863,42: ſolutio 868,27: 878,53.

Cauſſarum cognitio eſt logicæ 861,18.

In logica cauſſarum veteres balbutiunt 854,21.

Cauſſæ rerum utrum ſunt unum & ens 867,1:872,53: ſolutio 871,13,35: & deinceps. 875,25:898,13:931,38.

Cauſſæ utrum univerſalia an ſingularia 867,10: ſolutio 928,18.

Cauſſæ utrum genera prima an ultima 865,47: ſolutio 871,35.

Cauſſæ utrũ genera an rerũ elemẽta 864,34: ſolutio 871,13.

Cauſſæ utrum ſunt finitæ numero an ſpecie 866,28: ſolutio 873,17:873,24.

Cauſſæ non ſunt infinitæ neq; in rectũ neq; in ſpeciem 857,10.

Cauſſæ caducorum utrum caducæ, & æternorũ æternæ 868,49: ſolutio 873,45.

Cauſſarum genera efficiens, materia, forma, finis 841,16: approbatur longa hiſtoria philoſophorum: item 895,44.

Genera cauſſarũ quatuor materia, privatio, forma, efficiens 955,15.

Cauſſæ utrũ ſunt ſecũdum motũ 867,26: ſolutio 877,10.

Efficientis ſcientia utrum principaliſsima 869,13.
Cauſſæ utrum actu an potentia? 867,21: ſolutio 877,10.
Efficiens natura arte vel caſu, ubi caſus fit privatio naturæ vel artis 955,3.
Fortuna 952,17.
Efficientis ſatum & uiolentia 897,25.
Ex quo dicitur modis quinque 912,26.
Materia utrum ſola eſt cauſſa? 866,3: ſolutio 873,17.
Materia eſt prima eſſentia 914,28.
Materia cuiuſq; propria 937,3.
Materia eſt potentia 955,30.
Materia author ſuæ formæ 925,4.
Materia Platoni nomine parvi & magni 848,25.
Forma eſt eſſentia 986,33.
Formæ ſcientia utrum principaliſsima 869,5.
Forma magis eſſentia quám materia 922,53.
Formæ oriuntur & intereunt inſtar momentorum, & fiunt é nihilo 936,4: 937,22.
Forma fit é nihilo 924,52: 954,37.
Materiam formamq; neque oriri neque interire, ſed σύνολον ſimul totum 919,30: 924,47.
Forma nomine unius Platoni 848,26.
Forma rerum Democrito erat in figura, ſitu, ordine 934,50.
Forma & efficiens plerumq; eadem 955,22.
Entelechia eſt finis vel motus 941,4.
Finis duplex, forma & uſus formæ 943,1.
Finis ſcientia utrum principaliſſima? 868,55.
Finis veteribus philoſophis parum notus 849,14.
Forma & finis non idem 937,18.
Finitum quid 909,34.
Effectorum differentiæ ſunt eadem quæ cauſſarum 896,33.
Motus idē actio & paſsio 953,1: 954,18.
Energia ſeu motus non poteſt Ariſtoteli definiri 941,55.
Motus definitio 952,50: & deinceps.
Motus inepta genera 924,37.
Actus utrū prior potentia 942,17.
Subjectum prius adjuncto, ratione, tempore, notione, natura 921,49.
Locus cōmunis & logicus 992,4.
Accidens quot modis 915,10.
Paſsio quot modis 911,6.
Accidentium adjunctorum per ſe eſſentiis utrum eadem ſcientia 864,42: ſolutio 870,3: 878,53.
Habitus quot modis 911,3.
Diſſentaneum nomine multiplicis triplex 900,40.
Diſſentanea ſpecie quot modis 905,20.
Contraria 945,41.
Contraria unum uni opponuntur 947,1.
Contraria interrogantur per utrum 946,53.
Contraria contrariorum corruptiva 991,12.
Principia rerum cōtraria 846,20.
Contrariorum mataeotechnia 986,3.
Cōtrariorū modi ſex 903,55.
Adverſa differunt ſpecie 948,22.
Adverſa 904,1.
Adverſorum modi unus & viginti 905,10.
Ex oppoſitis maxima ſunt adverſaitē contradicentia 946,1.
Relata 904,1, & 24: quot modis 908,50.
Contraria negata privantia & contradicentia 881,7.
Privatio comparatur tenebris 955,32.
Privantia 904,2: quot modis 911,27, & 47.
Contradicentia 904,1.
Contradicentia medio carent 947,47.
Cōtradictionis axioma 952,1.
Contrādictionis axioma firmiſsimum, notiſsimum ſuppoſitionis indigens 888,14: diſceptatur deinceps.
Contradictionis pars utraq; Heraclito vera 889,10.
Falſa Anaxagoræ 890,17: item Democrito 891,3: vera ſimul & falſa Protagoræ 890,38: neque vera neque falſa Cratylo 890,6.
Contradicere non licet Antiſthenis ſententia 914,50.
Apodicticorum axiomatū, ut cōtradictionis, cōparationis ſciētis utrūuna? 864,17: ſolutio 869,27: 886,44.
Adverſa in privantibus, privātis in contradicentibus continentur 946,41.
Quantitas quot modis 907,31.
AEquale vel inæquale primæ differentiæ entis 881,54.
AEquale inæquale 945,34.
AEqualia 909,16.
Simile diſsimile ſpecies entis 880,21: 945,35.
Simili ſimile gignitur 874,45.
Similia parva homericis interpretibus obſervata, magna præterita 993,38.
Simile dicitur modis quatuor 903,26: 909,11.
Diſsimile dicitur quatuor modis 903,32.
Nomen utrum ſit ſignum compoſiti an formæ 935,25.
Totū de quibus dicitur 913,25.
Totū dicitur trib. modis 913,8.
σύνολον ſimul totū an eſt aliquid ſeparatum? 866,20: ſolutio 873,17.
Totum utrū eſt ſua forma 935,40.
Totū poſterius parte 925,37: 926,5.
Totū prius parte ſecūdū rationē & eſſentiā 937,30: 982,42.
Pars in toto nihil eſt niſi potentia 931,5.
Pars quinq; modis dicitur 912,51.
Utrum partes eſſentiales toti 925,23.

Mutilum quid 913,40.
De genere 954,10.
Genus quot modis 914,14.
Generis legitima definitio 915, 44:947,49.
Generis differētus quæ 914,20.
Genus eſt homo ſingulorum hominum 864,54:872,21.
Differentia differunt genere aut ſpecie 945,48.
Differentiis numeri impia reprehenditur 948.
Inductio & experientia mater artis 830,37: & eius ab arte differentia 831,1.
De ideis libri Ariſtotelis 847, 37.
Idearum origo 977,27.
Idea res eſt logica è topico generis & ſpeciei 848,31: 851, 59:934,14:977,29.
Ideæ exemplares mediæ inter mathemata & ſenſilia 876,50: earum nomina 931,53: deſluvia 958,44: refelluntur 852,30:870,19:928,25: 929,37: 931,44: 938, 34: 948,31: 954,10: 961,2:972,6:978,48.
Idea numeralis reprehenditur, quod numeri non ſint eſſentiæ ſeparatæ 979,46.
Definitio conſtans materia & forma probatur Archytæ 935,10.
Definitionis accuratio temerè remiſſa è logicis ad theologiam 921,20.
Definitionis problemata duo mirabilia: primum utrum partes adhibendæ ſint in totius definitione 925,23: ſecundum propter quid definitum ſit unum, propter quam quæſtionem dialectica perfici putatur á theologia 926,20.
Definitio qũo una 937,37.
Definitio falſo tribuitur eſſentiæ primum 923,50.
Definitio non eſt eſſentiæ, ideoq; nulla 928,50.
Definitionem non eſſe ſingulariũ ſenſiliũ falſo aſſeritur 930,9.
Definitio nulla fieri poteſt Antiſtheni 936,10.
Topicæ in metaphyſico quinto confuſæ epilogus 915,22.
Diſpoſitio quot modis 910,54
Veri & falſi menſura homo 890,43.
Enuntiatum verum nihil eſſe poſſe Cratylus ajebat 891,6.
Verum & falſum ſunt enuntiati 919,38.
Falſum quot modis 914,40.
Neceſſarium quinq; modis dicitur 897,25.
Clariſſima menti tanquam veſpertilioni obſcura falſo 856,22.
Axiomata nõ ſunt mathematici, ſed dialectici 886,45.
Syllogiſtica principia ſunt dialectici 887,17.
Secundum quid, quot modis 910,6.
Poſſibile & impoſſibile quot modis 906,52:940,14.
Enuntiatum poſſibile Megaricis eſt id ſolũ quod eſt 940,51.
Enuntiatum univerſale vel generale præſtat ſpeciali 831, 10: 833,20: & deinceps.
Omne de quib. dicitur 913,22.
Dubitationes platonicis vinculis cõparantur 863,5: earũ difficultas & utilitas 867,53.
Methodus á generalib. 839,42.
Prioris modi 905,46.
Prius ortu imperfectum 976,1.
Poſteriora ortu perfectiora 962,20.
Poſterius genita an eſſentia priora 942,37.
Ultimum quid 909,49.
Tautologia Ariſtotelis laudatur 946,18.
Permiſtum temerè melicratum fortaſſe melius 993,6.

ELENCHVS IN MATHEMATA
TEMERE' METAPHYSICIS LIBRIS CONFVSA.

MAthematica eſt ſcientia contẽplativa 917, 29:952,8.
Mathemata ubi inventa 831,40.
Mathemata inter ideas & ſenſilia 848,19:864,35:870, 30.
Mathemata utrum ſint eſſentiæ ſeparatæ? 867,39: ſolutio 876,18.
Mathemata non ſunt eſſentiæ ſeparatæ 974,11.
Mathemata ſunt materia & forma rerum Pythagoreis 845, 23.
Mathemata irriſa ab Ariſtippo temerè 868,33:976,50.
Mathematica analogia quid profit 993,16:994,1.
Arithmetica utrũ inutilis 990, 45.
Numerus idea rerũ Pythagoreis 845,31.
Numeratarum rerum potentia non eſt è numero 993,18.
Menſura minima unũ 945,17.
Menſura rerũ homo 945,24.
Geometrica ἀφαίρεσις videtur improbari 870,30.
Eſt πλημμελίας ὁ λόγος 974, 13: & deinceps totis capitibus 2, & 3.
Geometrica potentia 940,25: 943,39.
Geometra non mentitur 976 32:987,33.
Punctum dogma geometricum Platoni 853,48.
Punctum Eurytho principium magnitudinis 992,19.
Linea minima & individua 840,16:853,51: 858,13.
Angulus acutus quid 925,36.
Diagrammatum cauſſæ ſunt axiomata 871,16.
Numeri geometrici planus ſolidus 908,40.
Trianguli duo recti 915,17.
Trianguli duo recti ſecundum potentiam 943,43.
Diametros aſymetros 840,1.
Semicirculus quid 925,36.

Rectus in ſemicirculo 943,45.
Τετραγωνισμὸς eſt εὕρεσις τῦ μέσου 869,8.
Duo ſolida ſimul eſſe nequeunt 974.36.

ELENCHVS IN PHYSICA TEMERE' METAPHYSICIS LIBRIS CONFUSA.

Phyſica eſt ſcientia contēplativa 917,10.
Phyſici veteres ignari logicæ 844,42: & ἀναλυτικῶν 887,8.
Phyſicus peccat tractans dialecticam in phyſica 887,8.
Phyſicorum princeps Empedocles Ariſtotelis judicio 874,8.
Principia phyſica materia, forma, privatio 954,17:955,13.
Efficiens phyſica quibus phyſicis cognita 843,40.
Phyſica materia de cauſsis ſola plurimis phyſicis cognita 843,3.
Forma phyſica quibus phyſicis nota 845,15.
Phyſicæ formæ divinitus ingenerantur 932,41.
Eſſentiæ duæ phyſicæ, una æterna, altera caduca 956,5.
Mūdus æternus Ariſtoteli 960,35:961,46.
Phyſici mundum interiturum ſentientes 943,25.
Cælum æternum 961,12.
Motus æternus 957,6.
Tempus æternum 957,6: & deinceps.
Aſtrologia germaniſſima philoſophiæ 963,21.
Aſtrologia Ariſtotelis obſcura 960,41.
Aſtra movent ſine labore, ideoq; æterna 943,17.
Phyſica efficiens ſol & Zodiacus 955,34.
Terra movetur Pythagoreis 845,40.
Corporum ſenſilium elementa ignis, aer, aqua, terra 871,17.
Mas & fœmina non differūt ſpecie 948,1.

ELENCHVS IN METAPHYSICAM.

Metaphyſica quid 829,23:830,21.
Metaphyſica ſciētia contemplativa 952,8.
Metaphyſicam putavit Ariſtoteles aliud eſſe quàm logicā, in præfat.
Eſt omnium doctrinarum ſpecialiſſima 834,30.
Metaphyſicæ impietas deteſtabilis in præfat.
Metaphyſica ſcientia contemplativa entis quatenus eſt ens 879,1:916,55:950,46.
Metaphyſica eſt eſſentiæ 879,50: item æternorum ſeparabilium divinorum 917,45.
Metaphyſicæ interpretes comparantur pictoribus & poëtis: in præfat.
Metaphyſicæ diſtributio 830,1.
Metaphyſici Ariſtotelis libri quatuordecim variis nominibus appellati: in præfa. item 829,31.
Metaphyſicæ procœmium in duobus libris 863,42: & deinceps.
Metaphyſicæ ariſtoteleæ partes non ſunt phyſica & mathematica 951,24: & deinceps
Metaphyſica Ariſtotelis ad imitationem Platonis in præfa. item 863,10.
Metaphyſica Ariſtotelis nequior Mahomedis theologia 968,47: ſimilis autem tautologiis 949,46:956,5.
Actus in æternis ſine potentia 943.7.
Theologia Heſiodi immortalia facta eſſe, quæ nectar & ambroſiam guſtarint, mortalia contrá 874,1.
Theologia Ariſtotelis nil habet certi quàm Deos eſſe, cætera fabuloſa 965,13.
Deus Empedoclis Sphærus 874,25.
Dei nomen ſolum 837,54.
Deus ἐνέργεια 959,16: ſine materia 23.
Deus eſt eſſentia æterna & actus ſine potentia, materia, magnitudine, parte, diviſione, paſſione, alteratione, per ſe intelligibilis, primo movens, immobilis, vitæ optimæ ac jucundiſſimæ 962,50.
Deus eſt æternus & immutabilis 956,52: & deinceps.
Deus immobilis 961,22: beatiſſimus 961,53: animal optimum 962,12.
Deus actus expers potentiæ, falſo 958,5:959,26:966,9.
Deus intelligit actu ſeipſum 965,36: idemq; eſt intelligentia intelligentiæ intelligentia, vel idem intellectus intelligenti, intelligenſq; intellecto 966,45.
Deus ſolus κατὰ μετάληψιν ſeipſum intelligit 970,23.
Deum eſſe unū 846,23:972,16.
Deus non unus ſed quinquaginta quinque 953,10: & deinceps.
Deus non eſt invidus, ut poëtæ mentiuntur 837.38.

Dii ἀνθρωποειδεῖς humana ſpecie fabuloſi 870, 20: 965,16.
Deus Heſiodi eſt mens opifex rerum 954,22.
Deus finis rerum Platoni 849, 39.
Deus Ariſtotelis Epicuri Deus eſt ſine providentia 965, 52:966, 43: & deinceps toto capite.
A Deo & partium ordine eſt mundi præſtantia 970,46.
Metaphyſicæ epilogus 994, 43.

ERRATA.

880,32: At entium. 882,5: nunquam.
921,39: theologiæ eſſe ens per categorias conſiderare.
935,44: compoſitum è materia.
955,3: natura, arte 956,39: Arabem.
971,39: mundo 995,6: tertio quartoq;.

BASILEAE, PER EVSEBIVM EPISCOPIVM,
& Nicolai F. hæredes Anno Salutis humanæ M. D. LXIX.
Menſe Auguſto.

EPI SCOP.